{BnF

gallica
BIBLIOTHÈQUE
NUMÉRIQUE

Pierre Chrysologue, Saint. Sancti Petri Chrysologi,... Opera omnia recusa ad castigatissimam recensionem Sebastiani Pauli... editio ante omnia completa, sermonibus tum ex sancto Augustino, tum ex Luca Dacherio desumptis, necnon triplici vita sancti .... 1846.

1/ Les contenus accessibles sur le site Gallica sont pour la plupart des reproductions numériques d'oeuvres tombées dans le domaine public provenant des collections de la BnF.Leur réutilisation s'inscrit dans le cadre de la loi n°78-753 du 17 juillet 1978 :
*La réutilisation non commerciale de ces contenus est libre et gratuite dans le respect de la législation en vigueur et notamment du maintien de la mention de source.
*La réutilisation commerciale de ces contenus est payante et fait l'objet d'une licence. Est entendue par réutilisation commerciale la revente de contenus sous forme de produits élaborés ou de fourniture de service.

Cliquer ici pour accéder aux tarifs et à la licence

2/ Les contenus de Gallica sont la propriété de la BnF au sens de l'article L.2112-1 du code général de la propriété des personnes publiques.

3/ Quelques contenus sont soumis à un régime de réutilisation particulier. Il s'agit :

*des reproductions de documents protégés par un droit d'auteur appartenant à un tiers. Ces documents ne peuvent être réutilisés, sauf dans le cadre de la copie privée, sans l'autorisation préalable du titulaire des droits.
*des reproductions de documents conservés dans les bibliothèques ou autres institutions partenaires. Ceux-ci sont signalés par la mention Source gallica.BnF.fr / Bibliothèque municipale de ... (ou autre partenaire). L'utilisateur est invité à s'informer auprès de ces bibliothèques de leurs conditions de réutilisation.

4/ Gallica constitue une base de données, dont la BnF est le producteur, protégée au sens des articles L341-1 et suivants du code de la propriété intellectuelle.

5/ Les présentes conditions d'utilisation des contenus de Gallica sont régies par la loi française. En cas de réutilisation prévue dans un autre pays, il appartient à chaque utilisateur de vérifier la conformité de son projet avec le droit de ce pays.

6/ L'utilisateur s'engage à respecter les présentes conditions d'utilisation ainsi que la législation en vigueur, notamment en matière de propriété intellectuelle. En cas de non respect de ces dispositions, il est notamment passible d'une amende prévue par la loi du 17 juillet 1978.

7/ Pour obtenir un document de Gallica en haute définition, contacter reutilisation@bnf.fr.

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD USQUE INNOCENTII III TEMPORA FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

UNIVERSITÉ BIBLIOTHÈQUE LILLE

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE, Cursuum Completorum IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS LII.

SS. PETRI CHRYSOLOGI, VALERIANI ET NICETÆ TOMUS UNICUS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1845.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

SANCTI PETRI

CHRYSOLOGI

ARCHIEPISCOPI RAVENNATIS

OPERA OMNIA

RECUSA

AD CASTIGATISSIMAM RECENSIONEM SEBASTIANI PAULI,

QUI

PRÆFATUS EST, NOTASQUE ADJECIT IN QUIBUS MANUSCRIPTORUM CODICUM COLLATIONES, SELECTIORA QUÆDAM EX OBSEVATIONIBUS DOMINICI MITÆ, VARIÆ LECTIONES LATINI LATINII, NECNON CASTIGATIONES MEURSII COMPKEHENDUNTUR.

EDITIO ANTE OMNES COMPLETA,

SERMONIBUS TUM EX SANCTO AUGUSTINO, TUM EX LUCA DACHERIO DESUMPTIS, NECNON TRIPLICI VITA SANCTI CHRYSOLOGI ET DISSERTATIONE JOS. AMADESII DE METROPOLI ECCLESIASTICA RAVENNATENSI, LOCUPLETATA.

SEQUUNTUR

SANCTORUM VALERIANI ET NICETÆ,

CEMELIENSIS ET AQUILEIENSIS EPISCOPORUM

SCRIPTA UNIVERSA

JUXTA

JACOBI SIRMONDI, BRAIDÆ ATQUE EMINENTISSIMI CARDINALIS MAII ELUCUBRATIONES

ACCURATISSIME EXPRESSA ET EMENDATA.



TOMUS UNICUS.

1 VOL., PRIX : 7 FRANCS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIERE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1846.

ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

S. PETRUS CHRYSOLOGUS.

Sermones 185, cum amplissimis prolegomenis. Col. 183

S. VALERIANUS.

Homiliæ viginti. 691
Epistola ad Monachos. 755
Apologia pro S. Valeriano. 757

S. NICETAS.

De Ratione fidei. 847
De Spiritus sancti potentia. 855
De diversis appellationibus D. N. Jesu Christo convenientibus. 863
Explanatio symboli. 865
Fragmenta sex. 873
Dissertatio Braidæ in S. Nicetam. 875

Parisiis. — Excudebat Bailly, in foro Sorbonico, 2.

SEB. PAULI

PRÆFATIO

IN NOVAM HANC EDITIONEM D. PETRI CHRYSOLOGI.

Sancti Petri Ravennatis archiepiscopi, cui ob auream dicendi facundiam Chrysologi nomen adhæsit, *Sermones*, quos vocant, duobus superioribus sæculis, ecclesiasticis tractatoribus, verbique Dei præconibus deliciarum loco fuisse, neminem arbitror esse quem lateat. Fatentur hoc frequentes editiones, quæ nec vel unius anni intercapedine prodierunt Moguntiæ, Coloniæ, Parisiis, Venetiis, et alibi : ita ut typographis illorum temporum præcipua cura fuisse videretur, in edendis Chrysologi Sermonibus, sibi invicem manus eripere, et lucri occasionem antevertere. Nostra vero ætate, in qua bona despiciuntur, et quæ meliora sunt, ægre tamen probantur, minoris censeri cœperunt : causantibus nonnullis enervem in eo esse eloquentiam : fluxam dicendi vim : orationem frigidiusculis sententiis plus æquo conspersam, et licet brevem, diffusam tamen : et in qua, si non vividum, solidum tamen ingenium desideres : stylum compressiorem, unde ei quandoque obscuritas emergit : et in quo facilitas naturalis, nec fucata puritas non semel frustra requiratur.

Fateor omnia hæc non falso, nec ingratiis asseri. Æquioris vero animi in Chrysologum argumentum esset, mitius secum egisse : et horum criminum nonnulla in Ravennatum, Græcorumque, apud eos degentium, mores refundere : qui tum corporis, tum ingenii viribus enervatis, firmiorem eloquentiam aspernati, hujusmodi tantum verborum lenociniis afficiebantur. Sapientis autem sacrique oratoris præcipuum munus est, sese vulgi auribus accommodare, ut populus veritatem audiat, nil pensi faciens, si ea aureis, vel fictilibus, luteisque vasculis propinetur. Quam profecto curam, solertiamque merito laudat in divo Basilio Gregorius Nyssenus sub initium suæ in Hexameronem explicationis ad Petrum Fratrem : eaque præ omnibus aliis sanctis Patribus abunde elucet in divo Chrysostomo, qui suæ orationis mensuram auditorum aures esse arbitratus, ut de eo Ferrarius de Concion. lib. XI, pag. 244, se ad illorum captum et utilitatem accommodabat. Enim vero, si eorum plerique ab puriori ac elegantiori recedentes sermone, demissiori quandoque oratione usi sunt, non tamen sine consilio totius litteraturæ elegantiæque expertes censendi. Quadam enim affectatione, vulgarem sermonem sæpius præferebant cultiori, ut ad eorum captum, quos Christianæ religionis præceptis imbuere volebant, orationes suas componerent. Propterea non continuo abjiciendi, si qui eorum aliqua negligentiæ labe apparent inspersi : maxime si quid in se contineant ad nostri instituti nostræque religionis momenta firmanda, sive ad mores instituendos : cum præsertim illorum studium fuerit, ut iis tantummodo placerent, quos juvare susceperant.

Ea autem omnia, ut unde paulum recesserat, redeat oratio, quæ in divo Chrysologo redarguuntur, non esse hujusmodi, fidenter dicam, quæ alias tantum habitum opus nostro teneriori palato sordescere faciant. Ponderosiora sunt quæ in eo commendari queunt. In iis merito recensendus est frequens ille sacrarum Scripturarum usus : quo Divini oris verba ad omnia quæ vult, non violentis interpretationibus extorquet, sed veluti sponte fluentibus accommodat. Continua item sermonis elegantia, audientium animos dulce cadentium verborum sono, venustisque dictionis flosculis permulcens et alliciens : jucunda item oratio, quibusdam commatibus, et validis affectibus, tragicis quandoque verbis expressis ; ea demum quæ styli candore, et dicendi affluentia tunc temporis auctori nostro *Chrysologi* nomen obtinuit. Scilicet hac ætate, hæc potissimum erant in moribus : iisque adhæserat audientium genius : ut optime norunt ii quorum manibus scriptores huic nostro coævi teruntur.

Sermones quos edimus, ut plurimum, circa sacram Scripturam versantur : cujus sensus nescires an majori gratia et lepore quam puritate explanaverit. Litteralem primum exhibet, inde allegoricum : quem sæpius moralis quædam consideratio, vel sacræ ethices præceptum subsequitur : nec fastidiosa sunt prolixitate graves, sed pro temporum usu infra, vel haud integræ horæ spatio coerciti, quos etiam, ne tædium auditoribus gignerent, dividebat in plures : ut evenit in sermonibus *de Symbolo :* et id vel in fine unius, vel in principio alterius præmonebat, ut in fine serm. 22, *Differamus hodie:* quod et alibi legas. Dubium si eos eodem, vel in diversis diebus pronuntiaverit. Sed licet videatur suffecisse populum semel in die convocasse ad concionem, in serm. 22 et 23 innuere videtur id egisse eadem die : nam horum postremum incipit : *Audistis hodie*, etc. ; quod non semel occurrit. Frequens etiam in eis jejunii, orationis, eleemosynæ, fideique symboli mentio est : quandoque etiam sanctorum festa, aliæque Ecclesiæ solemnitates celebrari susceptæ. Hæreses iterum, iterumque brevi quidem, sed valida robustaque manu vellicatæ : hæreticorum primipilares lacessiti : vel qui Christum δοκησει, sive specie tantum, vel phantastice venisse effutiebant : vel resurrectionem nostræ carnis ; vel B. Virginem, contra Ephesini concilii statuta, Θεοτόκον, vel Deiparam dici posse negabant : seu ab Ecclesia Dei remittendi iterato peccata auctoritatem eliminabant ;

seu denique alia hujusmodi falsitatis, mendaciorumque commata propugnabant. Circumcelliones item aggressus est, vel Agonisticos, vel cum Romanis Montenses dicas, eo quod in montibus habitarent, hominum genus ferox et audax : et præ aliis potissimum Eutychetis hæresim : ut nullam eam internecino bello aggrediendi occasionem prætermitteret : utpote quæ tunc primum in Ecclesiam irrepserat, virusque suum recens emovere cœperat. Contra eum disertissimis verbis naturas in Christo impermixtas prædicat, dum eumdem verum Deum et hominem fatetur, divina et humana operantem : et una cum Nestorio eum compellat, cum serm. 84, *Veniant nunc*, dicit, *hæretici;* unde elui potest nota Sabellianismi, quam nonnulli falso inurunt Chrysologo; quasi loquens de filio prodigo serm. 1, Patris et Filii personam confundisset. At doctissimus præsul illis verbis, sub nomine Patris Christum quidem intelligit : Patris tamen nomine, non Patrem æternum, verum eumdem Christum, seu Deum incarnatum. Loquitur enim de homine qui habuit duos filios : si habet filios, ergo pâter. Jam filios, quos habet Deus incarnatus, seu Christus, dicit esse humanitatem et divinitatem, distinctas naturas, sicut duo filii distincti sunt, tamen in eodem supposito permixti, id est uniti, quod Eutychianismo adversatur.

Mores etiam suorum temporum corrupti et in malum delapsi declamantem Chrysologum sensere : vel illorum perditorum hominum fuerint qui genesim observabant : vel eorum qui ligaminibus, veneficiis, poculisque medicatis operam locabant suam : vel in kalendis januarii sese fœditatibus, et circulatoriis obscenitatibus ad ravim usque commaculabant. Nec inemendatos reliquit optimatum fastum, vestium cultum, mensarum apparatum, parasitorum agmina, ingentem familiarium comitatum, aliaque id genus : quæ omnia valida eloquentia et apostolico zelo perstringit.

Dolebant igitur cordatiores viri, Sermones hos, veluti sub infelici sidere natos, ab typographorum prælis numquam non nisi corruptos, innumerisque erroribus mire fœdos prodiisse : licet de eorum emendatione multa in multis editionibus splendide prædicentur : nec hucusque fuisse ullum qui in eis emaculandis, pristinæque puritati restituendis insudasset. Si duos tantum excipias Martinum Castillo, et Dominicum Mita : quorum postremus ope mss. Cæsenatensis, et Urbinatensis non parvam nec levem ad id stipem addidit. At nescio quo fato factum, ut hæ quoque editiones innumeris scaterent mendis, et non uno in loco medicis manibus indigerent. Nam nec Castillo datum fuit omnes Chrysologi sermones recensere, longissimisque, quibus illos obruere incœperat, commentariis illustrare. Cum enim ad vigesimum quartum pervenisset, nec mediocris molis volumen compegisset, eum manum de tabula tollere, subita molestaque oculorum lippitudo coegit.

Hanc modo spartam ego utcumque adornandam suscepi, et licet invitum ad sacra hæc expostulari permisi, nonnullis motus causis, quas hic retexere, nec lectorem interest, et non nisi levioris operæ pretium esset. Potissimum mihi studium fuit in redintegrando textu, ex cujus depravatione non levis obscuritas quandoque legentibus creabatur. Id pro viribus præstiturus, mss. quædam hujus S. Patris adivi : primumque Cæsenatense, in Bibliotheca Patrum S. Francisci, quod illius Bibliothecæ instructor, princeps Novellus Malatesta, circa annum 1450 transcribendum curavit. Dubium autem, cujus notæ fuerit exemplar illud, a quo copia hæc desumpta fuit : certe nec melioris, nec emendatioris. Antiquiorem ætatem præ se fert Romæ Vallicellanum, ab Baronio laudatum; sed et ipsum oscitanter scriptum, et plurimis in locis hiulcum. Præmittitur in eo Vita S. Petri Chrysologi ab Agnello scripta : et ex ejusdem Pontificali, ope codicis Estensis, publicata ab cl. viro D. Benedicto Bacchinio ordinis S. Benedicti. Non autem Vallicellanum in capita dispertitur, addita cujusque capitis synopsi, ut apud Bacchinium : sed appositis ad oram paginarum Romanis numeris, quibus fortasse innuitur, novem olim ex hac vita conflatas fuisse Lectiones matutinales. Ægre enim cum doctissimo viro conveniam, qui in sua de *Patena Forocorneliensi* dissertatione, ex illis verbis, *charissimi*, arbitratus est scriptionem hanc nonnisi sermonem esse ab Agnello, quodam presbytero Ravennati, in honorem Chrysologi pronuntiatum : licet hoc idem suadere videatur solemnis illa absolvendarum Concionum formula : *qui cum Patre, et Filio, et Spiritu sancto, vivis et regnas*, etc. Aliud ms., quod occurrit in bibliotheca Vaticana sub numero 4952, quadringentorum circiter annorum ætatis, primum exstitit Ravennæ in Monasterio S. Mariæ de Portu, inde in bibliothecam cardinalis Sirleti, et ex ea in Vaticanam commigravit : illudque plurimis in locis, in quibus de editorum fide dubitavi, per cl. virum D. Teoli, non semel, iterumque consului. Et res pro illius comitate feliciter utique, et supra votum cecidisset, nisi codex et ipse depravatus, conceptam quandoque spem fecisset irritam. Nec mihi illaudatum præterire licet admodum Rev. P. D. Aloysium Mignanelli, qui ab Rev. D. Francisco Maria Mancurti Imolensis Ecclesiæ canonico, et de litteris et amicis optime merito, meis precibus expostulatus, nescires an majori comitate vel diligentia sex Chrysologi Sermones recensuit, qui mss. in collegio Hispanico Bononiæ asservantur. Inter eos unius alteriusve sermonis interrupta dictio, et interpolata occurrit. Nam in serm. 71, post illa verba : *et altera Maria videre sepulcrum*, transit amanuensis ad lineam 19 (juxta editionem Mitæ) serm. 75, ubi habentur illa eadem verba. In serm. autem 75, lin. 29, post illa : *ad vitam redderet sempiternam*, revertitur idem amanuensis ad serm. 74; et post verba lin. 6 : *lapsus exstiterat et ruinæ*, subdit : *venit Maria Magdalene videre sepulcrum : et quam deceperat arboris interdicti visus, eamdem repararet visio sepulcri.*

Secundum hæc nihil non egi, ut si quæ in aliis Bibliothecis delitescerent, quorum ope sartum tectum opus dare possem, ac largiori imbre areolam meam irrigare, amicorum be-

nignitate rescirem. Sed frustra cecidisse conatus, meque hianti adhuc ore destitutum dolemus adhuc. Tantum editiones nonnullæ emendatiores, si quæ sunt, ab me collatæ fuerunt : et cum typographorum sphalmatis confligens, quæ res incredibilis est molestiæ plena, improbo labore id egi, ut non parum in hac restituenda et emaculanda profecerim : nisi mihi plus æquo vanus adulator obblandiar. Si aliquid e proprio penu protuli, et si quid aliud meo arbitratu immutatum est, quod perquam rarissime contigit, non tamen nisi prævia diligentia et morosa consideratione factum, lectoremque monitum volui, ne mea pro alienis obtruderem. Loca S. Scripturæ quæ ab auctore laudantur, quæque in editionibus corrupte annotabantur, suis quibusque locis restitui. In iis autem exscribendis usus fuisse videtur Chrysologus versione illa quæ ex Græco LXX Interpretum in Latinum versa, quamque *Italam* vocat Augustinus, aliis fere innumeris præferebatur : eodem monente Augustino in cap. XIV et XLIX Isaiæ : *In ipsis autem versionibus Itala præferatur : nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ.* Hujus autem et auctor ignoratur, et tempus. Constat tantum, postquam vulgata Hieronymiana apparere cœperit, eam vocari incœptam *Antiquam:* quo nomine audit penes D. Gregorium præfat. in lib. Jobi, Cassianum, Eucherium, aliosque. Vide quæ observata sunt in notis ad serm. 20. Loca item quædam S. Scripturæ meliorum interpretum fide ausus sum explanare : sed in iis tantum rerum articulis, quando lux eis addita, in ea etiam quæ Chrysologus scripsit, refundebatur. Notas insuper addere placuit : non diffusas quidem, et quæ fastidium molestiamque lectoribus facerent; sed breviores, et quæ res observatu dignas potius innuerent, quam longis verborum involucris, et multorum locorum exscriptionibus involverent, et libellum in ampliorem formam adaugerent. Cum autem hæ notulæ variis temporibus, et prout se offerebat occasio, scriptæ fuerint; inde factum quod nonnulla in superioribus sermonibus annotanda, in posterioribus, et contra, rejecta sint. Longior potius in laudandis auctoribus fui : ut lectoribus essem veluti pro indiculo, quo duce ipsi prænotatos scriptores adirent et consulerent. Ratus item de concionatoribus aliquid promereri posse, si alia sanctorum Patrum loca indicarem, ubi vel eadem quæ Chrysologus, illustrarunt sacræ Scripturæ verba, vel in non absimiles corruptos, depravatosque hominum mores insurrexerunt. In omnibus editionibus varias reperies Sermonum inscriptiones, seu mavis dicere, ut forensi utar vocabulo, intitulationes : ac si in variis et sanctorum et B. Virginis festivitatibus pronuntiati fuissent. Has utpote spurias, et adulterinas, et quæ per latus in impressionibus irrepserunt Dominicus Mita rejecit; et eorum loco alia quædam submisit. Ego, mss. fidem secutus, utrasque censui eradendas (*a*).

Cæterum sancti hujus antistitis Sermones hos, primus omnium e privatæ bibliothecæ pluteis eruit Felix, et ipse episcopus Ravennas XL; qui sedem obtinuit sub initium sæculi octavi, circa annum 707, usque ad annum 717 (Vitam dedit Agnellus in Pontificali Bacchinii). Indeque anno 1534 typographicæ artis ope in vulgus prodiere Bononiæ, curante P. D. Agapito Vincentino Lateranensis ordinis canonico. Unde apparet, quam perperam ab nonnullis editio Parisiensis anni 1544 venditetur ut prima. Non autem juramentum præstare vellem, omnes hos genuinos Chrysologi fetus esse : nam nonnullos reperies obscuros, intricatos eloquio, et nostro haud dignos auctore. Et cum præter hoc observassem, stylum non undique parem sibique constantem esse; argumenta non una, sed pluries in iisdem festivitatibus repetita, in eam suspicionem facillime prolapsus sum, opus hoc fuisse compactum variis lucubrationibus sanctorum præsulum, qui fortasse post Chrysologum in Ecclesia Ravennati docuerunt, et ab studioso quopiam viro in hujusmodi fascem collectum, ut exemplo successoribus esset. Non autem ea, quæ sublestæ esse fidei suspicabar, expungere ausus sum. Indicavi tantum, religionis inde ducens privato judicio sacros vetustosque codices imminuere, et temerarias in eos manus injicere.

Ne vero ingratissimis quibusque videar accensendus, antequam primam hujus præfationis partem expediam, illaudatum iri non patiar cl. et doctissimum P. D. Jacobum Mariam Paitonum Congregationis de Somasca, virum juvandis natum amicis, mihique præ cæteris recolendum, quique nullam non adhibuit diligentiam solertiamque, ut editio hæc nitidior et castigatior prodiret.

(*a*) Etsi V. C. Sebastianus Pauli inscriptiones a Dominico Mita singulis Sermonibus præmissas, mss. codicum auctoritatem secutus, rejecerit; Bibliopolæ tamen, habita legentium et concionatorum commodi ratione, eas denuo novissimæ huic editioni apponendas esse censuerunt.

VITA
S. PETRI CHRYSOLOGI
RAVENNATIS ARCHIEPISCOPI

Ex Libro Pontificali AGNELLI, qui et ANDREAS, edito ab Cl. BACCHINIO tom. I, pag. 321.

Additis nunc Variis Lectionibus ms. VALLICELLANI.

CAPUT PRIMUM.

Petrus XXI, pulcher aspectu, delectabilis forma; ante eum nullus pontifex [*Cod. Vallic.* ex pontificibus] sapientia similis illi, et post eum non surrexit. Multorum librorum et voluminum conditor, et velut irriguus fons ita in eum divina sapientia quotidie

emanabat; unde pro suis eum eloquiis Chrysologum vocavit [*Vallic.* vocavere], id est aureus sermocinator [*Vallic.* aureum sermocinatorem]. Natus est Corneliense territorio; nutritus et doctus [*Vallic.* edoctus] a Cornelio illius sedis antistite, et pro sui nutritoris amore Petrus iste beatus, qui dudum Imolas prædictum vocabat territorium [*Vallic.* quod dudum Imolas prædictum vocabatur territorium], ab illo jam tempore *Corneliense* nominavit. Sed aiunt alii ideo Corneliense, quod Cornelii forum fuisset. Iste primi Leonis sanctissimi papæ Ravennatis Ecclesiæ cathedram regebat. In ipsis diebus sævissimus Eutyches presbyter maligno spiritu instigatur et circa sanctam et individuam fidem catholicam suis pessimis cogitationibus malignam cœpit hæresim excitare. Quem sanctissimus Leo per suam epistolam in conspectum sanctorum multorum Dei episcoporum admonivit [*Vallic.* admonuit]. Numquam potuit [*Vallic.* Et numquam potuit] ejus superstitiosam credulitatem ad bonum revocare propositum. Sanctus igitur Leo ad beatum Petrum hujus Ravennatis urbis pontificem [*Vallic. non habet* hujus, *etc.*], res notas celeriter fecit; qui scribens epistolam ad ipsum hæreticum direxit, per quam in Chalcedonensi synodo non consensit [*Vallic.* non consentiens]; demersus est. Sed ipse sanctissimus Leo multas vices per sua epigrammata in Constantinopolitanam urbem misit non solum ad Gallani Placidiam, verum etiam ad Valentinianum et Honorium [*Vallic.* add. imperatores] et ad cæteros alios fidei robustos, simulque ad divum Gratianum [*Vallic.: Reponendum* Martianum] et Eudoxiam sequestratim [*Vallic.* sequestratim autem] contra prædictum Eutychen presbyterum diversas, ut diximus, epistolas, et tanto tempore prolata fuit [*Vallic.* protelatum fuit], usque ad tempora Martiani imperatoris. Igitur, ut diximus, cum multa altercatio de sancta intemerata fide catholica facta fuisset multis diebus, contigit ut cum episcoporum consilio fuisset allatus prædictus hæreticus coram omnibus sacerdotibus, Theodorus episcopus cum eo certare cœpit, ostendens singula volumina de sanctis Scripturis, et diversa testimonia, quod sancta et indivisa sit Trinitas et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unus esset Deus coæqualis ex duabus manens naturis [*Vallic. : Hæc de Christo Domino apte intelligenda*], Dei et hominis. Non consensit. Tunc auctoritate apostolica demonstrata non resipuit. Ostensaque est B. Petri Chrysologi epistola in qua ex parte continebatur ita : *Humanæ leges intra* xxx *annos inter nos* [*Vallic. non habet* inter nos] *omnes litigiosas interimunt quæstiones, et tu circa quingentos annos cur tanto præsumis in Christo conviciare sermone? vere oportet te humiliari ad sanctum Romanum pontificem, et diligenter ejus præcepta custodire, et non aliter extimes nisi quod B. Petrus apostolus vivus sit, et apostolatus cathedræ Romanæ sedis in carne teneat principatum.* Post hæc autem ipse Eutyches sævissimus in ipso cecidit concilio [*Vallic.* consilio]. Sacerdotum vero cœtus post solutum concilium una cum plebe omnium Christianorum Deo immensas gratias agentes, et maximas laudes imperatoris catholicam et certam fidem observantis [*Vallic.* et maximas laudes inferentes catholicam et rectam fidem observantibus, etc.]; valedicentes abierunt.

CAPUT II.

Petri Chrysologi ordinatio cœlitus imperata.

Igitur, charissimi, quod residuum est de Chrysologi vita in medium proferamus, et inquiramus quomodo aut qualiter in tali orthodoxa sede non ex propriis ovibus, sed ab subjecta Corneliense Ecclesia Ravennenses cives [*Vallic.* Ravennates] pontificem ordinaverunt. Tempore namque illo postquam defunctus est beatissimus ante nominatus [*Vallic. non habet* ante nom.] præsul Joannes, convenerunt universus cœtus populi una cum sacerdotibus, sicut mos est in Ecclesiæ ritu, et elegerunt sibi pastorem, cumque eo properantes Romam venerunt [*Vallic.* cumque omnes cum eo... venissent] ad sanctum papam apostolicæ sedis, ut eorum ordinaret electum, ne talis Ecclesia viduata esset pontifice tantis diebus. Die vero crastina erant omnes parati ut eum [*Vallic.* eum virum] quem elegerant sanctis [*Deest in Vall.* sanctis] apostolicis præsentarent aspectibus. Igitur nocte eadem apparuit ad sanctum Sixtum urbis Romæ episcopum [*Vallic.* S. Sixto... episcopo] per visionem B. apostolus Christi claviger Petrus, una cum Apollinare discipulo suo, et inter ambo stans B. Petrus Chrysologus; et parum B. Petrus apostolus pedem figens dixit ad S. papam Sixtum : Vide hunc virum, quem elegimus nos, qui stat in medium nostrorum [*Desunt in Vall.* qui stat, *etc.*], ipsum consecra, non alium. Idcirco expergefactus papa, jussit valde introduci diluculo plebem universam, et virum qui ordinandus erat. Intuitus est eum diutissime S. papa et ait : Ite, tollite eum de medio, hunc non agnosco. Nisi adduxeritis mihi qui ostensus est, alium non ordinabo. At illi cœperunt inquirere inter se mutuo quæ esset hujusmodi res, ejectisque omnibus foras contristati sunt. Alia vero die jussit [*Vallic. add.* papa] ut populus cum omnibus electis [*Vallic.* clericis] maximis, et mediocribus, et pusillis ante se introducti fuissent, et cum non vidisset formam viri quæ illi ostensa fuerat, ait : Requirite ex vobis, forsitan non omnes venistis, et complures [*Vallic.* utrum plures] estis. At illi dixerunt : Non ex nobis [*Vallic.* novis] quempiam invenies, domine papa [*Vallic. add.* At ille dixit]. Ite et egredimini foras, nondum electum video. Tertia die [*Vallic.* nocte] denique iterum apparuit ad eumdem papam, nec vigilans pleniter, nec pleniter dormiens [*Vall.* eidem papæ... vigilanti... dormienti], apostolorum princeps cum discipulo suo sicut et prius et sanctissimus Petrus Chrysologus [*Vallic.* S. Petrum Chrysologum] inter se tenentes, dicentes illi : Diximus jam tibi ne super alium manus imponas nisi super hunc virum, quia in illis temporibus Ravennæ Ecclesia, ut pinguedo olei lucernæ illuminans, si ab igne [*Vallic.* cum igni] fuerit

applicata, ita illius pinguescet et illuminabitur doctrina. Altera die introducuntur omnes, et non invenitur. Tunc sanctus papa sedis Romanæ [*Desunt in ms.* sedis Romanæ] dixit ad Corneliensem episcopum, qui illo tempore cum Ravennensibus civibus Romam ierat : Introduc omnes sacerdotes et clericos tuos, forte ibi inveniam virum qui mihi ostensus est. Cui ille cum supplicatione respondit dicens : Non habeo talem virum, nisi unum diaconum, qui præest omnibus rebus meis, super cujus manus ego servus tuus incumbo. Si jubes ut in medium veniat, deferatur. Cui beatissimus papa : Veniat, non solum ille, sed et cæteri omnes : si videro quem cupio, gratanter suscipio. At ubi ingressi sunt omnes, statim ut vidit S. papa virum quem sibi per visionem ostensum [*Vallic.* qui... ostensus] fuerat, conspexit eum ut gemmam fulgentem, et hinc atque illinc per spiritum cognoscens vultum B. apostoli Petri, et Apollinaris pontificis, Chrysologi Petri [*Deest in ms.* Petri] dextram sinistramque tenentes; et ut hæc omnia sanctus papa conspexit, statim de sede surgens, et obviam illi quasi medium atrium ivit; et libenti animo alterutrum se salutaverunt, usque ad genua. At ubi subtrahere se Petrus Chrysologus papæ voluit, beatissimus papa non sinivit [*Vallic.* sivit]. Statim cœpit fremitum dare populus inter se et maximum clamorem ad cœlum. Alii dicebant quia neophytum non recipimus, non ex nostro fuit ovile, sed subito invadit cathedram episcopalem, quasi latro. Tollite, tollite eum de medio, non recipimus, quia de subjecta Ecclesia non licet in majorem transferre. Alii contra aiebant [*Vallic.* dicebant coram] : Justus est hic homo, non recte dicitis : suscipiamus eum, ut bene sit nostræ civitati; quia prudentissimus est, et castissimus, et doctor bonus, omnique gloria dignus; ex nostra cognatione est, nihil in eum mali sentimus, timore Domini plenus; sine causa eum perdere vultis. Sanctus vero Xistus III [*Deest in ms.* III] in tali altercatione populum huc illucque divisum conspiciens, palam omnibus retulit visum, ut supra diximus, quomodo [*Vallic.* quoniam] per admonitionem apostolicam eum consecrare debuisset. Et si istum non vultis patrem, a me recedite, et a sancta Ecclesia catholica alienati [*Vallic.* Romana alienate] vos omnes. Tunc illi, quasi una voce, cœperunt clamare : Ordinetur, ordinetur. Conscripserunt celeriter decretum : et per impositionem manus recepit Spiritum sanctum, ordinatusque est in pontificem cum gloria, et Ravennam [*Vallic.* Ravennatem] sedem reversus est. Ex illo jam die cœperunt omnes [*Vallic. add.* eum] venerari tamquam angelum Dei.

CAPUT III.

Ædes Petro curante constructæ. Ejusdem cum Projecto Corneliense Synchronologia. S. Barbatiani funus.

Ædificavit hic Beatissimus fontem in civitate juxta ecclesiam quæ vocatur Petriana, quam Petrus antistes fundavit. Qui fons miræ magnitudinis duplicibus muris, et altis mœnibus structus arithmeticæ, [*Vallic.* architectonicæ] artis. Iterumque domum infra episcopium [*Vallic.* domus in archiepiscopatu] Ravennæ [*Vallic.* Ravennatis] sedis, quæ dicitur Tricolis, eo quod tria cola contineat : quæ ædificia [*Sic ms. Bachin. legend. putat* ædes] nimis ingeniosa inferius structa est. Fecitque non longe ab eadem domo monasterium S. Andreæ apostoli, suaque effigies supra valvas ejusdem monasterii est inferius tessellis depicta [*Vallic.* suamque effigiem.... depictam] : totas vero parietes proconnissis [*Vallic.* percommissis] marmoribus decoravit et in ingressu januæ extrinsecus super liminare versus metricos continentes ita [*Vall.* fecit contineri ita] :

Aut lux hic nata est, aut capta hic libera regnat.
Lux est ante venit cœli decus unde modernum.
Aut privata diem pepererunt tecta nitentem,
Inclusumque jubar secluso fulget Olympo.
Marmora cum radiis vernantia cerne serenis,
Cunctaque sereno [*Vall.* sidereo] percussa in murice (saxa
Auctoris pretio splendescunt munera Petri.
Huic honor huic meritum tribuit sic comere [*Vall.* (condere] parva;
Ut valeant spatium amplum superare coactis.
Nil modicum Christo est. Arctas bene possidet ædes,
Cujus in humano consistunt pectore templa [*Vall.* (consistit... templum].
Fundamen Petrus, Petrus fundator et Aula [*Vall.* (fundavit et aulam].
Quod Domus hoc Dominus quod factum Factor, et idem
Moribus atque opere. Christus possessor habetur
Qui duo consocians mediator reddit [*Vall.* reddidit] et (unum.
Huc veniens fundat parituros gaudia fletus
Contritam solidans percusso in pectore mentem.
Ne jaceat, se sternat humi, morbosque latentes
Ante pedes Medici cura properante recludat;
Sæpe metus mortis, vitæ fit causa beatæ.

Multa condidit volumina, et valde sapientissimus fuit. Iste una cum Projecto a B. Cornelio Imolensis ecclesiæ una hora in diaconos ambo consecrati sunt. Post vero divina providentia, ambo solium episcopale tenuerunt. Petrus Ravennæ ecclesiæ, Projectus servatus est Imolensi [*Vallic.* Ravennatem ecclesiam, Projectus sortitus est Imolensem]. Postquam hic pontifex ordinatus est, postmodum ab ipso iste alter episcopus ecclesiæ Corneliensis consecratus est, temporibus Gallæ Placidiæ Augustæ, sicut scriptum reperimus [*Vallic.* scriptum est]. Corpus B. Barbatiani idem Petrus Chrysologus cum prædicta Augusta aromatibus condiderunt, et cum magno honore sepelierunt, non longe ad Posterulam [*Vallic.* Posterula) Ovilionis, consecravitque ecclesiam S. Joannis Baptistæ, quam Baudarius [*Vallic.* Baduarius] ædificavit.

CAPUT IV.

Petrus mortem suam prævidet, prædicitque. Forum Cornelii pergit, ibique decedit. Locus Sepulcri.

Cognovit autem post hæc beatissimus Petrus per Spiritum finem vitæ suæ. Ivit ad Corneliensem ecclesiam, et ingressus infra basilicam B. Cassiani obtulit munera : id est craterem aureum unum, et pateram argenteam alteram, et diademata aurea magna pretiosissimis gemmis ornata. Hæc omnia ad S. Cassiani corpus imbuit, positaque [*Vallic.* posuitque] super aram illius ecclesiæ, et stans super crepidinem juxta altare expansis manibus, benedixit cunctam plebem, sacerdotes, ac populum, et oravit

dicens : Tu dedisti, Deus, animam in corpore isto : tu iterum misericors suscipe eam, quia tua sum creatura. Non occurrat mihi [*Vallic.* occurret ei] iniquissimus diabolus, sed angelus tuus [*Deest in Vall.* tuus] sanctus suscipiat [*Vall.* suscipiet] eam, et collocare jubeas in sinibus patriarcharum, ubi lux permanet, et gaudium immensum est. Et nunc, Domine, te confiteor labiis corde [*Vall.* et corde]. Tu qui cuncta patrasti ex nihilo, qui solus nosti prisca, et præsentia, et futura, da populo huic cor docibile, ut timeant te, et agnoscant, quia es Deus in cœlo sursum, et in terra deorsum, qui per sanctum Filium tuum totius generis humani salutem recuperasti, in quem credimus Deum et Dominum angelorum, qui es benedictus in sæcula sæculorum. Mitte illis, Domine, verum pastorem, qui tuas congreget oves non **B** disperdendo, sed ad caulas ecclesiæ revocando. Non sopiat [*Vallic.* surripiat] ut mercenarius, non sit alienæ [*Vallic.* alienus] ovis custos, sed verus pastor, qui oves cum agnis commissas [*Vallic.* commissis] immaculatas tuo aspectui repræsentet; ne ille ferox immanissimus lupus, qui prædam rapere quærit a te, pastoris [*Vallic.* pastore] corda excita, rapida voluptas depellatur, vellera fidelium ovium non diripiat, ne sancta Ecclesia vocis balatibus gemat. Tu bonum pastorem tribue [*Vallic.* Tu bonus pastor pastorem tribue] huic populo, mitte [*Vallic.* mitem] pastorem, non percussorem, sed nutritorem : non ut allidat, sed defendat : non spernentem, sed revocantem : non raptorem, sed largitorem. Non ut..... [*Vallic.* laceret], sed compescat; non cupidum, **C** sed tributorem: non elatum, sed humilem: non sævum, sed blandum. Custodi eos : populus tuus est, et opus manuum tuarum qui es benedictus in sæcula. Ad lugentem populum ait : Filii charissimi, audite me. Ego vado, et ingredior viam universæ carnis, ubi constituta est domus omnis viventis. Nunc, filii, confortamini, et estote viri prudentes. Dabit vobis Dominus Deus pastorem et rectorem sicut scriptum **A** est : *Non repellet Dominus plebem suam in finem, et hæreditatem suam non derelinquet.* Ille docebit vos. Ille vos per amœna pascua ducet, ille sui verbi pabulo vos reficiet : ipsum audite, non conturbemini. Et vos viscera mea, non contra eum in tumorem cordis elevetis, non cum tumultu, et jurgio pastorem eligatis. Non patrem hujus patriæ pro [*Vallic.* cui] pecunia hanc obtineat sedem, sed hoc [*Vallic.* hunc] diligite quem Dominus elegerit. Estote perfecti filii: ab omni hæresi servate vos. Cavete ab Ariano dogmate. Sanctam, incontaminatam catholicam [*Deest in ms.* catholicam] fidem tenete. Corpora vestra servate sine pollutione, quia templa Dei animata sunt. Hæc custodite, et agite : ut mereatis vos cum vestro pastore in universorum placitorum [*Vallic.* in ovium sanctarum placitarum] cœlesti Domino viam parare. Præcepta ejus satis custodite : obedite ei, ut ille pro vobis oret : quia omnipotens Deus non vult hilarem, sed cor contritum suscipit, et humiliatum spiritum. Sit benedictio Domini Dei omnipotentis super vos, et super filios vestros in generatione, et progenie, nunc et semper in sæcula sæculorum. Cumque omnes respondissent Amen, conversus ad aram B. Cassiani ait : Deprecor te, beate Cassiane, intercede pro mè. Tuæ domui quasi vernaculus fui a Cornelio istius sedis in ecclesiæ gremio [*Vallic.* Cornelio in hujus Ecclesiæ gremio] nutritus : iterum ad te reversus animam nunc Deo omnipotenti trado, corpus autem meum tibi commendo. Hæc et his similia cum diceret, quasi qui eructans, ovans, et exsultans, flentibus cunctis qui aderant, reddidit Spiritum iii non. Decembris. Cæmentarii vero post sedem ipsius ecclesiæ paraverunt celeriter sepulcrum in loco ubi ipse præcepit : et ibidem sanctum corpus receptum est, et permanet usque in hunc diem. Sedit autem annos..... menses..... dies..... [*Pro* Sedit, *etc.*, *ms.*, Regnante vero Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, Filio et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.]

OBSERVATIONES

D. Benedicti Bacchinii abbatis, etc., ad Vitam S. Petri Chrysologi ex Agnelli Pontificali tom. I, pag. 335.

Petri ætas expensa. Narratio de ejusdem electione divino impulsu facta contra Dupinium asseritur. Agnellus Ravennatem Ecclesiam Romanæ subditam agnoscit. Petri epistola ad Eutychetem. An aliam scripserit. An scripserit postremas illius periodos. Ædes Tricoli an ab Chrysologo excitata. Petriana ecclesia. Sacellum S. Andreæ an ab Chrysologo constructum sit. Munera Corneliensi ecclesiæ tributa.

1. Divi Petri Chrysologi ætatem in postrema dissertatione indicavimus, quantum quidem sufficere poterat ad tollendam temporum confusionem; nunc expresse, quantum licuerit, de ea decernendum est. Et pro episcopatus ejusdem initiis, in ea sententia persevero, ut vel anno 440, qui Sixti III summi pontificis postremus fuit, vel præcedenti 439, ordinatum credam. Annus ejusdem emortualis, nec ante annum 448 collocari, nec post 451 deferri potest. Posterioris asserti veritas ex eo patet, quod Æmiliæ civitatibus clades, et direptio, Attila late furente, anno 452 est illata; eoque Ravennam properante, Joannes sedebat episcopus : nec fortassis is ejus se- **D** dis annus prior erat, sed præcedenti anno 451 cœperat. Prior autem assertio ex Actis S. Germani, Antisiodorensis a Constantio fideliter et accurate descriptis evincitur, cum ex iisdem certa demonstratione elicuerit eminentiss. card. Norisius Germanum Ravennæ obiisse, anno eodem 448, die 31 Julii, Hist. Pelag. lib. II cap. 12. Constat autem Petrum Chrysologum ejusdem sancti funus curasse. Idem eminentiss. et eruditiss. cardinalis de Petri Chrysologi emortuali anno hæc habet : *Eo anno* (450) *vel superiori forte decessisse* 2 *Decembris, qua die ejus memoria recolitur, patet ex epistola Leonis* 35, *ad Leonem Ravennatem, data die* 24 *Octobris,*

Marciano cos., hoc est anno 451 : *nam anno* 448, *idem Chrysologus litteras ad Eutychetem male jam ob hæresim audientem dedit; Eutyches vero in Italia eo ipso anno ad kal. Junias inter catholicos habebatur, ex litteris Leonis ad ipsum eadem die datis, in quibus Eutychetis zelum laudat, quo contra Nestorianos depugnabat : ea est epistola sexta. Hæc inserenda putavi, ut eos corrigerem qui Petrum Chrysologum circa annum* 440 *obiisse scribunt, quæ fuit Hieronymi Rubei et communis scriptorum Ravennatum sententia : quæ si vera esset, sane ante annum* 440 *Germanus Antisiodorensis Ravennæ Chrysologo præsule diem obiisset.* Rubeus Petri Chrysologi obitum non anno 440, sed 450, consignat Histor. Ravenn. lib. II; unde immerito refellitur. Porro cum ad kal. Junias anni 448 Eutyches in Italia bene audiret, non potuit 440 anno a Petro epistola quæ exstat conscribi ; cum enim conscripta est, Eutyches in Italia male audiebat, ut ex ejusdem epistolæ tenore constat: quare epistola Chrysologi non potuit ante annum 449 conscribi. Epistola S. Leonis, quæ Leoni, seu Neoni, dicitur scripta ex dictis supra in dissertatione, non probat intentum, licet cum Pagio contra Quesnellum, ad annum 451 retrahatur, ac propter conjecturam quam in dissertatione exhibui de Ravennii nomine, in inscriptionis ejus mendo forte cubante, adjicere placuit Joanni fortasse scripta fuisse, qui exscriptorum vitio in Leonem mutatus sit. Id tamen si admittatur, nil argumentum juvat, cum Quesnelli argumenta cogant eamdem epistolam ad annum 458 transferre : et in primis quæstio de redeuntibus a Barbarorum captivitate, quæ referri nequit ad extorres illos qui ob Geiserici persecutionem solum vertere coacti sunt, quandoquidem illi non redibant a Barbaris, quod quæstio ipsa supponit. Quod probat Joannem ante annum 452 sedisse, est Attilæ incursio, quæ anno eodem evenit, cui Joannes ipse occurrit, ut narrat Noster. His omnibus perspectis, efficitur Petrum Chrysologum anno 450 vel 451 obiisse, eodemque Joannem suffectum, nec Neoni inter hos locum esse, qui ob multa præclare gesta, quæ in ejus Vita narrantur, pluribus annis sederit oportet.

2. Ut autem ordo temporis servetur ab Agnello neglectus, observanda est Petri electio ad episcopatum, Numinis nutu, et sanctorum Petri et Apollinaris apparitione peracta. Rem omnium primus ex Nostro in lucem produxit Ferretus : inde diserte, ut solet in sua Historia, narravit Rubeus, ex eo Baronius, cæterique. Verum quod fluminum aquis accidit, quæ pro soli unde fluunt natura vario imbuuntur sapore, ita quod demum non sint quales a fonte manarunt ; id narrationi huic accidisse facile deprehendet, qui Agnelli fontes gustaverit, quamvis rei substantia servata sit. Verum mirari subit hominum plures ita comparatos, ut facile nimis omnia credant, alios autem e contra ut omnia in dubium vertant. Dupinius in Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum de hacce historia, hæc ex Gallico in Latinum versa habet : *At nequit historiæ hujusmodi narrationi credi; etenim illam nullus fide dignus auctor exhibet.* Agnellus tandem in lucem prodiens, an Dupinio auctor fide dignus futurus sit ignoro. Illud aio, hinc agnosci hujus historiæ traditionem prout ab Agnello narratur antiquitate eximie commendari.

3. Notari merentur privilegia ab Valentiniano Ravennati Ecclesiæ tributa, si qua fuere, quæ quidem Joannes Petri immediatus prædecessor nactus sit, Agnello ipso teste, licet alias primatus Romani impatiente, nullo modo episcopos ipsos a Romani pontificis jure exemisse : etenim si quando id exemptionis efficere valuissent, tum idipsum fieri debebat, cum ipso Valentiniano imperante, qui privilegium paulo ante tribuerat, novum episcopum ordinandum esse, mors illius cui privilegium tributum fuerat efficiebat. Qui itaque narrat populum et sacerdotes (quorum nomine intelligendos etiam puto episcopos provinciales), facto de certi viri electione decreto, cum eo Romam properasse ad Sixtum sanctum apostolicæ sedis papam *ut eorum ordinaret electum;* quique in subsequentibus adjicit, dissidente et tumultum agente Ravennatum plebe, Sixtum visione narrata dixisse : *Et si istum non vultis patrem, a me recedite, et a sancta catholica Ecclesia alienati vos omnes;* quare cuncti una voce clamaverunt : *Ordinetur;* et conscripto celeriter decreto *per impositionem manus recepit* Petrus *Spiritum sanctum, ordinatusque est in pontificem;* manifesto ostendit Valentinianum privilegium dedisse, si quod umquam dedit; potuit enim nobis ignotum dedisse, quod nullo modo S. sedis jura violaret; nec inde factum ut Ravennatum episcopi autonomi quodammodo essent. Hæc et similia, quæ suis locis pro opportunitate observabimus ab Agnello narrata, efficiunt ut satis mirari nequeam quid rei fuerit ut ipse qui alicubi Pontificale suum scribens erga Romanæ sedis primatum se rite recteque affectum ostendit, alibi, et hic putido commento præfixo, schismaticarum partium sectatorem se prodat. At ea mendaciis et malæ causæ conditio est, ut suo se gladio perimat.

4. Regrediendum modo ad ea quæ Agnellus de sancto Petro priori loco narrat, licet postremis ejusdem annis evenerint, quæque pertinent ad Eutychetis abbatis Constantinopolitani hæresim. Ea vero tanta sermonis stribiligine rerumque confusione infecit Noster, ut divinandum sit quid mente tenuerit. Actorum in causa Eutychetis hic ratio habenda est, ut suis apte temporibus restituantur vera, si quæ ex Agnelli historia elici poterunt; id etiam ei quod numero primo diximus ad postremos Chrysologi annos spectanti, lucem affundet. Damnata itaque Nestorii hæresi in Ephesina generali synodo, partium studia effecere ut qui quam maxime ab ea recedere voluere, in oppositam atque impiam dilaberentur. Eutyches omnium absurdius peccavit, qui in Christo naturarum distinctionem pertinax negavit; et oppositum sentientes Nestorianismi accusavit, datis Leoni summo pontifici litteris, quibus Leo ipse respondit prima Julii, anno 448. Anno eodem in concilio Constantinopolitano, Novembri mense habito ad Flaviano ejusdem urbis episcopo, accusante Eusebio Dorileense, Eutyches sæpe citatus, ac tandem comparens, asserensque proterve hæresim, damnatur. Hinc e vestigio Leoni denuo scribit, seque per nefas damnatum lamentatur, agitque apud imperatorem ut concilium generale cogatur, qui interim, conventu Constantinopoli triginta episcoporum habito prima Aprilis die anni 449, rem majoribus tricis implicuit, Leo die 18 Febr. Flaviano scripserat, ac Theodosio inquirens causas ob quas Eutyches damnatus fuerat, quibus ab Flaviano intellectis, ejusdem zelum pietatemque commendavit epistola data die 21 Maii anni ejusdem. Ante hanc diem non potuit ab Chrysologo Eutycheti epistola scribi, in qua disertis verbis hæresim suggillat; alias quod summus pontifex nesciverat, ipse agnovisset. Ephesi inde coacta nova synodo, Leo ipse S. sedis legatos misit, eosdemque litteris datis munivit : inter quas omnium laudibus communique Ecclesiæ consensu ea laudatur, quæ in editione Quesnelliana est num. 24 data die 13 Junii, in qua Incarnationis mysterium ea elegantia, puritate ac claritate explicatur, ut vix in tota antiquitate monumentum illustrius ad rectum dogma firmandum invenire sit. Synodus Ephesi cœpta est die 8 Augusti ejusdem anni 449, quæ ob in ea per nefas gesta *prædatoria* postmodum dicta est, catholicamque fidem in summum discrimen conjecit, Eutychete absoluto, et Flaviano damnato : qui paulo post ærumnis injuriisque affectus, dum in exsilium duceretur, e vivis excessit. Ob hæc Leo pontifex pluribus epistolis egit apud Theodosium, ut concilio generali res catholica restitueretur. Exstant epistolæ ad Augustum binæ, sub die 13 et 15 Octobris, et aliæ ad alios. Egit etiam ea de re cum Valentiniano, Placidia, Eudoxiaque, et legatos Constantinopolim

misit. Nil tamen in ea re gravissima ab Theodosio obtinuit. At eo defuncto, substitutoque Martiano, Pulcheria ejus uxore agente, concilium primo Constantinopoli ab Anatolio habitum est, cui interfuere apostolicæ sedis legati, in quo lecta Leonis epistola ad Flavianum, et episcoporum subscriptionibus firmata, Nestorius æque ac Eutyches damnati sunt; deinde in concilio, cœpto celebrari die octava ejusdem anni, epistola eadem Magni Leonis regula fuit, qua firmatum est dogma de duabus in Christo naturis, contra Eutychetis hæresim, illique actionibus secunda et quarta lectæ concilium subscripsit.

5. His ex Eutychianæ hæresis historia delibatis, ad Agnelli tricas revertamur. Primo itaque ait, Eutychetem a sanctissimo Leone per epistolam monitum minime resipuisse; ait epistolam in conventu multorum episcoporum lectam. Leonis epistola nulla ad Eutychetem data in concilio ullo lecta est; quinimmo in nullo ex præcedentibus Constantinopolitanum sub Anatolio lecta est epistola celeberrima ad Flavianum, de qua in superioribus. De hac igitur ut loquatur reliquum est: at illi concilio Eutyches non affuit, nec res amplius integra erat. Subjicit paragraphum omnium implicatissimum. *Sanctus igitur*, inquit, *Leo ad beatum Petrum hujus Ravennatis urbis pontificem res notas celeriter fecit; qui scribens epistolam ad ipsum hæreticum direxit, per quam in Chalcedonense synodo non consensit, demersus est.* Ex his, ut puto, argumentum nonnulli habere crediderunt, quo dicerent B. Chrysologi epistolam in Chalcedonensi synodo lectam fuisse, quod tamen repugnat actibus ejusdem concilii, in quibus nil de ea re; nec potuit fieri, ut episcopi Ravennatis pro regula fidei epistola legeretur apud eos qui primum sentiebant solummodo insistendum symbolis conciliorum Nicæni, Constantinopolitani et Ephesini: admissis secunda Cyrilli ad Nestorium epistola, et altera ejusdem ad Joannem Antiochenum, et eo nomine laudatam S. Leonis epistolam ad Flavianum recepere, quod ab dictorum sensu minime abluderet, explicaretque dilucide, quid de Eutychetis hæresi sentiendum. Dominicus Mita rem in hunc modum dirimi posse censet, in Responsionibus ad opposita Vitæ Chrysologi ab se conscriptæ num. 5, 6, 7 et 8, ut S. Leo intellecta a Flaviano Eutychetis hæresi, et causa, Romam vocaverit Petrum, qui, pontifice jubente, epistolam illam omnium celeberrimam conscripserit, pontificis ipsius nomine ad Flavianum, quæ primum in Constantinopolitana sub Anatolio, deinde in generali Chalcedonense synodo credendorum regula, contra Nestorium, æque ac Eutychetem lecta fuit. Ut autem effugiat, quod contra regeri ex styli diversitate ab aliis Petri monumentis potest, conjecturam ita circumscribit, ut sentiat Leonem, conscriptam a Petro epistolam *proprio transcripsisse stylo, et aliqua* suo marte ascripsisse. Id omne ex sermone 75 Chrysologi confirmare nititur, ubi se ex itinere Ravennam quadragesimali tempore reversum, ac propterea fessum admodum dicit. Conjectura se veritatem assecutum fortassis credidisset Mita, si Nostrum legisset, cum ex allato loco astrui videatur, Petrum ab Leone vocatum epistolam scripsisse, quæ in Chalcedonensi concilio Eutychetis hæresim jugulaverit. At ex subsequentibus agnoscitur, Agnellum de epistola omnibus consentientibus scripta locutum; ait enim *ostensam B. Petri Chrysologi epistolam*, cujus etiam partem exhibet, de qua statim. Mitæ itaque conjectura hinc nullo modo fulciri potest, quæ aliunde dehiscit ruitque. Etenim post Quadragesimam anni 449 scripta est epistola Leonis, de qua fit quæstio, die videlicet 13 Junii, cum præcedens ad eumdem Flavianum data fuerit etiam post Quadragesimam, die videlicet 21 Maii. At quis de ea re dubitari possit, cum stylus ac verba ipsa Leonem sonent?

6. Sequuntur apud Angelum quæ spectant ad alias Leonis epistolas ob impetrandum Augustorum auxilium, quo res catholica in pseudo-synodo Nicæna male habita novo generali concilio restitueretur. Fœde labitur, nisi exscriptorum vitio Augustorum et Augustarum nomina sint mutata, Honorium memorans, ac Gratianum, qui e vivis dudum ante Eutychianæ hæresis tempora abierant. Honorii loco cogitaveram an Honoria substitui posset: at cum nulla exstet Leonis epistola ad eamdem, pessima etiam ob stuprum fama laborantem, emendationem hujusmodi sustineri non posse cognosco. Martiani etiam loco facili lapsu Gratianum intrusum suspicabar: at illud obstat, quod eadem periodo rem usque ad Martianum prolatam dicit. Theodorum insuper, quem in sacro concilio ait cum Eutychete certasse, et ostensis sacræ Scripturæ voluminibus, sanctorumque Patrum testimoniis catholicam fidem de duabus naturis stabilivisse, tota veterum actorum concilii a Flaviano coacti (in quo tantum Eutyches auditus est, Eusebio Dorileense, et Flaviano ipso hæreticum urgente) series ignorat. Omnia itaque hic apud Nostrum ab veritate abeunt.

7. Illud e re esse inficiabitur nemo, quod ad epistolæ de qua in superioribus sermo fuit integritatem pertinet, quam ex Agnelli loco uberrime probatam habemus contra nonnullos, qui contendunt postrema verba ad summi pontificis in fidei dogmatibus supremam auctoritatem spectantia Chrysologi non esse, sed recentius addita a Romanæ sedis studioso, eique addicto. Gerardi Vossii hi auctoritate nituntur, qui epistolam Chrysologi Græco-Latinam edidit cum aliis nonnullis, subjunctis Gregorii Thaumaturgi operibus impressis Moguntiæ anno 1604, monuitque in duplici Vaticano codice postrema illa verba deesse. Inde Dupinius prælaudatus in Bibliotheca hæc quæ Latine exhibeo habet: *porro littera finiri videtur ante ea verba; et quod sequitur additum est ad sanctæ sedis auctoritatem commendandam.* At Agnello, ut annotavimus, et suis locis constat, erga S. sedem non bene affecto, et nihilominus verba ex epistola seu sensum eorumdem referenti, nullus sane crisis studiosus refragabitur. Constat profectu usque ad Agnelli tempora in Ravennatis Ecclesiæ, licet longo schismate afflictæ, codicibus integram Chrysologi exstasse epistolam, quam postmodum decurtaverint qui S. sedis auctoritatem in rebus fidei diffiniendis impugnavere: idque potissimum imputandum iis qui Græca fide in Græcam linguam Latinam epistolam transtulere. Hic operæ pretium esse cogitavi Latinam ipsam vulgatam apud Baronium aliosque, et e regione textum ejusdem, qualem in codice Estensi reperi, describere, adjectis suo loco periodis Agnello relatis, ut lector quid in hac re sentiendum sit dijudicet.

LATINA EPISTOLA D. PETRI CHRYSOLOGI

VULGATA	EX CODICE ESTENSI
Dilectissimo, et merito honorabili filio EUTYCHETI presbytero PETRUS episcopus Ravennæ.	Dilectissimo, et merito honorabili filio EUTYCHETI presbytero PETRUS episcopus.
Tristis legi tristes litteras tuas, et scripta mœsta mœrore debito percurri: quia sicut nos pax Ecclesiarum, sacerdotum concordia, tranquillitas plebis gaudere facit gaudio cœlesti, ita nos affligit et dejicit fraterna dissensio, præterea cum talibus oriatur ex causis. (a) Triginta an-	*Tristis legi tristes litteras, scripta mœsto mœrore, et luctu percurri, quia sicut nos pax sacerdotum, tranquillitas plebis gaudere facit gaudio cœlesti, ita nos affligit et dejicit fraterna dissensio, præsertim cum talibus oriatur ex causis. Triginta annis humanæ leges humanas adi-*

(a) Agnelli paraphrasis: *Humanæ leges intra* XXX *annos in nos omnes litigiosas interimunt quæstiones; et tu circa quingentos annos cur tanto præsumis in Christum conviciare sermone?*

nis humanæ leges humanas adimunt quæstiones, et Christi generatio quæ divina lege scribitur innarrabilis post tot sæcula disputatione temeraria ventilatur? Quid Origenes principiorum scrutator incurrerit, quomodo Nestorius lapsus sit disputans de naturis, non latet prudentiam tuam. Magi Deum in cunabulis mysticis muneribus confitentur, et sacerdotes, quis sit qui virginali partu de Spiritu sancto natus est dolenda interrogatione disquirunt? Cum vagitus daret Jesus in cunis, gloriam in excelsis Deo cœlestis clamat exercitus, et modo quando in nomine Jesu omne genuflectitur cœlestium, terrestrium et infernorum, originis ejus quæstio commovetur? Nos, frater charissime, una cum Apostolo dicimus: Et si novimus Jesum secundum carnem, sed nunc jam non novimus, nec possumus curiose perscrutari, qui jubemur honorem dare, et timorem reddere, et exspectare, non discutere quem judicem confitemur. Hæc breviter respondi litteris tuis, plura rescripturus, si ad me frater et coepiscopus noster Flavianus aliqua de hac causa scripta misisset; si enim tibi displicet, quod quidem scribis, tibi ipsi electum judicium, nos quomodo de his judicare poterimus, quos neque vidimus propter absentiam, et quod intellexerunt eorum taciturnitate nescimus? Justus mediator non est qui sic unam partem audit, ut nihil alteri parti reservet (a). In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his quæ a beatissimo papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas: quoniam B. Petrus, qui in propria sede vivit, et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis et fidei extra consensum Romanæ civitatis episcopi causas audire non possumus. Incolumem tuam dilectionem Dominus tempore longissimo conservare dignetur, charissime, et honoratissime fili.

8. Cum diversissimis verbis iidem sensus explicentur in vulgatis et apud Agnellum in his quæ ipsi referre placuit, argumento, id est illum ex Chrysologi epistola sensum sumpsisse, non verba, quæ etiam Agnelliana stribiligine vitiata nemo non videt. Quod spectat ad priora, ubi ex præscriptione annorum triginta ab humana lege inducta argumentum desumitur contra Eutychetem, accepta ea sunt, vel ab eodem Chrysologo utrobique dicta, a sermone 145: *Humanæ leges intra triginta annos litigiosas omnes interimunt quæstiones, et Christus circa quingentos annos nativitatis suæ causas præstat, ortus sui lites patitur, status sui sustinet quæstiones? Hæretice, desine judicare judicem tuum, et adora in cœlis Deum, quem Deum..... adoravit in terris.* Licet autem post legem a Valentiniano latam, Arcturo et Protogene coss., XV kal. Julii, de trigintà annorum præscriptione, sermo ille ab Chrysologo sit recitatus, et circa Adventus Domini festa anni 449, attente tamen legenti apparet Nestorii hæresim ibi præcipue impugnari, illosque qui *Græco turbine Latinam nubilare nisi sunt puritatem*: ἀνθρωποτόκον, Χριστοτόκον, ut Θεοτόκον *tollerent blasphemantes*. Ex quo argumentum minime leve desumitur productæ post annum prædictum vitæ, et epistolæ ab Chrysologo scriptæ serius quam putatur.

9. Inter opera magnifico sumptu Chrysologo curante excitata secundo loco recensetur domus intra episcopium Ravennatis ecclesiæ, quam dixere *Tricoli, eo quod*, inquit Noster, *tria cola contineret*, quia videlicet in tria insignia membra distinguebatur: quæ Græci τὰ κῶλα dixere. Audiri ergo non merentur qui ideo ædem illam *Tricoli* dictam volunt, quod ad speciem trium collium repræsentandam accederet. At Angellum Chrysologo Petro tribuisse quod Petro ejus nominis tertio tribuendum erat, evidenter agnoscitur ex versibus quos Agnellus ipse testatur lectos in æde *Tricoli*, a Maximiano episcopo consummata, in quibus pontificum Ravennatum series exponitur qui *Tricoli* construendo operam impenderunt, et Petrus cognomento Junior, ut distinguatur ab Seniori, et ab Chrysologo, fundator dicitur ejus ædis, quos juvat ex parte a suo in præsentem locum transferre.

Hic Petrus junior Christi concepta secutus
Ut docuit, sacris moribus exposuit,
Hanc quoque fundavit mirandis molibus arcem,
Nominis ipse sui hæc monumenta dedit.
Hujus post obitum Aurelianis gessit honores,
Post hunc Antistes exstitit Ecclesius.

Petrus itaque qui Tricoli fundamenta jecit, is fuit qui Aurelianum præcessit; non Chrysologus, cui Joannes alter successit: ac Agnellus ita Agnellum emendat, qui fortassis hinc errandi ansam habuit, et Petrum cognomento Chrysologum ponendi immediate ante Aurelianum, quamvis dimidio quasi sæculo ille hunc præcesserit.

10. Primo tamen loco bene Chrysologo inter cæteras ædes tribuitur fons baptismalis, miræ magnitudinis, duplicibus et altis muris conclusus. Cum autem Agnellus diserte tradat fontem hunc *juxta ecclesiam quæ vocatur Petriana, quam Petrus Antistes fundavit*, constructum, nec hujus operis notitiam Rubeus aliunde haurire potuerit quam ex hoc Agnelli loco, mirum est Chrysologo quidem tribuisse fontis structuram pag. 103, at deleto ex Ravennatibus diptychis priori Petro, Petrianam basilicam Petro illi tribuisse qui Symmachi pontificis tempore floruit, et Aurelianum in Ravennati sede præcessit. Ex hoc itaque loco aperte constat ante Petrum Chrysologum, alium Petrum sedisse, quandoquidem fontem qui eidem Chrysologo tribuitur, cogimur basilicæ Petrianæ additum agnoscere, cui primitus fons erat adjunctus cum exiguo sacello S. Jacobi Agnelli ætate superstite, in quo Petri episcopi corpus repertum, quod senioris esse idem Agnellus censuit. Altera ædes, Chrysologo tributa, est monasterium, sive sacellum S. Andreæ apostoli, non longe a domo Tricoli, in qua S. Petri effigiem et versus conscriptos fuisse Agnellus asserit. Hæc autem subdubito Chrysologum ne an Petro juniori sit ascribenda, cum videatur domus ipsius Tricoli commodo ædificata, et versus ipsi nec Chrysologi stylum ac ejusdem ætatem sapere videantur, sed recentius quid sonent. Vox postrema secundi versus τὸ *modernum* Cassiodori ætatem sapit, et phrasis ipsa ab Cassiodori phrasi minime abludit. Rubeus loco supracitato sacellum hoc elegans quidem dicit, sed *ligneis columnis suffultum*. Versus ascripti nil tale astruunt, sed breve quidem sacellum describunt ex fenestris angustis diei lumine minime pervium, sed

(a) Agnelli paraphrasis: *Vere oportet te humiliari ad sanctum Romanum pontificem, et diligenter ejus præcepta custodire, et non aliter æstimes, ac si quod ipse B. Petrus apostolus vivus sit, ac apostolatus cathedræ Romanæ sedis in carne teneat principatum.*

pretiosis marmoribus murice comptis splendidum, A excluso externo lumine, suoque lucens, ut sonant priores versus: *aut lux nata est, aut capta hic libera regnat*, cum cæteris quæ sequuntur. Postremi versus expiationem peccatorum per secretam exomologesim factam ostendunt, quod merito annotavit Rubeus. Cum vero scripti sint hi versus post Nectarii patriarchæ Constantinopolitani tempora, evidens est nil a celebri controversoque in Historiis ejus patriarchæ facto habere heterodoxos, quo sublatam auricularem confessionem existiment, quinimmo praxim et post Nectarium perseverasse manifestum hinc efficitur. Effigiem etiam, quam super valvas tessellis expressam Agnellus Chrysologi fuisse credidit, existimo juniori Petro potius, sicut et sacellum, attribuendam esse.

11. Quæ sequuntur de sancto Projecto Corneliense perspicua sunt, sicuti et illa de ecclesia S. Joannis, quam S. Barbatianus Placidiæ charus tenuit, et Baduarius ædificaverat, ex S. Barbatiani actis lumen mutuantur. Clara etiam sunt, quæ de obitu S. Petri B Chrysologi tradit Noster, nec quidquam habent quod legentem remorentur. Illud addendum videtur, ex muneribus quæ Chrysologus ad ecclesiam accedens obtulit, patenam argenteam summa veneratione servari, cujus exemplum ære sculptum tradidit Dominicus Mita ante suam Sermonum D. Petri editionem, ad cujus oram versus recentioris modi sunt sculpti, quos ascribendos puto, et sunt qui sequuntur:

Quam plebs tunc chara crucis agnus fixit in ara
Hostia fit gentis primi pro labe parentis.

Idem Mita veram, ut sibi suadet, Petri Chrysologi effigiem libro præfixit, et quam opere musivo elaboratam exstare ait Ravennæ in testudine chori metropolitanæ ecclesiæ. Illa tamen, nonnisi post undecimum a Christo nato sæculum fieri potuit; ut et post illud tempus templi pars illa restituta est, sed et pallii forma recentior est. De patena prædicta exspectari ab erudito viro D. abbate Pastrizio doctam lucubrationem audio. Eam fortassis legere dabitur, antequam hæc mea in lucem edantur. At hæc ad Chrysologi vitam sufficiant.

VITA
S. PETRI CHRYSOLOGI
ARCHIEPISCOPI RAVENNATIS
EX CASTILLO.

§ I. *Patria, ortus, et Chrysologi nomen proponuntur.* C

1 Est in Italia, notissima regione Europæ, quædam e sexdecim provinciis ejus, non minus celebris portio, satis jucundissima, amœnissima, et fausta, Æmilia nuncupata quondam, nunc vero Flaminia, sive Romandiola dicta, fertilis adeo, et feracissima, utpote quæ a Vatreno circumalluitur amne. Effugatis ab Ilio Troadis flammeo gladio Græcorum Trojanis, avolantes hi in Italiam, oppidum in perpulchra Æmiliæ regione, Ilium etiam nomine, condidere. Non semel repetito sæculo, cum Lucius Cornelius Sylla Romanus, nobilis ex Corneliorum progenie quæstor, posteaque dictator, relegato Mario majori Romano (jam VII consule), totam subegisset ditioni suæ Asiam, Romanis suis Cornelianis Æmiliam tradidit pro colonia, Ilium designans forum, ubi jus diceretur, libe- D ræque agerentur novendinæ. Hinc habitatores Ilii totiusque Æmiliæ (quæ jam exinde incœpit [a] Imola nuncupari) in sui Lucii Cornelii obsequium, oppidum illud Forum Syllæ, communius autem Forum Cornelii, vocitarunt. Plinius autem lib. III Histor. cap. 16, post medium, Imolæ situm Forocorneliensem agrum appellat. Hæc igitur Flaminiæ provincia, hæc Romandiolæ regio, hæc Æmiliæ, sive Imolæ, terræ Italicæ portio, patria communis nostri fuit præsulis Chrysologi: peculiare autem solum Forum Cornelii fuit, tanto felicissimum, quanto sanctissimi viri [b] natali condecoratum, faustissimum. [c] Apollinaris S. Petri apostoli discipulus, et primus Ravennatum antistes Forum Cornelii, sanctissimo exemplo et prædicatione in Christi Domini roboravit fide. Verum gentium spurcissimis civitas maculata moribus, in idololatriam lapsa, denuo indiguit [d] Cassiani Sabionæ in Germania episcopi auxilio, qui sua doctrina et

[a] Quisquiliarum loco habenda sunt quæ de ejus origine ab Trojanis fabulantur. Neque urbs alioquin antiqua, et celebris, satisque elegantia ædificiorum, aeris salubritate, ubertate agri, populorum frequentia commendata, et celebriorum virorum mater, his commentitiis subtilibusque inventis indiget, ut præ multis laudetur. Scipio Claromontanus in Historia Cæsenæ lib. v pag. 93, *Imolam* dictam scribit postquam Cleophis Alboini successor Forum Cornelium ab Narsete dirutum restauravit. Quod ei nomen alii effluxisse dicunt, vel ab corrupto *Æmiliæ* vocabulo, vel ab arce ab Antiocho Narsetis duce in ea ædificata.

[b] Ericus vel Ercius monachus, qui labente sæculo IX scribebat in Galliis, in Vita S. Germani episcopi Antisiodorensis, Chrysologum antiquo et nobilissimo sanguine ortum testatur.

Principis Ecclesiæ meritoque ac nomine pollens
Petrus, apostolica dicta servabat in urbe
Forte gregem, vir præcelso splendoris aviti
Stemmate conspicuus, multa et probitate coruscans

[c] Ejusdem vitam ex antiquo ms. erutam retulit Surius; et ex eo Petrus in Catalogo lib. VI cap. 128; S. Gregorius in Reg. lib. v cap. 35; Beda, Usuardus, Martyrologium Rom. et alii. Sub Vespasiano, annoque mortem ejus præcedenti, scilicet anno æræ vulgaris 78, illustriori martyrio, illustrem vitam absolvit. Vide quæ de eo disseruimus in notis ad serm. Chrysologi 128.

[d] Cujus Vitæ laciniam profert Ughellus in episcopis Imolensibus, pag. 620 recent. edit., ex chronica antiqua; ejus passionis acta sincera, ex libro Περὶ Στεφάνων Prudentii, habes apud Ruinartium, pag. 552. Cætera quæ circumferuntur sublestæ sunt fidei; nec melioris notæ, quæ Baronius ad Martyrologium, Romæ se invenisse professus est, et in quibus Cassianum Brixiensem tenuisse sedem scribitur. Sed fortasse errore scriptoris pro *Brixina Brixia* in Baronio legebatur, ut advertitur in Annotationibus Ferrarii, pag. 508, et in quam, eversa Sabiona, sedes episcopalis translata fuit. Florentinius noster in Martyrologio, ad diem 11 Augusti, pag. 747, eum

sanctitate Forum Cornelii spiritualiter instauravit, firmavit et stabilivit in fide; quin etiam anno Domini trecentesimo sexagesimo secundo, idibus Augusti, sub Juliani Apostatæ dominatu, martyrio, suoque sacro consecravit cruore.

2. Bellis concussa civitas, modo ab hæreticis, modo a gentilibus occupata, fidem per tempora amisit. At Deus eam ut plantarium tot rosarum virginum, liliorum confessorum, inter quæ candidum præcelluit Chrysologi lilium, violarumque martyrum tot custodiens atque reservans, non semel reduxit ad gremium. Post quadraginta et tres annos a D. Cassiani martyrio Forocorneliensis Ecclesiæ instauratæ sedem obtinuit Cornelius, natione Romanus, vita conspicuus, moribus ornatissimus, utpote qui post obitum meruit concionatorie laudari a Chrysologo, sermone centesimo sexagesimo quinto. Vix Ecclesiæ Forocorneliensis cathedram episcopalem [a] occuparat Cornelius anno Domini quadringentesimo quinto, vel sexto, cum jam [b] e nobili prosapia Forocorneliensium virorum, nova lux Chrysologi oriri visa est, cum Ecclesiæ illi novæ petræ in petra fulcrum nascitur solidissimum. Nostro enim viro in sacro baptismatis fonte, in novo regenerationis lavacro, nomen imponitur Petrus, ut tanti antistitis futurarum virtutum cumulum præsagiret. Hinc de nostro Chrysologo [c] S. Adelphus Metensis episcopus, sermone in numero 107, sic perorat: *Petrum enim vocari in aliis appellatio nominis est, in hoc* (scilicet Petro Chrysologo) *prærogativa virtutum.* Sed et ipse Noster sermone 154 ita fatur: *Nomina ipsa sæpe sanctorum merita indicant. Sicut Petrus a petra nomen adeptus est, quia primus meruit Ecclesiam fidei firmitate fundare.* Etenim cum a pueritia Petrus præstantia ingenii puerulos cæteros antecelleret, et adultus jam Latina Græcaque eloquentia majores natu, et alios superaret doctores, a Græcis qui e Byzantio gratia Cæsaris Ravennam petebant cognominatus est Chrysologos, seu Chrysologus: a *Chrysos*, *aureus*, et *logos*, *sermo;* quasi aureus sermo, seu aureus sermocinans. Sic etiam ipsimet Græci Byzantini, non ante annos plurimos temporis natalis Chrysologi, suum præsulem Joannem Atticis facundissimum elementis, *Chrysostomum* appellavere, nempe *aureum os*. Apud omnes igitur tum sui temporis, tum nostri talem *Chrysologi* perpetuo meruit retinere nomenclaturam Petrus, ut etiam ejus homiliæ, sive sermones *aurei* a doctis communiter vocitentur.

§ II. *Chrysologi educatio, ad episcopatum Ravennæ electio, et ejusdem consecratio referuntur.*

3. Ab incunabilis se totum Chrysologus orationi primum, et bonarum sacrarumque litterarum conse-

Forocorneliensem fuisse episcopum perperam tradit. Ferrarius et Mita in Vita Chrysologi Sabionensem a Fortunato Aquileiensi ordinatum; quem tamen scimus vixisse temporibus Constantii Augusti, et Ariana labe infectum fuisse. Sed Martyrologium Romanum parvum, Richenoviense ad diem 11 Augusti, Augustanum ad diem 13 ejusdem mensis, et hac ipsa die reginæ Suecorum, Ottobonianum, Antisiodorense apud Martene tom. VI Collect. Anecdot., Stabulense Adonis Florentinii ad diem 11 Augusti, Prudentius hymno IX, libellus Bedæ, ejusdem tamquam martyris tantum, numquam veluti episcopi meminere. Consule Bollandianos ad diem 13 Augusti. Anonymus Imolensis, in Chronica apud Ughellium tom. II pag. 619, eum Brixiæ, seu Brixinæ, quæ olim Sales dicta est, in Germania, in provincia Tirolensi, cujus episcopatus Salisburgensi metropolitæ subest, christiana probitate conspicuum vixisse scribit, indeque ab hostibus ejectum Imolam venisse. Sed de ejus episcopatu nec vola quidem. Quo anno passus fuerit incertum. Pastritius, de patena S. Petri Chrysologi, passionem ejus ad annum 362 consignat. Nam Julianus, sub quo Cassianum passum dicunt, adeptus est imperium anno 361, III non. Octobris, sequenti anno tenuit, et anno 363, 26 Junii ex Fastis Idacii fulmine ictus interiit. Joannes Malela notat Julianum obiisse hora quinta noctis die 27 Junii, id est noctis diem hunc præcedentis; et cum nox illa intermedia ad utrumque diem referatur, hinc factum quod alii scriptores diem ejus emortualem die 26 statuant. De mortis genere variæ admodum sententiæ, ut ostendit Gothofredus in dissert. in lib. VII Philistorgii, cap. 15. Sed hæc extra semitam. Addam tantum Pastritium non ex illimi fonte hausisse eum fulmine ictum occubuisse. Constat enim hastæ mucrone transfixum divina Numinis ultione, impios dies impiissima morte clausisse.

[a] Nec unum quidem reperies ex Chrysologi vitæ scriptoribus, qui vel minima hæsitatione hujusmodi Cornelium Imolensem fuisse episcopum ambigat. Omnes constantissime asserunt; eumque apud Ughellium primo loco positum, et ab Cœlestino papa anno 400 consecratum habes. Mirum autem quod Chrysologus in consecratione episcopi Projecti, serm. 165, in ejus laudes non nihil excurrens, loquendi de hujusmodi dignitate occasionem sibi sponte obviam non arripuerit. Sed tantum dicit, amari ab eo urbem quæ Cornelii, a quo ipse sacris fuerat initiatus, nomen obtinuerat. Unde Tillemontius, tom. V, pag. 865 Venet. edit., Cornelium, de quo Chrysologus, cujusvis alterius civitatis episcopatum tenuisse, opinabatur.

[b] Vide notam 2. *b* col. 27.

[c] Antistitem illum a quo sermo 107 inter Chrysologianos fuit concinnatus, Metensem fuisse episcopum, ex Mita in observat. ad hunc sermonem, eruit Castillo. Mitæ autem facem præbuit Baronius, qui in notis ad Martyrolog. die 29 Augusti, hæc habet: *Adelphus episcopus ponitur hic decimus in ordine in serie episcoporum Metensium apud Democh. de Sacrif. Missæ. Agit de translatione ejusdem hac die Nolanus in Addition. ad Usuardum. Est sermo S. Petri Chrysologi* 136 *in Natali S. Adelphi: an autem sit ille de quo agitur, non audeo affirmare.* Baronio autem, opinatur Mita, aquam hærere fecisse Paulum Diaconum, in Historia de episcopis Metensis Ecclesiæ, in Bibliotheca Patrum, tom. VIII quartæ edit., scribentem, Adelphum sedisse decimum in ordine, at quonam anno non indicasse. Eo magis, quod in tabella nominum episcoporum ad calcem Historiæ, ex annorum supputatione colligitur, ætate Chrysologi Adelphum illum vivere desiisse. Sed ad Baronii sententiam firmandam, ejusque dubietatem eliminandam, tabellæ hujusmodi fidem inanibus argumentis conatur labefactare. Chrysologus laudato serm. 136 vocat eum loco *primum*. At antequam Ravenna metropolitico jure donaretur, nullum alium sui superiorem agnovit, nisi Romanum pontificem, et Mediolanensem, vel fortasse Aquileiensem antistitem. Nullus ea tempestate in his sedibus Adelphus. Adhærendum igitur Tillemontio tom. V, pag. 189. Adelphum scilicet hunc, incertæ sedis episcopum, ætate tantum Chrysologum anteisse, quod et alibi repetendum. Vide serm. 136, not. 3.

cravit studio, ædes cursabat sacras, et metropolim invisebat, ubi ad martyris Cassiani suæ patriæ patroni aras provolutus diem integrum cum noctis parte non minima transigebat. Hæc mira Petri nostri pietas, hæc devotio S. Cornelii, tunc præfati Forocorneliensis oppidi præsulis, sic rapuit animum, sic attraxit affectum, ut advocando ad se Petrum, eum sub pastorali clientela reciperet et educaret, quem satis in Dei servitute præfatus pontifex erudivit. Do testem eumdem Chrysologum, sermone centesimo sexagesimo quinto, ubi ait : *Cornelius namque memoriæ beatissimæ vita clarus, cunctis virtutum titulis ubique fulgens, operum magnitudine notus universis, pater mihi fuit : ipse me per Evangelium genuit; ipse me pius piissime nutrivit; ipse sanctus sancta instituit servitute.* Adultum jam Petrum Cornelius sanctus sibi creavit diaconum, quem cum agnovisset ille in pauperum ardentissima dilectione flagrare, sibi dispensatorem, sacrumque elegit œconomum; ei (ut alter Sixtus papa Laurentio) Ecclesiæ facultates, et opes tribuens, ut e penario sacro fidelissima sua distributione suppetias ferret egenis, succenturiaretur et miseris. Nec minus excordabant Cornelium arguta Chrysologi eloquentia, philosophia, theologia, et sacrarum litterarum peritia, in quibus omnibus, tanquam lucerna ardens in templo Dei, mirifice refulgebat.

4. Elapsis aliquibus annis [a] Ravennæ, quæ est urbs Sabinorum in octava Italiæ regione, in ora Adriatici littoris fundata, et sita inter duos non admodum divites fluvios, nuncupatos *Sabio* et *Roneo*, muros ejus isto lambente, respicitque Imolam, Faventiam, Cæsenam, et Forum Livii, adeo perantiqua, ut post confusionem linguarum sua viderit fundamenta. Ex ea orti sunt Cassiodorus senator, beatus Apollinaris primus ejus episcopus, S. Vitalis, Gervasius, et Protasius, atque Petrus Ravennas Foricornelii episcopus, de quo infra. Non est illa Ravenna villa Faustinæ in agro Tarracinensi xx ab Urbe lapide. De nostra enim vide Plinium lib. III, n. 4-13, et Martialem lib. III, epigramm. 56. Obdormivit in Domino ejus antistes Joannes hujus nominis primus, vigesimus tamen Ravennatum præsul, qui Græce a Græcis ob sanctitatem, puritatem, et innocentiam suam dicebatur [b] Angeloptos. Causa novi præsulis eligendi, ex usitato more, venerunt Ravennam, suffraganei, et episcopi Arimini, Cæsenæ, Fori Livii, Faventiæ, Brintii, Bononiæ, Mutinæ, Rhegii, Parmæ, Placentiæ, et Fori Cornelii, qui tunc erat dictus S. Cornelius. Hic venit una simul cum suo diacono Chrysologo, [c] ut metropolitani sui Ravennatum archiepiscopi assisteret electioni : ad quam tunc etiam cives concurrebant per puncta, sive suffragia. Dissentientibus igitur episcopis in comitiis, post varias quæstiones inter eligendum habitas; unus ex Ravennatum civibus seligitur in episcopatum. Legatos suos cives mittit Romam Ravenna, ut a summo Christi Vicario Sixto III sui antistitis electi [d] obtineat episcoporum cogendæque synodi per Italiam, contractiori acceptione sic dictam, onus incumberet. Dubitari autem posse arbitrantur nonnulli, Ecclesiam Ravennatem honore metropolitico auctam fuisse postremis Joannis Angelopti temporibus, opera Valentiniani junioris, et Gallæ Placidiæ piissimæ Augustæ; at Petrum Chrysologum tantum ob turbas et tricas excitatas hujusmodi munus exercuisse, Vicohaventinum episcopum ordinando. Quamvis Henschenius, tom. XI Maii, pag. 154, eo propendere videatur, ut credat Chrysologum ipsum sub S. Leone Magno et Valentiniano circa annum Domini 450 hujusmodi dignitate fuisse condecoratum, qui antea ab Leonis decessore Sixto III simplicem episcopi titulum et potestatem acceperat. Consule quæ edidi ex Pastritio in sermonum notis. Dum autem hæc scribo, audio Ravennæ doctissimos esse viros quibus, expilatis archivorum forulis, id bonis avibus evenit, ut in vetustiora quædam monumenta inciderent, nulli usque dum cognita, quorum ope ita Ravennæ metropolitica dignitas veluti antiquissima asseri potest, ut in hac re omne dubium exhauriatur, et lites dirimantur. Doleo ab me quamvis per litteras et officia clar. doctis. viri P. Paciaudi Cler. Reg. compellatos nil rescripsisse. Unde mihi extero homini nil aliud datum, nisi ea proferre quæ ab accuratioribus scriptoribus tradita sunt. Serior fortasse dies meliora pariet.

[a] Celebris urbis dignitas commendatione non indiget. Augustis in Occidentem sedem eligentibus, Ravennæ primum regnatum est, et exinde, tamquam a metropoli, per Africam, Hispaniam, et Germaniam jura derivata, legesque præscriptæ. Gothorum regum majestas ex ea refulsit; hisque per Constantinopolitanos Cæsares exactis, receptaque Italia, exarchorum sedes fuit; et tantis licet sequiorum sæculorum calamitatibus vexata, nominis celebritatem auxit potius quam minuit.

[b] Id ex continua, vel frequenti angelorum consuetudine, scribit Ferrarius pag. 721, 722, ejusque festum ad diem 21 Novembris consignat. Eum primum Ravennatem archiepiscopum credunt nonnulli, veteri cuidam documento innixi, cui Baronius ann. 432 falsitatis notam perquam merito inurit. An autem fuerit Chrysologi immediate antecessor, vide Tillemontium pag. 181; et not. 5, pag. 866; et Ughellium tom. XI, pag. 351.

[c] Ravenna vel ab anno 408 erat ad minus metropolis provinciæ Flaminiæ, cui ascribitur. Sed hæc dignitas in ea civilia tantum jura spectabat. Verum ejus episcopus, una cum aliis Flaminiæ, metropolitano Mediolanensi suberat. Flaminia enim Galliæ Cisalpinæ, quam vicariatum Italiæ nuncupant, finibus definiebatur. Ignotum hucusque cur labentibus annis metropolitico jure meruerit insigniri. Fallor autem, nisi hoc ascribendum sit imperialis dignitatis præsentiæ, qua ab anno 402 decorabatur, cum Honorius imperator, Mediolano digressus, Ravennæque per aliquot menses moratus, ibidem eodem anno sedem fixit, et Valentinianus III ab anno 426; unde in eam quædam effluxit prærogativa, ut metropolis declarari mereretur, decreto pontificis et imperatoris : cui decreto alii nisi sunt contraire, et fortasse Mediolanensis, cujus jura imminuebantur. Hoc fere modo causa vicariorum Italiæ, qui Mediolani degebant, eminere cœpit ejus urbis antistes, cui ordinandorum

[d] Quæ de ordinatione Chrysologi, ex Agnelli Pontificali, tradunt Mita, Castillo et alii subacti ingenii viri, ad fabulas amandanda esse contendunt. At mirari subit, inquit Bacchinius, Observat. in Agnellum supra pag. 11, n. 2, homines plures ita comparatos, ut facile nimis omnia credant; alios autem e contra, ut omnia in dubium vertant. At falsitatis notam in his narratiunculis incubantem sensit etiam Tillemontius : ex eo præcipue quod Ravennatum præsulum ordinatio Mediolanensis metropolitæ, non

nedictionem. Eo tempore, fertur Cornelium episcopum cum Chrysologo diacono suo adventasse Romam, aut causa prædictæ electionis episcopi Ravennatis confirmandæ, aut pro suæ Forocorneliensis Ecclesiæ peragendis negotiis. Pontifex igitur summus Sixtus III tunc temporis e cœlis visionem intuetur delapsam per somnium : nempe Petrum apostolorum principem, et sanctum Apollinarem, ejusdem D. Petri discipulum, atque primum Ravennæ præsulem. Hi speciem diaconi Chrysologi repræsentant Sixto, innuentes eum (alio quem obtulerant Ravennates reprobato) debere eligi in episcopum, eumque creari Ravennatum antistitem gratius esse Deo Optimo Maximo. Adeunt Ravennates pontificium tribunal, et quem ipsi civem elegerant in episcopum, offerunt Sixto, flexo poplite deprecantes, suo vivæ vocis oraculo obfirmare electionem. At Ecclesiæ Caput jam satis illuminatum e superis, cœleste facessit negotium, oblatum repudians, et cæteros Ravennates præsto esse jubens. Adest Cornelius episcopus Forocorneliensis, cui Sixtus præcipit suos comites, et sodales ad consistorium trahere. Obtemperans tanto jussui Cornelius una cum pueris suis, atque ministris, diaconum adducit Chrysologum.

5. Hunc cum vidisset Sixtus, illico didicit, ipsum esse sibi cœlitus demonstratum, et a supremo numine episcopum jam designatum Ravennæ. Unde innumeris tum e Forocornelio, tum e Ravenna astantibus et auscultantibus, vivæ vocis oraculo proclamavit : non alium quam virum hunc, archiepiscopum Ecclesiæ Ravennati præficimus. Quibus perspectis cuncti Ravennates mœrore occupati, eventum veluti sibi ominosum deplorarunt, eo quod contra avitum morem non civis, episcopus crearetur, electus, sed extraneus Forocorneliensis eligeretur ad munus. Hæc bene callens dynasta summus, ut conturbatos civium Ravennæ animos pacaret, coram Chrysologo renuente archiepiscopalem infulam acceptare; ne illi cum isto divinæ resisterent voluntati, revelationem sibi cœlitus factam tali eloquentia, spiritu, et verborum aperuit energia, ut non modo Ravennates evinceret, sed et cogeret Chrysologum abdicatam ut admitteret dignitatem. Post pedum osculum, post invisa limina apostolorum, novus Ravennæ episcopus Chrysologus, cum tutelari suo Cornelio, cumque non minimo civium Ravennæ comitatu, revertitur in patriam Forocornelium; non solum ut pia urbanitate comitaretur Cornelium Forocorneliensem episcopum; sed ut D. Cassiani martyris salutaret aras. Ibi sancti martyris sarcophago adhærens, magna lacrymarum copia ad gubernium suarum ovium anxie patrocinium exoptat, egenis totius domus suæ temporales distribuit opes : et delicta Foricornelii salutata patria, cum comitatu familiari pergit, et revertitur in Ravennam.

6. Creditur, simul cum Chrysologo adventasse Ravennam Cornelium, quos sanctissimos viros festiva pompa, et hilari applausu, ad portæ introitum exceperunt Valentinianus Cæsar, hujus nominis III, et [a] Galla Placidia ejus mater : qui tunc clavum tenebant imperii et sedem Ravennæ, uti in ea urbe, quæ post Romam tunc primum in Italia locum sibi vindicabat. Populi Ravennatis concursum et occursum superest enarrare. Anno Domini quadringentesimo trigesimo tertio, quadam ante consecrationem solemni die, e S. Cornelii manu sacerdotium recipit Chrysologus, vim lacrymarum vix comprimere valens. Ad sacram igitur consecrationis functionem dies Dominicus designatur, et publice evulgatur, ne humilis in conspectu Dei et hominum, exaltationem ab ipso Deo promissam, amitteret apud suos. Conveniunt cæteri provinciales præsules, et in magna Ravennæ basilica, astantibus principibus Christianis Cæsare et ejus matre cum nobilibus populi, vetusto illo more, a sancto Cornelio in episcopum Chrysologus consecratur. Unde ipse Chrysologus sermone 165 ita habet loquens de Cornelio : *Ipse pontifex sacris me obtulit, et consecravit altaribus : et ideo mihi charum colendum, mirabile Cornelii nomen.* Creatus episcopus Chrysologus celeberrimam brevemque habuit ad populum concionem in qua boni præsulis debita et munera sublimi delineavit spiritu, gratias obtenti muneris, et festivalis pompæ egit, deditque vicinis, Cæsaris et matris ejus Gallæ Placidiæ assistentiam et christianam pietatem collaudans. Totum liquet ex sermone Chrysologi [b] centesimo trigesimo. Videsis ibi. Novo præsule, novoque patre et magistro, provincia tota exsultavit Æmiliæ, sive Imolæ, in qua erat Ravenna amplissima civitas et Occidentalis imperii augusta sedes. Jam antea circa annum Domini trecentesimum nonagesimum, Mediolano concesserat Deus Ambrosium. Sic etiam paulo ante tempora nostra, ad annum quadringentesimum trigesimum Hipponensi Ecclesiæ dederat Augustinum : jam vero Æmiliæ non oblitus Dominus, ad annum quadringentesimum trigesimum tertium ei præbuit Chrysologum, ut sanctitate sua Ravennatum obfirmaret fidem, et facundia sua mirabilique doctrina cunctas Æmiliæ hæreses exstirparet.

§ III. *Varia Chrysologi archiepiscopi Ravennatis gesta, virtutesque recensentur.*

7. Non fuit noster Petrus Chrysologus ille [c] Pe-

Romani pontificis jura spectabat. Et hujusmodi consuetudo præsulum, Romanum pontificem accersendi, ut ab eo consecrationem acciperent, jam inde ab Leonis pontificis temporibus *antiqua* dicebatur. *Hujus temporibus*, inquit Anastasius in Leone VI, *restituta est Ecclesia Ravennatensis sub ordinatione sedis apostolicæ, ut defuncto archiepiscopo, qui electus fuerat, juxta antiquam consuetudinem, in civitatem Romanam veniret ordinandus.* Et id in pœnam fortasse tentatæ olim autocephaliæ. Quod autem sequioribus temporibus in usum venerat, hoc et Chrysologi ætati convenire, parvo negotio crediderunt recentiores scriptores.

[a] Theodosii imp. filia, soror Arcadii et Honorii Augg. anno 411, nupsit invita Gothorum regi Ataulpho. Postea in libertatem vindicata; Gothorum enim captiva fuit, occisoque ab eis Ataulpho, Honorii fratris auctoritate, ad secunda vota transivit, cum Constantio Cæsari : ex quo Ravennæ peperit Valentinianum III.

[b] Vide quæ annotata sunt in notis ad serm. 130.

[c] Celebris hic temporibus Theodorici regis, quique non leves partes perfunctus est in conciliis habitis in

trus Ravennas Ravennæ natus, et Ravennæ antistes, in numero vigesimus quartus, qui etiam fuit præsul Forocorneliensis, et interfuit concilio Romano sub Symmacho, vixitque multum post nostrum Chrysologum, circa annum Domini quingentesimum secundum. Sive enim Petrus iste Ravennas, a patria, et a præsulatu sic dictus, cognominatus fuerit Altinas, qui a Theodorico Gothorum rege Romam missus fuit, ob summam, qua pollebat, theologiam (de qua multa scripsit), sive non, parum refert. Noster enim etiamsi a multis, et ab ordinaria Glossa Petrus Ravennas nuncupetur, hoc non est quia Ravennæ natus; cum non nisi Forum Cornelii patriam agnoverit, sed quia Ravennæ celeberrimus fuit antistes et doctor.

8. Vix Chrysologus noster archipræsulatum obtinuerat Ravennæ, cum illico se totum consecravit suorum proventui, grana a paleis separando et gentilitios superstitiososque ritus radicitus evellendo. Observatores kalendarum Januarii, in gratiam novi annualis gyri nimis superstitiosos aut relegavit, aut ad bonos et orthodoxos mores convertit, uti liquet elicere ex sermone 155 auctoris. Sic etiam Ravennatum vitiosa, et nimis adulterata compescuit jejunia; nam Quadragesimales hebdomadas, modo valde rigidas amplectebantur cives, modo nimis indulgentes, et laxas diligebant. Videsis de hoc totum sermonem 166. Sed et catechumenos sacrum in longum tempus differentes lavacrum, et reduxit, et ex toto emendavit, ut constat ex sermonibus 10 et 59. Qui etiam ethnicos innumeros, causa negotiorum ad Valentinianum Cæsarem e variis venientes plagis, sacro lavit fonte baptismatis liquore; sacræ doctrinæ pabulo imbutos, immo et materiali annona satiatos dimittebat, ut ex sermone 62 catechumenos, non per coadjutores, seu ministros, sed per se ipsum in orationis Dominicæ et apostolorum Symboli instruebat fide; quod ex sermonibus 40 et 56 usque ad 62 inclusive, et 67 usque ad 72 inclusive, depromere fas erit. Sed ut e morte vanitatum pueros suscitaret (ut Eliseus alter in moribus), se attemperabat juvenibus, ut eorum subtilissima refrenaret ingenia : eorum enim noxias argutias compescebat, quorum sublimes vanæ philosophiæ cogitationes ad veram semitam orthodoxæ veritatis reduxit. Hoc in Chrysologo resplenduit, quod S. Adelphus Metensis episcopus, qui causa invisendi Cæsarem e Galliis perrexerat Ravennam, in quadam concione (quæ in ordine sermonum Auctoris est 107) tangens sacros Chrysologi mores, ita publice perorabat : *Est etiam ipse beatissimus, et apostolicus auceps, qui animas juvenum volantes calamo divini sermonis attingit.* Juvenes enim vane philosophantes, si non ore, more dicebant, atque timebant Plauti in Milite verbis :

Circumspicito, dum nequis nostro auceps sermoni fiat.

At cœlitus datus est eis apostolicus auceps Chrysologus, qui eos ut malas per aera volitantes occuparet aves, et in caveam inderet Ecclesiæ.

9. Nec casu ab Adelpho appellatur Chrysologus *vir beatissimus et apostolicus* : sic enim apostolicam adamabat vitam, ut alter appareret apostolus. Hinc clero suo communem, apostolicamque vivendi induxit formam, quem assidue regularibus ministeriis inservire docebat, ut innuit citatus Adelphus eodem sermone, ubi ait : *Quemadmodum igitur sanctitatis regulam disciplinis monasterialibus imbutus exercet,* etc. Quod et ipsemet satis indigitat Chrysologus sermone 39, per totum, ubi de canonicis horis quæ recitantur diluculo memoriam facit. Verum ut hoc totum commodius sacer nanciscerétur antistes, juxta Ursinam, Ravennæ ædem, ingens marmoratum erexit opus, quod deinceps *Tricolem* appellavere concives, eo quod [a] ad specimen collium trium affabre foret constructum. Hujus sacra structura ædis, vulgata voce *Canonica Chrysologi* dicta est; nam qui in metropolitana degebant, et serviebant clerici, in *canonica* disciplinæ regulari invigilabant, et veluti in communitate conventualiter viventes, et Deo famulabantur, et morabantur sponte. Sic ante Chrysologum fecerat meus D. Martinus, circa annum 570, de quo Breviarium Romanum die Novembris 11 refert : *Factus episcopus Turonensis, monasterium ædificavit, ubi cum octoginta monachis sanctissime aliquandiu vixit.* Similiter et Hipponæ fecit Aurelius Augustinus ante annum Domini 340, uti referunt ejus historiographi. Dicavit etiam Chrysologus sacrum templum divo Andreæ apostolo, quod a fundamentis juxta prædictam ædem Ursinam erexit : in cujus fronte fornicis delineata Chrysologi videbatur imago, testante Ravennæ annalista Rubeo lib. II Historiæ, pro anno 449. Morte præoccupatus Noster, ultimam manum non dedit basilicæ D. Petri apostolorum principis, quam affectuose inchoarat, eique ex animo et voto jam dicarat. Et assistentia, et expensis non parum contulit erectioni ecclesiæ Sanctæ Crucis, sicut et sacello sanctorum Nazarii et Celsi, ubi memorata Cæsaris parentes et imperatrix Augusta mausoleum sibi erexerat et sarcophagum.

10. Etenim qui baptismalem cisternam tot aperuit gentilibus, qui sacri fontis aquam ita studiose, et anxie infidelibus propinabat, ipse etiam curavit, quo bonus pastor, non solum doctrinæ lymphis suum ad-

causa Symmachi PP. anno 500 et 504. Sexaginta circiter annis Ravennæ sedisse scribunt. Sed ex epistola S. Leonis ad Neonem Ravennatem antistitem, data anno vel 451, vel 458, et ex altera Simplicii PP. Joanni itidem illius sedis antistiti, recte eruitur, Petrum illum, qui anno circiter 448 vel 449 vivebat, jam diem obiisse suum. Vide S. Leonem epistol. 135 pag. 716, et Conciliorum tom. IV pag. 1068 et 1069. Successit Joanni II, juxta Ughellium, anno 494, vel, ut correctius habet Bacchinius, 496. Unde autem hauserit Castillo, Petrum hunc Forocorneliensem sedem occupasse, mihi ignotum adhuc.

[a] Nugæ. Tricoli, inquit Agnellus, quod tria cola contineret, quia videlicet in tria insignia membra distinguebatur : quæ Græci τὰ κῶλα dixere. At hic Petro Chrysologo tribui, quod Petro hujus nominis *III* tribuendum est, observare licet ex Bacchinio supra, quem consulas velim circa alia ædificia quæ Chrysologo nostro ascribuntur.

aquare gregem, sed et ovibus suis materialem aperire fontem. In oppidulo enim vicino Ravennæ dulcissimæ aquæ scaturiginem indagatus Chrysologus, fontanam erexit, et duplici muro sive turri munivit, ut non modo Ravennæ populo inserviret, sed etiam pateret et gregibus in ipsa ebullitione securior. Id de Ozia tamquam laude dignum divinum commendat oraculum II Paralip. cap. XXVI, vers. 10, de quo adhuc Dominum requirente habetur : *Exstruxit turres in sollicitudine, et effodit cisternas plurimas, eo quod haberet multa pecora.* Sic etiam inter celebratissima quæ sanctissimus pontifex Innocentius X elapsis annis opera fecit, quibus illustravit Urbem, fons, sive *fontana* est quæ dicitur Innocentii : quam etiam turri duplici et statuis variis decoravit onychinis. Omittimus permultas variasque eleemosynas, quibus aperta manu pauperum et egenorum sublevabat angustias, redimebat miseriam : quod non subobscure potest colligi ex sermone centesimo tertio Auctoris. In jejuniis, orationibus et ciliciis ita fuit pœnitens et austerus, ut adhuc vivens ex ore concionantis Adelphi episcopi meruerit audire epitheta illa : *sanctus ac beatissimus*, ut ex sermone 107 liquet. Aliæ Chrysologi laudes desumi possunt ex Natali, Trithemio, Baronio tom. V Annal. ann. 435, et ex S. Felice archiepiscopo Ravennate in præfatione ad Homilias Chrysologi, ex Mita et aliis. Quoad pontificalia, duos episcopos [a] consecravit Chrysologus, nempe Projectum Forocorneliensem episcopum, sancti Cornelii Romani successorem, ut constat ex sermone 165, et Marcellinum Vicohaventinum episcopum, quem in die natali Domini anno 449 vel ad initium 450 Chrysologus consecravit Ravennæ : nam Vicohaventia (ex qua erat oriundus Marcellinus) urbs erat Æmiliæ subjacens Ravennæ ditioni et archiepiscopatui, modo enim pagus ditionis Ferrariensis existit.

§ IV. *De pretiosa Chrysologi morte, ejusque sepulcro glorioso.*

11. Octodecim annos suo in munere pontificio feliciter jam egerat Chrysologus, dum circa ann. Domini quadringentesimum quinquagesimum Forocornelium, propriam petit patriam suæ mortis præsagus, ibi cupiens dissolvi, et esse cum Christo, ubi primam viderat mundi lucem et ubi primum se diaconatus munere, sacris noverat addictum aris. Introeuntem Ravennatem episcopum Chrysologum excipiunt magno cum gaudio, et hilari plausu conterranei Forocornelienses una cum suo episcopo Projecto; gratulantur omnes Chrysologo sua auctoritate et præsentia patriam decorasse. Benigne exceptis a patre filiis altera die ad D. Cassiani martyris pergit templum, ut publice inibi eucharisticum immolet sacrificium. Suum devotum Cassianum salutat, anxieque exorat apud Deum hora mortis patronum, utpote qui jam sibi vitæ finem noverat adfuturum. Juxta sacri martyris Cassiani aras episcopo et clericis, amore Dei sepulcrum expostulat, offerendo martyri sacro provolutus in terram mitratam cidarim auro variegatam et gemmis, cum poculo aureo, et argentea patella, quibus ipse sæpe fuerat usus in sacris. Sed inter alia quæ alta voce direxerat in patronum Cassianum, subdit : *Deprecor te, beate Cassiane martyr, intercede pro me, tuæ domus quasi vernaculus fui, a Cornelio hujus sedis antistite, in hoc templo nutritus : iterum ad te reversus, animam nunc omnipotenti Deo reddo; corpus autem meum tibi commendo.* His et aliis similibus peroratis, episcopalem in signo crucis benedictionem dat populo, et quiete, nimisque tranquille inibi juxta altare prope meridiem obdormivit in Domino die secunda Decembris anno Domini [b] quadringentesimo quadragesimo, sub Leone I pontifice maximo, sub consulatu Marciani Augusti, imperante in Occidente Valentiniano III et Theodosio Juniore in Oriente, ætatis suæ anno quadragesimo quarto, ut colligitur ex epistola 37 Leonis papæ I sub consulatu prædicti Marciani Augusti, directa ad Neonem episcopum Ravennatem successorem Chrysologi. Inter vestes Chrysologi inventa sunt cuculla et cilicium [c] sancti Germani Antisiodorensis episcopi, qui cum Ravennæ mortem, a se etiam prævisam, cum cœlesti commutasset vita, cadaver ejus a Chrysologo conditum, transmissum in Galliam fuit; et sanctissimi viri sanctus hæres factus cucullam atque cilicium induerat, quod post mortem Chrysologi totum revelatum fuit.

12. Tertio nonas Decembris omni populo conveniente pomeridiana hora, funus Chrysologi celebratur ab episcopo Forocorneliensi Projecto, et sancto Donato ejusdem civitatis et Ecclesiæ diacono, cum

[a] Adi quæ disseruimus in notis ad serm. 165 et 175.

[b] Annum emortualem Chrysologi, nec ante annum 448 collocari posse, nec post annum 451 differri, diserte firmat Bacchinius. Pastritius de Patena, etc., opinatur Chrysologum se Romam contulisse anno 449, reversumque Ravennam anno 450 in Paschate. Ex Epistola item S. Leonis papæ Neoni Ravennati data an. 451, infert Chrysologum jam ab anno 450 ad superos commigrasse.

[c] Cum Armoriaci ann. 448 jam secundo ab Valentiniano defecissent, ut se in libertatem vindicarent, Aetius, qui tunc temporis Occidentis imperium vice imperatoris moderabatur, Eocaricum, seu quovis vocetur nomine, principem virum religione et moribus barbarum, validissimis instructum copiis, contra eos immisit. Quam facem dilectissimis populis imminentem ut averteret, per eorum legatos exoratus S. Germanus Antisiodorensis præsul, viæ se dedit, Ravennamque ad imperatorem pervenit, veniam expostulaturus. Urbem ingressus apud Chrysologum hospitatus fuit : ibique ab imperatrice Placidia muneribus auctus, magnoque honore habitus, nonnulla edidit miracula : donec morbo correptus occubuit, septimo post decubitum die, mensis autem Julii trigesimo primo ann. 448, sub qua die e plurimis provinciarum Galliæ kalendariis, effluxit in Parisiense. De eo agunt Martyrologium Adonis ab cl. Georgio editum pag. 366, Hieronymianum, Gellonense, Rabanus, et Notkerus Rabanum exscribens. Initio Missalis Gallicani veteris apud Thomasium, habetur Missa S. Germani, sed nihil de die in qua ejus festum celebrabatur. Ex nonnullis Martyrologiis apparet kalend. Octobris ejusdem translationem solemniter habitam. Certe in Galliis sæculo IX kalend. Octobris Remigio et Germano erant sacræ.

universo clero, et prætoris civitatis assistentia. Corpus sancti viri in urna conditum juxta D. Cassiani (ubi ipse selegerat) aram tumulatur. Non post multos dies (negotio bene perspecto) universus populus cum Projecto episcopo conveniens in templum, acclamatione et communi omnium suffragio, auctoritate episcopi Projecti, inter divos annumeravit Chrysologum. Olim enim canonizare servos Dei, canonizatione particulari, pro una scilicet provincia, natione, vel regno, consentiente populo, ac episcopos spectabat, uti satis clare elicitur ex verbis D. Cypriani martyris et episcopi Carthaginensis, qui lib. III ep. 6, post medium, ita habet, loquendo de martyribus : *Denique, et dies eorum quibus excedunt annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus.* At summi Ecclesiæ pastores, ut nonnullis occurrerent impedimentis quæ ex præcitato et usitato oriebantur more, decreverunt, hoc canonizationis negotium solummodo ad supremum Ecclesiæ spectare caput. Ita etiam habetur ex Alexandro III in cap. *Audivimus*, et Innocentio III cap. *Cum ex eo*, de reliq. et vener. sanct. Ita Felix Contelorius de Canoniz. Sanct. n. 17, Troilus Malvetius dub. 2 a num 1, Augustinus Triumphus de Potest. Ecclesiæ quæstione 14 num. 2, et alii, communiter. [a] Vexabat tunc Attilas sævissime Italiam, cum Chrysologus migravit in cœlum : idcirco sumptuosa ejus corporis elevatio, seu collocatio dilata fuit ad annum Domini quadringentesimum quinquagesimum quintum, in quo sepulcrum gloriosum Chrysologi, gloriose, sumptuoseque, expensis Forocorneliensis ecclesiæ, condecoratum fuit, et ejus corporis jaspidea urna in sublime erecta, magna cum veneratione exornata fuit. Successit Chrysologo in episcopatu Ravennæ vir modestissimus et [b] eruditissimus Neon sub eodem Leone papa I, ad quem ipse pontifex quamdam scripsit epistolam, quæ inter Leonis epistolas trigesimum septimum sibi vindicat locum.

13. Brachium S. Petri Chrysologi, auro ornatum et gemmis, integrum et illæsum usque hodie videtur, et veneratur in Ursina sede Ravennæ. Similiter habetur inibi ejus argentea [c] patina, quæ sic cunctis tam ægris quam valetudinariis proficua est, ut aqua per eam demissa et a fidelibus potata, et a pestilentiis præservet, et canis rabidi morsum sanet, aliosque varios medicetur morbos. Hinc venit, ut omnes qui prædictis tenentur febribus, ad tumulum accurrant Chrysologi, qui sanitatem illico consequuntur. Corpus S. Chrysologi post 1042 annos, incorruptum et illæsum inventum legitur ab episcopo et clero Forocorneliensis ecclesiæ. Postea enim, anno videlicet Domini 1497, die 29 Augusti, sub Alexandro papa VI, per episcopum Ravennæ Simonem et cathedralis ecclesiæ Imolensis præpositum Mattnæum a Phaello corpus D. Chrysologi denuo legimus collocatum. Diximus post annos 1042, quia cum dicit Phaellus in sua epistola : *Fide profiteor, a quatricentesimo quinquagesimo quinto anno concivis nostri Chrysologi corpus honorifice sepultum, propriis manibus attrectasse,* etc., non vult dicere, tot tantummodo intercessisse annos 455 a sepultura Chrysologi usque ad suum tempus; cum ab anno 450, quo Chrysologus vita fuit functus, usque ad Phaelli tempus decurrerint mille quadraginta duo anni : vult enim memorari annum 455, in quo post Attilæ flagellum corpus D. Chrysologi fuit sepultum, et ad sublime elevatum, uti diximus supra § 4, num. 12.

§ V. *De Scriptis divi Petri Chrysologi.*

14. Sermones D. Petri Chrysologi, qui modo ejus nomine volitant, et assidue citantur in pergulis, in numero sunt CLXXVI. Incipiunt a sermone *de Filio prodigo*, his verbis : *Hodie nobis Dominus*, etc., et finiunt sermone *de Cæco*, hisce verbis : *Surget in gloria.* Sed ex his 176 homiliis, sive sermonibus, sex non sunt D. Chrysologi, juxta probabiliorem peritorum opinionem : nam sermo 53 a S. Barbatiano, Placidiæ imperatricis a consiliis, conscriptus creditur. Sermo autem 107 S. Adelphi episcopi Metensis opus est, et ab altero illius temporis sacerdote sermo 129 et scriptus et concionatus fuit. S. Germanus episcopus Antisiodorensis sermonem 138 confecit : sicut etiam dictavit sermonem 149 D. Severianus episcopus Gabalensis. E contra vero eidem Severiano tribuitur sermo 152, cum vere Chrysologi sit, ut stylus et ipsa doctrina satis comprobant. Sermones 50 et 127 nonnulli attribuunt D. Joanni Chrysostomo, cum sint vere a Chrysologo concionati. Videsis circa dicta tomum quintum Bibliothecæ veterum Patrum, quartæ editionis, in principio : ubi reperies nonnullos sermones falso tribui Chrysologo, qui non sunt ejus; et aliqui e contra qui sunt Chrysologi, modo D. Hieronymo, modo D. Chrysostomo injungi.

15. Præter supradictos sermones, multa alia scripsit Chrysologus, quæ temporis vetustate periere. Scripsit quædam commentaria, et nonnullas epistolas contra Arianos, quæ una cum sermonibus 171 a viro nobili Balthassare de Prosapia Chrysologi, Imolæ servata, et ad purum fuere redacta. At cum vir iste in obsidione, et tyranni Theodorici Ostrogothorum regis persecutione, carceri mancipatus ob defensionem fidei, inibi inedia consumptus finiret; Opera omnia Chrysologi ab eodem viro custodita, igne combusta periere in conflagratione illa quæ sævus ille tyrannus Ravennam et Forocornelium immaniter devastavit circa annum Domini 524. Sed quia alia originalia manu expungit.

[a] Direptio Italiæ per Attilam incœpit anno 452, et dum properabat, Ravennæ sedebat Joannes episcopus. Ex quo ponderosius eruitur argumentum, Chrysologi mortem post annum 451 retrahi non posse.

[b] Conjecturam ex qua desumpsere auctores, Neonem fuisse Chrysologi successorem, abunde Bacchinius expungit.

[c] De hac dissertationem adornavit abbas Joannes Pastritius, eamque edidit Romæ typis Antonii de Rubeis anno 1706. Ego etiam nonnihil de ea commentatus sum in opusculo Publici Juris facto Neapoli anno 1746.

nuscripta, e quibus forsan Balthasar ille sua deprompserat exemplaria, nescio quo abdita in Theodorici invasione, illæsa reperta sunt : postea anno Domini 700, tempore Damiani episcopi Ravennatis XXXIX, flammis casu tota archiepiscopali bibliotheca devorata, iterum opera Chrysologi passa sunt ignem. Inventi sunt hoc anno in domo cujusdam doctissimi sacerdotis Sermones Chrysologi 176, qui nunc exstant, cum Epistola ad Eutychen.

16. Accidit itaque nostri Chrysologi tempore, ut Eutyches Byzantinus abbas ponentum præsidio adjutus et suffultus juvamine malignantium, prætextu fidei, confidens et promittens se contra Nestorium scribere (qui docebat duas in Christo fuisse personas), per omne imperium hæreticam falsamque seminaret doctrinam, edocens divinam Christi naturam cum humana in idem recidisse. Hanc hæresim Flavianus episcopus Byzantinus in synodo contra Eutychetem congregata damnavit : et ad Leonem pontificem hujus nominis primum, in concilio acta remitti jussit. Sanctus igitur pontifex Leo, de facundia, subtilitate et doctrina D. Chrysologi bene conscius, eum ad se vocavit, et post varia resoluta dubia, encyclicam epistolam (nempe circularem, eo quod ad plures eisdem fuisset scripta verbis) dictare et scribere jussit Chrysologo : quam uti dignam tanto nomine, ipse Leo pontifex proprio nomine decoratam remisit Flaviano Constantinopolitano episcopo. Incipit epistola : *Lectis dilectionis tuæ litteris ;* et finit (sex divisa capitibus) : *Asterio et Protogene viris clarissimis consulibus.* Æra 486. Est epistola 10 in ordine Decretalium S. Leonis papæ, recepta in concilio Chalcedonensi per sexcentos et triginta Patres. Habetur in concil. Chalced. IV act. 2, et a Gelasio papa sub pœna anathematis jussa est venerari et observari. Atqui Eutyches iniquus abbas, epistolæ Chrysologi sub nomine Leonis præsentiens efficaciam et pungentia verba, arripiens furiosus calamum, denuo aliam scripsit contra Flavianum epistolam et ad Occidentales episcopos, ut veluti lethalis basiliscus halitu suo, eos ad suum attraheret errorem. Sed Chrysologus, amore fidei incensus, Eutychetis non valens sustinere insolentiam, proprio nomine aliam Eutycheti rescripsit epistolam, quæ incipit : *Tristis legi tristes litteras tuas ;* et finit : *honoratissime fili.* Habetur hæc epistola in Vaticano n. 2574 et 2580, et tom. II Conciliorum in præambulis ad Chalcedonense in principio, ex impress. Coloniæ anno Domini 1644. Adducit etiam Dominicus Mita Ficchius in principio Sermonum D. Petri Chrysologi : quam citat ex Rodulpho in Vita Chrysologi, et ex archivio senatus Imolensis.

17. Post citatum Damianum Ravennæ episcopum, successor ejus B. Felix quadragesimus Ravennatum archiepiscopus, circa annum Domini 715, sermones Chrysologi recollegit, et selecta scripsit serie : qui manuscripti nunc exstant in nostra Seraphica Cæsenæ conventus bibliotheca. Post prodierunt primo, opera et labore Agapiti Vicentini rectoris canonicorum Lateranensium, anno 1534. Eos emendavit postea in multis F. Petrus Rodulphus episcopus Senogalliensis, anno Domini 1594. Sed opus istud hodie non exstat, nec reperitur. Demum illustris dominus Dominicus Mita Ficchius a Ceronio Imolensis sacerdos, et parochus S. Agnetis, anno Domini 1642, sermones Chrysologi denuo emendavit, correxit, et auxit scholiis et notis, licet brevissimis ; sed indiculis altissimis : prodierunt Bononiæ anno Domini 1643, cum exemplari patinæ argenteæ D. Chrysologi (de qua dictum est supra § 4, n. 11) et cum effigie D. Chrysologi, corporis medietate, juxta exemplar quod depictum est in coronide chori ecclesiæ metropolitanæ Ravennæ.

Nota pro scriptis Chrysologi id quod supra præfigimus. Nam multoties reperies ad verbum integras sententias, immo et sermones Chrysologi apud D. Hieronymum, Chrysostomum, immo et apud Augustinum ; sed tunc prædicti sermones, aut falso tribuuntur Chrysologo, aut perperam prædictis Patribus, ut loco supra citato annotavi. Sententias autem integras Chrysologi, circa D. Matthæi Evangelium, v. g. in sermonibus *de Centurione, de Socru Petri, de Ejectione dæmonum, de Tempestate sedata*, etc., invenies in Paschasio Rathberto abbate Corbeiensi, in libris sup. Matthæum tom. IX sæculo IX Bibliothec. Veter. Patrum. Sed noster Chrysologus antiquior fuit Rathberto ; nam iste vixit circa ann. Domini 900, temporibus Ludovici Pii imperatoris, et Caroli Calvi Galliarum regis ; Chrysologus vero anno Domini 450, in sæculo quinto. Et hæc de Chrysologi vita sufficiant.

DOMINICI MITÆ PRÆFATIO,

Editionibus ejusdem apposita, quam hic recudere non abs re visum est.

Aurei Sermones B. Petri Chrysologi opera R. D. Agapiti Vicentini, canonicorum Lateranen. ordinis rectoris, e tenebris manuscriptorum exemplarium eruti, prodiere in vulgus primo ex Bononiensi typographia Joan. Baptistæ Phaelli anno Domini 1534. Exinde recusi sunt Coloniæ Agrippinæ anno 1541 et 1618 ; Parisiis anno 1575, 1585, 1614 et 1631 ; Antuerp. 1577 ; Venet. 1588 et 1636 ; Mogunt. 1607 et 1613 ; Lugd. 1622, 1623, 1627, 1634 et 1636, sicuti eodem anno 1636 iterum Bononiæ. At omnes codices non sine maximo mendorum numero sunt, utpote qui ex prima Phaelli editione non integre, ut asseruit Agapitus, emendata descendentes, et originalibus et subsequentibus quorumlibet impressorum peculiaribus erratis exiere deturpati. Mira tamen de habita correctione in illorum exemplaribus prædicata leguntur, sed, singulorum collatione facta, thypographos ac bibliopolas ex propria magis utilitate, quam ex veritate id temere asseverasse deprehendi. Quemadmodum Indices sacræ Scripturæ rerum notabilium, et ad concionatoris usum novissime

appositos pro nihilo habendos esse fuit experimento compertum. Qua de re non semel conquestus cum doctis probatisque viris, amice, hortatus sum ut pro genio ac viribus experirer, num possem huic morbo mederi. Sed insitæ imbecillitatis conscius, quid valerem ego in arduo hoc opere, ubi interdum solius litterulæ, vel interpunctionis mutatio totum potis est auctoris invertere sensum, dum tanti ordinis rector in multis defecisse noscitur, non satis percipiebam. Lætus interim audio eruditiss. et omnium præconiis celebrandum antistitem Petrum Rodulphum Tussignanensem, olim Senogalliæ præsulem, hosce Sermones ex quibusdam manuscriptis Romæ inventis emendasse, et suo marte scholiis illustratos senatui nostro transmisisse, ut ederentur. Cæterum nec editio prodiit, nec tanti viri labor, et studium tota diligentia perquisitum usquam gentium apparuit; forte enim invida aliquorum calliditate celatur, ut privatis usibus tantummodo inserviat. Verumtamen quoniam ingenium hominis trahitur in vetitum, expetitque negata, ulterius perquirendo, didici hujus operis adhuc quatuor superesse manuscripta exemplaria, nempe duo Romæ parum ab impressis discrepantia : Urbini unum in Roveriana, Cæsenæ alterum in Franciscana bibliotheca, quæ inter se cunctis pene conveniunt, at in quamplurimis a vulgatis discordant. Quare aditu ad manuscripta vix patefacto, ea ipsa partim per amicos, partim per me ipsum pervolutavi, et adhibito sodali semel ac iterum a capite ad calcem cum exemplari primum Bononiæ impresso contuli, atque errata quæcumque, ut licuit, calamo correxi; variasque nec inutiles lectiones in margine ascripsi, mendosis, quibus mss. exuberant, rejectis, et si quid ex illis omni ex parte emendari nequivit, studui id mentis speculatione supplere; tametsi hoc raro factum est, quod hæc ratio maximis difficultatibus obstructa lubrica sit et fallax. Quamobrem, B. Petro moderatore, germana lectio, ni fallor, ita commode per me restituta est operi, ut posthac ex iis quæ inveniri potuerunt, parum in eo sit amplius desiderandum. Absolutis emendationibus supererat accuratissima obscuriorum locorum interpretatio, atque restitutæ correctionis ratio; sed numquid ex penu meo opimis poterat dapibus mensa parari, si is sum ego qui non prius sacras attigi litteras, quam in legalibus studiis, forensibusque negotiis dimidiam transegerim ætatem? Fisus tamen B. antistitis patrocinio cujus causa agebatur, hæc qualiacumque sint scholia meis lucubrationibus consarcinata libuit apponere, saltem ineruditis non nihil profutura, vel litteratorum mentes stimulatura, quo præstantiora scrutentur : etenim textu jam expurgato, et auro a scoria vindicato, facile a doctioribus vigilantiori animo magni theologi et aurei concionatoris, uberius clariusque abditi sensus enucleabuntur et explanabuntur.

Cæterum ut hi Sermones tibi commodo essent, indiculum eorum alphabetico ordine distinctum, et ad materias in quolibet sermone primario exaratas accommodatum adjeci. Postmodum Scripturæ verba litterario ordine librorum discreta, mihi inventu faciliora alterum in indicem extraxi. Ac tandem notabilium quorumcumque locupletissimum syllabum tum ex littera, tum aliquando ex sensu deductum apposui, qui adhuc uberior prodiisset, nisi obstaculo fuisset illud de sale ab ipso D. Chrysologo usurpatum : Amarat nimietas, quod poterat condire mensura (*Ser.* 125). *Siquidem et sententiarum profunditas, et singularitas verborum doctissimi hujusce viri aptius concordantias requirebant quam elenchum. Utque facile indicata reperias, in margine sermonum numeros ascripsi, ut invento sermone pars etiam ipsius, ubi sententia præcise notatur, mox queat reperiri.*

Tautologia indicibus vitio esse non solet, quod varia cum sint lectorum ingenia, nec idem verbum cunctis semper occurrat, et ad diversa quilibet ex voto sententias in illis perscrutetur, idipsum pluribus in locis collocandum putant ut citius quod requiritur, quisque inveniat.

Elenchum juxta ritum Evangeliorum, quæ in sacro pro tempore leguntur, neotericis ad conciones usurpatum, ceu supervacaneum in hoc opere non requiras, quia ex compositis indicibus poterit orator, quæ velit, sibi gratius sua disquisitione parare.

Vitam tamen hujus sanctiss. viri stylo mediocri sententias quam apertissime exprimenti uberrime descriptam offendes, ut purior veritas quam antea a nonnullis sit explicata demonstretur, ac qualis quantusque sit D. Petrus noster per eam innotescat. Opus elaboratum pellexit ad inscribendum : Sermones maxima ex parte illustrati, *quod eorum codex Vitæque index, tenebris erutus, et a sordibus vindicatus, magis quam antea sit legentibus enucleatus ac declaratus. Nitore insuper atque splendore longe omnibus exemplaribus hac opera præstet. In quo faciundo quos sumptus, labores et pericula subierim, quam ægra sæpius valetudine prostratus jacuerim, quosque adversarios ac desertores domi forisque fuerim perpessus, scit ipse qui tandem e cœlo protexit, Chrysologus sanctus; sciunt multi docti probatique Patres, qui me etiam inter silvas ad animarum curam longe a sapientum congressu residentem, librorum et bonæ valetudinis expertem adversa prope omnia superasse, et opus propositum aliqua demum ex parte absolvisse, mirantur. Quod adhuc in tenebris delitesceret, nisi illorum sincero judicio nunc edere fuissem compulsus.*

In eo componendo juxta Senecæ (*Epist.* 116) *monita, magis quæsivi quid scriberem, quam quemadmodum scriberem; propterea stylus multorum, et ex multis constans non idem semper habetur, quia aliorum sententias referens propriis verbis transcribendas censui, ut sua auctoritate fulgerent. Facile tamen tam in componendo quam in transcribendo exciderint multa quæ vel oscitanter vel minus apte posita fuerint; sed hoc Dei permissu factum arbitrare, ut tandem* Sciant gentes quoniam homines sunt (*Psalm.* IX). *Et hæc satis tibi sint de meo hoc opere monita, lector amice. Sed quid dixi meum? Immo jure non meum, cum, præter errata, et si quid ineptius ac pingui Minerva descriptum est, hic aliud de meo agnoscere nequeam. Sermones namque divi sunt Chrysologi; Indices ab eisdem desumpti : Correctiones, Observationes, et Scholia*

ejus patrocinio suggesta; illius Vita ipso juvante collecta. Quamobrem si quid insit Deo ac divo gratum, vel utile Ecclesiæ, Altissimo tribuenda est universa laus et gloria, B. Petro Chrysologo veneratio et honor; mihi autem nil aliud, nisi pro tua pietate, humanissime lector, a Patre misericordiæ erratorum venia est exoranda. Vale.

Datum ex æde sacra paræciæ S. Agnetis Ugutionelli v *kal. Aprilis MDCXLIII.*

VITA
S. PETRI CHRYSOLOGI

RAVENNATUM ARCHIEPISCOPI,

Ex ipsius Homiliis, et variis Scriptorum monumentis, tum impressis, tum manuscriptis, accurate conquisita, studiose collecta, et hic ordinatim digesta,

PER DOMINICUM MITAM SACERDOTEM PAROCHUM.

ANNO DOMINI MDCXLII.

Memoria justi cum laudibus.
Prov., x, 7.

1. Vitam scripturus viri sanctimonia æque ac eruditione clarissimi, *Petri Ravennatis Ecclesiæ archiepiscopi*, cui cognomen postea, *Chrysologi*, ex eloquentia fuit; priusquam hujusce rei initium expediam, res ipsa hortari videtur, pauca de *Forocornelio*, ejus patria, supra repetere, quo dicenda omnia illustria magis, magisque in aperto sint. Ilio igitur a Græcis capto, ferro flammaque everso, multi nobiles ex Trojanis (sicuti nostri putant) (*a*) qui Antenore duce profugi in Italiam venerunt, cum aliquando pervenissent in Æmiliam, quæ præclara est ejusdem Italiæ regio, apud Vatrennum amnem, ac secus viam Flaminiam considentes, ibi loci pulchritudine ac soli fertilitate capti, oppidum Ilium nuncupatum condidere atque habuere. Sed posteaquam Lucius Sylla e Cornelia gente, maxima omnium quæ Romæ fuerint opulenta atque patricia, oriundus, de Africa atque Asia subactis et domitis triumphavit, devictoque Mario ad imperii summum pervenit; oppidum hujusmodi (sicuti ex multis ego percepi) (*b*) emeritis militibus suis una cum incolis habitandum concessit; ibique forum, ubi jus diceretur nundinæque agerentur, instituit. Utque posteri hanc Romanorum coloniam, et a quo institutam scirent, oppidum posthac a proprio suæ gentis cognomine Forum Cornelii cunctis nuncupandum præscripsisse ferunt. Hi milites postquam paulatim per connubia nostras sibi miscuere gentes, Forocornelium ædificiis ac populi multitudine ita celebre reddiderunt, ut brevi in amplam atque munitissimam coaluerit urbem, quæ non solum Octaviani Cæsaris firmos exercitus capere ac retinere potis esset (*c*), verum etiam post aliqua sæcula Athaulpho maximo Gothorum regi, ex celeberrima Balthorum gente orto, (*d*) sic probaretur, ut nuptias cum Galla Placidia, patre ac fratribus Augustis clarissima, summo apparatu ibidem concelebrare, et ultra annum cum proceribus, et maximo exercitu considere ex cunctis hanc unam deligeret.

2. Hæc initio, sicuti finitimæ gentilium civitates cum semper idola coluissent, tandem Evangelicam fidem a divo (*e*) Apollinare primo Ravennatum antistite per universam Æmiliam prædicatam suscepisse, et paucis post annis episcopo donatam fuisse, traditum est. Verum labentibus annis, cum sæpius fuerit hostilia passa, et a barbaris nationibus, quæ diis gentium litabant, promiscue cum nostris habitata, dum alius alio more viveret, et vires prævalerent gentilium, facile et animarum pastore caruisse, et Christi nomen diuturnitate temporis apud nostrates pene oblitteratum remansisse, majorum semper fuit gravis opinio. Cæterum Deus omnipotens ubi Forocornelienſium misertus, Cassianum, virum doctrina et sanctitate illustrem, (*f*) qui Sabione in Germania episcopus erat, tamquam novum apostolum e partibus illis ad urbem nostram transmisit, qui docendo et prædicando incolas in fide Christiana diu

(*a*) Annales Imol. ms. Joan. Baptistæ Florii, alias Florentini, penes nobilem familiam de Quanis, seu magis Annalium fragmenta. Chronicon Imol. quod circumfertur sub nomine Philippi Saxi M. S. Jacobi. Philippus Bergom. in supplem. Chron.

(*b*) Annales Imol. qui super Prudent. poeta in D. Cass. Hymn. Sigonius de Antiquo jure Italiæ lib. II, Joannes Andr. Palatius in Oratione de Foro Cornelii edita Bononiæ anno 1575. Aliorum est opinio hoc nomen Foro Cornelium ab ipsis accolis sponte susceptum, quo gratiam dictatoris inirent.

(*c*) Cic. lib. XII, ad Caium Cassium epist. 5.

(*d*) Hieronym. Rubeus in secunda editione Hist. Ravennæ lib. II sub ann. Dom. 412 Chorum ad. Peutinger. in Epitom. de Inclinatione imp. Rom.; Volaterran. lib. II Geogr.; Baron. in Annal. Eccl. tom. V, ann. 411; Jordanus Ravennas in Chron. Gothorum; Florius et Saxus, qui sup. ms.

(*e*) Annal. Im. qui sup. illustriss. D. meus D. Ferdinandus Millinus in Catalogo episcoporum Eccl. Imolen. in ejus prima synodo diœcesana perscripto. Rub. lib. I Hist. et lib. V an. Domini 1040.

(*f*) Florius, Saxus et reliqui scriptores Vitæ S. Cassiani vel impressi vel manuscripti.

instruxit, ac proprio demum corroboravit martyrio (*a*), universi Cornelienses Evangelicam fidem toto animo suscepere; et ut perennem haberent, a beatissimo Christi vicario in terris firmissimo animarum pastore sunt fulti.

3. Atque inter alios præsules, quorum memoria temporum injuriis apud nos delata non fuit, eminens erat Cornelius natione Romanus, (*b*) vitæ sanctitate conspicuus, cunctisque virtutum titulis ubique fulgens. Per cujus tempora, antequam B. Joannes Chrysostomus Byzantii episcopus migravit ad Deum, a Virgineo partu quadringentesimo sexto, ex honesta et Christiani nominis religiosa Forocorneliensium familia natus est infans, (*c*) cui parentes in sacro regenerationis lavacro ob honorem principis apostolorum Petri nomen imponi jusserunt, quasi jam futura pueri merita prænoscentes, divino judicio cunctis prædicerent, Petrum vocari in eo nedum nominis appellationem fore, sed et prærogativam virtutis.

4. Hic igitur puer pulcher aspectu et delectabilis forma cum (*d*) mirificam virtutis indolem præ se ferre videretur; ut primum per ipsius ætatem licuit, opera genitorum scholæ ascribitur, ubi in primis litterarum rudimentis Christianisque moribus ac divino timore ita sane proficiebat, ut coætaneos longe superaret, et virilem in puerili corpore animum gerens levia quæcumque ac infirma aspernaretur; quare vel ipsa relaxationis tempora ad sancti Cassiani martyris ac patroni aram (*e*) humili ad Deum oratione frequentissime transigebat; seque ipsius B. Cassiani vernulam insigni quadam dilectione et esse, et ab aliis libere vocari piissime gloriabatur.

5. Quod cum crebro venerabili pastori sancto Cornelio admirabundo conspicere contigisset, ex præsentibus futura prænoscens B. antistes, humilem scilicet adolescentem magnum in Ecclesia Dei aliquando futurum, si magis studiose institutus divino cultui consecraretur, illum tandem hoc ipsum peroptantem suorum Ecclesiæ familiarium numero ascripsit, (*f*) exindeque humanas et divinas litteras ipsum adeo scite perdocuit, ut, qua erat ingenii docilitate et linguæ celeritate, celeriter omni præclaro eruditionis genere imbutus sit, ac eam vitæ sanctimoniam adeptus, ut a prudentissimo episcopo sacro etiam levitarum ordine rite initiatus, et Cornelien- D sis Ecclesiæ, quasi Stephanus alter Jerosolymitanæ, seu Laurentius Romanæ Ecclesiæ primarius diaconus fuerit constitutus.

6. Erat tunc temporis diaconorum munus mensis ministrare, hoc est (*g*) sacerdoti sacra facienti astare : eo impedimentis detento sanctorum Patrum homilias populo recitare : Ecclesiarum bona (*h*) penes ipsos conservata in pauperes erogare : ac quibuscumque perlustratis, omnia quæ opus essent, episcopo referre, ut stantes confirmaret, sustineret collabentes, lapsos erigeret. Quod munus non nisi probitate (*i*) et doctrina pollentes obibant, qui episcoporum quasi oculi (*j*) ac tabellarii, imo verius angeli (*k*) et prophetæ vocitabantur.

7. Petrus itaque in hoc levitarum numero constitutus, ut erat idea virtutum, et summus theologus, ita prudentia, castimonia, et insigni erga Deum et proximum charitate eminens, se verum sectatorem, quinimmo filium ne in minimo quidem a sacro præceptore degenerem civibus juxta et exteris demonstrabat. (*l*) Veruntamen quia præclarum hoc lumen virtutum non patriæ tantum urbi, sed universo orbi ut pelluceret, divinitus statutum erat, quod tunc temporis quasi sub modio absconditum existimabatur, inde ex obscura latebra in eminens ecclesiasticæ dignitatis fastigium attolli debebat, velut jubar Ecclesiæ in domo Dei effulgens, ut sua claritate errorum caliginem longe lateque profligaret : efferatorum hominum vitia, quæ tempora illa tristia miseraque reddiderant, e medio tolleret ac deleret.

8. Accidit propterea, ut, elato ad Creatorem Joanne hujus nominis primo, quem græca voce Αγγελόπτην appellabant, (*m*) et vigesimo eorum qui Ravennatis C Ecclesiæ gubernacula tenuerant, vitæ sanctimonia claro, provinciales episcopi pro consueta temporum illorum metropolitani antistitis electione Ravennam diverterent, quos inter affuerit et sanctus Cornelius cum suo diacono Petro, ubi post varias frequentesque populi ac cleri in comitiis dissensiones, unus tandem ex Ravennatibus deligitur, qui properanter ad Urbem cum legatis Ravennatibus, et sancto Cornelio episcopo, divino afflatu comitem itineris S. levitam Petrum ducente, ad canonicam summi pontificis confirmationem obtinendam contendit.

9. Clavum ecclesiasticæ navis tenebat tunc sanctus Sixtus hujus nominis III, cui per quietem apostolus Petrus et martyr Apollinaris medium inter sese venerabilem adolescentem habentes oblati sunt, (*n*) quem ut in archiepiscopum Ravennatem, quocumque postposito, crearet, pontifici edixerunt. Sixtus divina revelatione commonefactus cum postera die Raven-

(*a*) An. Dom. 362, idibus Aug. D. Cassian. martyrio coronatur. Vid. nostras not. in serm. 165 Auctoris.

(*b*) D. Chrysol. in d. serm. 165. Petr. Rodulphus Tussignanensis in Vita S. Chrysologi penes me ms. ac in archivo senatus Imolæ in fine cod. Commentar. ipsius senatus anni 1595 relata.

(*c*) Annal. Imol., Baron., Natalis, Rodulph. et in mss. omnia, Adelphus episcopus serm. 107 inter serm. Auctoris, et nostræ in eum observat.

(*d*) Florius ac Rodulphus qui supra.

(*e*) Rodulphus mss. multa a me visa.

(*f*) Chrysol. serm. 865, de S. Projecto episcopo Corneliano, et nostræ ibi notat.

(*g*) Act. VI, 2; concil. Vasense II cap. 2; Baron. tom. I Annal. Eccles. an. 34.

(*h*) Baron. t. V an 402 innuit Chrysol. serm. 135.

(*i*) Act. VI, c. 3; Baron. VIII.

(*j*) 93 dist. ca. *Diaconi quasi oculi.*

(*k*) Clemens Const. Apostol. lib. II, c. 30.

(*l*) Rodulph. ubi. sup. et Chrysol. ipse serm. 165.

(*m*) Rub. sup. lib. II ann. 433, Rodulph., Florius, et alii; licet Baron. tom. V, eod. ann. 433, dicat sanct. Cornelium casu affuisse Romæ cum S. Petro Chrys., nihilominus Rubeo se remittit.

(*n*) Petrus de Natalibus in Vita Chrys. Rodulp. Rub. Annal. Im. et Breviar. S. Petri Chrys. de quo infr. in observ. In Vitam Chrys. n. 9, et Baron. An. Domini. 433.

nates pro confirmatione pontificiam aulam ingressos sibi astare videret, rejecto primum ab eis electo, inde ad se omnes qui illic essent accedere jussit, Cæterum cum inter Ravennates præmonstratam Juvenis speciem animo alte impressam nondum esset conspicatus, Cornelio episcopo jussit, uti et suos in conspectum proferret; quod ubi factum est, vix dum pontifex max. venerabilem Petrum Cornelii diaconum intuitus est, eum ipsum esse qui cœlitus sibi demonstratus fuerat, agnovit, et læto animo cunctis audientibus dixit: Hunc quidem divina providentia electum Ravennatensi Ecclesiæ archiepiscopum præficimus, non alium.

10. Cæterum pontificis inopinata sententia non leviter et animos Ravennatum perculit, quod cive ipsorum rejecto contra avitum morem exterus eligeretur, et mentem Petri gravi pondere concussit, visceraque turbavit, quod onus angelicis humeris formidandum exemplo summa auctoritate sibi imponi conspiceret. Quare ab Ravennatum querelis mutuata excusationis opportunitate, cum alioquin ex reverentia et humilitate sibi jus magnæ contradictionis non esset, ad pedes pontificis max. provolutus supplex precabatur, maximum hujusmodi munus, valde a sua mente et conditione alienum ut averteret.

11. Quapropter beatiss. Sixtus ad pacandos Ravennatum animos, et vires humilis Petri sublevandas, rem omnem cœlitus præmonstratam satis luculenter aperit, validisque rationibus utrisque suadet, divinæ ut acquiescant voluntati: tantumque pontificis vel auctoritas, vel sacra eloquentia potuit, ut Petrus licet invitus et tremefactus pontificium Ravennatis Ecclesiæ munus divinæ voluntatis significatione et apostolica institutione delatum ulterius respuere non sit ausus; itaque imposito oneri humeros submittens, ne munus a Deo assignatum refugisse diceretur, mox se totum divinæ voluntati addictum consecravit. Ravennates vero Petrum, licet a Columba, ut alii multi præcedentes antistites (*a*) haud præmonstratum, cœlitus tamen miro modo indicatum, et eorum Ecclesiæ opere tot Dei electorum præpositum novum antistitem venerabundi susceperunt, et consalutatum summo in honore quasi angelum Dei jugiter habuerunt.

12. Petrus itaque archiepiscopus vigesimus primus Ravennatis Ecclesiæ designatus anno a Dominica Nativitate trigesimo tertio supra quadringentesimum, (*b*) postquam sacerdos ordinatus limina apostolorum veteri ritu invisit, et reliqua Urbis loca summa religione referta pie demisseque perlustravit, (*c*) Altissimum sanctis intercedentibus exorans, ut quemadmodum Moisi olim fecit, ita sibi nunc vires ad tanti muneris onus apte sustinendum impertiri dignaretur; tandem cum sancto Cornelio, et Ravennatibus Ravennam profecturus iter arripiens, ubi ad Forum Cornelii pervenit, singulari devotione divi Cassiani martyris dilectum templum ingressus, fusis lacrymis ac humili oratione sanctum patronum iteratis vicibus precatus est, ut in tanta necessitate sese deserere nollet, quinimmo per divinam illuminationem favere, quatenus suscepto pontificatus muneri digne valeret inservire per Deum. Moxque re familiari sancte disposita Ravennam a præfatis deductus est, ubi a Valentiniano Cæsare et Galla Placidia ejus matre, Augustis (*d*) primum, inde ab Ravennatibus omnibus summo desiderio ac lætitia exceptus fuit, quibus id unum ab eis petere se dixit, ut quoniam tantum oneris pro salute ipsorum subire non renuit, studerent et ipsi monitis suis obtemperare, divinisque præceptis non obsistere.

13. Demum proximo die dominico, præsentibus Christianis principibus, et populo universo incredibili apparatu et exsultatione inenarrabili summo in templo a sancto Cornelio, ut credimus, et aliis coepiscopis vetusto more (*e*) archiepiscopus consecratus est Ravennatis Ecclesiæ post Romanam secundo loco tunc in Italia (*f*) habitæ, quod ipse Petrus aureo sermone mox habito in quadam parte testatur dicens: *Hodie Ecclesiæ Ravennati pro patre natus est filius, qui eam non pondere inclinet, non auctoritate deterreat, non commotione sollicitet, non asperitate conturbet; sed fideli sustentet obsequio; cura pervigili faciat persecuram; familiam blanda institutione componat; hospitibus occurrat; parentibus servial; regibus obtemperet; potestatibus collaboret; Dei senibus reverentiam, pueris gratiam, fratribus amorem, parvulis impendat affectum, liberam per Christum cunctis exhibeat servitutem.* Quæ omnia, hisque majora exacte, ut pollicitus est, ab eodem observata fuisse rerum quam optime probavit eventus.

14. Siquidem, ut salutari remedio paulo ante in Liguria Mediolanensis Ecclesiæ languoribus subvenerat melliflua divi Ambrosii eloquentia et Hipponensis Ecclesiæ necessitatibus in Africa doctissimum sancti Augustini eloquium; sic ut Ravennatis Ecclesiæ primogenitæ Romanæ in Æmilia, ubi tunc proprie Occidentalis imperii sedes Augusta fulgebat, ægritudo præclare repelleretur, donavit Omnipotens auream beato Chrysologo nostro eloquentiam, et summum magisterium, ut principes et populum ipsius imperii sibi cœlitus concreditum, quæ salutis essent, lingua manibusque perdocere valeret. Quare Petrus antistes immobile salutis fundamentum, intrepidus ad pericula, et ad laborem indefessus, qui unam commissi gregis salutem sibi propositam habebat, nec verbo, nec opere pastorali munere fugandis vitiis, virtutibusque inserendis, vel ad horam defuisse visus est.

15. Quod præsertim clare enituit, dum kalendis

(*a*) Horum postremus fuit S. Severus XII in ordine archiepis. Raven. Rub. I Hist.

(*b*) Rub. Rodulph. Baron.

(*c*) Rub. Rodulph. qui supra.

(*d*) Rub. Breviarium antedictum. An. Imolens. Rodulph. et alii.

(*e*) Idem Chrysol. serm. 130. Rodulph. Rub. sub ann. 449, et plurima vetustis mss. vitam ipsius describentia.

(*f*) Luitprand. Ecclesiæ Ticinen. Diacon. Rub. lib. V ann. 923. Idem Chrysol. serm. 130.

Januariis homines non tantum paganica superstitione obvolutos, sed etiam Christianos ipsos paganis adhærentes vidit, qui gentilitio more sese idolorum simulacra effingebant (*a*) et per Augustam urbem vitia et crimina, quæ olim ipsos commisisse ferunt, repræsentantes, cunctis fœda specula præbebant, seseque et proximos misera peccatorum mancipia reddentes, hæc vota esse jocorum, novitatis lætitiam, anni principium prædicare non verebantur. Quod B. Petrus pro munere pastorali ferre non valens virtute plusquam humana in concionem ascendit, et diaboli portenta cum primum damnare cœpisset, plebemque aversam et infensam mira dexteritate placare, adeo sacrilegium illud fugiendum acerrima suasione demonstravit, ut post allatis excusationibus populus resipuerit, et a talibus de cætero libentes propter Deum abstinere non recusaverit.

16. Novitates præterea circa quadragesimale jejunium contra divinum mandatum superstitiose quidem (*b*) inductas, quod ex hebdomadibus in sacra inedia aliæ essent immoderate rigidæ, aliæ nimium remissæ, et separatim callida a frigidis, separatim salita ab insipidis propriis usibus jejunantes deputarent, et totum vitæ negligerent conditorem, cohibuit et abolevit, utque jejunium æquale, sicut traditum est a Deo et ab Ecclesia, servaretur ad corporis et animæ disciplinam, indixit et obtinuit.

17. Morem ea tempestate apud plerosque introductum maxime perniciosum, (*c*) Deo odibilem, ac minime ferendum, ut, qui catechumeni essent, sacrum regenerationis lavacrum ad longum tempus, declinantemque vitam differre consuescerent, interimque spe veniæ peccata peccatis cumularent, sæpius summa animi pietate vitari monuit, et Christi fideles per Deum obtestatus est, ut Christo ipsi baptizandos afferrent, et eos quos sponte accedere aut necessitas vetaret, vel ætas impediret, retardaret ignorantia, tenerent vitia, spectatio deciperet, aut falleret confusione paupertas, attraherent, et opportuno tempore sabbati sancti, et Paschæ, quando divinum hoc episcoporum manibus conferebatur sacramentum, diligenter invitando adducerent, ut, quoniam de vita semper sunt homines incerti, agendum curaret dicebat, ne servi, ne filii, ne conjuges, ne parentes nondum baptizati præventi morte, et præsenti vita carerent, et ad futuram haud pervenire possent; sed potius in vinea Domini sedulo laborantes et vitæ mercedem, et summam gloriæ coronam percipere mererentur. Qua vero doctrina et charitate Petrus noster, qui sapientiæ ornamentis non minus quam pontificio fulgebat, perditos ac depravatos procerum, (*d*) heroum, et aulicorum mores corripuerit, nemo bene novit, nisi qui attentissime aureas illius conciones meditatus.

18. Sed adhuc in paucis moramur; majora sunt quæ noster antistes per ea tempora gessit, cum mare sæculi, ut ipsemet inquit, (*e*) erat tumens pompa, elatum vortice, undosum sectis, inscitia fluctuans, clamosum litibus, furens ira, sævum perfidia, peccatis naufragum, impietate demersum; unde Dominica navis extrinsecus ab undis gentium, intrinsecus a tumidis hæreticorum fluctibus jugiter quatiebatur. (*f*) At Petrus navigationis peritus clavum secundum tenens, multo acrius vigilare ad salutem quam tota inferni caterva ad animarum perniciem conspiciebatur. Propterea navem, ne sævientibus procellis mergeretur, tutans, meruit, et nautæ Christi, et apostolici piscatoris privilegium, quemadmodum infans sortitus fuerat et vocabulum: cumque turbas errorum fluctibus mersas ad semet hamo sanctitatis suaviter traheret, doctrinæ suæ retibus Christianam concludebat ad fidem hominum multitudinem copiosam.

19. Etenim placuit Deo, ut innumeros tum ex ipsis Ravennatibus, tum ex diversis Italiæ urbibus, multoque magis ex barbaris nationibus orbe jam fere toto diffusis qua vi, qua sponte Ravennæ habitantibus, seu ad Valentianium III, tunc Occidentis imperat. Aug. confugientibus, aut bello captis ibidem servientibus, vel alio quovis titulo apud Ravennates diversantibus, Petrus custos fidei ex barbarico cœno et paganica infidelitate ad fidem et vitam christianam evangelica doctrina evocatos sacri unda baptismatis expurgaret. Quod tanta animi propensione peragebat, ut mancipiis et simplicitate pueris, non quadrare, (*g*) sed liquare sermones, et teneris faucibus in modum lactis infundere videretur: seque totum imbuendis parvulorum mentibus imbecillem occupari, venia interim a prudentibus impetrata, profiteretur.

20. Quare ex ipsa Christi doctrina, et Dominica oratione quid credere ac sperare catechumenos, qualiterque vivere deberent, et per fidem gratiæ, quæ per dilectionem operatur, ad vitam perpetem assumi posse arbitrarentur, tanta divini Spiritus et eloquentiæ ubertate janitor hic cœli perdocebat, ut cum illum alto silentio audissent, vel ante absolutum catechismum (*h*) baptismate expiari postularent; et jure optimo, ac celeri etiam per aliquot dies ab ipso in quadragesimali abstinentia ob id prædicationis munere dimisso, et maximis laboribus gravato consequerentur. Quare vitam, salutem, ac gloriam suam nuncupabat eos, quos haud patiebatur nescire, quod Deus sibi donaverat scire (*i*). Etenim quæ a Deo acceperat, libere in Dei gratiam erogabat, ut homines captivos mortis, mancipia dæmonum, idolorum vernulas, criminibus compeditos lumine veritatis illustraret, et a malis dominis liberatos, sacraque unda ablu-

(*a*) Rub. Rodulph. Sur. ms. et alii. Idem Chrysol. serm. 155.
(*b*) Lege serm. 166 Auctoris, una cum not.
(*c*) Serm. 10, per tot., et serm. 59.
(*d*) Lege serm. 20, 21 et 127 Auctoris.
(*e*) Serm. 46.
(*f*) Serm. 21.
(*g*) Serm. 62.
(*h*) Lege serm. 40, et omnes serm. in symbolum et orationem Dominicam.
(*i*) Serm. 147.

tos, et ad obsequium Altissimi revocatos, Christo Reg. sæculorum lucraretur.

21. Eximii decor ingenii tantus in hoc sacro præsule fuit, et rara eloquentia ipsius ingenii lumen, summaque rerum omnium sapientia, ut homines quoscumque mente acerrimos et eruditione præstantiores, sive gentiles, sive hebræos, aut Christi fideles, qui ex cunctis orbis terrarum partibus tunc ad Augustam urbem Ravennam convenissent, et de divinis Scripturis subtilissime aliquando disputassent, eruditissima interpretatione convinceret, ac Spiritu eodem quo beatissimi olim in primitiva Ecclesia apostoli, ad Christi fidem, et morum conversionem, ni extrema tenerentur pervicacia, doctos quoscumque captivato eorum intellectu, attraheret, ut vere dixerit S. Adelphus (*a*) Chrysologum nostrum beatissimum, et apostolicum aucupem esse, qui juvenum ingenia per aera subtilium speculationum volantia suavi suæ eloquentiæ calamo ad se alliceret, et solidæ veritati tamquam visco inhærescere propria doctrina compelleret.

22. Agri Domini Sabaoth cultor maxime strenuus cum esset noster antistes, in eo aliquando reperiit parabolicam ficum, hoc est homines suæ solertiæ commissos, qui nullum fructum ferrent; at ipse artis peritus circa arborem fodere, et omnem operam adhibere, ut fructum daret, semper in votis habuit; et si quem non illico ad bonam frugem revocare valebat, Dominum interim rogare, ut alterum etiam annum patienter exspectaret; nec arborem exscindi, et operam suam perdere permitteret, sæpissime obtestabatur. Dominum non ad justitiæ severitatem, sed magis ad benignitatem et patientiam provocando, et infrugiferæ arboris culpam in se potius quam in ipsam conjiciendo, imposterum se diligentius culturum pollicebatur : et irriguos lacrymarum fluctus ex intimo cordis affectu per luminum canales (*b*) identidem profundens, et ficus sordes abstergere, et radicibus fructuum ubertatem cœlitus impetrare vehementius elaborabat.

23. Verumtamen quoniam in agro Domini non tantum vigebat arbor quæ nullum omnino fructum præberet; sed etiam (proh summum detrimentum!) quæ lethali umbra cæteras inficeret, et noxiis radicibus noxia ipsis germinaret pullulamenta; ita ut ex his infelicissime tot surgerent in agro Domini perniciosæ hæreses, quot ipsa divinæ legis dogmata profiteretur, (*c*) Petrus noster, qui petra fundamentalis catholicæ Ecclesiæ, et fidei non tam propagator quam verus propugnator a Deo datus erat, perpetuus hæreticorum gladius, quo tales e medio tolleret, numquam non fuit. Unde Arianos, Manichæos, Novatianos, Pelagianos, Donatistas, Nestorianos, aliosque Tartari non tam arbores quam ministros, catholicæ fidei maxime infensos, verbo scriptoque quasi falce ad radicem posito assidue percussos, (*d*) perfidos, ac deliros esse manifesta Scripturæ luce demonstrabat : veramque orthodoxam fidem ac religionem strenue tutans, miserrimam illorum perditionem qui male de Deo, et præter unanimem sensum catholicæ Ecclesiæ sentirent, aperte prædicabat, et cœlesti eruditione lingua calamoque sæpissime persuadere (*e*) nitebatur.

24. Non tamen passus est Dominus Petrum Chrysologum ab insidiis hæreticorum immunem, quo magis in conspectu hominum firma ejus fides appareret. Cum enim Eutyches abbas Byzantinus (*f*) jam senecta gravis in cathedra pestilentiæ sedens, mellito sermone sub specie fidei scindere et distrahere fidei niteretur unitatem; Nestorio docenti in Christo duas esse personas ut firmiter adversari videretur, asserere non erubuit in Verbi divini facta Incarnatione divinam naturam cum humana in idem recidisse, ac si alteri altera esset commiscibilis, et ex utraque commixta tertia composita, seu verius confusa consurgeret, ad quod impiissimum dogma factiosorum ope sæculares non paucos attraxerat, et ecclesiasticos proceres. Quare Flavianus Byzantii episcopus virus doctrinæ lethalis perimere conatus synodo coacta (*g*) hæresim cum suo auctore damnavit, simulque gesta ad beatissimum Leonem primum sum. pontif. per certos nuntios transmitti curavit; (*h*) qui pontifex auream quamdam ingenii et eloquentiæ ubertatem Petri Ravenn. archiepiscopi pernoscens, et de veritate fidei ab hæreticis in controversiam vocatæ illam ex more, institutoque majorum consulens, tandem magni Petri doctrina (*i*) et litteris magnus Leo adjutus, encyclicam epistolam a Chrysologo, ut ego ex multis probabiliter existimo, dictatam, suo tamen nomine conscriptam, hæresim Eutychetis doctrinis rationibusque apertissime convincentem, et plenissimam fidei catholicæ rationem continentem (*j*) Flaviano episcopo dedit, omnibus tamen communem qua quidem postmodum in Chalcedonensi concilio sexcentorum trigenta Patrum approbata, tandem Gelasius papa anathema esse qui ad unum iota illam non reciperet, declaravit. Quam sum. pontif. epistolam ægre ferens perditissimus Eutyches, aliam fraudem aggressus litteris suis ad Occidentales, qui magni nominis erant, episcopos adversus Flavianum conscriptis, eosdem in illum concitare conabatur ut sensim in suam hæresim induceret : inter quos præcipuus fuit Petrus noster, cujus studium sancto Leoni præstitum haud hæreticus compertum habebat : sed fidelis antistes (*k*) nedum

(*a*) Lege tot. serm. 107.
(*b*) Serm. 107, qui supra.
(*c*) Serm. 21.
(*d*) Lege indicem notab. Chrysol. v. *Hæreticus*.
(*e*) Serm. 44.
(*f*) Rub. Rodulph. Baron. tom. VI, anno 448, et omnes, qui de Chrysol. scripsere.
(*g*) Quæ habita est anno Dom. 448. Bar., ibid.
(*h*) Flavian. hac de causa martyrio cor. Baron. an 449.
(*i*) Rodulph. sup. ait S. Leonem consilio Chrysol. in re gravissima usum fuisse. Vide infra Ad opp. Responsionem num. 5.
(*j*) Concil. Chalced. act. 4 et 6, actum anno Christi 451, mense Decemb. Concil. Rom. de libris authent. cap. *Sancta Roman.* Baron. tom. VI, anno 449.
(*k*) Baron. sup. Rod. et mss. omnia.

Eutycheti auscultavit, verum etiam auream proprio nomine rescribens epistolam mira charitate ad obediendum sum. pont. litteris hortatus est, (*a*) et ut a sua cæca et temeraria disputatione et contradictione resipisceret adeo angelice suasit, ut, ni diabolica pertinacia senex delirus imbutus esset, facili negotio corrigi et ad catholicam fidem reduci potuerit.

25. In tanta rerum ac temporum perturbatione principes ac populos Christianos concionibus instruebat assiduis, (*b*) quomodo catholicam fidem tueri ac tenere deberent in summis gentium et hæreticorum procellis, in occisione gladii, in corporum et animorum naufragiis, in tyrannicis potestatibus regna invadentibus, in multiplici animantium pestilentia ubique gentium grassante, in sterilitate terræ, ac aliis Dei plagis; et cum ipso ad Deum accedere, Deo vero confidere, et fortes in fide permanere, et diu noctuque cum lacrymis et pœnitentia Altissimum pro tranquillitate exorare commonebat : cumque semetipsum pro peccatis populi Hostiam Deo placentem offerret, quo divinam indignationem avertens peccatoribus veniam impetraret et gratiam, quis dixerit quam in conspectu cœli gratam aromatum fragrantiam redoleret (*c*)?

26. Vix dum Ravennati Ecclesiæ præfectus erat B. antistes, cum ad instituendam vel restituendam in ejus clero apostolicam vivendi rationem animum intendit; et regularibus ministeriis, communique vita in Dei sortem electos instruere ac detinere cogitavit. Propterea juxta Ursianam ædem amplissimum ædificium, quod (*d*) Tricollim appellabant, quia esset ad trium collium similitudinem exstructum (vulgo Canonicam dicimus), pro tuta assiduaque statione sacerdotum, et universi cleri, qui in ipsa metropolitana æde Omnipotenti inservire deberent, ingenti structura fundavit; idque a successoribus mira ædificatione absolutum etiam vetustissima carmina a Rubeo relata testantur his verbis (*e*) :

Hic Petrus junior Christi præcepta secutus
Ut decuit, sacris moribus exsiliit.
Hic quoque fundavit mirandis molibus arcem.
Nominis ipse sui hæc monumenta dedit.
Hujus post obitum Aurelianus gessit honores,
Post hunc antistes exstitit Ecclesius.
Hinc fuit Ursicinus, sequitur post ordine Victor,
Temporibus junior Maximianus adest.

Quod cum temporum injuriis hujusmodi ædificium modo non exstet, ejus tamen vicem reddunt horti qui circa eamdem Ursianam ædem conspiciuntur. Hancque monasticam vivendi normam cum cæteris perscripsisset beatus Petrus, ipse sibi prius strictiorem delegerat; et quamquam erat in vita maxime activa ob munus antistitis assumptum, nihilominus divino choro cum sacratis viris jugiter intentus aderat, ubi Deum opt. max. nocturnis (*f*) vigiliis et horis precabatur; hymnisque ac canticis divinas concelebrabat laudes; itaque tantam in Deum charitatem in dies fuerat assecutus, ut aliquando sacratissimam Domini passionem populo explanaturus, verba proferre nequierit præ teneritudine amoris in ipsum Deum, qua lacrymæ et gemitus ex intimis præcordiis erumpentes verba cohibuere : quapropter ipsemet silentii causam in lætitiis paschalibus afferens dixisse fatetur : (*g*) *Nostra occubuere tunc viscera; sensus est commortuus; sermo noster suo est consepultus Auctori, ut ejus totam suscitaretur ad gloriam; ista exstitit silentii mei causa; ista debiti mei devota dilatio fuit, cum sermo noster toto affectionis obsequio ad inferos etiam suum secutus est largitorem.*

27. Qualem vero charitatis affectionem in pauperes haberet, facili negotio quisque sibi persuadere poterit, qui miseras illorum temporum historias evolvens, maximam, ne dicam innumerabilem fuisse pauperum et captivorum multitudinem ex crebris hostium populationibus fere ubique gentium factam agnoscet; quos ut Christiana pietas aleret redimeretque, sæpissime concionibus apte (*h*) persuasit, et proprio exemplo auditores hortatus est : cum omnia præterquam inopi suæ sustentationi et ministrorum necessaria, (*i*) dandis eleemosynis, captivis redimendis, cæterisque misericordiæ et pietatis operibus præstandis erogare consuesset.

28. Ulteriusque progrediens in via Domini B. antistes carnem despiciens, et terram; itaque (*j*) frequentibus jejuniis, nocturnis vigiliis, asperrimo cilicio, flagellis assiduis, et lacrymis uberrime fusis, ita corpus in servitutem animæ redegerat, ut ora pallerent, et macie amplum vividumque corpus, justam non excedens staturam, attenuatum esset. Quare vivens, ac præsens, et fere in principio sui pontificatus a S. Adelpho, qui fuit, ut reor, Metensium episcopus, sanctus ac beatissimus fuit in concione appellatus : (*k*) adeoque fama sanctitatis et doctrinæ Petri Ravennatum archipræsulis totum repleverat orbem, ut ad eum undique ex diversis regionibus visendi studio turba convolaret hominum; quique invias solitudines, aut cæcas eremi latebras incolebant mirabilem Petrum magis ibant spectaturi, quam sæculum : qui cum hoc mundo gloriose luctans adversus instructas delinquentium turbas aciem quamdam disponebat sanctitatis; quoniam in eo viro, qui mundo sibique crucifixus erat, (*l*) vivebat, regnabat, et imperabat Christus.

29. Viva Dei templa construens sanctissimus pastor, nec inanimata, ubi Deus peculiari modo inha-

(*a*) Epist. Chrysol. incip. : *Tristis legi tristes*, de relata in Annal. a Baron. anno 449.
(*b*) Serm. 20, 21 et 45.
(*c*) Rodulph., qui supra.
(*d*) Rubeus, sub anno 438; Chrysol. serm. 39 et serm. 107.
(*e*) Rub., lib. III. Hist. prædictæ, pag. 162.
(*f*) Serm. 39 et 107. sup.
(*g*) Serm. 77.
(*h*) Serm. 103, num. 12. Lege indicem serm. auct. v. *Eleemos.* et v. *Paup.*
(*i*) Rodulph. et mss. quæ vitam illius describunt, cœlum tantum suspiciebat.
(*j*) Serm. 107, Rodulph. et mss. multa.
(*k*) Serm. 107, sup.
(*l*) Serm. 116.

bitare credimus, deserebat; quinimmo Ravennæ juxta memoratam Ursianam ædem divo Andreæ apostolo (*a*) a fundamentis Ecclesiam construxit, ubi ipsius B. Petri imago visebatur in fornice ipsius templi vermiculato intexto opere, taxilisque depicta, cum piissimo epigrammate ab eo editum ferunt, et quod Petrum nostrum ejusdem basilicæ fuisse conditorem clare demonstrat, cujus exemplum hoc est (*b*) :

Aut lux hic nata est, aut capta hic libera regnat :
Lux est, antevenit cœli decus unde modernum ;
Aut privata diem pepererunt tecta nitentem,
Inclusumque jubar secluso fulget olympo.
Marmora cum radiis vernantia cerne serenis,
Cunctaque sidereo percussa in murice saxa.
Auctoris pretio splendescunt munera Petri
Huic honor, huic merito tribuit sic condere parva,
Ut valeat spatiis amplum superare coactis.
Nil modicum Christo est, arctas bene possidet ædes,
Cujus in humano consistit pectore templum.
Fundamen Petrus, Petrus fundator, et aula,
Quod domus, hoc Dominus, quod factum, factor et idem
Moribus, atque opere Christus possessor habetur,
Qui duo consocians mediator reddit et unum.
Huc veniens fundat parituros gaudia fletus
Contritam solidans percusso in pectore mentem.
Ne jaceat, se sternat humo, morbosque latentes
Ante pedes medici, cura properante, recludat.
Sæpe metus mortis vitæ fit causa beatæ.

Neque hoc contentus, aliam basilicam in honorem S. Petri (*c*) apostolorum principis, cujus nomen et ipse cœlitus adeptus (*d*) fuerat, inchoavit, quam morte præventus absolvere nequivit ; in ædificationeque templi sanctæ Crucis, et sacelli sanctorum Nazarii et Celsi, ubi Placidia imperatrix Augusta sepulcrum sibi delegerat, plurimum laboris et industriæ adhibuit.

30. Et quoniam memorata Placidia ex voto quod in maxima maris tempestate emiserat, augustissimum D. Joanni evangelistæ templum Ravennæ construxerat, et anxio sollicitoque nimis erat animo, quod dedicationem ejusdem juxta ritum tunc temporis in Ecclesia catholica observatum a sacro antistite nostro consequi nequiverat, eo quod nihil reliquiarum tanti viri Dei esset, quo posset dedicatio canonice concelebrari, (*e*) divum Barbatianum presbyterum, sibi pro capellano inservientem, miraculis in vita clarum consulere decrevit, quanam ratione huic rei succurri posse suaderet : extemploque viro Dei fuisse consilium tradunt, ut una sacras in ipsa æde agerent excubias, Deumque in hac re sibi fore propitium ex animo orarent ; cumque tertia vigiliarum nocte ambo ante Altissimum in templo astarent, ecce Barbatianus virum conspexit venerabilem pontificiis amictum, ambulantem, ac thure basilicam sufficientem. Quem B. Joannem evangelistam ratus, mox Placidiam somno oppressam monuit ut et ipsa conspiceret ; quæ illico surgens, ubi sacros evangelistæ pergit, et molitur amplecti ac deosculari pedes, simulacrum e conspectu delabitur, et in manibus Augustæ sandalium pedis ab eodem evangelista dimittitur, quod lætabunda recipiens pie, sancteque deosculans, Valentiniano Cæsari filio ac universo populo mira exsultatione commonstravit, et ita solemni ritu ac celeri pompa dedicationem templi cum cœlesti reliquia consequi merita est ; hancque ædem cum regio cultu sacris imaginibus Augusta ipsa ornari curasset ; effigiem D. Petri nostri easdem quoque apponi voluit, in forma sancti episcopi sacrum facientis, et stupentis ob cœlitis præsentiam, qui preces de ore ipsius suscipere conspiciebatur.

31. Sic eodem ritu B. antistes ædem S. Joannis Baptistæ (*f*) reddidit sacram, ubi præfatus Barbatianus verus Dei famulus morabatur, cujus obitum ex levi quidem, sed pertinaci infirmitate divino, ut par est credere, afflatu Petrus prænoscens, Placidiam tunc temporis Arimini commorantem admonuit ; quæ e vestigio Ravennam advolans, Barbatianum antequam animam exhalaret invisit ; atque illius cadaver ablutum, unguentisque pretiosis linitum Chrysologus ipse in æde prædicta sepelivit.

32. Sicuti etiam sancti Germani Antisiodorensis episcopi (*g*) Britanniæ apostoli nuncupati, qui Ravennæ ad Creatorem evocatus fuit anno Christi 435. Corpus unguentis arabica suavitate conditis oblitum ligneo loculo commisit, quo posset in Galliam exportari, ut ipse moribundus poposcerat : cujus cucullum cum interiori cilicio Petrus ipse sibi in hæreditatem vindicavit, et Antonius alter Pauli eremitarum principis hæres, annos et ipse quindecim supervivens, in summa veneratione habuit.

33. Et quoniam non tantum in propriam, quam in aliorum ecclesias erant admodum impensa B. Chrysologi studia, propterea sanctum Projectum (*h*) Forocornelianum episcopum, S. Cornelii Romani in Corneliensi Ecclesia successorem consecravit. Et (*i*) Marcellinum olim piscatorem piscium Vicohaventinæ Ecclesiæ antistitem pari consecratione ordinavit anno Domini circiter 449, quem appendix ad Usuardi Martyrologium catalogo sanctorum ascriptum affirmat.

34. Ne vero quid officii, quod a se proficisci posse arbitraretur erga populum Ravennatem sibi cœlitus concreditum, prætermitteret, in classe oppido Ravennæ contermino aquis potabilibus experte cister-

(*a*) Rub. lib. II, anno 433 et seq. ; Rodulph. et alii.

(*b*) Leguntur hæc carmina in Rub., sub an. 449, et in Rodulph. in Vita D. Chrysol. Exstat templum adhuc, sed imago et carmina non cernuntur ; asserunt tam Rub. et Rodulph. Floriusque non ea omnia sua tempestate conspexisse. Nunc templum e recentioribus instauratum ac dealbatum est ; ideo prædicta non exstant.

(*c*) Rub., sub an. 438.

(*d*) Serm. 107.

(*e*) Rub., anno 433,

(*f*) Rub., anno 438, Rod. et alii ; est serm. S. Petri Damiani in Nat. S. Barbatiani die ultim. Decembr. Vid. not. Baron. in Martyr. Rom. hac die.

(*g*) Natalis Rub. et Bar. t. V, ann. 431 et 435, et Antonin. II p. Hist. tit. 11. c. 17, § 6. Constat. presbyt. de Vita S. Germani : Rodulph. et Rabadanor. tam in vita D. Chrys. quam in Vita sanct. Germani die 31 Jul.

(*h*) Serm. 165, cum not.

(*i*) Serm. 175, cum not.

nam, quam alii fontem appellant, miræ magnitudinis totius populi usibus duplici alto muro construxit et habuit.

35. Nec in tanta rerum sollicitudine, vel temporum varietate divini verbi prædicationem (*a*) vel e gradu, sive suggesto, vel e sede sacerdotali, seu sacra exedra dominicis præsertim, et aliis festis diebus omisit. (*b*) Verum manifesta luce sacrorum voluminum mysticas reserans quæstiones, et præcepta justitiæ ferebat in populos, et quæ divinæ virtutis erant pro captu auditorum aurea prædicationis suæ eloquentia atque vitæ sanctimonia docere non desistebat; Deumque obtestabatur et exorabat (*c*) ut totam doctrinæ plenitudinem in auditorum mentis infundere dignaretur arcanum : adeoque vehemens erat illius interdum concionis ardor, ut raptus divino quodam furore videretur, (*d*) ex quo omnium ora animosque ad se convertebat, verbaque illius sic populos lætificabant, ut vel in æstu magno sese comprimerent audientes (*e*) : sicque amabilis erat, ut voce semel in concione amissa, (*f*) ab omnibus commiserantibus et collacrymantibus effusa oratione Deo fuerit commendatus.

36. Vigebat adhuc ea tempestate inter Italos Latini sermonis communis et vulgata prolatio : attamen cum a diebus Ciceronis jugiter ad interitum declinasset Romana facundia, temporibus Chrysologi præ confusione et commixtione Barbarorum cum Italis gentibus adeo constrata jacebat, ut pene mortua diceretur. Nihilominus ne ab Ecclesia Dei penitus exsul Romana eloquentia foret, cœlitus concessum, ut inter sacratos viros sæpe floreret, sicuti et id antistiti nostro ad fructum animarum singulari quodam privilegio donatum conspicimus; dum ex eleganti atque diserta latini eloquii, interdumque Græci, sermonis prolatione, ex acumine et gravitate ingenii, et omnium scientiarum copia eximium Chrysologi cognomen adeptum experimur. Plurimi namque ex Græcis, aliquorum sensu, qui paucis ante annis suo Joanni cognomen Chrysostomi indiderant ob Atticæ eloquentiæ facundiam, Byzantio Ravennam ad Cæsarem profecti, ejusdemque Cæsaris Aulici majori ex parte natione Græci, Petri concionantis aureum orationis flumen audientes, simulque in eo ingenii permaturi, et sinceræ doctrinæ limpidissimam ubertatem et suavitatem admirati, aureum sermocinatorem, seu aureum Petri Ravennatis archiepiscopi esse sermonem propria lingua conclamare volentes Chrysologum vocitabant : quod nomen exinde perpetua possessione apud quoscumque singulariter retinere (*g*) meruit; quod sermones illius, quos ore protulit, aurei etiam in libro exarati, veluti ex auro purissimo conflati, ac nervosius conscripti a doctis ubique gentium prædicentur. Tametsi Chrysologus ipse humilitatis ergo se pauperem spiritu (*h*), exiguum ingenii, et eloquii mediocrem fatebatur; et quam divinæ Scripturæ intelligentiam haberet, (*i*) sibi a Deo optimo maximo ad salutem animarum emanatam profitebatur, ut plurimis concionibus id ab eo testatum fuisse perlegimus. Tantusque erat in hoc viro Dei omnis humanæ gloriæ contemptus, ut vel majorum gentilitia dimittens, se tantummodo Petrum episcopum Ravennatem appellaret atque subscriberet. Genitorumque nomine obliterato (*j*) filium evangelicum sancti Cornelii episcopi Forocorneliani, a quo fuerat, ut supra memoravimus, sacris oblatus altaribus, se nuncupari magnopere lætaretur. Erat denique vir iste Dei ea sanctimonia atque doctrina præditus, ut ni temporum injuriis ac bellorum incendiis, ea quæ scripsit ac gessit nobis miserrime sublata fuissent, in utroque homine miraculum magnum exstitisse cunctis perspicue pateret. Sed quis scit an Omnipotens summæ sapientiæ consilio hæc paucula tantum sciri permiserit, quo ex his longe majora cuique pro studio speculari daretur, et ita Deum ipsum in sanctis colere, atque laudare ?

37. *Petrus* igitur *Chrysologus* Ravennatis Ecclesiæ præfulgidum decus, in vita miraculis et sanctitate clarissimus (*k*) maxime eruditionis et eloquentiæ theologus, nec non sacræ Scripturæ sincerissimus interpres, Magnus ab Emin. Baronio in Annal. Ecclesiasticis appellatus, post multos pro Ecclesia Dei ingenti animarum fructu exantlatos labores, omnibusque officii sui partibus, ac pontificio munere annis duodeviginti sanctissime perfunctus, meritis cumulatus, et Spiritu sancto plenus, diem repositæ sibi coronæ divina significatione prænoscens, spiritum redditurus ibi ubi ab Altissimo per creationem ipsum receperat, et renovationem (*l*) et Corneliensem Ecclesiam (dicam ego) sacris reliquiis, et sui depositione corporis decoraturus, gradu concito natale solum repetiit. Cumque a beato antistite Projecto sacratisque viris, ac civibus universis lætissime obviam egressis summo honore in patriam grate admodum pieque fuisset exceptus; postera die hora legitima in D. Cassiani ad aram ipsius B. martyris sacrosanctum Missæ sacrificium pro vivis atque

(*a*) Rodulph. Rub., an. 449.
(*b*) Rodulph. et multa mss. Vid. serm. 118 et serm. 137.
(*c*) Serm. 107 sic agebat Ambros. ut auct. est. Aug. lib. v Confess. c. 13, in fin.
(*d*) Serm. 43, num. 1, et 126, et 159, 1. Rub. lib. II, sub anno 451.
(*e*) Serm. 51.
(*f*) Serm. 35 et 86.
(*g*) P. Christoph. Veruchinus in opere inscr. Porta aurea sacræ Th. aperta ms. in Archivo PP. Capuc. Bon. exist., ubi de S. Petro Chrys. agit, quod sæpius me audiente viva voce confirmavit.
(*h*) Natalis, Rub., Rod., et quotquot de eo scrips.
(*i*) Vid. serm. 136.
(*j*) Serm. 5, serm. 39, serm. 94, serm. 95, serm. 109, serm. 136, per tot.
(*k*) Natalis, Trithem., Baron. t. I, an. 435, et B. Felix arch. Ravenn. in præf. inf. relata ante serm. Chrysol. Flor. et alii.
(*l*) Nat., Rub., Baron., Rod., Flor., et Breviar. sup. memoratum ac ms.

defunctis Deo sanctissime obtulit. (*a*) Tum astantes, qui frequentissimi convenerant, allocutus de imminente sui obitus hora commonefacere placuit. Tumulumque sibi juxta aram S. Cassiani eligens, sacram infulam auro gemmisque pretiosissimis distinctam, craterem aureum, et patinam argenteam mysticis figuris et characteribus exsculptam, quibus in sacro fuerat usus, aræ B. Cassiani hæreditario suæ evangelicæ paupertatis jure reliquit. (*b*) Ravennates vero, qui illum secuti fuerant ut in deligendo optimo pastore invigilarent; cives autem suos D. Cassianum summis honoribus ut prosequerentur, cunctumque populum, ut fidem Catholicam adversus quascumque Tartari insurrecturas legiones retineret, nec ullo tempore a divinis mandatis abscederet, pacem veram diligeret, pastores coleret, verba Dei de ore ipsorum libenter audiret, et monita salutis quæcumque strenue custodiret, (*c*) divina propemodum facundia et intimis præcordiis hortatus est.

58. Cæterum cunctis vel ad prima collacrymantibus quis plene commemorare valeat, quam paterne omnes in Domino fuerit consolatus? quam sanctis monitis et divinis colloquiis animorum mœrores sublevare tentaverit? Tandem pontificio ritu benedictione omnipotentis Dei super illos et eorum filios in generatione et progenie per ævum, cœlitus exorata, et signo sanctæ crucis super cunctos effusa, mox ad B. Cassiani aram conversus est, demptamque suo capiti mitram ad pedes Agni Dei pro nobis in ara crucis oblati super altare deponens, Deum et sanctum patronum genibus flexis devotissime precatus est, ut migrantem animam suam in cœlum reciperent, hasque præ cæteris ferunt obtulisse preces : (*d*) *Deprecor te, beate Cassiane martyr, intercede pro me; tuæ domus quasi vernaculus fui a Cornelio hujus sedis antistite in hoc ipso templo nutritus : iterum ad te reversus animam nunc omnipotenti Deo reddo, corpus autem meum tibi commendo.* Dumque prolixius hæc et similia oraret, hominem exutus, tranquilla et serena fronte spiritum Deo reddidit, insulas æternas hic a se paratas in gloria recepturus quarto nonas Decembris, sedente Leone primo pontif. max (*e*) et Valentiniano III in Occidente, ac Theodosio Juniore in Oriente imperatoribus Augustis, anno vero Domini quadringentesimo quinquagesimo, ætatis suæ circiter 44, et sacrum illius corpus increbili omnium dolore, ac pietate maxima a S. Projecto ipsius Foro Cornelii episcopo, ut aiunt, et coepiscopis provincialibus de more, atque sancto A Donato Corneliensi diacono primario, prope corpus et aram sancti Cassiani juxta electionem ejus, venerabili sepulcro sequenti die post sedem ipsius ecclesiæ conditum fuit; cui omnium consensu inter divos relato anniversarii honores in testimonium vitæ pie sancteque transactæ eadem depositionis die fuere decreti; et post quinquennium, exstincto jam Dei gratia Athilamo furore, qui diu vastaverat Italiam, tumulus sumptuose magis eodem in loco fuit condecoratus.

59. Mirabilis sane virtus argenteæ patinæ calici ab eodem relictæ, cum aqua per eam demissa, et pie a fidelibus degustata sæpissime rabidi canis morsum sanare, (*f*) et febres pestilentes tollere expertum sit; ad quæ mala nullum naturale remedium sufficere constat, (*g*) quo fit ut multi canino rabidoque morsu læsi undique ad tumulum B. Petri Chrysologi ossa ejus venerabundi, aquam potaturi et asportaturi conveniant. Ubi ex tot tantisque hujus sancti viri externis reliquiis paterno affectu traditis, hæc sola patina inter alias pretiosiores memoratæ reliquias venerabiliter asservatur, cum cætera ab eo donata aut bellorum incendiis perierint, vel fuerint hostili populatione direpta.

40. Verum mirabiliora profecto illius scripturarum monimenta relicta, in quibus vere acumen ingenii, doctrinæ sanctitatem, verborum atque sententiarum gravitatem et sinceritatem, structuræque elegantiam, ac pene divinam dicendi vim non jam Græci solum, sed docti omnes admirantur et obstupescunt; (*h*) et sicuti aurum omni metallorum genere pretiosius ac jucundius esse solet, (*i*) sic Chrysologi scripta in paucis quamplurima eruditissime atque elegantissime complectentia omnium gravissima et jucundissima existere fatentur: idque majori admiratione, quod non ex omnibus quæ scripsit, et quemadmodum scripsit (commentaria enim, epistolas, et alia præclari sui ingenii volumina et eruditionis documenta edidit), (*j*) sed ex paucis fragmentis homiliarum, quæ temporum injuriis, seu bellorum incendiis ac populationibus, tamquam ex busto perpaucæ reliquiæ superfuerunt, in multisque alteratæ, mutilæ, et contaminatæ Petrum Chrysologum in suis lucubrationibus quæ exstant, divinarum humanarumque scientiarum bibliothecam, cherubicum sacræ Scripturæ interpretem, et absolutum, nervosum simul, et breviloquentem oratorem exstitisse prædicant. Unde apud catholicos concionatores accuratus sermo non habetur, ubi sæpius rutilum Chrysologi eloquium non effulgeat. Quod si videre omnia ab eo laconice

(*a*) Nat., Rod., Flor., F. Jac. Januens. in legenda S. Cass. mart. in s. an. Domini 1582. Traditio perennis, et vetustiss. imagines in æde S. Cassiani Imolæ.

(*b*) Rodulph. et Rub., an. 450.

(*c*) Acta Vallicellæ et Rod., in quibus plurima verba et orationes ab eodem sanctiss. prolatæ habentur.

(*d*) Acta Vallicellæ Rodulph. et mss. multa.

(*e*) In Brev. prædicto pro veriori tempore obiisse scribitur ann. 459, concordat originale Annalium Florii nostri; et Baron. vel anno 449, vel 450. Sic etiam Rubeus.

(*f*) Natalis, Rod. et Experimentum.

(*g*) Plin. lib. xxv, cap. 5.

(*h*) Sixt. Senens. lib. iv, Biblioth. sanctæ; S. Ant., ubi sup., § 7; D. Agap. Vicent. in præf. ad serm. Chrys. inf. relata.

(*i*) Serm. 29.

(*j*) Rub., Trit., Rod. et mss. omnia quæ vitam ejusdem perscribunt.

et perpolite conscripta digni fuissemus, divinum magis quam humanum habuisse ingenium, summamque illius vim in Dei gloria et salute animarum impendisse nostra omniumque ætas hominum aperte cognosceret. Sed Deus mirabilis in sanctis suis fortasse voluit sic ex ungue cognosci leonem.

41. Nam (proh dolor !) periere ab ipso exarata exemplaria, aut Ravennæ, aut Foro Cornelii ; et utrobique vel Theodorici Ostrogothorum regis Ravennam occupantis perfidia, (*a*) qui cum Ariana labe tactus intrinsecus, et obvolutus extrinsecus esset, in catholicos desæviens eos , et omnia ipsorum templa, omnemque regionem illorum perdere et gladio ac igne consumere minabatur, tandemque Boetium et Symmacum , clarissima Italiæ lumina , quod contra Arianos essent, interemit ; immo Joannem ipsum hujus nominis primum pontificem max. vitæ sanctimonia clarissimum (proh nefas !) carceri Ravennæ mancipatum , pedore, situ ac inedia consumptum, vitam ob id terminare coegit ; nec non Balthasarem ex familia sancti Petri Chrysologi, (*b*) virum omni sacrarum litterarum eruditione sapientem, quod tantummodo illis temporibus urbem Ravennam inviserit, pontif. max. in mortis genere consimilem reddidit. Quare non levis conjectura surgit perfidum regem Chrysologi scripta quæcumque omni diligentia conquisisse, et Ravennæ, et Foro Cornelii, et apud ipsum Balthasarem, qui probabiliter ea possidere credebatur, et ea omnia una cum actis, et processu sanctitatis, et miraculorum sancti Petri Chrysologi igni et consumptioni tradidisse ; ne quis ipsius doctrina, concionibus, et commentariis contra Arianos, quibus fuerat lingua calamoque omni tempore infensus , uti valeret ; sanctimoniam, auctoritatem et doctrinam ejusdem Herodes alter adversus suam perfidiam et hæresim pertimescens, Diocletianum secutus, (*c*) qui omnes Christianæ religionis codices jussit comburi, seu Julianum Apostatam , (*d*) qui studia bonarum artium ethnicis Christianisque magistris ademptis Christianæ juventuti improbe eripere conatus est : cum non sit tyrannis depopulatoribus regionum (*e*) seu religionum efficacius machinamentum quam ut libris tamquam firmissimis propugnaculis ipsas exuant. At brevi, Deo vindice, impius hic periit, moxque in sui facinoris pœnam cruciatus gehennæ ignis una cum Herode Joannis Baptistæ necatore merito percepit æternos.

42. Aut pariter Ravennæ circa annum Domini septingentesimum, (*f*) tempore Damiani, trigesimi noni Ravennatum archiepiscopi, dum absumpta incendio episcopi bibliotheca, scripturæ omnes illic repositæ ad unam in cineres sunt redactæ. Quæ vero ex omnibus quæ Chrysologus scripsit remanserunt perpaucæ homiliæ, breves quidem numero verborum, sed graves pondere sententiarum, a B. Felice , quadragesimo Raven. archiepiscopo, concionatore disertissimo, ex præcipuis diversisque locis ac personis maximo labore et industria hinc inde conquisitæ, atque divina voluntate exemplis quibusdam inventis, in unum , licet confuse ac indistincte nullo temporis ordine servato coactæ sunt, tamquam post uberem vindemiam perpauci recollecti racemi, circa annum Domini decimum tertium supra septingentesimum. Quamquam, quæ modo exstant D. Petri homiliæ, non esse easdem numero, ordine et perfectione, quæ a B. Felice editæ fuerunt (*g*) liquido constat ; verum postmodum currentium negligentia temporum, vel librariorum incuria, seu aliquorum invidentia quamplurimas ex ipsis esse deperditas ; et ex iis quæ remanserunt partim obscuratas et contaminatas, et partim adeo mutilas atque perplexas, (*h*) ut ne vix quidem a doctis intelligi queant. Hæ tamen qualescumque existant, usque eo sapientibus probatæ sunt, ut unico sæculi spatio duodeviginti vicibus , quod viderim, typis fuerint demandatæ.

43. Vel forsan antiquius Foro Cornelii circa annum Domini quingentesimum quinquagesimum quartum, (*i*) cum Narses eunuchus, Justiniani Cæsaris præfectus, et suo Domino tandem servus infidelis, ut Ostrogothorum reliquias, quæ ad Forum Cornelii confugerant, seque ibidem necessariis munierant, radicitus exstirparet, ipsum Forum , urbem florentissimam et amplissimam, post longam obsidionem adeptum, ac dira populatione direptum temere et crudeliter igni ferroque funditus evertere ausus est ; eoque postmodum Cæsari indignato Longobardos in Italicum regnum e Pannoniis evocante, (*j*) Clephis illorum rex crudelissimus post sexdecim annorum intervallum juxta veteris Foro Cornelii relicta vestigia, loco tamen ad multos passus mutato, et satis anguste retento, urbem eversam Vatrenum amnem intra se continentem firmissimo ponte super aquas constructo utrinque citissime reædificavit. Cujus castrum ad alteram fluminis ripam a parte austri super adhærentem collem ambitu rotundum munitissima ingentique fultum arce, (*k*) ut Ravennatibus finitimisque civitatibus quasi perpetuum stimulum oppo-neret ; cum ab ejus duritie et firmitate sermone latino *Castrum Immolle*, hoc est castrum durum et quasi ferreum, arcemque hostibus natura et situ obsistentem, tametsi secus molles aquas exstructam, et ipsis undique vallatam appellare jussisset, brevi urbs

(*a*) Rub. hæc de Theodorico circa an. Domini 524. Confirmat. Baron. in Annal. Dolionus in Compend. hist., et pleriq. alii.
(*b*) Ann. Im. Florii Saxi, et aliorum mss.
(*c*) Eus. l. VIII, cap. 2 et 3.
(*d*) Historici omnes in Vita Jul.
(*e*) Joan. Gers. de Laud. Scriptor. c. 9.
(*f*) Rub. l. IV, sub dd. annis. Rod. et mss.
(*g*) Rub. sup. asserit homil. a Felice recollectar. opus adhuc exstare in magna parte.
(*h*) Rod. et mss.
(*i*) Raphael. Vollateran. lib. IV Geogr. Tarcagnot. l. VII Histor. mundi. Dolionus in Compend. Hist. Ann. Imol. mss.
(*j*) Ann. Imol. Blond. Forolivian. l. VIII. Hist. Rub. l. III, an. 577, et alii hist.
(*k*) Rub., Tarcagnot., Dolion., Blond. et plerique alii.

ipsa, arcis, Castrique nomen vulgo adepta, et continua possessione roborata novissime a recentioribus quasi per syncopen, si non corrupto vocabulo, Imola appellari, nec non scriptione notari consuevit. Quamquam D. Cassiano dicatum templum in occidentali parte antiquæ urbis Corneliæ constructum, ubi corpus B. Chrysologi quiescebat, an fuerit ab eversione et incendio exemptum, non satis nostro tempore constat. Hoc tamen pro certo scimus, post urbis excidium ibidem oppidum sanctum Cassianum nuncupatum exædificatum fuisse, ubi et cathedralis ecclesia et episcopale prætorium permanserunt, (*a*) quoad Æmiliani et Bononienses invicem sese bello prementes oppidum illud postremo a Bononiensibus incensum funditus everterunt, præfatamque arcem, seu castellum Immolle a fundamentis in perpetuum sunt demoliti. Unde postmodum ecclesia D. Cassiano dicata, (*b*) sedes episcopalis, et sanctorum corpora multorum illic tumulo tradita in renovatam Imolensium urbem in lacunam translata fuere; inter quæ fuit et corpus B. Petri Chrysologi ad dexteram sepulcri D. Cassiani sub ara propria anno Dom. 1200 collocatum, (*c*) quod antea a Troilo Nordilio cive Imolensi tunc primario inventum in eadem ubi mortem obierat ecclesia tumulo honorificentiori anno Christi 946 circiter fuerat conditum; dum templum ipsum a Barbaris fœdissime conspurcatum instaurandum curavit, et munera non pauca ab Agapito II pontif. max. propter hæc consequi meritus fuit.

44. In nova autem et nunc exstante divi Cassiani in ipsa urbe ecclesia, (*d*) Matthæus Phaellus cathedralis ejusdem præpositus, ex mandato Reverendiss. D. Simonis episcopi sub anno Christi 1497, idem corpus B. Chrysologi sub ara propria conquisitum invenit, attrectavit, recognovit, marmoreoque sarcophago fideliter supra ipsum altare, quod est itidem ad dexteram aræ sancti Cassiani pridie kal. Septembris collocavit; cum ad lævam lapideo loculo supra altare B. Projecti civis Corneliensis et episcopi ossa pariter quiescant; ubi hac sanctorum triade venerato Deo, eorum jugiter patrocinium a civibus imploratur, et exteris non absque ingenti Christianorum fructu et spirituali lætitia ad Altissimi laudem et ejus beatorum venerationem.

AD OPPOSITA RESPONSIO.

Et quamquam ea quæ a nobis de Vita et Actis B. Petri Chrysologi sincere scripta sunt, ex auctoritatibus in margine relatis satis probata videntur, nihilominus, quia nonnulla eorum oppositione non carent, propterea contrariis pro virili satisfacere fuit consilium, quatenus relata veritas clarius elucere, et in ea lectoris animus placide conquiescere queat.

1. Primo igitur Petrum Chrysologum patria Ravennatem, et Ecclesiæ Corneliæ episcopum fuisse, et Blondus Forolivianus, et qui illum transcripsit, (*e*) Jacobus Philippus Bergom. eremitanus, et alii perpauci istorum sectatores affirmant. Sed ni Blondus consueta librariorum incuria male transcriptus habetur, illum toto cœlo errasse aliorum attestationes indicant, qui e patria Corneliensi in archiepiscopum Ravennatem Petrum nostrum electum fuisse tradunt : ipseque Petrus sui ipsius testis omni exceptione major Foro Cornelii educatum, (*f*) sancte institutum, et sacris initiatum a sancto Cornelio illius sedis antistite constanter affirmat, sanctumque Projectum ob præcipuum sui evangelici patris amorem in episcopum ejusdem Fori Cornelii amabilius consecrat : quod utique facere nequivisset, si Chrysologus ipse Cornelianæ Ecclesiæ præsul exstitisset, ut cuicumque liquido constabit, qui sermonem illius in ordine 165, una cum nostris in eum observationibus, legere non dedignabitur.

2. Apud Surium, Rabadan, et alios in Vita Chrysologi habetur, eumdem consecratum episcopum anno Domini 430, et post decennium abiisse. At venia impertienda est scriptoribus istis, cum hæc apud Hieronymum Rubeum in prima Historiæ Raven. editione legentes erraverint in verba magistri. Porro Rubeus ipse in altera ejusdem historiæ editione errata corrigens electionem anno 433, et obitum anno 450, cautius veritate perquisita asseverasse legitur.

3. Antequam Rubeus suam ederet Historiam, plerique homines vitam B. Petri Chrysol. ad Simmachi papæ tempora producere non dubitarunt; cum scriptionem Petri episcopi Ravennatis duobus in conciliis sub eodem pontifice actis inspexissent, (*g*) quæ etiam Petro nostro in more posita erat : nihilominus Rubeus multum multaque legens, ut asseruit, veritatem nactus, non illum qui conciliis subscripsit Chrysologum, sed alium ab ipso Petrum fuisse demonstrat; et seriem antistitum Raven. Ecclesiæ texens, Chrysologo decedenti anno Christi 450, Neonem suffectum usque ad an. 453 affirmat; Neoni Joannem usque ad annum 493, et Joanni Petrum II antistitem natione Raven., qui fuit vigesimus quartus archipræsul illius Ecclesiæ, atque illis conciliis interfuit et subscripsit. (*h*) Id convincitur etiam sensu Baronii ex epistola in ordine 37 S. Leonis papæ sub anno Domini 451, ad Neonem episcopum Raven. data, quod si tunc vixisset Chrysologus, non

(*a*) Habentur hæc pluribus in act. Adm. RR. canonic. in archivo cathedralis ecclesiæ Imolen.

(*b*) Tunc appellabatur Ecclesia Corneliensis, ut legi pluribus in actis, ut supra traditi etiam Glos. et Archid. in can. 12, dist. 63.

(*c*) Flor. Rodulphusque in Vita Chrysologi, in fine.

(*d*) Phaelli attestatio, quam infra retuli. Flor. in Ann. Im. ms.

(*e*) Blond. l. de Italia Illustrata, reg. 6, ubi agit de Bergom. in suppl. Chron. lib. VI, ubi de Ravenna.

(*f*) Serm. 165.

(*g*) Notat., in c. *Concilia sacerdotum*, 17, dist., et dist. 96, c. *Bene*, § eumque leeta esset.

(*h*) Non Petrus Altinas, ut aliqui affirmant, licet et ipse concilio interfuerit.

utique fuisset episcopus Neon. Ex aliis quoque non spernendis rationibus et conjecturis non paucis probat Rubeus supra vera fuisse, quæ de tempore obitus B. Chrysologi narravimus, cui assentit Baronius, ad quos lectores remisisse sufficiat.

4. At quæ diximus prima facie nimis impugnare videntur ipsius Chrysologi verba dicentis sermone 145 : *Christus circa quingentos annos nativitatis suæ causas præstat; ortus sui lites patitur*. Ex quibus in margine ab eo qui primum sermonem edidit, fuit notatum, *Chrysologi ætas*. Nam si, dum hæc ipse protulit verba, anni fore quingenti erant a virgineo partu, quis B. Chrysologum ad illud usque tempus vitam produxisse negaverit ? Verumtamen si prudens lector advertat verba illa fuisse contra Eutychen et ejus hæresim ab Auctore nostro prolata, non alio opportuniori tempore quam dum virus id lethale per Dei Ecclesias serpere cœperat, hoc ipsum actum fuisse fatebitur : sed supra ostensum est hujusmodi hæresim ortam anno Christi 448, a concilio generali Chalcedon. sexcentorum triginta Patrum anno Christi 451 damnatam, et catholicam fidem roboratam exstitisse : unde quod anno 449 B. Petrus Eutycheti litteris rescripsit, eodem tempore populum concionibus instruxit. (*a*) Quod utique post annos quadraginta et ultra a dicto concilio Chalcedon. facere non distulisset. Circa quingentos annos merito dixit, ut de sæculo quingentesimi anni cœpto ac dimidiato, quamquam nec dum completo, loqui videretur ; prout ad ipsum Eutychetem rescribens simili verborum phrase usus videtur, cum dixit : *Christi generatio post tot sæcula disputatione temeraria ventilatur*. Ita ut ad refellendum Eutychen longissimam centenarii numeri præscriptionem adhibens, locum amplificando, morem optimi oratoris usurpasse nemo non videat.

5. Jussu S. Leonis papæ ad Chalcedonense concilium adversus Eutychetis hæresim, præter infra scriptam responsoriam, S. Chrysologum scripsisse, et manuscripta, et impressa multorum documenta testantur, ipsamque epistolam exstare, et ante acta illius concilii descriptam haberi plerique asseverant. Verum hujusce rei veritatem satis curiose perscrutatus solam ad Eutychetem Chrysologi responsoriam epistolam, de qua etiam omnes meminere historici, incipientem : *Tristis legi tristes litteras*, etc., repe- rire potui. Nec tamen tot scriptores alioqui veridicos in hoc omnino conjunctim errasse, sed vera licet involuta dixisse sum jugiter ratus. Quamobrem, hæc quæ sæpius legens meditatus sum, quæso, prudens lector attendat.

6. Constat apud omnes Eutychetem abbatem Constantinop. suam disseminasse hæresim circa an. Dom. 448, eoque tempore a Flaviano illius Augustæ urbis episcopo synodum multorum Patrum fuisse coactam, ut pestifero pro viribus occurreret igni, contraque perfidum ac contumacem abbatem, et ejus hæresim canonice fuisse pronuntiatum. Quod pertinax Eutyches gravissime ferens ope Chrysaphi eunuchi, imperatoris cubiculo præfecti, ob peculiare odium Flaviano infensi, confictis rationibus apud S. Leonem pont. max. per litteras de eodem Flaviano conquestus obtinuit, ut sum. pontif. suis scriptis Flavianum corriperet. Cæterum pontifex brevi receptis a Flaviano epistolis, et totius causæ legitimo processu habito, ipsum abbatem falsa scripsisse, et tamquam hæreticum rite declaratum recteque damnatum exstitisse cognovit. Verumtamen quia de maxima fidei quæstione agebatur, et decretoria responsio sanctissimi in terris Christi vicarii a fidelibus exspectabatur, doctis Patribus de usu Ecclesiæ catholicæ deferentem beatissimum Leonem, ut quæ sentirent audiret, Petrum Chrysologum vel Romam evocasse, quod credibilius est, (*b*) vel saltem processum et acta ad illum, tamquam ad sanctissimum et Latine omnium tunc temporis Patrum doctissimum Græcæque linguæ peritum, transmisisse, ut discusso processu, et tota quæstionis veritate indagata, quæ sibi viderentur pro fidei comprobatione scriberet ; idque Petrum præcipuum catholicæ veritatis magistrum libentissime pro Ecclesia Dei fecisse, nemo mentis compos negabit.

7. His tamen studiosus lector id opponat, quod in concil. Chalced. nusquam apparet epistolam Chrysolog., sed tantum sancti Leonis papæ fuisse lectam, quin et ipse libenter subscribens dicam epist. illam sancti Leonis papæ in ordine 10 incipientem *Lectis dilectionis tuæ litteris*, etc., ab ipsomet Chrysologo fuisse in substantia compositam, ac divo Leoni oblatam : et ne peculiaris Ecclesiæ præsul, sed universalis pastor, et qui B. Petri apostoli sedem tenebat in terris, ut congruum erat, veritatem fidei quærentibus declararet, atque e via veritatis errantem corriperet, proprio sancti Leonis nomine fuisse scriptam, Flaviano episcopo transmissam, omnibus vero catholicis communem. Hinc forsan aliqui negarunt (*c*) ab ipso sancto Leone compositam, cum maxime stylo et doctrina a reliquis ipsius litteris distare videatur. Verumtamen in ea non animadvertentes acumen ingenii, sententiarum doctrinam et eloquentiam, sine ulla, ut arbitror, ratione non Chrysologo nostro, sed alius ascribere non dubitarunt.

8. Non tamen inficior beatum Leonem doctorem maximum et elegantissimum acceptam a D. Petro Ravennate epistolam proprio transcripsisse stylo, et aliqua suo marte ascripsisse; nihilominus in ea non potuit divinum Chrysologi ingenium et ejus acumen omnino celari. Et hæc est illa circularis epistola Flaviano data, et totius quæstionis ventilatæ decretoria a concilio Chalced. 630, Patrum magna veneratione recepta, quam Petrum Chrysologum scripsisse tradunt auctores, (*d*) licet non bene se explicent, vel eorum

(*a*) Serm. 145, et serm. 175.
(*b*) Leg. serm. 75, cum notat.
(*c*) Marcell. Comes in Chron, ait has litteras a S. Prosp. dictatas sancto Leoni papæ. Id ipsum putavit Gennad. de Viris Illustr. cap. 84.
(*d*) Est in concil. Chalced. actio 2, pag. 204, in

scripta ad nostra tempora corrupta pervenerint. Hæcque ex illis ingenii mei diuturna observatio, si adhuc sanam haud est nacta veritatem, fortasse aliquibus argumentum esse poterit, quo saniori judicio illam investigare aveant.

9. Ex dictis de ætate D. Petri satis constat effigiem ipsius nostro tempore ex vero ab aliquibus non fuisse expressam, dum illam non virum quadragenarium, sed senem grandævum repræsentare conspicimus; verumenimvero pictores errore eodem quo scriptores decepti, qui D. Petrum jam ferme centenarium decessisse litteris mandarunt, possent in aliqua parte excusari, si se virum nondum certe quinquagenarium pinxisse dicerent, sed jejuniis, oratione, vigiliis, studio, verberatione, ciliciis, laboribus et lacrymis usque eo extenuatum, ut septuagenarii potius imaginem præ se ferre videretur. Vera igitur et probata ipsius Chrysologi effigies opere vermiculato elaborata visitur Ravennæ in testudine chori metropolitanæ ecclesiæ, quæ virum venerabilem annorum 44 ad summum exprimere videtur, vivida facie, barba subrufa, et libellum præ manibus in signum singularis ejus doctrinæ tenentem.

10. Mirum, si vel dies obitus sanctissimi hujusce viri non esset in quæstione positus : alii enim, ut Petrus de Natalibus, et Baronius in Martyrologio Rom. ac Annal. Eccles., IV nonas Decembris obiisse edixerunt; alii vero, ut Rubeus, et mss. multa, III nonas ejusdem mensis decessisse scripserunt. At si fœdere distinctionis procedamus, nullam prorsus contrarietatem lector offendet. Obiit siquidem D. P. Chrysologus IV nonas Decembris, prope meridiem, ante aram D. Cassiani in templo, ut habent monimenta nostra; at sacrum ejus cadaver nonnisi postera die vesperi fuit sepulturæ mandatum; cumque vetus ecclesiæ nostræ consuetudo perennis exstiterit annuum concelebrandi depositionis diem, quemadmodum et Ecclesia Ravennas, tunc nobiscum conveniens ad Rubei usque tempora id ipsum præstitisse liquet, facili negotio decipi potuere scriptores qui IV nonas litteris decessisse mandarunt, videntes eadem die ab his ecclesiis anniversarios honores D. Petro nostro deferri. Porro Ferrettus et Carrarius historici Ravennates, Floriusque noster, et pervetustum ecclesiæ Imolen. ejusdem sancti Petri officium, diem obitus IV nonas, depositionis autem III, ut diximus, fuisse demonstrant; unde a nostris III, ab aliis IV nonas Decembris annua hujus sacri pontificii recolitur festivitas sancta.

11. Quibusdam sciolis laconismum et breviloquium sanctissimi doctoris nostri haud integre probatum alioquin comperimus, quibus brevitatem distinguentes, alteram probandam, improbandam alteram esse dicimus : primamque esse quæ subjectis rebus proportione respondet, (*a*) ubi tantum verborum est quantum ad subjectam sententiam necesse est exprimendam; hanc certe aliquam apud eruditos obscuritatem parere negamus. (*b*) Secundam vero inæqualem esse, et aliquo ad subjectæ rei expressionem (*c*) carentem, illamque unam tenebras habere non dubitamus, de qua D. Aug. tract. 67 in Joan. inquit : *Est ipsa brevitas altera obscuritas.* At quis non videat brevitatem a Chrysologo in sermonibus adhibitam, ubi textus alterati corruptive non habentur, non solum subjectis rebus proportione adæquatam, (*d*) verum etiam dilucidam, acumine ornatam, et ingeniis eruditis tantopere aptam, ut eam improbare fatuum, si non impium, quisque sapiens judicare queat? Hocque genere dicendi grandiloquo cum ampla et sententiarum gravitate, et majestate verborum apte usum fuisse reor, quia Nazianzeni sensu, (*e*) *Quidquid facile percipitur, facile quoque in contemptum venit; atque in omne quod desiderium nostrum fugit, cupiditatem exercet.* Vel quia hoc genus virtute cæteris præstet, quemadmodum ea quæ de Phocionis brevitate a Plutarcho in Politices scripta feruntur, id apta sunt indicare, dum ait (*f*) : *Phocionis in dicendo brevitatem omnes admirabantur, quippe Polyeuctus Demosthenem aiebat esse oratorem amplissimum, Phocionem vero persuadendo gravissimum : brevissima enim ejus dictione uberrimas sententias contineri. Quamobrem Demosthenes cæteros non magnificiens, solitus dicere traditur ut Phocionem surgere conspexisset : Verborum meorum gladius jam surgit.* Hæc paucula si antea scioli libero meditati fuissent intuitu, forsitan in ferendis judiciis cautiores exstitissent, nec in sua reprehensione reprehensibiles forent.

12. Sermones D. Chrysologi numero centum viginti duo fuisse Sixtus Senensis, (*g*) et ejus in hac parte transcriptor Bellarminus tradiderunt (*h*) : et ni error in transcribendo fuit, codex Senensis truncus omnino fuerit oportet, cum in exemplaribus impressis et multis mss. centum septuaginta sex videantur; (*i*) quamquam ex illis quinque sunt, nempe serm. 53, 107, 128, 129 138 et 149, quos Chrysologum nostrum haud dictasse conjicimus, ut etiam in eos nostræ observationes demonstrant.

13. Et hæc pauca sunt, candide lector, quæ in tanta vetustissimorum temporum, et variantium scriptorum obscuritate diuturnis investigata laboribus scrutator veritatis, non temerarius asseverator, divino afflante Spiritu ego, qui lynceus non sum, vix reperire potui; quæ in unum simpliciter collata, ut vides, ad Omnipotentis gloriam, B. Chrysologi veneratio-

edit. Rom. an. 1609, Græce Latineque retulit Baron. in Annal. tom. VI, an. 449, et nos infra perscripsimus.

(*a*) Arist. de Arte Rhet. lib. III.
(*b*) Cic. l. II ad Quint. fratrem.
(*c*) Horat. ad Pison. de Arte poetica.
(*d*) Flor. in Ann., ubi de Chrysol. agit.
(*e*) Nazianz. orat. 16, de Pauperum Amore; Seneca epist. 76.
(*f*) Apud Granat. in Collect. moralis philosophiæ tom. II, *Etoq.*
(*g*) Lib. IV, Bibl. sanctæ.
(*h*) Descr. Ecclesiast., ubi de Petro Chrysol.
(*i*) In Bibl. Patrum quarta edit. tom. V, in princ., ubi de Pet. Chrysol. meminit Auct., dixit aliquos serm. non fuisse ab eodem dictatos.

nem, ac civium nostrorum spiritalem lætitiam, vel catervas, si quæ futuræ sint, contradicentium æquo animo exspectant, ut multiplicata disquisitione magis magisque summa veritas innotescat, cui una cum viris præclara piaque eruditione præditis perpetuo inhærere valeam, et ob id æternæ immensæque Veritati juges persolvam æterna per sæcula grates.

TESTIMONIA.

Pro majori testificatione aliquorum, quæ supra in Vita Auctoris memoravimus, accipe, candide lector, litteras D. Chrysologi ad Eutychen, epistolam S. Leonis papæ, Dom. Matthæi Phaelli attestationem, aliqua de D. Petro elogia Scriptorum. B. Felicis in aliquot Chrysol. Sermones præfationem, ac Rev. P. Petri Rodulphi episcopi Senogal. epistolam ad senatores Imolenses, ut infra.

I.

Epistola S. Petri Chrysologi *ad Eutychen hæreticum.*

Dilectissimo et merito honorabili filio Eutycheti presbytero Petrus episcopus Ravennæ.

Tristis legi tristes litteras tuas, et scripta mœsta mœrore debito percurri; quia sicut nos pax Ecclesiarum, sacerdotum concordia, tranquillitas plebis gaudere facit gaudio cœlesti; ita nos affligit et dejicit fraterna dissensio, præsertim cum talibus oriatur ex causis. Triginta annis humanæ leges humanas adimunt quæstiones; et Christi generatio, quæ divina lege scribitur inenarrabilis, post tot sæcula disputatione temeraria ventilatur? Quid Origenes principiorum scrutator incurrerit, quomodo Nestorius lapsus sit disputans de naturis non latet prudentiam tuam. Magi Jesum in cunabulis Deum mysticis muneribus confitentur, et sacerdotes, quis sit, qui virginali partu de Spiritu sancto natus est, dolenda interrogatione disquirunt? Cum vagitus daret Jesus in cunis, gloriam in excelsis Deo clamat cœlestis exercitus; et modo, quando in nomine Jesu omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, et infernorum; originis ejus quæstio commovetur? Nos, frater charissime, una cum Apostolo dicimus : *Etsi novimus Jesum secundum carnem, sed nunc jam non novimus* (II *Cor.* v, 16) : nec possumus curiose perscrutari, qui jubemur honorem dare, et timorem reddere, et exspectare, non discutere, quem judicem confitemur. Hæc breviter respondi, frater litteris tuis plura rescripturus, si ad me frater, et coepiscopus noster Flavianus aliqua de hac causa scripta misisset : si enim tibi displicet, quod quidem scribis, tibi ipsi electum judicium; nos quomodo de his judicare poterimus, quos neque vidimus, propter absentiam, et quod intellexerunt eorum taciturnitate nescimus? Justus mediator non est, qui sic unam partem audit, ut nihil alteri parti reservet. In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his quæ a beatissimo papa Romanæ civitatis scripta sunt obedienter attendas; quoniam beatus Petrus, qui in propria sede vivit, et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis et fidei extra consensum Romanæ civitatis episcopi causas audire non possumus. Incolumem tuam dilectionem Dominus tempore longissimo conservare dignetur, charissime, et honoratissime fili.

Exstat hæc Epistola in fine Sermonum *D. Petri Chrysologi in Bibliotheca Patrum 4 edit. tom.* V, *part.* II, *cum notis et variis lectionibus Gerh. Vossii. Est etiam ante acta concil. Chalcedon.* IV *Græce Latineque conscripta, et in Annal. Baron. tom.* VI, *et in Vita Chrysologi a Petro Rodulpho conscripta, et in archivo senatus Imolæ relata.*

II.

Epistola S. Leonis *papæ primi ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum contra Eutychetis perfidiam et hæresim.*

Leo episcopus dilectissimo fratri Flaviano Constant. episcopo.

1. Lectis dilectionis tuæ litteris, quas miramur fuisse tam seras, et gestorum episcopalium ordine recensito, tandem, quid apud vos scandali contigerit atque contra integritatem fidei exortum fuisset, agnovimus : et quæ prius videbantur occulta, nunc nobis reserata esse potuerunt. Quibus Eutyches, qui presbyterii nomine honorabilis videbatur, multum imprudens et nimis imperitus ostenditur, ut etiam de ipso dictum sit a Propheta : *Noluit intelligere, ut bene ageret, iniquitatem meditatus est in cubili suo* (Ps. xxxv, 34). Quid autem iniquius quam impia sapere, et sapientioribus doctioribusque non credere? Sed in hanc insipientiam cadunt qui cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad propheticas voces, non ad Apostolicas litteras, non ad Evangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt. Sed ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuere. Quam enim eruditionem de sacris novi et veteris Testamenti paginis acquisivit, qui nec ipsius quidem Symboli initia comprehendit? Et quod per totum mundum omnium regeneratorum voce depromitur, istius adhuc senis corde non capitur.

2. Nesciens igitur quid deberet de Verbi Dei incarnatione sentire, nec volens ad promerendum intelligentiæ lumen in sanctarum Scripturarum latitudine laborare, illam saltem communem et indiscretam confessionem sollicito apprehendisset auditu, qua fidelium universitas profitetur credere se in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Quibus tribus sententiis omnium fere hæreticorum machinæ destruuntur. Cum enim Deus, et omnipotens, et æternus creditur Pater, consempiternus eidem Filius demonstratur, et in nullo a Patre differens, quia de Deo Deus, de omnipotente omnipotens, de æterno natus est coæternus : non posterior tempore, non inferior potestate, non dissimilis gloria, non divisus essentia; idem vero sempiterni genitoris unigenitus sempiternus natus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Quæ nativitas temporalis illi nativitati divinæ et sempiternæ nihil minuit, nihil contulit, sed totam se reparando homini, qui erat deceptus, impendit : ut et mortem vinceret, et diabolum, qui mortis habebat imperium, sua virtute destrueret. Non enim superare nos possemus peccati et mortis auctorem, nisi naturam nostram ille susciperet et suam faceret : quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere. Conceptus quippe est de Spiritu sancto intra uterum matris virginis, quæ ita illum salva virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate concepit. Sed si hunc de Christianæ fidei fonte purissimo sincerum intellectum haurire non poterat, quia splendorem perspicuæ veritatis obcæcatione sibi propria tenebrarat, doctrinæ se Evangelicæ subdidisset, dicente Matthæo : *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham* (*Matth.* I). Apostolicæ quoque prædicationis expetisset instrumentum, et legens in Epistola ad Romanos, *Paulus servus Jesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I); ad propheticas quoque paginas piam

sollicitudinem contulisset, et invenisset promissionem Dei ad Abraham dicentis : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII). Et ne de hujus seminis proprietate dubitaret, secutus fuisset Apostolum dicentem : *Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit et seminibus quasi in multis; sed, quasi in uno, et semini tuo, quod est Christus* (*Galat.* III). Isaiæ quoque prædicationem interiore apprehendisset auditu dicentis : *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus* (*Isai.* VII). Ejusdemque prophetæ fideliter verba legisset : *Puer natus est nobis, filius datus est nobis, cujus potestas super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Princeps pacis, Pater futuri sæculi* (*Isai.* VII). Hæc frustratorie loquens ita Verbum diceret carnem factum, ut editus utero Virginis Christus haberet formam hominis, et non haberet materni corporis veritatem. An forte ideo putavit Dominum nostrum Jesum Christum non nostræ esse naturæ, quia missus ad beatam Mariam semper virginem angelus ait : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque, et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Lucæ* II); ut quia conceptus Virginis divini fuit operis, non de natura concipientis fuerit caro concepti? Sed non ita nobis intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis, et mirabiliter singularis, ut per novitatem creationis proprietas remota sit generis. Fecunditatem enim Mariæ virgini Spiritus sanctus dedit : veritas autem corporis sumpta de corpore est, et *Ædificante sibi sapientia domum* (*Prov.* IX), *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I), hoc est in ea carne quam assumpsit ex homine, et quam spiritus vitæ rationalis animavit.

3. Salva igitur proprietate utriusque naturæ, et in unam coeunte personam, suscepta est a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas; et ad resolvendum conditionis nostræ debitum natura inviolabilis naturæ est unita passibili, ut, quod nostris remediis congruebat, unus atque idem mediator Dei et hominum homo Jesus Christus, et mori posset ex uno, et mori non posset ex altero. In integra ergo veri hominis perfectaque natura est Deus totus in suis, totus in nostris. Nostra autem dicimus, quæ in nobis ab initio Creator condidit, et quæ reparanda suscepit. Nam illa, quæ deceptor intulit, et homo deceptus admittit, nullum habuere in Salvatore vestigium. Nec quia communionem humanarum subiit infirmitatum, ideo nostrorum fuit particeps delictorum. Assumpsit formam servi sine sorde peccati, humana augens, divina non minuens : quia exinanitio illa, qua se invisibilis visibilem præbuit, et Creator ac Dominus omnium rerum unus voluit esse mortalium, inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis. Proinde qui manens in forma Dei fecit hominem, idem in forma servi factus est homo. Tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura. Et sicut formam servi Dei forma non adimit : ita formam Dei servi forma non minuit. Nam qui gloriabatur diabolus hominem sua fraude deceptum divinis caruisse muneribus, et immortalitatis dote nudatum duram mortis subiisse sententiam, seque in malis suis quoddam de prævaricationis consortio invenisse solatium, Deum quoque justitiæ exigente ratione erga hominem, quem in tanto honore condiderat, propriam mutasse sententiam; opus fuit secreti dispensatione consilii, ut incommutabilis Deus (cujus voluntas non potest sua benignitate privari) primam erga nos pietatis suæ dispensationem sacramento occultiore compleret, et homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam contra Dei propositum non periret.

4. Ingreditur ergo hæc mundi infima Filius Dei de cœlesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine, quia invisibilis in suis visibilis factus est in nostris; incomprehensibilis voluit comprehendi. Ante tempora manens esse cœpit ex tempore. Universitatis Dominus servilem formam obumbrata majestatis suæ immensitate suscepit. Impassibilis Deus non dedignatus est esse homo passibilis, et immortalis mortis legibus subjacere. Nova autem nativitate generatus, quia inviolata virginitas concupiscentiam nesciens carnis materiam ministravit. Assumpta est igitur de matre Domini natura, non culpa : nec in Domino Jesu Christo ex utero virginis genito, quia nativitas est mirabilis, ideo nostræ est naturæ dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo, et nullum est in hac unitate mendacium, dum invicem sunt et humilitas hominis, et altitudo deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est, et carne exsequente, quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis. Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit. Unus enim idemque est, quod sæpe dicendum est, vere Dei Filius, et vere hominis filius : Deus per id, quod *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;* homo per id, quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis :* Deus per id, quod *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil;* homo per id, quod *Factum est ex muliere, factus sub lege.* Nativitas carnis manifestatio est humanæ naturæ : Partus Virginis divinæ est virtutis indicium. Infantia parvuli ostenditur humilitate venarum. Magnitudo Altissimi declaratur vocibus angelorum. Similis est rudimentis hominum, quem Herodes impius molitur occidere. Sed Dominus est omnium, quem Magi gaudent suppliciter adorare. Jam eum ad præcursoris sui Joannis baptismum veniret, ne lateret quod carnis velamine tegeretur, vox Patris de cœlo intonans dixit : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Matth.* IV). Quem itaque sicut hominem diabolica tentat astutia, eidem sicut Deo angelica famulantur officia. Esurire, sitire, lassescere, atque dormire evidenter humanum est : sed et de quinque panibus quinque millia hominum satiare, et largiri Samaritanæ aquam vivam, cujus haustus bibenti præstat ne ultra jam sitiat; et supra dorsum maris plantis non subsidentibus ambulare, et elationes fluctuum increpata tempestate consternere, sine ambiguitate divinum est. Sicut ergo, ut multa præteream, non ejusdem naturæ est flere miserationis affectu amicum mortuum, et eumdem remoto quatriduanæ aggere sepulturæ ad vocis imperium excitare redivivum; aut in ligno pendere, et in noctem luce conversa omnia elementa tremefacere; aut clavis transfixum esse, et paradisi portas fidei latronis aperire : ita non ejusdem naturæ est dicere : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X); et dicere : *Pater major me est* (*Joan.* XIV). Quamvis enim in Domino Jesu Christo Dei et hominis una persona sit; aliud tamen est, unde contumelia in utroque communis, aliud, unde communis est gloria. De nostro enim illi est minor Patre humanitas, de Patre illi est æqualis cum Patre divinitas.

5. Propter hanc ergo unitatem personæ in utraque natura intelligendam, et Filius Hominis legitur descendisse de cœlo, cum Filius Dei carnem de ea Virgine, de qua est natus, assumpserit. Et rursus Filius Dei crucifixus dicitur, ac sepultus cum hæc non in divinitate ipsa, qua unigenitus consempiternus, et consubstantialis est Patri, sed in naturæ humanæ sit infirmitate perpessus. Unde unigenitum Filium Dei crucifixum et sepultum omnes etiam in symbolo confitemur secundum illud Apostoli, *Si enim cognovissent, numquam Dominum majestatis crucifixissent* (I *Cor.* II). Cum autem ipse Dominus noster, atque Salvator fidem discipulorum suorum suis interrogationibus erudiret, *Quem*, inquit, *dicunt homines esse Filium Ho-*

mnis (*Matth.* XVI)? Cumque illi diversas aliorum opiniones retexissent, *Vos autem*, ait, *quem me esse dicitis?* Me utique, qui sum Filius Hominis, et quem in forma servi, atque in veritate carnis aspicitis, quem me esse dicitis? Ubi B. Petrus divinitus inspiratus, et confessione sua omnibus gentibus profuturus, *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi.* Nec immerito beatus est pronuntiatus a Domino, et a principali petra soliditatem et virtutis traxit, et nominis, qui per revelationem Patris eumdem et Filium Dei est confessus, et Christum : quia unum horum sine alio receptum non proderat ad salutem : sed æqualis erat periculi Dominum Jesum Christum aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo solum hominem credidisse. Post resurrectionem vero Domini, quæ utique veri hominis fuit, quia alter non est resuscitatus quam qui fuerat crucifixus, et mortuus, quid aliud quadraginta dierum mora gestum est, quam ut fidei nostræ integritas ab omni caligine mundaretur? Colloquens enim cum discipulis suis, et cohabitans, atque convescens, et pertractari se diligenti curiosoque contactu ab eis quos dubietas perstringebat admittens, ideo et clausis ad discipulos januis introibat, et flatu suo dabat Spiritum sanctum, et donato intelligentiæ lumine sanctarum Scripturarum occulta pandebat : et rursus idem vulnus lateris, fixuras clavorum, et omnia recentissima passionis signa monstrabat dicens : *Videte manus meas et pedes, quia ego sum : palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV). Ut agnosceretur in eo proprietas divinæ humanæque naturæ individua permanere; et ita sciremus Verbum hoc non esse quod carnem, et ut unum Dei Filium et Verbum confiteremur, et carnem. Quo fidei sacramento Eutyches iste nimium æstimandus est vacuus, qui naturam nostram in Unigenito Dei nec per humilitatem mortalitatis nec per gloriam resurrectionis agnovit. Nec sententiam B. apostoli et evangelistæ Joan. x pavit dicentis : *Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est : Et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est Antichristus* (I *Joan.* IV). Quid autem est solvere Jesum, nisi humanam ab eo separare naturam, et sacramentum fidei, per quod salvati sumus, impudentissimis evacuare figmentis? Caligans vero circa naturam corporis Christi, necesse est ut etiam in passione ejus eadem obcæcatione decipiat. Nam si crucem Domini non putat falsam, et susceptam pro mundi salute, supplicium verum fuisse non dubitat, cujus credit mortem agnoscat et carnem. Nec diffiteatur nostri corporis hominem, quem cognoscit fuisse passibilem : quoniam negatio veræ carnis negatio est etiam corporeæ passionis. Si enim Christianam suscepit fidem, et a prædicatione Evangelii suum non avertit auditum, videat quæ natura transfixa clarius pependerit in crucis ligno, et aperto per militis lanceam latere crucifixi intelligat, unde sanguis et aqua effluxerint, ut Ecclesia Dei et lavacro rigaretur, et poculo. Nec transitorie legat ejusdem Apostoli verba dicentis : *Scientes quod non corruptibilibus argento et auro redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni contaminati, et immaculati Jesu Christi* (I *Petr.* I). B. quoque Joannis Apostoli testimonio non resistat dicentis : *Et sanguis Jesu Christi Dei emundat nos ab omni peccato* (I *Joan.* I). Et iterum ; *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra; et quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei? Hic est qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus : non in aqua solum; sed in aqua et sanguine. Et spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas. Quia tres sunt qui testimonium dant, spiritus, aqua, et sanguis; et hi tres unum sunt* (I *Joan.* V). Spiritus utique sanctificationis, et sanguis redemptionis, et aqua baptismatis : quæ tria unum sunt, et individua manent, nihilque eorum a sui connexione sejungitur, quia catholica Ecclesia hac fide vivit, ac proficit, ut in Christo Jesu nec sine A vera divinitate humanitas, nec sine vera credatur humanitate divinitas.

6. Cum autem ad interrogationem examinis vestri Eutyches responderit dicens : Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post adunationem vero unam naturam confiteor; miror tam absurdam tamque perversam ejus professionem nulla indicantium increpatione reprehensam, et sermonem nimis insipientem nimisque blasphemum ita omissum, quasi nihil quod offenderet esset auditum; cum tam impie duarum naturarum ante incarnationem unigenitus Dei Filius fuisse dicatur, quam nefarie, postquam Verbum caro factum est, natura in eo singularis asseritur. Quod ne Eutyches ideo vel recte, vel tolerabiliter æstimet dictum, quia nulla vestra est sententia confutatum, sollicitudinis tuæ diligentiam commonemus, frater charissime, ut, si per inspirationem misericordiæ Dei ad satisfactionem causa perducitur, imprudentia hominis imperiti etiam hac sensus sui macula per te purgetur. Qui quidem B sicut gestorum ordo patefecit, pene cœperat a sua persuasione discedere, cum vestra sententia coarctus profiteretur se dicere quod ante non dixerat, et ei fidei acquiescere cujus prius fuisset alienus. Sed cum anathematizando impio dogmati noluisset præbere consensum, intellexit eum fraternitas vestra in sua permanere perfidia, dignumque esse qui judicium condemnationis exciperet. De quo si fideliter atque utiliter doleat, et quam recte mota sit episcopalis auctoritas vel sero cognoscit; vel si, ad satisfactionis plenitudinem, omnia quæ ab eo male sunt sensa viva voce et præsenti subscriptione damnaverit, non erit reprehensibilis erga correctum quantacumque miseratio : quia Dominus noster verus et bonus Pastor, qui animam suam posuit pro ovibus suis (*Joan.* X), et qui venit animas hominum salvare, non perdere (*Luc.* IX), imitatores nos vult esse suæ pietatis; ut peccantes quidem justitia coerceat, conversos autem misericordia non repellat. Tunc enim demum fru- C ctuosissime fides vera defenditur, quando etiam a sectatoribus suis opinio falsa damnatur. Ad omnem vero causam pie ac fideliter exsequendam fratres nostros Julianum episcopum et Renatum presbyterum tit. S. Clementis, sed et filium meum Hilarium diaconum vice nostra direximus, quibus Dulcitium notarium nostrum, cujus fides nobis est sæpe probata, sociavimus, confidentes ad futurum Divinitatis auxilium, ut is qui erraverat, damnata sensus sui pravitate, salvetur. Deus te incolumem custodiat, frater charissime. Data idibus Junii, Asterio et Protogene viris clarissimis consulibus, æra 486.

III.

Epistola MATTHÆI PHAELLI *cathedralis ecclesiæ Imolensis præpositi, transumpta ex tabella ipsius manuscripta qua testatur se corpus B. Petri Chrysologi attrectasse.*

Matthæus Phaellus præpositus Corneliæ urbi salutem.

Tibi gratulor, et mihi gaudeo, Cornelia parens, D tantum me pignus hic fodiendo comperisse, Chrysologi scilicet concivis nostri corpus, quod tu forsitan dubitans quandoque hic latere titubasti. Id igitur ego Matthæus Phaellus hujus ædis præpositus licet indignus plena fide confiteor a quatricentesimo quinquagesimo quinto anno, etc., honorifice sepultum propriis manibus attrectasse, juxtaque reverendi Patris et D. Domini Simonis Imolensis episcopi isthoc sarcophago fideliter collocasse anno Domini nostri Jesu Christi 1497, die vero vigesima nona Augusti, seu sextilis, sedente clementiss. Patre Domino Alexandro VI pontif. max. et præsiden. illustriss. D. Catharina Sfortia, et præclarissimo primogenito D. Octaviano vicecomite de Riario Imolæ, Forolivii quæ pro S. Rom. Eccl. vicar. Rogitemus itaque, Cornelienses, pientissime summum illum, maximum, cunctipotentem Deum, ut gregem suum Imolensem Pastor verus non deserat; sed per merita sanctorum omnium,

quos nostræ urbis civitas humilissime colit, nos a bellorum turbine protegat, vesana fame tueatur, et a dira peste incolumes conservare dignetur, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Ergo precor, præsul, qui nunc tua templa recondo.
Sis mihi, sisque tuo propitius populo.

IV.

Eximii Doctoris PETRI CHRYSOLOGI *Vitæ Elogium ex* JOANNE TRITEMIO *religiosissimo viro abbate Spanhemensi de Ecclesiasticis Scriptoribus.*

Petrus archiepiscopus Ravennas vir eruditus atque sanctissimus, in vita multis coruscans miraculis in declamandis homiliis ad populum excellentis ingenii fuit; multosque tam verbo quam exemplo ad veritatis tramitem convertit. Multa scripsit pro ædificatione fidelium, de quibus feruntur : *Sermones, et Homiliæ plures lib. I; Ad Eutychen Epistola, quæ incipit : Tristis legi tristes litteras. Scripsit etiam Epistolas alias. Claruit sub Mart. Aug.*

V.

Epistola nuncupatoria R. P. AGAPITI VICENTINI *Canon. Lateran. Ordin. Rectoris. Ad Em. Card. Herculem Gonzagam, ante sermones ipsius Chrysologi ejus studio primum Bononiæ impressos an. Dom.* 1534 *relata.*

Cum mihi sanctissimi pariter ac eloquentissimi viri Petri Chrysologi Ravennatis archiepiscopi sermones quamplurimi, omni certe auro gemmisque pretiosissimis longe pretiosiores, in manus venerint, non injuria in avaritiæ crimen vocandus judicarer, si aut diutius clarissimis rebus tenebras obduci permitterem, aut nostros homines tam excellentis ingenii monimentis non sine magno eorum incommodo detrimentoque spoliatos atque orbatos æquo animo sustinerem : cum præsertim, ut quidam inquit sapiens, non plus utilitatis afferat hominum generi abscondita sapientia, quam aut gemmæ reconditæ, aut invitus defossusque thesaurus. Propterea ut, quantum in me est, non solum mihi, sed aliis etiam prosim, eos nunc demum Chrysologi sermones in publicum proferre statui : quandoquidem in his nihil non eruditum, non excellens, non absolutum offendas. Tanta est enim hujusce viri divinarum omnium humanarumque rerum cognitio, tamque incredibilis ac propemodum divina dicendi vis, tantaque copia, ut neminem satis admiraturum putem, cum eum viderit aureum illud eloquentiæ flumen effundentem. Nam sive occulta atque abdita divinorum oraculorum sensa conetur explicare, quis hoc homine subtilior? sive cœlestis ac salutaris disciplinæ velit rationes reddere, quis illo scientior? aut ad virtutem cohortari cupiat, quis ardentior? aut a vitiis revocare studeat, quis acrior? Denique vel claros viros contendat in cœlum laudibus efferre, quis gravior? vel in improbos invehi, quis vehementior? Unde non immerito Chrysologus a nostris et habitus est, et nominatus. Cujus tamen in perpurgandis ac potius instaurandis hisce sermonibus, incredibile dictu est, quantum laboris susceperim : propterea quod is codex, quem principio nacti fuimus, proximorum sæculorum inscitia quadam quasi rubigine ita cum fœdatus erat, tum mancus, ut nulla ferme in eo pars integra, atque incorrupta reperiretur. Verum nos quantum ex antiquorum exemplarium collatione assequi potuimus, opem auxiliumque afferre conati sumus. Quare effectum est, nisi mea me fallit opinio, ut disertissimi hujusce viri scripta in pristinum jam bene nitorem, nonnullis tamen exceptis, restituta sint.

Cætera omittuntur, quæ ad rem non faciunt.

VI.

B. FELICIS, XL *Ravennatum archiepiscopi, in Sermones aliquot S. Petri Chrysologi Præfatio.*

Ex mss. *codicibus Serm. Chrysol. Valicellæ, Cæsenæque et alibi.*

Divina charismatum dona de cœlesti thesauro prolata dum largis virtutum mysteriis religiosa corda uberrime replevere, ita suavitatem sancti Spiritus odorifica narratione distribuunt, ut et manifestis pandantur elogiis, et ornamenta salutis existant, juxta Domini vocem in sacris Evangelii paginis intonantem : *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII, 38). Et iterum : *Aperi os tuum, et implebo illud* (*Psal.* LXXX). Et Salomon : *Spiritus dabit sapientiam quærentibus se : Et docentium linguas fecit disertas* (*Prov.* II; *Sap.* XI). Quamobrem venerabilis beatusque pontifex Petrus Ravennatis Ecclesiæ præfulgidum decus, et catholicæ veritatis præcipuus doctor, calore superni amoris accensus, et rigatione perennis gratiæ irroratus, digno eloquii sui ornamento vernantium lectionum opuscula de singulis Evangeliorum parabolis polito sermone conficiens delectabili dulcedine aures omnium replevit, et corda. Proinde, dilectissimi, pastoris tanti intenta et anxia mente scripta legamus, et ardenti desiderio ulnis spiritalibus amplectamur; quatenus fructum laboris in nostræ mentis cellario recondentes simul cum eo magnificæ laudis gloria perfruamur, et præmia æterni muneris capiamus.

Hoc humilis præsul Felix de pauperculo cordis cellario sermone exiguo legentibus obtulit munus, finis.

VII.

Epistola R. P. F. PETRI RODULPHI TUSSIGNANENSIS *ad senatores Imolæ relata in Commentariis ipsius Senatus anno Domini* 1595.

Illustribus et nobilibus viris DD. confalonerio, conservatoribus, ac senatui Imol. F. Petrus Rodulphus Tussignanensis, episcopus Senogalliensis et comes, salutem atque felicitatem.

Piam sane et salutarem personaque vestra dignissimam cogitationem audivi nunc vobis in animo versari de beatiss. Petri Chrysologi, civis olim nostri, clarissimis ingenii monumentis in lucem revocandis Quod quidem non modo summopere mihi probatur, qui video vos tum civi de patria vel potius de tota Christiana republica benemerito parem pro viribus gratiam rependere, tum vero universis sacrarum litterarum studiosis hoc pacto prodesse; verum etiam ut ad sanctum propositum urgendum et celeriter absolvendum vos adhortor, eo magis impellor, quod inter omnes constat, vel imperitorum negligentia temporum, vel librariorum injuria, seu forsan nonnullorum invidentia factum esse ut ejus doctissima atque sanctissima scripta partim obscurata, partim sint deperdita; quæ vero sunt relicta, quasi naufragio tam corrupta, et contaminata, ut vix legi, quædam etiam adeo perplexa, et involuta, ut vix intelligi queant. Præterea ut ego communis patriæ nostræ beneficentiæque vestræ debita veluti gratiarum munera persolverem, ipsius vero Chrysologi manibus gratum officium præstarem, non ab re facturum me putavi, si vestrum istud consilium aliquo meo labore et industria adjuvarem. Adjumentum autem nullum afferri posse majus a me comperi, quam auctoris hujus homiliis, quoad fieri possit, corrigendis et emendandis, ut ab omni, quam adhuc inter sordes et tineas passæ sunt, iujuria vindicentur : sicque ab earum lectione, qua, propter auream scriptoris eloquentiam, unde cognomen adeptus est, summi et egregii viri antea sunt delectati, nullus posthac refugiat. Vitam quoque hujus sanctiss. viri qua potui brevitate ac diligentia descripsi. Pervolutavi hac de causa antiqua veteraque tabularia, quæ vel ex Vaticana, vel ex ampliss. Serletana bibliotheca habere potui; sicque fideliss. vetustissimorum codicum collatione adhibita, hunc B. Petri Chrysologi sermonum librum quam diligentissime emendare, sanareque laboravi, et proprio nitori prope restituere. Denique nullo officii pietatisque genere omisso, non antea conquievi, quam scholia quædam adjecerim, observationesque plurimas, quibus, et emendationum nostrarum ratio affertur, et difficil-

liora loca quam facillime explicantur. Hoc autem quidquid laboris est, quod libentissime vobis clarissimis viris dedicatum, et grati animi ergo consecratum, volo, alacri vultu accipite, ac si probatur, edite, meique memores valete.

Senogalliæ pridie idus Martii 1594.

SCHOENEMANNI NOTITIA

IN QUA

LOCUS, TEMPUS ET FORMA OMNIUM EDITIONUM S. PETRI CHRYSOLOGI INDICANTUR.

Multis jam edissertis de vita et operibus B. Petri Chrysologi, non erit forte ingrata lectori de scriptorum S. Patris editionibus notitia sequens: quam nomen et ætas Auctoris eximiam et universam sat pollicentur. EDIT.

Dictum est, *sermonum* Petri Chrysologi *collectionem*, qualem modo indicavimus, esse antiquissimam, upote quæ a Felice Ravennatensi et ipso episcopo numero XLI, ineunte sæculo octavo (tenuit enim sedem episcopalem ab anno circiter 707 usque ad a. 717) instituta et prologo ornata est, qui non solum in codicibus mss. sermonibus præfixus conspicitur, sed exinde etiam exscriptus et Vitæ Petri a Dominico Mita conscriptæ adjectus est (*a*). Eam octingentis et quod excurrit sæculis post a situ primus vindicavit *Agapitus Vicentinus* et *Bononiæ typis Jo. Bapt. Phaelli* ex unico codice imprimendam dedit. Inde recusa est *ColoniæAgrippinæ* a. 1541 et 1618; *Parisiis*, 1574, 1585, 1612, 1614, 1618, 1631, 1633; *Antuerpiæ*, 1577; *Venetiis*, 1588 et 1636; *Moguntiæ*, 1607 et 1613; *Lugduni*, 1622, 1623, 1627, 1634, 1636; sed plures undique ab officinarum negligentia maculas vitiaque contraxit. Novam recensionem ad manuscriptos quosdam codices Romæ inventos exactam paraverat Petrus Rodulphius, Tussignanensis, olim Senogalliæ præsul, eamque scholiis suis illustratam a. 1594 editionis causa obtulerat senatui Imolensi. Ac litteræ ejus quidem in Commentaria senatus relatæ sunt, sed quid codici isti acciderit, ignoratur (*b*). Perfecit tamen novæ editionis consilium *Dominicus Mita*, textumque ad vetustos codices recognitum et scholiis suis non admodum doctis enucleatum proposuit *Bononiæ* a. 1643 *in*-4°. Sed hujus editionis fructus ad Gallos quidem et Germanos non pervenerunt, quippe qui non cessarunt antiquiora exemplaria iterato describere, licet non deessent, qui meliora optarent. Erant enim, quos Chrysologi dictio delectaret, et qui acumen quoddam sententiarum in eo admirarentur. Fertur quoque doctus aliquis Suecus *Zacharias Lundius* commentarios variarum lectionum et animadversionum in Chrysologum condidisse, qui lucem quidem non viderunt, sed Jo. Alb. Fabricii tempore mss. servabantur Hafniæ apud Rostgaardum (*c*). Enimvero in Italia ipsa Mitæ editio nonnisi post integrum fere sæculum, iterum typis Venetis anno 1740 exscripta est. Novæ postea editionis adornandæ consilium invasit *Sebastianum Pauli* sacerdotem congregationis Matris Dei Lucensis, qui quidem non vulgares res a multifaria sua doctrina exspectari jussit. Prodiit opus Venetiis a. 1750 collaudatum a Mansio, quem nemo justum hac in re arbitrum reputari oportere inficiabitur; tametsi justam editoris diligentiam in quibusdam, quæ idem de eo retulit, desideres.

Epistolæ ad Eutychetem duplicem vulgo tradunt exstare editionem, *unam* in S. Leonis M. editionibus Quesnelliana anterioribus, in qua totum caput secundum post verba, *Hæc breviter respondi, frater, litteris tuis*, desit; *alteram* integram, quam primus ediderit *Gerardus Vossius* a. 1604. Qua in re tanto magis fides habenda esse videtur Quesnello, cum addit priorem descriptam esse ex codice ms. Bibliothecæ Thuaneæ; quem etiam bona fide secuti sunt Ballerinii.

Nihilominus hæc falsa sunt. Quippe nulla est Leonis M. ante Quesnellum editio, in qua hæc epistola occurrat. Experientia hoc edocti sumus, et ne nos ipsi fefellisse credamus faciunt indices ordinem Epistolarum in editionibus superioribus repræsentantes, in Quesnelliana juxta quam Balleriniorum editione obvii (*d*). Sed nec magis verum est alterum, quod idem Quesnellus scripsit, integram epistolam a Ge-

(*a*) Eumdem quoque Casim. Oudinus inseruit Commentariis T. I, p. 1251.

(*b*) Exhibet epistolam istam Dominicus Mita in appendice documentorum ad Vitam Petri Chrysologi. Audivisse se significat Rodulphius, senatum Imolensem consilium cepisse civis sui præclarissima ingenii monumenta in lucem revocandi. Se pro viribus labore suo et industria id adjuvare velle, *Adjumentum autem*, inquit, *nullum afferri posse majus a me comperi, quam auctoris hujus homiliis, quoad fieri possit, corrigendis et emendandis, ut ab omni, quam adhuc inter sordes et tineas passæ sunt, injuria vindicentur; sicque ab earum lectione ... nullus posthac refugiat. Vitam quoque hujus sanctissimi viri, qua potui brevitate ac diligentia, descripsi. Pervolutavi hac de causa antiqua veteraque tabularia, quæ vel ex Vaticana vel ex ampliss. Scrletana bibliotheca habere potui; sicque fidelissima vetustorum codicum collatione adhibita, hunc Petri Chrysologi Sermonum librum quam diligentissime emendare sanareque laboravi, et proprio nitori prope restituere. Denique nullo officii pietatisque genere omisso, non antea conquievi, quam scholia quædam adjecerim, quibus et emendationum nostrarum ratio affertur et difficiliora loca quam facillime explicantur. Hoc autem quidquid laboris est, quod libentissime vobis dedicatum et grati animi ergo consecratum volo, alacri vultu accipite, ac si probatur, edite, meique memores valete.*

(*c*) Fabricius in Bibl. M. et Inf. Lat.

(*d*) Neve aliquis putet Quesnellum editiones Leonis operum cum editionibus Petri Chrysologi una cum Leone M. evulgatis confudisse; etiam in his, quotquot eam repræsentarent, integrum epistolæ exemplum non deesse monemus.

rardi Vossii editione demum esse profectam. Etenim A dudum ante integra Latine legebatur in Actis concilii Chalcedonensis, quæ ipse Vossius laudat. Dicendum potius, in quibusdam mss. codicibus, quorum fontes monstrarunt Ballerinii, inveniri hanc epistolam dimidio breviorem et capite secundo a laudatis verbis carentem; sed editorum textus sanior ex actis concilii Chalcedonensis profluxit.

SÆCULO XVI.

1534. *Bononiæ, ex typographia Jo. Bapt. Phaelli; in-4°.* S. Petri Chrysologi Sermones.....

Editor P. *Agapitus* Vicentinus Canon. Lateran. ordin. rector inscripsit hosce sermones cardinali Herculi Gonzagæ, deque sua in edendo opera hæc præfatus est: *Cum mihi sanctissimi pariter ac eloquentissimi viri Petri Chrysologi Ravennatis episcopi Sermones quam plurimi, omni certe auro, gemmisque pretiosiores in manus venerint, non injuria in avaritiæ crimen vocandus judicarer, si aut diutius clarissimis rebus tenebras obduci permitterem: aut nostros homines tam excellentis ingenii monimentis non sine magno eorum incommodo detrimentoque spoliatos atque orbatos æquo animo sustinerem:.... cujus tamen in perpurgandis ac potius instaurandis hisce sermonibus, incredibile dictus est, quantum laboris susceperim: propterea, quod is codex, quem principio nacti fuimus, proximorum sæculorum inscitia quadam quasi rubigine ita cum fœdatus erat, tum mancus, ut nulla ferme in eo pars integra atque incorrupta reperiretur. Verum nos quantum ex antiquorum exemplarium collatione assequi potuimus, opem auxiliumque afferre conati sumus. Quare effectum est, nisi mea me fallit opinio, ut disertissimi hujus viri scripta in pristinum jam bene nitorem, nonnullis tamen exceptis, restituta sint.* Notatur hæc editio oppido rarissima, in Catalogo Bibl. Barberinianæ et Pinellianæ. B C

1538. *Coloniæ, apud Petrum Quentel; in-fol.* Epistola *integra* Petri Ravennatis episcopi ad Eutychem abbatem; in *Præambulis Conc. Chalcedonensis;* in ed. *Conciliorum Petri Crabbe* tom. I, fol. CCCXCIV.

1541. *Coloniæ Agrippinæ; in-fol.* S. Petri Chrysologi... Sermones. Laudat hanc ut superiorem quoque Dominicus Mita, et ex eo Jo. Alb. Fabricius in Bibl. M. et Inf. Lat. qui voluminis formam ascripsit. Notatur in Cat. Bibl. Bodl. abs voluminis forma. D

1544. *Parisiis; in-8°.* S. Petri Chrysologi.... Sermones. Commemorat hanc descriptionem Fabricius l. I, additque in Autographis Rudolphinis, tom. I, p. 467, eam præter rem pro prima venditari. At in *Cod. Bibl. Bodleianæ* exstat editio Parisiis 1545, in-8°, quæ eademne sit, an diversa, nescio.

1574. *Parisiis, apud Hieronym. de Marnef; in-8°.* S. Petri Chrysologi Sermones.

In hanc editionem emendationes suas scripsit Latinus Latinius. Fabricius *octonis* factam esse prodidit. Apud Dom. Mitam laudatur editio Parisiensis a. 1575.

1577. *Antuerpiæ.....* Petri Chrysologi Sermones. Laudat Mita in præfatione.

1579. *Coloniæ Agrippinæ, apud Jo. Carolum Münnich;* in-4°. Editio Sermonum Petri Chrysologi et Maximi Taurinensis quæ hunc annum operarum vitio in titulo gerit, ad sequens sæculum referri debet.

1585. *Parisiis, apud Hieron. de Marnef; in-8°.* D. Petri Chrysologi archiepiscopi Ravennatis opus Homiliarum *nunc primum editum* (sic).

1588. *Venetiis.* Petri Chrysologi Sermones. Teste Mita l. l.

SÆCULO XVII.

1604. *Moguntiæ, apud Balthas. Lippium sumpt. Ant. Hierat; in-4°.* Petri Ravennatis seu Chrysologi epistola contra Eutychen, Græce et Latine cum notis *Gerardi Vossii* D. et præpositi Tungrensis; in *Miscellaneis SS. aliquot Patrum Græcorum et Latinorum antehac non editis;* adjectis *Operibus Gregorii Thaumaturgi*, pagg. 205-8. Græca ad cod. ms. card. Sirleti, Latina ex codd. Vaticanis num. 2574, 2576 et 2580, edita sunt. Ac in prioribus duobus non nisi prior pars Epistolæ exstabat.

1606. *Coloniæ, Agr. sumptib. Jo. Gymnici et Ant. Hierat; in-fol.* Petri Ravennatis Epistola ad Eutychen Lat. in *Sev. Binii Conciliis*, t. II, ab initio, inter Epistolas præambulares in Conc. Chalced. œc.

1607. *Moguntiæ; in-8°.* S. Petri Chrysologi Sermones. Laudat hanc editionem usu sibi cognitam Christianus Daumius.

1609. *Romæ, ex typogr. Vatic.; in-fol.* Petri Ravennatis Epistola ad Eutychen, Gr. Lat.; in *Concil. gen.* Eccl. Cathol. t. II, p. 22. Græca ad codices mss. Bibl. Vaticanæ, Sfortianæ, Columnensis, olim card. Sirleti et Ant. Augustini archiep. Tarraconensis descripta sunt.

1612. *Parisiis, apud Hieron. de Marnef; in-8°.* D. Petri Chrysologi opus Homiliarum sive Sermones CLXXVI. Accessit ejusdem Epistola ad Eutychen presbyterum Græce et Latine, cum notis et variis lectionibus ex mss. Vatic. et cardin. Sirleti edita. Cat. Bibl. Reg. Paris., cujus exemplari passim additæ sunt emendationes ex ms. codice studio T. Mantelli.

1613. *Moguntiæ.....* Petri Chrysologi Sermones. Dom. Mita in Præf.

1614. *Parisiis, apud Claudium Morellum; in-fol.* S. Petri Chrysologi archiepiscopi Ravennatis eruditissimi et sanctissimi Sermones; cum *Leone Magno* et *Maximo Taurinensi.*

1618. *Parisiis, sumpt. Sebast. Cramoisy; in-fol.* S. Petri Chrysologi... Sermones; cum iisdem repetitæ editionis.

1618. *Coloniæ, apud Ant. Hierat; in-fol.* Petri Chrysologi episcopi Ravennatis homiliæ de Dominicis et Festis aliquot solemnioribus totius anni, ex impressione Parisiensi; ejusdem Epistola ad Eutychen cum Notis *Gerardi Vossii;* in *Bibl. PP.* t. V, p. 11.

1623. *Lugduni, sumpt. Claudii Landry; in-fol.* Petri Chrysologi.... Sermones; cum *Leone M.* et aliis homiliarum auctoribus. Dominicus Mita Lugdunenses editiones præter hanc enumerat annorum 1622, 1627, 1634 et 1636.

1631. *Parisiis*..... Petri Chrysologi Sermones. Nescio an cum iisdem auctoribus, an seorsim. Laudat Dom. Mita.

1633. *Lugduni*..... *in-fol.* S. Petri Chrysologi Sermones; in *Heptade præsulum Christiana sapientia et facundia clarissimorum* THEOPH. RAYNAUDI.

Accessit *Epistola ad Eutychem;* item *Vita Chrysologi*, testimonium Trithemii et index duplex.

1636. *Venetiis*..... Petri Chrysologi Sermones. Teste Mita.

1636. *Bononiæ*..... Iidem. Eodem sponsore.

1643. *Bononiæ, per Nicolaum du Solié;* in-4°. D. Petri Chrysologi Forocorneliensis, Ravennatum archiepiscopi, Homiliæ sacræ, sive Sermones aurei, recogniti, emendati, ac *maxima parte* [variis lectionibus, scholiis et observationibus] *illustrati;* opera et studio *Dominici Mitæ*. Cat. Bibl. Reg. Paris.

Nobis ad manum est exemplar Venetum ad Bononiense, ut videtur, satis accurate expressum. Inde discimus *Dominicum Mitam* sacerdotem parochum Ugutionelli, antea legum studio et forensibus negotiis vacantem, hominem mediocriter doctum longo correctioris Chrysologi textus desiderio exercitum, tandem cum mss. aliquot codicum copiam nactus esset, adductum esse, ut ipse operam suam ei perpurgando illustrandoque commodaret : *Ulterius perquirendo*, inquit, *didici hujus operis adhuc quatuor superesse manuscripta exemplaria, nempe duo Romæ parum ab impressis discrepantia : sed Urbini unum in Roveriana, Cesenæ alterum in Franciscana bibliotheca, quæ inter se cunctis pene conveniunt, at in quamplurimis a vulgatis discordant. Quare aditu ad manuscripta vix patefacto, ea ipsa partim per amicos, partim per me ipsum pervolutavi et adhibito sodali semel ac a capite usque ad calcem cum exemplari primum Bononiæ impresso contuli, atque errata quæcumque, ut licuit, calamo correxi; variasque nec inutiles lectiones in margine ascripsi, mendosis, quibus mss. exuberant, rejectis, et si quid ex illis omni ex parte emendari nequivit, studui id mentis speculatione supplere; tametsi hoc raro factum est, quod hæc ratio maximis difficultatibus obstructa lubrica sit et fallax.* Addidit *scholia ineruditis saltem profutura, aut litteratorum mentes stimulatura, quo præstantiora scrutentur.* Sunt partim moralia, partim sensum fusius quam plerumque opus erat, illustrant, raro ad dogmata aut historias descendit, et tum fere *Scholia* et *Notationes*, vel *Observationes* inscripsit; rarissime de varietate aut emendatione lectionis disputat. Confecit præterea *indices* duos, alterum *alphabeticum Sermonum*, in quo tamen non tam singuli sermones, quam *materiæ in quolibet* sermone primario exaratæ recensentur, alterum *rerum et verborum notabilium*. Hinc vero elenchum juxta ritum Evangeliorum, quæ in sacro pro tempore leguntur, in superioribus ad concionatorum usum plerumque addi solitum velut supervacaneum omisit. Tandem et *Vitam Petri Chrysologi ex ipsius homiliis, et variis scriptorum monumentis, tum impressis, tum manuscriptis accurate conquisitam, studiose collectam et ordinatim digestam* addidit, eique pro majori, ut ait, aliquorum quæ in ea memorasset testificatione sequentia subjunxit documenta : 1° *Epistolam S. Petri Chrysologi ad Eutychem hæreticum;* 2° *Epistolam Leonis papæ I ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum contra Eutychetis perfidiam et hæresim;* 3° *Epistolam Matthæi cathedralis ecclesiæ Imolensis præpositi, transsumptam ex tabella ipsius manuscripta, qua testatur se corpus B. Petri Chrysologi attrectasse;* 4° *Elogium ex Trithemio;* 5° *Agapiti Vicentini præfationem ad editionem Bononiensem;* 6° *præfationem B. Felicis, XL Ravennatum archiepiscopi in Sermones aliquot S. Petri Chrysologi ex mss. codd. Valicellæ, Cesenæque et alibi;* 7° *Epistolam F. Petri Rodulphii Tussignanensis, episcopi Senogalliensis ad senatores Imolæ, qua Sermones Petri Chrysologi a se recognitos ipsis edendos offerebat, ex Commentariis ipsius Senatus a.* 1595 *desumptam.*

Sic elaboratum Opus pellexit, inquit, *ad inscribendum :* Sermones maxima ex parte illustrati, *quod eorum codex, Vitæque index e tenebris erutus, et a sordibus vindicatus magis quam antea sit legentibus enucleatus ac declaratus; nitore insuper atque splendore longe omnibus exemplaribus hac opera præstet. In quo faciundo*, pergit, *quos sumptus, labores et pericula subierim, quam ægra sæpius valetudine prostratus jacuerim; quosque adversarios ac desertores domi forisque fuerim perpessus, scit ipse qui tandem e cælo protexit, Chrysologus sanctus; sciunt multi docti probatique Patres, qui me etiam inter silvas ad animarum curam longe a sapientum congressu residentem, librorum et bonæ valetudinis expertem adversa prope omnia superasse, et opus propositum aliqua demum ex parte absolvisse mirantur; quod adhuc in tenebris delitesceret, nisi illorum sincero judicio nunc edere fuissem compulsus.* Postremo de stylo suo excusationem addit necessariam utique et vere facetam. Ait enim juxta Senecæ monita in hoc opere componendo magis se quæsivisse quid scriberet; inde, et quia aliorum sententias referens propriis verbis transcribendas censuisset, necesse fuisse ut stylus multorum et ex multis constans non idem semper haberetur. Quod si tamen tam in componendo quam in transcribendo multa excidissent, quæ vel oscitanter, vel minus apte posita essent, hoc Dei permissu factum lectores arbitrari jubet, ut tandem *Sciant gentes quoniam homines sunt* (secundum psalm. IX). Nuncupavit editionem suam *Ferdinando Millino* S. Imolensis Ecclesiæ episcopo et Balneariæ comiti, ep. *d. ex æde sacra Parœciæ S. Agnetis Ugutionelli :* V. *Kal. Aprilis h. a.*

1644. *Parisiis, ex Typogr. Regia; in-fol.* Petri Ravennatis Epistola ad Eutychem, Gr. Lat.; in *Concil. Coll. Regia*. Tomo VIII, *p.* 41.

1661. *Parisiis, apud Simeonem Piget; in-fol.* S. Petri Chrysologi.... opera; in *Theoph. Raynaudi Heptade* h. a. et l. recusa.

1662. *Parisiis, sumpt. Ant. Bertier; in-fol.* S. Petri Chrysologi Sermones varii juxta anni totius Evange-

lia, festa Dominica et Sanctorum digesti; in *Franc. Combefisii Bibliotheca PP. Concionatoria.*

Sequitur Combefisius Dominicum Mitam, cui in plerisque etiam de vitâ Petri astipulatur. Sed ipsi haud displicet sententia, non omnes hujus collectionis sermones unius ejusdemque esse auctoris, quamquam non ab argumentis ex singulis sermonibus ductis sic colligit, sed eo potius, quod in aliis veluti Chrysostomo, Bernardo et aliis homiliarum scriptoribus fieri consuevit.

1666. *Parisiis, apud Carolum Savreux; in-4°.* S. Petri Chrysologi Sermones quinque de Oratione Dominica, sub titulo : *S. Petri Damiani S. R. E. Cardinalis;* in Lucæ Dacherii *Spicilegio vet. aliquot scriptorum, qui in Galliæ bibliothecis maxime Benedictinorum latuerant* tomo VII, pagg. 120-137.

Quod sæpius accidit talium Collectionum auctoribus, non excepto Baluzio, litteratissimo viro, ut, dum sua unius opera tantam curam sustinere aggressi essent, aut memoria aut diligentia interdum deficerent et dudum edita pro ineditis venditarent, id *Dacherio* etiam in his sermonibus accidit, qui in Feliciana collectione num. 67, 68, 70, 71, 72, et quidem emendatiores leguntur, quam hic ex codice quodam Corbeiensi repræsentantur. Monitus hac de re, tomo VII, post indicem contentorum hæc ascripsit : « Ut in tomo VII Spicilegii Petro Damiano sermones 5 in Orationem Dominicam tribuerem, suasit codex ante annos scriptus quadringentos, qui Petri Damiani nomen distincte præferebat. At postquam in publicum prodiit tomus ille, monuit me suis litteris doctissimus theologus noster *Steph. de Marcés*, Sermones hosce Petri Ravennatis sive Chrysologi esse genuinos, *ob varias et minime spernendas rationes;* queis lubens calculum adjicio meum. Eruditis tamen relinquo judicium. » Sic ille; non allatis quas ipse doctus ille suppeditaverat rationibus, quarum gravior nulla tamen esse poterat, quam quod jam dudum in antiquissima, certe Petro Damiano antiquiore Sermonum Chrysologi collectione exstarent et cum ea excusi essent. Sed hæc fateri illum fortasse puduit. Attamen et in Indice generali tomo XIII Spicilegii subjecto Petri Chrysologi esse notavit, ejusque nomen etiam præferunt in secunda hujus operis editione, licet curator ejus *Ludovicus Franciscus Joseph de la Barre* prorsus nesciret quo jure posterius priori esset præferendum. Reprehendit potius Dacherium quod rationes, quæ ipsum, ut suo codici minus fideret impulissent, non ediderit, additque, si quis malo exemplo ab eo factum esse contenderet, se minime adversaturum. Qui si editum aliquem Chrysologi Sermonum codicem inspexisset, non modo rationes illas facile ipse deprehendisset, sed caruisset etiam multis quas ibidem protulit, non ineptis sane sed minus necessariis emendationibus, quippe quæ plerumque omnes jam in antiquioribus editionibus Chrysologi distincte leguntur (*a*). Ejus vero et Dacherii exemplum fraudi fuit aliis, veluti Fabricio et Mansio, immo et novissimo editori in tantum, ut quinque istos Sermones cæteris superaddendos curaret.

1670. *Cygneæ, typis et sumpt. Sam. Ebelii; in-8°.* D. Petri Chrysologi de Incarnatione Christi Sermo CXLI et CXLIX, et de Infantum Nece CLII et CLIII; in *Div. Patrum Homiliis in Festum Nativitatis Jesu Christi* editis a *Christiano Daumio*, pagg. 81-91.

Expressi sunt ex edd. Moguntina 1607, Lugdunensi 1623, et quæ in Coloniensi PP. Bibliotheca est. At Mitæ editio Daumio non innotuisse videtur, siquidem in præfatione scripsit, illas editiones novam recensionem desiderare, eamdemque flagitare lectionum varietatem, quæ ex iis quæ Thomas Hibernicus et hinc Allegoriarum Collector in Collectanea sua transtulerint animadverti possit. Idem Casparis Barthii in Chrysologum laudes ibidem profert.

1671. *Lutetiæ Parisiorum, impensis Soc. Typogr.; in-fol.* Petri Ravennatis Epistola ad Eutychen, Gr. Lat.; in *Conciliis Labbei et Cossartii* tomo IV. p. 35.

1671. *Parisiis, sumpt. Petri Variquet; in-fol.* Petri Chrysologi.... Sermones CLXXVI, cum *Leonis M. et aliorum Opp.* collectis a *Raynaudo.*

1672. *Parisiis, apud viduam Caroli Savreux; in-4°.* Petri Chrysologi Sermo de Natali Domini contra Nestorium; edidit ex codice vetusto tamquam auctoris incerti fetum *Lucas Dacherius* in tomo XI, pagg. 279-281.

Acceperat a Chifletio. In vulgatis editionibus auctior et emendatior exstat *num.* CXLV, quod primus monuit *Paulus Colomesius in Paralipom.* de *SS. Eccles.* p. 263, et *Obss. Sacris* p. 133. Cf. *Fabricius* in *Bibl. M. et Inf. Lat.* Minime igitur latere debuisset editorem novissimum.

1675. *Lut. Paris.; sumptib. Jo. Bapt. Coignard; in-4°.* Petri Chrysologi episcopi Ravennensis ad Eutychen presbyterum Epistola; Latine cum notis *Paschasii Quesnelli;* cum *Leonis M. Operibus*, post epistolam 22, t. I, pagg. 477. Notæ exstant tomo II, pagg. 839-41 (in ed. *Lugdunensi* 1700, *in-fol.* t. I, pagg. 241, 42. Tomo II, pagg. 456-58).

« Triplicem, inquit Quesnellus, hujus epistolæ editionem invenio : unam, quam habent *posteriores sancti Leonis editiones*, ubi ex ms. Cod. Thuaneæ Bibliothecæ descripta legitur Epistola; alteram, quam ex mss. codicibus Vaticanis num. 2574 et 2580 et cardinalis Sirleti procuravit Gerardus Vossius doctor

(*a*) *Tot mendis*, inquit La Barre in annotatione prima ad Serm. II, *tot mendis scatent hæ Homiliæ, quot ne perspicacissimus quidem unus ex conjectura tollere potest; quamobrem nihil hic nisi omnino castigatum lector exspectet, nolim; haud pauca quidem loca fœde corrupta restituimus, sed de omnibus restituendis ne cogitavimus quidem; sunt enim nonnulla quæ nisi ope ms. codicis emendari non possunt.* Interdum tamen correctiones ejus in locis corruptissimis adeo cum impressis Chrysologi codicibus concordant, ut dubitare possis, an tantum sola conjectura hominis assequi valeat. Scilicet non semel, sed ubique ferme veram lectionem deprehendit.

catholicus : tertia denique ea est, quæ in prima parte Actorum Chalcedonensis concilii legitur cum Græca versione. Prima editio primum tantummodo caput continet, alterum integrum desiderat : reliquæ duæ utrumque caput complectuntur (*a*). Unde ista diversitas fluxerit, certo asserere non ausim : verisimile tamen est, vel editorem illum incidisse in mutilum codicem, vel ipsum codicem ab editore fuisse mutilatum. » Inquirit porro quæ mutilationis istius causæ esse potuerint, et an integra etiam pro genuino episcopi Ravennensis fetu haberi possit. Quod quidem asserit, et deinde sic pergit : « Unde quo facto decurtata habeatur in vulgatis sancti Leonis editionibus, non assequor. Codicem quidem Thuaneum commemorant, ex quo deprompta fuerit ab editore. An hoc ita sit, nescio. Hoc scio, unicum in Catalogo Tuaneorum mss. codicem a me repertum, qui Epistolam sancti Petri Chrysologi contineat, cum aliis nonnullis ad synodum Chalcedonensem pertinentibus : in hoc vero codice integram haberi Epistolam. Cui si mss. Vaticanos et card. Sirleti codices, antiquasque ac recentiores Baronii et Conciliorum editiones adjunxeris, vix restat dubitandi locus, quin vel in editoris illius, si non malam fidem, saltem oscitantiam, vel in Codicis vitium refundenda sit Epistolæ diminutio. » Utinam vero Quesnello indicare placuisset editionum Leonis M. folium paginamve, in qua Petri hæc epistola exstet, quam a se lectam fuisse tam diserte significat.

1676. *Lugduni, sumptib. FFr. Anissoniorum et Joan. Poysnel; in-fol.* Divi Petri Chrysologi archiepiscopi Ravennatis Sermones Aurei ad Exemplar Seraphicæ Cesenæ bibliothecæ correcti, scholiis ac locupletissimis moralium conceptuum varietate Commentariis illustrati. Nunc recens in gratiam divini verbi concionatorum, addita Sanctissimi Doctoris Vita, nec non et ejusdem ad Eutychetem Epistola Notis pariter elucidata, prodeunt in lucem opera et labore *R. P. Fr.* Martini del Castillo *Burgensis Minoritæ de Observantia : in S. Evangelii Mexicana Provincia Lectoris Jubilati, Theologiæ honor. Alex. VII. Rescripto decorati Magistri. Olim in eadem Provincia Ministri Provincialis : et in magno S. Bonavent. Collegio Rectoris, atque studiorum Regentis.* Accessit his Index quadruplex : I. scilicet Sermonum; II. Locorum Scripturæ sacræ; III. Evangeliorum ad Conciones per Annum; IV. Rerum denique notabilium.

Bellus hic artifex novem et quod excurrit alphabeta commentariis suis in *XXII Chrysologi Sermones et Epistolam ad Eutychetem* implevit. Illud cum superiori editore Dominico Mita commune habet, quod licet ingens titulorum syrma post nomen trahat, tamen de iniquitate fortunæ conqueritur, nec propitiorem habuit Facundiam deam. « Apposui *in corde meo*, inquit, *universos CLXXVI Sermones D. Petri Chrysologi meis illustrare commentis : idcirco* brevi omnium completo marginali scholio *ad depromendum rimandumque sensum ejus subtilissimum me contuli,* latiori sermone (*nec enim periculosum est, ne sit nimium, quod esse maximum debet, junior aiebat Plinius*) inchoavi *et viginti duos sermones, una cum ejus epistola ad Eutychetem hæreticum, quos complevi, exhibeo. Sed proh dolor! ophthalmia* prolixe admodum *lumina torsit; et quod* magis *est*, novem et plus annis, *lippientem me limis oculis fortuna prospexit, retrahens invida*, qua laboriosa a penso, *laborare cupientem. Pluries repetii cum Diogene Cynico: Euge, o fortuna, quod viriliter me tractasti! Me peccatorem, me scelestum, flagellis felicem Deus Op. Ma. fecit, tenuit me semper idiographum, cum amanuense nusquam, bibliotheca orbatum et cella fere exsulem.* Idem quoque testatur, se *quæsisse magis quid scriberet, quam quemadmodum, non curasse se sollicitam, comptam perpolitamque orationem, sed remissius loqui voluisse, ut loqueretur securius.* Unum quod in toto opere non prorsus ineptum judices, est *Vita Petri Chrysologi*, in qua Scripta etiam editionesque eorum attingit. Nuncupatum est *Petro Principi Portocarero Folch de Arragon et Corduba*, etc., epistola quæ omnibus ingenii auctoris sui luminibus radiat.

1677. *Romæ, sumptib. Pontii Bernardon; in-fol.* Latini Latinii Viterbiensis Variæ Lectiones et Observationes in Petrum Chrysologum; in *Bibliotheca* ejus *Sacra et Profana*, t. I, pagg. 98-103.

Pertinent hæ observationes, quæ commendatione alia præter auctoris nomen non egent, ad sæculum superius. Obiit enim Latinius a. 1593. Usus est editione Parisiensi a. 1574.

1677. *Lugduni, apud Anissonios; in-fol.* S. Petri Chrysologi Sermones (CLXXVI) et Epistola ad Eutychen cum notis *Ger. Vossii;* in *Max. Bibl. PP.* tomo VII, pagg. 803-979.

1679. *Coloniæ Agrippinæ, apud Jo. Carolum Munich et Petrum Ketteler; in-4°;* D. Petri Chrysologi archiepiscopi Ravennatis viri eruditissimi atque sanctissimi Sermones in Evangelia de Dominicis et festis aliquot solemnioribus totius anni insignes cum triplici indice, Evangeliorum et Epistolarum, Locorum S. Scripturæ rerumque et verborum in lucem editi. (Accesserunt Sermones Maximi Taurinensis.) *Editio prima in Germania* (sic).

Typothetæ incuria annus in titulo exscriptus est MDLXXIX. Etiamsi vero satis typis et tota descriptione sæculum se proderet, non tamen meo unius arbitrio statuere ausus sum, antequam aliunde mihi hac de re constaret. Sed jam certus sum et lectores monitos volo, ut Maximi Taurinensis editionem a. 1579, ad sequens sæculum transcribant. In Cat. Bibl. Reg. Paris. laudatur hæc editio anni 1678.

1684. *Parisiis, apud Franc. Muguet; in-fol.* Petri Chrysologi Sermones duo : *unus* de pace in illud Matthæi v, *Felices pacifici*, etc. (LIII); *alter* de Natali Joannis Baptistæ; inter Augustinianos, quos Benedictini secreverunt per *Appendicem* tomi V, classe 1, num. 61, et classe 3, num. CXCIX.

Prior olim inter Sermones *de Tempore* erat num.

(*a*) Adeoque non *tres* sed *duæ* tantum numerandæ fuissent, ut rectius a Fabricio et Balleriniis factum est.

CLXIX, postea in App. LVII; posterior inter Sermones *de Sanctis* XXII, post in App. LXXVII. Sed ille passim interpolatus est et multis sententiis auctior, quas proinde Maurini ansulis commonstrarunt; hic ab initio decurtatus. Erat ergo ratio, cur novissimus editor eosdem editioni suæ insuper adjiceret, ut a Mansio discimus. Alii duo insuper inter Augustinianos Sermones occurrunt, nempe num. CXXI, *de Natali Domini* V, quem in quibusdam mss. Petri Ravennatis nomen præferre notant, et Sermo XCVII de verbis Evang. Joan. XIV, *Pacem meam do vobis*, etc. quem cum LXI Chrysologi stylo convenire monent iidem.

SÆCULO XVIII

1714. *Parisiis, ex Typogr. Reg.*; *in-fol.* Petri Ravennatis Epistola ad Eutychen; in *Conciliis Harduini*, tomo II, pagg. 22.

1723. *Parisiis, apud Montalant; in-fol.* Petri Chrysologi Sermo de Natali Domini et Sermones V in Orationem Dominicam; in nova editione *Spicilegii Lucæ D'Achery*, quam curavit *Ludovicus Franc. Joseph de La Barre* tomo I, pagg. 41, 215-221.

Vide quæ dicta sunt occasione editionis primæ a. 1666 et 1672.

1742. *Venetiis, apud Augustinum Savioli; in-fol.* Sancti Petri Chrysologi Forocorneliensis Ravennatum archiepiscopi Opera omnia cum observationibus et indice rerum locupletissimo *Dominici Mitæ*. Accessere præterea in hac nostra editione S. Valeriani Cemeliensis episcopi Homiliæ quotquot exstant.

Bibliopolæ instituto Bononiensis a. 1643 editio accurate recusa et cultu non honesto modo, sed etiam magnifico dotata est.

1750. *Venetiis..... in-fol.* Sancti Petri Chrysologi Opera omnia ad codices mss. recensita a P. *Sebastiano Pauli* Clerico Reg. Congregationis Matris Dei Lucensis.

De hac editione non nisi ex iis constat, quæ cl. *Mansius* in Bibliotheca Fabriciana mediæ et infimæ Latinitatis T. V, pag. 253, ad supplendam de Chrysologo notitiam recitavit. « Non est, cur hic præteream, inquit, quam sub ipso anno suo emortuali evulgavit vir cl. P. Sebastianus Pauli congregat. Matris Dei Lucensis, sodalis meus dilectissimus et amicus dum viveret in primis charissimus. Prodiit illa typis Venetis a. 1750, T. I (quod interpretor *volumine uno*) *in-fol.* Præter ea quæ in præcedentibus editionibus patuerunt, adjecit sermones septem de A Oratione Domini desumptos ex Dacherii Spicilegio tom VII, pag. 120, veteris editionis; geminos etiam alios ex appendice Sermonum S. Augustini editionis Maurinianorum. Recensuit totum opus ad veteres mss. codices; notas a Dominico Mita olim adornatas retinuit, quibus et suas adjecit, nec paucas, nec, ut vera fatear, indoctas. Quamquam vero laborem hunc viri eximii probo, multum tamen abesse credo, ut editio Operum Chrysologi sic tandem omnibus numeris absoluta reputetur. Admonet vir eximius ex orationibus hisce nonnullas Severiano cuidam in vetustis codicibus ascribi, qua ego præmonitione edoctus nactusque in veteri homiliario codice, reperto in bibliotheca canonicorum Majoris Ecclesiæ Lucensis, nec meo judicio sæculo XII recentiore, homilias B quasdam Severiani nomine præfixas, unam aliquam ex illis conferendam assumpsi cum homilia Chrysologi, quæ inter editas est CII. Utramque consentientem reperi: simul tamen agnovi, hiulca quædam esse in edito, quæ egregie supplebantur a codice illo. » Profert ibidem variantis lectionis aliquot exempla. Sed non hujus demum editoris fuit illa admonitio, nonnullas homilias Severiano in codicibus vetustis ascribi, sed dudum in Bononiensi prima ab Agapito illud observatum est. Nec admodum diligentiam ejus commendat, quod bis eosdem *Sermones V in Orationem Dominicam* exscribendos dederit.

1753. *Venetiis, apud Simonem Occhi; in-fol.* Petri Chrysologi episcopi Ravennatis ad Eutychem pres- C byterum Epistola, Gr. Lat. cum admonitione et notis *Balleriniorum;* in *Operibus Leonis M.* T. I, epistola XXV, pagg. 775-78.

Ballerinii docent *decurtatam epistolam*, de qua Quesnellus primum monuit, proficisci ex collectione Canonum Hispana, ex eaque in *Isidorianam*, indeque in reliquas Collectiones fluxisse. Simul tamen ostendunt *integræ* originem potioris esse et antiquitatis et auctoritatis, quippe quæ inveniatur in collectione epistolarum in causa Eutychetis, quæ actionibus concilii Chalcedonensis præmitti solet, ante medium sextum sæculum Latine compacta. Suspicantur autem priorem partem epistolæ quam etiam Hispanica collectio profert originalem esse posteriorem ex Græco usam.

D 1761. *Florentiæ, expensis Ant. Zattæ Veneti; in-fol.* Petri Ravennatis Epistola ad Eutychen Gr. Lat., cum præmonitione et notis *Balleriniorum;* in *Collectione ampliss. Concilior.* tom. V, pagg. 1547-1550.

JOS. A. AMADESII DISSERTATIO

DE

METROPOLI ECCLESIASTICA RAVENNATENSI,

AD CL. VIRUM

PAULUM PACIAUDUM.

TYPOGRAPHUS VENETUS LECTORI.

Ad umbilicum pervenerat Editio, cum diligentia et cura cl. v. Pauli Mariæ Paciaudi clerici regularis Dissertatio hæc Ravenna Venetias missa ad meas manus pervenit. Hanc hic addere pro coronide horum Prolegomenorum, nec editori ingratum, nec lectoribus injucundum fore, arbitratus sum. Vale.

PROOEMIUM.

Cogitantem ea, quæ de Ravennatis Ecclesiæ dignitate superioribus diebus disserueram, tenebris et oblivioni demandare, me ex hujusmodi sententia revocaverunt persuasiones tuæ, optime Paciaude. Et quamvis diu, multumque dubitaverim, utrum tuæ voluntati resistere, an obtemperare magis expediret; illud enim obedientiæ periculum, alterum observantia atque amor in te meus insinuabat: attamen malui huic qualicumque periculo me totum committere, ut observantiæ et amori obsequerer, quam isthæc officia, quibus tibi obstringor, ne tantillum quidem violare, ut periculum devitarem. Imbecillitatem ingenii mei scribendique in re critica imperitiam, tum rei ipsius de qua actum est difficultatem et celeberrimorum contra nos opinantium virorum auctoritatem, tum extremam documentorum, rationum, scriptorum inopiam, cui obnoxii sumus, tibi pluries instanti, pluries quoque objeceram, quibus rebus ab hac ratione scribendi deterrerer. Sed quoniam hisce posthabitis in proposito perseverasti, meque nutantem velis remisque in hoc velut mare impulisti, mos est tibi gerendus omnino, atque specimen aliquod opusculorum nostrorum, qualiacumque demum illa sint, publico judicio permittendum.

Tria igitur in cœtu nostro litterario de hac Ravennati Ecclesia tractavimus. Primum enim quæsivimus, utrum Mediolanensis episcopi suffraganea illa fuerit quatuor prioribus æræ Christianæ sæculis. Deinde litteras Clementis II Romani pontificis, quibus Ravennatensi super Mediolanensem antistitem sedendi in conciliis prærogativa restituitur, a falsitatis nota vindicavimus. Tum quid opinandum sit de origine metropoliticæ dignitatis in Ecclesia Ravennatensi perpensis saniorum auctorum sententiis conquisivimus. Porro ea omnia argumenta, quæ fusiori calamo, ac vernaculo sermone, pluribusque dissertationibus scripseramus, ad tria capita modo contrahenda, breviorique oratione exponenda censemus.

CAPUT I.

Utrum Mediolanensi Ecclesiæ subjecta fuerit Ecclesia Ravennas quatuor prioribus æræ Christianæ sæculis.

§ I. Exponuntur rationes auctorum affirmantium.

1. Eustachius a S. Ubaldo Augustinianus Excalceatus satis prolixam dissertationem intexuit postremo exeunte sæculo de *Metropoli Mediolanensi*, in qua omni rationum ac monumentorum genere, si Superis placet, conatus est demonstrare, inter illustriores Ecclesias, quæ Mediolanensi episcopo subjiciuntur velut suffraganeæ, Ravennatem quoque et Aquileiensem fuisse. Verum Augustiniani nostri una fuit cura in hac firmanda sententia, Sirmondi, Schelstratii, Norisii, et aliorum aliquot vestigiis atque auctoritati solummodo insistere. Cum enim nullum de subjectione harum Ecclesiarum *antiquum, positivum, et inalterabile sibi superesse documentum* fateretur, et Nicæni concilii atque Antiocheni *decreta non leviter contrarium urgere* putaret, *auctoritas tamen tantorum virorum..... antiquitatum ecclesiasticarum peritissimorum hominum pro omni antiquo* illi satisfuit *monumento*. Et optime quidem; si magna auctorum nomina, non autem rationes et fundamenta quibus eorum placita innituntur nostra hæc ætas in pretio haberet.

2. Porro celeberrimis etiam hisce criticis æque ac Mediolanensi eorum Symmystæ defuere omnino *antiqua* omnia *positiva*, *et inalterabilia documenta*, quibus Ravennati, et Aquileiensi Ecclesiis jugum subjectionis certissime assererent. Nam concilia nulla primorum Sæculorum, nullæ consecrationes episcoporum, visitationes Ecclesiarum nullæ, sanctiones, appellationes, consultationes, quæ vel suffraganeitatis, ut ita loquar, in minoribus, vel præeminentiæ in principibus Ecclesiis indicia esse solent, multominus, vel historicorum, vel Patrum testimonia, aliquod ejusmodi documentum eis suppeditarunt. Una igitur conjecturarum atque argumentorum negantium via processere omnes, salebrosa enimvero et difficultatis plenissima. In hierarchia

imperii hanc sibi viam excogitarunt ad Ecclesiasticam hierarchiam stabiliendam. Singulis fere provinciis, in quas longe, lateque Imperium dividebatur per Asiam, Africam atque Europam singulos metropolitanos episcopos tribuere non renuunt primis, quæ diximus, Ecclesiæ temporibus, eos nempe episcopos, qui in præcipua cujuslibet provinciæ civitate constituti, alios omnes minorum civitatum comprovinciales moderarentur: attamen ordinem hunc hierarchicum soli Italiæ denegant, cui licet in XVII, ut aiunt, provincias distributæ, duos tantum metropolitanos episcopos per ea tempora assignatos volunt, Romanum scilicet, et Mediolanensem, ad quartum sæculum Aquileiensis exordia protrahentes, ad quintum usque Ravennatensis.

3. Si vero ab iisdem auctoribus petas *qua ratione factum, ut in reliquis orbis Romani provinciis metropolitani apostolico instituto ordinati sint, in Italia vero, ubi Paulus prædicavit, ubi Petrus Ecclesias instituit, ubi sedes apostolica primis Ecclesiæ temporibus erat, institutum illud statim non obtinuit?* quemadmodum a semetipso quæsierat Emanuel Schelstratius (*Tom. I dissert. cap.* 5): primo responsiones illorum auctores isti non approbant, qui rationem et causam tanti discriminis in apostolorum vel successorum instituentium voluntatem rejiciunt. Secundo autem respondent ipsi, regimen quoque ecclesiasticum Italiæ ad exemplar sæcularis apostolos vel successores eorum composuisse; cum enim a duobus vicariis prætorio Italiæ omnis hæc regio administraretur, Romano scilicet, cui decem provinciæ suberant, et Mediolanensi, cui septem; eadem pariter methodo duo fuerant ecclesiastici metropolitani in Italia constituendi, ut quemadmodum in reliquo orbe, ita ibi quoque ecclesiasticæ hierarchiæ ordo sæcularis hierarchiæ ordini responderet. Quapropter decem suburbanarum provinciarum episcopis immediate præerat, ut metropolitanus, ipsemet summus pontifex; in septem vero cæteris, quæ Italiæ cognomine distinguebantur, metropolitani vices gerebat Mediolanensis episcopus. Hinc distinctio episcoporum Romanæ provinciæ ab episcopis quos provinciæ Italiæ appellabant; atque hinc orta est penes auctores ipsos de subjectione Ravennatis ecclesiæ et Aquileiensis conjectura; nam Æmiliæ prima erat civitas Ravenna, Venetiarum Aquileia, quas provincias vicariatus Italiæ comprehendebat, ideoque earum episcopi metropolitano Italiæ obedientiam præstasse dicendi erant.

4. Vicariatus Italici urbes fuisse Ravennam, et Aquileiam nullus inficiatur; illarum quoque episcopos ab Italia appellatos testantur subscriptiones concilii Sardicensis. *Fortunatianus ab Italia de Aquileia, Severus ab Italia de Ravenna, Protasius ab Italia de Mediolano*, ac tandem Mediolanum Italiæ fuisse metropolim asserit Athanasius in epistola ad Solitarios. *Ex quorum numero clarissimæ sunt confessionis viri religiosi, et episcopi boni, Paulinus Treverorum, quæ Galliarum metropolis est, Lucifer Metropolitanus episcopus Sardiniæ, Eusebius Vercellis civitatis Italiæ, Dionysius Mediolani, quod et ipsum est metropolis Italiæ.* Accedit testimonium divi Ambrosii, qui tum ad Vercellenses, tum ad episcopum Vicohabentinum scribens Venetias, et Æmiliam ad se pertinere confirmat, ut interpretatur Sirmondus (*Lib.* 1). In epistola enim ad Vercellenses queritur S. Doctor, eorum Ecclesiam squalere adhuc Pastore viduatam, dum reliquæ finitimarum civitatum ecclesiæ ejusmodi solatio lætarentur. *Confligor dolore, quia Ecclesia Domini, quæ est in vobis, sacerdotem adhuc non habet, ac sola nunc ex omnibus Liguriæ, atque Æmiliæ, Venetiarumque, vel cæteris finitimis Italiæ partibus hujusmodi eget officio* (*Ambros. epist.* 82). In altera vero ad Vicohabentinum illius curæ enixe commendat Imolensem Ecclesiam, donec novus ibi constituatur episcopus. *Commendo tibi, fili, Ecclesiam, quæ est ad forum Cornelii, quo eam de proximo intervisas frequentius, donec ei ordinetur episcopus: occupatus diebus ingruentibus Quadragesimæ tam longe non possum excurrere* (*Ambros. epist.* 2). Forum Cornelii, seu Imola urbs est Æmiliæ provinciæ, seu Flaminiæ, cujus etiam caput Ravenna: in Æmilia pariter sita erat Vicohabentia, modo Ferraria. Ex allatis ergo Ambrosii verbis constat Forum Cornelii sub ejus cura, et visitatione, et ordinatione fuisse: Vicohabentiam pariter ad eum spectasse, tum quia ejus episcopo, quem subjectionis nomine *filium* appellat, alterius Ecclesiæ visitationem mandat; tum quia ex homilia 175 S. Petri Chrysologi inferius asferenda subjectionem istam Vicohabentiæ arguere posse credunt critici nostri. Venetias igitur et Æmiliam continebat provincia Ecclesiastica Mediolanensis, consequenter Ravennam et Aquileiam.

5. Schelstratius vero ad efferendam magis magisque in has provincias auctoritatem Mediolanensis Ecclesiæ, aliud mutuatur argumentum ab epistola synodica quam Eusebius illius episcopus Leoni Magno conscripsit in celeberrimæ S. illius pontificis ad Flavianum epistolæ approbationem. Cum enim aliquorum Æmiliæ, Rhetiarum, Alpium Cottiarum episcoporum subscriptiones in calce Eusebianæ epistolæ observasset Schelstratius, arbitratus est in omnem fere Italiam, et ultra jurisdictionis suæ limites dilatasse episcopum illum. En verba Schelstratii. « Quam diffuse autem Mediolanensis Ecclesia per Italiam jus metropoliticum obtinuerit ante institutos *Ravennensis*, et *Aquileiensis* Ecclesiæ metropolitas, colligi potest ex Eusebii Mediolanensis epistola, quæ ad Leonem Magnum missa est super fide quam ad Orientem direxerat. Illi enim non solum subscribunt Liguriæ episcopi Crispinus Ticinensis, Cyriacus Laudensis, Abundantius Comensis et reliqui, sed etiam Faventius Regiensis, Majoranus Placentinus et Cyprianus Brixellensis de provincia Æmiliæ: Abundantius Comensis pro Agimone Curiensi, Gradus pro Eustasio Augustano ex Rhetia, Maximus Taurinatis et Quintus Dernensis ex Alpibus Cottiis: quos consequenter spectasse constat ad synodum Eusebii...

His autem si addas episcopos Flaminiæ, cujus episcopum Forocorneliensem ad suam obedientiam spectasse indicat divus Ambrosius..... habebis omnes fere regiones, quæ ecclesiasticam Italiæ provinciam constituebant, Liguriam nimirum, Æmiliam, Flaminiam, Alpes Cottias, Rhetiam..... Hisque Histriæ et Venetiæ provincia dumtaxat deesse cognoscitur, quibus exceptis, in reliquas Italiæ regiones Mediolanensis episcopus, tamquam Italiæ Metropolitanus, *jus obtinebat.* »

6. Hisce argumentis in sola prorsus conjectura positis, sunt qui pondus addunt argumenti negativi. Illud vero est, de solo Romano pontifice, tamquam decem suburbanarum provinciarum metropolitano, et de solo Mediolanensi episcopo tamquam septem Italiæ provinciarum, locutos esse veteres Scriptores, et vetera, quæ supersunt antiquitatis monumenta : de quibuscumque aliis Metropolitanis altissimum apud omnes silentium.

7. Hæc tamen omnia, quæ critici pene universi de hierarchia ecclesiastica tractantes singulis fere pagellis regerunt, atque infinita propemodum eruditione ad satietatem usque amplificant, facili negotio, ut arbitror, diluere, et levitatis arguere poterit, qui doctissimam legerit *abbatis Bacchinii* de origine ecclesiasticæ hierarchiæ dissertationem. Celebris enim Cassinensis totus ibi est in suffodiendo allatarum conjecturarum, atque argumentorum fundamento, quod egregia, eaque inconcussa doctrina omnino contrivit. Quare cum omnium probationum vis de Ravennatis et Aquileiensis Ecclesiæ subjectione a civilis regiminis Italiæ systemate promanet, cui Ecclesiasticam ipsius Italiæ hierarchiam auctores ipsi accommodatam volunt; nos cum Bacchinio systema illud commentitium demonstrabimus, atque inde firmiori gressu ad reliquas Mediolanensium rationes enervandas procedemus. Quamvis autem aliqua de patriarchatu Aquileiensi hic obiter miscere nobis continget; protestamur tamen de illius prærogativis nullum prorsus judicium nos esse laturos, maxime si quæ P. Bernardus Rubeus in suo eruditissimo opere, et quæ cl. Joseph Motta in dissertatione de jure metropolitico num. 31 et seqq. super Aquileiensis Ecclesiæ origine, amplitudine, jurisdictione nuperrime scripserunt, non omnibus æque placuerint. Mediolanenses solummodo petimus ad eosque convertimur. Verum præstantissimæ Mediolanensis Ecclesiæ amplitudini nihil ideo per nos detractum volumus, satis superque contenti, si Ravennatensem ab ejus dominatu vindicaverimus, rationesque, quibus hæc impetitur inter mere supposititias rejecerimus. Nos autem non latet ingenuis Mediolanensibus *ex vano nihil hauriri*, ut verba Ripamontii usurpem contra nimios patriæ Ecclesiæ magnificatores apte loquentis (*Tom.* I *Hist. Eccles. Med. lib.* I) : *Nec eo sumus*, ait, *ingenio, ut dum miscendo falsa veris, primordia nostrarum rerum angustiora facimus, velimus mereri probra et cavillos, et in omne deinceps ævum ire cum illa morum existimatione ac fama, tamquam patrio nomini speciosa dictu gratificari et venditare fuerit cura.* Irridet enim iis verbis, ex lib. IV decadis primæ Titi Livii desumptis, Ripamontius Galvanei Flammæ concivis sui simplicitatem, qui fabellas omnes hinc inde captatas suum in Chronicon congesserat, et præcipue ubi ingentem provinciarum numerum imperite asciverat Mediolanensis civitatis imperio, prout in iis versibus :

Urbs secunda Romæ, infulis laureata supremis,
Imperii, sedesque Jovis, miris exarata structuris,
Prima metropolis urbes Liguriæ regis,
Rhetias utrasque : Bavaria, Coria, Cumæ,
Corsica, Sardinia, Ravenna, Janua, Pisa,
Gradus, Aquileia, Ticinum, Placentia, Sena
Augusta cum Secundia subsunt; tu Subria Romæ;

Quæ forsitan de civili, non de ecclesiastica jurisdictione accipi possent, nisi alibi, scilicet in Chronicis suis bonus iste auctor temporali Mediolanensium dominatui ecclesiasticum æquaret illis verbis : *Ecclesiæ Aquileiensis, et Ravennas, Januensis, Gradensis, Cumana, Augustana, Coloniensis, Basiliensis, Coriensis, Papiensis, Placentina, et omnes alii episcopi Italiæ fuerunt suffraganei episcopi Mediolanensis.* Porro his omissis, ad argumenta criticorum quos jam laudavimus, animadversione et responsione propius accedamus.

§ II. Exponuntur rationes auctorum negantium.

8. In negativam sententiam aliquot præclarissimi auctores abierunt, inter quos eminent Petrus de Marca, Benedictus Bacchinius, Hieronymus Rubeus ex catholicis, Salmasius inter heterodoxos, licet non omnes ob easdem rationes, neque eodem, ut aiunt, spiritu ducti. Alii enim jugum Mediolanense ab Ravennate Ecclesia excusserunt, eam putantes metropolitanam fuisse usque ab ejus fundatione. Alii vero, quamvis hujus dignitatis initia ad quintum usque sæculum distraxerint, negarunt tamen probari ullo modo posse Ravennates Mediolanensi Ecclesiæ paruisse umquam : immo Mediolanensi ipsi quartum Christianorum sæculum vix atque ægre concedere videntur ejus metropoliticæ jurisdictionis exordiis. Nos vero utriusque opinionis examen de origine hujus prærogativæ in Ecclesia Ravennate ad caput tertium deferentes, quæstionem autem de origine clarissimæ Ambrosianæ metropolis integram doctioribus criticis relinquentes, satis nunc habemus auctorum negantium responsiones in medium producere, quibus allatas in superiori articulo contra libertatem nostræ Ecclesiæ rationes refelluntur.

9. Harum igitur prima, quæ cæterarum origo et fundamentum est, petitur ex forma regiminis Italiæ, cui contendunt aptari debere formam regiminis ecclesiastici. Quia ergo in duplicem vicariatum Italia omnis partiebatur, Romanum et Italicum, duplex tantum dicendus est fuisse ea in regione metropolitanus, nempe summus pontifex, ut Romæ episcopus, et Mediolanensis antistes, ut episcopus civitatis quæ caput erat Italici vicariatus; et quemadmodum episcopi decem provinciarum suburbanarum papæ, ut eorum metropolitano, parebant, ita episcopi septem provinciarum Italicarum episcopo Mediolanensi, quos inter procul dubio Ravennas erat.

10. Qui sic argumentantur, ait Bacchinius, vel admittant necesse est ecclesiasticam Italiæ hierarchiam quarti et quinti sæculi ab ea quam apostoli ibi stabiliverant longe dissimilem, vel fateantur eam non fuisse aptatam civilis imperii systemati (*Dissert. de Orig. hier. eccl. part.* II), si illius auctores apostolos arbitrantur. Tempore enim apostolorum, immo neque per integra tria priora sæcula Italicum regimen formam assumpserat duorum vicariatuum, super quibus ædificium omne suum scriptores cæteroquin peritissimi construxerunt. Italiam a Sicilia ad Alpes Cottias diviserat Augustus, testibus Plinio (*Lib.* III *cap.* 5) et Tacito (*An. lib.* V *cap.* 11), in undecim regiones sub unico præfecto : singulis tamen suum tribuisse prætorem credidit Pancirolus (*Ad. Not. Imp. Occid. c.* 49), præter decuriones, qui in civitatibus Italicis Romani senatus imaginem præseferebant, et duumviros, qui consules repræsentabant. Forma isthæc regiminis Italici ab Adriano Cæsare immutata est in quatuor præfecturas, atque earum quælibet singulis consularibus attributa. Rursus novum induxit gubernationis systema in Italiam Aurelianus, si Pancirolo fides (*Ubi supra*), qui argui posse ex Spartiano arbitratus est, sub uno correctore omnem hanc regionem tunc revocatam. Ex Vopisco autem (*In Tacit. ap. Bacch. ubi supra*) conjicit Bacchinius, indicia quatuor consularium non obscure apparuisse sub Tacito Augusto. Quæ omnes variorum regiminum species cum longissime distent a specie vicariatuum Romani atque Italici, illæque ab apostolorum ævo tria integra sæcula, et amplius occupent, repetere liceat, vel Apostolos non efformasse ad normam imperii hierarchiam ecclesiasticam in Italia, vel eam quæ vigebat quarto et quinto sæculo toto cœlo distasse ab apostolica institutione. Nutante igitur opinionis de Ravennatis Ecclesiæ suffraganeitate præcipuo fundamento, corruat opus est opinio ipsa, quæ nulla alia enimvero solida ratione fulcitur.

11. Quarto solummodo ineunte sæculo imperium universum divisit Constantinus Magnus in quatuor præfectos prætorio, quorum præfectus prætorio Italiæ Africam, Sardiniam, Corsicam, et Siciliam cum insulis adjacentibus moderabatur præter Italiam ipsam, quam per laudatos vicarios regebat, alterum Romæ, Mediolani alterum residentem, cum ea Italicarum provinciarum partitione superius a nobis indicata (*Zosim. Hist. lib.* II. *ap. Bacch.*). Hæc autem ipsa Constantini Magni partitio Romani dominatus quot ab Augustis successoribus passa est vicissitudines! Quot provinciarum Italiæ commutationes, commixtiones, variasque distributiones! Consulat qui super hac re plura cupit, quæ Bacchinius (*Ubi supra*), quæ auctores centum veteres æque ac recentiores fusius scripserunt. Ne quarto igitur quidem sæculo ordinem hierarchicum Ecclesiarum Italicarum aptatum fuisse imperii systemati suspicari licet inter tot humanarum rerum perturbationes. His accesserunt Arianæ hæresis tempora, quibus et præcipue Constantio Constantini filio imperante, omnes pene Italicæ Ecclesiæ turbatæ, confusæ, atque eversæ fuerunt : adeo ut a veritate, ut ego quidem opinor, aberraret, qui ejusmodi ætate turbulentissima tributas a pontificibus summis fuisse assereret Mediolanensi episcopo septem Italiæ stricte sumptæ provinciarum Ecclesias, maxime quia hæresi in Italia eo ipso sæculo adhuc debacchante, jam metropolitica insigna præfulgebat Aquileiensis antistes, ut apud omnes in comperto est. Quæ ergo conjectura, quæ ratio superest pro Ravennatis Ecclesiæ subjectione?

12. Subscriptiones autem concilii Sardicensis innuere quidem aliquo modo possunt, inductam jam et firmatam Italicarum provinciarum distinctionem, quo tempore idem concilium celebrabatur, scilicet circa medium sæculi quarti, pluresque annos, postquam Constantinus vicariatum Urbanum ab Italico distinxerat; ac propterea ad eam distinctionem fortasse indicandam addi potuit ab episcopis septem provinciarum, qui concilio interfuerunt τὸ *ab Italia*. Verum frustra ab hoc addito emendicarunt doctissimi viri indicium vel prætextum effingendi Ecclesiam Mediolanensem omnium Italici vicariatus Ecclesiarum metropolitanam non solum ipso sæculo quarto, verum etiam, et multo magis sæculis præcedentibus. Primo in dubium revocare jure possemus, utrum τὸ *ab Italia* ad Mediolanensis vicariatus provincias designandas additum fuerit : primo quia eam denominationem ab Augusti ævo obtinuerat, ut pro Italia toto terrarum orbe cognoscebatur omnis ea regio quæ, ut supra innuimus, hinc ab Alpibus Cottiis, illinc a Siculo mari circumscribitur, cum ante Augustum Galliæ Cisalpinæ nomine tractus, qui ab Alpibus ad Rubiconem fluvium, Italiæ vero, qui a Rubicone ad Siciliam pertingebat, ubique appellaretur (*Strab., Polyb. Cluver., ap. Bacch. ubi supra*). Secundo quia ab ipso Sardicensi concilio non obscure declaratum est quid ipsum intelligeret nomine *Italiæ*, nempe non vicariatum tantummodo Mediolanensem, sed universam Italiam, et præcipue provincias suburbicarias; epistola enim ad Julium R. P. ita eum hortatur : *Tua autem excellens prudentia disponere debet ut per tua scripta, qui in Sicilia, qui in Sardinia, qui in Italia sunt fratres nostri quæ acta sunt, et quæ definita, cognoscant* (*Inter Hilarii fragm.*). Nam si ad fratres, qui in Italia erant, id est ad episcopos tantum vicariatus Mediolanensis animum tunc intendisset concilium, omnes alios exclusisset a scientia actorum, et decretorum suorum, qui in Campania, Brutiis, Umbria, cæterisque Romani vicariatus provinciis residebant episcopi; immo eos ipsos solummodo pontifici suggessisset, qui Synodo interfuerant cum imaginario Italiæ metropolitano, tacuisset vero eos qui abfuerant provinciarum vicariatus Romani, quorum vix unum aut alterum inter Patres Sardicenses reperimus.

13. Tertio quia neque Athanasius, et quod magis ad rem facit, neque ipse Constantinus Magnus rationem semper habuerunt hujus strictioris *Italiæ* denominationis, qua solum Mediolanensem vicariatum

respiciebat. Alter enim in libro de Synodis Picenum annonarium, quod inter Romani vicariatus provincias certissime numerabatur, tamen *Italiæ* vocabulo appellat, cum ait : *Ariminum urbs Italiæ;* in Piceno enim hanc sitam fuisse urbem, eaque ratione ad Romanæ provinciæ metropolitanum pertinuisse ejus episcopum, non autem ad Ravennatensem, omni conatu probare nisus est cardinalis Norisius (*Dissert. de* v *syn.*). Constantinus vero Augustus scribens apud Eusebium super celebratione Paschatis : *idcirco*, inquit, *id æquum omnes rectumque judicaverunt, quod et vobis placiturum esse spopondi, ut scilicet quod in urbe Roma, perque omnem Italiam, Africam, Ægyptum*, etc., *concordi sententia observatur, id vestra quoque prudentia libentibus animis amplectatur.* Ex quibus verbis luce meridiana clarius colligitur, τό *per omnem Italiam* in sensu Constantini extendendum esse tam ad septem vicariatus Mediolanensis quam ad decem Romani provincias, prout mehercle ab omnibus extenditur.

14. Quarto demum quia longe etiam post ad scitum Italiæ duorum vicariorum magistratum, *Italiæ* vocabulum pro integra regione quam uterque vicariatus complectebatur usurpatum fuit. Sic leg. 13 Codicis Theodosiani, quæ est de Accusationibus, et l. 2, de integri Restitutione, omnem simul Italiam a reliquis imperii regionibus distinctam legimus; l. 1, de Desertoribus, et l. 9, de Extraordinariis, integer tractus ab Alpibus ad mare Siculum nomine Italiæ indicatur. Pariter Campania, Tuscia, Picenum, Samnites, Apulia, Lucania, Brutii, Calabria, velut Italiæ provinciæ l. 7, de Indulgentia debitorum, immo urbicariæ et suburbicariæ Italiæ provinciæ appellantur. Leg. 9 et 13, et judices, consulares, correctores, vicarii ipsarum provinciarum, judices *intra Italiam* indistincte dicuntur. Quare cum prorsus aut æquivoca foret, et Constantino imperante, et post Constantinum, *Italiæ* denominatio, vel potius pro universa Italiæ regione acciperetur; frustra ab hujusmodi denominatione suffragium petierunt critici doctissimi, ut distinctionem regiminis provinciarumque distributionem firmarent, multo minus ut formam ecclesiastici regiminis ante et post Constantinum ad duos Italiæ metropolitanos contraherent.

15. At enim, aiunt, litem dirimit Athanasii epistola ad Solitarios, quæ et *Italiæ* denominatione indigitat provincias Mediolanensis vicariatus, et Mediolanum ipsum Italiæ metropolim. Esto. Sed quid inde pro ecclesiastica episcopi illius jurisdictione super septem provincias, præsertim vero tribus æræ nostræ superioribus sæculis? Sane qui diligentius Athanasii verba attenderit, alterum ex his sensum illa præseferre inveniet; aut enim nullo modo Mediolanensem episcopum ibi metropolitanum intelligit S. doctor, aut non omnibus vicariatus provinciis eum præsidere existimat. Et revera non ait Athanasius *Dionysius Mediolani metropolitanus Italiæ*, quemadmodum de Lucifero Calaritano, *Lucifer metropolitanus episcopus Sardiniæ*. Verum cum immediate post *Lucifcrum* appellat *Dionysium*, ipsum nominat, ut simplicem episcopum, Mediolanum autem, ut Italiæ metropolim, *Dionysius episcopus Mediolani, quod et ipsum est metropolis Italiæ*. Et id forte addidit Athanasius, ut sicuti urbem *Trevirim* dixerat Galliarum metropolim, ita et Mediolanum metropolis Italiæ solitariis suis agnosceretur, cum jam eo quo ad illos scribebat tempore et locum habuisset divisio Italiæ in duos vicarios præfecti prætorio, atque apud multos invaluisset stricta denominatio Italiæ respectu ad provincias Mediolanensis vicariatus. Si autem de metropolibus ecclesiasticis ibi loqui velis Athanasium, videas opus est, utrum τὸ *Italiæ metropolis est*, intelligendum sit de omnibus Italiæ stricte sumptæ provinciis, an de aliqua tantum ejus parte; verba enim *quod et ipsum est metropolis Italiæ* æque interpretari possumus in primo ac in secundo sensu. In primo sensu explicata complecterentur, ut diximus, septem Italici vicariatus provincias; in secundo sensu explicata significarent, Mediolanum unam esse ex ecclesiasticis Italiæ metropolibus : qua ratione alias metropoles non excluderet Athanasius, immo potius admitteret in ipso vicariatu Mediolanensi. Quod autem fortasse verius in hoc secundo sensu accipienda sint allata verba, *quod et ipsum est metropolis Italiæ*, patet ex comparatione, qua Mediolanum cum Treviri confert Athanasius : dixerat enim *Paulinus Trevirorum ac Galliarum metropolis est*, et inde *Dionysius episcopus Mediolani, quod et ipsum est metropolis Italiæ.* Sicuti ergo Treviris unica tunc non erat Galliarum metropolis ecclesiastica; vigebant enim primis etiam Christianorum sæculis *Arelatensis*, *Lugdunensis*, *Viennensis* metropoles; ita neque Mediolanum unica erat, aut ab Athanasio intelligebatur unica Italiæ metropolis ecclesiastica. Parum ergo proficiunt laudati Scriptores tanti Patris testimonio abutentes, tum quia ejus verba nullo modo probant, tribus superioribus sæculis Mediolanensem episcopum fuisse septem provinciarum metropolitam, quod præcipue erat ex eorum sententia demonstrandum; tum quia ipsa Athanasii verba, vel interpretari non possunt de Mediolano, ut ecclesiastica metropoli, vel intelligenda sunt de Mediolano non tamquam totius Italiæ metropoli, sed tamquam una ex metropolibus Italiæ.

16. Non majoris deinde sunt momenti ad subjiciendam Mediolanensi episcopo Ecclesiam Ravennatem, quæ desumuntur argumenta ab epistolis divi Ambrosii, ita ut miremur valde, emunctæ naris viros hujusmodi documentis plus æquo fidisse. Nam quod attinet ad Ambrosii epistolam, quæ est ad Vercellenses, verba illa : *Confligor dolore, quia Ecclesia Domini, quæ est in vobis, sacerdotem adhuc non habet, ac sola nunc ex omnibus Liguriæ, atque Æmiliæ, Venetiarumque, vel cæteris finitimis Italiæ partibus hujusmodi eget officio;* ea, inquam, verba Sirmondus triumphantis in morem opinioni suæ de Mediolanensi per Italiam metropolitano, nimia sane confidentia aptaverat. *An non*, ait, *abunde confirmat* (Ambrosius)

omnes Liguriæ, atque Æmiliæ, Venetiarumque; vel cæterarum finitimarum Italiæ partium Ecclesias ad Mediolanensis Ecclesiæ sollicitudinem pertinuisse (*Sirm. lib.* I *Prop. cap.* 8)? Sensit tamen futilitatem Sirmondianæ interpretationis cardinalis Norisius, qui verborum Ambrosii intelligentiam scite consecutus, *Ambrosius*, inquit, *in epistola ad Vercellenses illarum provinciarum meminit, non quod omnes sibi subjectæ erant, sed quod uti viciniores, ac sibi notiores in exemplum facilius adducere poterat* (*Nor. Diss. de* V *syn. cap.* 10).

17. Qua una doctissimi cardinalis responsione ab epistola ad Vercellenses expediti, ad alteram Vicohabentino episcopo inscriptam procedamus. *Commendo tibi, fili*, ait S. doctor, *Ecclesiam quæ est ad Forum Cornelii, quo eam de proximo intervisas frequentius, donec ei ordinetur episcopus : occupatus diebus ingruentibus Quadragesimæ tam longe non possum excurrere.* En tibi Ecclesia Imolensis dubio procul Mediolanensi suffraganea, cum pro ordinatione episcopi ab Ambrosio pendeat, et ejus visitationi subjaceat; immo Vicohabentina quoque ipsa, tum quia *fili* titulo episcopum interpellat Ambrosius, qui subjectionis titulus est, tum quia quinquaginta fere post annos D. Petrus Chrysologus in consecratione Marcellini Vicohabentini fassus est, se contradicente Mediolanensi episcopo (ita enim interpretantur) primum illud jurisdictionis metropoliticæ actum exercuisse. Cum autem Ecclesiæ istæ Fori Cornelii et Vicohabentiæ in provinciis Æmiliæ et Flaminiæ constitutæ fuerint, consequens est has provincias, ideoque Ravennam etiam, earum caput, Mediolanensis episcopi jurisdictionem sensisse.

18. Si Ludovici Antonii Muratorii sententiam de hac Ambrosii epistola consuleremus, forte illam dubiæ fidei atque, ut aiunt, apocryphum celeberrimus auctor arbitraretur, ea ductus ratione, quod ibi Ambrosius *filium* appellat episcopum Vicohabentinum; titulum enim istum vitio vertit Muratorius (Tom. II *Rer. Ital. pag.* 15) diplomati D. Gregorii Magni dato ad Marinianum archiepiscopum Ravennæ, quem S. ille pontifex *confratrem*, *filiumque charissimum* dicit; atque ob id etiam criminis inter apocrypha diploma illud amandavit, Hieronymum vero Rubeum, et Ferdinandum Ughellum levitatis insimulavit, qui documentum ejusmodi suis inscruerint historiis. Quod igitur Gregorio Magno summo pontifici non licuisse putat Muratorius erga Marinianum, quem ipse inter claustra monachum instruxerat, excoluerat, dilexerat; licuisse dicemus Ambrosio erga Constantinum, in quem nulla, quam sciamus, ei erat paternitatis ratio, nisi forte Metropolitani, si adversariis credimus (*Joan. Diac. Vit. S. Greg. lib.* III *c.* 7; *D. Greg. lib.* IV *epist.* 5)? Ubi vero legimus metropolitanum comprovinciales episcopos filii nomine appellasse? Sed ista mittamus, quæ ad rem nostram minime conducere videntur. Hisce autem ac similibus in D. Gregorii litteras cl. Muratorii objectionibus alibi a nobis satis, ut putamus, factum est.

19. Responderi vero criticorum nostrorum argumentationi posse crediderim, quod etiamsi admitteretur Imolensem et Vicohabentinam Ecclesias aliquando subditas fuisse Mediolanensi; negari tamen posse quod inde inferatur Ravennatis quoque subjectio. Leve enim et futile argumentum est in sententia Bacchinii (*Ubi supra*) ex forma et regimine civili particularium provinciarum consequentiam trahere ad formam et regimen ecclesiasticum ipsarum. Longum esset documenta omnia proferre quibus probatissimam tanti viri sententiam firmari animadvertimus, quorum tamen summa est : primo improbabile prorsus esse sanctissimam, et apostolicam Ecclesiæ hierarchiam coarctatam fuisse ad civilium provinciarum limites, qui modo contrahebantur, modo protendebantur, et juxta earum regiminis speciem, quam variatam millies fuisse indubium est, cum duas in unam provincias unitas legamus, tum unam in duas divisam, modo alteram, quæ suum præsidem habuerat, alterius provinciæ præsidi obtemperasse, modo aliis, iisque frequentibus, obnoxias fuisse variationibus. Secundo, cum apostoli non ex divisione provinciarum imperii, sed ex gentium conversione et Ecclesiarum fundatione earum hierarchiam metiti fuerint, ut ipse Bacchinius mira eruditione fusius probavit (I *et* II *part. ubi supra*), nosque in 3 cap. breviter innuemus; idcirco non ex limitibus, non ex gubernio, non ex materiali tractu provinciarum, ideoque non ex una, vel altera civilis provinciæ civitate, deduci potest, vel debet illius, vel alterius Ecclesiæ subordinatio ad aliquam metropolitanam, præsertim primis æræ nostræ periodis, quibus non omnes civitates Christi fidei statim adhæserunt, non omnes, licet ad Christum conversæ, episcopatum obtinuerunt, non integris civilibus provinciis, sed multiplicibus populis in circuitu ad Christum lucratis, Ecclesiisque a se fundatis apostoli, et discipuli Christianas provincias metiebantur.

20. Verum ad hominem magis respondendum est interpretationi contra Ravennates allatæ verborum D. Ambrosii; et primo dicendum, nullum omnino indicium, quod aut certum, aut probabile sit, Ambrosianis verbis subesse, episcopi Imolensis ordinationem seu consecrationem a Mediolanensi pendere; neque enim ait S. doctor, *donec* A ME *ordinetur, vel probetur episcopus*, sed simpliciter Ecclesiam illam Vicohabentino commendat, *donec ei ordinetur episcopus*, quæ commendatio ex charitate promanans, cuicumque episcopo, ut statim observabimus, conveniret. Secundo, quod vero attinet ad visitationis munus quod sibi iis verbis vindicare videtur Ambrosius in Ecclesia Imolensi : *Occupatus diebus ingruentibus Quadragesimæ tam longe non possum excurrere;* facile patebit Ambrosii tempora consideranti, visitationem illam non metropoliticæ jurisdictionis, sed apostolicæ prædicationis, et legationis signum, et opus in eo fuisse. Meminisse hic autem oportet, quæ de hæreseos Arianæ cladibus superius leviter attigimus, Italiæ fidem corruptam, disciplinam sursum

versum turbatam, plurimas Ecclesias catholicis episcopis spoliatas, ab lupis Arianis invasas. Est qui credat, Auxentii Mediolanensis usurpatione, tunc primum provinciam Ecclesiasticam Mediolanensem coaluisse, non paucis Italiæ circumquaque episcopis in sensum, et in conciliabula hæretici illius convenientibus, ut Augustorum Auxentii et hæresis fautorum minis se eriperent, exsilia et mortes evitarent (*Bacchin. ubi supra*). Hanc miseræ Italiæ faciem non paucis annis confirmarunt, etiam post Constantii imperatoris obitum, tum Juliani Apostatæ infeliciora tempora, tum Arianorum præpollens tyrannis, tum Justinæ Arianæ imperatricis favor, Damaso pontifice cum secunda ab eo Romæ celebrata synodo, anathematis et depositionis fulmina contra Auxentium nequidquam intorquente.

21. Porro *post Auxentii seram mortem Mediolani Ambrosio episcopo constituto omnis ad fidem rectam Italia convertitur*, ut testatur D. Hieronymus (*In Chron. ad an.* 11 *Gratiani*), et de semetipso Ambrosius loquens : *Dissensionum omnium procella deferbuit : cuncti sæcularis cupiditatis ardores, æstusque omnes, quibus Italiæ populus per Judaicæ olim Arianæ proximæ levitatis incendia coquebatur, sereno jam spiramine temperatur* (*Ambros. Comment. in Luc. lib.* IX *cap.* 20). Nam cum episcopali infula apostolatum et sanctæ sedis legationem assumpsit Ambrosius, perversasque circumiens Italicarum provinciarum Ecclesias, prædicatione, disputatione, doctrina, labore, contentione omni catholicam fidem restituit, Ecclesias reparavit, Arianos lupos qua ejecit, qua in legitimos pastores convertit, qua novos episcopos constituit. Ex quo factum conjecerunt aliqui ut quæ jurisdictio metropolitica sub invasore Auxentio illegitime irrepserat, sub vero apostolo ac patre sanctificata confirmaretur super Ecclesias variarum provinciarum ab eo ad fidem restitutas. Cui opinioni neque repugnamus, neque annuimus.

22. Nos autem Ambrosii apostolatum prosequimur, illique, et pontificiæ, qua fungebatur legationi, non metropoliticæ dignitati acta ejus in Ecclesia Imolensi, atque etiam, si placet, in Vicohabentina tribuimus. Ambrosius vero in alienis provinciis, et in alienis Ecclesiis prædicationis, visitationis et ordinationis munera exercuisse, mirabitur nemo, qui ecclesiasticam historiam tantisper calluerit. Centum hæc historia suppeditat episcoporum exempla, quibus populorum, et Ecclesiarum etiam propriæ curæ non commissarum cura alte inerat animo, ac propterea sive apostolica legatione fungentes, vel alio quovis legitimo titulo illas visitabant, synodos ibi celebrabant, episcopos ordinabant, vicinioribus, seu principalioribus commendabant. Quis est autem qui nesciat Eusebii Vercellensis, Osii Cordubensis, Pictaviensis Hilarii et Luciferi Galaritani, per Orientem itinera, labores, celebrata concilia, episcopos consecratos? Quis Cypriani epistolas pro Galliarum Ecclesiis, Theodoreti pro Africanis ignorat? Athanasium legimus Damaso pontifici veluti succensere, qui Mediolanensi Ecclesiæ, Auxentio pulso, non consuleret, *scripsimus dilecto Damaso episcopo magnæ Romæ contra Auxentium invasorem Mediolanensis Ecclesiæ. . . . . miramurque, cur nondum depositus ejectusque sit ex Ecclesia* (*Athan. epist. synod. ad Afric.*). Cyrillum vero Alexandrinum, cui damnati Nestorii causa Orientales universos, ipsumque juniorem Theodosium infensos reddiderat, nihilominus centies protestantem audimus, sibi omnium Ecclesiarum, non suæ tantum, curam habendam esse. Hauserat ille fortasse zelum istum apostolicum ex Cypriano, qui ad Stephanum Romanum pontificem scribens de Ecclesia Arelatensi, quam Martianus ex Novatiani secta episcopus inficiebat, asserere non dubitavit, *Cui rei nostrum est consulere, et subvenire, frater charissime, qui divinam clementiam cogitantes, et gubernandæ Ecclesiæ libram tenentes*, etc. Nempe sua quoque interesse debere Ecclesiæ Arelatensis bonum, zeli et charitatis causa judicabat sanctissimus antistes, pontifici autem Stephano id incumbere, supremæ jurisdictionis in universam Ecclesiam potestate et auctoritate.

23. Apostolum igitur, et pontificium legatum agens Ambrosius, inter tot Ecclesias, quas vel ad fidem revocaverat, vel episcopis donaverat, hisce beneficiis cumulare facile potuit Imolensem quoque et Vicohabentinam, fortasse Arianorum labe prius infectas, vel præpotentia episcopis spoliatas, quamvis ad suæ ditionis jura minime spectarent. Porro dubium omne tollit quorumdam scriptorum assertio de Ambrosii pontificia legatione, qua Damasi et Siricii summorum pontificum vices gerens, ea omnia peragere licite et valide potuit in hisce Ecclesiis, quæ cæteroquin non potuisset. De hac legatione dubitare haud licet, si Ecclesiæ etiam primorum sæculorum disciplinam, si sacros canones inspiciamus : præcipue vero id dubitare non licet auctoribus illis, inter quos Bacchinius, Thomassinus et alii, qui nullum in Italia metropolitanum fuisse, præter Romanum antistitem, omnibusque illum hujus regionis Ecclesiis præfuisse, non tamquam primatem solummodo, sed etiam tamquam immediatum archiepiscopum, per tria vel quatuor priora sæcula mordicus senserunt et docuerunt ; omnium enim prudentiorum criticorum opinio est, si quando vel alienæ provinciæ Synodo præesse episcopum aliquem, vel alienæ Ecclesiæ novos episcopos ordinare, aut quemcunque alium jurisdictionis actum emittere legimus, nonnisi pontificia auctoritate id factum, vel apostolica legatione, esse credendum. Quapropter cum Paulino Antiochiæ episcopo consecrationis benedictionem impertitus fuerit Lucifer Calaritanus, illum legatione Romana munitum asseruit Christianus Lupus ; eoque ministerio insigniti etiam creduntur Eusebius Vercellensis et Hilarius Pictaviensis.

24. Verum de D. Ambrosio diserte id asserit Franciscus Ballarinus ex antiquo Breviario Patriarchico, quod Comensi Ecclesiæ usque ad Clementis VIII tempora in usu fuit : *Beatus Ambrosius temporibus Da-*

masi papæ et Theodosii imperatoris Ecclesiam Mediolanensem regebat, apostolica fungens legatione, qui et vicinarum regionum Liguriæ, Æmiliæ, Venetiæ, Rhetiarumque, et Alpium Cottiarum Christianis præerat, quo per superiorum temporum calamitates episcopis destituti fuerant. Idem Benedictus Jovius, idem Christianus Lupus nuper citatus crediderunt. Cui assertioni vim quidem maximam addit res Syrmii gesta, atque a Baronio ad ann. 330 relata, multoque prius a Paulino in Vita Ambrosii. Defuncto Syrmii episcopo, orta est contentio inter catholicos et Arianos super novo eligendo pastore. Catholicum illi, Arianum isti petebant, et his quidem adhærebat Justina hæretica imperatrix. Re ad Ambrosium delata, accurrit S. doctor, et catholicum episcopum eligi curat, electum Anemium consecrat. Syrmium dubio procul caput erat Illyrici, atque etiam ecclesiastica metropolis : igitur in illius Ecclesiam nullum jus acquisitum fuerat episcopis Mediolanensibus. Quapropter acta electionis et ordinationis Anemii nonnisi legationi apostolicæ, cujus facultatibus utebatur Ambrosius, veniunt tribuenda. Concludendum igitur ex epistola S. doctoris ad Vicohabentinum falso erui Imolensis episcopi vel ordinationem, vel approbationem, ejusque Ecclesiæ, itemque Vicohabentinæ subjectionem, eoque minus Ravennatensis.

25. De tumido Schelstratii argumento, quo Mediolanensis jurisdictionem amplificare conatur ex concilio et epistola synodica Eusebii ad Leonem Magnum, pauca adhuc supersunt hic delibanda. Quamquam ubi dixerimus Schelstratium hoc concilio, hisce litteris gloriari, ut ostendat quæ fuerit amplitudo Mediolanensis metropolis *ante institutos Ravennensis et Aquileiensis Ecclesiæ metropolitas;* gloriosum istud argumentum per se statim evanescet omnino, tum quia synodo illi vix unus, et forte ne vix quidem ex tot Aquileiensis provinciæ episcopis interfuit, adeo ut ex illorum præsentia nequiverit ad suffraganeitatem illius provinciæ consequentiam trahere; et quod mirabilius est, id notavit, et fassus est loco citato ipse Schelstratius iis verbis: *Hisque Histriæ et Venetiæ provincia dumtaxat deesse dignoscitur, quibus exceptis in reliquas Italiæ regiones Mediolanensis episcopus tamquam Italiæ metropolitanus jus obtinebat.* Unde ergo jactatæ amplitudinis argumentum habet synodus Eusebiana ante institutum Aquileiensem metropolitam? Tum etiam quia synodus isthæc Mediolanensis habita fuit medio sæculo quinto, anno scilicet 451, ut in Baronio, Binio, aliisque scriptoribus videri potest. Aquileiensis autem Ecclesia, testante ipso Schelstratio, sub Damaso papa ad metropoliticam dignitatem evecta creditur (de qua opinione legendus Bernardus Rubeus, qui Aquileiensis Ecclesiæ jura, doctissimo edito opere, nuper vindicare contendit), nempe fere integro sæculo ante celebratam synodum Eusebianam. Ravennatensis vero viginti saltem jam annos eadem præfulgebat prærogativa, scilicet ab anno 431, ut Tillemontius, et forte multo ante, ut alii arbitrantur, sed indubie A quidem Petro Chrysologo eam moderante, ut omnes ad unum conveniunt. Qui S. doctor cum ad superos evolasset anno 451, et cum episcopum Vicohabentinum in præcedentibus D. N. J. C. Natalitiis consecrasset, immo anno 446, sanctum quoque Projectum Imolensem episcopum (de quibus rebus omnibus in tertio capite fusius dicemus), evidens est eum jam metropolitanum induisse ante synodi Mediolanensis celebrationem. Ubi igitur amplitudo illa, a Schelstratio jactata, ex hujusmodi synodo ante institutos Aquileiensem et Ravennatensem metropolitas?

26. Fatendum est ergo ne per synodum quidem Eusebianam, aut per epistolam ejus synodicam contra libertatem Ravennatensium quidquam probari B posse. Quod si eam ab episcopis Placentino, Brixilliensi, et Rhegiano subscriptam quis objiciat, atque inde argumentum instauret, Æmiliam provinciam, cujus civitates erant Placentia, Brixillum, et Rhegium, Mediolanensi episcopo paruisse, atque adeo Ravennam Æmiliæ caput, saltem ante acceptum pallium archiepiscopale, eadem subjectionis nota laborasse; multiplices occurrunt æque magni ponderis responsiones.

27. Et primo quidem dubitatum est a quibusdam, an synodus hæc Eusebii provincialis fuerit, scilicet solius provinciæ Mediolanensis synodus. Baronius, Ughellus, aliique illam provincialem arbitrati sunt, omnesque suffraganeos episcopos ad eam convenisse, litterasque synodicas proprio nomine signasse. C *Exstat quidem*, ait Baronius, *de his epistola synodalis omnium comprovincialium episcoporum subscriptionibus consignata.* Negant tamen Ticinenses scriptores, qui patriam Ecclesiam speciali libertatis privilegio a primis usque sæculis donatam volunt; negant, inquam, Crispinum Papiensem episcopum, cujus subscriptio legitur ad epistolæ calcem, concilio interfuisse, ut Mediolanensis suffraganeum, multasque rationes in medium afferunt, quas criticis examinandas relinquimus. Idem sentiunt Comensis Ecclesiæ historici atque patriarchatus Aquileiensis amplificatores, quibus persuasum fuit Comensem episcopum, alterum ex præsentibus Eusebianæ synodo, numquam Mediolanensem, semper vero Aquileiensem in archiepiscopum suum agnovisse. Accedunt D Ravennatenses ad negativam sententiam, asserentes Brixilliensem, Rhegiensem et Placentinum episcopos Æmiliæ, synodo Mediolanensi interesse nullo modo potuisse, ut suffraganeos; vel enim a primordiis rei Christianæ Æmilia omnis episcopo Ravennati addicta fuit, vel quinto tantum sæculo nostra hæc metropolitica in Æmiliam dignitas emersit. Evidens est numquam tres illos episcopos inter Mediolanenses suffraganeos numerari posse, cum ab omnibus utriusque sententiæ de initiis hujus dignitatis auctoribus admitti nequeat, neque admittatur, dimidiata Æmilia, aliquas ex ejus Ecclesiis Mediolanensi datas, alias Ravennati, contra universalissimam omnium hypothesim, scilicet hierarchiam ecclesia-

sticam ubique aptatam fuisse hierarchiæ civili, quod præsertim quarto et quinto sæculo in particularibus Italiæ provinciis fieri cœpisse existimat, cum plerisque criticis abbas Bacchinius. Si igitur nostri illi Æmiliæ episcopi synodum Eusebianam petierunt, litterasque ad Leonem Magnum consignarunt, non ideo de Mediolanensi provincia credendi sunt, neque per consequens illa synodus habenda est mere provincialis.

28. Urget secundo non levis etiam ponderis animadversio. Si enim dicamus ad hanc synodum *omnes* convenisse provinciales, nullos autem alterius provinciæ Ecclesiasticæ episcopos, admittendum necessario erit in regiminis ecclesiastici ordine absurdum non exiguum, truncatas scilicet non paucas Italiæ provincias, confusamque ut cum maxime quæ pulcherrima erat in aliis Ecclesiæ partibus hierarchiam; provincia enim ecclesiastica Mediolanensis primorum sæculorum composita dici deberet ex tribus Æmiliæ episcopis, ex duobus Rhetiæ, ex totidem Alpium Cottiarum, ex uno Venetiarum præter Liguriæ episcopos: quod apud criticos omnes absurdissimum esset, juxta nuper allatam eorum de hierarchia ecclesiastica sententiam.

29. Advertendum tertio ad hanc ipsam Eusebii synodum missos fuisse a Leone Magno legatos Abundantium et Senatorem. Cui quidem apostolicæ legationi, quatenus vera fuerit, tribui commode potest convocatio ad Eusebii conventum aliquot episcoporum alienæ provinciæ, quemadmodum non paucis exemplis probari potest, id nec novum, nec insuetum fuisse. Eustachius ipse a S. Ubaldo, propugnans contra cl. Muratorium diploma Attonis episcopi Vercellensis, lectum in synodo Mediolani habita an. 945, sub Olrico archiepiscopo, animadversionem hujusmodi nobis suppeditavit; cum enim inter suspicionis notas, quas Muratorius in hoc diploma congesserat, illam dilueret de præsentia isti synodo aliquot episcoporum qui non erant de provincia Mediolanensi, hæc habet Eustachius: *Legatum pontificium concilio, de quo loquimur, præsedisse velim animadverti; intelligere hinc enim est sub metropolitani jurisdictione non comprehensos antistites potuisse ab eodem* (legato) *ad illud convocari.* Advertendum quoque censemus, eam ipsam ob causam, damnandæ scilicet Eutychianæ hæresis, et epistolæ magni Leonis ad Flavianum approbandæ, alias in Occidente synodos coactas fuisse, et præcipue in Galliis, in Hispania et in Illyrico, omnesque istas non provinciales, sed plurium provinciarum nationales, a quibus similes huic nostræ Eusebianæ fuerunt ad S. pontificem scriptæ epistolæ synodales. Quare nihil prohibet, immo ratio suadet, Eusebianam quoque non provincialem, sed nationalem fore appellandam, opinandumque aliquot ex aliis Italiæ provinciis episcopos ad eam vocatos fuisse fortasse a Leonis Magni legatis. Et revera Natalis Alexander huic opinioni suffragari videtur, cum ait convocatum ab Eusebio diœceseos Italiæ conventum, quod certe et mandato Leonis, et nuntiorum apostolicorum auctoritate fecit.

30. Neque nobis stomachum moveat Eustachius a S. Ubaldo inani illa nominis *coepiscoporum* interpretatione, qua sub hujusmodi appellatione cadere dictitat episcopos tantum suffraganeos, ideoque cum in laudata synodica *coepiscopos* appellat Eusebius, quos ibi subscriptos videmus, hos ejus suffraganeos fuisse omnes. Nam in meridiana luce talia objectantem cæcutire arbitramur, quando plena omnia sunt vetera Patrum monumenta isto *coepiscopi* vocabulo, vel cum de alterius provinciæ, vel cum de æquali, vel cum de inferiori, aut superiori episcopo loquuntur. Consulatur pro omnibus D. Cyprianus, qui epistola ad Stephanum Romanum antistitem, Gallicanos diserte vocat *coepiscopos nostros*. Verum in re adeo evidenti grave est diutius immorari. Quare argumentum absolvimus, et quia Eusebii concilium probari non potest provinciale, concludendum est frustra præsentia episcoporum Æmiliæ, illorum suffraganeitatem conjectari.

31. Cæterum duo adhuc consideranda super hac ipsa præsentia nobis supersunt, alterum quod primis Ecclesiæ sæculis, et fortasse etiam aliquot posterioribus præsentia isthæc episcoporum alicui synodo certum indicium subjectionis non erat; alterum, quod etiamsi vere tres illi Æmiliæ episcopi tunc fuissent Eusebio suffraganei, non ideo posset idem argui de Ravennate Ecclesia ante acquisitam dignitatem archiepiscopalem. Primum quod spectat satis habemus ad concilia prioris illius et posterioris etiam ætatis oculos convertere, ut de propositionis nostræ veritate certiores fiamus. In concilio Arelatensi primo contra Donatistas, Constantini magni cura celebrato, notum est, quòt ab diversis totius Occidentis provinciis adfuerunt episcopi, quos certo certius Arelatensi non dixeris suffraganeos. Sub Liberio papa aliud in eadem civitate habitum est concilium, nec tamen omnes qui illuc confluxerant Ecclesiæ pastores, atque inter eos Paulinus Trevirorum, Saturninum Arelatensem metropolitanum habuere. Scimus Osium Cordubensem, Eusebium Vercellensem, Hilarium Pictaviensem, Ægyptiacis atque Orientalibus conciliis astitisse; ideone vel Alexandrini, vel Antiocheni episcopi comprovinciales vocabuntur? Tandem Aquileiensem synodum in causa Palladii sub Valeriano episcopo composuerunt tum Itali, tum Africani, tum Gallicani præsules, penitus ab Aquileiensi jurisdictione exempti: secus Mediolanensis ipse pastor Ambrosius, qui et ipse intererat, Valeriano subditus foret censendus.

32. Neque objicias cum Baronio (*ad an.* 381) Aquileiensi concilio præfuisse Ambrosium, et quamvis Valerianus primus sederet, primus subscriberet, id ætatis et ordinationis prærogativæ concessum, qui primorum conciliorum mos fuerat. Nam etsi morem istum facile concedamus, licet non semper et ubique observatum: tamen eadem facilitate negamus morem istum spectasse metropolitanos, apud quos

synodi habebantur, vel earumdem præsides, quemadmodum cum Leone Allatio sentit Petrus de Marca, ostendens, citatis canonibus Apostolico 35, Antiocheno 9 et Bracarense 24, si quando in conciliis episcopi confuso ordine sederent et subscriberent, metropolitanis tamen in eorum provinciis, et præsidibus conciliorum, priorem sessionis et subscriptionis ordinem servatum esse : ait enim Bracarensis canon : *Conservato metropolitani episcopi primatu, cæteri episcoporum secundum suæ ordinationis tempus alius alii sedendi deferat honorem.* Videant autem Mediolanenses, ne dum Ambrosium Aquileiensi synodo præfuisse pertinaciter contendunt, quamvis secundus a Valeriano et sederet, et subscriberet; in dubium et ipsi inducant, cum Eusebius synodi Mediolanensis, de qua modo agimus, præses fuerit, licet prior sua subscriptione epistolam ad Leonem Magnum consignaverit; et nobis arma præstent contra jactatam ab eis sessionem in conciliis Mediolanensis antistitis supra Ravennatensem. Quoad exempla conciliorum post eam ætatem habitorum, sufficiat pro omnibus synodus Ticinensis celebrata an. 876, et quæ deinde confirmata fuit ab alia synodo apud Pontigonem ejusdem anni (tom. XI Concil. pag. 279). Illi autem Ticinensi synodo subscripserunt inter multos alios Mutinensis, Placentinus et Florentinus episcopi, qui certissime eo tempore non erant provinciæ Mediolanensis. Præterimus superius memoratam Olrici synodum an. 945, ubi Boso Placentinus, Sigifridus Parmensis, Wido Mutinensis, et alii alienarum provinciarum episcopi interfuerunt et subscripserunt. Præterimus alteram synodum, quam Ticini celebravit Anspertus archiepiscopus Mediolanensis an. 876, ubi, nullo præsidente nec præsente apostolico nuntio, adfuerunt Mutinensis, Comensis, atque Aretinus, certissime non subjecti metropolitano Liguriæ. Ticinensem pariter alteram non adducimus an. 966 a Walperto archiepiscopo convocatam, quam præsentia et subscriptione sua firmarunt episcopi Parmæ, Placentiæ et Novicomii. Satis enim superque ex dictis innotescit, subscriptiones et præsentiam episcoporum alicui synodo non semper arguere eorum subjectionem. Solummodo pro coronide istius animadversionis addere liceat, in more fuisse apud antiquos primorum sæculorum archiepiscopos seu metropolitanos, alienæ etiam provinciæ episcopos in causis gravioribus ad proprias synodos vocare, ut ex canonibus Antiochenis atque ex notis Zonaræ et Balsamonis conjicit cl. Joseph Motta in aurea dissertatione de Jure Metropolitico num. 112 et seqq.

53. Alterum quod nobis erat propositum, postremo loco animadvertendum illud est, quod, licet Mediolanensibus concederemus suffraganeos eos Æmiliæ episcopos quos in Eusebii synodica scriptos reperimus, nulla tamen inde promanaret consequentia ad probandum, tam ipsam Æmiliam, quam Flaminiam, et cum eis Ravennatem urbem ante Eusebiana tempora metropolitano Liguriæ obedientiam præstitisse, si quæ de Foro Corneliensi et Vicohabentina Ecclesia num. 19 et seqq. superius conjecimus cum Bacchinio, ad examen revocemus, nempe tum quia prioribus sæculis regimen provinciarum ecclesiasticarum non potuerit finibus civilium provinciarum semper circumscribi, adeo ut limites earum civiles iidem essent ac limites ecclesiastici; tum quia Arianum schisma ecclesiasticos Italiæ ordines perturbaverit et civitates illæ a Ravennatis episcopi subjectione ad Auxentii Mediolanensis sequelam facile deficere potuerint in ea rerum omnium perturbatione, quæ postmodum ab Ambrosio in orthodoxa fide redintegratæ benefactricem Mediolani Ecclesiam adhuc sub Eusebio prosecutæ sint, licet proprio metropolitano jam restitutæ ex pontificis decreto et imperatoria sanctione.

34. Expensis hactenus criticorum conjecturis quæ ex regiminis Italici forma, ex Athanasii et Ambrosii epistolis atque ex synodica Eusebii Mediolanensis derivarunt, eas in præsens examinandas assumimus quas illis suppeditat argumentum negativum. De nullo alio, inquiunt, Italiæ metropolitano mentionem faciunt vetera monumenta, nisi de Romano ac de Mediolanensi in primis æræ Christianæ temporibus; Ecclesiæ igitur omnes Italiæ eorum alterutri fuerint subjectæ necesse est. Notissima autem est suburbicariarum provinciarum pervetusta descriptio, quæ Romano pontifici, ut metropolitano, parebant, et quarum episcopos consecrabat. Has inter neque Æmiliam, neque Flaminiam, neque Venetias habet notula illa suburbicariarum provinciarum : quapropter cum neque Aquileiam, neque Ravennam adhuc fuisse metropoles per ea tempora inveniamus, numerandæ profecto sunt inter Mediolanensis archiepiscopatus suffraganeas.

35. Contra hujusmodi negativum argumentum, quo omnes præter Romanam et Mediolanensem, aliæ metropoles excluduntur primis Ecclesiæ sæculis, disserendum erit consulto in cap. 3. Interea breviter respondemus cum Bacchinio, idem negativum argumentum retorqueri posse contra Mediolanenses, cum neque de metropolitica eorum jurisdictione innegabile aliquod documentum proferant illa ipsa priora tempora. *Metropolitanum in Italia ante Ambrosium nullus certis asserat documentis*, ait Bacchinius, atque allata in medium antiquiora quæ pro Mediolanensi metropoli facere videntur, omnia gravissime distringit, explicat, rejicit. Præsertim vero in apocrypharum numerum amandare non dubitat, narratiunculas quasdam de S. Barnaba apostolo, quem Mediolanensis Ecclesiæ institutorem primum, atque Italiæ metropolitanum effingunt. Nos autem in eam quæstionem sensum nostrum non immiscemus, neque præstantissimæ Ambrosianæ Ecclesiæ jura, præeminentias, ornamenta invidemus, præsertim postquam cl. Joseph Antonius Saxius traditionem patriæ Ecclesiæ de adventu Mediolanum S. Barnabæ eruditissimis vindiciis illustravit. Ravennatensis æque illustris, æque celebris Ecclesiæ libertatem propugnamus tantummodo; et satis pro nunc, superque

habemus, nullum profecto, vel minimum *documentum antiquum, positivum, et inalterabile*, ut ipsi fatentur, immo nullum veteris scriptoris testimonium, nullum probabile indicium, ut jam ostendimus, Mediolanensibus superesse, quibus de subjecta sibi Ravennate Ecclesia vel minimum glorientur.

36. Quapropter omittimus ad trutinam vocare, quæ de consecratione aliquorum Æmiliæ episcoporum, ac de nonnullis aliis jurisdictionis actibus illi magnificant, neque examinandum censemus, quibus auctoribus fidunt, quomodo vetusta aliquot verba interpretantur; longius enim ac proposueramus nostra protraheretur oratio. Unum est, in quo insistimus, nullum omnino vel tenuissimum probationis genus contra Ravennatem episcopum pro Mediolanense militare. E contrario autem aliquot positiva nostræ exemptionis ab jactatæ servitutis jugo nos utique proferre possemus indicia, inter quæ præcipuum illud esset, Ravennates antistites ab Romano pontifice consecrari consuevisse, quos metropolitani Mediolanenses passi non essent, si jus metropoliticum supra Ravennatem Ecclesiam obtinuissent, juxta antiquissimam et inconcussam Ecclesiæ disciplinam. Id probant S. Severi acta, qui ante Ambrosium; id acta S. Petri Chrysologi, qui annos fere quinquaginta post Ambrosium, a Romanis pontificibus consecrati fuerunt : Petri Chrysologi, inquam, dummodo incœptæ ab S. hoc episcopo dignitatis metropoliticæ sententia, licet communissima, errori non sit obnoxia, de qua inferius. Alterum exemptionis istius nostræ positivum indicium exhibent subscriptiones, de quibus in sequenti cap. 2 conciliorum Romani I, sub Julio I, et Sardicensis, inter quas prior omnino occurrit subscriptio episcopi Ravennatis ante Mediolanensem : *quod nequaquam fieri potuisset*, si Ravennatensis *tunc suffraganeus episcopi Mediolanensis fuisset:* quemadmodum argumentatur Schelstratius ex subscriptione Valeriani ante D. Ambrosium in prænarrata synodo Aquileiensi ad vindicandam per ea tempora hujus Ecclesiæ libertatem ab jugo Mediolanense. (Schelst. tom. II Antiq. Eccl. Dissert. 4, cap. 5, n. 8 et seqq.)

CAPUT II.

De litteris Clementis II Romani pontificis præeminentiam in conciliis Ravennati episcopo super Mediolanensem asserentis.

Non exiguum propugnatæ libertatis indicium est prærogativa sessionis quam in conciliis super Mediolanensem et Aquileiensem Ravennati archiepisco confirmavit Clemens II summus pontifex in synodo Romæ habita an. 1047, universa ipsa synodo antiquo Ravennatium juri suffragante. Nam si quando Ecclesia nostra Mediolanense jugum subiisset, illud in fervore quæstionis, toties, ut aiunt, Romæ excitatæ pleno ore jactassent archiepiscopi Mediolanenses, quod numquam Deo favente factum legimus, neque pontifices summi celeberrimo Ambrosii successori antistites nostros præposuissent, qui tali subjectionnis signo notati fuissent. Dexteram ergo pontificis in conciliari sessione Ravennatensi archiepiscopo confirmavit Clemens II, absente imperatore, sinistram vero illo præsente, vetuitque Mediolanensi et Aquileiensi, ne in posterum super hujusmodi prærogativa quæstionem moverent. Clementis diploma retulit Ughellus in archiepiscopis Ravennatensibus, ubi de Humfrido archiepiscopo verba facit.

Ea res Mediolanensium animos adeo stimulavit, ut fabulæ nomine synodi, et Clementis judicium, falsitatis vero nota ejus pontificis litteras commaculare non dubitaverint. Puricellius inter hosce obtrectatores eminet in Vita quam descripsit Laurentii Littæ. Hujus autem secutus est vestigia Eustachius a S. Ubaldo (*Sect. 4, c. 11, n. 389*), quem ab initio usque memoravimus. Quod spectat ad Aquileienses, hi Mediolanensium argumentorum viribus confisi, illis acquieverunt omnino, neque ulterius quæstionem prosecuti, prout videri potest apud P. Bernardum Rubeum (*Cap.* 56), nihil pro suorum patriarcharum præeminentia vindicanda sunt conati. Retulit quidem cl. Muratorius (*Tom. VI, ad ann.* 1047) nescio cujus Dominici patriarchæ testimonium, scribentis se in possessione esse ad dexteram papæ sedendi, atque idem repetit in relata dissertatione de jure metropolitico laudatus Motta n. 31. Verum præterquam quod ne verbum quidem iste Dominicus fecerit, an ea prærogativa potiretur in concursu Ravennatensis archiepiscopi; nulla omnino, ni fallor, de isto Dominico mentio apud Rubeum, neque invenitur in ullo ex catalogis Aquileiensium patriarcharum ad calcem ejus operis recensitis. Quare Mediolanensium scriptorum, qualiscumque auctoritatis ii sint, rationes ac testimonia, cum nusquam, quod ego sciam, a Ravennatibus perpensa fuerint, forsitan pro eorum levitate; id mihi consilium in animum venit, ut in synopsim redacta hic repeterem, excuteremque.

§ I. Quæ faciunt contra veritatem diplomatis Clementis II.

37. Aiunt igitur Puricellius et Eustachius a S. Ubaldo, Clementinas litteras ab aliquo impostore in gratiam Ravennatis archiepiscopi concinnatas, quæ deinde, sicut Ravennæ in S. Vitalis bibliotheca, sic etiam Romæ in archivo Vaticano, unde illas hausit Ughellus, reconditæ fuerint. Baronius nullum verbum habet quo se eas probare insinuet, nullum pariter habet Norisius ubi illarum meminit. Hieronymus Rubeus Ravennatium historicus, qui primus harum litterarum tenorem narravit, auctor est in hujusmodi diplomatibus suspectus, cum ad ann. 426 aliud pro Ravennati episcopo produxerit Valentiniani III imperatoris, contra quod veluti undequaque suppositum debacchati sunt post Baronium pene omnes scriptores.

38. Plura autem Clementinæ confirmationis veritatem infirmant; et primo esse illam incredibilem demonstrat contrarium decretum, paucos ante Romanam Clementis II synodum in consimili concilio emanatum. In coronatione enim Conradi Salici, quæ an. 1027 a Joanne XIX papa celebrata fuit in Vaticano, Heribertus Ravennæ archiepiscopus dexteram

Augusti apprehendens, eum pontifici ad altare sedenti præsentare præsumpserat. Reclamantibus autem Mediolanensibus, tumultuquē exorto, Conradus ipse publice pronuntiaverat archiepiscopo Mediolanensi officium illud præsentandi regis ex æquo et bono deberi, utpote qui ipsius regis Italiam adeuntis consecrationem coronationemque inchoaverat. Cujus dicto audiens pontifex prærogativam offerendi regem Mediolanensi adjudicaverat, coactaque synodo VIII idus Aprilis ejusdem anni confirmaverat, lege lata, ne in posterum archiepiscopus Ravennas se in negotiis pontificalibus præferre auderet Mediolanensi. Hanc autem narrationem derivarunt nostri auctores ab Arnulpho Mediolanensi scriptore, tunc manuscripto, modo typis edito doctissimorum Leibnitii primo, dein Muratorii opera, et notis aucto tomo IV Scriptorum Italiæ. Ergo non pro Ravennate, sed pro Mediolanense controversiam resolvit concilium. Idem scribunt Galvaneus Flamma, qui citat Henricum Barbamigram; Tristanus Calchus, Sigonius, Albericus de Rosate. Quam concilii legem credibiliorem reddit possessio præsentationis novorum imperatorum, quæ certe stabat pro Mediolanense; nam Othonem Magnum, teste ipso Sigonio, in æde prius divi Ambrosii consecratum, et corona ferrea redimitum, Romam associavit iste archiepiscopus, illumque pontifici obtulit inungendum et coronandum. Eodem munere functum etiam dicunt ipsum Mediolanensem anno 972, ex testimonio pariter Sigonii de Othone II scribentis: *Conventu peracto Romam ad tertiam imperii Romani coronam accipiendam, ipso archiepiscopo deducente, pergebat.* Qui ergo fieri potest, aliter sub Clemente II, anno 1047, sancitum fuisse, et Ravennati collatam præeminentiam, jam viginti retro annis pro Mediolanense decisam, hunc vero fuisse suo jure quæsito spoliatum? Hoc certe fidem elevat Clementinarum litterarum.

39. Porro Arnulphus prælaudatus, quem auctorem oculatum volunt prænarratæ historiæ de Clementis II electione, immo de Leonis IX ejus successoris pontificatu scripsit, neque ullum de Clementinis litteris verbum addit; facturus, si veræ fuissent, nam scriptor ille neque ipsis Mediolanensibus archiepiscopis pepercit. Quod majori nota dignum est, ex quo Arnulphus ipse narret a Nicolao II summo pontifice concessum subinde fuisse Widoni archiepiscopo Mediolanensi primo loco ad sui dexteram sedere in concilio Romano. Accedit quod idem auctor ita compositam asserit quæstionem in Conradi Salici inauguratione jactatam, ut postea omnis illa quieverit controversia. Verum igitur esse non potest illam exarsisse iterum post Conradi inaugurationem usque ad tempora Arnulphi.

40. Quia vero in Clementino diplomate recensentur litteræ quædam Joannis papæ Symmachi successoris, quibus præcedentia in conciliis dabatur Ravennatensi; urgent argumentum Mediolanenses: si ergo litteræ istius Joannis, si diploma ipsum Clementis II genuinum est, quomodo a dextris Nicolai II anno 1059 sedit Wido, a dextris Calixti II anno 1122 sedit Olricus, archiepiscopi Mediolanenses? Gratianum adde, qui dist. 17 loquens de synodis a Symmacho papa celebratis, *Hoc quoque*, ait, *notandum est, quod in hoc concilio, et in alia synodo Symmachi papæ ante Ravennatem episcopum Mediolanensis subscripsisse, et respondisse legitur, ex quo et sedis prærogativam ante eum habere colligitur.* Gratianus autem, qui suum decretum juxta Tritemium confecerat ab anno 1127 ad ann. 1151, apprime edoctus erat qui tunc temporis foret utrorumque archiepiscoporum in synodis sessionis modus, quapropter loquendo de tempore præsenti *habere*, non de præterito *habuisse*, satis indicat eo vivente præcessisse Ravennati Mediolanensem, nullamque habitam de Clementis bulla rationem, quæ ideo si exstasset, non fugisset Gratianum. In synodis vero sublimiori loco sedere, ac priorem loqui, prout de Mediolanensi scriptum reperimus in conciliis Symmachi, prærogativæ dignitatis indicium sapit, ut ex ipso Gratiano, Glossa, Tiraquellio, Barbosa aliisque probare nituntur.

41. Videmus autem in tribus Symmachi conciliis, ann. 501, 502 et 503, habitis, duplici illo præcedentiæ honore insignitum Laurentium Mediolani præ Ravennæ episcopo Petro: immo illæ ipsæ synodi, immo Ennodius in earum defensione, Theodoricus rex ad easdem scribens, Baronius et Sigonius in ipsarum synodorum relatione, cum utrumque prælatum memorant, primo Laurentium, tum Petrum nominant. Concilio etiam sub Agathone anno 680 Romæ celebrato prior subscripsit Mansuetus Mediolanensis, deinde episcopus Aquileiensis, tertio Theodorus Ravennas: quem fuisse verum subscribendi ordinem laudat cardinalis Norisius dissert. de V synodo cap. 10. Tum in alio conventu anno 963, præsidente Joanne XII, et astante Othone I, Romæ habito, ante episcopum Ravennæ sedit et subscripsit Walbertus Mediolanensis, referentibus Luitprando et Binio. Sedisse autem a dextris Nicolai II, et primo loco subscripsisse Widonem an. 1059, ut dictum est, affirmat citatus Arnulphus, Galvaneus Flamma, Ughellus. Item in concilio Lateranensi sub Calixto II Olricus Mediolanensis dextram apostolici occupavit, ut ex eorum temporum scriptore Landulpho de S. Paulo eruitur, qui de Grosulano etiam anno 1103, et de Jordano anno 1116, archiepiscopis Mediolanensibus idem scribit, et ex eo Puricellius in Vita Laurentii Littæ cap. 23, n. 42. Verum quia non appareat synodo Nicolai II Ravennatem archiepiscopum simul cum Mediolanense interfuisse, neque a relatione Landulphi præcise argui possit an in conventu Calixti affuerit Ravennas, cum Olricus a dextris papæ sedere dicitur: ante occupat difficultatem Eustachius a S. Ubaldo, atque opinatur in iis conciliis, quia eorum primo 113 Patres, alteri 300 et amplius, et forsitan usque ad 426 interfuerunt, ideo credendum esse Ravennatem etiam interfuisse atque adeo sub Mediolanense, qui primus a dextris papæ erat, sedisse.

42. Alterum suspicionis argumentum contra veritatem Clementinarum litterarum ipse earum tenor Mediolanensibus præstat. Inscriptio enim *Clemens episcopus omnibus S. Ecclesiæ filiis*, pariterque conclusio *bene valete*, non eis arridet. Non agebatur, inquiunt, in ea controversia de aliquo fidei articulo, cujus explicatio omnes Ecclesiæ filios, quibus hæc bulla inscribebatur tangeret, et impropria erat, si recte perpendatur conclusionis formula, *bene valete*. Aperitur etiam in litteris Clementinis Petrum Ravennatem primam sedem in Symmachi papæ synodis cessisse Laurentio Mediolanensi, *non aliquo jure, sed humilitatis gratia*; cum certum sit prælatos, quo sanctiores, eo firmiores pro suarum Ecclesiarum juribus stetisse; et locum sustinere sibi debitum non cedere, virtutis esse partes. Sed esto cesserit præ humilitate; num etiam humilitati tribuendum erit Ennodio, Theodorico regi, aliisque auctoribus, qui priorem Petro Laurentium nominarunt? Ad quid autem in synodis illis ejusmodi humilitas? Quinam vero iste titulus humilitatis, si Laurentio debebatur prima sedes ante Ravennatem Petrum tum consecratione antiquiori, tum propriæ dignitatis præeminentia? Ostendatur saltem aliquod monumentum, quo ante Laurentii episcopatum probetur Ravennatensi primum locum fuisse attributum.

43. Cæterum ait in supposititia bulla Clemens II Petrum Ravennatem Laurentio cessisse in conciliis Symmachi *illo tantummodo casu*. At cur illo, non aliis autem casibus humilitatis actus? Atque ecce contradictio: non uno tantum casu, sed tribus diversis temporibus ante Ravennatem Petrum subscripsit Mediolanensis et sedit, scilicet in synodis III, IV et V Symmachi. *Item si multoties ventilatum a retro pontificibus prædecessoribus nostris, aut vix, aut nullo fine sopitum est synodi sedendi jurgium*, quemadmodum loquuntur litteræ istæ Clementinæ: quare nullibi legitur super jure præcedendi inter hos archiepiscopos fuisse altercatum? Et revera non aliud indicium istiusmodi altercationis apparet, nisi ex relata Conradi Salici coronatione, ubi secundum Mediolanensem est pronuntiatum. Quare cum a Symmachi ætate ad annum 1027, nulla supposite quæstionis memoria resultet, dicendum in possessione præcedentiæ perseverasse Mediolanensem, et litteras Clementinas, quæ multoties altercatum fuisse mentiuntur, ex hoc etiam capite fidem non mereri.

44. Sed ex duplici ulterius alio capite claudicat diploma istud; cum enim legatur quod orta in concilio Clementis II controversia de præcedentia sessionis inter utrumque archiepiscopum, Mediolanenses propria jura et monumenta protulisse, *statim prolatus quidam catalogus nominum eorum archiepiscoporum qui interfuerunt synodo Symmachi papæ, ubi præscriptus erat Mediolanensis archiepiscopus*, nullumque aliud allegatum fuisse jus aut privilegium; id enimvero inverisimile prorsus videtur. Ubi enim metropolis anterioritas? Ubi antiqua Ravennatum subjectio? Ubi jus eligendi, coronandique reges Italiæ? Quorsum omissa obtentæ in subsequentibus conciliis præcedentiæ exempla, de quibus non dubitatur, sub Agathone anno 680, sub Joanne XII, anno 963? Cur sola Laurentii sessio in Symmachi conciliis adducitur in exemplum in re tanti momenti? nulla certe in ejusmodi omissione credibilitatis species. Litteræ insuper Joannis I, fidem facientes de cessione loci facta a Petro Ravennatensi humilitatis gratia in Symmachianis synodis, privilegium vocantur in eodem Clementis II diplomate; etenim Mediolanensibus exemplum illud jactantibus opposuerunt statim Ravennates memoratas Joannis primi summi pontificis litteras: *Quo contra ostensum est privilegium Ravennatis Ecclesiæ, qualiter illa inscriptio nominum non aliquo jure, sed potius gratia humilitatis evenerit;* et iterum *placuisse papæ Joanni successori illius Symmachi ipsum privilegium fieri;* quæ cum solam attestationem contineant, a ratione privilegii prorsus abhorrent. Tandem quomodo verificari possunt postrema illa verba Clementinæ bullæ: *Sedem enim Ravennatis archiepiscopi jubemus semper esse a dextris nostris, nostrorumque successorum secundum antiquæ constitutionis auctoritatem*? Et qualis hæc antiqua pro Ravennate constitutio? Ea vero etiam præexistente, qua fronte paulo ante verba nuper allata dixerat pontifex, *Quisquis enim sibi juxta nos dexteri lateris locum vindicabat, et cui jure deberetur, nobis incertum erat.* Si Clementi nota erat antiqua pro Ravennate constitutio, quomodo illi incertum cuinam ejus dextera deberetur? Item e contra si id erat illi incertum, quomodo nota antiqua illa constitutio? Quare concludunt Puricellius et Eustachius: *Non aliis opus est ut eæ litteræ rejiciantur argumentis.* Effictæ ergo fuerunt ab aliquo Ravennatensium privilegiorum amplificatore post annum 1027, quo ea quæstio excitata fuerat in coronatione Conradi, et decisa secundum Mediolanenses.

45. Quia tamen a Ravennatibus opponi facillime poterat eorum episcopum tum in concilio I Romano sub Julio I ante Mediolanensem nominari, tum in nonnullis scripturis, scilicet in distributione largitionum Caroli Magni ex Eginardo apud Baluzium, tum in gestis Friderici imperatoris ab Othone Frisigensi scriptis, tum in gestis Othonis I imperatoris, per Luitprandum collectis, qui secundum a papa archipræsulem vocat Ravennatensem; idcirco respondent Mediolanenses, anno 337, quo Julius I concilium celebravit, Ravennatem episcopum nondum metropolitam fuisse, quare a denominatione simplicis episcopi ante archiepiscopum non potest argui Ravennatis præcedentia; quæstio enim est, quisnam post papam primus archiepiscopus: præterquam quod in primis illis conciliis non servabatur præeminentiarum ordo, ut videri potest in Arelatense, ubi ante papæ legatos aliarum provinciarum episcopi subscribuntur; et in Romano I antedicto, ubi ante primatem Africæ Rufum Carthaginensem ponitur Aquileiensis; et in Sardicense, ubi alphabeticus ordo in

nominandis episcopis adhibitus creditur, teste Binio (*Tom* I, *pag.* 439, *col.* 1).

46. Quod vero ad distributionem largitionum Caroli Magni, non constat utrum ab ipso Carolo, an ab ejus vitæ scriptore prænominata fuerit Ecclesia Ravennas; quod si ab ipso Carolo, id speciali forsan benevolentiæ tribuendum. Otho Frisingensis ultra montes degens priorem nominavit, quem viciniorem sibi putavit, nempe Aquileiensem, tum Ravennatem, tertio Mediolanensem. Luitprandus autem non dixit episcopum Ravennæ secundum a Romano semper fuisse archipræsulem, sed *per idem tempus*, scilicet quando Theodoræ præpotentis feminæ factionibus Joannes X Ravennas episcopus ad pontificatus apicem ascenderat : hoc enim observato, non mirum quod tunc temporis Ravennatensis ea de causa pluris quam par erat, et præ aliis metropolitis apud aliquos, atque etiam apud sedem apostolicam valeret. Omitto centies jactatum regum Italiæ coronandorum jus, quinimmo etiam eligendorum, cui Ecclesiæ pariter innixam volunt auctores nostri Mediolanensem episcopum prærogativam præcedendi in ecclesiasticis functionibus, ne legentibus ansam præbeam Gelasii papæ verba repetendi, quæ ille de Constantinopolitano Acacio : *Risimus, quod prærogativam volunt Mediolanensi comparari, quia episcopus fuerit regiæ civitatis* (*Epist. ad episcop. Dard.*).

§ II. Mediolanensium in litteras Clementis II animadversionibus respondetur.

47. Animadversiones istas eo animo in præcedentem paragraphum contraximus, atque iisdemmet fere verbis et sensibus patris Eustachii exposuimus, ut earum futilitatem uno intuitu et absque nimio studio per semetipsum unusquisque illico sentiat. Et revera quod primam animadversionem respicit, si cardinales doctissimi Baronius et Norisius bullam Clementinam non expresse apocrypham dixerunt, sed ejus fidem rejecerunt in Hieronymum Rubeum Ravennatem historicum, nonne evidens indicium est, nihil in ea tantos viros invenisse, quod de veritate bullæ dubii aliquid moveret? Nonne ii erant viri qui ab authenticis apocrypha discernere, qui apocrypha aperte rejicere, authentica aperte scirent probare? Rubeus autem, etsi in nonnullis veterum monumentis referendis parum fortasse criterii præ se tulit, quemadmodum in Valentiniani III diplomate, criticis omnibus nihili habito, de quo nos in sequenti capite 3, optime tamen audit apud omnes in centum et millibus aliis, quæ narrat et producit. Immo vero quando Rubeus ob Valentiniani diploma redarguitur tam aperte, nullo autem modo improbatur propter Clementis II litteras a doctissimis viris qui adunco naso, acerrimis oculis antiquas hujusmodi merces scrutari consueverunt; nonne dicendum indubiæ potius fidei ab illis fuisse reputatas ejusmodi litteras? Tales reipsa eas censet cl. Muratorius, qui de iis loquens : *La bolla*, ait, *di Clemente II accennata dal Rossi, e pubblicata dall' Ughelli, veramente ha tutta l'apparenza di non esser finta* (*Mur. tom.* IV. *Annal. Ital. ad an.* 1047).

48. At enim quas notas in iis deprehendere non valuerunt Baronius, Norisius, Muratorius, aliique sagaces viri, deprehenderunt fortassis Puricellius et Eustachius a S. Ubaldo, quibus miramur suffragatum quoque fuisse cl. Joseph Antonium Saxium in notis ad Arnulphum cap. 35, et in notis ad Sigonium. Igitur apud istos auctores historia coronationis Conradi Salici, quæ incidit anno 1027, alteram falsitatis notam in Clementina bulla indigitat; tunc enim indicatum est, ad Mediolanensem spectare præ Ravennate, dextera regis apprehensa, illum pontifici summo offerre coronandum. Heus boni! quid istud argumenti est? Quæstio illa positane erat in eo, cuinam deberetur regum præsentandorum prærogativa; an potius in eo, cuinam in conciliis sedendi ad pontificis dexteram jus esset? Illud æquum fortasse erat tribui Mediolanensibus archiepiscopis, qui regem primo Italiam adeuntem ferrea corona redimirent. Ast ab hac quæstione nulla erat consequentia ad aliam de sessione in conciliis. Conclusum ea occasione est pro Mediolanensi, eique datum præsentare Conradum, atque id juris illi est perpetuo quæsitum ex decreto pontificis; non tamen actum, non tamen decretum de sessione in synodis, quod erat quidem probandum. Muratorius supra laudatus alteram ab altera quæstione et ipse discernit; qui enim ad annum 1027 ex Arnulpho altercationem propter Conradi inaugurationem exortam, et synodi subsecutæ definitionem narraverat, recensens postea ad annum 1047 secundam de sessione in conciliis, *novam* eam vocat *præcedentiæ* controversiam, inquiens, *insorse nova lite di precedenza fra gli archivescovi di Ravenna e di Milano, e il patriarca di Aquileia, e la sentenza fu data a favore del Ravennate* (*Mur. tom.* IV *Ann. Ital.*).

49. Synodus tamen, reponunt Mediolanenses, a Joanne XIX eam ob causam congregata VIII idus Aprilis ejusdem anni 1027, decrevit *ut in omnibus negotiis pontificalibus Ravennas nullo modo in æternum se Mediolanensi archiepiscopo præferat.* Papæ decretum! Rixabatur super regis præsentatione, sententia autem synodi definit de cujuscumque generis præcedentia. Novus sane ordo judiciorum! Sed esto, id totum factum sit; et fortassis in pœnam perturbatæ solemnitatis judices, qui cum imperatore atque cum Mediolanensi Eriberto Romam venerant, istius consequenter fautores, decretum ediderint, in *æternum* contra Ravennatium quæcumque jura duraturum. Esto, inquam; ergone igitur falsa erit negotii istius retractatio in posteriori synodo Clementis II? Ergone, quia præ se ferunt pristini judicii revocationem, apocryphæ erunt Clementinæ litteræ? Nugantur enimvero Puricellius et pater Eustachius hoc argumenti genere. Quis nesciat, seclusis fidei articulis, easdem numero quæstiones, quamvis sententiis etiam conciliaribus firmatas, ad examen revocari iterum ac tertio posse et consuevisse? Quis neget concilia ipsa conciliis emendari, et posteriora prioribus semper anteponi? Nemo profecto id inficiabitur, qui sui

compos videri velit. Quoties retractatam legimus celebrem quæstionem inter metropoles Arelatensem ac Viennensem, licet toties pontificiis et conciliaribus decretis, modo Arelatensi, modo pro Viennensi roboratam? Verum rei evidentissimæ exempla omittamus. Quare non solum litteræ Clementis II apocryphæ esse non possunt, quia Joannis XIX synodo posteriores, quin potius majoris habendæ sunt auctoritatis, quæ post iteratam controversiæ discussionem pontificio et synodali judicio prodiere. *Certe enim*, inquit Cicero, *recentissima quæque sunt correcta, et emendata maxime* (*Cic. Acad. quæstion. l.* 1).

50. Porro hucusque processimus, quasi vera, inconcussa, atque indubitata forent ea quæ Arnulphus omnium primus de controversia coronationis Conradi Salici scripserat, et de synodo posterius habita. Verum non adeo authenticum est Arnulphi testimonium, ut nullus supersit dubitandi locus. Solus ipse, octoginta si Pagio, sexaginta si Muratorio credimus, annos posterior auctor Mediolanensis historiolam illam lepide instruxit. Glaber Rodulphus, Volpherus, atque, ut alios taceam, Wippo coævi scriptores, inter quos oculatus Wippo, aulicus et capellanus Conradi Salici, qui ejus omnia gesta collegit, præsertim ejus atque uxoris coronationem Romæ a Joanne XIX peractam, ne unum quidem verbum mussitant de tanto per Ravennatem excitato scandalo, de sententia regis tam magnificata, de pugna inter Mediolanenses ac Ravennates, quam ea de causa contigisse addit Arnulphus, neque tandem de synodo super ea controversia postmodum celebrata. Rursus accuratissimi conciliorum omnium collectores, qui vel nudos titulos synodorum, actibus deficientibus, frequentissime edunt, istam non curassent, quæ licet de præcedentiarum tantummodo controversia, non levis tamen ponderis reputanda erat, ut inferius innuemus?

51. Sigonius quidem sæculo ab Arnulphi commentis quinto historiam de præsentatione Conradi ab Ravennate archiepiscopo tentata, et Mediolanensi ascripta pontificis decreto repetit lib. VIII de Regno Italiæ. Verumtamen Sigonii relatio a relatione Arnulphi non parum differt, ut legenti utramque facile patebit; neque ille synodum celebratam ait, neque *in omnibus pontificalibus negotiis* præcedentiam Mediolanensi supra Ravennatem decretum: adeo accuratissimo doctissimoque historico fabellam redoluit Arnulphi commentarius. Ejusmodi autem est Sigonii narratio: « Cum autem Romam omnes, ut assolebat (in coronatione scilicet novi imperatoris), Italiæ proceres convenissent, Ravennas quoque antistes accessit. Is, die Resurrectionis, quo die in basilica Vaticana, augustalia insignia accipere Conradus debebat, cum præsens pompæ adesset, absente forte Mediolanense, Conradum manu prehendit, ut ipsum pontifici pro ara stanti offerret. Ea re animadversa, legati Mediolanenses antistitis munus id esse sui clamarunt, qui regem Italiæ legendi et coronandi jus obtineret. Orto autem ex ea re inter astantes principes antistitesque tumultu, tum Conradus audientibus omnibus: *Non est dubium*, inquit, *reverendi patres, quin quemadmodum imperatoris inunctio ad Romanum pontificem pertinet, sic regis Italiæ consecratio tota sit Mediolanensis antistitis. Quare est æquum ut Mediolanensis antistes, cujus manu futurus imperator in regem Italiæ jungitur, si adsit, regem pontifici offerat, quem ad imperium provehat, ut ex ejus auctoritate possit imperare qui ejusdem ordinatione didicit et cœpit regnare.* Annuente vero pontifice, Mediolanensis ad id muneris est vocatus. Cum autem justa de causa abesse diceretur, jussit pontifex ut Ardericus Vercellensis episcopus servatas metropolitano suo vices impleret; atque ita ab Arderico Conradus oblatus aureum *diadema suscepit.* » Hæc Sigonii narratio, quam si quis cum Arnulphi narratione comparaverit, fraudem schismatici auctoris facile perspiciet. Omittimus vero in ea facti serie animadvertere, nullam Mediolanensis Ecclesiæ præ Ravennatæ excellentiam, jus nullum metropoliticum, nullam metropolis præexistentiam, et, quod caput est, nullam in superioribus conciliis sessionis prærogativam tunc jactasse Conradum, aut Mediolanenses legatos, sed unum tantummodo regis Italiæ coronandi munus. Omittimus pariter ex tumultu inter principes et astantes præsules ea occasione commoto argumentum non leve deducere amplitudinis Ravennatis ecclesiæ, quæ Mediolanensi Ecclesia, vel excellentior, vel certe non inferior haberetur. Verum ut ad Arnulphi fabulas redeamus, illum tandem mendacii redarguit Landulphus senior ejusdem, qui patriæ, ingenii, sectæ, furfuris homo. Hic de ipsomet Heriberto Mediolanensi archiepiscopo quatuordecim prolixos scripsit paragraphos, seu capita, in quibus ne syllaba quidem invenitur de tumultu in Conradi augusti inauguratione exorto, ne syllaba quidem de synodo Joannis XIX. Immo, quod magis Arnulphi auctoritatem elevat, et simul ipsius Landulphi narrationem suspectam nimis reddere videtur, jurgium inter archiepiscopos Romæ natum, Landulphus non Heriberti, ut Arnulphus, sed Widonis archiepiscopi temporibus attribuit; non præsentandi regis causa, sed sessionis in Stephani papæ synodo (error adest in papa ipso, qui non Stephanus, sed Nicolaus II tunc erat). Pugnam quoque inter ambas nationes Romæ factam ob præsulum suorum discordiam Arnulphus jungit cum Conradi coronatione sub Joan. XIX; Landulphus autem cum synodo Stephani, seu Nicolai II, ob discordiam sessionis. Nonne contradictio isthæc inter auctores coævos ejusdem patriæ et sectæ, eorum fidei auctoritatique ut cum maxime detrahit; atque ea omnia quæ narrant pura putida commenta esse declarant de hac quæstione, quod nos infra ulterius demonstrabimus? Interea non abs re erit lectorem monere Landulphum istum seniorem fabulas æque ac Arnulphum venditasse propemodum infinitas, de quibus videndi ejus annotatores, ac præcipue cl Saxius, qui etiam in suis Vindiciis de adventu S. Barnabæ Mediolanum, Landulphum accusat fabulan-

tem, clero Mediolanensi indultam fuisse a beato Ambrosio facultatem uxores ducendi : quæ una fabula genium hominis aperit omnino.

52. Hieronymo Rubeo litterarum benemerito, multisque ab eo exaratis editisque operibus celeberrimo, auctoritatem derogare conati sunt Mediolanenses ob vulgatum Clementis II diploma ; cui auctori an Arnulphus sit comparandus, judicium esto apud sapientes. Certe de Arnulpho id evidens est, atque moderni ejus illustratores hic atque illic in suis notis fatentur, anachronismis, mendaciis ac fabulis confertum esse ejus opusculum. Silemus de Nonantulæ donatione a Burgundiorum rege Ambrosianæ Ecclesiæ facta in expiationem octoginta occisorum hominum, de Othonis II liberatione e Græcorum et Saracenorum manibus, de electione, coronatione, atque in Italiam adventu Conradi Salici, deque aliis centum quæ ab ejus illustratoribus notantur. Integra autem de Mediolanensi schismate, vel potius hæresi narratio nonne putidissimis mendaciis scatet? Quot verba, tot fere calumniæ, blasphemiæ, invectivæ in doctrinam fidei, in sedem apostolicam. Omnia fallaciis, commentis fraudulenter miscet confunditque. Quod autem ad rem nostram propius accedit, archiepiscopum Mediolanensem ante Romanum pontificem citari vocarique ad synodum Romanam impatienter videtur ferre, infremit, debacchatur. Romanæ sedi Mediolanensem vociferat æqualem ad nauseam usque. Hujusmodi ergo scriptori subjectionem Christi vicario impie neganti, et dicta, facta, scripta adulteranti omnia in gratiam Mediolanensis Ecclesiæ, fabula de coronationis Conradi Salici tumultu, ac de synodi Joannis XIX decreto, temere et inconsulto credenda erit, tacentibus ad unum coævis omnibus auctoribus etiam oculatis?

53. Quare ipsemet cl. Muratorius dum historiam de coronatione Conradi Annalibus Italiæ inseruit, suspicionem suam satis aperte demonstravit illis verbis : *Se vogliamo credere ad Arnolfo istorico Milanese.* De nostro autem Clementis II diplomate constantissime pronuntiavit : *La bolla di Clemente II veramente ha tutta l'apparenza di non esser finta.* Pagius ipse, quem legisse Arnulphum apparet ex auctorum Catalogo Breviarii sui tomo II præfixo, tamen ejus fabulam de coronatione Conradi a Ravennatense perturbata, et de synodo a Joanne XIX habita omnino præterit, licet postea e contrario bullam Clementis II pro Ravennate referat et admittat. Quapropter cum sexaginta vel octoginta annos post datas Clementis II litteras Arnulphus scripserit, ideoque suspicari jure ac merito possit, illum ad eludendam earumdem litterarum vim commentum suum elaborasse, liceat nobis Puricelli verba, quæ contra Ravennatenses nostros, quasi bullæ hujus confictores effutiit, in Arnulphum suum potiori jure retorquere, *post annum nempe* 1047, *quo rursus ea quæstio* (Sessionis in concilio) *inter Mediolanensem et Ravennatem archiepiscopos excitata fuerat,* historiolam illam *ab homine compositam fuisse, qui eo præsidio firmam A in posterum cuperet præexcellentiam, quam sibi* Mediolanensis super Ravennatem *vindicabat. Quia vero nihil ex parte Ravennatis obstare magis posse crederet, quam synodum sub Clemente II papa celebratam, propterea commentum illud anni* 1027 *excogitasse, ut ejusmodi per eum historiola mentita,..... et in annum prædictum* 1027 *conjecta, decretum synodale Clementis II in omnem occasionem tacite obrueretur et infringeretur, quod anno* 1047 *conditum fuerat.*

54. Neque Arnulphi fabulam credibiliorem reddit possessio, in qua Mediolanenses archiepiscopi erant anno 1027 novum imperatorem summo pontifici præsentandi, prout probare conantur, allatis exemplis ex Sigonio ad ann. 962 et 972 ; nam hujusmodi exempla B non tangunt quæstionem de prærogativa sedendi a dextris papæ in concilio, quam unicam litteræ Clementinæ sartam tectam volunt Ravennatensibus. Hujus possessio ante illam synodum probanda erat Mediolanensibus, non alterius, quam non impugnamus, et quam vel minime violavit in coronatione Conradi archiepiscopus Ravennas, vel si regis manum vere apprehendit, ut sibi id honoris vindicaret, forte fecit, absente Mediolanense, ut Sigonius est auctor.

55. Silentium deinde Arnulphi, qui cum scribat de Clementis II electione, silet de Clementina Ravennatium bulla, argumentum est non falsitatis bullæ, sed vel ignorantiæ, vel potius malitiæ istius schismatici. Quia ergo neque synodum contra Simoniacos a Cle- C mente habitam is memorat, falsum erit quidquid de ea synodo S. Petrus Damianus aliique gravissimi viri memoriæ mandarunt ? Quod autem res sub Clemente gestas, aut ignoraverit Arnulphus, aut studiose adulteraverit, patet ex narratione ipsa electionis istius pontificis, quam unicam de eo refert, si cum veritate historiarum conferatur. *Facto autem*, inquit Arnulphus, *Romæ generali conventu præsulum, visum est regi* (erat is Henricus III) *et episcopis omnibus papam injuste tenere cathedram. Quo statim abjecto, unum ex Theutonibus præsulem illius loco substituit, quem mutato nomine Clementem vocavit, a quo etiam coronam accepit.* Quot in paucis lineis mendacia ! Non Romæ, sed *Sutris* conventus ille præsulum celebratus est coram Henrico rege. Non *abjectus* papa D Gregorius VI, *sed ipse agnoscens se non posse juste honorem tanti sacerdotii administrare, ex pontificali sella exsiliens, ac semetipsum pontificalibus indumentis exuens, postulata venia, summi sacerdotii dignitatem deposuit.* Videsis Victoris III summi pontificis lib. III Dialog. indubitatum ac pene oculatum testimonium qui narrationem ita continuat : *Post hæc Urbem ingressus* (Henricus), *congregato in ecclesia beati Petri apostoli clero et populo una cum episcopis qui in prædictam convenerant synodum* (Sutrinam), *communi consilio Clementem Bambergensem episcopum elegerunt.* Non ergo Henricus, *statim abjecto Gregorio, unum ex Theutonibus præsulem illius loco substituit ;* sed Clementis electio, post Sutrinam

synodum, ubi Gregorius sponte se abdicavit, Romæ facta est, non ab Henrico, *sed a clero populoque Romano*, cum episcopis Sutrinæ synodi juxta canonicam regulam, *communi consilio*. Nec minorem ignorantiam sapit Arnulphus in gestis Leonis IX referendis. Quid est enim quod ait, *Geminam in Italia synodum celebravit* (Leo), *Papiæ scilicet atque Mantuæ?* Vercellensem vero tertiam, ac Romanas tres ille nescivit? Qui tot præcipua suisque temporibus proxima aut neglexit aut nescivit, tamquam testis negativus inducitur contra Clementis bullam?

56. Narrat quidem Arnulphus Widonem Mediolani præsulem a Nicolao II Romam benigne exceptum sedisse in concilio ad pontificis dexteram. Id pariter confirmat Landulphus senior, de quo superius, sed factum ait in concilio Stephani IX, incassum renitente Ravennæ archiepiscopo. Cui credendum, Deus bone? Neutri profecto. Stephanus IX brevi paucorum mensium pontificatu, nullam Romæ nec alibi synodum habuit. Nicolaus II synodum quidem celebravit an. 1059; verumenimvero illi non interfuerunt neque Ravennatensis, neque Mediolanensis. Quoad Mediolanensem Widonem, is tunc Simoniaca labe infectus, juramentum ac pœnitentiam in manibus S. Petri Damiani promissam dejeraverat in hæresim reciduus, atque una cum clero suo concubinario pejor priore induruerat: tantum abest ut Romam accesserit, et ad pontificis dexteram in synodo accumberet. Immo in notis ipsis ad Arnulphi historiam non solum Widonem abiisse Romam, synodoque affuisse ex omnium auctorum silentio negari posse videtur; sed etiam ex actis synodi ipsius, in quibus Widonis subscriptio non apparet, immo ex condemnatione Widonis ab eadem synodo, teste Sigonio emanata, jure ac merito arguunt annotatores doctissimi falsam omnino esse tum Arnulphi, tum Landulphi de Widonis præsentia Nicolai synodo assertionem. Quod Ravennatem vero spectat, qui tum erat Henricus, eum Romanæ huic synodo affuisse tacent auctores omnes, atque ea quæ de ipso habemus monimenta; tacet ipsemet Ughellus, quamvis Widonem Mediolani antistitem synodo illi præsentem inducit, nescio quibus actis fidens, quæ legisse affirmat, ac ea propter jure vapulat apud auctores annotationum quas huicmet concilio annexas legimus. Neque solus a Nicolai synodo abfuit archiepiscopus Ravennas, verum omnes ad unum ejus suffraganei abfuerunt. Forte autem non bene audiebat tunc temporis apud Nicolaum II Henricus noster, aut fortasse quædam subortæ inter eos erant simultates. Id certum est, qui solitus fuerat suis diplomatibus notas pontificias inserere, prout refert Hieronymus Rubeus *temporibus Victoris summi pontificis, ut universalis papæ in apostolica sacratissima beati Petri apostoli sed secundo*; Nicolao sedente, et præsertim dicto ann. 1059, omissis pontificiis, regias notas adoptavisse *sub anno Dominicæ Incarnationis millesimo quinquagesimo nono, regnante vero Henrico honesto puero, filio quondam Henrici imperatoris anno quarto, die vigesimo nono mensis Decembris indictione tertia decima Ravennæ.* Easdem notas adhibebat adhuc sequenti anno 1060.

57. Anno autem 1122 dexteram Calixti II tenuisse Olricum Mediolanensem in concilio Romano scribit Landulphus junior, eo modo quo jam tenuerant Mediolanenses pariter archiepiscopi, Grosulanus anno 1103, et Jordanus an. 1116. Immo quid in concilio Calixti inter Olricum Mediolanensem et Ravennatem archiepiscopum Gualterium altercationis acciderit, suum vero præsulem primas habuisse, se oculatum testem Landulphus gloriatur. Vah testis oculatus! Romæ certissime non erat anno 1122 Gualterius, præsertim mense Martio, et si mavis etiam Aprili, quibus concilium generale Lateranense I credunt nostri Mediolanenses coactum fuisse. Id probant indubiæ archivi nostri pergamenæ: *Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo vigesimo secundo temporibus dom. Calixti papæ et Henrici imperatoris, die quinta decima mensis Martii, indictione quinta decima Ravennæ. Gualterius servus servorum Dei divina gratia archiepiscopus sacræ nostræ Ravennat. Ecclesiæ Lauterio presbytero, et priori ecclesiæ sancti Jacobi positæ in insula Volana*, etc. Erat ergo Gualterius Ravennæ die 15 Martii 1122; Cerviæ autem degebat die 10 mensis Aprilis subsequentis. *Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo vigesimo secundo die decima mensis Aprilis indictione decima quinta Ficoclense. Residente domino Gualterio archiepiscopo sacræ Ravennæ Ecclesiæ in ecclesia sancti Joannis in loco Ficoclensis ad justitiam faciendam*, etc. Verum si fides Pagio, qui non paucos citat contemporaneos auctores, concilium illud sequenti anno coadunatum est, ac die 19 mensis Martii inceptum. Huic interfuit procul dubio Gualterius, atque alter fuit ex judicibus quibus controversiæ inter episcopos Pisanum et Januensem dirimendæ negotium a Calixto fuit demandatum. Ast in duplicatis actibus istius synodi, qui referuntur in conciliorum collectione, indicium nullum quæstionis et jurgii inter Gualterium et Olricum. Addita quidem fuit in postrema hujus collectionis editione Landulphi junioris narratio, sed fides relicta apud auctorem.

58. Porro hæc ipsa narratio, cui cl. vir Joseph Antonius Saxius sensum suum addit de patriæ Ecclesiæ primatu supra Ravennatem, laudatque Puricellum, qui illum contra Rubeum acerrime propugnaverat; hæc ipsa, inquam, narratio vel contradictionem involvit, vel nobis favet, vel neutris. Ait enim Landulphus se illi synodo personaliter stetisse: *in synodum intravi*, et valde condoluisse, eo quod viderit Ravennatem contendere Mediolanensi dexteram pontificis; et inde sequitur: *Sed tamen ipse Mediolanensis Olricus in secunda feria, qua incœpta et celebrata fuit synodus, loco vacante neque in palatio, neque in synodo apparuit.* Amabo, quomodo conveniunt altercatio in synodo pro sessionis præcedentia, et absentia a synodo atque a palatio? Si aberat, quomodo altercabatur? Landulphus contendentes vidit, et Olricus

longe aberat? Ecce igitur contradictio. Cur autem contendente Ravennate Gualterio, abfuit in prima sessione Mediolanensis a synodo, nisi certe quia prævaluerat Gualterius? Ecce igitur Landulphi narratio favet nobis. Quando vero ipse addit Olricum in secunda sessione expetito sedisse loco, cur non exprimit etiam Ravennatem simul affuisse in synodo, ac post Mediolanensem secundam, vel tertiam, aut quartam sedem fuisse sortitum? Cur id tacet? Nonne ut in prima sessione Mediolanensis, sic abesse potuit in secunda Ravennas archiepiscopus? Atque ita tandem hujusmodi narratio nemini favet. Nos autem de ipsius narrationis veritate hæremus adhuc; et quamvis qui auctorem istum nuper ediderunt cl. viri, eum a Landulpho seniori, atque ab Arnulpho dissimilem effingere conentur, tamen illius in patriæ Ecclesiæ phylacteriis amplificandis nimio studio non fidimus: quam animi suspensionem actorum synodi, et Suggerii abbatis ipsi synodo præsentis silentium augere nobis profecto videtur.

59. Exempla vero Grosulani et Jordani archiepiscoporum, quæ Puricellus ad an. 1103 et 1116 vult accidisse, ad rem non faciunt. Primo, solus ipse Landulphus ea memorat, et præsertim quæ de Grosulano, cujus tempore ipse adhuc morabatur in Galliis; secundo, nullum iis annis celebratum fuit concilium, cui ad pontificis dexteram sedentes interfuerint Mediolanenses archiepiscopi; tertio, etiamsi celebrata fuerint, nullus ad ea convenire potuit Ravennæ præsul. Non anno 1103 neque anno 1105, ut contra Puricellum probare contendit cl. Saxius, sed anno 1104, ut Pagius, habita est synodus Romana sub Paschale II; sed præter depositionem Brunonis archiepiscopi Trevirensis ex fide anonymi cujusdam auctoris, nulla alia de hac synodo superfuit memoria. Illud indubium est ei synodo non affuisse Ravennæ archiepiscopum, qui per ea tempora nullus erat, saltem legitimus; mortuo enim Wiberto antipapa, Henricus Augustus Paschali II infensus, Othonem quemdam in archiepiscopatum Ravennatem intruserat, qui, ideo Henrici partibus addictus, pontifici summo obedientiam negabat. Ultra quam quod ejus acta sub nomine *Othonis electi*, temporibus tantum Henrici signata, innuunt satis aperte illum consecrationem episcopalem numquam accepisse: *Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo tertio, imperante Henrico anno vigesimo, die tertio decimo mensis Augusti, indictione undecima. Otho electus servus servorum Dei*, etc. Quod fuerat anno 1103, fuit etiam sequenti anno 1104: *Anno millesimo centesimo quarto, imperante Henrico filio qd. Henrici imperatoris anno vigesimo secundo, die vigesimo mens..... duodecima. Joannes Dei gratia de Firminiana petitor quidem, quia petivi a te Otho electo archiepiscopo*, etc.

60. Quoad annum 1116, agitata profecto legitur causa Grosulani cum Jordano tunc Mediolanensi archiepisco in concilio Lateranensi sub Paschali II, ut notat Pagius ex Puricello. Affuisse autem Jordanum, atque a dextris papæ sedisse, cum adhuc dubitaretur num hic legitimus foret archiepiscopus, neque acta docent, neque est qui asserat, si Landulphum juniorem, qui certe non aderat, excipias. Attamen sederit necne pontifici proximus Jordanus, nihil nostra interest, qui certo scimus id evenisse absente Ravennatium archiepisco, neque enim anxii sumus de hac Mediolanensium prærogativa, quando non adsint concilio præsules nostri. Nullus autem anno 1116 præerat adhuc nostræ Ecclesiæ legitimus pastor, sed Jeremias quidam, defuncto Othoni ab schismatico imperatore Henrico suffectus, qui etiam electus tantummodo erat hoc ipso anno 1116, et forte numquam deinceps fuit episcopus consecratus; quod conjicimus ex archiepiscopalis archivi nostri monumentis, et præcipue ex sequenti: *Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo sexto decimo temporibus dom. Henrici imperatoris die vigesimo octavo mensis Junii indictione nona Ravennæ. Dom. sacro, et meritis beatissimo, atque apostolico Patri Patrum dom. Jeremia electo archiepiscopo sanctæ Ravenn. Ecclesiæ Andreas de Calcinaria, seu filii, ex nepotibus tuis*, etc. Neque contra hanc nostram assertionem faciunt quæ Ughellus pro Jeremia isto, quasi legitimus antistes fuerit, expiscatus est ab nescio qua vetusta comitissæ Mathildis pagina; nam Ughelli allucinationem satis superque aperuit, atque explicavit cl. ejus annotator. Quare cum neuter intrusus adire Romam, Romanisque synodis intervenire potuerit, consequens est neque a sessione in conciliis 1104 et 1116 Grosulani et Jordani archiepiscoporum Mediolanensium, quatenus Landulpho juniori habenda sit fides, ullum Ravennatium juribus inferri præjudicium: maxime etiam quia Ecclesia hæc nostra suis fere omnibus principalioribus ornamentis ab ipso tunc sedente Paschale II spoliata fuerat in concilio anno 1106 apud Guastallam habito, et præsertim metropolitica in Æmiliam provinciam jurisdictione, ut refert Centius Camerarius, qui fuit postea Honorius III pontifex maximus: nec ad pristinam rediit amplitudinem dignitatis, nisi postquam Gualterius Jeremiæ in archiepiscopatu successor, Gelasio II Christi Vicario præstita obedientia, et ejurato schismate est reconciliatus.

61. Hic vero sarcinulas parumper colligamus. Si discrepantia et dissimilitudo narrationum de una eademque re apud auctores contemporaneos, maxime si ejusdem patriæ, falsitatis narratæ rei argumentum esse apud omnes consuevit; quid credendum de jactata in synodis altercatione inter archiepiscopos? Arnulphus an. 1027 evenisse scribit inter Heribertum Mediolanensem et cognominem archiepiscopum Ravennatem, asserens quod lata in synodo Joannis XIX pro Mediolanensi sententia, *postea omnis illa quievit controversia*, ut expresse ad rem suam notat Eustachius a S. Ubaldo Puricelli symmysta. Cum igitur fabellas suas scribillaret Arnulphus circa annum 1085, testatur consequenter ab anno 1027 ad hunc an. 1085 amplius non excitatam inter archiepiscopos hujusmodi altercationem. Attamen non obstante

tam perspicua Arnulphi assertione, ejus synchronus auctor Landulphus senior, ut supra notavimus, loquens et quidem prolixa narratione de eodem Heriberto Mediolanensi, nihil habet de controversia, de tumultu, de synodo, de sententia, de pugna inter nationales, ab Arnulpho relatis; verum ea omnia transfert ad tempora Widonis Mediolanensis archiepiscopi triginta et amplius post Heribertum annos, cum in concilio Nicolai II (quem Stephanum dicit) Widonem cum Ravennate altercantem et prævalentem inducit, utriusque præsulis aulicos et comites inter se commissa pugna rixantes, devictosque Ravennates, eo prorsus modo, quo Arnulphus ad ann. 1027 in coronatione Conradi retulerat; ita ut mirari cogar in duobus ejusdem ætatis, patriæ, sectæ tam enormem contradictionem.

62. Accedit tertius Landulphus junior, apud editores et illustratores suos fide dignior præ aliis duobus. Is vero cum Olricum Mediolanensem in synodo Laterani propria jura defendentem contra Gualterium Ravennatem describit, tacet et ipse famosum (si fides Arnulpho) concilii sub Joanne XIX habiti decretum, in quo summa rei fuisset pro Olrico; tacet Widonem Henrico Ravennati antehabitum in concilio Stephani IX (si Landulpho seniori credimus), solumque exempla Grosulani et Jordani indicat ad rem non facientia : quorum exemplorum *ratione, et multis aliis, quæ tunc in mente non habebantur, dom. Olricus Mediolanensis archiepiscopus locum illum obtinere non dubitavit;* sunt verba Landulphi; qui tamen fatetur Olricum in prima sessione expetitum locum non obtinuisse. Interea quis non miretur, Olricum non dubitasse locum obtinere ratione exemplorum, et multis aliis que tunc in mente non habebantur? Novum sane genus probationis! Si tunc multas alias rationes aut exempla in mente non habebat Olricus, quomodo ab eis victoriam causæ sperabat? Sed tricas istas prætereamus.

63. Alter igitur alteri ex nostris auctoribus contradicit, alter alteri fidem derogat, alter alterius historias in dubium et falsi suspicionem revocat. Omnes tamen in eo mirabiliter conveniunt, quod impossibile est Puricelli, P. Eustachii, et quotquot de Mediolanensi Ecclesia scripserunt, oculos effugisse, nempe neque Arnulphum, neque Landulphum utrumque, ullibi, et multo minus occasione tantarum altercationum, Ravennatis Ecclesiæ subjectionem, ac præstitam quatuor prioribus æræ nostræ sæculis Mediolanensi suppositæ metropolitæ obedientiam jactare, aut saltem innuere. Illud enimvero maximum, ineluctabile, justissimum exoptatæ in synodis præcedentiæ fuisset argumentum et fundamentum, non regis coronandi ac præsentandi jura, non antecessorum archiepiscoporum inopportuna exempla et inutilia. Quid ad hæc Mediolanenses? Ejusmodi tamen probationis atque amplificationis genere non est profecto cur nos offendamur; scimus enim quo civium animos rapiat patriæ charitas, *dum civitas ad se quæque famam rerum gestarum honorumque, fallente mendacio trahit.* (*Liv. lib.* VIII.)

64. Usque adhuc Clementis II bullam a falsitate immunem demonstravimus quam illi affinxerant Puricellus et P. Eustachius ex auctoritate scriptorum Mediolanensium, atque ex posterioribus synodis. Operæ nunc pretium est ad superiora tempora pedem referre atque de iis conciliis sermonem habere quæ Clementis ejusdem ætatem præcesserunt, et in quibus Mediolanensem aiunt Ravennati episcopo præpositum in sessione et subscriptione. Verum Symmachi papæ synodos ad ultimum examen reservantes, gradu retrogrado a Romana exordimur, quam præsidente Joanne XII habitam fuisse ann. 963 coram Othone I imperatore, atque in ea sedisse et subscripsisse Walpertum Mediolanensem ante archiepiscopum Ravennatem aiunt a Luitprando et Binio esse narratum. Quamnam vero synodum? Impiumne illud conciliabulum catholicis omnibus exsecratum, quod præpotens Augustus, non præsidente, sed absente Joanne XII coegit, quod sacrilegam sententiam ausum fuit in legitimum pontificem evomere, illoque violenter deposito, Leonem VIII antipapam creare? Istane in synodo præcessit Mediolanensis? Factum sit, non invidemus. In tumultuario conventu, ubi ante Walpertum nominatur patriarcha Aquileiensis, immo Rodulphus diaconus ejus procurator (cui idcirco si Mediolanensium opinioni standum sit, prærogativam sedis tribuendam quis non dixerit?), ubi non intererat pontifex, sed præerat imperator, ideoque locus non erat quæstioni cuinam dextera papæ aut sinistra deberetur; in hujusmodi, inquam, conventu præcedentiam quæritent Puricellus et P. Eustachius; nos id genus honoris non curamus. Cæterum an perperam hic citentur Luitprandus et Binius, consulatur quid iste in notis ad hoc conciliabulum, tum in notis ad alterum ejusdem farinæ conventiculum contra Benedictum V Rom. Pontif. protestatur contra impostorem putidissimum, qui sub Luitprandi nomine commenta hæc in illius historiam intrusit. Ergo quid in legitima synodo sub Agathone an. 680 actum sit potius videamus, nimium enim nos urget auctoritas cardinalis Norisii ordinem approbantis subscriptionum hujus synodi, scilicet Mansueti Mediolanensis primum tum patriarchæ Aquileiensis, tertio Theodori Ravennatis. Tertius igitur hic erit prærogativa sedis a Mediolanense archiepiscopo.

65. Anno 680, vel 679, ut opinatur Pagius, scripserat Constantinus Pogonatus Græcorum imperator ad Agathonem Romanum pontificem de convocanda generali synodo contra Monothelitas. Super eo negotio episcoporum concilium Romæ Agatho convocavit, jussitque Mediolani alteram, item in Galliis aliisque in regionibus adunari, ut nomine omnium Occidentis episcoporum solemnis fieret legatorum missio ad Constantinopolitanum generale. Ex Gallicana igitur, septentrionali, Mediolanensi synodis legati Romam ad Agathonis supramemoratum con-

cilium convenerunt, atque inter eos, ut placet Pagio, Mansuetus Mediolanensis et Anastasius Ticinensis pro Mediolanensis provinciæ episcopis. Affuisse etiam Theodorum Ravennatium præsulem certum est: is autem nondum schisma ejuraverat, quo sexaginta ante annos Ravennas Ecclesia ab apostolica sede defecerat, incentore Mauro archiepiscopo; sed hujus synodi occasione, Theodoro ad unitatem redeunte, schisma illud restinctum est.

66. Hujusautem Agathonis concilii nulla pene acta superfuerunt, nisi duæ epistolæ, quas lectas fuisse compertum est in actione quarti concilii generalis, altera videlicet Agathonis ad Constantinum Augustum, altera synodica ab episcopis Occidentis subscripta. Quapropter vanum est scrutari quinam prior sederit post papam, quinam actibus conciliaribus prior nomen dederit. Somniarunt Mediolanenses profecto, Mansuetum Theodoro præcessisse. Tantummodo ex subscriptionibus, quas modo legimus epistolæ synodicæ appositas, argumentum præcedentiæ sibi effingunt, et quamvis quæstio sit de sessione ad dexteram papæ, tamen in subscriptionibus etiam suffragium mendicant, nec meminerunt, parum, aut nihil subscriptionum ordini esse fidendum, prout et ipsi prædicant, et nos inferius repetemus. Quisquis autem eas de quibus in præsens, superficie tenus percurret, auctorum istorum levitatem facillime dignoscet; nullus enim inter episcopos ordo servatus est. Post Agathonem ergo pontificem non subscribit Mansuetus Mediolanensis, sed plerique Apuliæ, Calabriæ, Bruttiorum episcopi; inde sequuntur Siculi, præeunte Syracusano eorum metropolitano. Succedunt legati Galliarum, quos excipit Mansuetus Mediolani præsul cum suffraganeis suis, sed nescio an istos quoque intercecent aliquot alterius provinciæ episcopi. Post illos vero Lucensis, Pisanus, atque non pauci ex Thuscia; deinde iterum suburbicarii Tusculanus, Anagninus, Alatrinus, et alii, quibus succedit Agatho Aquileiensis cum suis: hinc Pentapolitani, Pisauriensis videlicet, Anconitanus, cæterique: tum Perusinus, a quo reditur ad episcopos Etruriæ. Ultimus omnium Theodorus archiepiscopus Ravennas, et suffraganei subscripserunt.

67. Quando igitur Mediolanenses ex ordine subscriptionum ordinem præcedentiæ arguere velint, sibi ipsi contradicere cogentur, qui immediate post papam antistiti suo priorem locum aucupant; cessarunt enim in Agathonis synodo, juxta seriem subscriptionum, non solum episcopis suburbicariis, ut vocant quos in aliis conciliis fere omnibus post majorum sedium præsules signatos cernimus; verum Syracusano etiam archiepiscopo ejusque suffraganeis, immo legatis quoque Gallorum. At enim nemo sanæ mentis tam confusæ subscriptionum seriei præcedentiarum ordinem accommodabit. Ego quidem suspicor, synodicam Occidentalium epistolam, aut a præsentibus episcopis etiam nomine absentium subscriptam fuisse, aut verius, exacta synodo, per diversas Italiæ provincias missam, ab episcopis, qui non interfuerant, subscribendam. Neque sit, quæso, qui me temeritatis condemnet in hac suspicione explicanda. Scio quidem omnium in ore esse, synodum Agathonis 225 Patribus constasse, ac totidem epistolam synodicam consignasse: quod etiam ex Eddii narratione in Vita S. Wilphridi Eboracensis episcopi, qui istimet synodo subscripsit nomine Ecclesiarum septentrionalium, videtur luculenter confirmari. Ast si quod narrat Pagius probabile est, ex concilio nempe Mediolanensi duos tantum ad Romanum delegatos fuisse episcopos, nempe Mansuetum archiepiscopum atque Anastasium Ticinensem antistitem, cogar dubitare num auctores qui de numero Patrum synodo Agathonis præsentium scripserunt, eum numerum mutuati fuerint tantummodo a subscriptionibus synodicæ illius epistolæ, quæ lecta atque inserta fuit actibus concilii œcumenici, non autem ex certa actorum Agathonis synodi notitia. Quomodo autem sibi constant delegatio ad synodum Romanam duorum tantummodo episcoporum provinciæ Mediolanensis, et subscriptio omnium ejusdem provinciæ episcoporum? Minime sibi constant, nisi dicamus, vel episcopos, qui synodo interfuerunt, aliorum episcoporum suorum nomina adjecisse, vel post absolutam synodum epistolam per diversas Italiæ provincias circumlatam, ut ab omnibus etiam qui abfuerant subscriberetur.

68. Hanc nostram suspicionem auget opportunissime ipsa subscriptionum confusio, ut quieto animo consideranti facile patebit. Nec novum, nec mirandum id accidet memoranti quæ Mabillonius de hoc inducto subscribendi more asserit ac probat argumentis atque exemplis non paucis, quæ hic repetere nimis longum esset. Optime ad rem suam iis usus est eruditissimus Joseph Garampius in nupera dissertatione *de Nummo argenteo Benedicti III P. M.*, ut probaret Lotharium Augustum minime interfuisse synodo Romæ celebrato an. 853, licet acta synodalia consignata essent ejus subscriptione post Leonis papæ nomen. Ex ista vero ipsa suspicione nostra oriri altera potest, scilicet vel Theodorum Ravennatem cum suis non adiisse Agathonis concilium, quamvis synodicam sibi postea allatam signaverit; vel si interfuerit, eam subscripsisse post suum ab Urbe discessum; nisi dicere velimus quod dilata ad concilii finem ejus cum apostolica sede reconciliatione, ultimus illi locus in synodicæ subscriptione remanserit. Utcumque res fuerit, adeo concilium Agathonis Puricello et P. Eustachio non suffragatur, ut potius noceat magnitudini atque amplitudini Mediolanensium prærogativarum, quibus supra omnes omnino Italiæ episcopos, immo supra omnes metropolitanos proprium efferunt antistitem. Atque ex his apparet quid judicandum de testimonio Norisii ab iis auctoribus citati; non enim videtur attendisse eminentissimus doctor ad confusionem subscriptionum epistolæ synodicæ, neque ad Syracusanum archiepiscopum ante tres alios signatum, et præcipue ante Mediolanensem: quam inordinatam subscriptionum seriem certe non probasset vir, cæteroquin

omni eruditionum genere laudatissimus. Quid vero aptius ad objectum istud super Theodori subscriptione penitus evertendum excogitari potest, quam ipsiusmet patris Eustachii a S. Ubaldo responsionem, eademque verba hic tandem attexere? Protulerat eruditus iste Augustinianus excalceatus contra Ticinensem Ecclesiam ab Mediolanense jugo se vindicantem, diploma quoddam Anselmi IV Mediolanensis archiepiscopi, signatum præter alios ab episcopo Papiensi Guilelmo. De hoc autem monumento dubitavit cl. Muratorius, atque illi aliquot suspicionis indicia appinxit, inter quæ subscriptionem episcopi Papiensis non solum post alios episcopos, sed etiam post longam presbyterorum atque abbatum seriem. Istud ergo suspicionis indicium hac responsione ad rem nostram aptissima diluere satagit Eustachius noster : « Post alios inferioris dignitatis, scilicet abbates et presbyteros, apparet certe subscriptio episcopi Ticinensis. Congruus illi ad id sine dubio post archiepiscopum locus. Sed quid si aliqua rationabili causa non ita observatum? Aliquando episcopi loco alias sibi non debito in conciliis subscripsere, aut quia subscribendi tempore aliis detenti, aut quia partium ordo servatus, ita ut facta prius subscriptione ab his qui ex una parte sedebant, subscripserint deinde, etsi digniores, qui ex altera; de quo more Hallier de Eccles. Hierar. lib. IV, sect. 4, cap. 2, art. 4, § 75, et Cantelius Hist. metropol. urb. tom. I, part. I, dissert. 6, cap. 2, aut etiam quia quandoque tumultuarie, nullo scilicet servato ordine, sed ad cujusque commoditatem; vel tandem quia sicuti non necessaria in eo casu subscriptio, sic nec attentus subscribentium ordo..... Non ergo tanti Ticinensis extra ordinem subscriptio momenti, ut cum rationabilis esse potuerit, etsi quinque post sæcula causa præcisa nequeat assignari, et insuper exemplo non caruerit, falsitatis suspicione valeat hoc documentum obnubilare. »

69. Superest igitur ut de Symmachi papæ conciliis, ubi Laurentium Mediolani ante Ravennæ archiepiscopum Petrum subscripsisse apparet, verba faciamus. Tres præcedentiæ gradus in hisce synodis metropolitæ suo acquisitos mente conceperunt Mediolanenses, allocutionis, sessionis, subscriptionis. Addunt synodos ipsas Theodoricum regem, Ennodium diaconum, aliosque, cum utrumque præsulem nominant, Mediolanensem Ravennati præferre; Gratianum, ex eo quod prior Mediolanensis locutus sit et subscripserit, asserere ejus sedis prærogativam. Singula breviter discutiamus.

70. Quia ergo in Symmachi conciliis ante Ravennatem loquitur Mediolanensis, dignior est censendus? Unica tantummodo vice locutum legimus in hujusmodi synodis Laurentium, scilicet in tertia, quam Pagius *Palmarem* fuisse probat; ibi autem non Laurentius, sed primus verba facit *Cresconius episcopus Tudertinæ Ecclesiæ*, alter *Maximus episcopus Bleranæ Ecclesiæ*, tertius *Stephanus episcopus Venusinæ Ecclesiæ*, quartus vero *Laurentius Mediolanensis*. Væ igitur si prioritatem alloquentium in conciliis ad stabiliendam ipsorum præcellentiam consulamus! S. Hieronymus loquens de fidei professione PP. concilii Ariminensis, subjungit (*Dial. adv. Lucif.*) : *Alia die in ecclesia, quæ est apud Ariminum, et episcoporum simul, et laicorum turbis concurrentibus, Musonius episcopus provinciæ Byzantinæ, cui propter ætatem primæ ab omnibus deferebantur, ita locutus est*, etc. Eritne ergo dicendus Musonius iste majoris prærogativæ, et sedis honorabilioris præ cæteris episcopis concilii Ariminensis? Quod vero ad sessionem quam in conciliis Symmachi Laurentio sublimiorem confidenter tribuunt, pace scriptorum Mediolanensium, eam pari confidentia negamus, donec certis rationibus aut monumentis, non autem nuda subscriptione, cui nihil fidere possumus, nobis veritas elucescat; quid enim habemus in synodicis actibus quod sessionis hujus prærogativam ne latum quidem unguem indigitet? Litteræ autem nostræ Clementis II Petrum Ravennatem Laurentio Mediolanensi in subscriptione, non autem in sessione potiorem locum concessisse commemorant.

71. Tandem quod subscriptionem spectat, non tam facile eam admitteremus, nisi Clementinæ litteræ mox allatæ de ea fidem facerent. Legimus enim in notis ad alteram ex illis synodis, eam nempe an. 501 celebratam, Baluzium asserentem : *Multum autem diversæ sunt subscriptiones ab editis in antiquis exemplaribus, et diverso ordine positæ sunt in codice canonum Ecclesiæ Romanæ.* Ad alteram vero, quæ *Palmaris* a quibusdam vocatur, repetit eam Baluzii de subscriptionum ordine animadversionem Pagius. In ultima autem observavimus hanc annotationem : *Sunt eædem subscriptiones in manuscripto codice Parisiensi, sed non eodem ordine.* Immo dubitat Binius has easdem subscriptiones non pertinere ad hanc synodum. En ejus verba : *In subscriptione plurimi Orientales nominantur, qui concilio Chalcedonensi ante annos quinquaginta duos interfuerunt, et quorum post decem annos a tempore dicti concilii nulla mentio reperitur. Unde probabile esse apparet, quod hæc subscriptio non sit Romanæ, sed alterius cujusdam synodi longe ante hæc tempora celebratæ.* Quare nesciremus profecto quænam ratio foret habenda ejusmodi subscriptionum. Dubietas autem isthæc urgeret magis, si attendenda esset inscriptio synodi Palmaris, *residente ven. viro papa Symmacho, una cum ven. viris Laurentio, Maximo, Petro, Laurentio, Æmiliano*, etc. Quis enim ex duobus istis Laurentiis credendus est Mediolanensis? Ecquis Maximus ille intermedius? Num Maximus episcopus Bleranus ut in subscriptionibus? Num Marcellinus Aquileiensis? Sed iste acta synodorum nullibi subscribit, licet secundæ saltem synodo interfuisse certum sit ex epistola Theodorici regis, et ex præcepto senatus, ipsiusque Marcellini, ubi solius Aquileiensis primo loco nomen exprimitur, nihil habita Mediolanense. Quæ igitur, inquam, habenda esset ratio de jactatis subscriptionibus, per quas præcedentiam Mediolanensis totis viribus pro-

bari contendunt? Verum de ea dubitandi locum non relinquunt Clementis II sæpius memoratæ litteræ. At enim illæ luculenter declarant, spontanea Petri Ravennatis cessione, pro illa tantum vice, atque solius humilitatis gratia, permissum fuisse Laurentio Mediolanensi ut primus subscriberet, datumque super hoc ad perpetuam Ravennatensis prærogativæ cautionem et præservationem diploma a Joanne summo pontifice Symmachi successore, quod in Clementis II concilio lectum approbatumque fuit universorum Patrum suffragio. Quid igitur ab hac Laurentii subscriptione sibi captant momenti pro indebita præeminentia Mediolanenses?

72. Non credendum, reponunt, hujusmodi declarationi Joannis Romani pontificis, Symmachi successoris, neque litteris Clementinis, quæ falsæ sunt. Optime quidem. Aut ergo veræ sunt hæ litteræ, aut falsæ, quemadmodum dictitant. Si primum, concedi nobis necesse est nihil Mediolanensibus prodesse subscriptionem, de qua contendimus; si alterum, provocabimus Mediolanenses ad eas omnes animadversiones quibus, ut superiori numero exposuimus, destrui facile poterit harum subscriptionum fundamentum; nutante enim earum veritate, nutant ipsæ etiam, atque in dubium revocantur. Adde, Mediolanenses ipsos, qui divum Ambrosium concilio Aquileiensi præfuisse affirmant cum Baronio, licet sederit ac subscripserit secundus a Valeriano Aquileiensi episcopo, arma nobis contra seipsos intorquenda ministrare, etiamsi litteræ nostræ Clementinæ abjiciendæ forent inter apocrypha. Respondent enim Mediolanenses sessioni et subscriptioni ipsis objectæ D. Ambrosii « non probari præcedentiam concessam fuisse Valeriano ex debito, sed potius ex convenientia et ratione antiquioris ordinationis. In eodem Aquileiensi concilio observat Norisius, Anemio Syrmiensi metropolitæ præpositum Nimenium Vercellensem episcopum, idque in aliis actum conciliis; non enim semper in synodis dignioris sedis episcopi primo loco subscribebant; nam in Sardicensi ante Protasium Mediolanensem subscriptus legitur Lucilius Veronensis episcopus, qui tamen ea tempestate erat (aiunt Mediolanenses) subditus Protasio. Ejusdem sententiæ auctor fuerat Baronius, qui notat Januensem episcopum modo anteponi Brixiano, modo postponi; idem ait de Vercellensi, et de aliis pluribus; immo, quod speciali nota dignum est, in concilio Romano sub Hilario papa indicat post Romanum pontificem primo loco poni Maximum episcopum Taurinensem, licet digniores ibi astarent metropolitani, atque ipse Mediolanensis. Innumera alia exempla adducunt Hallier, Albertus Picolus (qui observat ad rem nostram id moris fuisse in metropolitanorum subscriptionibus), Petrus de Marca, et Baluzius. Quapropter etiam in Aquileiensi concilio Valeriani anterioritati potuerunt quidem deferre primas synodi Patres, et ejus intuitu præcedentiam præfatam concedere, salvo semper jure superioritatis respectu S. Ambrosii, quem præsedisse voluit Baronius. Addunt, neque episcopos Aquileienses ex eorum in Arelatensi et Romano conciliis ante Mediolanenses nominatione majores præ istis honoris gradus acquisisse: quoad Arelatense quidem, quia in eo etiam legati pontificis summi postpositi sunt minoribus episcopis, et Syracusanus ipse Aquileiensi præfertur. Quoad Romanum vero, Rufus Carthaginensis postponitur Aquileiensi, cum tamen ut Africæ primas debuisset præponi. Et sic non observato in horum nominatione ordine, nec mirum si ante provinciam Italiæ, et Mediolanensem episcopum Theodorus Dalmatiæ in Arelatensi, et in Romano Benedictus Aquileiensis nominantur; ideoque sicut ex episcopis illis, et pontificiis legatis, et Carthaginensi antistite, non suo loco nominatis, nulla infertur antepositorum episcoporum aut supra Romanam Ecclesiam, aut supra papæ legatos, aut supra Africæ primatem major excellentia et præeminentia, ita neque Aquileiensem supra Mediolanensem præeminere censendum, quia iste in allatis conciliis post illum est nominatus. »

73. Cætera Mediolanensium in hanc animadversionem firmandam monumenta præterimus, iis contenti quæ usque adhuc adduximus, ut prærogativæ argumentum ex Laurentii ante Petrum nostrum subscriptione desumptum eorum armis dissolvamus. Etiamsi igitur apocryphæ putari debeant Clementis II litteræ, nihilo tamen minus evinci non potest major prærogativa in Mediolanense, quia Ravennatense prior in conciliis Symmachi subscriptus inveniatur. Immo liceat etiam nobis conjecturas qualescumque nostras huic attexere præsupposita Clementinarum litterarum falsitate, et concesso usque Mediolanensibus, ut authentico et vero subscriptionum synodalium ordine. Quidquid sit ergo de iis Symmachi synodis quas ipse pontifex convocavit, primusque iis subscripsit; certum est tamen alteram ex iis habitam fuisse ubi Symmachus non præsedit, præsederunt vero archiepiscopi Ravennas et Mediolanensis, qui et subscripserunt primi omnium. Hanc vero synodum a Theodorico rege coactam, et episcopos convocatos nemo nescit, licet ipse Symmachi consensum, quem vi extorserat, simularet. Quidni ergo præsidentes synodi ipse Theodoricus marte proprio designaverit Mediolanensem ac Ravennatem, alium alio priorem? Quidni violento regi invitus acquieverit Ravennas? Aut si id de Theodorico excogitari posse negent, atque omnia ordinata velint cum Symmachi consensu; nonne censeri potest, utrumque archiepiscopum auctoritate a Symmacho eis collata concilio illi præsedisse, atque Mediolanensis præcedentiam a voluntate pontificis eo casu derivasse? Dicent fortasse Mediolanenses, respexisse tunc Symmachum dignitatem Ecclesiarum? non arbitror : secus dicendum foret Romanos pontifices in electione legatorum ad generalia, aliaque concilia, attendisse excellentiam graduum in electis, non prudentiam, non rerum tractandarum peritiam. In ejusmodi autem casu nulla major dignitatis accessio facta est Ecclesiæ Mediolanensi supra Ravennatem, quia ex voluntate Symma

chi prior concilio præsederit Laurentius, prior allocutus sit, prior subscripserit. Quando autem in ista synodo vel regis, vel papæ mandato, Ravennatem Mediolanensis præcessit; quid Ravennatis intererat, si aliis synodis subscriberet secundus, quibus cum præesset summus ipse pontifex, in prærogativam non inducebatur prior aut posterior subscriptio?

74. Hæc addideram in gratiam suppositæ Clementini diplomatis falsitatis. Verum igitur illud sit, nec ne, potiora prærogativarum jura frustra sibi aucupant Mediolanenses ab hisce Symmachianis subscriptionibus. Gratiano autem ex illis argumentum instituenti pro archiepiscopi Mediolanensis excellentia, aliisque omnibus recentioribus ab Eustachio citatis, nullius negotii est respondere, illos nempe antiquum conciliorum morem ad sui temporis inductam consuetudinem perperam metiri. Nullam antiquitus sedium prærogativarum habitam fuisse rationem in subscriptionibus conciliorum probant, quæ Mediolanenses nobis superius ingenue suppeditarunt, et quæ super hujusmodi disciplina plurimi auctores docuerunt, et præsertim quæ in Symmachi conciliis animadvertimus. Cœpit quidem recentioribus sæculis pristina disciplina defervescere, oblitique sunt Ecclesiæ præsules Christi Domini præceptum, *Qui major est in vobis fiat sicut minor, et qui præcessor est sicut ministrator* (*Luc.* XXII, 26), assumentes e contra discipulorum non adhuc confirmatorum infirmitatem, *Quis eorum videretur esse major* (*Ibid.*, 24), ambitione induente personam necessitatis jurium propriæ Ecclesiæ tuendorum. Ad hanc respexit Gratianus, illiusque sectatores respexerunt in allatis casibus, non autem ad primorum sæculorum simplicitatem.

75. Ob citatam tamen Gratiani auctoritatem Eustachius a S. Ubaldo subirascitur Felici Antonio Guarnierio, tribuenti anteriorem Mediolanensis subscritionem in conciliis Symmachi non præcellentiæ dignitatis, sed anterioritati ordinationis in episcopum; cum enim ea Guarnierii ratio apprime Mediolanensium rationibus quadraret, quibus contra Aquileienses proprii antistitis præeminentiam defendere conantur, atque etiam consona esset saniorum criticorum sententiæ; ideo Augustinianus noster Guarnierio Gratianum opponit dicentem, ex quo Laurentius subscripsit ante Petrum Ravennatem, *Sedis prærogativam ante eum habere;* ac notat Gratianum non dicere *Ordinis prærogativam*, sed *Sedis*; non dicere *habuisse*, sed *habere*, scilicet dum Gratianus scriberet: quod non dixisset, si authenticæ fuissent Clementis II litteræ; illi enim innotuissent. Ego vero credideram, opinionem illam Guarnierii, non Gratiani auctoritate, qua non adeo movetur ætas nostra, sed fortioribus argumentis enervandam fuisse, aut quærendum an prior Petro episcopatum adierit Laurentius, necne; nam si forte prior in episcopatu Ravennas, id argumentum omnium potissimum fuisset contra Guarnierium. Cæterum nisi Gratiani assertio firmiori nitatur fundamento quam subscriptionibus Symmachianis, eam inter innumeras alias libentissime relinquimus, quæ hujus auctoris ab omnibus rejiciuntur; neque obstupescimus cl. cæteroquin decretorum collectorem non meminisse Clementini diplomatis, cum tot alia fortasse majoris momenti et indaginis vel tacuerit, vel omiserit, vel ignoraverit, vel male intellexerit.

76. Quod vero ad Symmachi synodos attinet, quod Theodoricus rex, quod Ennodius, et centum alii, si placet, cum utrumque metropolitanum nominant, Mediolanensem præmittunt; ridiculum enimvero est id convertere in argumentum majoritatis. Scribit divus Paulus ad Galatas, *Cum cognovissent gratiam quæ data est mihi Jacobus et Cephas* (*Galat.* II, 9); apostolorum principem Cepham Paulus ergo minorem credidit? Athanasius synodicam Sardicensis concilii epistolam laudans, atque episcopos qui eam subscripserunt enumerans, ait (*Apolog.* 2): *Eorum autem qui in synodo subscripserunt, cæterorumque aliorum ista sunt nomina, Osius ab Hispania, Julius Romæ per Archidamum, et Philoxenum presbyteros suos Prothogenes Sardicæ*, etc. Erit ergo Julius Romanus pontifex Osio Cordubensi postponendus? Væ autem præeminentiæ Mediolanensium supra Vercellenses, si ipsius Athanasii auctoritate abutamur, in epistola ad Solitarios dicentis: *Clarissimæ sunt confessionis viri religiosi, et episcopi boni Paulinus Trevirorum, Lucifer episcopus Sardiniæ, Eusebius Vercellis, Dionysius Mediolani.* Item quia Constantinopolitanum concilium V in damnatione trium capitulorum, *condemnamus*, inquit, *et anathematizamus... quæ impie Theodoretus conscripsit contra rectam fidem, et contra duodecim capitula S. Cyrilli, et contra Ephesinam primam synodum*, etc., minor habenda erit isthæc generalis Ephesina synodus sancto Cyrillo ejusque capitulis? Quia S. Augustinus, cui potior auctoritas quam Theodorico tribuenda est, *tunc*, ait, *accepto volumine ejusdem concilii* (Pseudo-Sardicensis), *statuta considerans, legi Athanasium Alexandrinum episcopum catholicum, et Julium Ecclesiæ Romanæ episcopum nihilominus catholicum illo concilio Sardicensi fuisse improbatos* (*August. lib.* IV *cont. Crescon., epist.* 44 *et* 163); ergo censebimus, Augustinum anteponere voluisse pontifici maximo Julio Athanasium in sedis prærogativa?

77. Verum quid plura? In concilio Romano sub Julio I, nonne Ravennas episcopus ante Mediolanensem nominatur? Nonne in concilio Sardicensi ter eodem ordine subscriptos legimus ambos istos antistites? Et præter centum, præter mille auctores, quibus Ravennatem libuit ante Mediolanensem laudare, nonne Sigonius ipse, quem Eustachius in suas partes trahere conatur, inter Ecclesias Italiæ principes Mediolanensi quartum solummodo locum assignat, Ravennatique postponit? Nos vero ejusmodi rationibus non adeo fidimus, ut prærogativas Ecclesiæ nostræ inde derivare curemus. Sufficit nobis exempla exemplis opponere, alia falsa ostendere, alia ad rectam rationem, mores, disciplinam explicare, ut levitatem argumentorum quibus Mediola-

nenses utuntur contra Clementis II diploma detegamus.

78. Nondum tamen illud oppugnare desinunt, ejusque sensus et verba medullitus perscrutantes, ex principio illo *Clemens episcopus servus servorum Dei omnibus Ecclesiæ filiis*, atque etiam ex salutatione *Bene valete*, nova colligunt falsitatis indicia. Non agebatur, inquiunt, de aliquo fidei articulo, ut omnibus Ecclesiæ filiis litteræ istæ inscriberentur : universis autem Ecclesiæ filiis salutatio ista, *Bene valete*, minime convenit. Nugæ! Non agebatur quidem de fidei articulo : verum ea erat quæstio, cujus definitionem omnes Ecclesiæ filios non latere decebat, cum bonus ordo conciliorum, ac Patrum unanimitas et concordia, Christianorum omnium ædificatio sit; e contra vero Patrum altercationes, ambitus, discordiæ omnibus sint scandalo et irrisioni. Agebatur etiam de iis Italiæ metropolitanis, qui propter amplitudinem sedis ac dignitatis ob oculos erant universo Christiano orbi, Mediolanensis nempe, ac Ravennas. Accedit quod istiusmodi controversia excitari potuisset in quibuscumque synodis etiam generalibus, quæ Ecclesiam universam repræsentant : quapropter expediebat legem statuere, eamque solemniter publicare, quæ ubique innotesceret, omnesque obligaret. Cæterum *universis Ecclesiæ filiis* inscriptas legimus *Urbani II* Romani pontificis litteras pro Turonensi S. Martini Ecclesia, quamvis neque agerent negotium fidei, neque disciplinæ ad universam Ecclesiam spectantis. Idem dicito de millibus aliis summorum pontificum diplomatibus, eam inscriptionem præferentibus. Quod spectat ad salutationem *Bene valete*, si minus universis Christi fidelibus convenit, doceant ergo Mediolanenses aptius salutationis genus : interea nos illos monemus, plena esse medii ævi diplomata similibus salutationibus *Bene valete*, licet inscripta sint omnibus Ecclesiæ filiis.

79. Apocryphum est etiam, addunt Mediolanenses, monumentum istud Ravennatensium, quia refert Petrum Ravennatem cessisse Laurentio Mediolanensi in Symmachianis conciliis, *non aliquo jure, sed humilitatis gratia*, cum virtutis, et muneris partes fuissent Ecclesiæ suæ jura tueri, non cedere. Levissimæ huic objectioni respondeat Mediolanensis Arnulphus cum suo illo Heriberto archiepiscopo; dum enim Ravennas antistes (et ipse Heribertus nuncupatus) contenderet cum Mediolanense Regis coronandi præsentationem ann. 1027, *Domnus Heribertus sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ venit archiepiscopus, vir strenuus, et modestus, immo et patientissimus, ne forte in populo fieret tumultus, adversus ejus* (Ravennatis archiepiscopi) *diram insaniam opposuit sanctam temperantiam, a tantæ seditionis turbine humiliter declinavit, et coepiscopos, et omnes suos hanc temeritatem condemnantes, et illi in faciem resistere volentes, blanda persuasione admonuit, ut scandalum ejus humiliando vitarent.* Cur ergo archiepiscopus Mediolanensis humilitatis gratia tunc declinavit a tumultu, egressus est templo, coepiscopos suos compescuit? Nonne Mediolanenses docent *Prælatos, quo sanctiores, eo firmius pro suarum Ecclesiarum juribus stetisse; non locum cedere, sed sibi debitum sustinere, virtus fuisset?* Hæc autem sunt P. Eustachii verba et morale documentum. Si ergo quia litteræ Clementinæ asserunt Petrum Laurentio cessisse *humilitatis gratia* in synodis Symmachianis, apocryphæ habendæ sunt; tali etiam nota laborabit Arnulphi narratio, quæ Heribertum Mediolanensem templo cessisse, Ravennati non restitisse humilitatis gratia luculenter exponit.

80. Sed urget pater Eustachius : *At quo fine, qua necessitate, aut quod ob bonum exercenda tunc illi* (Petro Ravennati in synodis Symmachi) *quoad locum humilitas?* Petat ergo ille ab Arnulpho suo quo fine, qua necessitate, aut quod ob bonum Heribertus Mediolanensis in coronatione Conradi declinavit a tumultu, templum reliquit, coepiscopos redarguit? *Ne forte* (respondet scriptura illa ex qua narrationem suam descripsisse dicitur Arnulphus, testante Beroldo, et de qua scriptura omittimus rationem repetere, cum pretium ejus facile legentibus appareat), *ne forte*, inquam, *in populo fieret tumultus... ut scandalum humiliando vitarent, nec tanta plebe impetuosa seditio cresceret, ne diabolus totius erroris auctor, bono pacis raperet de proposito episcoporum, quod moribus decet inesse laicorum.* Verba autem hæc laudatæ scripturæ patrem Eustachium docere possunt finem, necessitatem, et bonum ob quod exercenda fuit Petro Ravennati in conciliis Symmachi quoad subscriptionem et, si mavis, quoad locum sessionis humilitas.

81. Humilitati tamen locus non erat, iterum instat P. Eustachius, tum quia nullum monimentum afferri potest, quod probetur ante Symmachi synodos Ravennatensem episcopum aliquando Mediolanensi in conciliis præcessisse, ut ex humilitate dici possit renuntiata sub Symmacho loci præeminentia; tum etiam quia *Laurentio Mediolanensi, ut consecratione antiquiori, adhuc præcisa propriæ dignitatis præeminentia, debebatur præcedentia : unde ergo illi locum cessit Petrus humilitatis gratia?* Monimenta nostræ præcedentiæ ante Symmachi tempora nobis præstat concilium Romanum sub Julio I et Sardicense, in quibus præpositum Ravennatem Mediolanensi legimus. Alterum monimentum est, nullibi inveniri antepositum in conciliis ante Symmachum Ravennati Mediolanensem episcopum. Quæ prioribus monimentis objiciunt auctores nostri, inferius indicabimus; quæ vero secundo objiciunt negativo monumento, plane ignoramus. Dici igitur jure potuit, Petrum *humilitatis gratia* Laurentio cessisse in conciliis Symmachi. Quod autem Laurentio, *adhuc præcisa propriæ dignitatis præeminentia*, præcedentia deberetur, quia prior in episcopum consecratus fuerat, præterimus animadvertere quænam fuerit *propri dignitatis præeminentia*, unde supra Ravennatem archiepiscopum ; præcipue Symmachi temporibus, sese efferre poterat Mediolanensis. Durum fortasse erit auctoribus istis probare hanc dignitatis præeminentiam, si

civitatem utramque, si Ecclesias, si earum originem, amplitudines, prærogativas, præsules ad meræ veritatis historicæ lumen, seclusis fabulis, conferemus et expendemus. In reliquis caveant doctissimi Mediolanenses ne, dum ab anteriore ordinationis tempore novum argumentum instaurare satagunt contra Clementinas litteras, rem nostram, etsi inviti et nolentes, agant; si enim, non obstante priore Laurentii consecratione, Petrus ex humilitate primas partes ei detulit, aliud argumentum nobis in promptu est, ut Ravennatium archiepiscoporum excellentiam probemus præ Mediolanensium.

82. Præstat autem super his non immorari, ut audiamus ultimas falsitatis notas quas invenire in Clementino diplomate sibi videntur Puricellus et Eustachius a S. Ubaldo. Earum alteram arbitrantur, dictum fuisse in eo diplomate, Petrum Ravennatem cessisse Mediolanensi *illo tantummodo casu*. Res, aiunt, non sibi constat; tribus enim in synodis Symmachianis Sevindus a Mediolanense sedit, ac subscripsit Petrus Ravennas; hic autem dicitur *illo tamtummodo casu* huic cessioni indulsisse. Quam bene ratiocinantur! quasi τὸ *illo casu* apprime significaret *pro una vice*, nullo autem modo interpretari posset *pro illis synodis* quæ in casu Symmachi celebratæ fuerunt; seu quoniam in una tantum ex iis egerunt uterque personam præsidis, quasi *pro illa tantum synodo* intelligi non possit præcedentia Mediolanensi concessa ex Petri humilitate. Quamquam autem Clementina verba explicanda essent *pro illa tantum vice*, cur intelligere ea deberemus *pro una tantum synodo?* Quis umquam grammaticus tiro ita interpretaretur? Aliquot annis, iisque continuis fuerunt hæ synodi repetitæ, et forte Patres numquam ea causa ab Urbe discesserunt, cum tumultus non acquiesceret etiam post iterata concilia, et decreta contra antipapæ fautores, adeo ut unum solummodo tot annis continuatum ea concilia ab aliquibus reputentur. Quapropter optimo jure potuit Joannes I Symmachi successor in declaratione edita pro Ravennate, quam litteræ Clementinæ meminerunt, conventus illos omnes complecti, et indicare iis verbis, *illo tantummodo casu*, seu etiam illa tantummodo vice. Admissa igitur opinione Puricelli, quod tribus vicibus præscripserit Petro Laurentius, contradictionem minime sonant verba diplomatis Clementini. Nihil vero mirum, si concessa ex humilitate præcedentia in prima synodo, eadem humilitas concedere suasit in subsequentibus, ne forte repetita altercatio scandalum excitaret, neu qui Romam venerant schisma teterrimum composituri, aliud ipsi propter inanes præcedentiæ titulos renovare dicerentur.

83. Pudet diutius in hisce tricis immorari, eo magis quia perseverant auctores laudati alias ejusdem farinæ notas jactare. Altera ergo est, dixisse in suis litteris Clementem II *multoties ventilatum a retro pontificibus prædecessoribus nostris aut vix aut nullo fine sopitum est :* nempe jurgium ob præcedentiam in synodis inter tres illos contendentes. Ubi enim, inquiunt, apparent indicia repetiti hujus jurgii? In solo coronatione Conradi Salici legimus illud excitatum an. 1027, cum Mediolanensis archiepiscopi munus sibi arrogasset Heribertus Ravennas. Immo vero, nos addimus, neque in Augusti illius inauguratione de jure in conciliis præcedendi altercatum est. Verum quid inde? Ergone in nullis aliis conciliis contentio isthæc emergere potuerat ante an. 1027? Nonne potuerat in Symmachianis, sopita tamen humilitate Ravennatis? Nonne subsecuta Joannis I declaratio id non obscure indicat? An tot aliis in synodis, quibus modo Ravennatem, modo Mediolanensem subscriptum videmus post Romanum pontificem, quæstio hæc agitari nequiverat? Ergo quia Puricello et patri Eustachio ignota sunt hæc jurgia, neque nota fuerunt Patribus, ante octo sæcula in Clementis synodo congregatis?

84. Quare ergo, exclamant, in synodo ista pro omnibus Mediolanensis Ecclesiæ juribus solus omnino dicitur esse « *prolatus quidam catalogus nominum eorum archiepiscoporum qui interfuerunt synodo Symmachi papæ, ubi præscriptus erat Mediolanensis archiepiscopus?* Cur mille alia omissa Mediolanensium potiora jura? Ubi metropolis anterioritas? ubi antiqua Ravennatium subjectio? Quorsum neglecta acquisitæ toties supra Ravennates præcedentiæ exempla, sub Agathone an. 680, et sub Joanne XII an. 963, de quibus supra? Hisne in re tanti momenti prætermissis, sola Laurentii sub Symmacho sessio (dicito potius, præscriptio) memorata? » Bona verba, quæso, Mediolanenses. Quorsum vos quidem jactabitis metropolis *anterioritatem*, quando sub judice adhuc lis est, an prior Ravennate orta fuerit Mediolanensis? Argumenta sane quæ capite 3 sequenti producent in medium Ravennatenses, non ita levia sunt, ut tam facilem patiantur responsionem. De antiqua vero nostræ Ecclesiæ subjectione præstat jam opinionem vestram moderari. Esto, amplissimus Insubrium metropolita sæculo cadente quarto, noster autem sæculo tantum ineunte quinto ortum cognoverint, adhuc falsissimum est ne die quidem uno vel altero Ravennatenses Mediolanensi episcopo obedientiam præstasse, quod jam demonstratum puto capite præcedenti. Jus eligendi coronandique reges Italiæ (illud enim hic quoque repetitis), quid juris addidit Mediolanensi episcopo in ecclesiasticis negotiis? Jus coronandi pontifices summos quid juris acquisivit unquam episcopo Ostiensi in Ravennatem, Aquileiensem, Mediolanensem antistites?

85. Memoratam demum præcedentiam in synodis Agathonis, et Joannis XII vidimus jam superius num. 44, 45 et 46, alteram nullo modo probari, alteram omnino esse falsam. Quid si Ravennates certiora proferent documenta obtentæ præcedentiæ supra Mediolanensem in conciliis, post Symmachi synodos, ante coronationem Salici, ante Clementis II diploma? Primum documentum, et quidem luculentissimum nobis suppeditavit cl. Joseph Garampius insuper allata dissertatione *de nummo argenteo Benedicti III*,

cujus eruditissimi viri eadem verba hic liceat referre : « Ludovicum imperatorem adfuisse huic concilio (Romano an. 850) in ecclesia beati Petri apostolorum principis coacto, deduco ex quodam synodali præcepto in causa Petri Aretinæ, et Cantii Senensis Ecclesiæ episcopi prolato, quod editum primo fuit a cl. Muratorio pag. 589 tom. IV Antiquitat. Italic. medii ævi, et iterum a cl. Joanne Dominico Mansio, pag. 936 tom. I Supplement. ad Concilia Veneto-Labbeana, cui subscribunt duodecim episcopi, quos inter *Joannes, archiepiscopus Ravennæ, Angelbertus, archiepiscopus Mediolanensis*, Ambrosius, episcopus Lucensis, Oschisi Pistoriensis, Donatus Fesulanus, Gerardus Florentinus, Joannes Pisanus, Andreas Volaterranus, Taceprandus Clusinus, Otho Rossellensis, et Joan. Tuscanensis. Cum vero hæc charta nullo certo chronologico charactere notetur, veri nimium simile visum est cl. Muratorio referendam esse concilio quod die 8 Decembris an. 853 in Basilica Vaticana coactum fuit. At in illo nec Ludovicus imperator adfuit (quemadmodum supra observavimus num. 7 hujus capitis), qui tamen synodi judicio prædicto interfuit; nec illi quos laudavimus episcopi, qui chartæ subscribunt, et præsentes fuerunt (pag. 391 apud Muratorium loco citato), haudquaquam concilio an. 853 adfuerunt, cum eorum nomina in ipsius subscriptionibus, editis ab Holstenio Collect. Roman. part. II, pag. 114, et tom. IX, Concil. edit. Ven. pag. 1137, nullibi legantur. Immo ipsemet Joannes, archiepiscopus Ravennas, chartæ subscripsit et adfuit (pag. 391, ibid.), qui tamen concilio an. 853 absens per legatum suum subscripserat; ibi enim legitur : *Paulus diaconus vicem agens Joannis archiepiscopi Ravennæ*... Ego vero, ut mea fert sententia, datum fuisse arbitror in concilio quod die 16 Decembris indict. XIV, an. 850, in causa Anastasii Romæ coactum fuit, cujus historiam Leo IV in basilica Vaticana depingi fecerat cum inscriptione, in qua præ cæteris hoc notatum fuit : *Post Romanum pontificem in hac excommunicatione consenserunt archiepiscopus Ravennatis et Mediolanensis, aliique num.* 75 (apud Holsten. in Coll. Rom. part. II, pag. 109, et concil. loc. cit. pag. 1145)... Cum igitur iidem Joannes Ravennas et Angelbertus Mediolanensis archiepiscopi tum prædicto synodali præcepto, tum concilio die 16 Decembris an. 850 interfuerint et subscripserint, vero nimium simile mihi videtur præfatum præceptum in hoc concilio prolatum et sancitum fuisse; adeoque affirmare non dubitaverim Ludovicum imperatorem concilio Romano an. 850 interfuisse, etc. »

86. Alterum documentum nobis præbet Ravennatense concilium coram Joanne XIII, R. P., atque Othone I imperatore celebratum an. 967, in quo Walpertus, Mediolanensis archiepiscopus, post Petrum Ravennatem subscripsit condemnationi Salisburiensis antistitis. Cum autem concilium istud restauratum fuerit sequenti anno 968, propter negotia quædam Magdeburgensis Ecclesiæ, ibique pacta fuerit nescio quæ permutatio inter episcopos Magdeburgensem et Halberstadensem apud eamdem Ravennæ synodum, refert Chronicon Magdeburgense, *huic etiam Concambio Petrus, Ravennatensis archiepiscopus, et plurimi episcoporum Italiæ et Germaniæ subscripsere anno Dominicæ Incarnationis* 968, *indictione* XII, confuso probabiliter inter plurimos Italiæ episcopos Walperto Mediolanense. Omittimus quæritare alia istius generis exempla. Pauca isthæc jam allata, quæ nulli exceptioni obnoxia credimus, satis superque probant præeminentiam nostrorum archiepiscoporum in conciliis ante coronationem Salici et litteras Clementis II. Desinant ergo nobis opponere doctissimi Mediolanensis metropoleos patroni obtentam in primis conciliis hanc præcedentiam, jus eligendorum regum, primævam nostrorum præsulum suffraganeitatem; discantque, amabo, ab ipsis suis tam magnificatis auctoribus Arnulpho, et Landulpho utroque, qui in suis annalibus nihil de priore metropolis origine, nihil de antiqua Ravennatium subjectione, nihil de præcedentia in synodis Agathonis et Joannis XII in narrandis dissidiis inter suos et nostros præsules mussitarunt, discant, inquam, ejusmodi prærogativas in argumentum falsitatis non assumere contra Clementinum diploma.

87. Sed ecce alios Augustiniani nostri cavillos. Verbum illud *privilegium* Joannis I Symmachi successoris, quod in Clementis bulla relatum est, in suspicionem trahit bullam ipsam. Hic vero adversarius noster acute aliquid sibi vidisse visus est. Pergamus audire. « Ad summum, inquit, agebatur de simplici attestatione, ab ipso Joanne I facta, Petrum nempe Ravennatem ex humilitate, et illo tantummodo casu Laurentio locum cessisse. Simplex autem attestatio *privilegium* dici non potest. Item Clemens II sedem Ravennati statuit a dextris papæ, imperatore absente, præsente vero a sinistris, *secundum antiquæ constitutionis auctoritatem*. Et qualis hæc antiqua pro Ravennate constitutio? et quatenus ea exstitisset, quomodo dixerat paulo ante Clemens II : *Quisquis enim sibi juxta nos dextri lateris locum vindicabat, et cui jure deberetur nobis incertum erat?* Si namque Clementi II nota erat antiqua ad favorem Ravennatis constitutio, quomodo non ipsi itidem certum erat, cui sessio a dextris pontificis jure deberetur? Et si ipsi incertum, quænam vel cujus auctoritatis hujusmodi constitutio? *Non aliis opus est, ut eæ litteræ rejiciantur, argumentis.* » Bellum enimvero argumentatorem! Magnificam conclusionem!

88. Privilegium dici posset monumentum Joannis I, licet nudam attestationem præferret, vel quia attestatio est de privilegio Ravennatis Ecclesiæ, et pontificis Maximi attestatio de privilegio ipsa est privilegium; vel quia in ipsa attestatione sancitum erat, non derogatum iri prærogativæ Ecclesiæ Ravennatis ab spontanea Petri cessione pro illo tantum casu Symmachianæ synodi; vel quia cum ipsa attestatione ab Joanne I etiam confirmabatur Ravennatensi prærogativa sessionis præ Mediolanense. In

quolibet autem sensu constitutum et privilegium esse, et dici poterat Joannis I attestatio, a Clemente II relata. Porro hæc ipsa attestatio hoc idem privilegium esse poterat *antiqua illa constitutio*, ad cujus auctoritatem synodus Romana cum Clemente II sententiam dixit pro Ravennate; nisi in medium quis proferret antiquiorum etiam pontificum privilegia, Ravennati Ecclesiæ, apostolicæ sedis primogenitæ concessa, quæ a S. Gregorio Magno memorantur.

89. Quid autem, Deus bone, respondebimus dilemmati illi, quo nos irretiri arctarique sentimus : *Si Clementi II nota erat antiqua pro Ravennate constitutio, quomodo non ipsi certum, cui sessio a dextris pontificis jure deberetur? et si ipsi incertum, quænam vel cujus auctoritatis hujusmodi constitutio?* Væ nobis ab hujusmodi dilemmatibus ! Orta quæstione de præcedentia sessionis inter archiepiscopos, nescit quidem pontifex, Germanus homo, rerum Italicarum fortasse rudis, cui deberetur, quia nondum lecta fuerat in synodo hæc antiqua constitutio quæ illum latebat. Lecta deinde antiqua hac constitutione, et probata in synodo, ecce nota evadit Clementi, ecce secundum eam pronuntiat pro Ravennate. Dum erat adhuc in incerto constitutio, nulla quidem pollebat auctoritate; quando autem certa evasit per lectionem et examen in synodo de ipsa habitum, auctoritatem omnem obtinet apud Clementem et universos Patres. Vah facilis e labyrintho eruptio ! Sufficiebat seriem Clementinarum litterarum attendere, quam nostri auctores strenue interverterant. Dicant ergo : *Opusne est aliis, ut eæ litteræ ejiciantur, argumentis?*

90. Sed non ignorabant Mediolanensis metropoleos patroni multa afferri pro Ravennate Ecclesia, quæ male sartam eorum hypothesim plurimum labefactare, immo plane subvertere possint. Itaque nonnulla ex his sibi ipsi objecerunt, eaque diluere conati sunt, sed irrito conatu. Quod itaque in concilio Romano sub Julio I in episcoporum syllabo ante Mediolanensem episcopus Ravennas nominetur, id vero aiunt nullius momenti esse ad præcedentiam Ravennatis antistitis astruendam, quia is per eos dies nondum erat metropolita, sed simplex episcopus; a denominatione autem simplicis episcopi ante archiepiscopum non arguitur ejus præcedentia, cum quæstio sit quis primus post papam archiepiscopus? Addere etiam quiverat Eustachius concilium Sardicense, ubi habemus Ravennatem ter præscriptum Mediolanensi, atque eadem facillima evasione vim harum subscriptionum infringere. Cæterum an in ratiociniis maximum vitium sit, aliquod incertum probari per aliud æque incertum, seu quod pejus est, aliquod certum improbari per aliud, quod dubium est atque in quæstione positum; logicos alumnos appellabo, atque ad eos provocabo Mediolanenses nostros. Supponunt enim tempore conciliorum Romani et Sardicensis, aut Mediolanensem episcopum jam metropolitanum fuisse, quod ab veritate longe positum esse auctores doctissimi probarunt, vix ab Ambrosii temporibus, Sardicensi, et Romana sub Julio synodo posterioribus initium hujus dignitatis derivantes; aut supponunt nondum ad id honoris assumptum Ravennatem episcopum tempore conciliorum Romani et Sardicensis, cum non desint celeberrimi scriptores, non desint magni ponderis rationes, quæ contrarium indicant ac pene demonstrant. Quod si etiam daremus Mediolanensem episcopum honore tunc metropolitani insignitum, simplicem autem episcopum fuisse Ravennatem, nonne etiam volunt hunc illi eodem tempore paruisse tamquam suffraganeum? Quis autem dixerit inter insigniores principalium Ecclesiarum præsules, minimum episcopum, iis temporibus, metropolitano suo anteponi, prout in allato Romano concilio? *Residentibus etiam viris venerabilibus, pariterque cum eo* (Julio Romano pontifice) *audientibus Benedicto Aquileiensi episcopo, Rufo Carthaginensi episcopo, Agapito Ravennatis Ecclesiæ episcopo, Julio Mediolanensi episcopo, Luciano Maurianensi, et reliquis cum eis* 116 *episcopis*. Non loquimur de Sardicensi, quia cum Mediolanenses premantur a subscriptione etiam Aquileiensis episcopi, respondent ordine alphabetico congestas fuisse subscriptiones hujus concilii, et citant Binium : quamvis, re bene perpensa, puerile est credere, in tam augusto ac numeroso consessu, episcopos alphabetice vocatos ad subscribendum, non autem potius vel secundum dignitatem Ecclesiarum, vel secundum antiquiorem consecrationem, vel fortasse interdum ob alicujus episcopi famam, sanctitatem, scientiam, atque in ecclesiasticis negotiis expediendis peritiam. Nos autem dedignamur, juxta uberius dicta in superioribus paragraphis, ex tam turbido subscriptionum conciliarium fonte argumenta certæ prærogativæ derivare.

91. Eginardo in distributione largitionum Caroli Magni Ravennatem Ecclesiam Mediolanensi anteponente, quæritandum volunt auctores nostri utrum speciali ipse Carolus benevolentia, vel Eginardus vitæ ejus historicus suo marte id fecerit; quia Otho Frisingensis ultimo loco inter Italiæ principes Ecclesias memorat Mediolanensem : aiunt, hominem ultra montes degentem incœpisse mentionem a metropolibus sibi vicinioribus, Aquileiense scilicet ac Ravennatense, et in longinquiore terminasse, nempe Mediolanense : in quo utrum ad rectas geographiæ lineas metiti sint regiones auctores nostri, atque utrum Frisinga Bavariæ civitas, cujus episcopatum gessit Otho iste, seu potius Morimundense Cisterciensis ordinis monasterium in Gallia diœcesis Lingonensis, ubi diu ante episcopatum, et multos annos ante mortem, quam ibi oppetiit, moratus est, viciniora sint loca Ravennæ, quam Mediolano, viderint alii; quemadmodum etiam viderint cui Gelasii I doctissimi pontificis vitio dandum sit, ante Mediolanum Ravennam laudasse, ubi contra Acacium Constantinopolitanum scribebat ad episcopos Dardaniæ, dicens : *Numquid apud Ravennam, apud Mediolanum, apud Syrmium, apud Treviros multis temporibus non constitit imperator? Numquid harum urbium sacerdotes ultra mensuram sibi antiquitus deputatam quidpiam suis dignitati-*

bus usurparunt? Viderint pariter cui cardinalis Bonæ vitio dandum sit, Mediolanensem episcopum ab usu pallii exclusisse per plura sæcula, solique Ravennatensi in Italia tribuisse : « Cæterum, inquit, non omnibus archiepiscopis hunc honorem tributum, sed iis solummodo qui inter ipsos præcipui erant, nemo ignorat qui in veteri historia versatus sit; nam in Gallia nemini mittebatur, nisi soli Arelatensi, de qua re exstant epistolæ Vigilii ad Auxanium, Pelagii I ad Sapaudum, et Gregorii Magni ad Childebertum regem Francorum lib. IV epist. 53. In Hispania soli Hispalensi, in Dalmatia Salonitano, *in Italia Ravennati*, in Sicilia Syracusano, in Sardinia Calaritano, ut ex epistolis Gregorii liquet, etc.» (*Bona Liturg. lib.* I, *c.* 24, *n.* 16.) Viderint quoque cui Sigonii vitio dandum sit, accuratissimum hunc Italiæ descriptorem primas Ravennæ partes dedisse, postremas Mediolano, quod aut non vidit Puriçellus, aut non vidisse simulavit. Item quia Luitprandus Ravennatem archiepiscopum, secundum a Romano per Italiam antistitem nuncupavit, autumant Mediolanenses Luitprandum locutum fuisse de sua tantummodo ætate, quando præpotentis Theodoræ factionibus plurimum Joannes X Ravennas in Italia pollebat : in qua interpretatione facile vapulabunt, si grammaticulus aliquis verba Luitprandi exactius legat : *Per idem tempus Ravennatis sedis, qui secundus post Romanum Archierum archipræsulatus habebatur, Petrus pontificatum tenebat;* nemo enim non videt τὸ *per idem tempus* non referri ad existimationem secundi archipræsulatus, sed ad Petrum tunc Ravennæ pontificatum tenentem, cui Petro nihil omnino erat cum Romana impudentissima femina. Si autem summorum pontificum testimonia adduxerimus, vocantium *Primogenitam* inter Romanæ Ecclesiæ filias, Ravennatem Ecclesiam; si imperatores eam appellantes maximam post Romanam Ecclesiam; quas turbas, Deus bone! excitarent Mediolanenses contra hujusmodi documenta? Verum his non insistimus. Sufficiat Clementinas litteras a falsitatis nota vindicasse, sufficiat in Romana synodo a supremo pontifice præhabitum fuisse Ravennatem præ Mediolanensi episcopo, fortassis ad evidentiam probasse.

CAPUT III.

Quid opinari liceat de origine metropoliticæ dignitatis in Ecclesia Ravennatense.

Hactenus pro vindicandis Ravennatis Ecclesiæ libertate et sessionis prærogativa, cominus decertatum est cum Mediolanensibus. Modo autem super initiis, seu origine ejus metropoliticæ dignitatis sermonem habituri partium studia deponimus; versamur enim in re adeo ancipiti, atque in tanta documentorum charitate, ut nihil certi, nihil quod indubiæ fidei speciem præ se ferat, inter tot densas nebulas liceat introspicere. Nos igitur diversas auctorum opiniones earumque rationes solummodo referre atque explanare contenti erimus; nullam vero sequemur, prudentiorum judicio alterutrius præstantiam committentes declarandam. Porro duas esse de hac origine opiniones neminem latet : altera, quam communiorem fatemur, ab quinto sæculo hanc originem repetit; altera, quæ pauciorum est, licet non aspernandi nominis auctorum, initia isthæc in primo æræ Christianæ sæculo collocat. Priorem opinionem ad trutinam revocemus.

§ I. Exponitur opinio de origine hujus dignitatis in quinto sæculo.

92. Emmanuel Schelstratius, Sebastianus Tillemontius, Jacobus Sirmondus, Norisius, Bacchinius, centumque alii, qui primas inter criticos tenent, hanc opinionem omni conatu studioque omni tuentur. Commune unicuique eorum argumentum est, nullum prorsus ante sæculum quintum reperiri in Ecclesia Ravennate istius honoris indicium, primumque Ravennatium episcoporum metropolitica infula præfulsisse, atque ejus dignitatis jura exercuisse divum Petrum Chrysologum circa istius sæculi medium. Non omnes tamen in Chrysologo pari sensu conveniunt; namque Bacchinius (quem secutus est Pastrizius quidam, auctor dissertationis de Patena argentea divi Chrysologi) a communiori recedens, primum quidem metropolitanorum jurium exercitium huic nostro Ecclesiæ doctori attribuit, sed negat primum metropolitanum illum fuisse, distinguens initia a dignitatis exercitio. Primum autem qui ad eum gradum ascenderit, constituit Bacchinius Joannem cognomine Angeloptem, immediatum Chrysologi antecessorem in cathedra Ravennatensi.

93. Fundamentum communioris opinionis, quæ principium tum dignitatis, tum exercitii in Petro Chrysologo recognoscit, desumitur omnino ex illius homilia 175, quam in consecratione Marcellini Vicohabentiæ (modo Ferrariæ) episcopi ad populum Ravennatem habuit. Aiunt enim ejusmodi sententiæ fautores laudatæ homiliæ verba non obscure, non dubie, sed apertissime indicare, Marcellinum primum fuisse qui a Ravennate Ecclesia consecrationis munus acciperet ex decreto sedis apostolicæ, intercedente imperatore. Et ne aliter interpretandi locus remaneret, comparat, aiunt, Petrus Chrysologus primam hanc ab Ecclesia Ravennate impertitam consecrationem sacratissimo Mariæ partui, in cujus solem niis opportune hæc consecratio ceciderat : sicut enim post edictum Cæsaris pagani, Maria Filium suum primogenitum pepererat, ita propter decretum divi Petri, et Cæsaris Christiani primum in Marcellino filium pariebat Ecclesia Ravennas; et quemadmodum primo Mariæ opus fuit Sponsi sanctissimi dubietates superare, deinde longe a propriis laribus, inter hiemis rigores, rerumque omnium difficultates, divinum partum in lucem emittere, pariformiter inter contradictiones, quæ episcopo Mediolanensi tunc Vicohabentiæ metropolitano tribuuntur, primos novæ jurisdictionis actus, primam nempe consecratione episcopi suffraganei nova mater produxit. Tali propemodum explicatione declarant doctissimi critici hæc verba Chrysologi : *Omnia quidem rerum primordia sunt dura, sed duriora sunt primordia generantis. Sancta Ecclesia Ravennas, ut primum pareret, viam*

fecit, angores pertulit, sensit dolores, et hoc egit, fratres, ut ordinem partus divini toto veritatis tramite custodiret..... edicto Cæsaris pagani Dominus obtemperaturus occurrit, et decreto Beati Petri, decreto principis Christiani servus adhuc aliquis obsistit (*Serm.* 175).

94. Quod autem in Joanne Angelopte, ut opinatur Bacchinius, hæc dignitas non incœperit, citati auctores, qui pro Chrysologo steterunt, antequam Pontificale Agnelli ederetur, satis, arbitror, habuissent asserere nullo id probari genuino documento, illud vero, quod primum ab Hieronymo Rubeo, tum ab Ughello relatum fuerat, purum putum commentum esse juxta sensum Baronii, atque omnium qui post Baronium de hoc documento scripserunt. Loquimur de diplomate illo Valentiniani III Augusti, quo Joanni Angelopti metropolitica dignitas super quatuordecim civitates Æmiliæ et Flaminiæ, palliique archiepiscopalis usus conferebatur. Papæ! Non est, inquiunt, imperatoriæ potestatis archiepiscopalem jurisdictionem tribuere, multo minus sancrosanctum pallium, quod ipsius jurisdictionis indicat plenitudinem. Schismatici ergo alicujus figmentum est diploma istud. Quapropter eo abrogato, nullum aliud reliquum est monumentum, quo initium dignitatis metropoliticæ Joanni Angelopti assignari possit; sed standum homiliæ Chrysologi, quæ tam initium exercitii quam initium dignitatis huic sancto doctori nimis aperte asserere videtur.

95. E contra Bacchinius in communiorem quidem sententiam abiit, ubi ex Chrysologi homilia primus metropoliticæ auctoritatis actus in Ravennatensi Ecclesia admittitur, scilicet Marcellini consecratio; immo detestatur et ipse diploma illud Valentiniani, atque in Agnellum primum illius assertorem, et Hieronymum Rubeum, atque Ughellum, uti Agnelli Symmistas irascitur: tamen a præconcepta opinione non recedit pro Joanne Angelopte. Et sane optime noverat doctissimus Cassinensis nullatenus collocari posse in Chrysologo istius honoris primordia, quando ante illum episcopum adeo manifesta appareant in Ecclesia Ravennate adeptæ jampridem dignitatis argumenta, ut nemo sanæ mentis de iis amplius dubitare potuerit. Neque contrarium verisimiliter sensissent Schelstratius, Tillemontius, cæterique omnes, si dum ipsi scriberent, e bibliotheca Estensi exiisset Agnellus vetustissimus auctor. Rubeo narranti quæ in electione Chrysologi evenerant, fidem non habuerunt auctores isti, præsertim Tillemontius consueta, qua omnia sus deque affirmat ac negat, libertate. Condonandum iis est tamen: Agnellum non citaverat Rubeus ad eam narrationem; licet cum sæpe ille profiteretur se ab Agnello plurima hausisse quæ Ravennatium historiæ hic atque illic opportunissime inseruerat, dignus ideo fuisset cum quo minus dure, minus superbe ageretur. Plenissimam illi fidem adhibuerat Baronius, non obtrectaverat senior Pagius Baronii annotator, et narrationem Rubei in Breviario Romanorum pontificum iunior Pagius admiserat.

96. Agnellum vero cum publici juris faceret Bacchinius eumque eruditissimis notis illustraret, animadvertit ex una parte diligenter, quibus circumstantiis, Joanne Angelopte defuncto, enarrat hic auctor successoris electionem, viditque episcopos Æmiliæ congregatos una cum clero populoque Ravennate ad ejusmodi electionem. Notavit, electum cum legatis Ravennatium, inter quos Cornelius, Imolensis episcopus, Romam processisse, approbationem et consecrationem, ut moris erat, a summo pontifice Sixto III impertaturum. Vidit, illo electo non admisso, Petrum Chrysologum, quem pontifex malebat, Ravennatibus despectum, quia diaconus esset Ecclesiæ suffraganeæ, videlicet Imolensis; admissum deinde, atque a Sixto consecratum; hisque positis, innegabilem resultare consequentiam, jam habuisse ante Chrysologum initia metropoliticæ dignitatis Ecclesiam Ravennatem. Ex altera autem parte cum in nullius ex prædecessoribus electione similia argumenta Bacchinius inveniat, nullusque eorum legatur istius potestatis actus emisisse, de cætero vero asserere Agnellum sciat Joanni Angelopti a Valentiniano eam dignitatem collatam, propterea quamvis reprobanda sit hæc Agnelli assertio, tamen probabili conjecturæ remanet locus, opinarique jure quis poterit, ait Bacchinius, intercedente Valentiniano, concedente sede apostolica, Angeloptem omnium primum archiepiscopali dignitate insignitum. Quia vero objicere aliquis Bacchinio nostro potuisset difficillimum captu esse, septem vel octo annorum intervallo, quos Bacchinius Angeloptis episcopatui assignat, ne unum quidem accidisse casum novæ jurisdictionis exercendæ, maxime quia Angeloptis temporibus, juxta chronologiam Bacchinii, aliquot ex novis suffraganeis fuissent consecrandi, vel saltem approbandi, inter quos certissime Foropopiliensis episcopus, Grati successor, qui anno 434 vita functus est: ea propter excogitare coactus est Cassinensis noster, Joanni Angelopti archiepiscopale pallium collatum solummodo fuisse extremis ejus vitæ diebus, adeo ut illi ne momentum quidem vitæ superesset, ad vel minimum actum novæ jurisdictionis eliciendum; urgebat enim necessitas sartum tectum Chrysologo servandi istiusmodi primum actum in consecratione episcopi Vicohabentini, quasi in hujusmodi solo actu metropolitica jurisdictio omnis consisteret.

§ II. Quæ opponi possunt tam opinioni de Petro Chrysologo, quam opinioni de Joanne Angelopte.

97. Quamquam laudatorum virorum rationes non exigui ponderis primo intuitu videantur ad fundanda vel in Joanne Angelopte, vel in Chrysologo archiepiscopatus initia, tamen non caret utraque opinio iis difficultatibus, quæ difficillimæ sunt solutionis, meo quidem judicio, si introspiciantur attentius. Amandato igitur ad sequentes paragraphos examine argumenti negativi, quod omnibus hisce auctoribus commune est, præmittendum hic venit, non convenire scriptores in stabilienda chronologia temporum Joannis Angeloptis et Petri Chrysologi. Rubeus enim no-

ster, quo cum Baronius et Pagius, prodigiosam Chrysologi electionem anno Domini 433 assignant, Angeloptis vero anno circiter 418; Bacchinius autem utrumque non paucos post annos protrahit, Angeloptem ad an. 432, Chrysologum ad an. 438. Nos in quæstione hac non immiscemur, quæ fastidio procul dubio foret legentibus. Aliqua super hujusmodi chronologia eruditissime scripsit auctor Meditationum in vitam S. Geminiani, Mutinensis episcopi, qui idcirco consuli, si libuerit, facillime poterit.

98. Præmissa igitur necessaria ista utriusque chronologiæ notitia, videntur opiniones allatæ de primo Ravennæ metropolitano inter se pugnare, atque altera alteram destruere. Et revera si quæ narrat Agnellus de electione Chrysologi credenda sunt, prout Bacchinius credenda asserit, non poterunt profecto Tillemontius, eique adhærentes critici, quin ante Chrysologum retrahant nostræ dignitatis primordia; posita vero chronologia Bacchinii, cogetur Cassinensis noster ea retrotrahere etiam ante Angeloptem, quem iniisse censet archiepiscopatum an. 432: nam Tillemontius satis aperte probat jam usque ad an. 431 Ravennatem episcopum inter Metropolitanos habitum, ex epistola eo anno ab Orientalibus scripta ad Mediolanensem, Aquileiensem et Ravennatem episcopos contra S. Cyrilli anathematismos. Quapropter saltem ad S. Exuperantii tempora, qui Angeloptem immediate præcesserat, in chronologia Bacchinii recurrendum foret.

99. Neque pro Tillemontio aliisque proderit Rubei chronologia; nam etiamsi demus electum Chrysologum anno 433, quæ Rubei, et forsitan verior est sententia, nihilominus epistola hæc Orientalium data an. 431 Tillemontium aliosque ab præconcepta de hoc primo metropolitano opinione recedere persuadebit. Si autem ad Chrysologi homil. 175 appellent, ab eaque argumentum mutuentur ad suam ipsi opinionem propugnandam, facile respondebit Bacchinius verba homiliæ indicare primum metropoliticæ potestatis usum in Marcellino Vicohabentiæ episcopo per Chrysologum consecrato, non autem Chrysologum primum fuisse metropolitanum. Quare velint nolint, in altero ex ejus antecessoribus primordia ejusmodi sunt collocanda.

100. Porro neque pro Bacchinio chronologiam Rubei (quam de cætero ipse refellere conatur) stare posse credimus, scilicet etsi electionem Angeloptis factam cum Rubeo dicamus an. 418, et Chrysologi anno 433, deducere inde consequentiam licebit ad initia metropolitica in Angelopte stabilienda, exercitium vero in Chrysologo. Præterquam quod enim destrueretur eo casu Bacchinii hypothesis, quod extremis tantummodo vitæ suæ diebus Angeloptes honorem illum fuerit adeptus, adeo ut ne unum quidem novæ potestatis actum elicere potuerit; nam admissa Orientalium epistola, jam saltem anno 431, tribus fere ante Chrysologum, metropolitanus erat Angeloptes, atque ut metropolitanus ab Orientalibus agnoscebatur: quo annorum intervallo quis credidevit, amabo, Angeloptem nullum suffraganeum, aut consecrasse aut approbasse, nullum provinciale concilium contra recentes conciliorum generalium canones convocasse, nullum denique vel unum jurisdictionis indicium in amplissima provincia præstitisse? præterquam quod, inquam, Bacchinii hypothesis destrueretur; quo deinde probabili fundamento, qua ratione natam dicemus Angeloptis tempore hanc dignitatem? Primo non ea ratione, quia Valentiniani intercessione, et sedis Romanæ decreto illi concessa fuerit; id enim merum est Bacchinii commentum, cum si Chrysologi homiliam consulamus, sancto huic doctori potius, Marcellinum ordinaturo, utriusque principis favor profuisse videatur. Secundo non quia per Valentiniani III diploma, quod Rubeus et Ughellus referunt, gradus metropoliticus Joanni, non Petro collatus fuerit; diploma enim istud Bacchinius cum universa eruditorum turba detestatur, dirisque omnibus devovet: quare illo rejecto, nulla poterit ex eo neque probabilis conjectura erui pro Angelopte. Tertio non quia hoc episcopo defuncto inventa fuerit in Ecclesia Ravennate ejusmodi prærogativa, dici potest incœpta in Angelopte; ratiocinium enim istud vel nimis infelix esset, vel divinationem saperet, nempe quia Ecclesia Ravennas metropolitana erat, dum e vivis Angeloptes excessit, ergo ipse primus fuit metropolitanus.

101. Confugiet fortasse et ipse Bacchinius ad homiliam 175 Chrysologi, quæ in super allatis verbis primum actum metropoliticæ jurisdictionis Ecclesiæ Ravennatensi tribuit, nempe consecrationem Marcellini; quare recentissimum tunc in ea fuisse hanc potestatem necesse est, ita Joanni Angelopti collatam paucis ante mortem diebus, ut nullo modo potuisset eam exercere; neque aliter conjectari omnino potest, si tum homiliæ verba, tum dignitatis istius præexistentiam servare velimus ante Chrysologi electionem. Verum Bacchinii confugium hæ rationes convellunt; primo quia consecratio episcopi non est unicus actus metropoliticæ jurisdictionis; ideoque etiamsi consecratio episcopi Vicohabentini prima fuisset consecratio episcopi suffraganei, facta ab Ecclesia Ravennate, non propterea verba Chrysologi de primo jurisdictionis præfatæ exercitio interpretanda essent; poterat enim Joannes Angeloptes, poterat Exuperantius, Ursus, Liberius, aliique antecessores Angeloptis synodos provinciales convocare, suffraganeas diœceses visitare, causas episcoporum judicare, immo electiones eorum confirmare, quin tamen eos ipsi consecrarent: qui actus, centumque id generis alii non abstulissent consecrationi a Chrysologo factæ qualitatem primæ consecrationis, neque fidem derogassent verbis divi Chrysologi.

102. Secundo quia nimis durum est credere septemdecim annorum intervallo, quibus in cathedra Ravennatensi sedit Chrysologus, si standum chronologiæ historicorum Ravennatium, aut saltem duodecim, si chronologiæ Bacchinii, primum omnino fuisse metropoliticæ auctoritatis exercitium, Marcel-

lini consecrationem; si enim verum est, ut mox dicemus, sacram hanc benedictionem collatam Vicohabentino fuisse in Natalitiis Domini nostri Jesu Christi an. 450, vel potius 449, paucis ante Chrysologi obitum mensibus; verone simile dici potest tanto annorum intervallo nullum alium suæ dignitatis munus exercuisse in provincia? Vacavit, dum ille sederet, Placentina Ecclesia, et electus an. 439 Florianus. Vacavit Bononiensis, vocatusque ad episcopatum Adrianus, vel si quis alter sancto Petronio successit circa annum 450. Item vacavit Foropopiliensis Ecclesia, item Ariminensis (non desunt enim qui hanc quoque inter Ravennæ suffraganeas antiquitus numeratam velint), tandem bis vacavit Imolensis. Quando igitur illorum sæculorum disciplinam attendamus, ad Chrysologum spectasset et electos approbare, et si libuisset, consecrare etiam. Insuper præter episcoporum approbationem et ordinationem, nonne tot annorum curriculo potuit, ne dicam debuit Chrysologus provinciale aliquod concilium celebrare? Sacrosanctos canones Spiritu Dei conditos de hujusmodi synodis singulo quoque anno semel et iterum convocandis, neque ignorare, neque negligere poterat eximius Ecclesiæ doctor. Demum si per Italiam universasque Occidentis regiones, jussu Leonis Magni, provincialia concilia et nationalia coacta fuerunt, ut epistolam tanti pontificis ad Flavianum, quæ norma fuit Patribus Chalcedonensis synodi in fide definienda, approbarent et subscriberent episcopi et Ecclesiæ omnes; inverisimile est profecto mandata Leonis ad Chrysologum non pervenisse, virum apud universam Ecclesiam sapientia et sanctitate commendatissimum; eumque etiam Æmiliæ ac Flaminiæ Patres pro tam celebri causa non coadunasse.

103. Tertio quia etiamsi consecratio episcopi per malam hypothesim unicus admitteretur potestatis metropoliticæ actus, tamen Marcellinus non fuisset primus episcopus a Chrysologo consecratus. Adeamus, quæso, auctores qui de illo Vicohabentiæ præsule verba faciunt: eum omnes opinantur consecratum fuisse exeunte anno 450, in Natalitiis Domini; immo Ughellus protrahit ad an. 451, quod tamen comprobari non potest, nisi initium anni 451 ab ipso Domini die natali juxta nonnullorum auctorum morem repetatur; non enim dubitari potest quin longe ante finem anni 451 ad cœlos evolaverit Chrysologus, eique jam successerit in episcopatu Neon, si epistolam S. Leonis ad hunc episcopum an. 451 inscriptam admittamus, de qua sine rationabili fundamento, ut mihi quidem videtur, dubitavit Bacchinius. Cæterum si quæ auctores Imolenses aliique probant aliquid ponderis habent, sanctus iste doctor extremum diem obiit ineunte Decembri an. 450; quapropter Marcellini consecratio spectare dicenda est ad Natalitia Domini an. 449, quemadmodum allati auctores opinantur. Contra vero si quæ de S. Projecto Imolensi episcopo scripta sunt, fidem merentur, eum ordinatione longe præcessisse Marcellinum, ideoque a Chrysologo prius consecratum coginur asserere. Baronii A quidem opinioni non assentimur cum Tillemontio, Baronii, inquam, putantis Projectum hunc Imolensem fuisse illum ipsum quem Ephesinæ synodo præsedisse legimus Sedis apostolicæ legatum; tempore enim hujus concilii, anno scilicet 431, nondum Chrysologus, qui Projectum Imolensem certissime ordinavit, inunctus fuerat Ravennatium antistes. Verum nihil prohibet quin rerum Imolensis Ecclesiæ scriptoribus adhæreamus, affirmantibus consecrationem Projecti factam anno 446, quarto ante Chrysologum defunctum.

104. Quomodo ergo, forte redargueret Bacchinius, vocavit hic S. doctor Marcellinum Ecclesiæ Ravennatis primum filium et primogenitum? Quomodo *toto veritatis tramite ordinem partus divini custodivit* B nostra Ecclesia, si Marcellinus ex decreto beati Petri et decreto principis Christiani primus non fuit qui a Ravennatensi metropolitano benedictionem acciperet, frustra contranitente *servo aliquo*, quem Mediolanensem episcopum interpretantur? Et quomodo verificabitur, dura esse initia rerum, sed *duriora generantis primordia?* Quando ergo hi Chrysologi sensus non aliter intelligendi veniunt, nisi de prima omnino consecratione episcopi, quam Ravennatenses antistites peregerunt post adeptum pallium, potius dicendum esset errasse scriptores vel qui ad Natalem anni 450 aut 449 Marcellinum ordinatum protraxerunt, scilicet post Projectum, vel qui Projectum an. 446 consecratum dicunt. Fatemur ingenue non levis momenti esse Bacchinii argumentum, universorum C pene criticorum interpretationi innixum, qua Chrysologi verba explicari volunt de prima omnino episcopi consecratione.

105. Attamen, omissa responsione quod, etiam hujusmodi interpretatione concessa, adhuc remanent inconcussa quæ paulo superius num. 100 et seqq. animadvertimus, si stylum Chrysologi, si figuratas eloquendi formulas, sensusque perpendimus, quibus ut plurimum utitur, fortasse in toto rigore non videbuntur interpretanda allata ejus verba. Filii Ecclesiæ primi et primogeniti sunt episcopi, quos primo omnium Ecclesia mater parit: inde autem per eos habent alii omnes esse filios tantæ matris. In hoc sensu explicavit Augustinus verba illa psalmi XLIV: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram.* Scriptura ipsa non semper *primogeniti* nomen intelligit strictissime sumptum: *Dicesque ad eum* (Pharaonem): *Filius meus primogenitus Israel; dixi tibi, Dimitte filium meum, ut serviat mihi, et noluisti dimittere eum; ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.* His autem verbis non solum appellat Deus Israelem nomine filii *primogeniti*, sed ut ostendat illum habere tamquam primogenitum, minatur Pharaoni, Israelem non dimittenti, exterminium filii ejus primogeniti, quasi pœnam talionis, primogeniti pro primogenito. Quis autem dicat Israelem verum Dei primogenitum? Hæc sane qualitas Jesu Christi solius vere propria dicitur, et quatenus Verbum Patris est, et quatenus homo est, ut ex

Paulo didicimus, vel cum inquit ab Hebræos: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, et adorent eum omnes angeli Dei* (*Hebr.* I, 6); vel cum inquit ad Romanos: *Primogenitus in multis fratribus, et primogenitus omnis creaturæ* (*Rom.* VIII, 9). Quare illud *primogeniti* nomen Israeli tributum nec potest nec debet intelligi in proprio et naturali sensu. Neque eo pacto illud usurpavit S. Joannes Chrysostomus, cum dixit: *Et digressus ab hac Ecclesia, ad iliam pervenit, quæ est primogenitorum descriptorum in cœlis.*

106. Idem dicito de *unigeniti* vocabulo, quod unico filio accommodari solet, et tamen Abrahamo a Deo intimatur: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac... et non pepercisti unigenito filio tuo propter me* (*Gen.* XXII, 2, 12); id, inquam, Abrahamo dicitur, quo tempore non Isaac solum, sed Ismaelem majorem natu filium, licet ex alia conjuge habet, ita ut respective ad Abrahamum vere et naturaliter Isaac non sit unigenitus. Referuntur ergo *primogeniti* vocabula in allatis S. Scripturæ verbis ad nescio quam majorem dignitatem et præstantiam, qua præ cæteris nationibus Israel eminebat in cognitione et cultu Dei, seu ad majorem Dei amorem et benignitatem qua Israelem præ aliis diligebat et custodiebat tamquam *primogenitum*. Potuit itaque etiam Chrysologus primum et primogenitum Ecclesiæ Ravennæ filium, figurate loquendo, vocare Marcellinum, comparative ad minores sacerdotes, et ad reliquos de populo, et non quasi in illo episcopo Ecclesia Ravennas prima vice filium peperisset, sed quasi in eo peperisset unum ex primis, seu majoribus et primogenitis filiis.

107. Neque nobis negotium facessit comparatio consecrationis Marcellini cum Mariæ partu, quatenus sicut Maria peperit primum filium, ita Ecclesia Ravennas consecravit primum episcopum: dicimus enim comparationes omnes et præsertim hanc S. doctoris, non ita stricte debere accipi ut in omnibus omnino circumstantiis res comparatæ inter se conveniant, atque ita omnibus divini Mariæ partus circumstantiis accommodentur circumstantiæ omnes consecrationis Marcellini. Sufficit autem si hi duo partus, naturalis unus, spiritualis alter, conveniant in tempore, scilicet quo die natus est Christus Dominus, consecrationem Marcellinus obtinuit: tum conveniant in matrum angustiis, ut filios parerent, nempe quemadmodum Maria patriam propriosque lares dereliquit, iter habuit crudescente hieme, in Bethleemitico præsepio paritura, et in maxima inopia: ita Ecclesia Ravennas ob consecrationem Marcellini contradictionibus, velut partus angoribus, fuit obnoxia, viam facere coacta est, nempe ad Romanam sedem, atque ad imperiale patrocinium confugere. Tertio sufficit ut hi duo partus conveniant in edicto supremorum principum; nam Augusti edicto ut obediret Maria, Jesum peperit apud Bethleem; et per Romani pontificis et Cæsaris decretum Ecclesia Ravennas superatis contradictionibus Marcellinum consecravit. Tandem sufficit ut conveniant aliquo modo in qualitate partus; sicut enim A filium primogenitum peperit Maria, ita etiam episcopum, scilicet filium dignitate primogenitum Ecclesiæ inunxit Ravennas archiepiscopus. Cur autem credi non potest contradictiones de quibus Chrysologus loquitur respicere non consecrationem simpliciter, sed personam Marcellini, ita ut necesse fuerit ad pontificem atque ad Cæsarem confugere, ut electo illi benedictio episcopalis impertiri potuerit? Licetne suspicari aut conjicere contradictiones illas, qualescumque fuerint, ex humili Marcellini conditione derivasse, quem non nisi piscatorem et forte uxoratum verba Chrysologi indicare videntur, atque adeo clero et Vicohabentinis despectum?

108. Si autem nos urgeret Bacchinius, strictissime et in omnibus circumstantiis partum partui comparare, fortasse comparationem istam contra illius opinionem possemus aliquatenus retorquere. Nam si *toto veritatis tramite ordinem partus divini custodire* debebat Ecclesia Ravennas, videat Bacchinius ne Hieronymo Rubeo ejusque fautoribus viam faciat, ad revocanda per eam comparationem impugnatæ dignitatis initia ad tempora apostolica. Et revera sicuti *decretum Cæsaris pagani* non tribuit Mariæ facultatem pariendi *primogenitum*, quem purissima ejus viscera jam novem menses gestabant, cujusque mater usque ab æternis sæculis electa fuerat, ita neque *decretum B. Petri, decretum principis Christiani* Ecclesiæ Ravennati contulit facultatem prima vice consecrandi episcopum suffraganeum in Marcellino; ea enim pollebat a primis Ecclesiæ temporibus. Immo eo modo quo Augusti pagani decretum in Mariæ partum influere non potuit, nisi ut ederetur in specu Bethleemitico ad prophetiarum adimplementum, quæ Jesum ibi nasciturum tot ante sæcula prænuntiarant: ita decretum papæ et imperatoris Christiani nihil aliter influxit in consecrationem Marcellini, nisi ut de medio tollerentur difficultates, quæ, ne fieret, obversabantur; non autem ut Ecclesia Ravennas tunc primum metropolitica facultate uti inciperet, quam forte quatuor ante sæcula illi contulerat ex voluntate beati Petri sanctissimus Apollinaris.

109. Ita Rubeus argumentari posset contra Bacchinium, ipse quoque beneficio utens allatæ comparationis. *Primordia* vero *illa duriora generantis*, quæ Chrysologus memorat, quid aliud fuerant nisi eæ difficultates, eæ contradictiones ad quas offendit ubi agi cœptum est de Marcellini consecratione, et quæ eo majores forte fuerant, quo majorem emissurus erat partum, scilicet filium inter natos Ecclesiæ dignitate, et ordine primogenitum? Certe quidem omnia magnarum rerum initia æqualem ut plurimum secum habent difficultatem; non ideo tamen dici possunt tunc primum susceptæ, quia per medios labores suscipiuntur. Idem opus pluries repetitum, eumdem laborem afferre semper aut fere semper potest, dum repeti incipitur; quare illius primordia dura semper jure dicuntur. Quapropter concludendum ex huc usque dictis videtur, Chrysologi verba, nedum primos jurisdictionis metropoliticæ actus non indicare, cum

ante Chrysologum Ecclesia Ravennas jam fuerit metropolitana, et centum similia acta, etiam absque episcopi alicujus consecratione, quiverit exercere; sed ne indicare quidem primam episcopi consecrationem, tum quia in commodiorem sensum homiliæ emphatica verba traduci possunt, tum quia factum ipsum nobis suadet interpretationem istam, nempe anterior consecratio S. Projecti Imolensis episcopi (ne dicam aliorum) a Chrysologo peracta.

110. Si quis autem contenderet, Marcellinum primum fuisse Vicohabentiæ episcopum, quia Ravennate inunctus fuerit, ideoque Chrysologi verba commode explicari debere, non quidem de prima generatim consecratione, sed peculiariter de prima Vicohabentini episcopi, concederent fortasse nonnulli quibus, et Marcellinus apte Ravennatis Ecclesiæ primogenitus tunc dici posse videretur respectu ad Vicohabentinam, et tantorum virorum integra remanere pariter videretur interpretatio de obicibus quos a Mediolanensi antistite primæ illi consecrationi oppositos fuisse arbitrantur; immo si ad ea quæ in cap. 1 opinati sumus de Ecclesiis Imolensi, atque ipsa Vicohabentina, respectus haberetur, non omnino improbabilis appareret istiusmodi conjectura : seductas namque eas Ecclesias ab Arianis, atque in Auxentii pseudoepiscopi Mediolanensis partes aut vi aut metu raptas non ægre suspicati sumus, et quas defervescente procella divus Ambrosius reconciliaverit, et catholico pastore donaverit; propterea Mediolanenses antistites veluti patres ac benefactores aliquot annorum intervallo respexisse, illisque fuisse obsecutas Imolensem et Vicohabentinam Ecclesias, non esset fortasse incredibile; quibus positis nil mirum si revocatis tandem ad Ravennatensem provinciam Cæsareo pontificioque decreto Mediolanensis obstitisset.

111. Verum, qualescumque sint ejusmodi conjecturæ, illud evidens est, tot inextricabilibus ambagibus tam Tillemontii suorumque asseclarum assertionem, quam Bacchinii opinionem circa nostræ dignitatis primordia vel in Angelopte, vel in Chrysologo stabilienda, involvi, ut alterutram amplecti periculum sapiat, atque ab alterutra adhuc abhorreat animus; maxime etiam quia contra eas sententias tot difficultatibus obnoxias aliud afferre possumus argumenti genus, quod penes cordatos viros atque ecclesiasticæ eorum temporum disciplinæ peritos aliquod pondus est fortasse habiturum, et præcipue apud Bacchinii sectatores; ipse enim contra Agnellum et Rubeum argumentum istud acerrime intorquet, ubi in Valentiniani infelix diploma totus imminet.

112. Illud vero desumimus ex universæ Ecclesiæ, et præsertim Romanorum ejusdem sæculi pontificum sensu, et legibus contra ecclesiasticæ hierarchiæ immutationes ac perturbationes. Revera enim nihil tum magis oderat Ecclesia, nihil magis Romani pontifices impugnabant, quam novarum metropoleon novorumque archiepiscoporum creationem in præjudicium stabilitæ ab apostolis hierarchiæ. Adeo autem hisce innovationibus Ecclesia et pontifices restiterunt, ut imperatorum potentiam non timuerint, et ipsorum conciliorum generalium canones irritaverint. Omittoque antiquiorem concilii Nicæni canonem sextum, quo Orientalis Ecclesiæ discordias componere sanctissimi illi Patres studuerunt, non aliunde exortas nisi ab episcoporum ambitione, qui mutatæ imperii hierarchiæ, novisque civilibus erectis metropolibus, hierarchiam novasque ecclesiasticas metropoles aptare autumaverant; omitto, inquam, canonem illum, venioque ad exempla Joannis Angeloptis et Petri Chrysologi temporibus proximiora.

113. Consuluerat Innocentium I Romanum pontificem Antiochenus episcopus, utrum deberet mutationibus civilium provinciarum Ecclesiarum regimen accommodare, ita ut si provinciæ imperii primæque earum civitates multiplicarentur vel minuerentur, multiplicari etiam vel minui ecclesiasticas provincias et metropoles oporteret. Cui ergo respondet Innocentius : *Quod sciscitaris, utrum divisis imperiali judicio provinciis, ut duæ metropoles fiant, sic duo metropolitani episcopi debeant nominari, non vere visum est ad mobilitatem mundanarum necessitatum Dei Ecclesiam commutari, honoresque aut divisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas duxerit imperator.* Antiocheni episcopi consultatio, si Thomasino credimus, eam controversiam spectabat quæ jam inter magnum Basilium Cæsareæ, et Antimum Thianæ episcopos sæculo quarto excitata ob Cappadociam in duas provincias ab imperatore Valente divisam in odium Basilii, nondum fortassis cessaverat inter illorum antistitum successores. Quidquid sit de hoc, sensus Innocentii contra novas metropoles nimis apertus est. Innocentius autem sedebat in cathedra apostolica ab anno 401 ad an. 417. Juvenalis, Hierosolymitanus episcopus, favente Theodosio juniore Augusto, in tres Palæstinas, in utramque Phœniciam, atque in Arabiam sibi arrogaverat jurisdictionem; cujus ambitiosos conatus improbavit primo Cœlestinus summus pontifex, et concilium generale Ephesinum, tum magnus Leo et concilium Chalcedonense, a quo demum ad officium revocatus est Juvenalis, reservataque illi vix Palæstina, Arabiam ac Phœnicias patriarchatui Antiocheno restituere coactus. Cœlestinus vero ab an. 422 ad an. 432, et Leo Magnus ab an. 440 ad annum usque 461, Ecclesiæ universali præerant. Ejusdem Theodosii tempore et decreto nonne Phœniciam in duplicem provinciam partita fuerat, atque unius regimen retinebat Tyri episcopus, alterius ambiebat episcopus Beritensis, quorum altercationes in eadem Chalcedonensi synodo fuerunt sopitæ, lata in favorem veteris metropolitani Tyriensis episcopi sententia, redactoque in ordinem Beritensi? Nonne eodem tempore repressus fuit etiam Nycæni antistitis malesanus ambitus, qui ab Augustis Nicæam creari in metropolim curaverat, seque in metropolitanum extulerat?

114. Præter hæc exempla, summam Ecclesiæ universæ repugnantiam in has hierarchiæ suæ mutationes demonstrat evidentissime ipsiusmet Chalcedonen-

sis synodi duodecimus canon, quo Augustorum licentiæ in erigendis metropolibus ecclesiasticis, episcoporum vero ambitioni frenum est impositum, vetitumque ne eas dignitates sub depositionis pœna sibi ab Augustis comparārent. Et revera fuit hic perpetuus Ecclesiæ sensus, summorumque pontificum, tum priorum tum posteriorum sæculorum, qui omni conatu restiterunt, negaruntque hierarchiam ecclesiasticam a principatibus pendere, illamque civili politiæ accommodari. Id protestati sunt contra Græcos Hadriani II Romani pontificis legati in celebri controversia super regno Bulgariæ, cujus ordinationes Græci Latinis arripuerant eo prætextu quod Bulgarorum provincia membrum esset Græci imperii : *Sicut Bulgariæ*, aiebant legati, *nobis diverso modo ordinationem pertinere dicentes, mendacium non loquimur, ita eamdem Bulgariam ex Græco regno fuisse numquam negamus. Sed intueri vos decet quia aliud ordinant jura sedium, aliud patiuntur divisiones regnorum; nos de divisione regnorum non agimus, sed de divisione sedium loquimur.*

115. Verum, quia nostræ metropolis auctorem arbitrantur quidam Leonem Magnum, licet multo ante illum pontificem et Cœlestino sedente jam metropolis esset, quod superallatæ rationes certissime probant, attamen tanti pontificis sensum super hujusmodi hierarchiæ perturbationibus præstat exponere. Idcirco celeberrimum Anatolii Constantinopolitani episcopi facinus non abs re hic repetamus, qui secundam a Romano pontifice dignitatem ausus est sibi arrogare in Ecclesiæ regimine, suffragantibus tum Orientis imperatoribus, tum concilii Chalcedonensis Patribus, qui, donec cum sanctissimo Leone senserunt, eumque ducem secuti sunt, leges Spiritu Dei plenas condiderunt; ut primum autem ab ejus disciplina declinarunt, Anatolii ambitioni Augustorumque insinuationibus cesserunt, viamque aperuerunt deterrimo schismati. Rugiit magnanimus Leo, infractosque Nicænos canones, perturbatamque Ecclesiæ pacem, apostolicam hierarchiam ac disciplinam Anatolio, Augustis, concilio exprobravit, ac synodale decretum pontificia auctoritate rescidit. Aliqua ex sanctissimi pontificis responsione ad Martianum imperatorem excerpta verba hic liceat adducere. « Habeat, inquit, sicut optamus, Constantinopolitana civitas gloriam suam, ac protegente dextera Dei, diuturno clementiæ vestræ fruatur imperio. Alia tamen est ratio rerum sæcularium, alia divinarum; nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento mire posuit, stabilis erit nulla constructio. Sed propria perdit, qui indebita concupiscit. Satis sit prædicto (Anatolio) quod vestræ pietatis auxilio et mei favoris assensu episcopatum tantæ urbis obtinuit; non dedignetur regiam civitatem, quam apostolicam non potest facere sedem; nec ullo speret modo, quod per aliorum possit offensiones augeri. » Ex his autem verbis S. Leonis discimus mentem Ecclesiæ numquam fuisse ecclesiasticam hierarchiam efformare ad civilis regiminis systema, aliamque esse rationem rerum sæcularium, aliam divinarum. Item cum ait, *præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilem nullam fore constructionem*, jubetque Anatolium non dedignari regiam civitatem, quam *apostolicam* sedem facere non poterat, non obscure indicat ordinem atque ædificium hierarchicum Ecclesiæ a Christo Domino fuisse demonstratum mandatumque, ab apostolis vero constructum, et præcipue patriarchalium sedium, quæ vere apostolicæ erant, ita ut nefas esset eam constructionem discindere, novas metropoles erigendo, aliarumque Ecclesiarum auctoritatem et jurisdictionem minuendo aut immutando.

116. Id etiam vehementius ipse Leo exprobravit epist. 55, inquiens : *Superbium nimis est, et immoderatum ultra fines proprios tendere, et antiquitate calcata, alienum jus velle præripere, atque ut unius crescat dignitas, tres metropolitanorum impugnare primatus.* Notum est etiam quam severe in S. Hilarium Arelatensem animadverterit idem Leo ob usurpatam in aliena provincia jurisdictionem. Sacrorum canonum acerrimus propugnator atque ecclesiasticæ disciplinæ, non patiebatur pulcherrimum hierarchiæ ordinem, ab apostolis ubique terrarum constitutum, ullo modo perturbari.

117. Ejusmodi igitur erat Ecclesiæ mens, spiritus et constantia : tales ei præerant fortissimi, atque hujus apostolicæ hierarchiæ tenacissimi pontifices; tunc cum vel Angelopte vel Chrysologo Ravennatem infulam gestante, volunt auctores pene omnes novam hanc metropolim emersisse. Verumenimvero credibilene id dicemus? Ullane in eo probabilitatis species? Dum Cœlestinus et Leo, dum concilia, dum Ecclesia obstrepunt, repugnant, fulminant in Oriente contra novas metropoles quæ aliarum præstantiam, jurisdictionem, majestatem imminuunt; in Occidente, eodem tempore, iisdem pontificibus, Mediolanensium querelæ audientur ob ereptam sibi jurisdictionem, ob ædificatam super Ambrosianæ Ecclesiæ jacturis novam metropolim? Quo tempore Cœlestinus Theodosio Juniori, et Leo Magnus Martiano succensent ac resistunt ob perturbatum Ecclesiæ ordinem, eodem tempore resistet Mediolanensis episcopus ipsismet Cœlestino et Leoni ob eumdem Ecclesiæ ordinem perturbatum? Nonne Orientales, nonne Ægyptii, nonne Constantinopolitani episcopi eadem objurgationum jacula in Cœlestinum et Leonem retorquere potuissent, quæ isti in illos tam acri stylo intorserant, si novas in Italia metropoles contra hierarchiam ab apostolis inductam constituissent, fervescentibus adhuc in Oriente iisdemmet controversiis?

118. Huic ratiocinio pondus non exiguum addere potest sanctitas utriusque antistitis, Joannis nempe Angeloptis, et Petri Chrysologi; ea enim sanctitate alterum *fuisse ferunt, ut quod cœlites ventitare ad eum familiariter consuessent, ad hæc usque tempora Joannes, qui vidit angelum, vocetur.* Alterius vero sanctitatem, zelum, doctrinam, eloquentiam prædicat Ecclesia universa, atque ea quæ tanti doctoris adhuc supersunt monumenta. Ejusmodi ergo viri enorme

ambitionis facinus admiserint, iis temporibus Ecclesiæ invisum, damnatum a conciliis atque a summis pontificibus, ab Oriente toto maledictis impetitum, diris omnibus devotum? Angeloptes et Chrysologus pulcherrimum Ecclesiæ ordinem, harmoniam, apostolicas regulas perturbaverint, aliena jura miscuerint, occupaverint jurisdictionem, Ecclesias sciderint et usurpaverint? Vix crediderim fuisse qui talia de illis suspicati essent. Gelasius quidem hujus nominis primus Romanus pontifex ab hujusmodi nota sanctissimos antistites videtur luculenter absolvere, dum inquit: *Numquid apud Ravennam, apud Mediolanum, apud Syrmium, apud Treviros multis temporibus non constitit imperator? Numquid harum urbium sacerdotes ultra mensuram sibi antiquitus deputatam quidpiam suis dignitatibus usurparunt?*

§ III. Exponitur opinio de initiis metropoliticæ hujus dignitatis ab apostolorum ævo repetendis.

119. Hieronymus Rubeus Ravennatium historicus hanc opinionem secutus fuerat sæculo XVI, cui astipulati sunt Petrus de Marca, Salmasius, et alii, quos citat Bacchinius. Eorum omnis ratio, meo quidem sensu, ducitur tum ab universali ecclesiasticæ hierarchiæ ordine, tum a præstantia urbis Ravennæ apostolorum ævo. Quod attinet ad primum, certum quidem est eamdem fuisse in Ecclesia omni constitutam regiminis hierarchiam, qua scilicet cuique provinciæ suus assignaretur metropolitanus, cui comprovincialium urbium episcopi subessent: hanc ab apostolis institutam ordinis formam quæ Ecclesiæ universæ communis esset; metropolitanum vero illum ex episcopis voluisse apostolos, qui in principe totius provinciæ civitate sedem obtineret, vel quia præses seu rector civilis ibi resideret, juraque daret urbibus subjectis, vel quia et frequentia populi, et sui amplitudine, et opibus, armis, commercio celebrior esset; vel quia ibi superstitionis idololatricæ pontifices, seu archiflamines divinis præessent. Floruit ergo hujusmodi hierarchia primis etiam Ecclesiæ sæculis, etiam temporibus apostolicis; atque non pauca supersunt adhuc vestigia ecclesiasticarum provinciarum, primorumque cujusque provinciæ episcoporum, nedum per Asiam et Africam, verum etiam per Europam, si quæ de Galliarum, Hispaniarum, atque Illyrici metropolibus ecclesiasticis priorum sæculorum circumferuntur, ullam fidem merentur.

120. Quando ergo præstantissimi hujus ordinis et hierarchiæ regula in Dei Ecclesia esse debuerat universalis, ut quælibet provincia suum obtineret primum episcopum seu metropolitam, quid est quod nos prohibeat quin eam ipsam regulam in Italiæ quoque provinciis observatam fuisse iisdem primis sæculis admittamus? Nullibi usque adhuc lectum est argumentum, seu ratio, seu lex, seu canon, quorum intuitu non potuerit Italiæ quoque esse communis ea ipsa quæ aliis omnibus Ecclesiæ regionibus communis erat hierarchia. Nullus adhuc ex innumeris contrariam sententiam tuentibus criticis rationem vel unam edidit, quæ nobis persuadeat apostolos illorumque successores pontifices summos, neglecto universæ Ecclesiæ systemate, aliud prorsus dissimile pro sola Italiæ amplissima regione excogitasse et constituisse. Et revera non exigui momenti visa est hæc animadversio cl. Emmanueli a Schelstrate, sibique eam proponit enucleandam ac diluendam. *Verum hoc ipsum*, ait, *quæritur, qua ratione factum ut in reliquis orbis Christiani provinciis metropolitani apostolico instituto ordinati sint; in Italia vero, ubi Paulus prædicavit, ubi Petrus Ecclesias instituit, ubi sedes apostolica primis Ecclesiæ temporibus erat, institutum illud statim non obtinuit?*

121. Tentavit quidem Schelstratius hujus argumenti pondus enervare, confugiendo ad divisionem Italiæ in duos vicariatus præfecti prætorio, de quibus in cap. 1 locuti sumus: qua divisione supposita, constitutisque duobus metropolitanis qui vicariis illis responderent, Romanum nempe et Mediolanensem episcopum, quibus cæteri Italicarum provinciarum subderentur; arbitrabatur præstantissimus auctor, etiam in Italia se reperisse, atque ostendisse observatam prioribus sæculis apostolicam illam hierarchiam, quæ in reliquo Christiano orbe vigebat. Verum infelici conatu: nam primo indubium est, ante Constantinum Magnum recensitæ divisioni Italiam minime fuisse obnoxiam, sed modo unum correctorem vel præfectum, modo quatuor consulares illius regimini præfuisse. Quare si Schelstratii systema locum haberet, Ecclesia Italica modo unum solummodo, modo quatuor metropolitanos numerare debuisset, numquam vero duos, tribus æræ nostræ superioribus sæculis.

122. Secundo, etiamsi Schelstratio omnibusque ejusdem opinionis auctoribus concederetur Italiam iis sæculis in duos vicariatus partitam fuisse, adhuc vigeret argumentum de universali hierarchia in ea quoque regione constituenda. Vicariatus enim isti, etiamsi exstitissent, non exclusissent divisionem civilium provinciarum ex quibus ipsi vicariatus constabant, neque etiam exclusissent peculiarem uniuscujusque provinciæ præfecturam, magistratum, conventus, urbem denique ejus principalem, ethnicique etiam, si volumus, sacerdotii caput. Exemplo sint cæteræ Romani imperii præfecturæ prætorio, quæ cum amplissimis plurimisque provinciis componerentur, hæ singulæ proprio præfecto, seu consulari, seu præsidi, seu rectori subdebantur, proprios conventus agebant, habebant propriam metropolim, cui comprovinciales urbes contributæ erant: atque hæc in temporalibus. Si autem spirituale regimen inspiciamus, licet in primates ecclesiasticos et exarchos Oriens, Ægyptus, Africa, Gallia, Illyricum dividerentur, qui vastissimis iis in regionibus Christianis præerant, quis neget tamen fere in singulis provinciis earumdem regionum proprium fuisse metropolitanum, subjectum patriarchæ, aut primati, aut exarcho, superiorem tamen omnibus minoribus suæ provinciæ episcopis? Omitto Alexandrinum et Antiochenum patriarchatum, de quibus nemo dubitat, et vicinio-

rem Africam appello : nonne Carthaginensi primati Africana omnis Ecclesia parebat ? attamen quælibet Africæ provincia suo metropolitano immediate suberat, qui *primus episcopus* dicebatur.

123. Quamvis igitur per tria priora sæcula Italiam gubernassent duo illi vicarii, quamvis duo tantum illis respondissent primates ecclesiastici, non ideo negandi fuissent particularibus Italiæ provinciis primi episcopi, seu metropolitani, qui in civitate principe cathedram tenerent, respondentes principi provinciæ magistratui, atque etiam, ut aliquibus placet, primario totius provinciæ ethnico sacerdotio : in quo casu metropolitani isti nihil de jure primatiæ Romanæ aut Mediolanensis (si hæc in rerum natura fuit umquam) profecto dempsissent : eo fere modo quo metropolitani patriarchatuum Antiocheni, Alexandrini, Africani nullum juribus primatum suorum præjudicium inferebant, quin immo splendorem dignitatemque augere videbantur. Verum hæc ideo a nobis supposita sunt, ut Schelstratio cæterisque ei consentientibus effugium omne præcludamus ad eludendum argumentum de hierarchia totius Ecclesiæ, etiam in provinciis Italiæ admittenda. Porro, cum falsa omnino fuerit divisio Italiæ in vicariatus tribus æræ nostræ prioribus sæculis, falsa pariter est divisio in duos illos metropolitanos, Romanum et Mediolanensem; atque adeo, spectata universali hierarchiæ ecclesiasticæ regula, superest ut juste prudenterque conjiciamus per Italiam quoque eumdem qui in reliqua omni Ecclesia hierarchiæ ordinem fuisse per apostolos distributum.

124. Sunt etiam qui concedunt nullam fuisse vicariorum civilium neque metropolitanorum iis sæculis in Italia divisionem; negant vero alium ibi præfulsisse metropolitanum præter Romanum episcopum; silentibus enim veteribus monumentis de quovis alio metropolitano, solus pontifex legitur, et episcopos consecrasse, actusque eos omnes in Italicis Ecclesiis exercuisse, qui immediatis metropolitanis competerent, centumque producuntur exempla apud istos auctores consulenda. Attamen id argumenti genus nihil probat, quia nimium probat, ut aiunt dialectici. Patriarchæ etiam Alexandrinus et Antiochenus ea omnia jura sibi arrogabant in provinciis subjectis, et præcipue episcoporum ordinationes per Ecclesias Orientis et Ægypti; neque ideo respondebunt præ-laudati auctores nullos metropolitanos tunc exstitisse per Orientales atque Ægyptiacas diœceses, sed eos actus jurisdictionis ad patriarchas spectasse cumulative, prout legistæ dicerent, cum subalternis metropolitanis, ratione eorum primatus atque inductæ consuetudinis. Quæ responsio opportunissima est ad rem nostram, siquidem animadvertere debuerant præstantissimi viri patriarchatus Alexandrinum et Antiochenum ad formam Romani seu Occidentalis institutos esse, si Nicænæ synodi sextus canon in sensu magis obvio attendatur; ita ut quæ posset in Occidente Romanus pontifex ratione sui patriarchatus, possent in Ægypto Alexandrinus, in Oriente episcopus Antiochenus. Quæ ergo minoribus hisce patriarchis licebant in provinciis cujuslibet patriarchatus, quamvis proprios metropolitanos illæ haberent, maximo omnium patriarchæ, Romano episcopo non licuerit in provinciis Italiæ, etiam immediato alicui metropolitano subjectis ? Accedit, Romanos pontifices hujusmodi jurisdictione vere usos esse iis in regionibus sui patriarchatus quibus nullum apud scriptores dubium quin proprii metropolitani jam pridem dati fuissent, atque illic non solum ipsos metropolitanos, sed etiam minores episcopos promiscue ordinasse : quemadmodum probavit Natalis Alexander, tertiam Symmachi papæ epistolam citans, primam Nicolai I ad Michaelem Græcorum imperatorem, trigesimam quartam lib. IV. et decimam tertiam lib. V S. Gregorii Magni, tertiam Cœlestini I ad episcopos Calabriæ et Siciliæ, ac testimonium Joannis diaconi in Vita Magni Gregorii. Quapropter, ex eo quod legatur Romanos pontifices jurisdictionem metropoliticam exercuisse in particularibus Italiæ provinciis, et in particularibus Ecclesiis, desumi nequit argumentum papam fuisse solum et immediatum undecim, seu decem et septem provinciarum Italiæ metropolitanum.

125. Neque etiam desunt qui avaritia et ambitione Romanorum pontificum exclusam velint ab Italia reliqui orbis hierarchiam in Ecclesiæ primordiis; vel si qui fuissent metropolitani, illis asserant ereptum jurisdictionis etiam immediatæ usum ab ipsis pontificibus, ideoque innominatos remansisse. Quæ quidem criminationes satis per semetipsas irritantur, si Petrum et Paulum primos Ecclesiarum Italicarum ædificatores, si sanctissimos eorum successores priorum sæculorum pontifices ecclesiasticæ disciplinæ, apostolicarum traditionum, integerrimorum vitæ morum tenacissimos, quis sana mente et sui compos meminerit. Contraria potius conjectura, oppositumque ex diametro argumentum inde emergit : si enim Petrus et Paulus Ecclesiarum Italicarum fundatores fuerunt, si sanctissimi eorum successores adeo tenaces apostolicarum traditionum, atque integerrimæ ab eis acceptæ Ecclesiarum formæ et disciplinæ, quemadmodum nulla ratio suppetit negandi apostolos hierarchiam Italicam ad totius Ecclesiæ ordinem conformasse, ita eorum successores omni pene studio ac sollicitudine eumdem servasse atque ubique dilatasse censendi sunt prioribus sæculis.

126. Hæc pro opinione Rubei aliorumque ei adhærentium generaliter suggerere potest universalis Ecclesiæ disciplina. Modo aliquid peculiarius disserendum pro eadem opinione, argumentumque desumendum a præstantia urbis Ravennæ. Vel ergo amplectamur eorum sententiam qui volunt apostolos in constituendis Ecclesiis metropolitanis rationem habuisse ad civitates provinciarum metropoles, illas nempe *quibus*, ut ait Petrus de Marca, *contributæ erant provinciæ imperii, apud quas magistratus subjectorum causas judicabat, et quo propter-*

ea populi frequentia conveniebat, quod singulari quodam jure civitates a matrice pendebant; vel sequamur aliorum assertionem, qui non tantum ad urbes, civilis provinciæ capita respexisse apostolos arbitrantur, sed etiam ad insigniores, celebriores, armis, opibusque potentiores, situ, commercio, exterarum nationum frequentia ad propugnandam fidem aptiores; vel tandem iis adhæreamus qui ethnicæ hierarchiæ formam præ oculis habuisse apostolos credunt in Christiana stabilienda, scilicet, ut ibi minores episcopos collocarent, ubi flamines suos idololatria habebat, ubi vero archiflamines, ibi majores episcopos, nempe metropolitanos constituerent: alterutram, inquam, ex hisce opinionibus sequi velimus, Ravennæ congruere certissime inveniemus exigentiam insulæ metropolitanæ.

127. A Romanæ reipublicæ temporibus Cisalpinæ Galliæ metropolis habebatur Ravenna. Ibi Caius Cæsar, in hibernis exercitu distributo, morabatur, conventusque celebrabat, jus dicens Gallis universis. Ibi Augustus, ibi Tiberius diu habitare consueverant. Ir. undecim provincias cum Augustus universam Italiam partiretur, harum octava erat Æmilia in binas provincias subdivisa, quarum altera a Placentia ad Bononiam, altera a Bononia ad Ariminum usque protendebatur: utriusque tamen caput Ravenna fuit, ubi provinciæ prætor, ubi capitolium, senatus, patricius ordo habebatur, qui solis principalioribus inter metropoles tribuebatur. Ravennatium vero iis temporibus res florentissimas quis ignoret? Aptus commercio situs maris vicinitate, amplissimus, isque tutissimus portus, classis Romanæ statio, ad imperii littora defendenda paratæ, celeberrimum denique orbis emporium exteris nationibus frequentatum, divitiis atque armis præ omnibus potens atque excellens; ita ut secunda post Romanam urbs appellaretur, tunc cum Apollinaris, Petri discipulus, prima in ea jecit Evangelii semina, prout Martinus Polonus, a Rubeo citatus, confessus fuerat. Demum sedem ibi ac pestilentiæ cathedram tenebant non minores flamines aut archiflamines, sed pontificum ethnicorum collegium, quod præeminentiam urbis, veluti alterius Romæ, non obscure demonstrat.

128. Igitur si apostolos neglexisse in Italia universalis hierarchiæ regulam non est dicendum, aut saltem si nulla ratio positiva probabilis nobis superest taliter arbitrandi, quid convenientius, quid rectæ rationi magis consonum, quid ecclesiasticæ universali disciplinæ et particularium Ecclesiarum necessitati commodius conjici, immo asseri potest, hujusmodi urbem, provinciæ florentissimæ metropolim, Italicarum civitatum potentissimam, ethnicæ superstitionis caput, per quam tot nationibus in eam confluentibus fidem communicandi aditus amplissimus aperiebatur; hujusmodi, inquam, urbem ab apostolis electam fuisse, ubi sedes episcopi constitueretur, qui ad circumjacentes urbes et populos Evangelium transferret ac dilataret, Ecclesias erigeret, episcopos ordinaret, eumque doctorem suum, patrem, ducem conversi populi, novæque Ecclesiæ respicerent, ac venerarentur? Quod ergo tot insignibus Europæ metropolibus dicuntur apostoli tribuisse, ut eas scilicet ecclesiasticarum provinciarum capita constituerent, quemadmodum factum legimus per Hispaniam, Galliam, Illyricum, probabilissime censendum est tribuisse etiam Ravennæ, nobilissimæ Italiæ metropoli, juxta universalis hierarchiæ regulam, et inspecta tantæ urbis excellentia.

§ IV. Exponuntur objecta contra Rubei aliorumque opinionem.

129. Aliqua ex iis quæ contra Hieronymum Rubeum ejusque asseclas facere videntur, superius retulimus, et Ravennatium verbis confutavimus, qualia sunt, et commentum vicariatuum Italiæ, duorumque metropolitanorum, aliis quibuscumque rejectis; et verba homiliæ 175 divi Chrysologi primum metropoliticæ jurisdictionis exercitium sanctissimo huic præsuli ex adversariorum interpretatione asserentia. Verum alia sunt non minoris fortasse ponderis, quæ Rubei placitum videntur enervare. Primo enim ad illud elevandum pene omnes conspirarunt magni nominis auctores, in ecclesiastica historia peritissimi, eosque universus fere criticorum, historicorum, geographicorum cœtus est secutus: quæ res eorum opinioni vim maximam addere solet. Ea vero est, natam sæculo tantum quinto ineunte Ravennæ metropolim fuisse, aut Joanne Angelopte, aut Petro Chrysologo eam Ecclesiam gubernante. Hi autem auctores scriptoresque omnes præter positiva quæ conglomerarunt argumenta superius memorata, alterum achilleum enimvero et insuperabile ad unum omnes jactare non desinunt; et jure quidem, silentium videlicet antiquorum, deficientiam monumentorum ex quibus unum saltem vel alterum in Ravennate Ecclesia indicium eruatur exercitæ quatuor Ecclesiæ primis sæculis metropoliticæ jurisdictionis. Porro sicuti Ravennates libertatem vindicant propriæ Ecclesiæ ab jugo Mediolanensium, maxime quia nullus omnino pro his adduci potest vel minimus actus ejusdem jurisdictionis in Ravennatem Ecclesiam absolutus, nulla episcoporum ordinatio vel approbatio, nulla synodus, visitatio nulla, epistola, decretum, canon, scriptoris alicujus testimonium: pari igitur lege, si nullum ex similibus actibus ante Angelopten aut Chrysologum peregisse, nullum ex similibus testimoniis habuisse inveniuntur Ravennates episcopi, dicendum profecto erit opinionem quæ hanc dignitatem usque ab apostolorum ævo derivat nihil firmitatis habere.

130. Petrus ipse Chrysologus ne verbum quidem, tot editis doctissimis homiliis, de hac dignitate in suis antecessoribus eminente fatus est, neque cum de primo Ravennatium episcopo Apollinari sermonem haberet. Ipse Agnellus, noni cæteroquin sæculi rudis historicus, ne syllabam quidem super id genus prærogativæ mussitavit, licet amplificandæ Raven-

natium præsulum potestati plus nimio interdum studuerit, ipsius Romanæ Ecclesiæ divinum primatum ægre admodum ferens. Quid plura? Initia dignitatis metropoliticæ Agnellus in Joanne Angelopte constituit, quamvis istius gradus et pallii collatorem impie effinxerit Valentinianum III Augustum. Quem igitur patronum opinionis suæ, quam rationem nobis afferent Rubeus, de Marca, Salmasius, et si qui sunt alii ejusdem opinionis assertores?

131. Nutat insuper potissimum eorum fundamentum, universali nixum Ecclesiæ hierarchiæ ordini, et regulæ per totum orbem diffusæ, nempe quod fere singulis imperii provinciis proprium metropolitanum dederint apostoli, in civitate earum principe residentem, atque Ecclesiarum regimen, civilium provinciarum regimini aptasse. Si enim vel generale totius imperii systema attendere velimus, vel particulare quarumcumque provinciarum, quo tempore cœpit per apostolos Ecclesiæ ordo stabiliri, ineptum prorsus fateri cogimur utrumque fuisse cui conformatam ab ipsis apostolis Ecclesiæ hierarchiam credamus. Auctor est gravissimæ hujus propositionis cl. abbas Bacchinius, qui omnibus numeris absolutam, sacra profanaque eruditione validisque argumentis refertam dissertationem edidit de origine ecclesiasticæ hierarchiæ. Perpensa igitur Romani imperii forma, regiminum ac magistratuum distributione, provinciarum distinctione ac partitione, tum quæ forent principaliores urbes, provinciarum metropoles, omnibusque post prolixum examen cum regimine Ecclesiæ illiusque hierarchiæ partitione in primo sæculo comparatis, concludit doctissimus Cassinensis non potuisse apostolos ad formam civilis hierarchiæ respectum habere in Ecclesiarum ordine distribuendo et componendo, cum diversa fere ubique, ut ipse ait, emerserit distributio provinciarum ecclesiasticarum ab imperialium distributione. Quibus argumentis conclusionem hanc suam firmaverit cl. auctor, legere quisque poterit in primis capitibus primæ partis laudatæ dissertationis.

132. Ex particularium etiam provinciarum systemate argumentum auget Bacchinius contra præsumptam sacræ hierarchiæ convenientiam ad civiles magistratus. Si enim cuilibet provinciæ metropolitanus ideo creditur assignatus, cui alii comprovinciales episcopi parerent, quia in qualibet provincia, in qualibet provinciarum primaria urbe rector, seu præses, aut consularis cæterarum provinciæ urbium magistratibus præerat, id, si veritatem consulas, locum habere non potest; adeo inordinatum, adeo varium legimus fuisse particularium provinciarum regimen; cum modo eamdem provinciam moderaretur proprius rector, modo alterius provinciæ præses, modo plures provinciæ uni, modo pluribus consularibus parerent: quod maxime de Æmilia nostra observatum est, quæ aliquando cum Flaminia proprium habuit consularem, aliquando cum Liguria uni præsidi subjecta fuit. Quare impossibile est profecto super instabili hujusmodi fundamento ædificasse apostolos eorumque successores ecclesiasticarum provinciarum hierarchiam.

133. Ab imperii systemate temporum apostolicorum ad Synagogæ systema examinandum procedit Bacchinius. Describit qualem per Judææ provincias, qualem extra Judææ fines Israelitica Ecclesia tunc obtineret formam; quæ synedria seu concilia in singulis Judææ urbibus, ubi minora, ubi majora sacro et civili regimini præsiderent, omnia a supremo Hierosolymæ generali synedrio auctoritatem et jurisdictionem trahentia. Extra Judæam vero singulis quidem provinciis, seu magno alicui regionis spatio, unum tantummodo synedrium erat, sed in quavis civitate regionis illius scholæ seu synagogæ habebantur, quæ a regionis seu provinciæ synedrio, veluti a provinciali concilio pendebant ac moderabantur. Antiochiæ hinc, atque Alexandriæ synedria per Orientem et Ægyptum aliarumque civitatum per diversas regiones maxima polluisse auctoritate ostendit. Cum hujusmodi Synagogæ systemate conferens deinde Bacchinius Christianæ vagientis Ecclesiæ ordinem, alteram conclusionem cruit ex collatione ista, videlicet apostolos, ac præcipue Petrum, *in fundandis principibus Ecclesiis minime ad formam Romani imperii respexisse, sed potius Judæorum politiæ se accommodasse, habita ratione eorumdem frequentiæ, ac prærogativarum pro diversitate temporum, et locorum, et gentilium etiam, cum ad baptismi gratiam admissi sunt.* Hanc opinionem aliis ante illum scriptoribus probatam fuisse, ingenue fatetur Cassinensis noster, inter quos et Grotio, qui dixerat, *totum regimen Ecclesiarum Christi conformatum fuisse ad synagogarum exemplar;* et patri Thomasino in Vetere et Nova Ecclesiæ Disciplina, quibus nuperrime accessit Joseph Mottæ suffragium in laudata dissertatione de Jure metropolitico n. 8 et seqq.

134. Verum, quia innumeræ in imperio, immo in universo orbe provinciæ supererant in quibus vel nulli vel rari admodum Judæi reperiebantur, adeoque ibi saltem non potuisse ad normam Synagogæ aptari ecclesiastica hierarchia videbatur, idcirco cl. Bacchinius, tribus distinctis in apostolorum prædicatione periodis, triplicem etiam diversam distinguit Ecclesiarum constitutionem. Prima periodus respicit apostolicæ prædicationis tempus, ex Christi Domini mandato Judæis tantum largitæ intra Judææ provincias. Altera respicit intervallum illud quo gentilibus, quibus mixti erant Hebræi, fides allata est ab apostolis per regiones longe lateque extra Judæam positas. Tertia tandem periodus apostolicæ prædicationis illud tempus designat quo in regionibus quas idololatræ omnes, nulli aut fere nulli Judæi incolebant, Evangelium diffusum est.

135. In prima prædicationis periodo satius fuit apostolis synedriorum formam in Ecclesia ordinanda æmulari. Generali ergo ac supremo Hierosolymæ synedrio, cui præerat summus Synagogæ pontifex, apostolorum ac discipulorum Christi collegium oppositum est, Petro præsidente; in singulis autem

civitatibus, ubi minora synedria, minores Ecclesiæ, ubi majora synedria, majores Ecclesiæ fundatæ sunt; et sicuti in singulis Hebræorum provinciis Samaria, Galilæa, Judæa minora a supremo uniuscujusque provinciæ synedrio pendebant, omnia ab Hierosolymitano, ita factum est ut Christianæ Ecclesiæ minores a majore cujuscumque provinciæ, omnes autem ab Hierosolymitana penderent. In secunda vero periodo exeuntes ab Judææ finibus apostoli, eas regiones circumierunt in quibus mixti erant gentilibus Hebræi, et synagogas per singulas civitates, synedrium autem habebant per singulas provincias, seu per quosdam regionis tractus. Quia vero ineffabili Dei providentia cautum erat ut ad gentium conversionem Synagoga ipsa viam faceret, et Judæi Christi discipulos in gentilium notitiam ac familiaritatem inducerent, ut eo naturali medio supernaturalem fidem cognoscerent, ad quam Dei misericordia vocabantur, hinc est quod per id tempus tot in Asia, Africa, Europa Ecclesias, ex Judæis et gentilibus coadunatas, didicimus apostolos fundasse, ibique Christianas metropoles constituisse, ubi provinciarum synedria, Ephesinam, Sardicensem, atque, ut alias taceam, Antiochenam et Alexandrinam.

136. Ultima autem periodus apostolicæ prædicationis, ex doctissimi Bacchinii conjecturis, ad fidem perduxit Ecclesias gentium, inter quas nec synedria, nec forte synagogas habebant Judæi. Primam omnium fundavit Petrus apostolorum princeps Romanam, in ea scilicet urbe totius orbis metropoli, cui cum æque subderetur Hebræus ac gentilis, congruum erat ibi Ecclesiarum maximam erigi ac fundari, quæ ex utroque populo coalescere componique debebat. Ab hac igitur principe Ecclesia, quam Petrus et Paulus ædificarunt proprioque sanguine stabilierunt, missi sunt quaquaversum qui gentilibus Christum nuntiarent et Christianas ubique Ecclesias coadunarent. Ex hoc fonte in Italiam, Galliam, Hispaniam, Illyricum, Africam, fidei, baptismatis, traditionum rivuli feliciter derivarunt; adeo ut jure scripserit ad Eugubinum episcopum Innocentius I: *Legant si in iis provinciis alius apostolorum invenitur aut legitur docuisse; quod si non legant, quia nusquam invenitur, oportet eos hoc sequi quod Romana Ecclesia custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est.* Hinc qui emersisse volunt jura Romani patriarchatus in omnem Occidentem, non longe a veritate aberrare arbitramur.

137. Porro animadvertendum hic venit in quo differrent inter se fundationes Ecclesiarum primæ et secundæ periodi, et fundationes Ecclesiarum tertiæ: nam quoad primas, non antea in illis ordinabantur episcopi quam Ecclesiæ ipsæ vel ex solis Hebræis, vel ex Hebræis simul et gentilibus jam conversæ, et aliquo modo formatæ fuissent. Quoad alteras vero, antequam converterentur, aut ullo modo formarentur, ordinabantur episcopi, et mittebantur, vel designati ad aliquam specialem provinciam seu civitatem, ut ibi propriam sibi Ecclesiam, prædicato Evangelio, efformarent, cathedramque collocarent; vel ad nullam designati individuam provinciam seu civitatem, sed ut ubicumque sors aut potius divina Providentia illis viam aperiret fidem disseminandi, ibi consisterent, sibique Ecclesiam ex converso populo componerent. Itaque alterutro modo discipuli isti et episcopi ad gentes missi, cum jam Ecclesiam aliquam præclara in urbe fundassent, hinc finitimis civitatibus ac populis Christum annuntiabant, novas Ecclesias in circuitu sanctificantes, eisque etiam interdum, si expedire videretur, episcopos consecrantes.

138. Ex hac autem sapientissima evangelicæ prædicationis œconomia non solum intelligitur quomodo apostoli in ethnicis regionibus tot Ecclesias fundaverint, tot episcopatus erexerint, verum etiam qua ratione primæ omnium constitutæ fuerint ecclesiasticæ metropoles. Illa enim civitas hanc dignitatem adipiscebatur, ubi apostolorum discipuli ad prædicandum missi cathedram firmabant, ex qua cum finitimas etiam gentes atque urbes docendo circumirent, conversisque evangelicas leges imponerent, Ecclesias efformarent illisque episcopos darent; cœperunt conversi populi illos discipulos et missos veluti patres et doctores superioresque in spiritualibus negotiis respicere et venerari, eorumque cathedras, unde primo illis derivaverant fidei rudimenta, et proprias Ecclesias propriosque episcopatus initium habuisse fatebantur, tamquam matrem habere, ab ea traditiones, ab ea in dubiis consilium, ab ea disciplinæ, rituum, morum regulas, episcoporum suorum vel consecrationem vel approbationem mutuari, præsertim apostolis defunctis, quorum prudentissimæ institutioni acceptam referunt istam ecclesiastici regiminis politiam.

139. Id vero probabile, immo prorsus innegabile videbitur, si animadvertas primo apostolos eam regiminis formam sibi proposuisse, quæ et perpetua foret et aptior ad omnes populos ubique terrarum coadunandos in unum corpus atque in unum ovile, et facilius regendos et instruendos; secundo per se ipsos paucosque eorum discipulos tantum opus absolvere non licuisse; erant enim paucula illa grana per vastissimum universi campum disseminanda, paucique illi in multa Evangelii messe operarii. Quapropter necesse fuit aliquot fundari per orbis provincias principes Ecclesias, atque in iis aut apostolorum aut discipulorum, veluti totidem metropolitarum cathedras, fideique ac traditionis depositum collocare, a quibus principibus Ecclesiis per prædicationem, progressu temporis, aliæ Ecclesiæ et nascerentur et regerentur. Hæ autem principaliores Ecclesiæ ab apostolis vel ab apostolorum discipulis erectæ, apostolicæ vocabantur, quarum pulcherrimam distinctionem Bacchinius refert ex Tertulliano.

140. Ingenue ergo fatemur, hanc cl. Cassinensis opinionem de ecclesiasticarum metropoleon origine nobis præ cæteris arridere. Eam gravissimis viris

probatam esse non ignoramus, quidquid alii, præsertim Galli, in contrarium effutierint; congruit enim ut cum maxime ideæ quam cordatus quisque concipere debet de Evangelii propagatione, incomprehensibiliter, ac non minus fortiter quam suaviter per mundum universum absoluta. Attamen nescimus utrum ea opinio Bacchinii magis noceat, an faveat magis Ravennatensium placito de apostolica origine metropoliticæ eorum dignitatis.

§ V. Ravennatium responsiones.

141. Ne, quæ possunt allatarum difficultatum vim imminuere, videamur negligere Ravennatium responsiones, quæcumque eæ sint, brevissime hic exponemus. Et primo quidem illis minime negotium facessit contrariam opinionem esse communiorem, immo communissimam, quam nempe sequantur et propugnent pene omnes celebrioresque scriptores, in ecclesiastica historia, disciplina, moribus peritissimi; veritas enim opinionum hujusmodi non a multitudine neque a nominis claritate, sed a fundamentorum firmitate dignoscitur. Innumeræ propemodum opiniones singulis ætatibus regnarunt, quas foverat universalis consensus; modo autem falsæ sunt apud omnes. Et ne longius exempla quæritemus, nonne opinio de Mediolanensi metropolitano, super Italiæ divisione in duos vicariatus fundata, universalissima hucusque fuit, illique plauserunt critici fere omnes? Verumtamen destructo falso illo fundamento, amandatisque ad fabulas tot commentis quæ pro monumentis indubiis habebantur, sententia isthæc ab aula recedit et evanescit.

142. Secundo non magni faciunt Ravennates argumentum negativum adversariorum. Væ, si ab hujusmodi ratiocinio timendum esset: *Non invenitur scriptum, ergo non fuit!* Actum omnino foret de plurimis quæ modo pro certis omnino habentur tum in sacris tum in profanis; actum foret de tot Ecclesiarum antiquitate, et vel non exstisse dicerentur prioribus sæculis, vel episcopos non habuisse, si auctorum silentio, si monumentorum inopiæ fidendum esset. Quia ergo quarto vel quinto solummodo sæculo de alicujus Ecclesiæ episcopo memoria vel notitia tunc primum emersit, nullus alter ante istum episcopum Ecclesiæ illi præfuisse credendus erit? Quia ergo de aliqua Ecclesia serius locuti sunt scriptores, tunc solum eam incœpisse arbitrabimur? Undenam, amabo, argumentum desumunt critici nostri, ut probent natas quarto sæculo Aquileiensium ac Mediolanensium metropoles? Ex silentio (respondebunt) antiquiorum monumentorum, et quia eo tantum sæculo vertente, aliquem actum legere incipiunt exercitæ ab illis episcopis metropoliticæ jurisdictionis. Infelix enimvero ratiocinium! Quia initium non invenitur, illud igitur pendere dicendum est ab hominum coniecturis et opinione. In nostro autem casu id prorsus ratiocinii genus prævalere volunt auctores nostri et quia neque in Chrysologo, neque in Angelopte detegi possunt hujus dignitatis primordia, nihilominus necesse est in eorum altero illam incœpisse, quia de eorum altero solummodo (aiunt) cœperunt legi quidam actus metropoliticæ postestatis! Possibilene est ejusmodi ratiocinio tot doctissimorum virorum mentes acquievisse?

143. Atque eo major negativi hujus argumenti imbecillitas apparet, quo probabilior est eorum sententia qui regulam ecclesiasticæ hierarchiæ asserunt universalem esse debuisse per totum Christianum orbem, nullamque omnino rationem adductam fuisse, neque adduci posse, quare hierarchia Italicarum provinciarum differre debuisset ab hierarchia reliquæ totius Ecclesiæ. Apostoli primique sanctissimi Romani pontifices, disciplinæ, traditionum, regularum apostolicarum tenaces admodum, eas neglexissent in Italia tantummodo? Leges ad firmamentum ecclesiastici ordinis, sanctæque fidei morumque Christianorum conservationem adeo necessarias, in Italia solummodo immutassent, in Italia, inquam, universi capite, norma disciplinæ, morum, fidei? Quid si aliarum in Italia metropoleum, et primorum quidem sæculorum, indicia magni momenti non desint? Quid si de Syracusis, Panormo, Capua, Rhegio forte non sit amplius rationabiliter dubitandum? Certum est eruditissimas super iis dissertationes nostro hoc ævo prodiisse, quæ vix dubitandi aditum reliquerunt, et quæ jactatæ negationis vim minuunt ut cum maxime, per quam exclusis omnibus omnino ab Italia metropolitanis, solos Romanos pontifices per quatuor priora sæcula exercuisse in ea regione metropolitica jura perfidiose affirmatum est.

144. De Ravennate vero quid dicendum? Si quæ contra opiniones de ejus initiis, vel a temporibus Joannis Angeloptis, vel Petri Chrysologi repetendis, aliquod probabilitatis specimen præ se ferunt, videtur neutra sustineri posse, et nostræ dignitatis primordia neutri illorum sanctorum præsulum esse consignanda. Quandó autem eos metropolitanos fuisse certissime invenimus, non invenimus autem eos primos illam dignitatem fuisse consecutos, per necessariam consequentiam statuendum venit ante, eos episcopos Ravennatem Ecclesiam fuisse metropolitanam, et recurrendum esse ad apostolica tempora juxta universalis hierarchiæ regulam, quando in nullo ex prædecessoribus Angeloptis, et Chrysologi principium dignitatis reperire datur: quemadmodum, ut supra dicebamus, quia solum extrema jam ætate legitur Chrysologus consecrasse episcopum Vicohabentinum, negari absolute non potest, immo de tanto doctore, iis Ecclesiæ temporibus asseri pro certo debet illum ante Vicohabentini ordinationem plurimos actus exercuisse ejusmodi potestatis per longum duodeviginti annorum decursum, licet de iis nemo neque ipsemet scripserit.

145. Silentium quoque sancti hujus antistitis contra eos non facere arbitrantur Ravennatenses, tum quia non omnia ejus opera ad nostram ætatem pervenerunt, cum ille fuerit *multorum librorum et voluminum conditor, et veluti irriguus fons, ita in eum divina sapientia quotidie emanabat*, teste Agnello,

multaque perierunt non solum Chrysologi, sed antecessorum ejus, quos non pauca eaque gravissima scripsisse tradunt antiquiores historici, vel barbarorum incursibus, vel Ravennatis Ecclesiæ nostræ archivi et bibliothecæ incendiis, vel sequentium sæculorum in litteras odio, et præsulum antiquiorum, præsertim schismaticorum vel ignavia vel malitia. Tum quia in homiliis Chrysologi quæ unicæ temporum injuriam superarunt, præter epistolas ad Eutychetem hæresiarcham atque ad PP. Chalcedonensis synodi, locus non erat neque occasio de hoc argumento mentionem faciendi. Tum quia silet etiam Chrysologus Ecclesiam Ravennatem hac prærogativa jam insignitam antequam ipse ejus gubernacula jam suscepisset, quod tamen non potest amplius in dubium revocari. Item unum vel alterum memorat S. doctor metropoliticæ jurisdictionis actum a se gestum, consecrationes nempe Projecti Imolensis, et Marcellini Vicohabentini episcopi; ergone decem et octo annorum intervallo nullis aliis actibus tantam dignitatem illustraverat?

146. Agnellus vero, schismaticus homo, qui imperatoribus nimis justo in ecclesiasticis rebus indulgebat, quique Romanæ subjectionis impatiens, Ravennatium anacephaleosim impie aliquoties tuitus est probabiliter ex industria eam dignitatem in Angeloptis antecessoribus tacuit, ne ab apostolica sede derivatam cogeretur fateri. Quæ ab Agnello de archiepiscopis nostris præterita fuerunt, quæque innotuerunt aliunde, propemodum infinita sunt (atque inter ea, mirifica undecim D. Apollinaris successorum per visibilem columbam electio, præcipua est; cum enim de singulis Agnellus scriberet, ineffabilis prodigii immemor, aut inscius videbatur, cujus tandem splendida indicia dedit in sancto Severo eorum postremo); mirumne igitur erit si quæ errorem suum damnavissent, ille non retulit? Cum autem ad sedandos aliquorum tumultus, de quibus Chrysologus allatis verbis homil. 175 Valentinianus III imperator Romani pontificis decreta augustali sanctione roboraverit, qua sarctam tectam Ravennatium episcopi dignitatem suam servarent, occasionem verisimiliter arripuit Agnellus Valentiniano tribuendi ejusdem dignitatis sacrique pallii collationem, quæ a sola apostolica sede concedi poterant: si tamen ea fuit Agnelli mens, idque sonant ejus verba; probari enim fortasse ex Agnelliana relatione minime poterit illum indicasse tunc primum omnino creatam fuisse nostræ metropolis dignitatem, sed potius indicasse tunc primum circumscriptam fuisse certis finibus ecclesiasticam Æmiliæ ac Flaminiæ provinciam.

147. Cæterum numquam satis mirati sumus quare tot sapientissimi viri, antiquæ disciplinæ peritissimi, contra hujusmodi assertum Agnelli nostri, et contra Hieronymum Rubeum adeo impotenter debacchantur, et Valentiniani diploma a Rubeo relatum diris omnibus voveant. Duo enim præcipue in eo notant, et damnant absque ulla benigna interpretatione, nempe Valentiniano tribui metropolis nostræ erectionem, et concessionem pallii archiepiscopalis, in quibus profecto non videmus quid novitatis, quid monstri horreant clarissimi viri. Nonne sæculum illud, nonne ipsa Valentiniani tempora hujusmodi exemplis scatebant? Primusne, an solus Valentinianus in Ecclesiastica jura manum immiserat? Quis Phœniciæ jurisdictionem diviserat inter Tyrium et Beritensem episcopos? Quis primatum Hierosolymitano tribuerat super Arabiam, Phœniciam, Palæstinam? Quis Nicæam, quis Chalcedonem ad metropolis fastigium sublimaverat? Nonne imperatores illiusmet ævi? Quo canon duodecimus Chalcedonensis synodi spectabat terribili illa depositionis in episcopos comminatione, nisi ab Augustis ejusmodi novarum metropolcon erectiones impetrare cessaverint? Ex hoc ergo capite nec novum, nec monstruosum fuisset Valentiniani diploma, neque omnino condemnandus Agnellus, quasi novam Ravennatium metropolim Augusto illi imputasset.

148. Quod vero ad collationem pallii, hic quoque fugit clarissimos viros prudens antiquæ Ecclesiæ œconomia. Fuerit enim necne pallium istud imperatorium insigne, Augustorum munus ad indicandum et decorandum regale episcoporum sacerdotium, aut indumenti genus mere ecclesiasticum ad significandam in metropolitanis plenitudinem potestatis, procul dubio est, aliquot post magnum Constantinum sæculis, exspectasse pontifices summos aut preces aut consensum imperatorum et regum, antequam pallii usum metropolitanis indulgerent. Cujus veritatis testes luculentissimi sunt tot epistolæ Romanorum pontificum, et præsertim Gregorii Magni ad Cæsarium Arelatensem. De hoc autem argumento consuli potest doctissimus Thomasinus, qui istam Ecclesiæ consuetudinem fusius explicat, præsertim iis verbis: *Indubitatum est, aliquot saltem sæculis, non sine voluntate imperatoris in Oriente pallium, sicut in Occidente concessum fuisse; cum enim vestimenti id genus initio regium fuisset, eoque voluissent imperatores, quæ eximia eorum erat et singularis pietas, regale Christi decorare sacerdotium; hanc vicissim illis per aliquot sæcula pietatem gratitudinemque rependit Ecclesia, ut illo præter eorum assensionem indueretur nemo.*

149. Quæ igitur in Valentiniani Cæsaris concessione novitas, quod portentum, quando juxta illorum sæculorum œconomiam tam commode intelligi poterat pro consensu, ab Augusto illo in erectionem nostræ metropolis præstito, atque in usum pallii? Decretum aliquod, seu concessionem, seu nostræ Ecclesiæ privilegiorum confirmationem edidisse Valentinianum III indicari videtur per musivum opus S. Apollinaris in Classe, in quo Augusti illius imago volumen manibus tenet, scriptumque ibi legimus: *Privilegia Ravennatis Ecclesiæ.* Verum de istis alii viderint. Reliquæ autem falsitatis notæ, quas curiosius auctores laudati scrutati sunt, ac se invenisse aiunt in Valentiniani litteris, eæ profecto non sunt ob quas in istud diploma adeo

obstrepant; quarum altera esse potest titulus *archiepiscopi*, sæculo quinto a Ravennate antistite nondum usurpatus, altera vero titulus *majoris*, quem sibi tribuit Valentinianus. Voculas hasce Agnellus non scripsit; irrepserunt autem probabiliter in diplomatis exemplaria, amanuensium culpa. Nos autem arbitramur veras litteras Valentiniani (aliquas enim ab Augusto ipso datas fuisse dubitare non sinunt verba homiliæ 175 divi Chrysologi superadducta), vel archivi archiepiscopalis incendio, vel schismaticorum malitia consumptas, vel in Georgii archiepiscopi captivitate deperditas, qui Ecclesiæ nostræ augustiora monumenta, ad ostendendam ejus amplitudinem, in Germaniam asportaverat, scioli alicujus opera et ingenio fuisse renovatas; et fortasse vel IX vel X sæculo, tunc cum *archiepiscopi* titulo passim utebantur Ravennatensium præsules, nec non τὸ *major* in more erat inter titulos, cujus exempla, ubi opus esset, præsto forent in pergamenis archivi Ravennatensis. Hanc tamen conjecturam prudentiorum judicio libenter committimus.

150. Qua autem occasione Valentiniani litteræ vere emanaverint, utrum ab Angelopte, an ab Chrysologo impetratæ, nihil certi habemus. Si autem conjecturas nostras qualescumque aperire licet, credimus, non pro nova Ravennatensis metropolis formatione eas datas fuisse litteras ab Augusto; obstant enim, ne id credamus, gravissima quæ superius contra Bacchinium explicuimus argumenta; sed potius ut Chrysologus vel Angeloptes illarum patrocinio ecclesias recuperent, quas diximus ab Arianis forte distractas, et postmodum per Ambrosii prædicationem in clientelam Mediolanensium episcoporum receptas, in ea per quinquaginta fere annos perdurasse, quorum idcirco conatibus, ne illas restituerent, auctoritatem apostolicam et imperialem apponere necesse fuit. Probabile est etiam, cum sæculo quinto incœperint, ut ait Bacchinius, termini hierarchiæ ecclesiasticæ in Italia ad civilium provinciarum terminos accommodari, factum fuisse ut ad coarctandam seu extendendam metropoliticam Ravennatium jurisdictionem intra Æmiliæ et Flaminiæ confinia, simul concurrerent, temporibus vel Angeloptis vel Chrysologi, et sedis apostolicæ decreta, et Augustorum favor, ad compescendas obtrectantium querimonias. Quavis autem ex his causis Valentiniani litteræ prodierint, nil præjudicii inferunt Ravennatium opinioni de impugnata eorum dignitatis origine.

151. Quam vero originem non solum allatis rationibus contra vim argumenti negativi se defendere illi arbitrantur, verum aliquo etiam positivo documento. Illud e Gelasii I Romani pontificis epistola ad episcopos Dardaniæ superius citata, haurire non dubitant, ubi contra Acacium Constantinopolitanum episcopum invehit Gelasius, conantem fimbrias quaquaversum dilatare, seseque in Orientis patriarcham elevare, quia episcopus esset imperialis civitatis. Probat autem Gelasius, non ab imperii systemate, non ab civilis magistratus præstantia, non ab regum residentia, verum ab institutione apostolica formatam fuisse Ecclesiæ hierarchiam. Acacium vero exemplis urget episcoporum, qui licet imperialibus præessent civitatibus, se tamen infra antiquos jurisdictionis terminos continuerunt: *Risimus*, inquit, *quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia episcopus fuerit regiæ civitatis. Numquid apud Ravennam, apud Mediolanum, apud Syrmium, apud Treviros multis temporibus non constitit imperator? Numquid harum urbium sacerdotes* ULTRA MENSURAM SIBI ANTIQUITUS DEPUTATAM *quidquam suis dignitatibus usurparunt?* Licet ergo, aiunt Ravennates, multis temporibus apud Ravennam constiterint imperatores, nihil tamen hujus urbis episcopi suæ dignitati auxerunt, nullumque majus jus usurparunt, ex Gelasii attestatione, sed in ea mensura dignitatis et jurisdictionis remanserunt, quam ante imperatores, et a priscis temporibus habuerant. Verum indubitatum quidem est, omnibusque historicis probatum, Ravennates antistites metropolitica dignitate polluisse, imperatoribus in ea civitate residentibus; igitur non illam adepti sunt Augustorum auctoritate aut intercessione, dum in ea residerent, sed illam dignitatem in mensura sibi antiquitus deputata, nihil ulterius ei addentes, retinuerunt, et cum Ravenna imperialis civitas facta est, jam ab veteribus temporibus sedes erat ecclesiastici metropolitani.

152. Verborum Gelasii et hujus ratiocinii pondus senserat Bacchinius, qui se primum omnium metropolitici Ravennatium juris propugnatorum illud deprehendisse ait (ubi autem de metropolitana Syrmii Ecclesia locutus est Eustachius a S. Ubaldo, forsitan ante Bacchinium vim Gelasianæ auctoritatis indicaverat). Porro mirum est qua ratione Bacchinii animum contorserit, *et aliquando pene in transversum egerit* istud argumenti genus, et in quem sensum explicare conatus sit Gelasii clarissima cæteroquin verba; illis enim in sensu obvio acceptis, viderat vir doctissimus per se cadere omnino suam cæterorumque opinionem de origine Ravennatium metropolis. Interpretationem ergo Bacchinii præstat hic eisdem verbis adducere, ne ipsius valorem imminuisse videamur.

153. « Cum in dubium, inquit, revocari minime possit quod Gelasio summo pontifice Romæ sedente, præsul Ravennas metropolita fuerit, reliquum esse videtur ut ex Gelasii ejusdem testimonio non tunc cœperit metropolitanum jus in Ravennate Ecclesia, cum urbs illa regia Augustorum sedes evasit, sed eodem loco steterit quo antea fuerat, *nec ultra mensuram sibi antiquitus deputatam quidpiam suis dignitatibus usurpaverit.* Certe Gelasii testimonium omni exceptione majus est, tum quod floruerit paulo post ea tempora quibus Ecclesiæ Ravennati metropoliticum jus collatum fuisse diximus, tum quod præsumi debeat rem hujusmodi doctissimo Romano pontifici, jurium ecclesiasticorum scientissimo, bene perspectam. Tanta nihilominus sunt, adeoque clara, quæ probant serius quam in cætero Occidenti in Italia jus

metropoliticum invectum, tanta ex quibus evidenter liquet de hujusmodi jure recentius Ravennati Ecclesiæ collato, constetque Ecclesias nonnullas, ut Forocorneliensis, Ambrosio vivente, Mediolanensi episcopo paruisse, et Petri Chrysologi, immo ejus electionis tempore inter Ravennæ subditas numeratas, ut obvio eo sensu quem præferunt Gelasii verba, eadem intelligi minime posse certum sit. Re itaque serio perpensa, Gelasium id solum intendisse reor, quod argumentum ferebat, videlicet nil accedere juris, quo in alios dominentur, episcopis quibuslibet ex eo quod quandoque Augusti apud eorum civitatem resederint, sed jura ecclesiastica ab Ecclesiæ auctoritate pendere. Negat propterea quidquam ecclesiastici juris accessisse episcopis Ravennæ, Mediolani, Syrmii, Trevirorum, ex eo præcise quod apud illas urbes multo tempore degerint imperatores, aitque ob eam imperatorum moram, earum urbium præsules *ultra mensuram sibi antiquitus deputatam nil suis dignitatibus usurpasse;* minime vero negat aliunde, ex legitima scilicet Ecclesiæ potestate, potuisse jus augeri earumdem Ecclesiarum, eo etiam intuitu quod imperatorum ibi sedes exstasset. Gelasii itaque verba ferunt, quod Patrum et synodorum sanior et communior sensus tulit, ecclesiastica videlicet jura nullo modo a sæculari potestate pendere, vel primarum Ecclesiarum decus primarum civitatum decori acceptum referri debere, sed id totum a canonum præscripto et a supremo Petri arbitrio effici ac disponi, prout rerum temporumque circumstantiis congruere dignoscitur. Quare consequitur Ravennæ, Mediolani, Syrmii, Trevirorum episcopos, et cæteros quoslibet, dignitatum suarum antiquitus deputatæ mensuræ si quid additum est, non illud usurpasse, quod ibi imperatores quandoque degerint, sed legitime ex Petri auctoritate, salvo canonum præscripto, habuisse. Et ita quidem Gelasii verba intelligenda arbitror, quæ proinde efficiunt, minus curate, nec præcedentibus cohærens, a summo viro de metropolitani Ravennatis juris initiis scriptum, illud videlicet acquisitum, *ea prorsus ratione qua sedes Constantinopolitana ob imperiale thronum patriarchalia jura usurpavit, ac tandem pacifice tenuit.* Oppositum enim ait pontifex, et testatur, ob imperatoris thronum nil supra veterem dignitatis suæ mensuram Ravennates præsules usurpasse. »

154. Hæc est Bacchinii interpretatio verborum Gelasii, quam ipsemet fatetur ab obvio eorum sensu deviare. Ad hujusmodi vero violentam Gelasiani sensus explicationem Bacchinium cogunt momenta quæ probant serius quam in reliquo Occidente in Italiam jus metropoliticum inductum, in eaque regione solum Romanum pontificem isto jure polluisse ad quartum et ultra sæculum, ac præsertim quia recentius Ravennati Ecclesiæ illud fuit collatum, et quia constat Ecclesias nonnullas, ut Forocorneliensis, Ambrosio vivente, Mediolanensi episcopo paruisse, et Chrysologi electionis tempore numeratas inter Ravennæ subditas. Verum hæc omnia Bacchinii momenta jam expendimus, tum quæ eruit ab argumento negativo, et ab opinione solius Romani pontificis in Italia metropolitani, tum quæ affert de Joanne Angelopte, ac de Chrysologo, ejusque homilia 175. Quod attinet ad Ecclesias quas, vivente Ambrosio, ait Mediolanensi paruisse, ut Forocorneliensis, satis pariter, ut arbitramur, superque respondimus in cap. 1, adeo ut dubia omnino, incerta ac fere improbabilia videantur momenta ista cl. Cassinensis. Quare cordato viro ea tanti esse non debent, ut per illa verborum Gelasii sensus, apertissimus per se ipsum et obvius, in distortum sensum violentissime rapiatur; immo potius rem dubiam et incertam, qualem volunt originem hujus Ravennatium dignitatis, per verba tam aperta, tam clara, tam obvia doctissimi pontificis par erat explicare, præsertim quia opinio Ravennatibus favens tot aliis allatis argumentis fulcitur; contraria vero, licet communissima, tot ambagibus, tot difficultatibus involvitur.

155. Et sane, pace cl. Bacchinii, ejus interpretatio contorta nimis videtur, sensusque Gelasii nimis perturbatus. Acacio ille insultat, quia cum sit episcopus regiæ civitatis, tentat jurisdictionem suam augere et super Orientis patriarchas sese efferre; itaque exemplum illi opponit quatuor Occidentis episcoporum, qui cum essent et ipsi imperialium urbium antistites, nullam jurisdictionem sibi usurparunt ultra eam quam *antiquitus* obtinuerant. Verum quidem est, quod ait Bacchinius, Gelasium illis verbis non negasse *ex legitima Ecclesiæ potestate potuisse jus augeri earumdem Ecclesiarum, eo etiam intuitu quod imperatorum ibi sedes exstasset;* sed cum Gelasius tacuerit accessionem istam novi juris revera evenisse ex concessione Ecclesiæ imperatorum temporibus, evidens indicium est quod non evenerit; tum quia argumentum quo contra Acacium utebatur Gelasius, fortius Constantinopolitanum ursisset, ea animadversione quod illi quatuor episcopi, si quid jurisdictionis ultra antiquam mensuram acquisiverint, intuitu imperatorum, nonnisi ex indulgentia pontificum Romanorum acquisiverint; tum quia cum id factum tacuerit Gelasius, alia magni ponderis conjectura inde oritur certissime non esse factum; nam ab exemplis quatuor illorum antistitum, si quia fuissent episcopi regiarum civitatum, ab apostolica sede majorem dignitatem obtinuissent, occasionem opportunissime arripuissent Acaciani exprobrandi Gelasio, atque Romanæ Ecclesiæ, negatum iri Acacio, etiam intercedentibus imperatoribus, etiam concedentibus duobus œcumenicis conciliis, Constantinopolitano I, et Chalcedonense, quod aliis quatuor episcopis non fuerat negatum, perturbationem scilicet ecclesiasticæ hierarchiæ, et novæ jurisdictionis accessionem, licet episcopi illi nullo fulcirentur concilii canone aut consensu. Tum demum quia non potuisset Gelasius Acacio tam libere insultare, si Romana Ecclesia arguenda ipsa quoque fuisset ob perturbatam in Occidente, in gratiam imperatorum, apostolicam Ecclesiarum hierarchiam, quo tempore eam mordicus tuebantur in Oriente contra episcopos Constantinopolitanos, contra

duo generalia concilia, contra ipsos imperatores. Quæ quidem conjectura majorem vim consequi poterit ex iis quæ superius notavimus de resistentia Ecclesiæ, ac præsertim summorum pontificum, hujusmodi novarum metropoleon erectionibus.

156. His autem rationum momentis se expedire arbitrantur Ravennates a Bacchinii interpretatione in verba Gelasii, statuuntque ex illorum sensu obvio et naturali probari Ravennates episcopos non ab imperatorum temporibus metropoliticum gradum fuisse adeptos, sed eo honore ante imperatores et a priscis temporibus præfulsisse; atque adeo cum nulla stabiliri possit incœpti honoris epocha, ad apostolica tempora et ad primævam ecclesiasticæ hierarchiæ institutionem illius gradus originem esse referendam. Hic etiam obiter notatum volumus allata Gelasii verba juxta obvium eorum sensum etiam a Mediolanensibus usurpari, ut probent ante divum Ambrosium, non autem ob imperatorum residentiam, jam ad metropolis dignitatem ascendisse inclytam Mediolani Ecclesiam : quod non abs re erit animadvertere. Cæterum mox relatam Ravennatensium conclusionem verborumque Gelasii intelligentiam roborare posse neutiquam ipsi dubitant auctoritate S. Gregorii VII, pariter Romani pontificis, æque doctissimi, æque jurium ecclesiasticorum acerrimi vindicis. Scribens enim Gregorius ad Ravennatenses, hæc de eorum Ecclesia ipsis insinuat : *Credimus non latere vestram scientiam, Ravennatem Ecclesiam sedi apostolicæ præ cæteris vicinius hærere solitam fuisse, eamque specialiter ab ipsa dilectam, quidquid dignitatis et honoris antiquitus per beatum Apollinarem tenuit, munere scilicet præfatæ sedis concessum habuisse.* Prædilectam ait sanctus pontifex Ecclesiam Ravennatem ab sede apostolica, nam illi acceptum habere debebat quidquid dignitatis et honoris *antiquitus per beatum Apollinarem tenuit.* Si autem *antiquitus*, ac per primum ejus apostolum atque episcopum nihil aliud Ecclesia Ravennas obtinuisset, nisi cum fide Christiana simplicis episcopatus cathedram, frustra eam specialiter dilectam sedi apostolicæ, frustra viciniorem adhæsionem, frustra honores et dignitates ab ea sede obtentas jactasset Gregorius. Loquebatur ergo pontifex de iis honoribus et dignitatibus quibus ejus ætate eminebat Ravennatium Ecclesia, et quas illi a sede apostolica antiquitus collatas affirmat per beatum Apollinarem, primum scilicet Ravennæ episcopum, Petri apostoli discipulum; neque alia dignitas, neque alii honores ibi veniunt intelligendi, si res bene perpendatur, nisi dignitas atque honores metropolitici. Consonat Gregorio VII auctor Historiæ miraculorum ipsius S. Apollinaris in territorio Divionensi, qui auctor sæculo x creditur floruisse, adeoque ante Gregorium. *Qui martyr*, inquit, *ut descripta ejus passionis gesta testantur, a S. Petro apostolorum principe consecratus, ac Ravennæ, metropolitanæ Italicarum urbium nobilissimæ, primus archiepiscopus est destinatus.*

157. Tali testimoniorum positivorum serie, atque aliorum quæ brevitati studentes non quæritamus, et præsertim divi Petri Damiani, credunt Ravennates contrarium negativum argumentum exinanire. Atque hinc ad doctissimas Bacchinii animadversiones animum convertentes, manus victas iis ultro dare non renuent. Concedent enim libentissime nullo pacto efformatam fuisse ab apostolis Ecclesiæ hierarchiam ad normam civilium magistratuum. Concedent ex generali imperii systemate, quale fuerat temporibus apostolicis, atque ex particulari cujusque provinciæ regimine probabilissime deduci posse veritatem Bacchinianæ opinionis : licet ad rem non facere suspicentur, quæ de instabilitate regiminis cujuscumque particularis provinciæ eruditissime congessit abbas Cassinensis ; nam primo instabilitas hæc particularis provinciarum regiminis locum forte non habebat quo tempore Evangelium disseminabant apostoli. Accidit ea quidem temporum decursu, sed cum jam fides Christiana longe lateque diffusa erat, atque etiam stabilitus ecclesiasticæ hierarchiæ ordo ac systema, præsertim in Italia. Ea enim divisa ab Augusto in undecim regiones, et unicuique proprio assignato præside, decurionibus, duumviris, forma ista magistratuum et politiæ duo pene sæcula perseveravit, donec ab Adriano Cæsare immutata est. Quare satis intervalli et opportunitatis habere potuisset Ecclesia ab sibi firmandum in hac regione hierarchiæ statum juxta hierarchiam civilem ab Augusto constitutam, quatenus ad eam se conformasset. Stabilita autem semel ab apostolis eorumque successoribus hierarchia, nullis mutationibus obnoxia esse poterat, quidquid fuerit de civilis provinciarum regiminis perturbatione pluries secuta, Adriano, Aureliano, aliisque imperantibus. Quod si etiam verum fuisset temporibus apostolicis vel unam pluribus, vel plures provincias uni tantum præsidi paruisse, hinc opportuna resultaret ratio quare in ecclesiastica hierarchia non ubique uni provinciæ unus præesset metropolitanus, sed sub uno metropolitano plures essent provinciæ, et quæ fuerat olim unica, fieret duplex provincia, uti cum Æmilia nostra actum fuit, partita in duplicem regionem, quarum altera Flaminia, Æmilia altera. Secundo vero quamvis temporibus apostolicis instabilitas particularium provinciarum regiminis obversaretur stabiliendæ ecclesiasticæ hierarchiæ aliquibus in regionibus, id tamen de ipsa Æmilia neque tunc neque per diuturna tempora forsitan potest verificari; nam post allatam partitionem in Æmiliam et Flaminiam, utriusque caput et metropolis fuit immutabiliter Ravenna, etiam postquam Constantinus in duos vicariatus Italiam divisit.

158. Attamen, his non obstantibus, datisque ultro omnibus cl. Bacchinio, sibi adhuc gratulantur Ravennates tanti viri opinionem de origine ecclesiasticarum metropoleon non solum non destruere, sed magis magisque confirmare eorum sententiam qui temporibus atque institutioni apostolicæ initia hujus dignitatis in Ecclesia Ravennate tribuerunt. Si enim verisimillimum est (immo pene certum dixerim) sparsos ubique terrarum et quaquaversum apostolorum

discipulos fundasse Ecclesias gentium a se conversas, ibique propria stabilita sede, inde vicinis regionibus, urbibus et populis fidem communicantes, novas Ecclesias constituisse, novos episcopos ibi ordinasse, unde factum sit ex apostolorum sanctione ut conversis hisce regionibus novisque Ecclesiis, earumque episcopis discipuli isti præessent veluti primi patres ac doctores, atque eorum cathedram populi novarum Ecclesiarum respicerent uti propriæ fidei matrem, ab eaque traditiones, disciplinæ apostolicæ regulas, in dubiis consilia, in dissidiis et gravaminibus refugium, in ordinationibus consensum peterent et amplecterentur, quod proculdubio tunc fuerat et metropolitani juris principium ac fundamentum, et metropolitanæ dignitatis prærogativa; si, inquam, id ex Bacchinio verisimillimum censetur, acta opportunissime res est Ravennatium, qui Appollinarem Petri discipulum Ravennam, Italicarum urbium præstantissimam, ab apostolo missum, ibi episcopali cathedra erecta ac firmata, ex ea toti Æmiliæ Christi Evangelium prædicasse, perque ejus urbes ex conversis populis florentissimas Ecclesias efformasse, pro certo habent, ac testatur non solum perpetua celeberrimæ Ravennatis Ecclesiæ, sed etiam ipsarum Æmiliæ Ecclesiarum traditio, quæ illam fidei suæ magistram per Apollinarem cognoscunt et confitentur. Id *Benedictus* XIV, qui modo Petri cathedram tenet, eruditione, doctrina, sapientia incomparabilis pontifex, de Bononia nostra luculenter asseruit ea quam in dedicatione novæ, ipsi S. Apollinari sacræ, magnificentissimæ basilicæ, Romæ nuper habuit, pereleganti oratione. Doctissimo pontifici præiverat Sigonius ab Ughello citatus, qui ait *Bononiam Christiana sacra suscepisse ab Appollinari Æmiliæ apostolo, quem Petrus apostolorum princeps illuc dicitur destinasse; qui tametsi Ravennæ sedem fixerit, Æmiliam tamen totam Christi Evangelio implevit.* Omittimus autem, ne in longum nimis procedamus, quæ de aliis Æmiliæ Ecclesiis per eumdem Apollinarem formatis, illarum historici asserunt.

159. Longum quoque nimium foret testimonia actorum S. Apollinaris, sacrorum scriptorum et multarum orbis Ecclesiarum hic attexere, quæ de missione ejus et per Æmiliam apostolatu fidem facerent amplissimam. Petrum Chrysologum, Petrum Damianum, centumque historicos, et præcipue cl. Bollandianos consulere unicuique licebit. Fuerunt quidem auctores qui, Apollinaris vetustissima acta superbe negantes, inter apocrypha ejecerunt; alii etiam fuerunt, ut abbas Fleury, qui ne verbum quidem dignati sunt Historiæ suæ ecclesiasticæ inserere de celeberrimo isto Petri discipulo, licet apud sanctos doctores, licet in tot Romanorum pontificum epistolis et monumentis, licet inter tot historicorum memorias tam frequens occurrat ejus mentio, et Ravennatium ab eo fundatæ Ecclesiæ præstantia celebris sit apud auctores universos. Superbam hanc omissionem, inter tot alias maculas quibus abbatis Fleury scatet Ecclesiastica Historia, merito illi exprobravit nuperus auctor Observationum in eamdem ejus Historiam. Quod vero ad acta antiquissima S. Apollinaris, ea propugnarunt celebres auctores, ex quibus laudati Bollandiani de iis dubitari jure non posse luculenter docent, ac solum notant alicubi vitiata fuisse atque interpolata.

160. Verum ne unus quidem inter tot scriptores, vel qui admittunt vel qui rejiciunt ejusmodi acta, critice rigorem eo usque acuit, ut apostolatum Apollinaris in Æmilia, hujus provinciæ urbium conversionem, Ecclesiarum fundationem neget; nituntur enim ista Patrum et historicorum fide, et immemorabili tot Ecclesiarum traditione. Quare si lex ab apostolis sancita, si mos universæ Ecclesiæ tum per Orientem fuit, quemadmodum invictissime ratiocinatur Bacchinius, ut secundæ Ecclesiæ ab ea Ecclesia ortæ, quam per discipulos apostoli fundaverant, illam tamquam magistram, matrem et caput recognoscerent, quæ origo fuit metropolitici juris et dignitatis; si assertiones Gelasii I et Gregorii VII summorum pontificum in sensu obvio et naturali intelligendæ sunt; si ubique per Ecclesiam eadem valere debebat hierarchiæ regula; si vix ac ne vix quidem defendi adhuc potest auctorum opinio, qui vel in Joanne Angelopte, vel in Petro Chrysologo originem Ravennatensis metropoliticæ dignitatis constituerunt, reliquum est, inquiunt Ravennates, ut Hieronymi Rubei, Petri de Marca, aliorumque scriptorum placitum de repetenda ab apostolicis temporibus atque a divo Apollinare, primo Ravennatium episcopo, hujusmodi origine probabilius longe esse, aliisque omnibus super hoc argumento placitis præstare videatur.

Hæc Ravennatenses. Nos autem, quamquam eorum ratiocinii vim sentiamus, ut cum maxime, tamen insuperabilem non asserimus, sensumque omnem nostrum prudentioribus ac peritioribus criticis, quibus cumulatissime nostra hæc ætas abundat, æquo animo permittimus. Hæc itaque erant, cl. Paciaude, quibus litterarias Ravennatium palæstras pro modulo nostro horis subsecivis exercebamus, quo tempore e metropolitano suggestu illustrem hanc urbem, admiratione tui, corda autem omnium doctrinæ, eloquentiæ, eruditionis tuæ divitiis præco evangelicus excitabas explebasque. Velim igitur et spero etiam fore ut postquam hæc nostra tranquille perlegeris, oculoque isto tuo penetrantissimo lustraveris, digna minus probes quæ e latebris nostris erumpant, auctorisque imperitiam orbi litterario prodeant ac testentur. Vale.

CENSURA SERMONUM.

Sermon* XII *a principio usque ad finem tribuitur S. Augustino, et habetur inter eloquia Milleloquii ipsius Augustini, compilati primum ab Urbinati Episcopo Bartholomæo, inde ab Joanne Collerio impressi Parisiis anno* 1649, *column.* 1, *littera D; ibidemque citatur D. Augustinus serm.* 13 *in Quadrag. Cum autem hujus

sanctissimi doctoris obitus per decem supra septem annos præcesserit mortem Chrysologi, suspicari quis poterit sermonem hunc ab collectore quodam ex D. Augustino mutuatum fuisse. At nullibi in ejus Operibus invenitur. Sermo tantum de tempore numero 172 *huic in principio assimilatur, sed neutiquam in decursu: et in eo nec verbum quidem de tentationibus Christi.*

Sermonem L *nonnulli Chrysostomo, alii Hieronymo ascribunt: uni Ecclesiæ Græcæ, alteri Latinæ amplissimo doctori; ac si inter prodigia non debuisset referri, duos diversarum linguarum scriptores eisdem verbis eumdem sermonem pronuntiare potuisse. Ecclesia Romana in Breviario ad Dominicam* XVIII *post Pentecostem eumdem legit in secundo Nocturno, et Chrysologo tribuit. S. Thomas in Catena hujusmodi sermonem citat nomine Joannis episcopi: qua loquendi formula citatum frequenter Chrysostomum advertitur in antiquioribus Catenis. Explicatior oratio, nec sic incisa, ut Chrysologi mos est, eum potius quam illi, aut Hieronymo, Chrysostomo deberi alicui poterit suadere. Nostro auctori vindicant mss. Cæsenæ et Urbini.*

Sermo LIII *habetur in appendice Sermonum S. Augustini sub numero* 61, *tom.* V *pag.* 75, *olim de Tempore* 169, *sed passim interpolatus, seu multis auctior sententiis, quæ appositis utrinque ansulis includuntur. Ex eo nonnulla transcribit Alcuinus in lib. de Virtutib. et Vitiis cap.* 6. *Rectius ascribitur Barbatiano presbytero, de quo S. Petrus Damianus tom.* XI *pag.* 306 *edition. Lugdun., serm.* LXV, *habito in ejus natali die. Vivebat hic Ravennæ, regnante Placidia Augusta ann. circ.* 449; *Surius die* 31 *Decemb.; Petrus de Natalib. lib.* XI *cap.* 21, *pag.* 183; *Rubeus Histor. Ravenn. ann.* 433. *Precibus Chrysologi fortasse ductus, Ravennates inter se dissidentes, corripuit, et ad mutuam pacem, humilemque suo pastori obedientiam hortatus est. Utut sit, styli diversitas hunc auctori nostro abjudicat.*

Sermo LXXIV. *Frater Antonius Ghislandus in lib. qui inscribitur:* Opus aureum in Evangelia : *super Evangelium Sabb. S. Paschæ dub.* 17 *et* 23 *et alibi, laudans hujusmodi serm. eum, divo Severiano seu Severino ascribit, sicuti et serm. infra* LXXVI; *id quod forte ab divo Thoma in Comment. mutuatus est, ut innuere videtur Maldonatus Matthæi* XXVIII, *numero* 9. *At et stylus non absimilis, et diversarum phrasium eadem repetentium coacervatio, et doctorum virorum consensus, et manuscriptorum, quotquot exstant, auctoritas, Chrysologo vindicant. Franciscus Combefisius in opusc.* Recensiti Auctores, *etc., Parisiis* 1662, *pag.* 135, *suspicabatur, an in Catena D. Thomæ, ubi sermo hic et sequentes de Christi Resurrectione laudantur, sub hoc contracto nomine* Sever. *legendum sit* Severus Malacitanus : *cujus temporibus convenit, quem Auctor perstringit, non suscitandæ veræ carnis error. At nulli Severo Malacitano tribuuntur sermones, potuitque Chrysologus antiquiorem Origenis errorem respicere.*

Sermo XCI. *Hunc eumdem sermonem, ab exordio tamen non parum imminutum, habes inter sermones D. Augustini de Sanctis, olim sub numero* 22; *nunc vero in appendice tom.* V, *pag.* 135, *num.* 199. *Nihilominus Chrysologo deberi ex ipso sui initio recte opinatur Mita.*

Sermo CVII, *licet stylo et doctrina insignis, inquit Mita, ab sermonibus Chrysologianis longissime distat. Fabricius in Bibliotheca mediæ Latin. tom.* I *lib.* III *pag.* 1055, *et Tillemontius tom.* V *pag.* 485 *editionis Venetæ, jure quidem Chrysologo adimunt. Inscribitur in codice ms.,* In divum Petrum episcopum. *Titulus autem divi recentiorem ætatem redolet. Præterea longe ab more nostri auctoris nitida hic dictio apparet, quam nec circumlocutiones infarciunt, nec insuetæ expressiones extollunt. Fateri autem oportet de Petro alicujus loci episcopo in eo loqui: nec insuetum erat antiquis, inter auctorum opera ea recensere, quæ vel ipsis inscribebantur, vel in eorum honorem cesserant. Unde do libentissime manus opinantibus sermonem hunc in laudem Petri nostri Chrysologi, Ravennæ pronuntiatum fuisse.*

Sermo CXXVII. *Franciscus Garcia de Valle in Evangelico Concionatore lib.* I, *disc.* 25, *numero* 38, *nervis omnibus contendit, sermonem hunc deberi Joanni Chrysostomo homil.* 16 *ex variis in Matth. locis. Et revera inter Chrysostomianos occurrit in editione Parisiensi per Sebastianum Nivellum sub Ciconiis anno* 1581, *tom.* II, *pag.* 1074, *sed addito signo in ora libri, ut eum inter spuria amandandum ipse editor lectores admoneat. Lapis autem, vel stipes sit oportet, qui ab eo Chrysostomi gravitatem abesse non sentiat, et contra puram putamque sapere Chrysologi dictionem.*

Sermo CXXIX. Sermo hic, *inquit Latinius,* nil habet Chrysolog , *cui astipulatur Mita, animadvertens verbum* Charissimi, *nunquam inveniri apud Chrysologum: cui aliud familiare est, nempe* Fratres. *Suppositium etiam putat Tillemontius tom.* V, *pag.* 866: *quod præ cæteris styli puritas facilisque verborum ductus suadent.*

Sermo CXXXV. *De hujusmodi sermone, ejusdem commatis cum superiori, hæc etiam habent Tillemontius et Latinius. Ruinartius Acta Martyr. pag.* 188 *eum uti nostri auctoris genuinum fetum amplectitur, eumque vocat* egregium sermonem.

Sermo CXXXVI *lacinia est alicujus sermonis, auctoris ab Chrysologo diversi: cui nescio quis episcopus Adelphus intererat.*

Sermo CXXXVIII. *S. Germani Antisiodorensis fetum opinatur Mita. Sanctus hic præsul dum Ravennæ apud Chrysologum hospitaretur, hæc pauca de pace disseruisse, non vero est absimile. Sub initium* Patrem *et* Magistrum *vocat Chrysologum, propter ipsius in ea urbe pontificiam dignitatem exuberantemque doctrinam; se vero* peregrinum *et* agrestem *dicit, veluti ex locis Barbarorum profectum. Quamvis vero hæc ariolandi modo proferantur, in tuto est sermonem non esse Chrysologi. De S. Germano alibi.*

Sermo CXLIII. *Nonnulla in eo habentur quæ occurrunt in sermone de Annuntiatione penes Hieronymum, tom. ultimo pag.* 101 *edition. Parisiensis apud Nivellum anno* 1579, *ad Paulam et Eustochium; eaque præcipue, quæ laudantur ab D. Thoma in Catena, tom.* V *ejus Operum, pag.* 14, *recent. editionis Venetæ. Observat autem Possevinus in* Apparat. *tom.* II, *pag.* 44, *et ex eo Nicolai in* notulis *ad prædictam Catenam, sermonem hujusmodi inter Hieronymi spuria ablegandum: et Græco potius quam Latino homini ascribendum; cum in eo Græcum auctorem Latine loquentem videre liceat. Sophronii autem esse D. Hieronymi amici, illius nempe qui ejusdem Catalogum de Scriptoribus Græcum reddidit, pro compertissimo, ut loqui amant, credunt non pauci haud inferioris subsellii scriptores.*

Sermo CXLIX. *Divo Severiano Gabulorum episcopo dubio procul ascribendus, sub cujus nomine occurrit inter opera sancti Joannis Chrysostomi tom.* III *pag.* 140 *recent. editionis Parisiensis, curante domino de Montfaucon, qui hæc eadem præfatur: « Severianus, Gabulorum episcopus, qui Constantinopoli tunc degebat, et simulatis officiis sancti præsulis amicitiam sibi conciliaverat, ac frequenter ad populum conciones habebat, absentis, ac in Asiam profecti Chrysostomi, occasione captata, Populum sibi devincire, ejusque ut putatur studia ab Chrysostomo avertere satagebat. Qua de re monitus ab Serapione Chrysostomus, cum ex Asia rediit, ut vidit populum sibi gratulantem, lætitiaque plenum, rem non multum curasse videtur. Sed cum inde Severianus in Serapionem indignatus, impietate plena verba protulisset, tumultuante populo, et in iram concitato, Constantinopoli pulsus est. Deinde curante Eudoxia Augusta, ipsoque imperatore revocatus, et ab Chrysostomo ægre licet admissus est. Sed quia indignatus populus, nonnisi pastoris sui monitis, conceptam in Severianum iram sedare poterat, hac*

oratiuncula (*exstat ibi pag.* 412) *Chrysostomus exasperatos animos mitigavit, et ad Severianum admittendum deduxit.* » *Hæc doctissimus editor in Monitis ad præfatam homiliam. In sequenti vero die, Severianus ipse ad populum habuit oratiunculam, ubi de conciliata pace gratulatur: quam ille pacem partam* communi Patre curante, *summis laudibus commendat. Hujusmodi autem oratiuncula Severiani, inter sermones Chrysologi irrepsit, et centesimum quadragesimum nonum in ordine confecit. Formulam autem illam :* communis Pater, *præsentem Chrysostomum significare nullus dubito : uti observatur in aliis homiliis, et præsertim in illa quam presbyter quidam Antiochenus habuit coram Flaviano illius civitatis antistite, inter opera spuria Chrysostomi tom.* VI *pag.* 555 *laudatæ nuper editionis. Quod autem Baronius ab Martyrologio Romano Severianum hunc expunxerit, tamquam acerrimum Chrysostomi hostem, falso asseritur : dicamque hanc ei ab Rosweido immerito inustam clar. Georgius in Notis ad Martyrologium Adonis extersit tom.* I *pag.* 63. *In nonnullis editionibus sermoni huic præfigitur titulus :* quem quidam Severiani putant, sed falso : *illud tamen* non temere factum, *notat Latinius*, nam nil, *inquit*, habet Chrysologi.

Sermo CLII *Latine legitur inter alias Patrum homilias ab Alcuino collectas : nec desunt qui eum sermonibus D. Severiani annectendum esse opinantur. Irascitur autem Mita in notis ; et invidentiam, ut ait, illorum, qui sermonem hunc Chrysologo auferre conati sunt, comparat ipsius Herodis in vitam Innocentium invidentiæ, aversoque in eos animo : subditque numquam aptius Chrysologi cognomen convenisse, nisi hujusmodi sermonis causa.* « *Siquidem in hoc vere aureum eloquentiæ flumen effudit, et summam professus est eruditionem. Stylo et doctrina ab eminentioribus ejus homiliis haud discrepat, nec aliquis prudens hanc esse divi Severiani compositionem dixerit : cum tota phrasi et doctrina ab ejus sermone, hic in ordine* 149 *relato, discrepet. Fuit insuper Severianus natione Græcus, Græceque scripsit. At prædictus sermo tota origine Latinus, nulla ex parte græcismum redoiet : neque ab exemplari Græco in Latinum idioma traductum, quispiam linguarum peritus usque modo judicavit.* » *Hæc Mita, plurimis aliis in hujusmodi sermonis laudes abundantius excurrens. Revera cum Chrysologiana phrasi ita convenit ut ovum ovo similius esse non dixeris.*

Denique huic editioni appendicem addidi, paucos quosdam in ea referens Chrysologi sermones, qui huc usque alieno nomine circumferebantur. Primas tenent sermones quinque de Oratione Dominicali, quos ab Dacherio Spicileg. tom. VII *pag.* 120 *mutuatus sum. Hos olim ex fide codicis Corbeiani retulerat ad Petrum Damiani, postea admonente Stephano de Marces, comperit, esse Chrysologi. Sermones* 73 *et* 97 *in appendice divi Augustini tom.* V *pag.* 92 *et* 120, *de quibus jure merito Lovanienses dubitarunt, ab doctissimis nuperis editoribus Monachis S. Mauri, auctori nostro adjudicantur. Tantorum virorum testimonio succenturiatus et id ego præstiti.*

Sunt qui nonnullorum codicum fide freti, sermonem quoque 120 *ipsius appendicis genuinum Chrysologi fetum asserunt. At hoc asserere non patitur stylus sermonis tumens propemodum, nec ita, ut nostri Auctoris mos est, brevior et incisus, quique Petavio lib. de Incarnatione* XVI, *nimis conturnatus videbatur. P. Labbe, Biblioth. pag.* 783, *alium sub suo nomine laudat* de B. Virginis nativitate : *sed, ut alias observatum est, sermonum intitulationes corruptæ sunt: nec temporibus Chrysologi hujusmodi festum adhuc celebratum scimus. Aerem verberant, et in nubibus fabricant, qui sermones* LXVII, LXVIII, LXX, LXXI, *in ordinem redigunt, et Petro Damiano ascribunt : nam cum prostent in prima collectione S. Felicis episcopi Ravennatis, quod sub initium sæculi* VIII *evenisse scimus, et longe posterior vixerit Damianus; jam patet quam inanibus fulcris eorum opinio innitatur.*

Dictio etiam nitidior et facilior serm. CXXIX *de S. Cypriano, et* CXXXV *de S. Laurentio alicui fucum fecere, et suspicandi ansam præbuerunt.*

S. PETRI CHRYSOLOGI

RAVENNATIS ARCHIEPISCOPI

SERMONES.

SERMO PRIMUS.

De duobus filiis, prodigo et frugi, et primo de abscessu prodigi a patre.

Hodie nobis Dominus patrem cum filiis duobus vocavit et produxit in medium : ut immensum suæ [a] pietatis indicium, sævam Judaicæ gentis invidiam, reditum supplicem [b] populi Christiani, pulchram panderet per figuram. *Homo quidam habuit duos filios, et dicit adolescentior ex illis patri : Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et divisit,* inquit, *illis substantiam* (*Luc.* XV). Quantum pius pater, tantum hæres impatiens; qui [c] patris fatigatur ad vitam ; qui patris, quia tempus [d] adimere non potest, nititur auferre substantiam. Hic ipsam prærogativam filii meruit non habere, qui ea quæ patris erant noluit possidere cum patre. Sed quæramus quæ res filium rapuit hos ad ausus, ad petitionem tantam fiducia quæ levarit. Quæ res ? illa scilicet qua cœlestem Patrem sciebat nullo claudendum fine, concludendum tempore nullo, nulla mortis potestate solvendum. Et ideo cupit vivendi libertate gaudere, qui [e] ditari noluerat facultatibus decedentis. Denique il-

[a] Hoc est argumentum pietatis infinitæ, ut infra Auctor serm. 49. MITA.— Formula Chrysologo familiaris. Nonnullæ editiones habent *judicium.*

[b] In hac parabola, et in his duobus filiis, duos præfigurari populos, Judaicum nempe et Gentilem, docent etiam Dionysius Areopagita epist. 8 ; Irenæus lib. IV adversus Hæreses cap. 70 ; Hieronymus epist. 46 ad Damasum ; Augustinus lib. II. Quæst. Evang., quæst. 33, aliique.

[c] Patrem vivere ægre fert.

[d] Codices hactenus impressi corrupte *audire.* Latinius sic legerat : *Quia tempus aut diem non potest, nititur auferre substantiam,* Ambrosius tit. 1 lib. de Nabut., cap. 4, pag. 308, col. 1, edit. Paris.: *Hæres otiosus spectat ; hæres fastidiosus increpat, quod sero moriamini.* Augustinus lib. II Quæst. Evang., quæst. 29 : *Avarus vellet nullum hominem esse, ut ipse solus omnia possideret.*

[e] Aliæ editiones, *valuerat.* Ita etiam ms. Vallicellanum ; edit. Colon. et Bonon. Sensus est : qui ut ditaretur noluit exspectare mortem patris.

lam fuisse hujus petitionis [a] offensam, genitoris largitas comprobavit. *Et divisit*, inquit, *illis substantiam* [b] Petente uno, ambobus totam substantiam mox divisit; ut scirent filii, [c] quod ante tenebat pater, non fuisse avaritiæ, sed amoris; providentia, non invidentia, non dedisse. Tenebat pater servare substantiam filiis, non negare; et manere ea [d] pignoribus cupiens, non perire. Beati filii quorum tota est in patris charitate substantia! Beati quibus manet tota in obsequio patris, in patris cultura possessio! Cæterum [e] facultates [f] unitatem scindunt, fraternitatem separant, cognationem spargunt, parentum perdunt et violant charitatem, sicut ex sequentibus elucescit: *Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et divisit*, inquit, *illis substantiam. Et non post multos hos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriose. Et posteaquam consumpsisset omnia, facta est fames valida in regione illa, et ipse cœpit egere, et abiit, et adhæsit uni civium regionis illius, et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant, et nemo illi dabat.* Ecce quid facit [g] cupiditas ad censum præceps. Ecce quemadmodum sine patre census nudavit filium, non ditavit; census filium tulit e gremio patris, ejecit de domo, exemit patria, spoliavit fama, exuit castitate. Quod vitæ, quod morum, quod pietatis, quod libertatis, quod est gloriæ, nil reliquit. Civem denique in peregrinum, filium in mercenarium, in egenum locupletem, liberum mutavit in servum, junxit porcis a patre piissimo quem sejunxit, ut serviret [h] cœnoso pecori, qui pietati sanctæ parere contempsit. *Congregatis*, inquit, *omnibus*, *adolescentior*. Adolescentior iste plane [i] non ætate, sed sensu; qui congregavit bona patris, [j] et abiit longe plus mente quam loco; ut dato, non accepto pretio misere se venderet servituti. Sic mercator ad talem contractum pervenit, qui parentum debitum nescit solvere, qui vicem [k] nescit redhibere generanti. Est penes patrem dulcis conditio, libera servitus, absoluta custodia, timor lætus, blanda ultio, paupertas dives, secura possessio. Namque ad patrem labor respicit, fructus redundat in filios. *Dissipavit*, inquit, *substantiam suam*. Quæ composita fuerant patre moderante, prodigente filio dissipantur; ut vel tarde sapiat patrem custodem, [l] non incubatorem fuisse substantiæ. *Vivendo luxuriose*. Mortalis est ista vita; quia moritur virtutibus: qui vitiis vivit, sepelitur famæ, perit gloriæ: qui manet turpitudini, crescit infamiæ. *Et posteaquam consumpsisset omnia, facta est fames valida in regione illa*. Luxuriæ, ventri, gulæ, fames tortor apponitur: ut ibi ultrix pœna sæviat, ubi pœnalis reatus exarserat. *Facta est fames valida*. Ad talem finem semper voracitas tendit, ad talem pervenit terminum fugienda voluptatis effusio. *Et ipse cœpit egere*. Filium data facit egere substantia, quæ divitem negata [m] servasset: ut penes se deficeret habendo, qui penes patrem abundaverat non habendo. *Et adhæsit uni civium regioni illius, et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos*. Sic invenit qui se negat patri, qui se committit extraneo: ut sentiat [n] severum judicem, qui fugit indulgentissimum provisorem. Affectionis desertor, pietatis refuga, deputatur porcis, porcis addicitur, porcorum traditur servituti, [o] porcorum pascua [p] lutulenta percurrit, inquieti gregis teritur, et maculatur excursu, ut sentiat quam miserum sit, amarum quam sit, quietis paternæ beatitudinem perdidisse. *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant, et nemo illi dabat.* Quam crudele ministerium, quia [q] neque convivit porcis, qui vivit porcis! Miser, [r] qui squallentis pecoris deficit et esurit in saginam!

[a] Hoc est improbam actionem qua filius in hac petitione usus est. MITA.

[b] Opinantur nonnulli Christum hic respexisse ad morem, si non Judæorum, saltem finitimarum gentium, penes quas filii, statim ac pubertatem attigerant, partem patrimonii paterni expetere poterant, ut quæstum facerent. Alii (inter quos noster) patrem filiis hæreditatem libere utendam dedisse, nulla licet lege vel consuetudine obstrictum.

[c] Dissentit Chrysologus ab mente existimantium Prodigum, non bona patris, sed maternæ hæreditatis partem postulasse. Vide Du Hamelium hic.

[d] Pignora pro filiis passim apud melioris ævi scriptores. Tertullianus etiam de Idololatr. cap. 12, Cyprianus de Morte filiorum Jobi: *Post pignorum funera.*

[e] Dici omnes possessiones humanas ad necessitatem vitæ facientes, notat in hunc locum Chrysologi Gaspar Barthius Adversar. lib. XI cap. 3, colum. 517. Ibique laudat Gaudentium ad Germinium, et Venantium Fortun. lib. XI. Vide etiam Lactantium de Just. lib. V cap. 19.

[f] Lege inferius Chrysologum serm. 162, ibique notam.

[g] Augustinus, quæst. 47 in Exod.: *Græcus ἀποσκευὴν habet, ubi substantiam Latinus interpretatus est, quod aliquando nostri interpretantur censum.*

[h] Columella lib. VII cap. 10: *Porcorum genus nulla re magis gaudet quam rivis atque cœnoso lacu volutari.*

[i] Euthymius in not. ad Caten. ad XV Lucæ cap. 57: *Non quia tempore junior, sed quia sensu indigens.* Nonnullæ editiones vitiose, *Non ætate, sed censu.*

[j] Evang., *In regionem longinquam*. Quia Auctor regionem hanc longinquam mystice interpretatur, placuit addere: Regionem longinquam esse *Dei oblivionem*, ut docet August. lib. II Quæst. Evang., quæst. 33. Vide apposite Ambrosium hic; quo teste, *Regio longinqua est umbra mortis;* hoc est peccatum. MITA. — Vid. Chrysostomum homil. de Patre et duobus filiis, tom. II, pag. 1166, edit. Parisiens. an. 1581.

[k] Chrysologi phrasis pro: Beneficium mutuo beneficio rependere. Plautus in Menæ: *Salvum tibi, ut mihi dedisti, redhibeo marsupium.*

[l] Quintilianus lib. X: *Velut thesauris clausis incubabat.*

[m] Ita locum restituimus ex ms. Cæsen. Aliæ editiones: *Negata saturabat.*

[n] Alias apud Castillum: *In se verum judicem.*

[o] Nullum vilius ministerium apud Judæos et Ægyptios, qui hujusmodi homines tamquam profanos ab templorum aditu arcebant. Neque ex inferiori plebe unus erat qui cum ipsis familiaritatem consuetudinemque vellet inire. Vide Herodotum lib. II cap. 47.

[p] Vitiosæ editiones habent: *Pascua luculenta;* ex castigationibus Meursii cap. 11, pag. 130, mendum expunximus.

[q] Porcorum, quibus alendis insudabat, convivam esse nequiverat.

[r] Sic restituimus ex edit. Bonon., Mitæ, et Castilli. Aliæ: *Qui porcorum deficit.*

Miser, qui [a] squallentis cibi cupit, nec [b] impetrat qualitatem! His edocti, instructi talibus, maneamus in domo patris, [c] matris in gremio perduremus, cognatorum constringamur amplexibus, viscera nos paterna constringant, ne nos ad supradicta mala pertrahat adolescentiæ miseranda libertas. Sepiat nos paterna reverentia, matris componat affectio, cognatorum custodiamur affectibus. Inter propinquorum [d] lumina non valent delicta versari. Propinquorum quot oculi, tot lucernæ. Dies est aspectus matris : sol, patris rutilat in vultu. Unde viventi inter tot [e] virtutum luces, criminum tenebræ propinquare non possunt. Sed mensa patris nos alit virtutis cibo, salutis epulo, deliciis honestatis et gloriæ. Et quia latius nos de hac parabola dicere cogit prolixa series lectionis, quis sit pater in donando facilis, facilior in recipiendo ; quis sit frater fratris tristissimus in salute ; quis sit adolescentior abscessu insipiens, sapientissimus in regressu, sequenti sermone [f] votis communibus inquiremus.

SERMO II.

De eisdem, ubi de reditu filii ad patrem.

Luxuriosum filium, filium patris piissimi desertorem, quæ perculerint mala in tantum, ut fame tabidum [g] porcorum se dederit servituti, superiore, quo valuimus, sermone perstrinximus. Nunc ejus reditum, nunc ejus pœnitentiam, meliore jam voto, verbis lætioribus prosequamur. *In se*, inquit, *reversus dixit :* [h] *Quanti mercenarii patris mei abundant panibus* (*Luc.* 15, 17), etc. [i] In se reversus est, [j] in se ante redit, ut rediret ad patrem, qui a se ante recesserat, cum recessit a patre. A se migrat, et ab homine totus transit in bestiam, paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus. *Quanti mercenarii patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.* Fames revocat [k] quem saturitas exsularat ; fames illi [l] patrem dedit sapere, cui copia tulerat sentire genitorem. Et si tantum præstitit vel invita fames, probate quid voluntarium possit conferre jejunium. Oneratus venter ad vitia cor deponit, premit mentem, ne supernam valeat sentire pietatem. *Corpus*, inquit, *quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 5). Unde et Dominus : *Attendite ne graventur corda vestra crapula et ebrietate* (*Luc.* XXI, 34). Vacuandus est ergo venter moderatione jejunii, ut exoneratus animus possit ad alta pertendere, conscendere ad virtutes, possit ad ipsum pietatis auctorem totus aliger pervolare. Hoc Elias probat, qui Dominici continuatione jejunii defæcatus a carnali pondere, mortis victor [m] evolavit ad cœlum (III *Reg.* XIX, 8 ; IV *Reg.* II, 11). *Surgam, et ibo ad patrem meum.* Jacebat qui dixit, surgam : intellexit lapsum, sensit ruinam, jacere se turpis luxuriæ respexit in lubrico, et ideo exclamat : *Surgam, et ibo ad patrem meum.* Qua spe? qua fiducia? [n] qua confidentia? Qua spe? Illa qua pater est. Ego perdidi quod erat filii ; ille [o] quod patris est non amisit. Apud patrem non intercedit extraneus, intus est in patris pectore ipse qui intervenit et exorat affectus. Urgentur patris viscera iterum filium genitura per veniam. Ibo ad patrem reus : sed pater viso filio cooperit mox reatum : dissimulat judicem, qui magis vult implere genitorem ; et sententiam cito vertit in veniam, qui redire cupit filium, non perire. *Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam illi : Pater, peccavi in cœlum et coram te.* Confessio patrem pandit, genitorem loquitur pœnitudo. *Peccavi in cœlum et coram te.* [p] Cui peccatur in cœlo, non terrenus pater

[a] Scilicet immundi, explicet Mita. Textus : *Et cupiebat implere ventrem suum ἀπὸ τῶν κεράτιων, de siliquis.* Victus hic pecudum potius quam hominum. Ex iis enim arboribus sumitur quæ *siliquiferæ* dicuntur. Alii nomine siliquarum intelligunt arbores nonnullas quas Græci vocant *καρρούβα*, neque aliter Galli, Hispani atque Itali. Et proprie siliqua vagina est vel integumentum in quo legumina crescunt. *Ceratia* autem videntur esse siliquæ silvaticæ, quarum proventus plurimus in Judæa et Syria. Erat et apud Syros quoddam siliquarum genus ex quibus vinum eliciebant, teste Plinio lib. IV, de Vinis loquente.

[b] Causam cur Prodigo defecerint siliquæ, quibus porci saturabantur, inquirit Maldonatus in Lucæ cap. XV, num. 16.

[c] Pro matre, catholicam hic figurari a Chrysologo Ecclesiam, nemo est qui non videat.

[d] Nonnullæ editiones, *limina* ; ms. Cæs., *lumina*. Facilis amanuensium lapsus.

[e] Omnes codices mss. et excusi habent *duces*. Mihi, etsi audacter feci, arrisit correctio Castilli. Etenim post lumina, *lucernas*, *diem*, *et solem*, cur non *luces*, sed *duces* subsequi debent? Ulterius, *tenebræ* non *duci*, sed *luci* opponuntur. Mirum autem quantum contrariis contraria connectere studeat Chrysologus.

[f] Id est precibus communibus, explicat Barthius Adversar. lib. VI cap. 18 pag. 287, ubi hunc locum laudat. Et lib. VIII cap. 21 observat spondaicum hexametrum his verbis contineri : quod et apud Chrysostomum, Hyginum, Hilarium, aliosque sæpius occurrere dicit. Sed qua utilitate advertat hæc vir doctus, nescio. *Votis* pro precibus utitur Paolinus Nolanus :

Nunc juvat ore modis, et carmina solvere votis.

[g] Sic ex ms. Vallicellano, et Latinio. In editis deest particula *se*.

[h] Chrysologus, cum Ambrosio et Beda consentiunt Græcis, qui non habent *in domo*.

[i] Ambrosius hic : *Etenim qui ad Dominum regreditur, se sibi reddit ; et qui recedit a Christo, se sibi abdicat.*

[j] Locum Evangelii legit etiam Montanus *cum rediisset*. Latinis etiam dicitur ad se redire eum qui ad meliorem frugem revertitur. Græcus habet *εἰς ἑαυτὸν ἐλθών*, *in seipsum veniens*. Vide Euthymium, et Theophylactum hic Luc. XV.

[k] Meursius Exercit. cap. 2 pag. 130 reponit *expulerat*. Veretur autem barbaro illo tempore vocem hanc activam significationem habuisse. Quod ostendunt Glossæ Isidori.

[l] Ita ms. Cæsenæ et Urbini, et editio Coloniensis, et Bononiensis I. Aliæ editiones, *Parte dedit sapere*. Græcum illud, Πολλῶν δ' ὀγμὸς γίνεται διδάσκαλος, *fames docere multa mortales solet*.

[m] Ambrosius lib. de Elia et Jejun. pag. 31, 312 : *Jejunus curru raptus est ad cœlum, hoc gradu Elias ascendit.*

[n] Sic ex ms. Vallicel. et editione Colon. Mita habet, *qua conscientia*. Ms. Cæsenæ, *qua constantia*.

[o] Paschasius Rathbertus lib. III et V in Matth. : *Si ego peccavi, et non sum dignus vocari filius, tu numquam patrem fore desiisti.*

[p] Pro *cœlo* non semel in sacris litteris intelligitur

est, sed et cœlestis, ideo adjecit : *Coram te.* Cui in cœlo, et in terra, [a] ante oculos sunt omnia quæ geruntur. *Peccavi in cœlum et coram te, et jam non sum dignus vocari filius tuus.* Peregre profectus est iste, et in regionem longinquam fugit, sed accusatores suos, sed testes suos, divini patris oculos non refugit. Hoc David clarius aperit, sic dicendo : *Quo ibo a spiritu tuo? et a facie tua quo fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero infernum, ades; Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in postremo maris. Etenim illuc deducet me manus tua, et tenebit me dextera tua* (*Psal.* CXXXVIII, 7-10). Videt iste per totum mundum nuda Dei oculis delicta consistere : non cœlum, non terram, non maria, non abyssum, non ipsam noctem, Deo [b] velare posse peccata. Sentit quantum sit sceleris, mali quantum, in ipso Dei [c] peccare conspectu, et ideo clamat : *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci* (*Psal.* L, 6). Unde et iste adolescentior similiter vociferatur, et clamat : *Peccavi in cœlum et coram te, et jam non sum dignus vocari filius tuus.* Non dicit : Non sum dignus esse filius tuus, sed non sum dignus vocari filius tuus; quia vocari ad gratiam pertinet, esse ad naturam. Audi Apostolum dicentem : *Ab eo qui vos vocavit in gratiam suam* (*Galat.* I). Hic ergo adolescentior, quia [d] perdiderat quod erat naturæ, judicat se quod est gratiæ non mereri. *Fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Ecce potestatis suæ filius quo devenit? voluptas luxuriæ, adolescentiæ libertas, ecce filium quo promovit? *Fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Ut locatione annua servitus innovetur, ut labore jugi conditio conducta deteratur, ut die toto in opere suspiret miseræ verna mercedis, ut sit semper venditor sui, nec umquam negare suam valeat servitutem. Et hoc petit, quia qui penes extraneum servam reliquerat libertatem, penes patrem credit sibi [e] futuram liberam servitutem. Jam nunc, [f] fratres, vellem lectionis hujus aperire mysterium, si non me revocaret istius utilitatis intentio : quia vos video non quasi nostra audire debito cum dolore, sed quasi extranea intellectu transvolare festino. Nostra, nostra, et omnibus profutura nobis semper loquitur Christus; et ob corrigendos nos mystica frequentat exempla Dominus, qui pater suorum voluit esse servorum, qui magis amari voluit quam timeri, qui panem vitæ se dedit ipsum, qui sanguinem suum in poculum salutis effudit. Præteritis comparationibus præsentes corrigit et futuros, ne bonum patrem, ne genitorem pium deserentes, ad mundi longinqua et nimis peregrina tendamus, ibique vivendo luxuriose substantiam totam salutis dissipemus et vitæ; omnibusque consumptis famem spei gravissimam perferamus, et sic nos primario regionis illius, hoc est, [g] desperationis auctori diabolo jam tradamur : et ille nos mittat in villam suam, hoc est, ad hujus sæculi illecebrosas convalles; mittat ad pascendos porcos, eos videlicet qui proni semper in terram vivunt ventri, et æstus carnis in volutabro luti temperant, in cœno premunt, refrigerant in gurgite vitiorum. Quod autem mercenarios suos mittat ad porcos, facit hoc insatiata crudelitas, quæ contenta non est homines criminosos fieri, nisi eos vitiorum duces, criminum faciat et magistros. Cum eos tales fecerit, non sinit eos ex ipso porcorum cibo pastuque saturari : ut esurientes vitia plus delinquant, luxuriosos satietas capere non potest, voluptas nescit expleri. Unde nos cum bono patre simus, permaneamus apud genitorem pium, ut et diaboli laqueos possimus evitare, et bonis patris jugiter perfruamur. Profunda post scrutabimur, quia [h] communioni et moribus plus debemus.

SERMO III.

De eisdem, ubi de occursu patris ad filium.

Filii luxuriosi abscessum, regressum, culpam, pœ-

Deus; ac si diceret : Peccavi in Deum; eam scilicet potestatem, quæ in cœlo maxime elucet, ut Daniel. IV, 28; I Macch. III, 18; Matth. XXI, 25; Lucæ XX, 4. In apocryphis etiam vet. Test. manifeste apparent hujus significationis exempla. Vide Vorstium Philolog. Sac. cap. 5 pag. 72, 73, et Seldenum Syntag. de Diis Syriis II cap. 18. At ex verbis quæ attulimus, ut bene notat Castillo, clarissime elucet Chrysologi mentem esse ab evangelista non *Deum* pro *cælo* intelligi; sed vel Dei solium, et sedem, vel justorum cœtum et unionem. Luculentissime assentit Hilarius enarrat. in psal. CXVIII. Longiusculus locus notæ fines excederet. Consule etiam Chrysostomum, homil. de patre et duobus filiis, si genuinus fetus est, tom. II pag. 1167 edit. Parisiens. 1581.

[a] Hilarius tom. I pag. 628 recent. edit. : Non longe abest qui per naturæ suæ virtutem et ipse ubique, et semper est; et totus semper et ubique est.

[b] Prudentius hymno matutino :

Speculator astat desuper
Qui nos diebus omnibus,
Actusque nostros prospicit
A luce prima in vesperum.
Hic testis, hic est arbiter,
Hic intuetur quidquid est;
Humana quod mens concipit,
Hunc nemo fallit judicem.

[c] *Coram te,* ait evangelista. *Te teste, te judice,* explicat Brugensis.

[d] Sed si nullum est adeo magnum vitium, Augustini sensu, quod possit delere extrema naturæ vestigia, quare hic ita? Quia perdiderat quæ sibi ex ipsamet prolis natura competebant, vel honorem, vel gloriam sobolis. Vide infra serm. 5. MITA.

[e] Vide Augustinum tom. II, ep. 120, cap. 2. Et in psal. XCIX, in principio : *Libera servitus est apud Dominum. Libera servitus ubi non necessitas, sed charitas servit.*

[f] Sic se olim Christiani mutuo appellabant. Lactantius lib. V cap. 16 : *Nec alia causa est cur nobis invicem fratrum nomen impertiamur, nisi quia pares nos esse credimus.* Hieronymus contra Elvidium cap. 8 : *Omnes Christiani fratres vocantur, quia in communi omnes homines ex uno patre nati, pari inter nos germanitate conjungimur.* Vide Justinum Apolog. ad Antoninum pag. 161; Asterium Amaseæ episcopum apud Photium cod. 271, Athenagoram in Apolog.; Tertull. Apol. cap. 39, ibique plura Herald. et Minutium Felicem in Octavio pag. 336.

[g] In divite illo cui adhæserat Prodigus diabolum agnoscunt cum Chrysologo August. lib. II Quæst. Evang. quæst. 33; Bonavent. ad caput XV Lucæ, et alii plures.

[h] Id est reciprocæ nostræ unitati fidelium, et societati nostræ.

nitentiam percucurrimus hactenus sermone geminato: occursum modo patris, bonitatem patris, patris ineffabilem misericordiam prosequamur. *Surgens*, inquit, *venit ad patrem suum; cum autem esset longe, vidit illum pater suus, et misericordia motus est, et accurrit, et cecidit super collum ejus, et osculatus est illum. Surgens, venit ad patrem suum* (*Luc.* xv, 20). Surrexit iste mentis et corporis de ruina: surrexit de profundo inferni, cœli alta contingens: apud cœlestem patrem filius surgit [a] plus de venia, quam corruit de reatu. *Surgens*, *venit ad patrem suum.* Venit non gressu pedum, sed mentis incessu: longinquus terreni itineris non indiguit, quia compendia viæ salutaris invenit. Divinum patrem nescit viarum cursu quærere, qui fide quærens, mox sibi illum invenit esse præsentem. *Surgens, venit ad patrem: cum autem esset longe.* Quomodo longe est is qui venit? quia [b] nondum pervenit. Iste qui venit, venit ad pœnitentiam, sed nondum pervenit ad gratiam; venit ad domum patris, sed nondum pervenit ad gloriam pristini, vel habitus, vel honoris. *Cum autem esset longe*, *vidit illum pater suus.* Vidit Pater ille *qui in altis habitat, et humilia respicit, et alta a longe agnoscit* (*Psal.* cxii, 5, 6). *Vidit illum pater suus.* Pater vidit illum, ut et ille patrem posset attendere; patris visus illustravit filii venientis aspectum, ut tota fugaretur obscuritas quæ circumfusa fuerat de reatu. Non sunt tales tenebræ noctis quales illæ sunt quæ de confusione veniunt peccatorum. Audi prophetam dicentem: *Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui videre* (*Psal.* xxxix, 13). Et alibi: *Iniquitates meæ gravatæ sunt super me* (*Psal.* xxxvii, 5). Et post: *Et lumen oculorum meorum non est mecum* (*Ibid.*, 11). Nox sepelit hesternum lumen; peccata sensum; animum membra confundunt. Nisi ergo cœlestis pater redeuntis filii radiasset in vultu, et totam confusionis caliginem respectus sui lumine sustulisset, numquam divini vultus vidisset iste filius claritatem. *Vidit eum de longe, et misericordia motus est.* Movetur misericordia, qui loco non potest dimoveri; accurrit, non progressu corporis, sed pietatis affectu. *Cecidit super collum ejus.* Non lapsu viscerum, sed compassionis. *Cecidit super collum ejus*, ut erigeret [c] sic jacentem. *Cecidit super collum ejus*, ut amoris onere, [d] onus tolleret peccatorum. *Venite ad me*, inquit, *omnes qui laboratis et onerati estis. Tollite onus meum super vos, quia leve est* (*Matth.* xi, 28, 29, 30). Videtis quia filius juvatur istius patris onere, non gravatur. *Cecidit super collum ejus, et osculatus est eum.* Sic pater judicat, sic emendat, sic peccanti filio dat oscula, non flagella. Delicta non videt vis amoris, et ideo pater peccata filii redemit osculo, [e] clausit amplexu, ne nudaret pater filii crimina, pater filium ne fœdaret. Pater sic curat filii vulnera, ne filio cicatricem, nævum filio ne relinquat. *Beati*, inquit, *quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* xxxi, 1). Si adolescentis hujus factum displicet, horret abscessus: nos a tali patre nullatenus discedamus. Aspectus patris fugat crimina: expellit noxam: cunctam nequitiam et [f] tentamenta propellit. [g] Certe si abscessimus: si substantiam patris totam luxuriose dispersimus nos vivendo: si quidquid usquam commisimus facinoris et delicti, si ad impietatis præruptum totum, totam venimus ad ruinam, surgamus aliquando, et ad talem patrem, tali invitati redeamus exemplo. *Cum autem videret eum, misericordia motus est, et accurrit, et cecidit super collum ejus, et osculatus est illum.* Rogo quis hic desperationis locus? Quæ hic excusationis occasio? hic simulatio quæ timoris? Nisi forte timetur occursus: terret osculum: turbat amplexus, et capere ad vindictam, non recipere ad veniam pater creditur, cum filium [h] trahit manibus, claudit gremio, ligat lacertis. Sed hanc cogitationem debellatricem vitæ, salutis inimicam expugnant nimis, nimis auferunt quæ sequuntur: *Dixit autem pater ad servos suos, cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum aureum in manus ejus, et calceamenta in pedibus ejus, et adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus, et epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, et revixit: perierat, et inventus est.* His auditis, adhuc moramur; adhuc non redimus ad patrem? *Cito proferte stolam primam, et induite illum.* [i] Sustinuit filii crimina, qui non sustinuit nuditatem: hinc illius collo imponit. Quo onere non gravatur filius, sed juvatur. Mita.

[a] Quia in reformatione per pœnitentiam solet altius gratia resurgere. Vide Bernardum serm. 16 in Cantic.; Leonem M. serm. 12 de Pass. Domini, ex Apostolo dicente ad Rom. v: *Ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia*, inferentem: *Validius donum factum esse libertatis quam debitum servitutis.* Propterea dat illis stolam primam, hoc est pretiosiorem ea quam ante ipsum crimen induerat, ut innuit Maldonatus hic n. 22, ex Mita. Vide Guarricum serm. 2 Quadrag. de Filio Prodigo; Leonem M. serm. 12 de Passione sub initium; Tertullianum lib. de Resurrect. cap. 37.

[b] Lucas Brugensis hic: *Longe erat a patre, quia nondum conceptam animo pœnitentiam opere perfecerat.*

[c] Ambrosius hic: *Quasi quodam patris amoris affectu supra collum cadit, ut jacentem erigat.*

[d] Peccatum est onus grave, ut in psal. xxxviii, 5; sed amor patris cœlestis super hujusmodi onus cadens, illud e collo filii levat; et jugum suave, quod Ambrosii sensu est jugum Evangelii, vel sensu Chrysostomi amor ipsius Dei, et observatio mandatorum

[e] Scilicet *abscondit*. Quandoque autem, ut advertit Castillo, *claudere* idem est ac *abigere*, *repellere*. Nonius lib. x:

Ecce maris magno clausit nos obice pontus.

[f] Id est diaboli technas; Gregorius lib. iv in lib. I Regum cap. ix: *Valde laboriosum est omnia tentamenta vincere.*

[g] Similia habet Ephrem Syrus tom. I, lamentatione, seu precatione 5 ad animam negligentem. Mirum quam bene, quam pie!

[h] Alias, *tradit manibus.*

[i] Locum in aliis editionibus depravatum restituimus ex editione Bononiensi. Nuditas confusionem parit; Deus autem non sustinet confusionem peccatoris ad se redeuntis. Vel nuditas est carentia virtutum, quam in pœnitente non tolerat Deus; vel est confusio apud homines ex peccatis commissis, quam

est quod a servis ante vestiri voluit filium, quam videri : ut soli patri nota esset nuditas : quia pater solus videre filii non poterat nuditatem. *Cito proferte stolam primam.* Pater hic qui [a] in secundis esse non passus est peccatorem, plus de venia quam de justitia gaudium vult habere. *Cito proferte stolam primam.* Non dixit, unde venis? fuisti ubi? ubi sunt quæ tulisti? quare tantam gloriam tanta turpitudine commutasti? sed : *Cito proferte stolam primam, et induite illum.* Videtis quia delicta [b] non videt vis amoris. Tardam misericordiam pater nescit. Delicta qui discutit, prodit. *Et date annulum in manu ejus.* Paterna pietas contenta non est innocentiam reparare solam, nisi pristinum [c] restituat et honorem. *Et date calceamenta in pedibus ejus.* Quam pauper rediit qui ditatus abscesserat, et de tota substantia calceamenta in pedibus non reportat. *Date calceamenta in pedibus ejus.* Ne vel in pede remaneret [d] deformitas nuditatis; certe ut calceatus anterioris vitæ rediret ad cursum. *Et adducite vitulum saginatum.* Communis vitulus non sufficit, nisi fuerit pinguis, nisi [e] fuerit saginatus; vitulus pinguis testatur paternæ pinguedinem charitatis. *Et adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus, et epulemur : quia hic filius meus mortuus fuerat, et revixit; perierat, et inventus est.* [f] Historiam loquimur adhuc, et jam cogitamus arcanum nudare mysterium. [g] Mortuus filius, vituli suscitatur ex morte, et unus vitulus totius familiæ [h] funditur in peccator in extremo die minime incurret, si peccata sua sacerdoti pandat. Ex Mita.

[a] Mita explicat : Vel quia peccatorem ad se conversum Deus vult in primo numero suorum amicorum; vel quia non patitur esse in secundis peccatoribus, qui per mortem æternam damnantur. Utrumvis elige. Ego ex genio Chrysologi interpretarem : Non passus est peccatorem esse in secundis, id est, in inferioribus vestibus, quas familiari sibi contrapositorum usu vocat secundas, et prima stola voluit amiciri. Potuit et ad illud Latinorum respicere : *In primis amicorum esse*, ut et Mita fortasse opinatus est.

[b] Ms. Cæsenæ habet, *jus amoris*. Stola vestis erat oblonga ad talos usque demissa, cæteris nobilior, sine qua in publicum prodire ingenuo indignum. Articulus τὴν ante στολὴν ostendit non de quavis stola loqui in Evangelio, sed de *certa*, uti paulo post τὸν μόσχον de certo vitulo, ut advertit Cajetanus. Stola ergo videtur Chrysologo significare divinæ indulgentiæ beneficium, vel gratiam, quam Prodigus peccando exuerat. Vide Euthymium cap. 57 in cap. xv Lucæ.

[c] Prodigum per annuli traditionem in honorem restitui asserit Auctor. Apud Hebræos enim et Romanos libertatis et ingenuitatis erat insigne. Jacob. II, 2 : *Si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida*, etc. Antiquissimus apud Hebræos annulorum usus, vel in fidei, vel auctoritatis, vel grati animi signum. Genes. XXVIII, 18, XLI, 42; Num. XXXI, 50. Mystice hic Dei in anima per gratiam inhabitantis arrha et pignus.

[d] Calceus enim, inquit hic Lucas Brugensis, habitus est et ornamentum hominis tenere et ingenue educati. Et fortasse ob hoc Christus in Evang. Matth. x, 10, calceorum usum prohibuit apostolis, non sandaliorum, vel solearum. Quæstionem agitat Suicerus in Thesauro tom. II, pag. 1387. Nonnullæ editiones habent *calciamenta*. *Calciari* et *calciare* in Plinio juniore et Suetonio observavit Vossius de Vitiis Serm. lib. VII.

A saginam. Sed differendum est, ut senioris dolorem vetustum, vetustiorem fratris invidiam prosequamur.

SERMO IV.

De eisdem, ubi de livore senioris filii in prodigum redeuntem.

De junioris filii reditu et salute gaudentes, senioris flebiliter pandimus, et dolemus invidiam, qui summum [i] frugalitatis bonum extremo zeli malo perdidit et livoris. *Erat*, inquit, *filius ejus senior in agro, et cum veniret, et appropinquaret domui, audivit symphoniam et choros, et vocavit unum de servis, et interrogavit quæ hæc essent. Isque respondit : Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit. Indignatus est autem, et nolebat* B *introire. Erat*, inquit, *filius ejus senior in agro.* Erat in agro terram percolens, se desertans, duritiam solvit cespitis, cordis perdurat affectum, sentes eradicat et gramina, stimulos invidiæ non evellit. Sic in segete cupiditatis fructum zeli colligit et livoris. Et *cum veniret*, inquit, *et appropinquaret domui, audivit symphoniam et choros.* Invidum fugat symphonia pietatis, chorus charitatis excludit, et quem venire ad fratrem, et appropinquare domui, vocat ratio naturæ, hunc pervenire zelus non sinit, livor non patitur introire. [j] Invidia malum vetustum, prima labes, antiquum virus, sæculorum venenum, causa funeris. Hæc in principio ipsum angelum ejecit, et [k] dejecit

[c] Vituli et boves in conviviorum solemniorum et sacrificiorum usum alebantur. Quos Græci inter cibos πολυτελεστάτους referebant.

C [f] Vocat hic Chrysologus parabolam evangelicam. Historia enim vocatur quælibet rerum explanatio et declaratio.

[g] Aiebat Philo impios etiam ad extremum viventes senium mortuos esse. Ad rem Drusius laudat Hebræorum adagium : *Improbi dum vivunt, mortui sunt.*

[h] His verbis nullus dubitat sanctissimum Jesu Christi corpus in Eucharistia fidelibus propinatum significari. Vide Euthymium cap. 57 in Lucam.

[i] Chrysostomus, tom. II, hom. 16, pag. 1074 edit. Paris. : *Luxuriæ est adversa frugalitas.*

[j] Virgilius II Æneid. :

Hinc mihi prima mali labes.

D *Invidus* (ait Basilius tom. II, hom. de Invidia pag. 92, recent. edit., ubi plura alia congerit) *morbum intus detinet absumentem viscera atque irrodentem.* Consule Chrysostomum hom. 40 in Matth. pag. 269, et hom. 37 in Joan. pag. 751, et alibi pluries. Gregor. Nazianz. orat. 28, pag. 466 edit. Paris. 1630. Gregor. Nyssen. tom. I, pag. 242 edit. Paris. 1622.

[k] Diaboli lapsum alii quoque ad invidiam referunt. Vide Rufinum Palæstinum apud Sirmondum tom. I, pag. 169, num. 22 : *Unde ille, quem divina Scriptura diabolum nominare consuevit, et ejus pariter qui dicuntur angeli cum primis hominibus inviderent, Adam dico, et Evæ, a beata vita quam primum possederant, seipsos alienarunt.* Mire consonat Cyprianus in lib. de Zelo et Livore : *Hinc diabolus inter initia statim mundi, et periit primus et perdidit. Ille dudum angelica majestate subnixus; ille Deo acceptus et charus, postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum malevolum livore prorupit. Non prius alterum dejiciens instinctu zeli, quam ipse antea dejectus; captivus antequam capiens : perditus antequam perdens, dum stimulante livore gratiam datæ immortalitatis eripit; ipse quoque* (sic legit Sirmondus, rejecta Pamelii

de cœlo. [a] Hæc de paradiso hominem principem nostræ generationis exclusit. Ipsa hunc seniorem fratrem paterna seclusit e domo. Hæc [b] Abrahæ progeniem, populum sanctitatis, ad auctoris suæ cædem, ad mortem sui Salvatoris armavit. Invidia intestinus hostis, non carnis quatit muros, non elidit septa membrorum, sed in ipsam cordis arietat arcem, et antequam viscera sentiant, ipsam dominam corporis animam prædo capit, et adducit inclusam. Si ergo volumus cœlestem mereri gloriam, si paradisi beatitudinem possidere, si æterni Patris inhabitare domum, si volumus rei cœlestis parricidii non teneri, pervigili fide, luce spiritus [c] tetras invidiæ pellamus, et excludamus insidias, invidiam totis armorum cœlestium viribus comprimamus : quia sicut nos [d] Deo jungit charitas, a Deo invidia sic sejungit. *Pater ergo illius egressus cœpit rogare ipsum.* Cor patris anxium variis arctatur motibus filiorum, et inter diversos pignorum casus, genitoris pietas stupefacta discurrit; quia videt fratrem fratris reditu mox fugari, et salute alterius sibi alterum mox perire; ac mœrorem longum brevi gaudio pensatum invidiæ livore turbari. O zeli tumor, duos non capit domus ampla germanos ! Et quid mirum, fratres ? Fecit invidia, fecit ut mundi tota duobus esset [e] angusta fratribus latitudo, [f] namque ipsa Cain junioris [g] erexit in mortem (*Genes.* IV), ut esse solum zeli livor faceret, quem primum fecerat lex naturæ. *At ille respondens, dixit patri suo : Pater, ecce tot annis servio tibi.* Sic sapit qui patris audet [h] judicare pietatem. *Ecce tot annis servio tibi.* En patri filius nascendi beneficia, qua servitute compensat. *Numquam mandatum tuum præterivi.* Hoc tibi non tua innocentia, sed patris venia dedit, quia multa charitate delicta filii maluit tegere quam nudare. *Et numquam mihi dedisti hædum, ut cum amicis meis epularer.* Fratri invidus animus gratus esse non potest patri; et paternæ largitatis memor non est, qui est fraternæ immemor charitatis. Hœdum sibi datum negat, qui substantiæ partem totam tempore divisionis accepit. Tunc enim cum frater junior dari sibi substantiæ portionem, pater ambobus totum fratribus mox divisit, evangelista dicente, *Et divisit illis substantiam.* Sed invidus simulat semper : mentitur invidus semper. *Et numquam mihi dedisti hædum, ut cum amicis meis epularer.* Amicos paternos suos esse non computat : hos non amicos, sed extraneos credit a quibus vidit in patris gratiam se amari. *Sed posteaquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti vitulum saginatum.* Hic rediisse fratrem dolet, non dolet [i] periisse substantiam; nec damni causa quæritur, sed livoris : qui fratrem redeuntem de suo decorare debuit, non debuit de perdito sic fœdare. In filio est substantia patris tota ; et ideo nil pater perdidit, filium cum recepit. Frater credidit damnum, qui rediisse conspicit cohæredem. Et quando invidus non avarus, quando quidquid habet alter [j] se computat perdidisse ? *At ipse dixit illi, Fili : tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt ; epulari autem, et gaudere oportebat quia frater tuus hic mortuus fuerat, et revixit ; perierat, et inventus est.* O quid facit vis amoris ! quamvis malo filio non esse nescit, non esse non potest pater ; videt filium degenerasse animo ; videt paternæ pietatis, paterni generis nil habere, et tamen nuncupat filium ; suadet effectum ; ad gratiam vel spem revocat largitatis, dicendo : *Tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt.* Hoc est dicere : Patere filium rediisse patri, permitte patri filium suscepisse ; nec ille aliud quam patrem quæsivit, qui veniens non filii, sed loco mercenarii voluit collocari, dicens : *Pater, peccavi in cœlum et coram te ; ei jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Sint tibi omnia, illi sufficit pater ; et ne quid tibi de præsentibus, de veteribus existimes imminutum, illi nova et futura perquiram. Certe si consilium patris sequeris et præceptum, participa præsentia cum fratre ; ut cum ipso tibi communia sint futura. Gaude ergo, et inventum gaude, ut ille te gaudeat non periisse. Sed jam sermonem historicum concludamus, ut postea quæ sunt mystica, quæ profunda, Christo revelante, pandamus.

emendatione) *id quod prius fuerat amisit.* Augustinus tom. IX, tract. 5 super Epist. Joan., Nazianzenus orat. 27, luculentissime Bernardus serm. 17 in Cantic.

[a] Lege infra Chrysologum serm. 26 et serm. 148, Chrysostomum hom. 53 in Joan. cap. 8 pag. 219 edit. Paris. : *Nam diabolus cum nullam haberet, præter invidiam, causam, Adam perdidit.* Nazianzenum orat. 27, Zenonem Veronensem serm. de Livore; Augustinum tom. VII, lib. IV, de Baptismo contra Donatistas, cap. 8.

[b] Vide Chrysologum infra serm. 172, cui assentitur Zeno Veron. serm. de Livore et Invidia pag. 307 edit. Veron., et evangelista scribens : *Sciebat enim* (Pilatus) *quod per invidiam tradidissent eum.*

[c] Corruptæ editiones habent *terras invidiæ.* Errorem expunxit Meursius cap. 2, pag. 130.

[d] Unde ab Cyrillo Alexandrino charitas dicitur θεοσύναχος, quæ Deo conjungit, qua voce carere Lexica ait Svicerus tom. I, pag. 1386. Verba Cyrilli orat. in Mysticam Cœnam : *Desideremus demissionem in sublimem efficientem charitatem, quæ nos Deo conjungit.*

[e] Zeno Veronen. serm. de Patientia. pag. 238, de Caino invido et Abele justo : *Miratur orbis vacuus se duobus angustum.*

[f] Basilius etiam loco superius laudato exemplum Cain profert in medium, eumque vocat *primum diaboli discipulum, edoctum ab ipso, et invidiam, et cædem,* Quo eodem nomine eum appellat Zeno Veron. loco superius laudato pag. 305.

[g] Similia habes apud Nazianzenum orat. 27, Cyprianum tom. II, lib. de Zelo, etc., Gregorium PP. part. III Pastor. cap. 2.

[h] Idem ac *condemnare pietatem,* uti usurpant verbum hoc veteres Latini.

[i] Vetablus per luxuriam, *celeriter absumptam.*

[j] Ambrosius, tom. I. lib. de Nabut., cap. 12 : *Pauperiorem se judicat, quia sibi deesse arbitratur quidquid ab aliis possidetur.*

SERMO V.

De eisdem, Judæum et Gentilem figurantibus.

Callidi debitoris est et inverecundi sæpe pacta non solvere, et patientissimum creditorem longa et artifici cavillatione protelare. De abscessu, de reditu luxuriosi filii, quintus est hic sermo nobis, qui historicum sensum, sicut promisimus, ad mysticam et singularem deitatis intelligentiam conabimur attollere. [b] Vos orate ut quia in tanto credito sum minus per me idoneus debitor, per Deum vobis idoneus solutor existam. *Homo quidam habuit*, inquit, *duos filios*. Posteaquam Christus nostræ carnis [c] suscepit onus, et Deus induit exuvias humanas, veraciter se Deus hominem vocat; Dominus patrem vere se duorum nuncupat filiorum, quia humanitati permixta deitas, deitati consociata pietas, [d] miscuit hominem et Deum; quæ Dominum univit in patrem. Hic ergo homo, pater hic, duos filios habuit [e] conditoris beneficio, non necessitate generantis, duos filios habuit, quos non emeruit esse, sed jussit: quia Christus sic in oculis nostris fuit homo, ut Deus semper in majestatis suæ maneret arcano. *Duos filios habuit*. Duos scilicet populos, Judaicum Gentilemque; sed Judaicum seniorem prudentia legis fecit; Gentilem paganitatis stultitia reddidit juniorem. Quia sicut sapientia dat canos, ita quidquid viri est, tollit insipientia. Hunc ergo juniorem mores præstitere, [f] non ætas: seniorem illum non tempora fecerunt esse, sed sensus. *Et dixit*, inquit, *adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit*. Cognitorem pectoris, non voce petit iste, sed voto; quia a Deo bona malave reportat [g] propria voluntas in nobis. Denique iste cum patre possessor [h] totius sortis, [i] ad partem propria voluntate pervenit, dicendo: *Da mihi portionem substantiæ quæ me contingit*. Et quæ est ista portio? quæ est? Habitus, sermo, scientia, ratio, judicium, quæ hominem præ cæteris animantibus in terrena habitatione contingunt: hoc est, juxta Apostolum, lex naturæ. At ideo divisit illis substantiam, dando juniori quinque ista quæ diximus, beneficia naturæ; seniori quinque legis libros divinitus inscribendo: per quæ substantia impar merito, numero par esset; humanum teneret ista ordinem, divino illa subsisteret instituto; [j] utraque tamen lex filios utrosque [k] ad notitiam patris perduceret, ad reverentiam sui servaret auctoris. *Et non post multos dies*, inquit, *congregatis adolescentior omnibus, peregre profectus est in regionem longinquam; et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose*. Diximus juniorem non tempora fecisse, sed mores; et ideo dixit: *Non post multos dies*. Quia cum principio ipso mundi [l] festinavit Gentilitas ad idolorum patriam; ad longinquam diaboli regionem animo est peregrinata, non loco; [m] per elementa vanis est pervagata cogitationibus, [n] non est corporeis motibus jactata per terras: namque coram patre [o] sine patre erat; et cum in se esset, non erat secum. Hinc est quod luxuriosus per desiderium [p] secularis eloquentiæ, [q] per scholarum lupanaria, per trivia sectarum, dissipavit Dei Patris dementi disputatione substantiam. Et cum consumpsisset conjecturis quidquid erat sermonis, scientiæ, rationis, judicii, egestatem summam, famem magnam cognoscendæ veritatis miserrimus sustinebat: quia philosophia quærendæ divinitatis indixit laborem; veritatis inveniendæ fructum contulit nullum. Hinc est quod adhærebat primario regionis illius, a quo mittebatur in istud sæculum, hoc est in unam multarum superstitionum villam; ut pasceret porcos, id est dæmones, qui dicunt Domi-

[a] Callidum debitorem depingit Cassiodorus Variar. lib. v, epist. 34, pag. 84, recent. edit., eumque *Frontosum* dictum vocat, *sui nominis testem*. Frontosus enim Græce εὐμετώπος idem est ac facile mutabilis, inquit hic Castillo.

[b] Paulus ad Coloss. cap. 4, v. 3: *Orantes simul, et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis, ad loquendum mysterium Christi.*

[c] Plures editiones corrupte: *Suscepit oves.*

[d] Inproprie et latiori modo dicitur hic *mixtio*, unio duarum naturarum in Christo; nihilominus hac eadem voce utitur Iræneus apud Castillo: *Filius Dei, filius hominis factus est; mixtus homo Verbo Dei*. Concilium Chalcedonense anni 451, act. 5: *Confitemur in novissimis diebus filium Dei Unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum; numquam sublata differentia naturarum propter unionem.*

[e] Ita reddimus ex editione Lugdunensi. Fatemur autem cæteras fere omnes, ac ms. Vallicellanum retinere, *conditoris pontificio*. Hac voce *beneficio* hoc sensu, utitur Auctor infra serm. 113.

[f] Ex ms. Cæsenæ. Editi, *ætates*.

[g] Ita in editione prima Bonon. et in reliquis omnibus. Mita ex fide mss. reposuit, *prima voluntas*, hoc est, inquiens, voluntas, quæ prima in nobis est ante opus. Placuit planior sensus et obvius.

[h] Id est, facultatum ac hæreditatis. Isaiæ XVII, 6: *In partibus torrentis pars tua;* hoc est, sors tua.

[i] Ex ms. Vallicellano. Nonnullæ editiones, *ad patrem.*

[j] Intellige naturalis, et scripta. MITA.

[k] D. Ambrosius lib. III supra cap. V ad. Rom.: *Legis naturalis prima pars est, ut agnitus honoretur Creator.*

[l] Communior Patrum sententia, in hac evangelica parabola filium juniorem Gentiles significare, ut ait Chrysologus, et Hieronymus in epist. ad Damasum 146, Dionysius Areopagita epist. ad Demophilum monachum. Obstat tamen quod Gentiles numquam filii Dei fuerint, et consequenter numquam a Patre discesserint. Vellem legeres Iræneum lib. IV advers. Gentes, cap. 24, pag. 260, Tertullianum de Pudicit. cap. 8, pag. 1200 edit. Paris. 1684.

[m] Nonnullæ editiones corruptissime: *per clementiam*. Innuit Gentiles ex elementis numina confecisse. Theophylactus hic: *Filius junior, sive Gentilis, vidit cælum, et cælum fecit Deum; vidit terram, et coluit eam.* Vide librum Sapientiæ cap. 13.

[n] Ex fide mss. In editis nonnullis additur perperam particula *nec*.

[o] Augustinus in psalm. LXXXIV, tom. IV, pag. 675 edit. Antuerpiens.: *Non enim regionibus longe est quisque ab Deo, sed affectibus. Amas deum, prope es; odisti eum, longe es; loco stans, et prope es, et longe es.*

[p] Id est profanæ et mundanæ.

[q] Lupanaria scholarum dicit ob immoderatam et luxuriosam appetentiam scientiæ philosophicæ; cujus investigatio curiosa nimis tangitur ab divo Augustino tom. I. de vera Religione cap. 4 et 5. MITA. — Hieronymus tom. IV, pag. 829 edit. Paris. 1678, in Ezechiel. cap. XVI, v. 31: *In omnibus viarum principiis fabricat lupanar suum, qui ad perversitatem doctrinæ testimoniis male abutitur Scripturarum.*

no : *Si ejicis nos, mitte nos in porcos* (*Matth.* VIII, 31). Ut pasceret dæmones thure, victimis, sanguine, [a] falsarum responsionum mercedem pro tali labore relaturus. Occidebatur pecus ut quod vivum nil scierat, divinaret occisum ; et [b] loqueretur ex fibris mortuum, quod numquam fuerat ore prolocutum. Verum cum nil divinum, nil salutare profuturum, nil Gentilis inveniret in talibus, desperans de Deo, de providentia, de judicio, de futuris, ab schola ad ventris se deponebat [c] ingluviem, cupiens saturari [d] de siliquis quas porci manducabant. Hoc norunt Epicurei, qui cum Platonicas et Aristotelicas percurrerent scholas, nullamque illic aut divinitatis aut scientiæ invenirent disciplinam, [e] Epicuro se tradunt ultimo desperationis et voluptatis auctori. Et manducant siliquas, hoc est, voluptatibus corporis male dulcibus inhiant, et pascunt dæmones, qui semper corporum vitiis saginantur et sordibus : quia sicut Domino qui se jungit, *unus spiritus est* (I *Cor.* VI, 17), ita qui se jungit diabolo, est [f] dæmon unus. Sed hic junior quamvis cuperet, non tamen saturabat de siliquis istis ventrem suum. Quare ? quia nemo illi dabat. Diabolus quidem volebat per famem scientiæ, per voluptatum difficultatem, Gentilem reddere avidiorem ad illicita perquirenda, ad perpetranda delicta : sed Deus pater ideo permisit [g] esurire Gentilem, ut erroris occasio salutis fieret argumentum : [h] namque Judæum sic reliquit, ne perderet; et gentilem sustinere passus est famem, ut rediret. Redit autem ad patrem, et clamat : *Pater, peccavi in cœlum et coram te.* Rediisse juniorem ad domum patris, et clamare Deum patrem vox Ecclesiæ quotidiana testatur : quæ dicit : *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* VI, 9). *Peccavi in cœlum et coram te.* Peccavit in cœlum, dum in cœlo solem, lunam, sidera, [i] deos esse blasphemat, et hæc eadem profanat adorando. *Et jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Hoc est dicere quia non mereor jam filii gloriam, vel veniæ, consequar [j] pro mercenario labore mercedem. Et cui honor sobolis perit, saltem vitalis maneat in quotidiano pane substantia. Sed pater occurrit, et occurrit longe. *Cum adhuc impii essemus, Christus pro nobis mortuus est* (*Rom.* V, 8, 9). Occurrit pater, occurrit in filio, cum per ipsum de cœlo descendit, et pervenit ad terras. *Pater*, inquit, *qui me misit, mecum est* (*Joan.* VIII, 19). *Cecidit super collum ejus.* Cecidit, cum per Christum divinitas tota nostra [k] decumbit, et incumbit in carne. *Et osculatus est eum.* Quando ? quando *misericordia et veritas obviaverunt sibi : justitia et pax osculatæ sunt se* (*Psal.* LXXXIV, 11). *Dedit stolam primam.* Illam [l] quam Adam perdidit, immortalitatis gloriam sempiternam. *Posuit annulum in manu ejus.* Annulum honoris, [m] titulum libertatis, insigne pignus spiritus, signaculum fidei, arrham cœlestium nuptiarum : audi Apostolum : *Desponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (II *Cor.* XI, 2). *Et calceamenta in pedibus ejus.* Ut essent [n] calceati pedes in prædicatione Evangelii, *ut essent beati pedes evangelizantium pacem* (*Rom.* X, 15). *Et occidit ei vitulum saginatum.* Illud de quo David cantabat, *Et placebit Deo super vitulum novellum cornua producentem et ungulas* (*Psal.* LXVIII, 32). Occiditur patre vitulus sic jubente, quia Christus Deus Dei Filius occidi sine Patris voluntate non poterat : audi Apostolum, *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus nostris tradidit illum* (*Rom.* VIII, 31). [o] Hic est vitulus qui in epu-

[a] Dolosas augurum responsiones. Vide Minucium in Octavio, qui eis, æque ac hic noster, lepidissime irridet.

[b] Et hic quoque aruspicinam tangit, et modum ariolandi Gentilium.

[c] Ms. Vallicellanum, *ingluvium.*

[d] Anagogice *siliquas* pro voluptatibus mundique illecebris, usurpat etiam Eutymius cap. 57, ad cap. XV Lucæ.

[e] Epicurum fuisse desperationis auctorem, nulla alia ratione crediderim dictum, nisi quia dum deos otiosos facit, et nil nostra curantes, ad eorum patrocinium confugiendi omnem adimit spem vetus ille poeta :

Namque deos didici securum agere ævum :
Nec si quid miri faciat natura, deos id
Tristes ex alto cœli demittere tecto.

Sunt qui Epicurum defendere conati sunt, ac si ipse sub beatæ naturæ nomine, Deum primum Auctorem agnovisset. Vide Nicolaum Bandellum in libro Gallice scripto de Vita et Moribus Epicuri, Parisiis 1679, et auctiori editione Latine 1693. Sed obstat veterum consensus ; qui deos otiosos ab Epicuro fingi, et religionem omnem susque deque dari uno ore testantur. Minutius Felix pag. 179 edit. Lugdun. Batavor., Cicero lib. II de Divinat., et de Natura deor. lib. I, pag. 202, Theodor. orat. contra Græcos, pag. 57, Plutarchus de Placit. philos. pag. 877. Nec Gassendus dicam hanc ab eo avertere studuit ; nam dum Epicurum in multis laudat, dum Deum hominum curam gerere negat, acriter oppugnat. Vide Augustinum de Civ. variis in locis.

[f] Perbelle Cyrillus, quem laudat hic Castillo in illud Joan. cap. VI : *Unus ex vobis diabolus est, quia sicut qui adhæret Domino unus spiritus cum Domino fit; ita qui adhæret diaboto unus cum diabolo spiritus efficitur, et ipse quemadmodum diabolus est.*

[g] Ex editione Castilli et ms. Vallicellano. Aliæ editiones corrupte : *venire gentilem.*

[h] Aliæ editiones et Colon. et Bonon. Mitæ : *Namque diabolum sic reliquit ut perderet.* Restituimus ex recensione Castilli.

[i] Solem, lunam et sidera, quæ officiosa hominibus videbantur, dedisse gentilibus idololatriæ initia, tradunt quamplurimi, a quibus laudandis abstinemus. Vide Budæum tom. I pag. 135; Levitic. XVIII, 23; Deuteron. IV, 19.

[j] Verba illa Evangelii, *Fac me unum de mercenariis tuis*, exstant in plurimis codicibus Græcis et Latinis, licet in nonnullis desint.

[k] *Decumbit*, hoc est requiescit in nostra carne ; *incumbit*, hoc est, hæret hypostatice. MITA.

[l] Tertullianus lib. de Pudicit. cap. 9 pag. 1201, de Prodigo loquens : *Vestem pristinam recepit, statum scilicet eum quem Adam transgressus amiserat.*

[m] Servi qui e servitute exhibant, annulo donabantur.

[n] Id est, cooperti affectus temporales, inquit Mita. Pœnitentibus in gratiam receptis hoc Deus etiam concedit, ut et ipsi apti sint aliis docendis.

[o] Ennodius, Carm. lib. II num. 9, inter alia nomina Jesu Christo a veteribus attributa, et illud *Vituli* recenset :

Fons, Via, Dextra, Lapis, Vitulus, Leo, Lucifer, Agnus.

lum nostrum quotidie ac jugiter immolatur. Sed frater senior, sed [a] senior filius veniens ex agro, populus legalis, *messis quidem multa, operarii autem pauci* (*Luc.* x, 2) : audit in domo patris symphoniam, audit choros, et introire non vult (*Luc.* x). Hoc quotidie oculis nostris intuemur. Nam venit Judæus ad domum patris, id est, ad Ecclesiam ; stat foris per invidiam, audit Davidicam citharam personare, audit [b] ex concentu prophetico symphoniam, [c] ex populorum vario conventu choros audit, et introire non vult, per invidiam stans foris. Dum gentilem fratrem pristinis judicat et horret ex moribus, ipse paternis bonis se eximit, ipse se paternis excludit gaudiis. Quod autem dixit : *Ecce tot annis servio tibi, et numquam mandatum tuum præterivi, et numquam dedisti mihi hædum*, tacendum potius quam loquendum esse jam diximus, quia Judæus loquitur : et non facientis verba sunt, sed tumentis. Pater egreditur, et dicit filio, *Fili, tu semper mecum es.* Quomodo? per Abel, per Henoch, per Sem, per Noe, per Abraham, per Isaac, per Jacob, per Moysem, per omnes sanctos, per quos Judaica generatio in Evangelio lecta derivatur, cum dicit : *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob* (*Matth.* I, 2). *Et omnia mea tua sunt.* Quemadmodum? Quia tibi lex, tibi prophetia, tibi templum, tibi sacerdotium, tibi sacrificia, tibi regnum, tibi munera, tibi (quod est super omnia) natus est Christus. Sed quia tu per invidiam perdere vis fratrem, paternas epulas, patris gaudia dignus es non habere. [d] Angusto sermone res latissimas, non ut voluimus aperire potuimus; sed scientiæ vestræ intellectui vestro lata sunt quæ in sermone nostro videntur angusta. Non sit hæc ingrata, simplex et occulta collatio, quæ nos res mysticas et excelsas non narrare, non [e] declamare, sed aperire compulit et explanare.

Notat autem Mita Christum dici *Vitulum saginatum* « quia ex millibus electum virtutibus impinguatus est; vel quia opprobriis, et patientia saginatus. » Cui addi potest illud prophetæ : *Saturabitur opprobriis*; vel, ut ait Anastasius Sinaita in Hexamer. lib. I, *Quia crucis jugum erat tracturus.* Vide Cotelerium tom. I pag. 25 in notis.

[a] Judæus scilicet.

[b] Sic Montanus pro *symphonia*, ut habet Evangelium, vertit *concentum*. Syrus vocat : *Cantum multorum*. Utrique assentitur Chrysologus.

[c] Laicos etiam populumque in Ecclesia veteri Psalmos Davidicos cecinisse, eruitur ex Cæsareo Arelatensi apud Mabillonium, præfat. in Sæcul. I Benedict. num. 110. Id etiam a S. Germano Parisiorum episcopo provisum, testatur Fortunatus lib. II carm. 10 :

Pontificis monitu clerus, plebs, psallit, et infans.

[d] In nonnullis editis, *Augusto*.

[e] Ita reposuimus ex editione Mitæ et Castilli. Reliquæ omnes minus apte, *declarare*. Cæterum non male opinatur Mita sermonem hunc a Chrysologo habitum fuisse Neophytis, « et parum adhuc in Christiana Doctrina firmatis. »

[f] Sermo hic inscribitur in psalmum XCIX, qui etiam a Genebrardo dicitur : *Psalmus propheticus de gentium conversione;* super quem ita scribit Lorinus : *Chrysologus sermonem sextum insumit super præsentem psalmum, ut doceat quanta sit lætitia de conversione prodigi filii, qui typus erat omnium gentium.*

[f] SERMO VI.

De lætitia ob inductionem gentium ad fidem et gratiam.
In psalmum XCIX.

Quoniam redeunte filio juniore familia tota choros egit, cœlestem cecinit symphoniam, convenit et nos hodie psalmum sumere, dare tympanum, [g] ponere organum, [h] citharam tangere, et ad tantum Dei Patris gaudium [i] melodiam Davidicam personare. *Jubilate Deo*, inquit, *omnis terra* (*Psal.* XCIX, 1). Quid est, quod intelligentia hujus exsultationis inquirit? Quid est, quod post tanta deitatis, tam terribilia, tam mirifica præcepta terra nunc vocatur, et invitatur ad jubilum? *Jubilate*, inquit, *Deo, omnis terra.* [j] Quid aliud est, nisi quod posteaquam terribilis Deus mitissimi pastoris elegit officium, personam pastoris induit, ut vagos populos, palantes plebes, dispersas longe lateque gentes, velut errantes oves in unum pastor misericors congregaret, immo ut nationes feras, prædam mortis, carnis cibum, potum sanguinis, bestiarum furorem sitientes, ad usum lactis, ad cibum graminis, ad ovium totam duceret et redderet lenitatem? Terræ omni pastoralem mandat, et imperat disciplinam, dicendo, *Omnis terra, jubilate Deo.* Sicut militem [k] tuba terribilis producit ad bellum, sic oves ad pascua dulcedo jubilationis invitat. Bellandi ergo fremitum pastorali lenitate mitigare convenit, ut gentes tam mitis gratia salvaret, quas diu [l] peremerat feritas naturalis. Quod autem pastoris bonus esset reditus cum ad terras veniret Christus, clamavit ipse hodie : *Ego sum pastor bonus; pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis* (*Joan.* x, 11). Hinc est quod adjutores, quod socios ad curam totius orbis ipse magister inquirit, dicendo, *Jubilate Deo, omnis terra.* Hinc est quod oves suas Petro vice sua, ut pasceret, ad cœlum remeaturus, commendat. *Petre*, inquit, *amas me? Pasce oves meas.* Et ut tenuia redditus

[g] Tympana et organa primitus in Ecclesia Gallicana inducta fuisse, asserit Mabillonius præfat. ad Sæc. Bened. III. *Marianus Scoto*, scribit, *sub annum Domini* 757 *organum primum venisse in Franciam missum Pipino regi a Constantino imperatore ex Græcia.* Balæus item Angliæ episcopus tradit : *Vitellianum Patria Signinum, vel Campanum insignem musicum in templis circa annum Domini* 609 *cantus et organa adhibuisse.* Horum vetustior Chrysologus in Ravennati Ecclesia ea jam obtinuisse declarat. Immo antiquiora fuisse patet ex Prudentio, qui floruit circa annum Domini 380. Is meminit organi tantæ magnitudinis, ut hominem in eo delitescere nonnulli suspicati fuerint. Hæc similia habet Balduinus Aldhelmus Anglus lib. de Virginit. Claruit anno 709.

[h] De cithara antiquorum vide Isidorum in Originibus lib. III cap. 21.

[i] Consentit Chrysologus iis qui hujus psalmi auctorem, non Moysem, sed Davidem dicunt.

[j] Mendum in omnibus exemplaribus quæ nobis obvia sunt, ex ms. Cesenæ emendavit Castillo.

[k] Non levi typographorum errore legitur in editis *turba*.

[l] Alias, *vresserat*.

primordia non cogeret potestate, sed pietate portaret, repetit : *Petre, amas me? Pasce oves meas.* Commendat oves, ovium commendat germina, quia fecunditatem gregis sui pastor præscius noverat jam futuram. *Petre, amas me? Pasce oves meus* (*Joan.* XXI, 16, 17). Istis ovibus collega pastoris Petri Paulus pio pastu plena lactis ubera porrigebat, dicendo : *Lac vobis potum dedi, non escam* (I *Cor.* III). Sensit hoc Rex beatus; et ideo pro balatu clamat, *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit : [a] in loco viridi ibi me collocavit : super aquam refectionis educavit me* (*Psalm.* XXII, 1, 2). Post juges ergo bellorum gemitus, post tristem sanguinis vitam, evangelicæ pacis ad pascua jam redeunti versiculus, sequens lætitiam annuntiat servituti. Erat homo peccati servus, erat captivus mortis, erat mancipium dæmonum, erat [b] idolorum vernula, erat vitiorum verbero, erat criminum compeditus. Sic malis dominis talibus tantisque exhibebat homo malam et miseram servitutem. Quando homo non sub peccato tristis? Quando non sub morte lugens? Quando non sub dæmonibus pallens? Quando non sub idolis tremens? Quando non sub vitiis suspectus? Quando non sub criminibus desperatus? Et ideo homo dabat extrema suspiria, quando tales, tam crudeles dominos • jugiter sustinebat. Propheta ergo videns nos a talibus liberatos, et revocatos ad obsequium Creatoris, ad Patris gratiam, ad unius boni Domini liberam servitutem, merito exclamat : *Servite Domino in lætitia : intrate*, inquit, *in conspectu ejus in exsultatione.* Intrate non loco, sed corde. *Intrate in conspectu ejus in exsultatione.* Quia quos ejecerat reatus, quos expulerat conscientia, gratia reducit, intromittit innocentia : *Intrate in conspectu ejus in exsultatione.* Qui ingreditur in conspectu ejus in exsultatione, est a reatu liber, est de præmio persecurus. Tamen quid est quod hortatur? quod suadere nititur hic propheta? *Intrate in conspectu ejus in exsultatione.* Quis in conspectu Dei liber? divinis in oculis quis mentitur? Quis exsultans ante terrorem majestatis supernæ? Archangeli tremunt, pavent angeli, potestates metuunt, in faciem cœli proruunt seniores; elementa fugiunt, solvuntur saxa, montes defluunt, terra tremit, et homo terræ quam intrepidus intrabit? et adhuc consistit exsultans? unde est quod propheta hoc nos debere facere sic præsumit? unde est? Ex eo quod sequitur : *Scitote*, inquit, *quod Dominus ipse est Deus.* Quia Dominus ille Deus est, qui fuit in carne nostra pusillus; hinc est quod ille Dominus Deus est, qui fuit in cunabulis nostris capax; dulcis in gremio, mitis in habitu, in nostro contubernio blandus. Et ideo, *Intrate in conspectu ejus in exsultatione.* Quia totum pavorem divinitatis, totum metum judicis in habitum nostrum [d] abdidit, providenti locavit aspectu : ut ingressus non pœnas judicis metuat, sed parentis præsumat amplexum. Et quomodo non exultet qui genitorem reperit, quem timuerat cognitorem? *Intrate in conspectu ejus in exsultatione : scitote quod Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, et non ipsi nos.* Inanis est patris matrisque labor, nisi in germine affuerit opus et auctoritas Conditoris. *Manus tuæ*, inquit, *fecerunt me, et plasmaverunt me* (*Psal.* CXVIII, 37). Et alibi, *Tu formasti me, et posuisti super me manum tuam* (*Psal.* CXXXVIII, 5). Ergo quod nascimur, quod sumus, non debemus ipsi nobis, quia totum debemus Auctori. *Nos autem populi ejus, et oves pascuæ ejus.* Probatum est in proverbiis sæpissime quia cœlitus venerit pastor, qui errantes oves, et lethali gramine sauciatas superno jubilo vitalia revocaret ad pascua. *Intrate*, inquit, *portas ejus in confessione.* Sola est confessio, quæ nos fidei facit introire per januam. *Atria ejus in hymnis : confitemini illi, laudate nomen ejus.* Diximus, quod nobis esset jam positis intra domum patris assumenda cœlestium canticorum spiritualis symphonia, ut sit nobis [e] in ingressu confessio, sint in atriis hymni, sit laus in penetralibus, ubi tota Deitatis inhabitat plenitudo. *Confitemini illi, laudate nomen ejus. Confitemini illi, quia Deus est, laudate nomen ejus.* Per quod salvati sumus : in quo cœlestis, terrestris, infernaque genuflectit, et diligit Dominum Deum creatura. *Quia suavis est Dominus.* [f] Unde? quia *in æternum misericordia ejus.* Vere suavis est per misericordiam, per quam solam totius mundi amarissimam dignatus est auferre sententiam. Ecce [g] agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. *Et usque in sæculum sæculi veritas ejus.* Deus enim [h] salva

[a] Lorinus in expositione hujus psalmi laudat Chrysologum, qui legit *in loco viridi*, ad Hebraicum fontem respiciens. Unde etiam Apollinaris locum istum sic transtulit apud Castillo : *Bene quidem in viridi collocavit loco.*

[b] Familiaris vox Chrysologo, ut servum dominatum significet. Vide Pignorium de Servis pag. 55 edit. Amstel. 1674. Ipsi autem servi videntur sibi hac appellatione blandiri. Inscriptio apud eumdem :

FUSCUS AUGG.
NOSTRORUM
VERNA

[c] Frequentissime in editis deest *jugiter*, quam vocem ex ms. Vallicel. apposuimus.

[d] Alias *dedit.*

[e] Is qui baptizari cupit, prius ore proprio Christi fidem profitetur : exinde in atriis Ecclesiæ catechizatus lætanter hymnum Deo dicit; postremo baptismate expiatus in penetralibus Ecclesiæ offert Deo sacrificium laudis, de quo in psalmo XLIX. Et satis abundanter apud Ludovicum de Angelis de Vita et Laud. S. Augustini lib. III, n. 16. MITA.

[f] Non autem *vere*, ut in editis.

[g] Cur Christus vocetur Agnus late prosequitur Suicerus in Thes. tom. I col. 23, verb. ἄγνος. Rem tetigi in dissertat. *de patena argentea Forocorneliensi.*

[h] Tum ex parte ipsius Christi, qui debitam nobis chirographi sententiam in se suscepit, tum ex parte nostra quibus ab Deo datur venia criminum, si ex animo ipsis do eamus propter Deum summe dilectum. Augustini sententia est in psal. L, 8. *Deus ignoscit confitenti, sed se ipsum punienti. Ita servatur misericordia, quia homo liberatur; et veritas, quia peccatum punitur.* Vide, si placet, Damascenum lib. III de Fide cap. 3. MITA.

veritate miseretur, qui sic dat peccatis veniam, ut justitiam in ipsa miseratione rationeque custodiat, qui est benedictus in sæcula sæculorum. [a] Amen.

SERMO VII.

De hypocrisi et eleemosyna.

In illud Matthæi VI : *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocrytæ tristes.*

[b] Ubi Deus Dominum mutavit in patrem, voluit charitate magis quam potestate regnare, et amari maluit quam timeri : [c] unde paterno monuit affectu, ne quid nobis de labore justissimo [d] deperiret. Evangelista sic ait : *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas, ut videantur ab hominibus jejunantes. Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam* (*Matth.* VI, 16). Hypocrisis [e] subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis. Adversa omnia nituntur viribus suis, armis suis pugnant, impugnant palam : unde et caventur tam facile quam videntur. Hypocrisis secura simulat, fallit prospera, curiosa mentitur, et crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum : jejunium jejunio perimit, oratione orationem evacuat, misericordiam miseratione prosternit. Hypocrisis [f] cognata febri frigido poculo propinat ardorem. Quod corporibus est hydrops, hypocrisis animabus, hoc est : hydrops bibendo sitit, hypocrisis inebriata sitit. *Exterminant enim facies suas, ut videantur hominibus jejunantes.* Hypocrisis dum cupit captivare oculos, oculis fit ipsa captiva. *Exterminant enim facies suas.* Et si facies [g] exterminant, ornamentum corporis quod manebit? Vere sicut Dominus dixit : *Si lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt* (*Matth.* VI, 5)? Hypocrita, [h] sit licet tibi facies inculta, neglecta cutis, tristis vultus, exterminatus aspectus, nec ab hominibus invenisti laudem et apud Deum fructum jejunii perdidisti. Hypocrita, elaborasti jejuniis ut labor tibi jejunii non prodesset. Hypocrita, abstinentiæ fluctus intrasti, continentiæ conscendisti undas, enatasti jejunii pelagus; et in ipso portu jejunii naufragasti : quia non comparasti lucrum, sed mercatus es vanitatem, [i] qui de Dei credito humanum negotium perfecisti. Hinc est quod Deo redditurus es rationem, qui ab hominibus percepisti miseræ [j] laudis usuram. Fratres, fugiendum est virus, pestilentia cavenda, quæ de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiatione discrimen. Hypocrisim qui fugerit, vincit; qui incurrerit, cadit. Fugiamus hypocrisim, fugiamus, fratres : [k] sit nostrum de simplicitate jejunium, de innocentia sit sanctum, de puritate purum, de sinceritate sincerum, sit hominibus occultum, ignotum diabolo, Deo notum. Thesaurum qui non abscondit, prodit; virtutes proditæ non manebunt. Virtutes sicut proditores suos deserunt : sic suos instant custodire custodes. Ergo jejunium quod contra vitia [l] prima virtus est nobis, in arce pectoris collocetur : quia illo in interioribus præsidente, vitia nos quatere in exterioribus non valebunt. Hoc Christus, ut Christianus habere possit, hortatur cum dicit : *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Cum dicit, [m] Unge caput tuum, et faciem tuam lava : non ut coma capitis illecebroso redundet unguento, serius magister injungit, neque faciem nitescere solito vult lavacro; [n] sed habitu prandentis vult celari jejunium Christiano, quia Christianum vindicare non vult artifici mœrore jejunium. Sed ad cœpta redeamus. *Unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris ab hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito.* Sic non voluptuosos indulget aspectus, sed vultus qui simulantur excludit : facies mœrore dejecta invitat famam, non jejunium humanum vertisti negotium : id est, voluisti ab hominibus laudari. At hoc non est acquirere lucrum, sed mercari vanitatem : idcirco de fraude ac fenore rationem Deo reddes. MITA.

[a] Id moris antiquitus in Ecclesia obtinuit : scilicet, ut post sacras antistitis preces populus concordi voce responderet *Amen*. Paulinus Poema 19 de S. Felice natale 11 :

Cumque sacra pia turba fuerat pastoribus Amen.

Vide Bonam Rer. liturg. lib. II cap. 5, Calvorium Rituale tit. de voce *Amen*. Sed et ipsi præsules post precationes Deo habitas sibimetipsis respondebant *Amen*, ut late patent exempla.

[b] In nonnullis deest.

[c] Ex ms. Cesenæ. In aliis editionibus deest *unde*.

[d] Ita Mita et Castillo, et ms. Vallicellanum.

[e] Subtilissimum vocavit Cyprianus Serm. de Jejunio et tentatione Christi. Subsequenti voce Virus utitur etiam Gregorius Magnus super lib. I Reg. VIII; lib. IV exposit. cap. 2. Lege Augustinum in exposit. psal. CXXXIX, v. 3.

[f] Ita Mita et editio Bononien. I. Castillo, et alii *cognata febris*.

[g] Alias, *exterminatur*. Vocem Græcam ἀφανίζουσι vertit Hieronymus *demoliuntur*. Syrus, *corrumpunt, deformant*.

[h] Christus enim non agit hic de macie et pallore quæ jejunium naturaliter consequuntur; sed de fictitia quadam tristitia et gestibus, quales illi apud Isaiam cap. LVIII, 5.

[i] Hoc est virtutes, quas fidei tuæ commisit in humanum vertisti negotium : id est, voluisti ab hominibus laudari. At hoc non est acquirere lucrum, sed mercari vanitatem : idcirco de fraude ac fenore rationem Deo reddes. MITA.

[j] Ita restitui ex ms. Vallicell. editiones, nec inepte quidem, *miseræ fraudis usuram*. Consonat Paschasius lib. IV in Matth. : *Et ideo in præsentiarum famosas vulgi laudes, et in futuro simulationis suæ mercedem receperunt.*

[k] Similia habes apud Hieronymum tom. I, ep. 2 ad Nepotianum; et tom. IV, epist. 1, ad Demetriadem.

[l] Vel origine, utpote datum Adæ recenter creato, quod se immunem a peccato servaret; vel potentia, quia rite et recte servatum vindicat a vitiis. MITA. — Fortasse prima pro principali eximiaque.

[m] Monet Hieronymus Christum hic loqui juxta ritum provinciæ Palæstinæ, ubi diebus festis mos erat ungere capita, a qua unctione Judæi tempore jejunii abstinebant, ut colligitur ex II Reg. XII, 20, collato cum 16, et alibi passim.

[n] Vere enim Christus non jubet ut per delicias et formæ elegantiam caput ungatur, sed hilarem potius quam mœstum vultum præseferatur, ut paulo post ipse Chrysologus. Chrysostomus in psalm. XLVII : *Non hoc dicit unctionem præcipiendo, nemo enim nostrum hoc facit; sed vult ut lætitiam et mentis hilaritatem demonstremus, adeoque gaudentes non mœstitiam præ nobis ferentes jejunemus.*

voluntarium profitetur. Si vult, quare tristis? Si non vult, jejunus quare? Merito tali pœna vivit, qui sibi facit de virtute vitium, mendacium de veritate, de mercede [a] dispendium, de remissione peccatum. Agricola si non impresserit cultrum, si sulcum non defoderit, si non exciderit sentes, si gramina non evulserit, si in tuto semina non locarit, sibi mentitur, non terræ; nec terræ facit damnum, sed sibi non facit fructum: et ita se vacuat, ita decipit, impugnat ita, qui terræ manu fallaci mentitur. Quid faciet? quid habebit? quid inveniet? qui Deo, esuriente carne, hypocrisi luxuriante, mentitur? Quia agricolæ fecimus mentionem, sciat ille sustinere se laborem incassum, se nihil habiturum, qui premens jejunii aratrum, et abscindens gulæ gramina atque eradicans luxuriæ sentes, misericordiæ [b] semina nulla jactaverit. Hoc Dominus aperire voluit, qui de jejunio docens, mox ista subjecit: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur. Sed thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Quid tam paternum? quid sic veniens de amore? quod tam providum de charitate consilium? nihil tibi perire vult, qui tua in thesauris cœlestibus vult reponi. Quam securus dormit, qui Deum suorum [c] meruit habere custodem! Quam nescit curas, quam deponit angores, quam non est anxius, quam servorum [d] caret fastu, qui sua patri servanda committit! Quomodo paterna servat affectio, [e] quod timor non potest sic servare servilis: pater cum dat sua filiis, non minuit commendata filiorum. Quid sit pater, nescit; nescit se filium, qui non credit patri. Tineam non excludunt claustra, sed claudunt; et generant, non repellunt: [f] rubiginem nutriunt servata, non vitant; quia quod de re nascitur, non vitatur. Ubi est necessitas, fures deesse non possunt. Qui ergo inter tineas, rubiginem, fures, sua ponit, exponit quæ sua sunt, non reponit. Sicut de vestimento tinea, rubigo de metallo, de necessitate fures nascuntur: ita de divitiis avaritia, cupiditas de quæstu, de habendo habendi ardor acquiritur. Qui ergo vult avaritiam vincere, divitias [g] proroget, non reponat. Præmittamus, fratres, [h] thesauros nostros in cœlum; sint [i] vectores pauperes, qui possunt sinu suo quæ nostra sunt ad superna portare. Nemo de fraude dubitet bajulorum: tua est ista transvectio, per quam nostra ad Deum j Deo fidejussore portantur: cui est omnis honor et gloria, virtus et imperium, et gratiarum actio in omnia sæcula sæculorum, Amen [k].

SERMO VIII.

De jejunio et eleemosyna.

Gubernator prudens a littore cum navim solvit, cum mare transiturus intrat fluctus, domus, patriæ, conjugis, [l] pignorum, curas deponit, et ita totus mente, corpore, sensu, nauticis laboribus occupatur, ut et fluctuum possit superare discrimina, et stationem [m] lucrosi portus periculi victor intrare. Sic nos fratres ingressi iter abstinentiæ, jejunii pelagus, [n] quadragesimæ viam, navim corporis nostri solvamus a littore mundano; sæcularis patriæ renuntiemus curis; in crucis arbore tota mentis vela tendamus; virtutum funibus, sapientiæ remis, gubernaculis disciplinæ, navigii nostri muniamus incessum. Et subducti terris speculemus cœlum: ut ducatu signorum cœlestium inter liquidos calles latentis viæ inoffensum tramitem tenere possimus; ac si [o] gubernante Christo, flante Spiritu sancto, evictis voluptatum spumis, superatis vitiorum fluctibus, decursis criminum procellis, transvectis scopulis peccatorum, atque omnium delictorum naufragiis evitatis, [p] Paschæ portum, lucrum vitæ, gaudia resurrectionis intremus. Verum quia per campos nudos, per falsos vortices, per incertas [q] solitudines, acturi sumus viam, nobis tota est escæ et potus portanda substantia: imponamus abundantem misericor-

[a] Sic Castillo et Mita. Aliæ editiones *Stipendium*.

[b] Congruentiæ similitudinis vadem damus Ambrosium tom. V, serm. 40, qui est Fer. 3 domin. 2 Quadrag.: *Terra aratris scinditur, ut mundanis sit congrua frugibus; mea terra jejuniis exaratur, ut cœlestibus sit apta seminibus.*

[c] Cyprianus serm. 1 de Eleemos.: *In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode servatur.*

[d] Latinius putat fortasse legendum: *Servorum caret actu.*

[e] In pluribus editis deest particula *quod*.

[f] Id est res et metalla quæ clausa servantur, rubiginem nutriunt. Fortasse vero addidit *rubiginem*, licet in sacro textu non legatur, quod adverterit per βρῶσιν non tantum tinea, sed et rubigo intelligi posse, saltem illa quæ segetibus adhæret.

[g] Exhibeat scilicet. Verbum sane Chrysologianum.

[h] Thesauri in sacris litteris sunt bona opera, I Tim. VI, 17, 18. Inter quæ eximium obtinent locum benefacta in pauperes: quæ potissimum Christus Lucæ XVIII, XXII, vocat *thesaurum*. Virtutes item thesauri nomine comprehenduntur. Vide Chrysostomum hom. 66 in Genes.

[i] Augustinus tom. X, serm. 50 de Temp. cap. 8: *Qui sunt pauperes quibus damus, nisi latuarii nostri? Latuario tuo das, ad cœlum portat quod das.*

[j] Leo, serm. 6 de jejun. 10 mensis vocat Deum *idoneum pauperum fidejussorem*.

[k] Vide, tom. I Biblioth. Vet. PP. edit. Lugdunen. an 1644, Commentarium S. Juliani episcopi Toletani super Nahum prophetam, ut scias quanta auctor ille ex hoc sermone in rem suam transtulerit.

[l] Pignora pro filiis dicta, alibi annotavimus. Paulinus poem. 9 pag. 349, v. 48:

Et simul elidet solidæ sua pignora petræ.

Pro eo quod est in Psalmo: *Elidet parvulos suos ad petram*.

[m] In nonnullis *lucro si portus*. Castigavit Meursius.

[n] De Quadragesimali jejunio Cyrillus in Levit. lib. X fol. 731, Trapezuntio interprete: *Habemus Quadragesimæ dies jejuniis consecratos.* A cæteris abstinemus; de jejuniis etenim Christianorum pleni sunt veterum libri.

[o] Augustinus in psal. CIII, conc. 4: *Gubernator est Christus, illic naves commeabunt.*

[p] Ita passim Paschæ nomen inflexisse veteres ait Paulus Galeardus in notis ad S. Gaudentium pag. 25. Ex observatione Vossii lib. I de Analog. cap. 20. Subdit autem τὸ Πάσχα non a Græcis, sed ab Hebræis effluxisse, et in testem advocat insignem locum Gregorii Nazianzeni, orat. 2 in sanctum Pascha. Cæterum sermo hic videtur habitus initio Quadragesimæ.

[q] Alias *sollicitudines*.

diam nostræ [a] sitarchiæ profuturam. Fratres, esurit jejunium, jejunium sitit, quod non pietatis cibo pascitur, quod potu misericordiæ non rigatur. Alget jejunium, jejunium deficit, quod non eleemosynæ vellus tegit, quod non miserationis operit vestimentum. Fratres, quod est terris ver, hoc misericordiam scimus esse jejunio. Sicut verni flatus tota facit germina florere camporum : ita misericordia tota jejunii semina producit in florem, in cœlestem messem totam jejunii facit fructificare virtutem. [b] Quod oleum lucernæ est, hoc jejunio pietas, sicut lucernæ lumen olei pinguedo succendit, et moderato pastu facit illud ad totius noctis solatium perlucere : sic pietas facit splendere jejunium, et ad totam radiare continentiæ claritatem. Quod diei sol est, hoc eleemosyna noscitur esse jejunio. Sicut jubar solis clariorem perficit diem, et totam nubium dispergit obscuritatem : sic eleemosyna jejunii sanctificat sanctitatem, totamque [c] cupiditatis noctem lumine pietatis excludit. Ac ne multis [d] immorer, quod est anima corpori, jejunio largitas hoc habetur. Sicut enim mortificatur corpus, e corpore anima cum recedit : ita mors est jejunii, largitatis abscessus. Est quidem jejunium vitiorum mors, vita virtutum. Est jejunium pax corpori, membrorum decus, ornamentum vitæ. Est jejunium robur mentium, [e] vigor animarum. Est jejunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, civitas sanctitatis. Est jejunium schola meritorum, magisterii magisterium, disciplinarum disciplina. Est jejunium [f] ecclesiasticæ viæ viaticum salutare. Est jejunium invictus [g] Christianæ militiæ principatus. Sed in his virtutibus jejunium tunc viget, tunc vincit, tunc triumphat, cum duce misericordia puguat. Misericordia et pietas [h] jejunii sunt alæ, per quas tollitur, et portatur ad cœlum, sine quibus jacet, et volutatur in terra. Jejunium sine misericordia simulacrum famis est, imago nulla est sanctitatis ; sine pietate jejunium occasio est avaritiæ, non est propositum parcitatis : quia parcitas ista, quantum siccatur in corpore, tantum tumescit in sacculo. Jejunium sine misericordia non est veritas, sed figura : ubi autem misericordia, ibi et veritas : probante propheta, cum dicit : *Misericordia et veritas obviaverunt sibi* (*Psal.* LXXXIV, 11). Jejunium sine misericordia non est virtus, sed hypocrisis, dicente Domino : *Vos autem cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas, ut videantur ab hominibus jejunantes* (*Matth.* VI, 16). [i] Qui non jejunat pauperi, Deo fingit; qui jejunans prandium suum non erogat, sed [j] reponit, cupiditati probatur jejunare, non Christo. Jejunantes ergo fratres prandium nostrum reponamus in manu pauperis, ut servet nobis manus pauperis, quod venter nobis fuerat perditurus. Manus pauperis Abrahæ sinus est ; ubi quidquid pauper acceperit, mox reponit. Thesaurus cœli est manus pauperis, quod suscipit ne in terra pereat, reponit in cœlum. *Thesaurizate*, inquit, *vobis thesauros in cœlo* (*Matth.* VI, 20). Manus pauperis est [k] gazophylacium Christi, quia quidquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo, homo, pauperi terram, ut accipias cœlum. Da nummum, ut accipias regnum. Da micam, ut accipias totum. Da pauperi, ut des tibi : quia quidquid pauperi dederis, tu habebis; quod pauperi non dederis, habebit alter. Clamat Deus *misericordiam volo* (*Ose.* VI, 6). Qui, quod vult Deus, Deo negat, a Deo sibi quod desiderat, vult negari. Misericordiam volo. [l] Homo, petit Deus; sed tibi, non sibi. Misericordiam volo. Humanam misericordiam petit, vocat jejunia.

[a] Sitarcia verbum Græcum hic annonam militarem, seu victum alimentumque significat; cum aliis sportulam indicet, ut infra serm. 39. MITA. — At Græcis annonæ Σιτηρέσια sunt : qua voce Σιτηρέσιον utitur Suidas : Σιτηρέσιον. Quod aliquibus alimenti causa datur. Philostorgius, Hist. Eccles. lib. VII cap. 4 pag. 90, ait Julianum τὰ σιτηρέσια τῶν ἐκκλησιῶν, *annonas Ecclesiarum ministris dæmonum tradidisse.* Idem narrat Sozomenus Hist. lib. V cap. 5 pag. 63, ubi pariter annonæ vocantur σιτηρέσια. Sitarcia proprie sportula est, vel pera ad portandum victum, I Reg. IX, 7. *Dixit Saul ad puerum suum. Panis defecit in sitarciis nostris.*

[b] Ugo cardinalis super Isaiam XXXIV, vel in hæc incidit, vel his similia commentatus est : *Jejunium sine eleemosyna quasi lampas sine oleo.*

[c] Ita restituimus ex edit. Bononien. 1. Aliæ, *mortem.*

[d] Phrasis Quintiliano familiaris.

[e] Similia fere Basilius hom. 2 de jejunio : *Jejunium custodit parvulos, sobrium facit juvenem, venerabilem senem. Venerabilior enim est canities jejunio decorata. Jejunium feminis ornatus est congruentissimus; ætate ac robore vigentibus pro freno est. Matrimonii custodia est, virginitatis nutritius.* Chrysologo etiam consonat Chrysostomus hom. 122, tom. VI antiq. edit.; Gregorius etiam Nyssenus hom. in principium Jejuniorum, tom. II pag. 248. Cyrillus Alexandrinus orat. paschal. 1 pag. 8.

[f] Ex edit. Castilli et mss. Cesenæ. Minus apposite aliæ, *ecclesiasticæ vitæ.*

[g] Leo papa, serm. 7 : *Præsidia militiæ Christianæ*

[h] Chrysostomus, hom. 99, tom. VI : *Si jejunium adjunctam non habet sororem suam eleemosynam, non ascendit in cœlum; ejus enim compar est : nec solum compar, sed etiam vehiculum.* Chrysologo propius accedit Severianus apud Suicerum Thes. Eccles. tom. II pag. 409 n. 4 : *Jejunium duas habet alas, orationem et eleemosynam, sine quibus currere non potest.*

[i] Scilicet : qui jejunans non curat cibum quem non absumit in pauperum alimoniam erogari.

[j] Sic mss. Vallicel. Alias, *deponit.*

[k] Ambrosius, serm. 26, post medium : *Manus pauperum gazophylacium Christi est.* Erat olim in templis locus gazophylacium nuncupatus, in quo recondebantur eleemosynæ pauperibus distribuendæ. Frequens ejus mentio apud SS. Patres. Chrysostomus hom. 22 de eleemos. et collat. in sanctos hæc habet : *Hoc itaque modo uniuscujusque domus ecclesia fiat, sacratas opes in se conservans.* Hic observandum, et parergii loco sit, Chrysostomum hic non populum Constantinopolitanum alloqui, ut putat Ferrarius lib. II cap. 10 de Antiq. Eccles. Ep. genere, et lib. I de Ritu Sacr. Conc. cap. 26, sed Antiocheum : nam Antiochiæ habitam fuisse homiliam contendit Rossweidus in notis ad D. Paulinum serm. 34. Vide etiam de gazophylacio in ecclesia Augustinum in psal. LXIII, et Possidium in ejus vita cap. 24. Concilium Carthaginense IV, can. 93.

[l] Loco huic librariorum fortasse vitio laboranti opem ferre conatur Latinius; legendumque putat *Hoc petit Deus.* Nil facilius quam voculam hanc *Hoc* contractam *hoc* pro *homo* existimari. At et potuit au-

ut largiatur divinam. Est in cœlis misericordia, ad quam per terrenas misericordias pervenitur. *Domine*, inquit, *in cœlo misericordia tua* (*Psal.* LIII, 6). Dicturus causam in judicio Dei, patronam tibi misericordiam, per quam liberari possis, assume. Qui de patrocinio misericordiæ certus est, de venia sit securus, de absolutione non dubitet. Misericordia non solum causam prævenit, anticipat cognitorem, sed etiam sententiam revocat, absolvit addictos. Quod Ninivitæ probant (*Jonæ* III), quos jam sententiæ subjectos, pœnæ traditos, [a] ad victimam stantes, morti deditos, misericordia sic rapuit, sic tenuit, sic prævenit, ut maluerit Deus [b] deduci sententiam, ne misericordiæ quid negaret. Stabat quidem et tunc pro causa jejunium, aspergebat cineres, sternebat cilicium, dabat gemitus, fundebat lacrymas : et quod non poterat excusare verbis, luctibus temperabat, sed non valuit mutare sententiam, nisi perorans misericordia subvenisset. Misericordia et peccatores liberat, et restituit sanctos : quia nisi affuisset misericordia, etiam David cum adulterat, amiserat prophetiam (II *Reg.* XI); et [c] Petrus cum negat, apostolici ordinis perdiderat principatum (*Matth.* XXVI); et Paulus cum blasphemat, remanserat persecutor. Fatetur hoc Paulus cum dicit : *Qui primus blasphemus fui, et persecutor, et injuriosus : sed misericordiam consecutus sum* (I *Tim.* I). Fratres, per misericordias pauperum [d] misericordiam comparemus, ut possimus esse [e] a pœna liberi, de salute securi. *Beati*, inquit, *misericordes : quia ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* V). Gratis misericordiam sperat ibi, qui hic non fecerit misericordiam. Qui facit misericordiam, currit ad præmium; qui non facit misericordiam, decurrit ad pœnam.

SERMO IX.

De eisdem. In illud Matthæi : *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.*

Agit nobiscum Deus, agit in hoc sæculo, ne quid nobis [f] pereat in futuro : sicut ex ipso lucet principio lectionis. *Attendite*, inquit, *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis : alioquin mercedem non habetis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* VI, 1). Et quomodo quod fit ab hominibus coram hominibus non fit? patentis justitiæ latet sensus, publici operis quod secretum? Qui potest celare radios solis justitiæ poterit occultare fulgorem. Justitia lux rerum [g] consiliis non velatur obscuris. Justitia cum sibi facto claret, omnes illustrat exemplo. Et quid est quod eam Dominus coram hominibus fieri non vult, per quam statum capiunt res humanæ? Et ubi est illud : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V, 16)? Quomodo justitiam vult celare, cujus opera vult sic [h] elucere? Fratres, hic præceptio cœlestis vult jactantiam tollere, auferre pompam, vanitatem demere, submovere inanem gloriam : sic justitiam vult celare. Justitia, quæ per se sibi [i] abundat ad gloriam, spectaculum populi, vulgi laudes, favores hominum, mundi gloriam non requirit : a Deo genita, cœlum spectat; in oculis agit divinis; supernis virtutibus mixta semper a Deo solo, ut glorificetur, exspectat. Sed hæc est justitia, quæ ex Deo est; illa vero justitia quæ est hypocrisis, justitia non est : mentitur oculis, fallit aspectum, videntibus illudit, decipit audientes, seducit turbas, trahit populos, famam vendit, emit clamorem, fit sæculo, Deo non fit, mercedem rapit præsentem, præmium non quærit in futuro, cæcat oculos, cæca ipsa non videns vult videri : propter quam cæcitatem Christus præsenti sic inchoat in præcepto. *Attendite.* Hoc est, ne gestiatis attendi. *Ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* Quare? *Ne videamini ab eis.* Et si visi fueritis, quid? *Mercedem non habetis apud patrem vestrum, qui in cœlis est.* Fratres, hic Dominus non judicat, sed exponit, pandit cogitationum dolos, secreta mentium nudat, injuste justitiam tractantibus, modum justæ retributionis indicit. Justitia, quæ se humanis oculis locat, divini patris non potest exspectare mercedem : voluit videri, et visa est; voluit hominibus placere, et placuit; habet mercedem quam voluit; præmium quod habere noluit, non habebit. Qua vero de causa sint hæc præmissa, ex sequentibus audiamus. *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt.* Bene tuba, quia talis eleemosyna hostilis est, non civilis, non misericordiæ dedita, sed clamori : seditionis vernula, non alumna pietatis; ostentationis nundinatio, ctoris hunc esse sensum : *O homo, petit Deus, sed tibi, non sibi;* quam sit formula hæc loquendi Chrysologo familiaris abunde patet. Vide serm. 9, in fine.

[a] Hoc est ad sacrificium destinati, et jam divinæ ultioni designati.

[b] Hoc est revocari, vel removeri sententiam mortis latam in ipsos. MITA. — Latinius legit *induci sententiam. Deducere* autem pro *mutare* Ciceronis phrasis.

[c] Intelligit Petrum peccando amisisse quodammodo meritum ad principatum, sicut David adulterio se indignum fecerat ut prophetaret. Hieronymus etiam cap. XVI Marci tom. VI pag. 198, Paris. 1589, asserit Petrum judicasse se indignum discipulatu, eo quod *ter negavit magistrum*, et teste Gregorio hom. 21 Christus peccare Petrum ter negando permisit; *ut is qui futurus erat pastor Ecclesiæ in sua culpa disceret qualiter aliis misereri debuisset.*

[d] Ex editione Castilli. Aliæ, *misericordiam paremus.*

[e] Sic ex ms. Cesenæ.

[f] Castillo et Mita corruptum locum ope mss. ita suæ integritati restituere.

[g] Editi perperam, *conciliis.*

[h] Quæstionem quæ ex sacrorum verborum oritur antinomia ita dirimunt Patres, et præ cæteris Gregorius, Pastor. P. III admonit. 36; Isidorus Pelusiota Epistolarum lib. IV ep. 159; Fulgentius episcopus Ruspensis Epist. lib. II, ad Gallam ep. 19.

[i] Ambrosius de Officiis liv. I : *Duplex est justitia. Specialis, quæ dat cuilibet quod suum est, nihil vindicans alienum, et est una ex virtutibus cardinalibus. Generalis et universalis, quæ est utilis virtus et perfectio, nil habens iniquitatis vel peccati.* Unde S. Hieronymus ad Demetriad. : *Omnes virtutum species uno justitiæ nomine continentur.* Hic accipitur justitia pro omni opere bono, quod potest ordinari ad gratiam vel præmium. MITA.

[j] Dubitant enarratores in illud Evangelii quod noster exponit : *Noli tuba canere*, an vere Pharisæi ante se per tibicines canerent, ut populi ad eorum eroga-

non commercium charitatis. Eleemosynam quisquis ostendat, insultat. *Tu*, inquit, *cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis, et in vicis, ut glorificentur ab hominibus. Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* Audistis quemadmodum notat eleemosynam in conventu, in plateis, in triviis, non impensam ad levamen pauperum, sed hominum propositam ad favorem, ut probentur misericordiam vendere, non donare. Fugienda est hypocrisis, fugienda, fratres, quæ captiva gloriæ, verecundiam pauperum [a] non relevat, [b] sed fatigat; quæ de gemitu inopis pompam suæ gloriationis inquirit, quæ suam laudem dilatat pauperis ex dolore; quæ de miseria petentis famam suæ ostentationis expandit. Sed dicit aliquis: Ergo in conventu, in plateis, in triviis neganda est misericordia? non præbendus est victus? Plane, et in omni loco, et in omni tempore facienda est misericordia, præbendus est victus, nuditas est tegenda; sed sic quomodo docuit misericordiæ auctor, ut misericordia non terræ sit nota, sed cœlo; non hominibus insinuata, sed Deo. In plateis, in triviis suum pietas habet secretum: e contra platea est, trivium est, cum in secreto facit hypocrita nil secretum. Fratres, Deus monendo sic vota culpat, non loca; sensum, non opera; studium, non datorem: arguit largientem ad suam famam, non ad pauperis famem; judicat non ubi facias, quando facias, sed qualiter facias: quia Deus de cordibus, non de manibus facta metitur; [c] et de sensu, non de locis operum colligit qualitatem. Misericordiam coram se solum vult fieri, qui solus est misericordiæ et remunerator et testis; et qui dicit: *Esurivi, et dedistis mihi manducare* (*Matth.* xxv, 55). Vult in paupere sibi dari: et qui vult sibi dari, vult quod datum est se debere; et qui vult se debere quod datum est, vult largientibus nil perire. Deus parva poscit, maxima redditurus. Unde homo [d] si in paupere Deo feneras, testes homines non requiras: fides arbitros non requirit. De accipientis fide disputat, qui sine mediatoribus nil dat; qui credita diffamat, urit verecundia A debitorem. Ergo, homo, daturus Deo, da secreto; ut quod dederis, non sit oneris, sed honoris. Ob hoc ad te venit tuus ditator in paupere, ut eum non dubites accepta reddere, qui tibi gratis dedit habere quod dares. Quam vero in paupere sit verecunda paupertas, qui largitatis tuæ quærat secretum, aperit ipse, cum dicit: *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Putas quam vult nescire alterum, qui teipsum qui facis vult aliqua tui parte nescire? *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Sicut [e] sunt nobis in dextera parte virtutes, ita nobis [f] pars vitiorum in sinistra. Ergo ut opus est dexteræ quod facit tacitus dator; quod facit dator garrulus, hypocrisis est sinistræ. Hypocrisis, dolus, simulatio, fraus, mendacium, elatio, tumor, jactantia, B insistunt nobis, et imminent a sinistris. Quoties ergo nobis cum bonitate, pietate, cum misericordia causa est, nesciat hoc sinistra. Sinistra est quæ nobis animarum prælia semper indicit, et ne virtutes in effectum veniant elaborat. Ne sit pietas, impietas agit; ne eleemosyna [g] vincat, cupiditas pugnat: furit avaritia, ne misericordia convalescat; ne innocentia, puritas, simplicitas, sanctitas regnet, hypocrisis sola confligit, quam Christus a nobis tali prædicatione secludit: *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Fratres, in hoc sæculo fugiamus quæ a sinistris sunt, si in futurum a dextris desideramus astare, et audire: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* xxv). Homo, da in terra C pauperi, quæ tibi manere vis in cœlo. Homo, [h] commilita hic pauperi, si vis ibi regnare cum ipso Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO X.

De infidelibus ad baptismum ducendis. In psalmum XXVIII.

Omnes qui arduas operum sublevant, et solantur angustias, probant ad solatium laboris datam nobis [i] naturaliter cantilenam. Hinc j nautæ cantu superant

tiones in synagogis convenirent. Rupertus, Liranus, Cajetanus, Jansenius, et fortasse Chrysologus affirmativam tuentur. Ex adverso stant Chrysostomus, Theophylactus, Abulensis, etc.

[a] Editiones omnes, *revelat*, quo nihil inficetius.

[b] Cyrillus Alexandrinus de Adorat. pag. 245 et 246. *Quænam vel qualis hypocritarum vita? Nonne ut coram hominibus quidem videantur benigni, et ut videantur esse, revera autem non sunt benigni.* Ibidem multa de hypocrisi, et præclara quidem. Theophylactus in cap. VI Matthæi: *Hypocritæ sunt qui aliud quidem sunt, aliud vero esse videntur.* Unde Hesychius simulatio, fallacia, dolus. Sic Chrysologus paulo infra.

[c] Scilicet de sensu mentis et cordis intentione.

[d] Ex Proverb. XIX: *Qui miseretur pauperis fenerat Domino.* Cyprianus in tract. de Oper. et Eleemos. hujusmodi testimonium legit: *Qui miseretur pauperis Deo fenerat; et plane fenerat*, addit Gaudentius serm. 13 pag. 163, postquam verba hæc laudaverat, *recipiet enim magna pro modicis, et cœlestia pro terrenis.*

[e] Proverb. V, 27: *Vias enim, quæ a dextris sunt, novit Dominus.* Multa ad hanc rem habent scriptores profani.

[f] In Apophtheg. apud Plutarchum: *ad dexteram boni, ad sinistram mali.* Vide Chrysostomum in Opere Imperfect. hom. 54 in Matthæum. Ita fere Gaudentius Brixiensis episcopus serm. 18 pag. 212: *Nam conatur* (diabolus) *fidem nostram, et opera nostra a centenario numero perfecto, et in dextram constituto, ad sinistræ partis dolosa compendia depravare.* A Macario homilia D 22 dæmones vocantur *angeli sinistri.* Apud Latinos *sinistrum* sæpe pro *malo* sumitur. Hinc *omen sinistrum* apud Ovid.; *sinistri sermones* apud Plin. juniorem.

[g] Alias, *vindicet.*

[h] Hoc est sis et tu Christi miles, cum paupere ipso in Ecclesia militanti pauper, et egenus armis patientiæ, uti debes, adversus internos externosque hostes, dives charitate in pauperes: et sic erunt commilitones. MITA. — Vide S. Leonem serm. 8 de jejun., in fine, et serm. 4 de jejun. septimi mensis.

[i] Plena sunt venusti leporis carmina, quæ ad rem cecinit Ovidius lib. IV Tristium. Magna etenim est animæ nostræ cum numeris cognatio: unde facile movetur, et sublevatur ex congrua et harmonica modulatione. Dissonantia laborem generat et fastidium. Vide Gassendum in Manuduct.

[j] Paulinus de reditu Nicetæ:

Nautæ læti solitum celeusma

marina discrimina ; hinc immensa pondera adducunt levamine canticorum ; hinc viantes colles arduos facit transcendere vox sonora ; hinc [a] præliatores ipsos præcedens cantus subire concitat amara bellorum. Ac ne multis, omne quod duri est operis, quod laboris, dulcis vincit et efficit cantilena. Sic nos, fratres, Quadragesimæ jejunio cantica divina jungamus, ut abstinentiæ pondus cœlestis temperet, et sublevet symphonia provocante nos ad hæc [b] Davide beato, qui [c] dum fistula pecus charum mulcet, et oblectat in pascuis, cantu dura didicit superare bellorum, cantu valuit vocare gentes, reducere Judæos [d] fugare dæmonem, Dei filios ad superni patris obsequium convocare. sicut bene invitans [e] ejus cecinit melodia. *Afferte Domino*, inquit, *filii Dei* (*Ps.* XXVIII, 1). Putasne cœlestes taliter appellat iste [f] virtutes? aut homines Dei aptat in filios? et terrenam carnem cœlestem sublevat ad naturam? *Afferte Domino, filii Dei.* Homines, fratres, homines nuncupat hic propheta, quos Dei filios alibi sic decantat : *Ego dixi dii estis, et filii excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI, 6). Audivimus fratres quo nos tulit divina dignatio, quo paternitas extulit nos superna : credamus nos Dei filios, respondeamus generi ; vivamus cœlo ; patrem similitudine referamus, ne perdamus vitiis quod sumus per gratiam consecuti. *Afferte Domino*, *filii Dei.* Videtis, quia cœlestis Pater sentit amorem donis, datis [g] affectum, probat muneribus charitatem. Et revera, fratres, filium se nescit, visceribus caret, naturam negat, ingratus est patri, qui auctorem vitæ suæ non obsequiis placat, non devincit cultu, muneribus non honorat. *Afferte Domino*, *filii Dei.* Videamus quid sit illud, quod nos tanto patri hic Propheta commonet, et hortatur afferre. *Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum.* Hoc est totum quod expetit, quod requirit, ovium fetus, vile terreni pecoris germen, stratos per viam partus, [h] semina effusa per campos, divino Patri, ut divina soboles offerat, admonetur. Aut forte Judaicas victimas, sacrificia cruenta, balantes sub cultris hostias, Creator omnium nunc requirit Deus? Et ubi est illud quod dicit? *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos, quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus, et boves. Cognovi omnia volatilia cœli, et species agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi : meus est enim orbis terræ, et plenitudo ejus* (*Psal.* LX, 9-12). Et si ista repulit, quos arietum filios sibi deposcit afferri? Ad Abraham loquitur : *Accipe filium tuum dilectum, et offeres mihi in holocaustum* (*Gen.* XXII). [i] Aries Abraham maturus ad innocentiam, [j] grandævus ad fidem perfectus ad hostiam, paratus ad holocaustum, afferebat filium suum, filium arietis : immo se immolabat in filio, sanctificabat mentem suam, lætificabat fidem suam, ut esset idem victima et pontifex, sacerdos et sacrificium. Patris erat passio ibi tota, ubi filius immolabatur ; [k] ignarus filius sistebatur, nescius filius [l] aptabatur vinculis, ut tolleret de passione martyrium,

Concinunt, versis modulis in hymnos ;
Et piis ducent comites in æquor
Vocibus auras.

Asterius Amaseæ episcopus in Phocam martyrem : *Nautæ et remiges ubique gentium consueta celeusmata, quibus navigantibus tædium consolantur, ad communem martyris laudem transferunt.*

[a] Timotheus fidicen Alexandrum Magnum impulit cantu ut ad arma procurreret etiamsi mensæ accumberet. Sunt qui tamquam aniles fabulas ea accipiunt quæ de viribus musicis a scriptoribus tradita sunt. Haudquaquam vero suspecta esse possunt quæ habentur de Saule, I Reg. XVI, 23 ; de Eliseo prophetare cupiente, IV Reg. III, 15 ; de Moabitarum victoria II Paralip. XX, 21.

[b] Hæc eadem de Davide canente habet Athanasius hom. de semente. Psalmos autem Davidicos tantum licebat publice recitare vel canere : juxta canon. 59 concilii Laodiceni, ubi Zonaras advertit præter hos alios quoque reperiri, qui dicuntur Salomonis, et aliorum : quod et ibidem Balsamon advertit. Cæterum moris fuisse veterum Christianorum psalmos et hymnos in Dei honorem pangere, tradit Eusebius lib. II Histor. Eccles. pag. 16, Paris. anno 1554, et lib. V cap. 38.

[c] De pastorali fistula loqui Chrysologum dubium nullum. Hujus forma non eadem, sed varia : licet ut plurimum sumatur pro utriculis, Gallis *la musette.* Inter Hebræorum instrumenta fistula vocabatur : *Masacrokita a sibilando.*

[d] Saulem respicit, qui a malo spiritu vexatus Davidicæ citharæ pulsatione solabatur.

[e] Psalmos metricos fuisse, et ad musicam accommodatos, in confesso est apud omnes. Incertum vero quo metri genere scripti. Gomarius edidit *Lyram Davidicam ;* in qua sibi blanditus est ad metra Horatiana vel his similia psalmos ita exegisse, ut veram hujus poeseos rationem invenerit. At Ludovicus Cappello Animad. libello totum illud Gomari opus obelo transfigere conatus est, ut inde lector discat, subdit Mivetus, vix inter doctos de eo posse convenire. At consulendus Blasius Cariophylus in sua de poesi Hebræorum dissertatione, italice scripta, ubi et metrum et similem vocum desinentiam in Hebræorum canticis eruditissime scrutatus est. Psalmi autem bifariam dividendi : quidam dicti *ode psalmi*, uti XXX et LXV, quia voces præibant, organa sequebantur ; alii *psalmi ode*, ut XLVIII, LXVI, quod voces præirent, organa sequerentur. De qua varietate consule Athenæum lib. XIV ; et si plura desideras, adi Lamy, de Templo lib. VII sect. 5, 6.

[f] Et revera in Scripturis quandoque pro *Filiis Dei* intelliguntur *angeli.* Job I, 6, et II, 1 ; Psal. LXXXVIII, 7.

[g] Alias et ms. Vallicellanum, *Effectum.*

[h] Ovium fetus, ut apud Ovidium lib. III. Fastor. v. 10 :

Ut huic urbi semina magna dares.

[i] Ob virtutis robur.

[j] De fide Abraham, ex qua ejus effluxit obedientia, et patientia, vide Clementem Alex. Pædagog. lib. III, pag. 221 ; Theodoretum, orat. de Charit. tom. IV pag. 691 ; Basilium in Asceticis, cap. 22, tom. II pag. 716, et tom. I, pag. 672 ; Chrysostom. epist. 2 ad Olympiad. et epist. CCXXXVII, tom. IV edit. Paris. pag. 946 et 947, homil. 10 tom. V pag. 45 ; Gregorium Nyssenum, orat. de Deo. Fil. et Spir. S. tom. III pag. 473-476. Hæc indicasse sufficiat.

[k] Editi nonnulli librariorum errore : *Ignavus Filius.*

[l] Editi, *Aptabatur vinctus.* Emendavit Meursius, advertitque Chrysologum posuisse *aptare* propria notione frequentativa ab inusitato *Apio*, *ligo*, ut docet Festus in *Apex*. Et revera non semel gaudet hic noster uti vocibus antiquis et desitis.

præmium de pœna patris, de conflictu patris [a] raperet coronam. Denique patris suspensa est dextera, patris gladius est remotus, quia non quærebatur mors filii, sed patris charitas probabatur : nec expetebatur sanguis filii, ubi tota victima in patris dilectione constabat, scriptura dicente : *Nunc scio quia diligis Deum, quia non pepercisti unigenito filio tuo propter me* (*Gen.* XXII, 12). Abraham diximus arietem, ut Isaac arietis filium probaremus : ac si luceret quos arietum filios propheta vult domino nos offerre. *Afferte Domino filios arietum.* [b] Filios patrum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum, Christianus modo ut afferat admonetur : quando grex dominicus fidei laxatur in pastum, quando agnos suos cœlestis pastor ad ovile dominicum vult deferri, ne dispersi per inculta gentium, luporum devorentur incursibus. Sed quid admoneat vox divina, planius jam loquamur. *Afferte Domino filios arietum.* [c] Afferte domino baptizandos, afferte quos fides concipiat, non caro ; afferte quos Dei gratia generet, non mundana natura ; afferte quos agnos præstet innocentia, non habeat pecoris hebetudo : afferte, afferte, quos sponte venire aut necessitas vetat, [d] aut ætas impedit, aut ignorantia retardat, aut tenent vitia, aut delicta remorantur, aut exspectatio decipit, aut fallit confusione paupertas, adducite volentes, [e] attrahite nolentes, facite vobis de aliena necessitate mercedem : servum catechumenum si habet dominus, adducat, ut habeat jam fidelem ; filium A pater offerat, non retardet, ut cui præsentem vitam præstitit, conferat et futuram. Vir conjugem deducat ad fidem, ne quod unum est in carne spiritu sit divisum. Amicus amicum attrahat ad salutem, ut de gratia divina humanam comprobet charitatem. Peregrinum civis, possessor hospitem Dei ducat ad mensam, ut sine suo sumptu de divinis copiis sit humanus. Attrahite nolentes ; nemo dicat, Non vult, quia et Abraham, ut offerret filium, colligavit (*Gen.* XXII, 9) ; et Loth angeli, ut subtraherent flammis, extractum manibus sustulerunt (*Gen.* XIX, 16), et Petrum Dominus ut iret ad martyrium quo nolebat, auxilii sui virtute præcinxit, dicens *Præcinget te alius, et deducet, quo non vis* (*Joan.* XXI, 18). Et pater cœlestis non solum volentes suscipit, sed attra- B hit et nolentes, dicente filio : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me,* [f] *attraxerit illum* (*Joan.* VI, 44). Quomodo se Christianum credit, qui non Christo annosa et vetera ducit ? Aut quomodo domum suam judicat ovile Dei, ubi non pascuale germen Dei pecus dat balatum ? Obsecro et obtestor, fratres charissimi, per Dominum nostrum, ut in hoc vigiletis omnes, quatenus his diebus nullus a Dei gratia, nullus [g] a regeneratione divina relinquatur extorris, quatenus quod aliis Deus est per suam gratiam collaturus, vestrum crescat, et redundet in gaudium. Homines sumus sub incerto viventes : et nescimus quid pariat superventura dies (*Prov.* XXVII). Agamus ergo, dilectissimi, ne servi, ne filii, ne con-

[a] Sic legendum putat Latinius. Mita et Castillo, *repeteret*. Prima lectio magis arrisit.

[b] Rupertus super Ecclesiast. XXIV : *Ipsum ovile Dominicum hic accipimus per nomen Elim, id est Arietum. Arietes nempe duces gregis, et ovilis principes sunt : de quibus Psalmista : Afferte, inquit, filios arietum.* Et de prophetis ac patriarchis, apostolis, etc., scriptum credunt enarratores illud Isaiæ LX, 7 : *Arietes Nabaiatoh ministrabunt sibi.* C

[c] Contra procrastinantes Baptisma multæ sunt sanctorum Patrum querelæ. Vide Gregorium Nazianz. Orat. Ad sancta lumina, et majora congerit orat. 40, quæ est in sanctum baptisma ; Chrysostomum item homil. in Acta pag. 615 edit. 1612 ; Justellum in notis ad canon concil. Neo-Cæsari, et Vossium disput. de Baptis. Dilationis causam obtendebant : quod simul volebant baptizari et mori, ne post susceptum baptismum iterum peccarent, decepti a male intellecto loco Apostoli Heb. VI, 4, unde colligebant Novatiani nullam post baptismum delinquentibus spem reliquam esse. Ex hoc autem Chrysologi sermone eruitur, sanctum virum tot viribus niti, ut homines ad baptismum adducerentur : quia instabat Pascha, quæ altera erat post Pentecosten solemnitas ad tingendum sacro fonte fideles, juxta illius temporis disciplinam destinata. Hoc licet nonnulli reluctanti animo audiant, testimonia tamen SS. PP. utramque paginam implentium hoc idem nolint velint evincunt : Tertullianus lib. de Baptis. cap. 19 ; Hieronymus ad Pammachium ; Fortun. lib. III carm 7, lib. V carm. 4 : Socrates Histor. Eccles. lib. IV cap. 22 ; et ex Socrate Nicephorus lib. XII cap. 34 ; Basilius exhort. ad Baptism. ; Siricius in Epist. ad Decret. num. 2. pag. 190 ; Biblioth. Juris Canon. Parisiis an. 1661 ; decretum Leonis PP. apud Gratianum dist. 4, *Duo tempora ;* Gelasius de Cons. dist. 4, *Baptizandi ;* Capitul. Regum Francor. edita a Baluzio tom. II Concil., Gerundense, an. 517 canon. 4 ; Triburiense an. 895, can. 12 ; Moguntinum an. 813 can. 4, et innumera alia. Paschæ et Pentecostes diebus Græci Epiphaniam addidere : quod tamen damnatur a decret. Leonis PP. VII Bibliothec. Juris pag. 224, et a Petro Blesensi init. serm. 13 ; Galli Natalem Domini diem et S. Joannis Baptistæ. Vide Avitum Viennensem in epist. ad Clodovæum ; Gregorium Turon. de Gloria Confessorum cap. 69. Obtinuit autem mos hic tingendi, scilicet in Paschate et Pentecoste, usque ad finem sæculi XI, teste Theophylacto Commem. in Lucam X. Hactenus autem dicta ita accipienda sunt, ut casus necessitatis fuerit excipiendus.

[d] Vel senes, vel potius infantes, quia jam tunc temporis baptisma etiam infantibus ministrabatur. Noverunt omnes ea quæ synodus Africana 66 Episcoporum sub Cypriano statuit adversus Fidum episcopum ; hic etenim, eodem referente Cypriano in epist. ad eumdem, quæ est 65, asserebat infantes infra secundum vel tertium annum baptizari non oportere. Vide Augustinum epist. ad Hieronymum 28. D

[e] Quomodo id fiat, docet Augustinus tract. 26, in Joan. VI, et serm. 2 de Verbis Apostol. et Maldonatus in Joan. VI, 44, cujus verba doctissime explicat contra Calvinum, Lutherum et Pelagium. Itemque docet quomodo accipienda sint verba Augustini serm. 2 supra laudato dicentis violentiam qua trahi dicimur, fieri cordi non carni. Tria autem dat auctor exempla de Jacobo, Loth et Petro, qui libere quod jusserat Deus facere cupientes obstaculis quibusdam nihilominus retenti, alieno indiguerunt auxilio, ut quod in prima eorum voluntate erat libere exsequi valerent. De hac re fere ad casum nostrum sanctus August. epist. ultima tom. II. Vide S. Gregorium Nyssenum, tract. in eos qui differunt baptisma. MITA.

[f] In Evang. habetur *traxerit*. Ambrosius cum nostro ex Græco ἑλκῦσαι *attrahere* legunt.

[g] Sic ex ms. Vallicell. et Latinio. Editi, ex Mita, *Generatione*.

juges, ne parentes prævenți morte, et præsenti vita careant, et non perveniant ad futuram.

SERMO XI.

De jejunio et tentationibus Christi.

Quod curiositas humana, quod veterum labor, quod sapientia mundana quærens, et diu quærens, non potuit invenire, hoc scire et nescire facile præstitit lex divina. Unde malum, culpa unde, vitiorum vis unde, unde criminum furor, unde corporum bella, unde conflictus animæ, unde vitæ tempestas tanta, unde mortis naufragium tam crudele nesciret homo, nisi Dei lex [a] diabolum prodidisset? Diabolus mali auctor, nequitiæ origo, [b] rerum hostis, secundi hominis semper inimicus, ille laqueos tendit, lapsus parat, foveas fodit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit, immittit iras, dat virtutes odio, vitia [c] dat amori, errores serit, discordias nutrit, pacem turbat, affectus dissipat, conscindit unitatem, sapit malum satis, bonum nil, violat divina, humana tentat. Hinc usque ad Christum tetendisse tentator temerarius sic refertur : *Et cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit; et accedens tentator dixit ei : Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant* (*Matth.* VI). Audientes ista in Deum non vadant, [d] non criminentur naturam, non contumelientur auctori, non accusent carnem, de anima non quærantur, non impetant tempora, [e] astris non imputent, infamare desinant innocentiam creaturæ, [f] malum sentiant accidens, non creatum, et creatorem boni Deum, diabolum inventorem mali : ac sic ascribant diabolo mala, bona Deo; declinent mala, faciant bona, habituri in bonis adjutorem Deum, qui dat posse quod jubet, et quæ præcipit, facit ipse : quia sicut diabolus [g] impellit ad mala, sic Deus deducit ad bona. Nemo ergo quasi concreatis sibi vitiis obsequatur, et quod est criminis esse putet naturæ, sed sumat cum Christo arma jejunii, criminum propellat impetus, prosternat castra vitiorum, et [h] de ipso auctore mali sumat Christo dimicante victoriam, diabolo victo vitia nil valebunt : quia exstincto tyranno solutæ acies sunt tyranni. Audi Apostolum dicentem. *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem : sed adversus spiritualia* [i] *nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI, 12). *Tunc*, inquit, *Jesus ductus est in desertum a spiritu.* [i] Non a diabolo, ut esset divinus cursus, non humanus incursus, ut esset spiritus præscientiæ, inscitia non esset humana; et esset potestas Dei, potestas non esset inimici. Diabolus semper primordia boni pulsat, tentat rudimenta virtutum, sancta in ipso ortu [k] festinat exstinguere, sciens quod ea subvertere fundata non possit. Hoc non ignorans Christus [l] diabolo se quærenti, patienter indulsit, ut inimicus laqueo suo ipse teneretur, et caperetur inde, [m] unde capere se putabat; sicque a Christo victus, cederet Christianis. *Et cum jejunasset*, inquit, *quadraginta diebus et quadraginta noctibus.* Videtis, fratres, quia quod Quadragesimam jejunamus, non est [n] humana inventio, auctoritas est divina, et

[a] Ad Rom. VII, 7 : *Peccatum non cognovi, nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces.*

[b] Suspicatur Latinius, an sic legendum. Fortasse in sensu Chrysostomi in psalm IV : *Communis orbis terrarum hostis;* et Justini Martyris in Exhort. ad Græcos : *Humani generis hostis.* Alia similia congeruntur apud Ignatium epist. ad Philipp. pag. 43.

[c] Editi, *amoris.* Emendavit Meursius.

[d] Vide Augustinum tom. I Retract. cap. 11 lib. I de Moribus Manichæorum, lib. II de Fide ad Petrum Diaconum, cap. 20, et lib. VII Confess. cap. 13; Leonem M. serm. 4 de Quadrag. pag. 38 col. 1 editionis Lugdun.; qui et ipsos Manichæos damnat his verbis Chrysologi mentem satis aperientibus : *Sed væ illorum dogmati* (Manichæorum scilicet quos paulo ante dixerat *famulos diaboli*) *apud quos etiam jejunando peccatur; damnant enim creaturarum naturam in Creatoris injuriam, et contaminari edentes asserunt iis quorum non Deum sed diabolum conditorem esse definiunt; cum prorsus nulla sit substantia mala, nec ipsius mali sit ulla natura. Omnia enim bona, bonus Auctor instituit*, etc. Observanda etiam sunt hæc contra Saturnianos, qui cum Manichæis docebant peccatum a natura, et non a culpa inesse hominibus.

[e] Stellarum influxus, et aspectus, plurimum ad ea quæ nos agimus conducere, non unus ex veteribus sibi stultissime suaserant. Gregorius M. homil. 10 in Evangelio ait, Priscillianistis hanc adhæsisse mentem, quemcumque, scilicet, hominem sub potestate stellarum nasci; unde eruerant ab eorum motibus multa quæ nobis debent evenire portendi. Vide Rufinum Aquileiensem, apud Sirmondum tom. I p. 167, contra Origenem circa astra eximie delirantem. Fuit hæc et gentilium opinio, sed non omnium; stultorum tantum, et amentium, ut notat Theodoretus quæst. 15.

[f] Augustinus de Fide ad Petrum Diaconum cap. 20 : *Nullam esse malam naturam, quia omnis natura, in quantum natura est, bona : sed quia in ea bonum et augeri et minui potest, in tantum mala dicitur, in quantum bonum ejus minuitur.* Malum enim, nihil aliud est quam boni privatio, etc. MITA. — Hieronymus homil. 5 in Eccles. pag. 417, *Vitium in se non consistit, sed consistit in privatione mali.* Vide Basilium homil. 2 in Hexam. pag. 22.

[g] Latinius et Mita. Alii, *impellit mala.*

[h] Scilicet inventore mali, ut superius, qui nos ad malum provocat et adducit. Hoc sensu Cyrillus homil. Paschali 6 pag. 68 : *Dæmon mali auctor, peccati pater.*

[i] Locum hunc Apostoli Patres nonnulli, cum Chrysologo, in hunc eumdem sensum adducunt : Leo I, serm. 4 de Quadrag. cap. 4; Paschasius lib. III in Matth., Guillielmus Ebroicensis, serm. 1 in dom. 1 Quadrag., aliique.

[j] Ut innuat, Christum Spiritu non humano, sed divino ductum, sponte secessisse. Severus ex Græca voce ἀνῆθαι vertit *subductus;* quasi a turba segregatus.

[k] Ut ab exemplo Christi statim post Baptismum tentati, discamus et nobis, vel post sinceræ vitæ professionem, tentationes imminere. Hilarius in Matth. pag. 677 : *Tentatur, igitur, statim post baptismum Dominus, tentatione sua indicans, in sanctificatis nobis maxime tentamina grassari.*

[l] Ne quis forte existimet Christum necessitate, et non sponte fuisse tentatum; *occasionem enim tentandi, non nisi datam tentator habuisset*, inquit Hilarius hic.

[m] Christum enim esurientem diabolus fraude et dolis aggressus est, ut eum falleret.

[n] Ab abstinentia Salvatoris in deserto effluxisse in Ecclesiam quadragesimale jejunium, quidquid oblate-

est mysticum, non præsumptum; nec est de terreno usu, sed de cœlestibus est secretis. Quadragesima quatuor decades [a] quadratam fidei continet disciplinam, quia semper est quadrata perfectio. Quaternarius numerus et denarius quæ in cœlo, et in terra [b] teneant sacramenta, quia aperire modo non vacat, explicemus Domini cœpta jejunia. *Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus.* Homo, [c] Deus in te jejunat, in te esurit; immo jejunat tibi, tibi esurit, qui sibi sicut nescit manducare, sic non potest esurire. Ergo cum propter te jejunat Christus, te esurit. *Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit.* Hoc non est infirmitatis signum, sed est insigne virtutis; quia cum dicit, *postea esuriit*, quadraginta diebus et [d] quadraginta noctibus probat in illo esuriem non fuisse. Esuriem sentire, et vincere, est laboris humani : [e] divinæ virtutis est esuriem non habere. Ergo Christus non jejunio lassescit, non esurit fame, sed [f] esurivit Christus, ut tentandi materiam diabolus inveniret, quia [g] ad jejunum non audebat accedere, quia sic jejunantem, [h] Deum non hominem sentiebat. Tunc sensit hominem, tunc mortalem credidit, tunc eum putavit posse tentari, quando eum esurire callidus explorator inspexit. *Et accedens tentator dixit.* Accessit tentantis dolo, non obsequentis affectu. Accessit pejus impudens quam recessit, sed esurienti quid obtulerit, audiamus. *Dic ut lapides isti panes fiant.* Lapides esurienti offert : humanitas talis est semper inimici; sic pascit mortis auctor; sic [i] invidus vitæ. *Dic ut lapides isti panes fiant.* Diabole, fallit te provisio tua. Potest famem vertere in saturitatem, qui potest in panem lapides immutare. Quid illi consilium tuum, cui sua sufficit virtus? *Dic ut lapides isti panes fiant.* Diabole, [j] et prodidisti te, et tuum Dominum non pavisti. *Dic ut lapides isti panes fiant.* Miser! malus vis esse, sed non potes; cupis tentare, sed nescis; esurienti tenera offerre, non dura debuisti; famem non asperis palpare, sed blandis; inediam non horridis urgere debueras, sed gulosis. Istis non modo Dei Filium, sed hominis filium tu laqueare non posses. Ad præsentiam Christi deperire tibi artes tuas, tentator, intellige. *Dic ut lapides isti panes fiant.* Potest de lapidibus panes facere, qui aquas convertit in vinum. Sed signa fidei sunt præstanda, non dolis; credenti danda sunt, non sunt danda tentanti; et facienda sunt ad petentis salutem, non ad facientis injuriam. Diabole, tibi ut quid signa, cui [k] nil subvenit ad salutem, cui totum restat ad pœnam, cui et signa proficiunt ad ruinam? Sed accipe responsum, ut te intelligas, et subjiciaris auctori. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Audi Patris Verbum verba salutis nostræ esurire, non panem, et agere ut homo semper vivat [l] cœlesti verbo, terreno pane non semper : ac sic Deo vivat, ut sui nescius sit laboris; quia vere illa vita est, quæ sudorem nescit, dolores non habet, non habet finem.

SERMO XII.

De eisdem.

Quoniam [m] jejunii vernum, et tempus bellorum

rent heterodoxi, testis est Ignatius epist. ad Philipp. pag. 45 edit. Genev. 1623, collector Constit. Apost. cap. 12, quæ loca frustra ab eis tentantur; Ambrosius item serm. 34, Hieronym. in Isai. LVIII, Augustinus epist. 119 cap. 15, Theodoretus, Histor. cap. 26, Basilius, orat. de jejunio.

[a] Id est perfectam, explicat Mita.

[b] Quaternarii numeri mystica mysteria exponunt Ambrosius serm. 4, qui est feriæ 3 post domin. 2 Quadrag., Theophylactus patriarcha Antiochenus lib. IV Alegor. in Evang., Gregorius Magnus homil. 16 in Evangel., Hilarius, Maximus, Basilius, præ aliis Paschasius lib. III in Matth.

[c] In tua humanitate, et tibi, id est ad tuam utilitatem, explicat Mita.

[d] Addit noctes ex Evangelio : quod vel dies et noctes ponit pro integris diebus; vel innuere voluit Christum non jejunasse more Judæorum, qui interdiu jejunabant, nocte vescebantur.

[e] Hic damnari possunt Cerinthiani, Ebionitæ, eorumque sectatores Paulus Samosatenus, atque Photinus, qui in Christo nil præter hominem esse asserebant. Theodosiani quoque; Theodorus enim lapsus in persecutione, ne Deum negasse videretur, purum hominem Christum dixit. Certe virtutis vocabulo, ubi de Christo sermo est, ad divinam ipsius naturam referri tantum non semper apud sanctos Patres, præcipue apud Hilarium, animadverti.

[f] Hilarius tom. I, pag. 677. Non enim erat a Deo diabolus, sed a carne vincendus : quem utique tentare ausus non esset, nisi in eo per esuritionis infirmitatem, quæ sunt hominis non recognovisset. Augustinus, vel quisquis est sub ejus nomine auctor de Mirab. S. Script. tom. III lib. III cap. 6 : *Famem verbo, et laborem Redemptor noster consummato tanto dierum numero sustinet : quatenus et tentatori occasionem afferret, et nosceretur quam veram humanæ carnis substantiam aestaret.*

[g] Tantum enim post exactos quadraginta dies *accessit ad Jesum*. Quamvis Origenes, aut quis alius auctor homil. 29, sentiat eum per totos quadraginta dies fuisse tentatum.

[h] Similia habet Leo Magnus serm. 4 de Quadrag., qui ideo diabolum Christum tentasse dicit, ut videret *an Christus hujus esset conditionis, cujus erat corporis.*

[i] Ex codice Vatic. Alias, *invitus*.

[j] Locum in plurimis editionibus corruptum restitui ex edit. Bonon. et ms. Vallicell.

[k] Damascenus Orthodox. Fid. lib. II cap. 4 pag. 78 : *Scire oportet quod hominibus mors est, hoc angelis esse lapsum; post lapsum enim non illis pœnitentiæ locus, ut neque post mortem hominibus*: Observandus locus contra Origenem et asseclas ejus, qui docuerunt dæmones tandem aliquando ad pristinam felicitatem redituros. Leontinus de Sectis, act. 10 pag. 550, de Origene dicit, credidisse eum *dæmones et angelos restitutum iri*. Testatur Photius epist. 1 pag. 2 : *Malis dæmonibus antiquum locum et dignitatem largiebantur; nam regressus illis ad cœlestem gloriam patefactum iri docebant, unde exciderant.*

[l] Ita explicatur ab interpretibus illud Evangelii *de omni verbo*. Cum enim homo constet anima et corpore; anima verbo Dei, corpus pane alitur. Est autem hic Hebraismus, ait Calmetus, ut verbum accipiatur pro qualibet re : *Nil non aptum cibo fit jubente Deo.*

[m] Secutus est auctor Chrysostomum serm. de Jejun., et Genes. : *Jucundi sunt jejuniorum dies spiritale animarum ver. Vernum pro ver.* Vide Barthium Adversar. lib. x cap. 12, qui Chrysologum laudat. Ennodius, carm. 4 :

> Orbe captiva Venus alma fusis
> Dotibus, florum per amœna ludens,
> Dum facit vernum pretium et micantis
> Sidere formæ.

Idem in præfatione carm. Epiph. : *Et pueritiæ adhuc in illo, et sæcularis licentiæ* verna *ridebant.*

spiritualium cernimus advenisse, sicut Christi milites, deposito corporis animæque torpore, virtutum procedamus ad campum, ut membra quæ sunt nobis hiemali otio mollita, exercitio cœlestium roborentur armorum. Dedimus corpori annum, demus animæ dies; impendimus nobis tempora, tempus deputemus auctori; vivamus Deo paululum, qui sæculo viximus totum; seponamus domesticas curas, Ecclesiæ maneamus in castris; vigilemus in acie Christi; somnum cubilium non quæramus, jungamur fortibus; ab amplexibus separemur mollibus; amor nos teneat triumphorum, parvulorum non avocent blandimenta; auribus nostris insonet vox divina; familiaris strepitus nostrum non confundat auditum; [a] cibus parcus de cœlesti sumatur annona; terreni luxus copiæ non quærentur; in poculis sobrietatis mansura servetur; vires ebrietas [b] non enervet. [c] De stipendiis quidquid exuberat, [d] commilito pauper assumat; [e] pestilens effusio nil perdat; in conflictu habebis in auxilium, [f] esurientem socium quem cibabis. Sic muniti, fratres, [g] instructi sic, indicemus bella peccatis; statuamus criminibus pugnam, conflictum vitiis nuntiemus, securi de victoria : qui nec arma cœlestia hostes poterunt superare terreni, nec divino regi adversa poterunt contraire mundana : nec [h] in procinctu fidei constitutos, prævenire poterit inimica subversio ; neque cautos, vigilantes, sobrios, diabolus perturbare suis superventionibus prævalebit ; certe neque nos taliter armatos publico conflictu provocare audebit : dolis appetere non præsumet. Animus in cœlesti speculo perseveret ; diaboli fraudulentas et occultas deprimat et declinet insidias. Est quidem diabolus per se nequam, fit tamen nequior provocatus. Audi Apostolum dicentem : *Diabolus sicut leo rugiens circuit, quærens quem devoret* (I *Petr.* v, 8). Jejunantibus nobis, diabolus esurit, qui nostris semper saturatur ex culpis. Ille cibum nostrum deducit in crapulam : potum nostrum in ebrietatem diffundit, ut mentem faciat amentem, carnem luteam reddat, corpus animi domicilium, animæ vas, murum spiritus, virtutum scholam, Dei templum, in scenam criminum, in vitiorum pompam, voluptatem redigat in theatrum. Capit ille satietatem, voluptatem percipit, expletur epulis, quando nos luxus solvit, libido stimulat, pompa rapit, impellit ambitio, urget ira, furor implet, succendit invidia, cupiditas inflammat, curæ sollicitant, lites vexant, lucra capiunt, usuræ vinciunt, chirographa ligant, premunt sacculi, elidit aurum. Quando moriuntur virtutes, vivunt vitia, voluptas effluit, honestas perit, misericordia deficit, abundat avaritia, regnat confusio, succumbit ordo, prosternitur disciplina. Ista militant adversum militem Christi ; istæ sunt satanæ cohortes, istæ diaboli legiones, ista sunt quæ mundum [i] sepulcris obsederunt, debellaverunt populos, vastarunt gentes, orbem totum duxere captivum. Ista sunt quibus nullus per se potuit [j] obviare mortalis : et ideo ad vincenda ista Deus venit ipse, cœli rex ipse descendit, ipse victor singularis advenit, jejunium quadragesimæ statuens in procinctu, ut quaterna decade jejunii [k] quadraturam mundi totam muro inexpugnabili communiret. Jeju-

[a] Hoc est, parce vivamus de fructibus quos natura ipsa producit, non coquorum manus præparat. August. tom. X serm. 56 de temp. *Nihil prodest tota die longum duxisse jejunium, si postea ciborum suavitate, vel nimietate anima obruatur. Illico mens repleta torpescit, et irrigata corporis nostri terra, spinas libidinum germinabit.* Mita. — *De cœlesti annona :* scilicet de divina Providentia, quæ nobis ad victum necessaria suppeditat. Judith. v, 14 : *Annonam de cœlo consecuti sunt.*

[b] S. Leo, serm. 8, de jejun. *Quotidiano enim experimento probatur, potus satietate aciem mentis obtundi, ciborum nimietate vigorem cordis hebetari, ita ut delectatio edendi, etiam corporum contraria sit saluti, nisi ratio temperantiæ obsistat illecebræ; et quod futurum est oneri, subtrahatur voluptati.* Vide serm. 8 septim. mens. prope finem. Miles propter ebrietatem removetur a militia. L. *Omne* § *Per vinum* ff. de Re Milit. Mita.

[c] Speciatim ad milites Cæsaris (scilicet Valentiniani III) loquitur, ut superflua pauperi commilitoni tradant. Mita. — merces diurna militum incerta, si Polybio fides. Hæc erat fortasse olim peditibus Romanis duorum obolorum, ductoribus quatuor, equitibus unius drachmæ. Sequioribus temporibus aurum et argentum minoris pretii est habitum, et stipendia largiori manu tribuebantur. Hæc apud SS. PP. quandoque dicuntur ὀψώνια. Ita sumitur illud Lucæ III, 6, ubi Gregorius Nazianzenus orat. 9 pag 155, Paris. 1630, Theophilactus in cap. VI ad Romanos pag. 60, Londini 1636, et in cap. III Lucæ, pag. 325. Jejunii autem cum militibus ad arma primo vere surgentibus aptissimam comparationem habes etiam apud Chrysostomum hom. 3 ad populum Antiochenum, Bernardum serm. 1 exhort. ad milites Templi, cap. 1, Antonium Patavinum serm. 2 domin. 1 Quadrag.

[d] Socium commilitonem, et socium contubernalem passim apud scriptores. Paulinus Nolanus ep. 25 pag. 162, *Socius contubernii mei.*

[e] Dicitur pestilens effusio, quoniam in animæ perniciem diffunditur, quidquid in peccatis distrahitur.

[f] Aliæ editiones, et nonnulla mss., *esurientem saucium*, vel *esurie saucium.* Socium esurientem, hoc est pauper, quem si famescentem cibaveris, tibi sociabitur in bello, si non manibus, saltem oratione apud Deum.

[g] Quod editi habent *sic instituti*, emendare placuit ex Latinio et ms. Vallicellano.

[h] Ecclesia catholica dicitur *procinctus fidei*, hoc est murus, inexpugnabilis. Similiter jejunium est procinctus contra hostes, ut infra. Catholici dicuntur in procinctu fidei esse, quia jugiter parati sunt pro fide ipsa usque ad sanguinem pugnare, ut martyres faciunt. Mita. — Procinctus idem est ac expeditio militaris. Ammian. Marcell. lib. XXIX, pag. 579 : *Obsessa a Marcomannis Aquileia, Opitergium excisum, et cruenta complura perceleri acta procinctu.* Paulinus Nolanus epist. 7 pag. 37 : *De bucellato* (species panis militaris recocti) *Christianæ expeditionis, in cujus procinctu quotidie ad frugalitatis annonam militamus.*

[i] Hoc est mundum replevere sepulcris, propter innumera bella hinc secuta. Mita.

[j] Catholicum sensum, quo docemur nullum hominum absque gratia Dei habituali posse viribus naturæ omnia vitare peccata, contra Pelagianos leviter tangit.

[k] Orientem scilicet, Occidentem, Aquilonem, et Austrum ; vel Asiam, africam, Europam, et Americam, quæ forte tunc erant nota. Mita

nium, fratres, scimus esse Dei arcem, [a] Christi castra, murum spiritus, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis tropæum. Hoc [b] Adam servasset in paradiso, quem inde [c] detraxit gula (*Gen.* III). Hoc in arca [d] custodivit Noe (*Gen.* VII), mundum ebrietas cum demersit. Per hoc Loth Sodomiticum restinxit incendium, qui per ebrietatem incesti est adustus incendio (*Gen.* XIX). Hoc Moysem divini fervoris fecit lumine [e] perlucere, quando comessatio et ebrietas Israeliticum populum simulacrorum tenebravit erroribus (*Exod.* XXXII). Hoc [f] Eliam pervexit ad cœlum, quando Achab impium ebrietas ad inferna dejecit (IV, *Reg.* II). [g] Hoc Joannem in natis mulierum fecit esse majorem, quando temulentia Herodem principem imperio mulierum reddidit homicidam (*Marc.* VI). Quadragesimæ jejunium, fratres, [h] vetustas diaboli prodidit et patefecit insidias. Diabolus namque qui manducantem contempserat Christum, bibentem velut hominem computarat, ubi jejunantem vidit, suspicatur Deum, Dei Filium confitetur. *Si Filius Dei es*, inquit, *dic ut lapides isti panes fiant* (*Matth.* IV). Sic dicendo, diabolus hominem vult monstrare, non Deum : non cibum parare vult, sed vult amputare jejunium. *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Post jejunium, panem non divina virtus, sed infirmitas humana disquirit, nec sic [i] lassescit fame Deus, ut ad providendum sibi cibum, quod est suæ potestatis, [j] abdicat. Ex sequentibus itaque diabolus aperit quid conetur, *Si Filius Dei es,* [k] *mitte te deorsum.* Satis hominem probare vult, cui non [l] ascensum providit, sed ruinam : humana conditio ad ascensum difficilis, facilis invenitur ad lapsum. *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Erras, diabole : nec tentare nosti : cadere non potest Deus. *Tunc ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum, et dixit ei : Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me.* O ausus diaboli ! Deo dicit, adora me : sed sensit mox virtutibus Deum, pœnis judicem, supplicem præmiis quem quærebat : nam Christi nomine, nomine jejunantis cœpit ab obsessis corporibus effugari, et dare tremens illi gloriam, cui superbus callide irrogarat injurias : jejuniis vicit, ut nobis vincendi vires, vincendi formam taliter largiretur. « Hoc, ait, genus non ejicitur, nisi in jejunio et oratione. » Jejunemus ergo, fratres, si volumus imitari Christum, si volumus fraudulentas diaboli superare versutias.

SERMO XIII.

De eisdem.

Ecce tempus quo miles procedit ad campum, recurrit ad Dei jejunia Christianus. Ecce tempus quo carnis otia, quo mentis ignavia, quo ventris cura, et tota est familiaris obsequii deponenda torpedo. Ecce tempus quo in armorum cœlestium meditatione, animæ et corporis exercendæ sunt vires. Ecce tempus quo residente Christo [m] astantibus angelis nostra luctaminis exercenda est fortitudo. Nunc est tempus quo gula cum jejunio, abstinentia cum crapula, cum luxuria castitas, cum perfidia fides, pietas cum impietate, patientia cum furore, cupiditas cum liberalitate, misericordia cum avaritia, humilitas cum superbia, sanctitas cum reatu, Christo remunerante confligit. Si quis ergo, spectante Deo, cœlesti resonante jam tuba, angelico insistente occursu, cubiculi irretitus illecebris, enervatus mollitie palmarum, resolutus in totum jugalibus blandimentis, ad [n] exercitium virtutis venire neglexerit, perdit luctaminis præmium, virtutis gloriam, certaminis palmam, justitiæ coronam, [o] desertoris etiam crimine mulctabitur in futurum:

[a] Ambrosius tom. V. serm. 36, circa initium : *Castra enim nobis sunt nostra jejunia.*

[b] Ex Mita. Aliæ editiones, *servavit.*

[c] Consonat Chrysostomus hom. 22 tom. VI.: *Adam ex incredulitate et propter cibum lapsus est.* Isidorus Peleusiota lib. I, quæst. 69 : *Annon gula primos parentes deliciis exputit ?* Vide Ambrosium lib. de Elia et jejunio cap. 4, post medium. Basilium hom. de jejun., etc.

[d] Hæc eadem Isidorus loco cit. Apposite S. Eligius episc. Noviomen. hom. in dom. 1 Quadrag : *Noe vir sobrius, mundo pereunte, inter undas diluvii servatur.*

[e] Ex ms. Vallicell. Male editi quidam, *Perducere.*

[f] Alii, *perduxit.* Non una est SS. PP. de ascensione Eliæ sententia. Alii putant eum non in cœlum, sed quasi in cœlum ascendisse. Theodoretus in psal. XXIV, pag. 486 : *Magnus Elias assumptus est quidem, at non in cœlum, sed tamquam in cœlum.* Apud Athanasium orat. de assumpt. Christi, tom. II, pag. 4. *Assumptus est Eliâ tamquam in cœlum.* Vide etiam (nos enim chartæ parcimus) Theophylactum in cap. XXIV, Lucæ pag. 546 ; Chrysostomum homil. 87, quæ est de Ascensione, tom. V, pag. 600 ; Œcumenium in cap. I Actorum. Causam vero cur ii aliique decepti sint, in lectionem Septuaginta Interpretum in II Reg. II, 11, Suicerus refundit. Alii cum Scriptura, quibus et noster assentitur, docent Eliam in ipsum cœlum assumptum fuisse. Idem Chrysostomus hom. 121 tom. VI, pag. 792, et homil. 2 ad populum Antiochenum tom. I pag. 37 edit. Paris. ; Gregorius Nazianz. orat. 34, pag. 549 ; Tertull. lib. V adversus Marcionem cap. 12 pag. 795.

[g] A Chrysostomo tom. VI homil. 84 Joannes dicitur ἄσιτος, *inedia laborans.* A Gregorio Nazianz., orat. 29 pag. 633, ἄτροφος, *impastus.*

[h] Nam et initio mundi suasit Evæ ut amputaret jejunium. Ex Mita. Satis a longe petitum. Crederem hic *vetustas* apponi, pro *fraudulentas*, ut infra *fraudulentas diaboli versutias.* Sic Claudiánus de Rufino, hominem vaferrimum *vetulam vulpem* nuncupavit.

[i] In editis, perperam, *lacessit.*

[j] Sic emendat Latinius quod habent omnes lexici *addicat.*

[k] Sequitur Chrysologus ordinem tentationum, secundum Matthæum ; quem genuinum esse inde constat, quod in nonnullis veteribus exemplaribus, quæ vidisse testatur Faber apud Jansenium Concord. cap. 15 idem sit et apud Lucam, ut notat Stapulensis. Et illud ὕπαγε, ubi melius connectitur quam cum impudentissima illa adorationis tentatione, quæ tertia est apud Marcum, apud Lucam secunda. At nimirum an hoc potius vel illud antea factum, *nihil tamen ad rem, dum omnia esse facta manifestum sit*, inquit Augustinus lib. II de Consens. Evangel. cap. 16.

[l] Ex ms. Vallicell. Editiones nonnullæ *assensum.*

[m] Nescio quid simile S. Asterius episcopus Amaseæ hom. 8 in ingres. jejunior. : *Noveris, o homo, ejus qui jejunat domus custodes esse angelos, et nostri veluti continui stipatores.*

[n] Alias, *exercitum virtutis.*

[o] Transfugarum et deficientium pœna varia apud varios fuit. Lib. III de Re Milit. l. *Desertor.*, cap. 6, de Re Milit. ; Cod. de Desert. lib. XII. Vide Alexand. ab Alex. lib. XII cap. 13.

Hodie, fratres, Christus rex noster commilitones suos de evangelico allocutus est tribunali, indixit hostibus bella, promisit præmia pugnaturis, retulit bellorum causas, inimicorum dolos prodidit et conatus; ubi, et quando, et quomodo confligendum sit nobis triumphali constitutione signavit. Et quamvis solus possit obtinere victoriam, propter nos tamen, et nostram formidinem, adesse tota jussit [a] præsidia de supernis. Qui ergo ista noluit audire, qui statuta regis nostri talia, et tanta, scire contempsit, judicate si non ipse se exuit nostræ militiæ sacramentis, et cœlesti contubernio reddidit, et fecit extorrem. At vos, fratres, qui sequi vultis in hoc Quadragesimæ jejunio jejunii Dominici formam, pugnaturos vos, sicut prædiximus, contra vitiorum turmas, contra acies criminum, contra informes concupiscentiarum formas, contra dæmonum [b] totas aerias, totas diffusas, et innumeras legiones, triumphaturos vos ex ipsis quæ Dominicum jejunium subsequuntur tentationibus approbate. Ubi enim Dominus Quadragesimæ jejunium indefesso illo virtutis suæ aggressus est documento, mox diabolus occurrit pugnaturus dolis, quia jejunanti viribus obsistere non valebat. Quantum enim crapulationi deditis [c] dominatur et ebriis, orantes timet tantum, tantum refugit ille jejunos, dicente Domino : *Non ejicitur nisi in jejunio et oratione* (*Matt.* XVII). Sed qua fraude diabolus tentare ausus sit, audiamus : *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Audistis quid de jejuniis ipse sentiat, et judicet inimicus. *Si Filius Dei es.* Videtis quia jam non hominem, sed [d] Dei Filium credit, quem liberum a ventris conspexerat servitute. Sensit, sensit diabolus jejunium cunctis virtutibus anteferri. Joannem viderat urbium delicias, [e] squalentis eremi habitatione mutasse, mollitiem carnis vestis asperitate calcasse, agresti cibo mundi totam frenasse luxuriam, et, quod solum deitatis insigne est, hominibus [f] dimisisse peccata. Et tamen non ei dixit : *Si Filius Dei es.* At ubi Dominum vidit jugiter jejunantem, proclamat : *Si Filius Dei es* (*Matth.* III). Errat diabolus, qui contra Dominum astutiæ suæ nequitias et argumenta jaculatur. *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Quid est quod jejunante Christo Deitatis signa tota in sola panis promissione perquirit? Et quem Dei Filium continua [g] jejunii significatione præsentit, esse Dei Filium de provisione panis, de cura ventris desiderat approbare? *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Quare non dixit : Si Filius Dei es, dic ut homines, aut angeli, aut aliquid aliud fiant, sed dic ut lapides isti panes fiant? Signum panis petit, qui signum jejunii pertimescit. Signum panis petit, ut jejunii tremendum sibi refugiat signum. Panem malus ingerit [h] consultor, ut virtutem mutet, ut propositum

[a] Hilarius Comment. in Matth. III pag. 679 § 5 : *Post hanc ergo diaboli fugam angeli Christo ministrant, ostendentes a nobis victo calcatoque diaboli capite, et angelorum ministeria, et virtutum in nos cœlestium officia non defutura.*

[b] Hieronym. tom. VI super cap. VI Epist. ad Ephesios pag. 432, E : *Hæc autem omnium doctorum opinio est, quod aer iste, qui cœlum et terram medius dividens inane appellatur, plenus sit contrariis fortitudinibus*, id est dæmonibus. Apposite ad rem nostram Gregorius Moral. lib. XIII cap. 17; Bernardus tom. II serm. 63 de statu purgatorii art. 1 cap. 3. Nescio autem, et nec affirmare auserim vel negare, fueritne Chrysologus ex opinione eorum qui dæmones ex materia aerea subtiliorique, ita ut morti non sit obnoxia, creatos fuisse crediderunt. A qua non multum visus est abhorrere Augustinus lib. III de Genes. ad Litteram cap. 10 tom. III pag. 113, E, edit. Antuerp. 1700 : *Et si dæmones aeria sint animalia, quoniam corporum aeriorum natura vigent, et propterea morte non dissolvuntur, quia prævalet in eis elementum, quod ad faciendum quam ad patiendum est aptius.* Ad Paulinum tamen epist. 95 hac de re scribens, rursus simili quodam modo disputat, sed ab eo tandem petit, ut si quid aliquid excogitaverit, vel ab aliis acceperit se faciat certiorem. Tatianus Assyrus orat. ad Græcos pag. 154 : *Dæmones omnes non carneâ, sed spiritali concretione constant, qualis est ignis et aeris.*

[c] Vide Clementem Alexandrinum Strom. lib. II cap. 1 et Pædagog. lib. II cap. 1 pag. 148, D, ubi ebriis et helluonibus dicit *præesse dæmonem*, quem non veretur appellare κοιλιοδαίμονα, *dæmonem ventriloquum, dæmonum omnium pessimum et perniciosissimum.*

[d] Sane diabolus non solum ex prophetis, et ex eis quæ nato Christo acciderant, et ex Joannis testimonio, sed etiam ex vita immaculata agnoverat Christum Filium Dei esse. Suspicabatur autem ne adoptivus. Videatur Augustinus tom. VII, lib. IX, pag. 179 de Civit. Dei cap. 21 et omnes enarratores in illud D. Jacobi XI, 19 : *Dæmones credunt et contremiscunt.*

[e] Virgilius I Georgic. : *Squalent abductis arva colonis.*

[f] Quia dabat baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum : non quod baptismus Joannis per se daret remissionem peccatorum; sed quia ad illam comparandam homines excitabat per pœnitentiam. Vide infra serm. 137. MITA. — Hæc quæ sequuntur ex Latinio : Contrarium asserit infra serm. 50. Locus notandus, sed repudianda sententia omnino videtur. Dei enim solius est peccata dimittere, nec umquam legimus potestatem dimittendi peccata prius collatam fuisse apostolis suis a Christo, nisi post resurrectionem; tunc enim tributa sacramentis novæ legis gratia, et inspirato Spiritu sancto in apostolos, virtus remittendi peccata collata est apostolis. Joannes autem ingenue fassus est, et, demonstrato Jesu vero Dei Agno, ab eo peccatorum remissionem mundo esse dandam confirmavit. Idem asserit Basilius serm. 2 de Baptis. Hæc Latinius. Non defuere tamen ex Patribus qui a baptismo Joannis peccata rebantur dimitti, dispositive tamen, et præparando homines ad pœnitentiam per quam consequimur gratiam. Unde Justinus martyr vocavit baptismum Joannis *Præludium evangelicæ gratiæ.* Basilius ipse a Latinio laudatus, tom. II lib. I de Baptis. cap. 2 pag. 632, licet ubique prædicet baptisma Evangelicum excellentius esse baptismate Joannis : *Simul atque ad gratiam Dei, et Christi ejus aliquis accesserit, quantacumque et qualiacumque peccata fuisset confessus, et baptizabatur in Jordane fluvio, et statim gratiam consequebatur peccatorum.*

[g] Hoc est : quamquam assidui jejunii demonstratione dæmon argumentatur Jesum esse Filium Dei, quid est quod firmius has cupit argumentationes stabilire, si Jesus sibimet esurienti provideat panem. MITA.

[h] Ex ms. Vatican. Alias, nec male, *Consolator.* Inferius vero, *virtutem mutet*, ait, scilicet, *tollat, evertat* : verbum hoc sensu passim usitatum apud Plautum.

violet jejunantis. Sed videamus quid responderit de pane Panis qui de cœlo descendit : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Quam vere vivit in verbo Dei, Dei Verbum. Quam vere panis non indiget pane. Quam divine lapides convertit in homines, qui de lapidibus [a] Abrahæ filios ad indicium suæ majestatis exsuscitat. Et quia impudens inimicus nescit semel vinci, ad multiplicem vincentis triumphum, *Statuit Dominum* [b] *super pinnaculum templi, et ait : Si Filius Dei es, mitte te deorsum* (*Matth.* III, 12). O signum ! Mitte te deorsum : convenientius dixerit, Si Filius Dei es, [c] ascende ad cœlum, cum sit hominis utique ad ima cadere, Dei sit ad superna conscendere. *Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Sic suis suadet, sic suis providet semper ; sic suos elevat, ut de alto præcipitet validius in ruinam. *Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* [d] Consiliis suis diabolus se prodit, *Mitte de deorsum.* Lapsus quærit, præcipitia imperat, et tali consilio, [e] per Africam martyres facit, sine clamore, dicendo : Si vis martyr esse, mitte te deorsum, ut eos impellat de alto ad mortem, non de humili tollat, et elevet ad coronam. Et sicut se diabolus consiliis suis prodit, ita responsione sua Dominus se revelat, dum ait : *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*Deut.* VI). Se utique Dominum, se utique Deum intelligi voluit, hæc dicendo, qui non de pinna templi tantum se dedit ad terram, sed e cœlis se ad inferos usque jactavit, ut non cadentium forma, sed esset resurrectio mortuorum. Advertite, fratres, si possit sævius inimicus, quamvis sæpe victus, homini cedere, qui audit et sentit Dominum Deum, et tamen adhuc tentare non desinit. *Posuit eum super montem excelsum et ostendit ei omnia regna mundi ; et gloriam eorum, et ait illi, Hæc omnia tibi dabo* [f] *si procidens adoraveris me.* Hæc dicit, non qui possit dare, sed fallere ; nec promissa conferre, sed ipsa auferre promissionibus, quæ habentur. *Hæc omnia tibi dabo.* Offert quæ Dei sunt Deo, auctori quæ auctoris sunt repromittit : suadet ut adoret ab omnibus adorandus, et, cæcatus ausibus suis, ante judicium judici quemadmodum simplices deciperet confitetur. Cui Dominus non tam testimonio legis, quam divinitatis suæ respondet imperio : *Dominum Deum tuum adorabis* (*Deut.* VI), tu Dominum Deum illum, cui genu flectunt omnia non solum cœlestia et terrestria, sed etiam inferna (*Philip.* II). Adorabis ergo tu in inferno stridens et ejulans eum quem ad te adorandum modo

[a] Augustinus tom. III in Psal. XLVI : *Qui erant lapides, nisi gentes, quæ lapides adorabant ?* Intelligit ergo Chrysologus Deum ex lapidibus, id est gentilibus, Abrahæ filios, id est fideles excitasse. Hæc eadem Ignatius in epist. ad Magnesios pag. 59, Clemens Alexandrinus in Protrept. ad gentes pag. 3. Aliam allusionem eruit Chrysostomus hom. 11 in Matth., tom II pag. 961, quasi incredibile videri non posset, si Deus ex lapidibus faciat liberos Abrahamo, cum ipse Isaac ex Abrahamo jam effeto natus sit. Nam effetum Abrahami corpus lapidi comparatur Isa. LII. Hanc sententiam tuetur Theophylactus in III Matth. pag. 19. Photius autem epist. 77 pag. 25, 126, post has sententias enarratas, laudat mentem eorum referentium hæc ad conversionem Judæorum, qui tempore Dominicæ passionis, cum saxa omni sensu destituta scindi viderent, Christum vera fide amplexi sunt. Nec dissentit Theophylactus ipse l. c. : *Excitavit autem Deus filios Abrahæ ex lapidibus. Quando ? Cum multi, eo cruci affixo, vidissent ruptas petras, et credidissent.* Auctor autem noster hæc satis apposite ingerit, cum loqueretur Ravennæ, quod plures ex gentilibus Roma illuc convenissent, ut in Cæsaris aula frequentes essent.

[b] Quæstio olim fuit an Christus revera et corpore super pinnas Templi fuerit constitutus. Negat id inter alios vetustus auctor de oper. Cardin. apud Cyprianum de Jejunio et Tentatione pag. 425. Cui sententiæ non adhærendum. Quis enim sola mentis cogitatione in sublime actus in præceps sedare potest ? Christus ergo vere a terra attolli debuit, ut locus esset tentationi. Quid autem fuerit *pinnaculum*, ubi Jesus fuerat constitutus, ego frustra tentarem, nisi facem præberet doctissimus Lamy de Templo pag. 798. Ambiguitatem quæ est in voce latina *Templi*, fons Græcus aufert. Erat inquit, τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ, nomen autem τὸ ἱερὸν, distinguendum est a ναὸς quod proprium est ædis sacræ. Itaque erratum hucusque ab iis, qui opinabantur Jesum adductum a diabolo in summitatem ædis sacræ. Non enim legitur τοῦ ναοῦ, sed τοῦ ἱεροῦ. Nomen autem πτερύγιον, quod legitur in Matthæo et Luca, non esse Græcum putat Grotius, sed hellenismum, quod Hellenes, sive Judæi adumbrarunt ex Hebræo *canaph*, quod est margum, oram, summitatem. Omnia autem ea ædificia, quibus atria Templi circumdabantur, habebant τὰ πτερύγια, *summitates*, quibus coronabantur muri, ne quis ex illis caderet et simul ut tutius possent propelli hostes, qui muros scandere tentarent. Vide Josephum de Bello lib. V cap. 9, et Antiquit. lib. XIII, cap. item 9. Credimus igitur in hoc Evangelii loco, in quo versamur, sermonem fieri de pinnaculo porticuum, quæ atrium gentium circumdabant, quarum pars meridionalis imas despiciebat valles, quæ despectari non poterant, inquit, Josephus, *absque vertigine, visu deficiente ob nimiam profunditatem.* Nullus aptior præcipitio locus. Summum autem ædis sacræ fastigium horrebat verubus, quibus abigebantur aves, nec locus erat idoneus in quo diabolus sisteret Jesum.

[c] Similia velut ovo ovum habet Maximus Taurinensis homil. 1 de jejun.

[d] Editi, *conciliis suis se*, etc. Sanavimus ex castigatione Meursii pag. 131.

[e] Hac de re Augustinus hæres. 69, et lib. I de Civit. Dei, a cap. 17 usque ad 28, et lib. II contra epistolam Gaudentii. MITA. Loquitur Auctor de falsis martyribus Donatistarum, quos Augustinus in lib. I de Hæresibus, hæres. 69, tom. VIII pag. 16 recentioris editionis : *Vocantur Circumcelliones genus hominum agreste et famosissimæ audaciæ*, quique in utriusque Numidiæ partibus tamquam monachi censebantur. Hi per mortes varias maximeque præcipitiorum (unde apte hic eorum mentio apud Chrysologum) et aquarum et ignium sibi vitam adimere consueverant. Aliquando quos obvios invenerant rogabant, ut in eos violentas manus injicerent, mortem illis comminantes, ni fecerint. Sed quam Augustino Auctor noster cohæreat, advertat lector ex verbis ejusdem ad epistolam Gaudentii lib. I tom. IX p. 442 : *Ipse ut se de pinna Templi præcipitaret, etiam ipsi Domino audacissima tentatione suggessit. Ad diabolum sine dubio pertinetis, cum tria genera mortis, aquam, ignem, præcipitium in vestris mortibus frequentatis.*

[f] In antiquo Matthæi textu non *cadens*, sed *procidens* legunt cum Nostro Ambrosius serm. in domin. 1 Quadrag., Chrysostomus hom. 13 in Matthæum ; Maximus hom. 1 et 2 de Jejun. et tentat, etc.

temerarius desertor invitas. Itaque diabolus toties, et taliter repercussus a Domino, circa nos servos ejus modo toto furore discurrit; et sicut Christus milites suos, ita ille suos alloquitur, et armat ministros. Dicit ergo diabolus: Tempus nos modo graviter jejunii observatione debellat: per gulam, [a] per crapulam, per ebrietates, per luxuriam, homines attentare non possumus; armate lites, seminate discordias, excitate odia, concitate iras, inspirate mendacia, extorquete perjuria, suggerite blasphemias, vaniloquia diffundite, infundite dolos, conflate avaritiam, lucra turpia providete, ut quod venter modo ad luxuriam non dependit, vel sacculus claudat, et reponat ad pœnam. Cavete ante omnia ne misericordia, ne eleemosyna, ne humanitas præteritos labores nostros deleat, præsentes auferat, tollat futuros. Sed nos, fratres, et nostri regis agnoscentes monita, et quæ diabolus suis mandaverit audientes, jejunia nostra sine lite, sine clamore, sine ira, sine dolo, sine simulatione, cum tota misericordia, charitate, pietate peragamus: ut Dominus Christus, qui, spretis pecorum cruentis victimis, spiritus contriti et contribulati cordis sacrificium requisivit, cum silentio pacis jejunii nostri hostias placatus et propitiatus assumat.

SERMO XIV.

De fructibus eleemosynæ, in psalmum XL.

Præliorum peritis militaris tuba personat disciplinam, imperitis tantum terrificum dat clamorem; ut magistra bellorum dat suis vires, hostibus dat pavorem. Qui sine tuba dimicat, miles non est: fertur furore, non prælio; virtute non agit, sed periculo; quærit perire, non vincere. Hoc diximus, ut Christi miles intelligat cœlestis quare provisa sit cantilena. Constituti in campo sæculi pugnam cum diabolo, cum vitiis sustinemus. Quoties ergo nobis intonat propheticus clangor, toties nos in pace cautos, et in acie fortes, et in prælio reddidit invictos. Namque hodie [b] beatus Psalmista ad intelligentiam nos supernam convocat [c] per clamorem: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem* (*Psal.* XL, 2). Et quæ est intelligentia, ubi est, [d] professa paupertas? Vis est intelligentiæ, si rimetur viscera, si deprehendat occulta, si tecta nudet. Verum subjecta oculis, exposita in publico, ingesta rebus, non est intelligere, sed videre. Nuditate algidus, tabidus fame, siti aridus, lassitudine tremens, defectu luridus, quod egenus sit intelligere [e] quis labor? Et si labor intelligentiæ nullus est, unde est intelligentiæ fructus? Oremus, fratres, ut ipse nobis intelligere intelligenda concedat, qui se intelligi in paupere [f] sic demonstrat. Quod ipse qui cœlum tegit sit nudus in paupere, quod in esuriente esuriat saturitas rerum, quod sitiat in sitiente fons fontium, intelligere quomodo non magnum est? Quomodo non beatum intelligere, quod ei sit ampla paupertas, cui angustum est cœlum; qui ditat mundum, quod egeat in egente; quod frustum panis, aquæ calicem dator omnium quærit; quod se Deus amore pauperis sic deponat, ut non adsit pauperi, sed ipse sit pauper? Hoc cui videre dederit Deus, ipse videt. Sed quomodo aut in se transfuderit pauperem, aut se in pauperem fuderit, dicat ipse jam nobis: *Esurivi*, inquit, *et dedistis mihi manducare.* Non dixit esurivit pauper, et dedistis illi manducare; sed esurivi ego, et dedistis manducare mihi (*Matth.* XXV, 35). Sibi [g] datum clamat quod pauper acceperit, se manducare dicit quod comederit pauper; quod bibit pauper; sibi testatur infusum. O quid agit amor pauperis! gloriatur in cœlo Deus unde pauper erubescit in terra, et hoc reputat in honorem sibi, quod pauperi computatur injuria. Dixisse suffecerat; [h] dedistis mihi manducare, dedistis mihi potum; sed præmittit, Esurivi, sitivi, quia parvus fuisset amor pauperis quod pauperem suscepisset, nisi et passiones pauperis suscepisset: et certe verus amor non nisi passionibus probatur. Verus amor est fecisse suas [i] angustiati angustias: nimis est quod sapit Deo pauperis cibus, qui totius creaturæ bona non esurit, saginatum se in esca pauperis prophetizat in regno cœli, coram omnibus angelis, in conventu resurgentium. Quod Abel passus sit (*Gen.* IV), quod servavit mundum Noe (*Gen.* VI), quod Abraham fidem suscepit (*Gen.* XV), quod Moyses legem tulit (*Ex.* XX), quod Petrus crucem resupinus ascendit, Deus tacet, et hoc clamat solum quod comedit pauper. In cœlo prima est [j] esurientis annona, prima stipendia pauperis tractantur in cœlo, erogatio pauperis prima divinis [k] scribitur in diurnis.

[a] Laudat locum hunc Valesius in notis ad Ammianum Marcelinum pag. 578 col. 1. Aitque hujus temporis Latinos auctores crapulam ab ebrietate distinguere. Chrysologus sermone superiori: *Cibum nostrum in crapulam, potum in ebrietatem diffundit.*

[b] Cum David a Patribus communiter audiat Psalmista, patet Chrysologum hujus psalmi XI reputasse eum auctorem contra eos qui non satis recte Ezechiæ ascripserunt.

[c] Moris erat in veteri Ecclesia, ut sacræ Scripturæ a lectoribus, quorum munus erat, alta voce populo pronuntiarentur. Qua lectione absoluta antistes concionabatur. Justinus martyr. apolog. 2 pag. 98, C, edit. Coloniens. 1686: *Commentaria apostolorum, vel scripta prophetarum leguntur quousque tempus fert. Deinde lectore quiescente præsidens orationem habet, qua populum instruit, et ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur.*

[d] Hoc est aperta et manifesta. MITA. Intelligit Auctor nos debere aliorum indigentiam rimari, occultæque miseriæ subvenire, non tantam aperte omnibus. Chrysologo Petrum Damianum supparem vide opusc. 9 de eleemosyna cap. 3 pag. 474 edit. Lugdunen. 1623.

[e] Castillo Colonien. 1 et ms. Cesenæ habent *quis laborat?*

[f] Ex PP. ampla testimoniorum strues afferri posset, qui psalmi locum hunc de Christo paupere intelligunt. Jacobus Billius in sua Anthologia sancta vocat pauperem *larvam Dei.*

[g] Castillo habet *datum æstimat.*

[h] Verba hæc in editis multis perperam sublata sunt.

[i] Alias, *angustantes.*

[j] Hoc est, prima causa quæ discutitur in cœlo est cibus pauperi donatus, et stipendia eidem erogata; hoc enim in capite divinorum codicum notatur, ut primo se legenti pateat. MITA.

[k] In diurnis enim quidquid dietim fiebat describe-

Beatus cujus nomen toties Deo legitur, quoties ratio pauperis recitatur in cœlo. Sed istius beatitudinis audiamus et fructum, *In die mala liberabit eum Dominus*. Qui se novit per mala sæculi vitam ducere, eleemosynæ semper secum auxilium ducat, ad præsidium sibi turmas pauperum vocet, in pastu pauperum largus prorogator exuberet, pauperum [a] frequentet donum, non trepidet erogando; deficere nescit cui porrigit manum parcus acceptor; exhauriri thesaurus is non potest, de quo sufficit nummus: *In die mala liberabit eum Dominus*. In die mala illi Deus liberator assistet, qui a malis pauperem liberavit. In angustiis illum Deus clamantem audiet, qui pauperem cum clamaret audivit. Non videbit diem malum, qui dies bonos habere pauperem fecit. Videbit diem malum, qui [b] diem judicii sine advocatione paupertatis intraverit: Sine causa accusant peccata, quem pauper excusat. Excusari non potest, quem fames pauperis accusarit. *Dominus*, ait, *conservet eum et vivificet eum*. Non dixit, conservat et vivificat; sed dixit, *conservet et vivificet*. Dixit, non ut denuntiantis vox sit ista, sed rogantis. Qui audivit rogante megenum, ecce audivit orbe toto pro se Ecclesiam sic rogantem: *Dominus conservet eum et vivificet eum*. Conservet, ne rapiatur ad pœnam; vivificet, ut resurgat a mortuis et recipiat vitam. *Et non tradet eum in manu* [c] *inimici ejus*. Cujus inimici? nempe diaboli: ipse est inimicitiarum princeps; despicit inimicos, qui ipsum inimicitiarum calcarit auctorem. *Dominus autem adjuvet eum super lectum doloris ejus*. Exsequitur propheta omnes ærumnas fragilitatis humanæ. *Dominus autem adjuvet eum super lectum doloris ejus*. Quis est lectus doloris nostri, nisi [d] corpus nostrum? in quo anima jacet, et jacet dolens, et dolet, quæ cœlum repetere cupiens premitur corporis terra. *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus*. Justum non versat in stratum, nec injustum; sed stratum Dominus [e] versat infirmo. Caro ergo est, quæ versatur et versat. Ipsa est ergo quæ in adversis volvitur, in prosperis versat. Dominus ergo versat [f] stratum nostrum, quando nobis adversa vertit in prospera: et quia in lecto doloris, hoc est in lecto corporis animus volvebatur ægrotus, ipse qui volvebatur, proclamat: *Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi*. Quia per consensum carnis sentit animi se contraxisse languorem, ut anima sanetur, implorat: et misericordiam petit fidens, quia in pauperem misericordiam fecit. Beatus qui fenerando pauperi, ipsum sibi judicem [g] præstitit debitorem.

SERMO XV.

De centurione.

Audituri estis hodie, fratres, quemadmodum cohortis Romanæ [h] centurio dux factus est militiæ Christianæ; et merito, quia ante cœpit docere quam credere. *Venit*, inquit, *Jesus Capharnaum, et accessit ad eum centurio rogans et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur. Et ait illi Jesus: Ego veniam et curabo eum. Et respondens centurio, ait: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus: nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic, Vade, et vadit; et alii, Veni, et venit; et servo meo, Fac hoc, et facit* (*Matth.* VIII, 5). Videtis centurionem, antequam discipulatus subiret officium, locum magisterii fuisse sortitum. Præbet enim petendi formam, dat normam credendi; fidei pandit causas; virtutum commendat exempla, qui nondum christianæ scholæ ingressus est disciplinam. *Accessit ad eum centurio rogans eum*. Hoc est [i] sapere, non rogare. *Puer meus jacet in domo*. Causas pueri quasi magister agit: vere centurio, qui stipendia terrena centenarium cœli mutavit in fructum, et servitutem i militiæ sæcularis in divinam sustulit dignitatem. *Domine, puer meus jacet in domo*. Qui vocat Dominum, fatetur suam fideliter servitu-

batur. *Diurna pictacia* in leg. 2 Codicis Theodos. de erogat. Milit. Græcis ἐφημερίς, *diurnum*. Videsis Pignorium de Servis pag. 315. Vetus marmor apud eumdem:

PROC. AB EPHEMERIDE PROC. A MANDATIS
PROC. AD PRÆDIA, etc.

Idem vero ab *ephemeride* ac a *diurno*. Diurnarii autem, quorum meminere Valentinianus et Valens AA. lib. VIII Cod. Theodos. de Cohort. Princip. non hujus loci sunt, sed ejusdem ordinis cum *scribendariis*, *tabulariis*, et id genus aliis.

[a] Sic ex ms. Vallicell. et Vatic. Alii, nec improprie, *Domum*.

[b] Apud Ovidium Fast. lib. V, *Intrare mentes*.

[c] Ita legit Arnobius, Cassiodorus.

[d] Ambrosius tom. III lib. V in Lucam pag. 463, L, edit. Parisien. 1551: *Lectus doloris, in quo anima nostra gravi conscientiæ ægra cruciatu jacebat.*

[e] Mirum quanta caligine in nonnullis editionibus obruatur locus hic, qui Latinio etiam negotium facesserat.

[f] Vide Augustinum, enarrat. in hunc psalmum.

[g] Gregorius Nazianzenus in Tetrasticis:

Ac debitorem præter omnibus Deum
Frusto rependit sceptra qui cœlestia
Alis tegisque pauperes pascens Deum,

[h] Tunc temporis Judæi subjacebant Romanis: et Romani non tantum in Judæa, sed et in aliis imperii sui partibus, in primoribus civitatibus, militum præsidia servabant ad continendos in officio populos. Horum autem minor numerus Cæsareæ, Capharnaumi, etc., quam Hierosolymis. Vocem Romanam *centurio* veluti notissimam Syrus retinuit. Vide Grotium hic; et de centurionis munere consule Vegetium lib. II cap. 14. Addam tantum centuriones apud Romanos quondam vocatos vites, iis enim ab imperatoribus dabatur vitis ad plectendos milites. Sceva apud Lucanum VI, 145.

. . . . . Ibi sanguine multo
Promotus latiam longo gerit ordine vitem.

Vide Salmasium in notis ad Spartianum; Eusebium Historia Ecclesiast. lib. VII cap. 15, pag. 341 recent. edit., ubi locus implexus enodatur a Valesio in notis.

[i] Latinius legit *rapere*, et fortasse melius. Attamen lectionem codicum retinui, utpote iis quæ præcedunt magis congruam.

[i] His similia Ugo cardinalis super lib. I Reg. VIII: *Tribunus et centurio sunt nomina dignitatum: numerantur autem inter angarias, exactiones et servitutes.*

tem. Et quomodo hic centurio, qui sic agnoscit Dominum, [a] puerum suum ausus est profiteri; quasi nesciens [b] servi peculium ad Dominum pertinere? Aut ignorat communia qui docet tam secreta, tam profunda? *puer meus*. Meum dico quia jacet: si tuus esset, Domine, non jaceret. Probat hoc propheta, cum dicit: *Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini, qui statis in domo Domini* (*Ps.* CXXXIII, 1). Qui statis, non jacetis, ait; stant servi tui, hominum servi jacent. Puer meus qui jacet, ut tuus sit, surgat: meus, quia [c] paralyticus: ut tuus sit, jam sanetur. Meus, quia male torquetur; ut tuus sit, jam non sit in pœna. Domine, tuos servos non decet malis subjacere, injuria est tua tuorum pœna servorum; tuos servos possidere non debet vis malorum; servi tui etsi patiuntur mala, non patiuntur ad pœnam, sed subeunt ad coronas. Adversa illis non sunt necessitatum causæ, sed sunt causa victoriæ. Servi hominum sunt, qui mala patiuntur inviti, quia illis in desperatione sui domini nequeunt subvenire. Tu autem, Domine, cui virtutes serviunt, curationes parent, obtemperant sanitates, quomodo computabis servum tuum, quem servum tantorum conspicis esse morborum? Nota est circa malos bonitas tua, pietatem tuam etiam impii confitentur, clamant exteri misericordiam tuam. Hunc tuum dicerem, quem jacentem tua benignitas non requirit? *Jacet in domo, et male torquetur.* Hinc est quod offerre eum, et offerre tibi, [d] pœnæ non sinit magnitudo, ne [e] familiaris infirmitas publice [f] ostensa et dolori sit, et pudori. Movit centurio judicem talia et tanta dum perorat; et sic movit, ut ad servum suum cœli Dominum ipsum ire velle perficeret. *Ego*, inquit Christus, *veniam et curabo illum*. Fratres, non centurio ad pietatem pietatis traxit auctorem; neque ad hoc ille ire compulit Christum, ad quod venerat Christus: sed centurio magis sic sentire, [g] sapere sic docetur, quare ad servum in servo venerit Christus; quare ad hominem [h] in homine venerit Deus; utique ut levaret jacentes, elisos erigeret, solveret compeditos, et eos quos jam nemo nec afferre, nec offerre poterat, ipse operis sui vector clementissimus bajularet. Sed jam quid responderit centurio audiamus: *Domine*, inquit, *non sum dignus ut intres sub tectum meum.* [i] Dedit debitum de humilitate responsum; et ipsum esse Dominum singulari pavore signavit, deducere dum veretur [j] ad animæ suæ domum, ad secretum cordis sui, ad tectum suæ conscientiæ, ad penetrale mentis, in quo familia cogitationum incondita et confusa versatur; nec patitur aulam pectoris humani sine vitiorum strepitu in sinceritatis silentio permanere. Magistro ergo timore respondit: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Hinc est quod Petrus, ubi Christum rerum cognovit auctorem, exclamavit dicens: *Exi a me, Domine, quia peccator sum* (*Luc.* V). Sic eum Petrus exire a se rogat, quomodo centurio eum ad se supplicat non venire; [k] agit enim uterque ne indignitas hospitii in hospitis [l] manet injuriam. *Non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Hoc benedictum esset antequam Deus hospitium nostræ carnis intraret: at nunc quid sic centurio tectum suum Christum vetat intrare, quem totum videt intra tectum sui corporis jam manere? Fratres, centurio jam videbat in Christo corporis sui formam, sed passiones in illo sui corporis non videbat. Natus est in carne Christus, sed natus est de Spiritu sancto: accepit hospitium carnis, sed in aula virginis, ut [m] et veritas esset corporis humani, et de pollutione humani corporis nil

[a] Hoc est, quem suum esse profitetur. Puer autem servum significat, ut ex collatione Lucæ VII, 3. Hebræi enim ita loquuntur I Reg. cap. XX, 14; Esther II, 2; sed et gentiles. Aristophani παῖς, Terentio, Horatio, et Ciceroni *puer* servum notat. Mos enim veteribus, inquit Grotius, dura molliter efferendi. Vide Servium in illud Virgilii: *Claudite jam rivos, pueri;* Et Plinium in Epistolis, unde hodie quoque ad tollendam servorum contumeliam familiares vocantur. Verum morem veluti vetustum notat Macrobius lib. I cap. 2 pag. 210 edit. Pat.: *Nam et majores nostri omnem dominis invidiam, servis contumeliam detrahentes, dominum patremfamilias, servos familiares appellaverunt.*

[b] Duplex apud Hebræos servorum genus. *Extraneum*, quorum personæ, bona, corpus, vita demum de jure dominorum erant. *Hebræorum*, qui adigebantur in servitutem vel a parentibus, cognatisve necessitate coactis; vel ipsi semet in captivitatem dabant, fame scilicet, extremaque inopia oppressi. Horum melior conditio, nec eorum servitus ultra annum jubilæi protrahebatur, nisi ipsi sponte privilegio legis renuntiassent. De prioribus sermo est Chrysologo.

[c] Lucas addit in extremis vitæ suæ laborasse. Quare verosimile est hanc servi paralysim non unius partis, sed totius corporis resolutionem significare, *apoplexiam* scilicet. Nam et hanc etiam dictam fuisse paralysim ex Celso advertit Grotius.

[d] Quæstionem vel solvit, vel exagitat Auctor, cur centurio puerum non adduxit ad Jesum. Vide Chrysostomum hom. 25, alias 27, in Matthæum tom. VII pag. 393, C, recent. edit. G. L.

[e] Id est intra domesticos Lares hucusque coercita, nec omnibus nota. Vel familiaris infirmitas, hoc est infirmitas unius ex mea familia. Seneca epist. 47: *Majores nostri servos appellaverunt familiares.*

[f] In omnibus fere editionibus, magno hujus loci detrimento, deest vox hæc *ostensa*.

[g] Centurio enim Christum Redemptorem Judæis fuisse promissum ex commercio Hebræorum edoctus fuerat. Ita cum Chrysologo nostro Lucas Brugensis. Licet enim ex PP. nonnulli opinati sint hujusmodi centurionem fuisse Judæum, communior tamen opinio gentilem facit. Nec desunt qui Romanum, uti Chrysologus, cui assentitur Eusebius hom. de servo centurionis, et Theophylactus super Luc. VII. Recentiores interpretes Hispanum fuisse asserunt.

[h] Id est, in Christo homine. Usitata Patrum locutio; etsi non rigorose theologica, ut advertit D. Thomas III part. quæst. 4.

[i] Ambrosius hic: *Pergit Dominus, excusat centurio, militarique deposito tumore reverentiam sumit.*

[j] Sibi enim conscius erat, se magnam vitæ suæ partem in falsorum hominum cultu et in aliis mundi hujus inquinamentis exegisse.

[k] In editis deest *enim*.

[l] Advertit hic Castillo ab aliquibus, veluti a Laurentio a Ponte tom. II in Matth. cap. 8 num. 23, Sylveira tom. III in Evangel. lib. V cap. 11 quæst. 12 num. 79, legi: *maneat injuriam*. At in ms. Cæsenæ habetur, *manet injuriam;* utique a verbo *mano*, non *maneo*.

[m] Non pauci fuere ex hæreticorum grege qui Christi carnem veram esse, eumque verum esse hominem,

haberet. Bene ergo centurio tectum suum indignum judicat Christo, quia sub singulari tecto manebat nostri corporis Christus: [a] juxta illud prophetæ, *Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto* (*Ps.* CI, 8). *Sed dic tantum verbo, et sanabitur puer meus.* Centurio iste cum [b] sine lege esset, nihil sine lege egit, dicit: *Dic tantum verbo.* Quia dictum erat, *Dixit, et facta sunt* (*Ps.* XLVIII, 5). Et si omnia perfecta sunt dictu, quomodo dictu solo unius infirmitas non curetur? *Dic tantum verbo*, et sine verbo quod dicitur? Sed iste postulat verbum non de loquendi usu, sed de virtute faciendi; verbum de quo dictum est: *Misit verbum suum, et sanavit eos* (*Ps.* CVI, 20). *Dic verbo tantum.* Quia iste credidit in verbo omnes manere virtutes. Verbum tuum, Domine, sanitas est; verbum tuum vita est; verbum tuum ubi accesserit, inde confestim fugit dolor, infirmitas mox recedit; verbum in quo Petrus cum laxaret retia, piscium multitudinem cepit, sine quo et ignorantiæ noctem pertulit, et nullum fructum pervigil piscator invenit. *Domine*, inquit, *laborantes per totam noctem nihil cepimus, sed in verbo tuo laxabo retia* (*Luc.* V). Et quasi non sufficeret quod de verbo egerat, verbo præstari posse quod postulat, rebus astruit, commendat exemplo. *Nam et ego homo sum sub potestate positus, habens sub me milites, et dico huic, Vade, et vadit; et alii, Veni, et venit; et servo meo, Fac hoc, et facit.* Nam et ego homo sum. Hoc est dicere, tu Deus. *Sub potestate positus.* Hoc est, tu ipsa potestatum potestas. *Habens sub me milites.* Hoc est, tu virtutes. *Et dico huic, Vade, et vadit.* Hoc est: Dic infirmitati, vade, et vadit. *Alii, Veni, et venit.* Hoc est, Dic sanitati, veni, et venit. *Et servo meo, Fac hoc, et facit.* Ille puer meus erit et tuus servus, cum receperit sanitatem. Audiat; quid audiat? Sanus factus es, jam noli peccare (*Joan.* V); faciat justitiam, ut liberetur a paralysi omnium peccatorum, et possit psallere cum propheta: *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi; quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu. Placebo Domino in regione vivorum* (*Psalm.* CXIV, 7-9). Fratres, imitetur centurionem, qui [c] ad centesimum fructum desiderat pervenire. Ne ergo leviter centurionis hujus prudentiam transeamus, hodie de ipso dicta sufficiant: quia mysterium permagnum est, quo [d] Gentilis geritur in figuram.

impie negarunt. Cerdo, Marcion, et Manes, Christum tamquam hominem apparuisse dixerunt, cum humanum nihil haberet. Theodoretus lib. V cap. de Marcione, pag. 375, tom. II edit. Colon. 1575; Epiphanius Hæres. 22 vel 42 tom. I part. I, pag. 302, edit. Colon. 1682; Socrates Histor. Eccles. lib. I cap. 22 pag. 185; Photius epist. ultima, pag. 381. Huc etiam referri debent Gnostici, qui, referente eodem Epiphanio hæres. 26 pag. 91, C, Christum non ex Maria natum, sed per Mariam ostensum fuisse effutiebant. Hi omnes, aliique hujus furfuris homines, a Theophylacto vocantur Φανταστιοδοκῆται. Sunt qui affirmarunt Christi carnem *sideream* esse et *aeream*. Hos Apellitianos vocat Tertullianus lib. de Carne Christi, cap. 8, et Augustinus de Hæres. ad Quodvultdeum, cap. 23, *Apellitas*. Epiphanio, hæres. 44 pag. 381 dicuntur Ἀπελλῖανοι *Apelleiani*. Hæc enim fuit et impii Apellis doctrina. Cujus asseclæ catholicos injuria afficientes, vocarunt eos *Anthropolatras*, quod Christum verum hominem dicerent. Cujus acris convicii memoriam facit Gregorius Nazianzenus tom. I orat. 11 pag. 742 edit. Paris. demonstrando Apollinaristis, multo eos magis nomen *Sarcolatrarum* mereri: nam si Christus animam humanam non habebat, eos solam carnem adorare existimandos esse.

[a] Revera Christo locum hunc psalmi convenire opinantur multi. Glossa interlin. *Christus passer solitarius, et unicus.*

[b] Centurio exlex typum gentilium gessit: qui propius accesserunt ad Christum absentem, quam Judæi ad præsentem. At alius poterit esse horum verborum sensus. Centurio cum libros et legem Judæorum non calleret, juxta id tamen quod in lege scriptum est: *dixit et facta sunt*, ipse quoque locutus est. *Dic tantum verbo.* Observandum autem, apud SS. Patres ἄνομοι vocari ethnicos, quibus lex Mosaica de ritibus data non fuerat. Theodoretus in I Corinth. IX, 21, *Sine lege eos vocat*, Paulus, *qui sine lege vitam agebant;* et Theophylactus, *Lege carentes eos dicit qui legem Mosaicam non habebant, qui ex gentilibus erant, ut erat Cornelius.* Ad eamdem significationem respexisse videtur *Hesychius*, quando ἄνομον interpretatur, *legi non subjectum.*

[c] Usura centesima, quæ vocabatur etiam, *usura assis*, legitimarum omnium maxima erat, singulisque mensibus e centum denariis reddebat unum. Vide Sidonium Apollinarem Epistolar. lib. IV epist. 24, ibique notas apud Sirmondum tom. I pag. 553; B. Chrysostomum tom. VII homil. in Matth. 56, alias 58 pag. 573 recent. edit. G. L. in notis; Marmor apud Grutcrum CLXXV, 4, ubi legitur: *Donum datum*

UT EX CENTESIMIS EJUS QUANTITATIS
QUÆ EFFECIT ANNOS X DE
DIE VIII. KALEND. OCTOB. NATALI DIVI
AUGUSTI EROGARENTUR EX ARKA, etc.

Usuræ centesimis majores improbantur l. I de reb. cred., l. ultima de usur. Vide Paulum Recept. Sent. XI, 15, 2; Schoochium Exercit. Sacr. XIX, pro Salmasio contra Gronovium; Gronovium ipsum de centes. usur.; et apud Chrysostomum tom. IV, in præfat. § 5.

[d] Editiones Paris., Colon., Mogunt., Lugdun., Venet., ac tantum non omnes habent *Judæus*. Ex ms. Cæsenæ et Vallicell. et editione Castilli reposui *gentilis*.

[e] SERMO XVI.

De duobus dæmoniacis.

Christus [f] quod transferat maria, quod loca circuit, non est res humani desiderii, sed causa est salutis humanæ. Ambulat Christus, non ut videret loca, sed ut

[e] Ex hoc sermone multa mutuatus est Paschasius Radbertus, qui quadringentis circiter annis vixit post Chrysologum.

[f] Mare dicit cum Evangelio lacum unum. Matthæus ait venisse Jesum in regionem *Gerasenorum;* Lucas *Gadarenorum*. At Gadaram, et Gerasam, non unam fuisse civitatem, quæ opinio apud nonnullos tempore Hieronymi invaluerat, sed diversas, luculentissime demonstrat Josephus de Bello, lib. II capit. 19, et Hieronymus de locis Hebr. Epiphanius, hæres. 66 ait Gergeseorum, Gadarenorum, Gergesenorum, *locum fuisse trium sortium in medio positum*. Non videtur tamen satis fuisse causæ cur editum in una regione miraculum alteri vindicetur, quod fuissent conterminæ. Quapropter adhærendum puto observationi abb. Pezronii, cui lubens subscribit Du Hamelius, regionem scilicet Gerasenorum tunc temporis subd tam fuisse Gadarenis, quam urbem Pompeius jusserat restaurari in gratiam Demetrii liberti sui. Quo nomine urbs illa nota erat inter præcipuas civitates Decapoleos. Addam ex Josepho, de Bel. lib. V cap. 3 pag. 888, fuisse fortasse Gadaram, Gergesenorum metropolim. De nomine Gerasæ vide Origenem Comment. in Joan. edition. Huetii pag. 130 tom. II.

homines, qui variis casibus perierant, inveniret. Qui loca fecerat, quid novi videret in locis? Aut illi quid aberat, qui ubique erat? Ut homo videbatur in locis, sed ubique videbat ut Deus; videbat utique, et desperatos videbat, quibus ibat divina remedia largiturus; ibat ad eorum curam, quibus humana jam defecerat cura, sicut hodierna probatum est lectione. *Cum venisset*, inquit, *Jesus trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo, habentes dæmonia, de monumentis exeuntes sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam* (*Matth.* VIII). [a] Lubet scisse et vidisse Dominum quid mali, quid periculi illis haberetur in locis; et ideo illuc [b] isse ut sic desperatis, afflictis, sic miseris subveniret. *Occurrerunt ei duo dæmonia habentes, de monumentis exeuntes.* [c] In monumentis sedem fecerant [d] mortis auctores. Attendite quæ sævitia, quis furor, quæ rabies dæmonum erga humanum genus: quamvis breve tempus hominum ferre non possunt, contenti non sunt mori homines, sed vivos homines gestiunt sepelire; se sepulcris mandant, ut homines [e] reducant in sepulcra: pascuntur cadaveribus, putredine saginantur, deliciantur fetore, quibus tota voluptas est homines interire. Sed sentiamus quid machinentur fraudibus, quid moliantur malis, quorum crudelitas modum non habet in aperto. Quid faciunt isti quando divitias ostentant, [f] nisi ut avaritiam serant? Ut inserant superbiam, pompam proponunt. Singularitatem venditant, ut [g] quod est communionis, excludant. Ut iram nutriant, causas colorant. Ut pietatem violent, affectibus dant querelas. [h] Philosophiam fingunt, ut faciant nihil scire homines plus quærendo. Deos multos figurant, ut Deus, qui unus et verus est, nesciatur. *Occurrerunt ei duo, dæmonia habentes.* Quando ad duos homines dæmonia multa, ad unum [i] legionem totam significat convenisse: hoc ideo facit, ut doceat cavendos esse dæmones, non timendos; simulque monstrat, quam sit potentia Christi singularis, quod nomine solo Christi fugatur omnis dæmonum multitudo. *Occurrerunt ei duo, dæmonia habentes.* Exhibiti non volentes venerunt; [j] imperantis jussu, non suo ausu; attracti sunt inviti, non sua sponte currentes. Denique ad præsentiam Christi homines exeunt de monumentis, et versa vice [k] captivos ferunt, a quibus fuerant captivati; sistunt pœnis, quorum cruciatibus torquebantur: aptant ad sententiam, a quibus addicti fuerant jam sepulcris. *Occurrerunt ei duo dæmonia habentes sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam.* Videtis quia dæmones venientibus ad Christum præcluserant viam, transitum denegarant. Etenim dæmonum ista cura, ne ad Deum homines possint reditum invenire. Non enim aliter possunt homines possidere, nisi eos ab auctoris sui societate subducant. *Ita ut nemo posset transire per viam illam.* Hinc est quod [l] Christus factus est via. *Ita ut nemo posset transire per viam illam.* Illam, non istam. Ego sum, inquit, via (*Joan*, XIV). Ut ad viam per viam, ad Deum per Deum venientibus obsistere vis dæmonum non valeret: ad Deum nisi per Deum potest perveniri. Sed jam quid dæmones clamaverint, audiamus. *Quid nobis*

[a] In editis laborat non mediocri vitio locus hic; pro *lubet* habetur enim *lucet*.

[b] Sic corrigendum putat Latinius, et Castillo. Mita, *esse*.

[c] Monumenta in agris constituebant Hebræi, non in urbibus, ne contaminarentur. Exstat insignis locus Josephi de Herode tetrarcha ædificatore Tiberiadis lib. XVIII cap. 3 quem non vidisse pigebit. Cum vero Judæorum sepulcra alta essent, et fornicibus obducta, cubilibus similia, ut habet Menochius, vel cellis vinariis, ut Maldonatus, facile poterat quis in eis habitare. Vide plura apud eruditissimum Nicolaum de Sepulcris.

[d] Sane dæmones circa sepulcra obversari tradunt Clemens Alexandrinus in Protrept., Lactantius lib. II cap. 14, Theophylactus in Matth. X, qui putat eo tempore viguisse dogma animas mortuorum dæmones fieri. Vide Tatianum Assyrium orat. ad Gentes, pag. 154: *Porro dæmones qui hominibus imperant non sunt animæ hominum*; Clementem Alexandrinum Stromat. lib. VI pag. 311. Quæ fuit Platonicorum sententia; a qua non abfuit Tertullianus, teste Augustino de Civit. Dei lib. IX cap. 11, nec Josephus lib. VII de Bello, cap. 25, pag. 981. Chrysostomus autem tom. V, homil. 36, cujus titulus: *Quod animæ eorum, qui violenta morte pereunt non fiant dæmones*, hoc tantum persuasum fuisse ait de his qui violenta morte occubuerant, et quos *Biothanatos* appellant. Vide Baronium ad annum Christi 138 § 45. Verosimilius aliis videtur creditum tum fuisse a multis inani philosophia deceptis, animas mortuorum hærere circa sepulcra.

[e] Sic emendavi ex ms. Vallicellano et Vaticano. Editiones, *redigant*. Putat autem Maldonatus id egisse dæmones, ut obsessos acrius torquerent fetore loci. Facile autem in sententiam descenderem existimantium viros hos non solum fuisse energumenos, sed etiam lycanthropicos, Gallis *loups garous*, Italis, *Lupi manari*, et gravissima melancholia laborasse. Lucas VIII, 27: *Occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium jam temporibus multis, et vestimenta non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis.* Conferendus est cum evangelista Paulus Medicus lib. III cap. 16: *Per noctem enim egressi lycanthropici lupos imitantur, et quoad illuceat circa defunctorum monumenta vagantur.*

[f] In pluribus editis deest *nisi*. Ita vero Colon. et Castillo.

[g] Scilicet quod commune et vulgare est omnibus.

[h] Vide quæ ad rem scribit Augustinus lib. XIII de Trinit. cap. 19.

[i] Apud Marcum: *Legio mihi nomen est, nam multi sumus.* Dæmones, ait Lactantius lib. II cap. 15, non solum dæmones se esse confitentur, sed et nomina sua produnt. Legio autem ex Hebraica voce, quæ sonat *multitudinem*. Unde *legio olivarum* apud Beref. Rabb., *Facilius est legionem olivarum enutrire*. Numerus militum in legione apud Romanos non semper idem; sæpius immutatus. Vide Livium lib. VIII decad. 1.

[j] His similia habet Hieronymus in cap. VIII Matth.

[k] Nam ad Christi præsentiam coacti venire dæmones, non magis sui tunc compotes erant, quam fuerant antea obsessi.

[l] Cur Christus via dicatur, et quomodo sit, vide Hammonium in Catena ad locum Joannis XIV, 6; Clementem Alexandrinum in Protrept. pag. 63; Nyssenum orat. 10 contra Eunomium; Chrysostomum tom. V hom. 193 et 18 edit. Parisien.; Nazianzenum orat. 36; Epiphanium hæresi 69, clarius in Anchorato; Cyrillum Hierosolym. catechesi Illuminat. 10; Cyrillum Alexandrinum lib. IX in Joan. XIV, 4; Theodoretum in hunc locum, ibique Theophylactum.

et tibi, fili Dei? Hoc est dicere : Vitæ auctor [a] quid tibi cum mortuis? Habitator cœli, quid tibi cum sepulcris? Odor paradisi, quid tibi cum fetore? Quos de cœlo dejecisti, quos de paradiso exclusisti, quibus nunc tollis urbes, regiones habitabiles negas, permitte inhabitare nos vel sepulcra : et si nos persecutione tanta digni sumus, tu tanta non es [b] dignus injuria. *Quid nobis et tibi?* Quid? quod judici et reo, quod vindici et pœnali, quod regi et desertori. *Quid nobis et tibi, fili Dei?* [c] Hoc dicunt possessori fures, hoc domino prædones, tenent spolia, prædam gestant, et quid sibi cum eo sit qui sua reposcit interrogant. *Quid nobis et tibi, fili Dei?* Quid? Ut reddatis homines, mundum restituatis auctori; et veniente Creatore, sciatis vobis in creaturis amplius nil licere. *Quid nobis et tibi, fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos?* Quid nobis et tibi? Et vobis cum hominibus quid? *Quid nobis et tibi, fili Dei?* Agnoscunt, [d] agnoscunt Deum, judicem confitentur, clamant judicium se debere, et de tempore præscribunt. *Quid nobis et tibi, fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos?* Auctori temporum tempus opponunt. *Venisti ante tempus torquere nos?* De tempore sic queruntur, quasi ipsum cum tempore fecerint, ut vivos condiderint in sepulcris. *Venisti ante tempus torquere nos?* Tempus abscindit, prævenit mortem, sepelit vivos crudelitas immatura : et de tempore queritur, [e] quasi ante tempus habere debuerit injuste quod desiderat, et non ut exorta est ejus malitia, mox puniri : [f] de tempore causatur nequitia sæculi indurata. Malis patientia brevis est, bonis tarda ultio; quod læsis longum est, angustum est ad lædentes. *Erat*, inquit, *non longe ab eis grex porcorum multorum pascens. Dæmones autem rogabant eum dicentes : Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum.* Digna petit indigna servitus. *Mitte nos in gregem porcorum.* De monumentis mitti se precatur in porcos nequitia, quia fetores amittere nescit, sed mutare. *Mitte nos in gregem porcorum.* Cœnum petunt ruentes cœlo; post æthereas habitationes ambiunt volutabra porcorum. *Mitte nos in gregem porcorum.* [g] Grex in gregem mittitur, ut prodatur dæmonum [h] multitudo : ut appareat hoc duos portasse homines, quod numerositas non valuit sufferre porcorum. *Ait illis, Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos; et ecce impetu abiit totus grex* [i] *perpræceps in mare, et mortui sunt in aquis.* Traditur vile pecus non pro voluntate dæmonum, sed ut tali facto innotescat, quomodo [j] in homines sæviunt, quomodo quærunt mortes hominum, qui sic porcos ut perderent quæsierunt. Dæmones omne quod est, agitur, movetur, vivit, ardent perdere, non habere. Ne quis ergo talis [k] fieri homo præsumat, humano generi inimicitia

Formula hæc dicendi apud Latinos contemptum videtur inducere; at Hebræis aliud significat, quod clare patet II Reg. XVI, 10. II Paralipom. XXXVI, 21. Ex sententia ergo Hebræorum loquitur Chrysologus. Sed Græcis etiam hujusmodi locutio familiaris. Anacreon : Τί μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς : *Quid mihi cum magnis tibiis?* Demosthenes : Τι νόμῳ καὶ βασάνῳ : *Quid legi cum quæstione?*

[b] Qui cum fetoribus et sepulcris misceris. MITA.

[c] Sed quomodo rem furto sublatam quis adhuc possidere potest? Quia fures non auferunt Domino rei furtivæ possessionem, cum ipsa possessio solo animo retineatur, l. 3 § *In admittenda*, l. *Si id*, § finale, ff. de acquir. possess.; l. *Licet*, c. de acquiren. et retinend. possess. Dæmones dum hominem obsident, non quidem possessores, sed detentores et occupatores rei alienæ : ideo fures jure ac merito appellantur. Homo enim creatus Dei est, et ad ipsius imaginem factus : propterea ut fures a possessione rei furto sublatæ arcentur per l. 2 et l. 6 c. de furtis. MITA.

[d] An dæmones vere Deum agnoverint, vide Maldonatum in hoc capite Matth. VIII, 29. Agnovisse autem patet ex Luca IV, 41. *Non autem voluntatis ista confessio, sed necessitatis extorsio*, ut ex Hieronymo Lucas Brugensis.

[e] Mirum quam corrupte, quam depravate locus hic in editionibus jaceat, nec clariorem lucem afferunt mss. Vaticanus codex : *Et de tempore queritur, quasi aut tempus habere debuerit, ut exorta est mors puniri de tempore causatur. Nequitia sæculi indurata.* Ex Bononiensi veteri et Castillo et Mita restituimus. Sensus autem obscurus adhuc. Fortasse ait Chrysologus dæmones optasse hominibus nocere : id quod injuste desiderant ante tempus, scilicet ante eorum mortem, vel quia non putabant tam cito Christum venturum; et non ut punirentur statim, ac eorum malitia perspecta fuerit.

[f] Hoc est in causam suæ defensionis tempus adducit. MITA.

[g] Ubinam loci tanta multitudo porcorum apud Judæos, cum prodigus ad eos alendos in longinquam regionem commigraverit? Vel ex eo quia Judæis vetitum erat porcos edere, non alere. Et tunc temporis poterant ali a Judæis, ad suppeditandam annonam Romanis militibus : qua de causa multa concessa suariis privilegia leguntur; vel quia Judæorum multi inter ethnicos commorantes propriis legibus astringi passi non sunt, sed eas lucro suo posthabuere. Romanis enim caro suilla in pretio fuit; vel demum animalia illa non Judæorum erant, sed gentilium, qui olim regiones trans Jordanem incoluere, et in his Gadaram, seu Gerasam. Revera autem quomodo Gadarenses fuisse Judæos confirmet Baronius anno 31, § 69, non bene adhuc liquet. Gadara enim gemina fuit; utraque Græci instituti. Una ad littus maris Mediterranei de qua Strabo LXVI. Altera Pereæ civitas fuit, quam Josephus de Bello lib. I cap. 5 Græcis hominibus tribuit.

[h] Hieronymus in Vita Hilarionis pag. 95 : *Qui viderant, non potuissent aliter credere exisse tantam de homine dæmonum multitudinem, nisi grandis porcorum numerus, ex quasi a multis actus pariter corruisset.* Sic impietas Sadducæorum angelos negantes convellebatur.

[i] Quod solent dæmoniaci. Hinc fortasse illustrandus Hesichius : ἐδαιμονίζετο *per devia errare.* Porro mare hoc putat Baronius fuisse thermas Gadaritanas : de quibus Epiphanius hæres. 30 num. 7; eos vero in lacum Tiberiadis demersos fuisse eruitur ab Hieronymo de Loc. Hebr.

[j] Inter plurimas causas cur Christus hoc permiserit, hæc quoque commemoratur a Chrysostomo aliisque enarratoribus. Et certe in aliud humani corporis hospitium dæmones ii immigrare maluissent; at cum præviderent se id a Christo numquam impetraturos, poposcerunt vel animalia dominandi potestatem, et quodammodo hominibus nocerent; vel animalium jacturam, quia domini eorum indignati Christum non suscepissent. Hieronymo in vita Hilarionis consonat Euthymius : *Student porcos occidere, ut eorum damno contristati domini gregis Jesum non susciperent.*

[k] Diabolus factus est inimicus homini, ne homo eidem assimilari audeat; sed potius mores illius et suggestiones tamquam inimici abhorreat. MITA.

vetus, fixa ira, malitia destinata est. Dæmones nisi vincti non cedunt, lædere non valent nisi jussi. Traditur ergo vile pecus, ut luceat dæmonibus in homines nil licere, quibus in porcos jussum est [a] ut liceret. Nos ergo aut vitiis nostris facimus ut illi accipiant potestatem nocendi, aut virtutibus subjecta nobis dæmonum colla Christo triumphante calcamus.

SERMO XVII.

De dæmoniaco.

Venisse Dominum trans fretum in regionem Gerasenorum, et exeunti ei de navi statim [b] occurrisse hominem de monumentis habentem spiritum immundum, catenis et compedibus vinctum, evangelico hodie sermone cognovimus (*Marc.* v, 3); qui domicilium haberet in monumentis, auctor mortis, mortis incubat mansiones, et humanæ necis avidus, quos crudelitate sua occidere non potest, vivos gestit feraliter funerare. Sævit, furit interitus nostri avarus exactor, cui pœna est quod homo nascitur; quod tardius moritur, cruciatur : hominis hanc ipsam brevissimam vitam amandare horrida nititur per sepulcra; confusus hostis, et ad utrumque perversus ingerit sepulcris vivos, mortuis [c] apponit cibos, mera fundit, ut et vivos enecet, et mortuos inquietet. Catenis et compedibus vinctus tenebatur homo : [d] vinctus alieno crimine, et habitatoris scelere, habitaculum innocens torquebatur. Diaboli culpa hominis redundabat ad pœnam, et prædæ miseriis prædo sagi- nabatur inclusus; nec facientem, sed patientem • exsecrabilis exponit invidia. Huic morbo cupiens Dominus subvenire, transfretat mare : hoc est, ad fluctuantis mundi [f] terminos corporis nostri navigio transmittit, ad littora pervenit salutis nostræ repleta naufragiis, et regionem cæcis ignorantiæ tenebris infusam, lucis suæ splendore perfundit, callidi hostis deprehensurus insidias, ipsumque principem nequitiæ spiritualis cum suis legionibus, regia potestate fugaturus; ut tandem reddat liberos, quos diu tenuit potestas inimica captivos. *Videns*, inquit, *Jesum a longe, cucurrit et adoravit eum, et clamans voce magna, dixit : Quid mihi et tibi, Jesu fili Dei summi? Adjuro te per Deum ne me torqueas.* Ad nutum Christi conversus est ordo pœnarum; ante latrocinante diabolo homo vexabatur innocuus; nunc homo currit, sed diabolus incurrit : inclinatur caro, sed immundus jacet, et prosternitur spiritus. *Cucurrit et adoravit* (*Matth.* IV). Quid est, diabole, quem trina tentatione provocabas ad lapsum, quem promissione regni ut te adoraret subdolus ambiebas, nunc tremens et miserandus prolaberis et adoras? Ecce qui honores omnes regni promittebat et gloriæ, habitare fetidis corruptione cadaverum reperitur in tumulis. Sic, sic iste decipit cum promittit, ut ad inferna secum pertrahat, cum de supernis se consulentis [g] consulentes [h] fallax promissor illudit. *Quid mihi et tibi, fili Dei summi?* Nam et modo ut adulator, non ut devotus et obsequens hic adorat, evadere cupiens pœnam, prædam perdere pertimescens. Credit infelix ut eum quem tentatione vincere, quem muneribus nequivit inflectere, possit adulatione pulsare : sed ille consuevit vinctos absolvere, revocare captivos, nec acquisitos, sed conditos a se sibi restituere [i] terminos : hostem libera virtute percellere,

[a] Christus enim in hac re non vim agentem, ut loqui amant, exercuit, sed vim impedire volentem sustinuit. Voluit, ut liceret dæmonibus id quod alias efficere poterant, ni majore vi impedirentur.

[b] In superiori sermone duos, nunc unum tantum energumenum Christo obviam fuisse ait. Vere Marcus et Lucas unius energumeni meminere : vel quod forte alter ex iis erat notior, in quo erit legio dæmoniorum, ut ait Augustinus, de Concord. Evangel.; vel quod magis vexaretur. Unde ejusdem sanatio longe mirabilior, aut quod hic solus a Christo sanatus fuerit.

[c] Improbat morem apponendi cibos super sepulcra mortuorum. Quarum sepulcralium epularum usum ab ethnicis, de quibus vide Kirchmannum de Funer. Rom., in Christianos etiam in primitiva Ecclesia manasse; et non paucis abusibus volventibus annis pollutum fuisse, ex Augustino et Cypriano docet Guilielmus Stuckius Antiq. Conv. lib. I cap. 26. Id ætate quoque Chrysologi supra martyrum tumulis fieri consuevisse abunde docemur ex Ambrosio. Paulinus Nolanus, poema XXVI natal. 9 pag. 642 vers. 562 :

> . . . . Ignoscenda tamen puto talia parvis
> Gaudia, quæ ducunt epulis; quia mentibus error
> Irrepit rudibus : nec tantæ conscia culpæ
> Simplicitas pietate cadit, male credula sanctos
> Perfusis halante mero gaudere sepulcris.

Hoc est *mera fundere*, quod Chrysologus damnat ut diaboli inventum, Paulinus ut simplicitatis lapsum excusat. Vide Chrysologo cohærentem Augustinum tom. X serm. in Cathedra S. Petri, et Tertullianum lib. de Resurr. cap. 1, in principio.

[d] Fatetur Mita hoc intelligi debere de crimine dæmonis, qui humanum genus in Æ væ tentatione pessumdedit, cujus comparatione homo innocens est. Attamen mystice interpretatur de crimine Æ væ et de originali peccato. Unde dæmoniacus hic innocens quoad culpam propriam, reus erat quoad culpam parentum.

[e] Hoc est, exsecrabilis invidia dæmonis non patitur ipsum in hoc facto apparere tortorem; sed solum permittit hominem videri talia pati, quatenus hominis peccatum, propter quod ipse mala patitur appareat, et dæmonis culpa non cernatur. MITA. — Multæ editiones et ms. Vallicell. habent *miserabilis invidia.*

[f] Id est, homines peccatores, juxta illud Job XXXVII, 3, *Et lumen illius super terminos terræ.* Vel potius ad omne id, quod in suo dominatu includitur : *Dabo tibi gentes et possessionem tuam terminos terræ.*

[g] Ex ms. Vallicell. et Vatic. Nonnullæ editiones *consolantes.*

[h] Alias, *falsus.* Qui superna consulunt, et a falso promissore illuduntur, ii sunt qui futura soli Deo cognita a dæmone consulto scire desiderant, quod olim gentes fecisse constat cum idola de futuris consulerent. MITA. — *Quid mirum pater mendacii*, inquit Cyrillus Jerosol. cateches. Illum. pag. 124, *si opera mendacii speculatur?*

[i] Vide superiorem notam 5. Antiquis alius *limes*, alius *terminus*; de quibus consule Hofmannum Contin. Lexici tom. III pag. 34; Salmasium ad Solinum pag. 680. Addam terminos finesque agrorum a Romanis quandoque dictos *arcas finales*, quæ non tantum finiendis agris, verum etiam condendis cadaveribus inserviebant. Harum figuram expressam ex Hygino habes apud laudatum Salmasium.

[a] nec factione pellaci inimicum suorum requirere possessorem. *Et clamans voce magna, dixit : Quid mihi et tibi, Jesu fili Dei summi? adjuro te per Deum ne me torqueas.* Quid agit? quid patitur fragilitas humana talibus et tantis subjecta miseriis? Ecce diabolus [b] patrona voce hominis hominem petiturus inclamat : et tota membra hominis hosti suo suam militant in ruinam. *Quid mihi et tibi, Jesu fili Dei summi?* Quid mihi et tibi? quod puniendo et judici, quod regi et desertori, quod invasori et domino. *Quid mihi et tibi, Jesu fili Dei summi?* Si agnoscis filium, utique non nescis hæredem : si hæredem nosti, [c] hæreditatem rapere cur præsumis? *Adjuro te per Deum, ne me torqueas.* Timet tergiversator, et simulat : fatetur filium, sed ne Deus intelligatur solita arte contendit : adjurat Deum per Deum, [d] ut alterum videri ipsum faciat, ut astantium decipiat et fallat auditum. *Interrogabat eum Jesus, quod tibi nomen est?* Interrogat : non ignorat, sed implet judicem, servat [e] ordinem cognitoris : nomen interrogat, ut de conditione discutiat, judicet de reatu, addicat de crimine, Deum se esse data sententia perdemonstret. *Respondit legio, quia multi sumus.* Christi interrogatio nostram ignorantiam sic depellit; nobis aperit quod latebat, ad unum legio. Evidens est desidia militis, si deserat aciem, si gressum retrahat, si confligere pertimescat; ibi unum numeroso hoste fortiorem prævidet [f] esse captivum. Ad præsentiam regis isti quid sunt, qui ut unum, et [g] nedum tironem caperent, toto cohortis suæ agmine convenerunt? ubi essent si vexillum ibi jam crucis, si Christi signa vidissent? Age, Christiane, incede securus, manus tanta et tam multa quæ sic metuit inermem, procul fugiet, si videat, si sentiat, si cognoscat armatum. *Deprecabantur eum spiritus dicentes, mitte nos in porcos.* Vide ubi Satanas sedem desiderat collocare. De sepulcris in porcos. Semel infectus putredine, habitacula fetida et immunda perquirit; sordibus delectatur et cœno, qui utique semper fetore criminum et squalore pascitur vitiorum. Sed sic est odor ejus tartareus et crudelis, ut eum nec porcorum natura sufficeret sustinere : denique demergi in mari, et fluctibus [h] maluit deperire, quam ejus immunditiam pati et putredinem tolerare. [i] At quid possunt præsumere dæmones, qui nec porcos quidem contingere prævalent, nisi eos potestas divina permiserit? Miser est qui, [j] relicto judice, frustra carnificis requirit favorem; qui nec vexare, nec parcere, nec minuere potest tormenta, nec addere, sed facit totum addictus ipse verbero ad jus et arbitrium judicantis.

SERMO XVIII.

De socru Petri infirma et sanata.

Hodierna lectione didicit attentus auditor quare cœli Dominus, restaurator universorum, terrenas et serviles intraverit mansiones. Sed nihil mirum si ad omnia dignanter accessit, qui clementer venerat omnibus subvenire. *Cum venisset, inquit, Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem et febrientem* (*Matth.* VIII, 14). Videtis quæ res [k] ad domum Petri invitaverit Christum : utique non discumbendi voluptas, sed jacentis infirmitas; non prandendi necessitas, sed salutis occasio; divinæ virtutis opus, non humani pompa convivii. In domo Petri non vina, sed lacrymæ fundebantur : turbabat ibi familiam non cura convivii, sed cura languentis : febris ibi, non edacitas æstuabat. Unde illuc Christus non epulas percepturus, sed vitam redditurus intravit. Deus quærit homines, non humana; cœlestia dare cupit, non concupiscit invenire terrena : Christus ergo recepturus nos, non nostra quæsiturus advenit. *Cum venisset, inquit, in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem et febrientem.* Ingressus in domum Petri Christus ad quod venerat, vidit : non aspexit qualitatem domus, non occurrentium turbas, non salutantium pompam, non familiæ concursum; certe non ipsum præparationis ornatum, sed inspexit gemitum languentis, [l] febrientis attendit incendium. Vidit periculum desperatæ, et statim manus ad opus suæ deitatis extendit : nec ante ad humana discubuit Christus, quam mulier quæ jacebat consurgeret ad divina. *Tenuit, inquit, manum*

[a] Christus enim non subdola arte diabolum, ut ipse diabolus Evam, sed propria virtute subvertit.

[b] Scilicet diabolus voce hominis utitur, ut clamet ad Dominum.

[c] Homo est hæreditas Christi Domini : Psalm. XXVIII : *Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam;* ubi Augustinus : Gentes hæreditatem tuam, quam possides ad earum salutem. MITA.

[d] Vatablus locum Evangelii legit : *peto a te, ut jures mihi per Deum;* quasi Christus, ut ait hic Chrysologus, alter fuisset a Deo.

[e] Judicis munus est primum reum interrogare, text. in cap. *Præscripta*, libell. 2 q. 8, et cap. *Forus* de verb. signific.

[f] Vel ait unum hominem a diabolo obsidendum esse fortiorem legione dæmonum; vel ad eum servandum opus fuisse legione dæmonum. Mentem autem Chrysologi satis aperire videtur Basilius orat. 23 : *Nos enim docuit quam multis humanum genus carnificibus dæmonibus traditum non perierit, quandoquidem dæmonum multitudo in unum armata tollere non evaluerit.*

[g] Opinantur nonnulli enarratores ex duobus dæmoniacis unum fuisse gentilem. Cui sententiæ adhæsisse videtur Chrysologus, dum hunc in militia Christi nedum tironem fuisse scribit.

[h] Quid si legendum *maluere?* Porci enim maluerunt demergi potius quam dæmonum tartareum odorem sustinere. Vel verbum *maluit Naturæ* conjunxit, quam pro *genio* vel *inclinatione*, vel naturali quodam instinctu sumpsit.

[i] Ex ms. Vatic. Editi, *aut quid.*

[j] Contra eos qui vero relicto Deo opem dæmonis, ut olim gentes, implorare non erubescunt.

[k] Domus hæc fuisse videtur Bethsaidæ, cujus civis erat Petrus, Joan. I, 4. Quæ urbs cum sesquihoræ tantum itinere a Capharnaumo distaret, poterat Jesus e synagoga Capharnaumi iterum exiens, Bethsaidam vel prænsum, vel cœnatum ire. Et hæc est mens Chrysologi, ut infra patebit. Vel domus hæc erat socri Petri. Petri autem dicta, quod ibi hospitaretur : quæ est et Brugensis et Maldonati sententia.

[l] Videtur hæc de mente Galeni lib. II de differ. Febr. excogitasse Chrysologus, qui passim ad Hippocratem observat febrem vehementem ab eo πυρ *ignem* dici. *Lampadis æstum* vocat febrim hanc Sedulius lib. III pag. 165.

ejus, et dimisit eam febris. Videtis quomodo dimittit A febris, [a] quem tenuerit Christus : ibi non stat infirmitas, ubi auctor salutis assistit; accessus illuc mortis nullus est, ubi vivificatoris ingressus est. *Tenuit*, inquit, *manum ejus.* Quæ necessitas tangendi erat, ubi inerat jus jubendi? Sed Christus tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulieris acceperat mortem. *Tenuit manum ejus.* Ut quod manu [b] præsumentis amiserat, manus repararet auctoris. *Tenuit manum ejus.* Ut acciperet indulgentiam manus, quæ carpserat de morte sententiam. *Et surrexit*, inquit, *et* [c] *ministrabat ei.* Et Christus mulieris indigebat obsequio, et mulieris provectæ ætatis, senectutis summæ, filiis aggravatæ? sic in domo Petri non erat vernula, non minister, non familiaris, non propinquus, certe [d] non uxor, quæ matris obsequium B prævenire? et ad summam, Petrus ipse causas suæ verecundiæ non videbat, ut hoc anus, hoc socrus faceret magistro discipulus quod debebat? fratres, Christus ab illa humanum non exigebat obsequium, cui ministerium divinitatis impenderat : sed ministrare illam ad indicium redditæ sanitatis admisit. Christus sic fugat morbos, ut vires pristinas mox reducat : ubi curat ars, ibi infirmitatis residet lassitudo; ubi sanat virtus, ibi languor [e] vestigium non relinquit. Sed in hac lectione quid spiritualis intelligentiæ lateat si scire volumus, verborum flosculos non quæramus : qui [f] saturitatis fructum quærit, despicit amœna camporum : violæ, rosæ, lilia, narcissus, grati flores, sed gratior panis. Quod est odor naribus, hoc est auribus sermonis ornatus; quod C dat panis vitæ, hoc scientia dat saluti. Seponenda est ergo eloquentiæ voluptas, quando scientiæ deposcitur fortitudo. *Cum venisset*, inquit, *Jesus in domum Petri.* Ad domum Petri venit Christus, ut domus Petri veniret ad Christum. Tunc ad domum Petri venit Christus, quando habitacula nostræ carnis intravit. *Cum venisset Jesus in domum Petri* (*Matth.* VIII). Quæ est domus Petri? illa, de qua dicit Dominus : *Et tu, Bethleem, domus Juda, non es minima in principibus Juda; ex te enim exiet dux, qui reget populum meum Israel* (*Mich.* V). Unde et Apostolus : *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX). *Cum venisset in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem et febricitantem.* [g] Vidit synagogam jacentem in perfidiæ suæ tenebris, decumbentem sub suorum sarcina peccatorum, vitiis ad phrenesim usque febrientem : et ideo tenuit manum ejus, quia non tantum verbo, sed et manibus Judaicæ gentis operatur salutem. Audi prophetam, *Deus autem Rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ. Tenuit manum ejus.* Ut ante prophetarum sanguine manus ejus mundaretur, quam ministrationis ecclesiasticæ sumeret sacramentum. *Et surrexit et ministravit.* Hinc est quod erecta est quæ jacebat, et [h] ministrat Christo, dum sanctificat manus suas modo in operibus bonis, quas ante malis operibus polluebat. *Vespere*, inquit, *facto obtulerunt ei multos, dæmonia habentes, et ejiciebat spiritus verbo.* Hoc humanitus quomodo intelligi potest, ut contempto die, vespere multos, et male saucios salutis avidi ad salutis remedia bajularent? Sed vespere est, cum finitur dies sæculi, mundus a luce temporum cum declinat. Sero lucis redditor venit, ut nobis gentibus, qui in nocte venimus sæculorum, diem redderet sempiternam. *Vespere autem facto, obtulerunt ei* [i] *multos dæmonia habentes.* Vespere, hoc est, novissimo tempore nos gentes offert Deo apostolorum pia et solemnis devotio : et pelluntur a nobis dæmones, qui nobis idolorum cultus imperabant. Audi prophetam : *Omnes dii gentium dæmonia* (*Psal.* XCV, 5). Ignorantes enim unum Deum innumeris diis serviebamus sacrilega et sordidissima servitute. *Et ejiciebat spiritus verbo* (*Rom.* X, 17). Quia ad nos Christus carne non venit, venit verbo : ubi ergo venit fides ex auditu, auditus per verbum, nos fecit liberos dæmoniaca servitute, dæmones reddidit ex impia dominatione captivos. Hinc est quod dæmones

[a] Ms. Vaticani, *tenuit.*

[b] Præsumptor vocatur Adam et hic a Chrysologo, et a Sedulio lib. II vers. 4.

Nec solus meritam præsumptor senserat iram,

voce parum Latina, et cujus vix apud Sidonium vestigium invenies. Non alia autem de causa *præsumptor* dicitur, nisi quod adipiscendæ divinitatis vana eum ambitio tetigerat. Alcimus Avitus Poem. lib. II. D

Diis esse cupit similis, serpitque venenum
Ambitione nocens.

[c] Secutus est Græcam lectionem, non *eis* ut Marcus et Lucas.

[d] Solus Petrus inter apostolos legitur fuisse uxoratus. Et hæc plurimorum veterum Patrum sententia. Adesis Clementem Alexandrinum Strom. lib. III pag. 448; B. Epiphanium hæres. 51, Alogor. pag. 437 § 22, et hæresi 30, Ebion. pag. 147 § 22; Hieronymum lib. I adversus Jovinian. pag. 27; et in Epist. ad Julian. 34; auctorem quæstionum veteris et novi Testam. apud Augustinum tom. III recent. edit. quæst. 127 pag. 124, E. Quapropter penes Ignatium in epistola ad Philadelph., quam emunctioris naris critici genuinam esse profitentur, verba illa : *et aliorum apostolorum nomina, qui nuptiis operam dederunt*, a Græculo quodam assuta censentur. Neque hic Chrysologus negat uxorem fuisse Petro : asserit tantum ea domi non adfuisse : quia alias ipsius potissimum muneris fuisset matrem a familiari rerum administratione sublevare. Vel quia communis Patrum doctrina est eam Petrum, aliosque, si qui fuere, ante apostolatum dimisisse.

[e] Cum eam *continuo* a febri dimissam narret Evangelium, innuit eam statim redditam sanitati, absque eo quod opus habuisset temporis ut vires iterum et robur acquireret : *Sanitas quæ confertur a Deo*, inquit Hieronymus in Matth. laudatus a Mita, *tota simul redit.*

[f] Editi, *maturitatis*. Emendavit Meursius.

[g] Febricitantem feminam Synagogæ fuisse typum, tradunt etiam Theophylus Antiochenus lib. III Allegor.; Bonaventura ad cap. IV Lucæ; Beda tom. V, ad cap. VIII Matthæi, etc.

[h] *Ministrat Christo* et discipulis ejus, qui eum comitati fuerant.

[i] Cum Christus advenerat, multi a dæmonibus vexabantur, Satana magis insaniente, eo quod præsenserit eum breve regnaturum, et idolorum cultum et tenebrarum potestatem funditus ruituram.

sub manibus nostris torquentur imperantibus nobis, qui nos subjiciebant lignis, lapidibus adjiciebant, et vacuas quotidie [a] per figuras inani timore vexabant. Modo est, fratres, ne nos infidelitas ad eorum revocet servitutem : [b] non laqueemur auguriis, non divinatione fallamur, [c] non capiamur sortibus, [d] non a Manibus inducamur, [e] non seducamur mortibus, non [f] pestibus anhelantibus captivemur; sed nos nostrosque actus commendemus Domino, committamus Patri, credamus Deo; quia tempus hominum sicut Deus agit, et ideo sicut [g] pater actus dirigit filiorum, et ut Dominus curam familiæ non relinquit.

SERMO XIX.

De Scriba, cui Christus sequi se non permisit.

Hodie evangelista sic cœpit: *Videns*, inquit, *Jesus turbas multas circa se jussit ire trans fretum* (*Matth.* 1). Quoties circa Dominum se indocilis turba diffundit, et jactatur in conscientiæ procella, quietem deserit, petit fluctus, [h] portum deserit, naufragia intrat, ad excelsa contendens mergitur in profundum; tunc Christus hoc mare talibus turbatum turbis transfretari jubet. *Videns*, inquit, *Jesus turbas multas circa se, jussit ire trans fretum.* Non ut fugeret homines, qui hominum venerat ad salutem; sed insipientibus inducias dat credendi, errantes ut revertantur exspectat; patientiam præbet et veniam, qui non vult proferre sententiam; sustinet contumaces, qui vult non perdere, sed salvare quod fecit. *Accedens*, inquit, *unus ex Scribis, ait illi, Magister, sequar te quocumque ieris.* [i] Discedit non accedit, qui promittit Dominum incaute sequi. Sed ad omnia posse quis promittit? Dixisset cautius, Sequar te [j] quocumque jusseris : humanius certe, Quocumque volueris. *Sequar te quocumque ieris.* Sic dicit qui inter se et Dominum quid intersit, ignorat; sic dicit qui Christum Deum non intelligit, sed magistrum. *Sequar te quocumque ieris.* Petrus per mare sequitur, sed submergitur; ad passionem sequitur, sed negat. Et si Petrus sic deficit, succumbit ad pauca : iste quis est, qui se ad omnia sequi Dominum sic promittit? *Sequar te quocumque ieris.* Sic dicit iste, quasi posset cum Christo subire conflictum, [k] per ignominiam crucis adire gloriam, intrare mortis arcem, mortem mortificare per mortem, penetrare [l] ignotos tartari sinus, dirumpere inferni vincula, sæculis jam duratas animas, oblitas luce, propria [m] revocare ad corpora, concutere terram, saxa scindere, sepulcra reserare, educere sepultos ab inferis, testes suæ resurrectionis afferre. Adhuc adjiciat iste ire quocumque vadit Christus, supersedeat humeris angelorum, conscendat cœlos, consideat Patri, apicem teneat omnium cœlestium dignitatum, ad ista Christum, ad hæc Dominum, [n] scriba stultus, superbus

[a] Particula *per*, qua multæ carent editiones, sensum obumbrabat. Cæterum nota satis gentilium opinio de larvis, spectris et lemuribus. Fortasse vero ad mentem Auctoris propius accedit interpretatio Mitæ, qui per *figuras vacuas* intelligit numinum statuas, vel idola, de quibus Sapient. XIII, 13 : *Sculpat diligenter per vacuitatem suam.* Ad rem nostram Cajetanus, in locum psalmi XCV, 5, legit : *quia omnes dii populorum vacuitates; hoc est, sunt sicut vasa cava nihil in se continentia.*

[b] Id est non implicemur aruspicinorum laqueis.

[c] Sortes dicebantur oraculorum responsa, ex Valer. lib. I, Suetonio in Tiberio cap. 63.

[d] Manes dicebantur apud gentiles animæ defunctorum, quas nobiscum quandoque versari censebant.

[e] A spectris scilicet mortuorum. Opinatur Castillo a mortibus piorum hominum; quos aliquando vel repentino fato correptos, vel aliquo alio infortunio sublatos, hoc ipsi in Dei iram et malorum operum ultionem sustinuisse vulgo facile crèdunt.

[f] Pestis, pernicies, et calamitas omnis est. Cicero in Catilin. orat 19 : *in te conferri pestem istam, quam tu in nos jam diu machinaris.*

[g] Idem fortasse ac tuetur bona et rationes filiorum. *Actor* enim dicebatur is qui, impedito tutore, res agebat pupillorum l. 24 d. de administ. tutor.; et l. 22, § de tutela. Neque ideo actores dicti sunt, quod ad acta constituerentur, ut Theophilus existimat, sed ab *agendo* : unde et πραγμάτονται dicuntur Græcis. Sensus autem magis obvius est, Chrysologum pro *actus* actiones et opera filiorum intellexisse.

[h] Numquid vocis hujus tam propinqua repetitio Chrysologo digna, cui tanta erat verborum affluentia? Quid si dixerimus eum per antithesim figuram quam in deliciis habebat scripsisse *portu exit, naufragia intrat*, etc.

[i] Editiones *decipit*. Emend. ex ms. Vatican. et Vallicell.

[j] Vide Hieronymum in Matth. VIII, tom. V, pag. 26 edit. Paris. 1579.

[k] Alias, *ignominiam crucis adire per gloriam.*

[l] Hominibus scilicet. Sinum dicebant veteres quidquid ad aliud recipiendum aptum erat. Virgilius :

Argolicos penetrare sinus.

Theophylactus in cap. XVI Lucæ pag. 461 : *Etiam in mari sinus appellare solemus loca portubus et quieti apta.*

[m] Implexus sane locus. Edit. multæ : *Sæculis jam duratas animas oblitas, ad lucem propria revocare per corpora.* Mita : *Sæculis jam diu gratam animas oblitas ad lucem revocare per corpora.* Sequi placuit lectionem codicis Vaticani, ubi particulæ *per corpora* ab aliquo qui contulit superinductum fuit *ad corpora.* Dixit fortasse *animas* sæculis jam *duratas*, quæ vel per sæcula tenebrarum patientes fuere. *Durare* pro *pati* Comicus : *Quis hic durare si sic fit potest?*

[n] Scribarum nomine in sacra Scriptura veniunt legis doctores, sapientesque homines tractandis negotiis periti I Paralip. XXVII, 32; Jerem. XXXVI, 10, 12, 20, 26; Eccles. X, 5; I Esdr. VII, 61; nec non qui descriptorum militum catalogum servabant, eosque recensebant. Judic. V, 14; II Paralip. XXVI, 11; Jerem. LII, 25; I Machab. V, 45. At horum munus nobile apud Hebræos, spectatumque, non pateretur eos vocari *stultos* et *vernulas*, qua voce in servorum significatione tam sæpe utitur Chrysologus. Pronum ergo est credere, hujusmodi scribam, in sensu Auctoris, scribam fuisse mercenarium et alicui homini privato vel a secretis, vel a rationibus dati et accepti. Cui assentire videtur Hieronymus, l. c., qui eum ad Christi sequelam sola spe lucri inductum fuisse credit. Et in hac eadem significatione Scribæ nomen sumitur in Scriptura. II Reg. VII, occurrit Sarai Davidis scriba; III Reg. IV, 3, Elioreph ex Ahia, Salomonis; IV Reg. XXII, 8, 9, Sapham Josiæ. Et cum apud Hebræos pauci fuissent scribendi periti, facile evenire potuit, ut hujus generis Scribæ alterius essent nationis, a Judæis mercede conducti, et in famulatum asciti. Sententiam tuetur Hilarius comment. in Matth. Tom. I Oper. pag. 702 edit. Veron. qui in Scriba gentes et infideles adumbratos esse docet.

vernulâ sequi se Dominum cur prohibuit? Sed accipit a Christo tam dignum [a] pro tanta præsumptione responsum: *Vulpes foveas habent, et aves cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Quid est hoc? [b] Vulpes viribus infirma, calliditate potens, inventrix doli, fraudis artifex, simulationis magistra, simplicitatis vacua, plena strophis, avium domesticarum prædo, tectis familiaribus inimica, merito hanc Christus in typum format Herodis, principis Judæorum, qui pristinæ libertatis oblitus, sub Romana potestate consistens, dominabatur arte, calliditate regnabat, imperabat fraude, præsidebat dolis, simulatione pollebat; et quia ab exteris gentibus [c] non valebat referre prædam, [d] familiarem plebem, vernaculos populos, velut aves domesticas devorabat. Probat hoc Christus quando Herodi mandat: *Ite,* [e] *dicite vulpi illi* (*Luc.* XIII, 32). Vere vulpis, qui regnum dolis rapit, quod nec nascendo meruit, nec vivendo. Hic ergo Herodes in cordibus Scribarum usque ad necem Christi foveas sibi suorum scelerum collocavit: nec reliquit locum ubi Christus caput suum, quod Deus est (I *Cor.* XI, 3), reclinaret. *Vulpes foveas habent et aves cœli nidos.* Aves hic quoque [f] appellat dæmones in aere volitantes, qui et ipsi in pectoribus Scribarum malitiæ suæ nidos fecerunt, ubi tota nequitiæ suæ germina procrearent. Hinc est quod ubi se diabolus Judæ animo immiscuit, mox et concepit doli fructum, et crimen peperit proditoris. Videtis quia Scribam Christus [g] non repulit volentem, sed [h] fingentem prodidit, et horruit præsumentem. Aut quare Christus, aut quare pietatis auctor, largitor salutis, istum venire volentem prohiberet, qui mox [i] alium discipulum ire cupientem retinuit, ne abiret? *Alius,* inquit, *discipulus ait, Domine, permitte mihi primum ire et sepelire patrem meum. Jesus autem ait illi, Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Numquid sic Christus negat ultimum pietatis obsequium? vetat extremum munus parentibus, quod debetur? Non pietatis obsequium negat, sed divinam præponit humanis affectibus servitutem. Audite quid discipulus dixerit. *Permitte mihi primum ire, et sepelire patrem meum.* Hoc ei non primum esse debuit, sed secundum; terrenus pater [j] cœlesti postponendus est patri. *Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Hoc est dicere, me sequere ad contumeliam passionis, ut mecum possis ad resurrectionis gloriam pervenire. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Fidei filius ad domum perfidiæ cur rediret? Salutis proles perditum cum perditis cur defleret? [k] Resurrectionis pignus ad sepulcra genitoris [l] quid curaret? *Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Quomodo mortui sepeliunt mortuos suos? Fratres, ipse dixit: *Ego sum vita* (*Joan.* XIV, 6). Quod est anima corpori, hoc est animæ Christus; sine anima corpus non vivit, [m] non vivit anima sine Christo: recedente anima, mox corpori fetor, corruptio, putredo, vermis,

[a] Miraculis enim Christi commotus, eum ambitionis et gloriæ cupiditate sequi cupierat.

[b] Brugensis vocat vulpes *inutiles et invitas hominibus bestias.* Scriptoribus ecclesiasticis *vulpes* pro fraudulento est. Theophylact. in III ad Coloss. v. 9, p. 661: *Scriptura equos, canes et vulpes nominat eos qui propter voluntates et mores suos hujusmodi animalibus facti sunt similes.* Latinis etiam. Perseus Sat. v. 115:

Astutam vapido servas sub pectore vulpem

Apud quos *vulpinari* est subdole agere. Vide Augustin. in psalm. LXXXVIII et Hilarium Comment. in Matth. tom. I pag. 702.

[c] Gentiles enim non persolvebant tributa, sed tantum Judæi.

[d] Non quia Judæus, nam pater ejus Ascalonita et de Idumæorum genere; sed propterea quod intra Judæorum et Galilææ fines dominabatur.

[e] Mita opinatur hic Chrysologum loqui de utroque Herode, scilicet Ascolonita, et filio ejus Antipa, qui et Herodes cognominatus est: « Unde propter nominis et sanguinis congruentiam, ac principatus quod de uno protulit, de altero quoque intellexisse credendum est: nisi maximam textus corruptionem, prout in multis aliis locis, hic etiam arguere liceat. » At dum addit inferius Herodem *vulpem* dictum, videtur locutus fuisse Auctor de Herode Antipa, Herodis Magni ex Maltace filio, qui Baptistam capite minuit, et Christo illusit, quem vulpem Dominus vocavit, cui Pilatus Christum, quem Galilæum putabat remisit, utpote illi tetrarchiæ subjectum. Hic postquam a Caio Cæsare regium nomen acceperat, Agrippæ calumniis circumventus, regioque nomine et dignitate exutus, Viennæ ad Rhodanum ex animi mœrore obiit. Vocatur ab Nostro *principe Judæorum;* erat enim Galilææ tetrarcha, qui pristinæ Judæorum libertatis oblitus, sub Romana potestate obediebat Romanis; colligebatque tributa, quæ Cæsari impendebantur, sed fraudibus et versutiis, ut ex Josepho Antiq. lib. XVIII, cap. 1 et ex Origene in Matth. tract. 22.

[f] Nescio quid simile invenies apud Paulinum, epistol. 24, ad Severum, pag. 116, num. 14: *Quis ergo me armabit contra tot agmina hostis aerii.* Alibi, Poem. XV natal. 4, quos *Hostes* dixerat, vocat, *proceres aerios:*

Aerios proceres vincens in corpore nostro

Ad Ephes. II, 2, *Principem aeris hujus.*

[g] Quæstio est inter Patres, an Christus Scribam illum a discipulatu expulerit; vel suo arbitrio reliquerit eum sequi. Primum sentiunt nonnulli; alii vero cum nostro, contrarium. Vide Ambrosium, lib. VI in Luc.; Augustinum, serm. 7 de Verb. Dom.; Gregorium, homil. 13 in Ezechiel.; et Chrysostomum, homil. 28 in Matth.

[h] Commune cum Chrysologo placitum est Patrum, responsum Christi, *non ad sonum verborum Scribæ, sed ad sensum accommodatum fuisse,* ut ait Chrysostomus homil. 28 in Matth. Impio enim et fraudulento Scribæ mens erat, in Christi famulatu esse, ut inde lucrum assequeretur.

[i] Fuisse Joannem ex antiqua traditione perhibetur. At textus Matth. non habet, ut Noster, *discipulus;* sed *alius ex discipulis. Supple futurus,* ait Hugo card., *quia nondum erat discipulus.*

[j] Ambrosius, tom. II in psalm. I, 1: *Pietas enim prima in Deum, secunda in parentes.*

[k] Pignora pro *filiis;* familiare Chrysologo verbum. Lucæ X, 26: *et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis.*

[l] Christi fidelis, est filius resurrectionis, hoc est ipsius Christi filius, qui dixit: *Ego sum resurrectio et vita;* habetque jus ut ad vitam una cum capite Christo resurgat. Cæteri homines infideles, quamquam et ipsi in novissimo die resurgent, non tamen filii resurrectionis proprie dici possunt, cum minime sint resurrecturi ad vitam, sed ad pœnam. Nil ergo fidelis ad sepulcrum genitoris infidelis curare debet, cum resurrectio non sit patri profutura, sed filio. MITA.

[m] Augustinus, super psalm. LXX serm. 2: *Sicut vita corporis est anima, sic vita animæ Deus. Quomodo, si anima deserat, moritur corpus; sic anima moritur, si deserat Deus.*

cinis, horror et omnia visu detestanda succedunt : discedente Deo, confestim venit in animam peccatorum fetor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conscientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror, et fit in corporis sepulcro vivo funus animæ [a] jam sepultæ. Accedebat ad causam quod cavader perfidiæ [b] perfidis agebatur obsequiis et impietatis ministerio pietas curabatur. *Ingressus*, inquit, *Jesus domum principis, vidit symphoniam* (*Matth.* IX). Nunquid tales piaculum de pietate non faciunt, qui ad luctum musicam, ad funera suorum [c] extranea lamenta conducunt? ubi vero planctus non est, ibi est empta et mercenaria cantilena. Mortuum non artifex fistula, sed simplex plangit affectio. Christus ergo discipulum suum non deesse voluit exsequiis paternis, sed profanis luctibus noluit interesse.

SERMO XX.

De sedata maris tempestate.

Ecclesiasticæ lectiones sic divino dispensantur arcano, ut et peritis scientiam conferant altiorem, et simplicibus salutaria intelligentiæ gratiam largiantur. Ascendente, inquit, [d] in naviculam Christo, fecisse motum magnum refertur ausa tempestas. *Ascendente*, inquit, *eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus, et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse autem dormiebat* (*Matth.* VIII, 23). Mare quod [e] pedibus Christi [f] tumentia terga submisit, stravit in plano vertices suos, motu frenavit, astrinxit fluctus, et per [g] liquentem viam [h] saxea soliditate servivit modo (*Joan.* VI); quid est quod usque ad periculum sui sævit, furit, contendit auctoris? Quid ipse Christus futurorum præscius, præsentium sic videbatur ignarus, ut instantem procellam, tempestatis horam, tempus periculi non caveret : sed inter vigilantes omnes tunc solus [i] teneretur in somno, quando imminebat sibi, suisque tam grande discrimen? Fratres, gubernatoris peritiam non probat temperies serena, sed procellosa tempestas : blandiente aura, navim regit ultimus nauta; in confusione ventorum, primi quæritur ars magistri. Hinc est quod discipuli posteaquam viderunt sibi industriam nauticorum deperiisse, in se maria sævire, se fluctus petere, adversum se ventorum turbines convenisse, ad ipsum gubernatorem rerum, [k] rectorem mundi, elementorum magistrum trepidi confugerunt, petentes ut sedaret fluctus, periculum submoveret, salutem redderet desperatis. Denique ubi jussio sola addixit mare, [l] recussit ventos, [m] tulit turbines, dedit quietem, navigantes ipsum esse omnium sentiunt, credunt, fatentur auctorem. Sed jam quod intus est proferamus. Ubi Christus [n] Ecclesiæ suæ navim mare sæculi transfretaturus ascendit, gentium flabra, Judæorum turbines, persecutorum procellæ, vulgi nubes, dæmonum nebulæ, sic ruerunt, ut totius mundi fieret una tempestas. Regum spumabant undæ, fervebant potestatum fluctus,

[a] Ita ms. Vatican. Aliæ editiones : *jam sepultum.*

[b] Carpit hic morem adhibendi in funeribus cantus tibias, fistulas et symphonias, quem a gentilibus in Judæos effluxisse credunt nonnulli. Vide Brugensem, Maldonatum, Tirinum, Schultetum, Schmidium, præ cæteris Calvorium Ritual. ubi de re funer. et de tibiis funer. pag. 910 et 912. Et sicut apud Græcos, Romanosque tibicines in usu fuisse notant Isidorus, Orig. lib. II cap. 20 pag. 90, ita apud Hebræos, ut patet ex historia evangelica Matth. X, 23. Non autem improbantur hic cantus psalmorum et hymnorum, dum cadavera efferuntur : cujus meminere Chrysost. homil. 116 tom. VI, et homil. 14 in I Tim. pag. 309; Gregorius Nazianz. orat. in soror.; Eusebius lib. I pag. 121; B. Gregor. Nyssenus, de vita S. Macrinæ, tom. II pag. 201, ubi de ejus funer. Macarius, homil. 15 pag. 184. Quos autem psalmos cantaverint ex Chrysostomo homil. 4 in Epist. ad Hebræos pag. 454 edocemur.

[c] Ambrosius, in cap. VII Lucæ, de filia principis synagogæ a mortuis excitata : *More veteri tibicines ad incendendos excitandosque luctus ferebantur adhibiti.* Uberius explicat Maldonatus, cap. IX Matth. 23, hunc morem fuisse gentium, et ad Judæos quoque permanasse. MITA. — Vocat Auctor *extranea lamenta*, quæ interius *mercenariam cantilenam* dixit, scilicet virorum vel mulierum mercede conductarum, ut pretio emptis lamentis, elatum cadaver plangerent. Hoc est forta se, quod in lib. Sapient. XIX, 13, dicitur : *lamentari ad sepulcra mortuorum.*

[d] Vatablus legit *navim* ex Græco textu πλοῖον apud evangelistas, qui Græce scripserunt. Nonnus Homerico exemplo *navem* hanc vocavit πολυκήδα : quæ naves, ut plurimum, ingentis molis validisque trabibus compactæ, multorum egent ministerio. Nostro autem πλοῖον *scapha* videtur esse, qua lacum transfretabant. Optime Sedulius lib. II vers. 15 :

. . . Exiguæ conscendunt robora cymbæ.

[e] Tangit aliam historiam ex Matth. XIV, Marc. VI, Joan. item VI. Locum hunc Chrysologi de more exscribit Paschasius lib. V in Matth.

[f] Prudentius præfat. in lib. II contra Symmachum : *Sistitque, et cogit ingredi tergum per humidum mare.* Arnobius, lib. I : *Calcabat ponti terga undis ipsis stupentibus.* Claudianus, de Bello Germ. : *Glacialia terga fluviorum.*

[g] Virgil. VI Æneid., *Liquentes campos.*

[h] Implexum in editionibus locum ex Meursii interpunctione restituitur. In nonnullis : *saxa soliditate serviunt.* Theophylactus, ad cap. VI Matth. locum psalmi LXV sic legit. : *Qui ambulat super mare, ut super pavimentum.* Latinius : *Per liquentem viam saxi soliditate serviunt, id est fluctus.*

[i] Somno vero ac naturali; laboribus enim fessus erat; at voluntario, sive accersito, ut tempestas sine ejus consilio oriri videretur.

[j] Ita Mita et Castillo. Aliæ appositæ quoque, *irruisse, concrevisse.*

[k] Editi omnes et mss. Vallicell. et Cæsen. habent : *vectorem mundi.* Vatic. et lectio Latinii, *rectorem.*

[l] Ita omnes. Latinius legit, *retudit, seu repercussit.*

[m] Meursius putat legendum : *sustulit turbines.*

[n] Hæc et sequentia ad mentem Tertulliani, de Baptismo, cap. 12 : *Cæterum navicula illa Ecclesiam præferebat, quod in mari id est sæculo fluctibus, id est persecutionibus, et tentationibus inquietetur, domino per patientiam veluti dormiente : donec orationibus sanctorum in ultimis suscitatus compescat sæculum, et tranquillitatem suam reddat.* Ab aliis SS. PP. testimoniis, quæ utramque implerent paginam, abstineo. Vide Prosperum, de Vocat. Gentium, cap. 4; Augustinum, serm. 23 de Divers.; Hilarium, in Comm. Matt. cap. VI; Ambrosium, lib. VII in Luc. et lib. I de Salom. cap. 4; unde apud Chrysost. homil. 65 tom. VI pag. 675, et ibid. homil. 79 pag. 784. **Arca Noe est Typus Ecclesiæ.**

sonabat rabies [a] subditorum, populorum gurgites rotabantur, perfidiæ notabantur scopuli, [b] mugiebant littora Christiana, lapsorum [c] naufragia versabantur, et erat totius mundi unum discrimen, unumque naufragium. *Tunc discipuli accedunt ad Dominum, et suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos, perimus; et dicit eis Jesus, Quid timidi estis, modicæ fidei?* Suscitatus ergo a discipulis Christus, mare, hoc est, mundum, corripit, tranquillat orbem, reges mitigat, potestates placat, sedat fluctus, componit populos, Romanos efficit Christianos. [d] Ex ipsis quoque, exsecutores verbi Christianæ fidei reddidit, qui fuerant persecutores nominis Christiani. Hanc tranquillitatem servant principes Christiani, Ecclesia tenet, habet Christianitas, gentilitas admiratur. *Tunc*, inquit, *surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. Porro homines illi mirati sunt dicentes, Qualis est hic, quia et venti et mare obediunt ei?* Discipuli sunt hi qui accedunt ad Dominum, qui suscitant eum, qui salvare se humili supplicatione deposcunt: [e] homines vero dicuntur qui elementa Christo taliter obedisse mirantur. Vere homines sunt, et sæculi homines, qui mirantur ad obedientiam Christi mundum sic esse conversum, qui templorum vertice velut undarum tumores stupent sic esse dejectos, qui idolorum spumas, dæmonum vident turbines sic fugisse, quos attonitos reddit Christiani nominis toto orbe profunda et diffusa tranquillitas. Et vere fratres, dormiente in morte Christo, in Ecclesia magna est exorta tempestas; resurgente a mortuis Christo, Ecclesiæ reddita est, sicut scriptum est, tranquillitas magna. Modo nos dormientem in nobis Christum toto præcordium gemitu, fidei voce, Christianis lacrymis, ploratu alto, apostolicis clamoribus excitemus, et dicamus: *Domine, salva nos, perimus.* Et quia lectio apte tempori convenit, et sicut scriptum est: [f] Aquilo durus ventus (*Prov.* XXVIII, 23), nomine autem Dexter vocatur qui nobis gentes sic feras, sic amaras advectat; hic ergo Aquilo ventus durus [g] per Dextrum, per Africum, per Austrum, per Eurum diffundit se [h] tristi turbine, maria confundit, [i] delet aera, montes dejicit, sorbet urbes, provincias mergit, totius orbis cogit unum esse naufragium. Hinc est quod navicula Christi nunc tollitur ad cœlum, nunc in trepidationum ima descendit, nunc Christi regitur viribus, nunc formidine jactatur, nunc operitur fluctibus passionum, nunc confessionum remigiis enatat. Sed nos fratres iterum atque iterum clamemus: *Domine, salva nos, perimus.* Et revera, fratres, si essemus unum, et humanum corpus, si eos qui pereunt nostra esse viscera crederemus, afflictione jejunii, precum gemitu, effusione fletuum, jugiter clamaremus: *Domine, salva nos, perimus.* Et studeremus nobis in nostris fratribus subvenire: nec furente gladio sanguinis nostri mare videremus in terris, nec tanta corporum, sed nec animarum jam naufragia sentiremus, atque humili voce precaremur: *Domine, salva nos, perimus.* Nec tamen ulla compassio, pietas ulla, ullus pavor, quicumque pudor nos, vel compunctio exsuscitat ad dolorem. Dei, Dei est quod urgemur malis, quod verberamur semper, quod gentes valent, quod ruit grando, quod rubigo inficit, quod impietas potest, quod dominantur morbi, quod sævit mors, quod [j] tremit terra: nos tamen nec tremimus, nec

[a] Ex fide manuscript. Editi, *traditorum.*

[b] Nemorum *mugitus*, apud Plinium lib. XVII, cap. 35.

[c] Sic Castillo et ms. Cesenæ. Editi et ipse Mita, *vexabantur.*

[d] Ita legit Latinius: cui favent mss. In edit., *ipsosque exsecutores.* Hoc est, inquit Mita, fecit Romanos, vel ex Romanis ministros, exsequentes verbum Christianæ fidei, quod est credere.

[e] Videtur hic Chrysologus adhærere putantibus eos qui in Evangelio mirati sunt, non fuisse discipulos, sed vel evangelicæ naviculæ nautas, vel in aliis navibus, vel in littore existentes homines; et ita sensit Origenes et Maldonatus, in cap. VIII Matth. num. 27. At Hieronymus ibidem: Basilius, orat. 22 in fine, Hugo card., Cajetanus, etc., opinati sunt hic apostolos vocari homines, ob modicam fidem eorum.

[f] Marginistæ, ut vocant, Chrysologi notant locum hunc, veluti desumptum a lectione LXX interpretum. At ibidem legitur: *sed ventus Aquilo suscitat nubes.* Lectio Auctoris, secundum quod putat Castillo, respicit effectum Aquilonis, qui, utpote frigidissimus, nives aquasque in glaciem indurat. Ovidius Metamorphos. lib. VI:

Induroque nives, et terras grandine pulso.

[g] S. Augustinus, tom. IV de Consensu Evang. lib. II cap. 4: *Mundus ipse quatuor partibus terminatur, quas aliquando a ventorum nomine Scriptura commemorat.* Ab Oriente, Aquilone et Meridie. Sic Auctor noster quatuor orbis partes intelligit, in quibus per ea tempora, licet non semper iisdem annis ac mensibus, maximum erat in mundo naufragium. Quandoquidem Angli, domitis Scotis, Pictisque e Scythia oriundis, Britanniam subegerunt. Africa sub Genserico a Vandalis capta, direpta et Ariana labe infecta, flamma ferroque consumpta est. Sicilia deprædata, Panormo obsidione cincto. Armorici ab imperatore Occidentali defecerunt: Attila, qui Dei flagellum cognominabatur, Thraciam Illyricum vastavit, Galliasque invasit, et demum ad Aquileiæ obsidionem et Italiæ vastationem se accinxit. In Gallia imperator Occidentis nobilissimum exercitum amisit: duces ab imperatore defecerunt ad hostes, ita ut fame, bello, pestilentia, terræmotu, cladibus, incendiis Barbarorum totus orbis agitatus sit ob gentilitiam impietatem et hæresim Christianorum. Vide in præmissis Annales Baronii, tom. V et VI, ab anno Christi 430 ad annum 450; Rubeum Ravenn. et Dolconem Tarcagnor. MITA. — Auctori Aquilo dicitur *Dexter*; fortasse quia si apponas faciem contra Occasum, hic enim situs cœlorum motibus proprior est et convenientior, Aquilo semper tibi dexter erit.

[h] Ita legere placuit ex conjectura; licet ultra decem editiones, quas sub oculis habeo et mss. Vallicel. et Cæsen. habeant *Christi turbine.*

[i] Suspicatur Latinius an sic legendum.

[j] In Oriente maximus fuit terræmotus: siquidem Cæsar Augustus, una cum populo, sub diu vitam egerunt, ne abruentibus Byzantii ædificiis opprimerentur. Baronius anno 442. MITA. — Fallimur toto cœlo, nisi sermo hic tunc temporis fuit pronuntiatus, cum Wandali imperium et regionem Romanorum acri bello impeterant; vel id evenerit anno 430, cum Africæ potiti sunt; vel paucos post annos, scilicet 439 cum eorum armis Carthaginem subegerunt. Nec improbanda eorum sententia qui in eo damna et rapinas anno 440 in Italia et Sicilia a Wandalis perpetrata deplorari putarunt ex Tillemontio.

timemus, nec declinamus a malis, nec appetimus bona. Avaritia furit, anhelat pompa, iniquitas placet, aliena delectant, sed nostra pereunt; Dei flagella veniunt, sed nostræ provocant culpæ. Si Deus justus, utique nostri misericors. Fratres, revertamur ad Dominum, ut revertatur ad nos Deus; renuntiemus malis, ut respondeant bona: serviamus Deo bono, ut non malis gentibus et potestatibus iniquis serviamus, Christo Domino ac gubernatore nos auxiliante, honor cujus et majestas sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

[a] SERMO XXI.

De eadem.

Quoties Christus nostra dormit in navi, et ignaviæ nostræ somno soporatur in corpore, irruit procella tota confusione ventorum, sæviunt minaces undæ, et dum spumosis fluctibus sæpius elevantur et decidunt, amara navigantibus gignunt exspectatione naufragia, sicut præsens evangelistæ lectio declaravit, dicens: *Et ait illis* [b] *Jesus illa die cum sero esset factum, transeamus contra; et dimittentes turbam, assumunt eum ita* [c] *ut erat in navi* (*Marc.* IV, 35, 36). *Et ait illis Jesus illa die.* Qua die? illa nempe qua, juxta Isaiam, *consurgit confringere terram* (*Isai.* II, 20); illa die, qua tota mundanæ lucis claritas vesperascit; illa, qua imminente tentationum nocte crebrescunt imagines fugiendæ vanitatum. *Cum sero esset factum.* Sero tunc est, cum tempus extremum et hora novissima sensibus humanis confusiones rerum nuntiant, quæ procedunt. *Tranſeamus contra.* De terrenis ad cœlestia, de præsentibus ad futura. Et bene contra, quia divina semper contraria sunt humanis: dum ista subjectos attrahunt ad fragilitatem, ad virtutem illa qui sequuntur, attollunt. *Et dimittentes turbam.* Dimittunt turbam, qui popularem auram et vulgum deserunt incerto semper judicio pervagantem: neque addicti rumoribus humanis a virtutis itinere retardantur, sed de bono conscientiæ stabiles et securi laudum et derogationum mendaces fluctus, Christo comitante, pertranseunt. *Et assumunt eum*, inquit, *ita ut erat in navi.* Quid hoc? aliter est Christus in cœlo, aliter habetur Christus in navi, aliter in majestate Patris, aliter in hominis humilitate sentitur, aliter coæternus Patri, aliter ætatum nostrarum gradibus cernitur temporalis, aliter nostro dormit in corpore, aliter in sui vigilat Spiritus sanctitate. *Assumunt eum ita ut erat*, inquit, *in navi.* Laus fidei est, ita Christum recipere ut est et habetur in navi, hoc est in Ecclesia: ubi natus, ubi adolevit, ubi passus, ubi crucifixus, ubi sepultus, ubi ascendisse in cœlum, Patris ad dexteram consedisse, unde vivorum et mortuorum judicem esse venturum singularis salutis est confiteri; qui taliter in navi nostra Christum confessus assumpserit, et si tunditur fluctuum scandalis, non tamen periculis mergitur, et operitur undarum. *Et facta est*, inquit, *procella magna venti et fluctus mittebat in navim, ita ut adimpleretur navis.* Et facta est procella magna: non ausa est explorare Domini dormientis virtutem, sed discipulorum pulsare fidem, timorem prodere, ut auctori suo quantum servitutis deberet, ostenderet. *Et erat*, inquit, *in puppi dormiens.* Ad dormientem confugiunt vigilantes; et credunt obsistere sævientibus elementis eum cui somnum dominari [d] summa compressione conspiciunt: contemplantur irruisse taliter humanæ necessitatis soporem; ut nec fragore maris, nec clamore fluctuum, nec extremo imminente naufragio potuerit suscitari. Et ubi est illud: *Ecce non dormitabit, neque obdormiet, qui custodit Israel* (*Psal.* CXX, 4)? Per se non dormit, neque sibi dormitat majestas expers lassitudinis, quietis ignara; sed totum per me mihi agit, qui quoties speciem sui actus, sui vultus immutat, toties nostrarum varietates arguit, et culpas animarum. Audi prophetam dicentem: *Palpebræ ejus interrogant filios hominum* (*Psal.* X, 5). Videte quemadmodum Dei oculi clauduntur, ne videant eos, ut vindicent, qui delinquunt. *Averte*, inquit, *faciem tuam a peccatis meis* (*Psal.* L, 11). Et iterum patent, ut currentes incitent, lassescentes erigant, respiciant supplicantes. Hic ergo Domini somnus explorat discipulorum fidem, dubitationem prodit, et modicæ eos credulitatis aperit esse, qui non modo in se tantum, sed in ipsum auctorem credunt posse elementa consurgere. *Fluctus*, inquit, *mittebat in navim.* Quia Dominicam navem, quantum extrinsecus quatiunt et infundunt undæ gentium moles, tantum intrinsecus [e] tumidi hæreticorum irruunt et desæviunt fluctus. Hanc tempestatem beatus Paulus se pertulisse declarat, cum dicit: *Foris pugnæ, intus timores* (II *Cor.* VII, 9). *Ita, ut adimpleretur navis.* Merito spumosis fluctibus evangelista refert fuisse navem repletam, cum tot pene hæreses Ecclesia patiatur quot divinæ legis legimus esse quæstiones. *Et erat*, ait, *ipse in puppi dormiens super cervicale; et excitant eum, et dicunt ei, Magister, non ad te pertinet quia perimus? et exsurgens, commi-*
natus est vento, et dixit mari: tace et obmutesce; et cessavit ventus, et facta est tranquillitas magna. Et ait illis, quid timidi estis, necdum habetis fidem? Dum factum pandit lectio, tempus commendat exemplo.

[a] Et præsenti etiam sermone prosequitur Auctor suorum dierum calamitates. Vide superiorem notam.

[b] Sensus evangelistæ est: illa die qua bis concionaturus erat. Licet alii putent non illa die qua Christus præcedentia docuerat, sed aliqua alia.

[c] Mysticum sensum eruit Chrysologus. Ad litteram sonat: susceperunt eum in navi, et sese composuerat; seu pulvillum ejus capiti supposuerint, seu lignum quoddam aptaverint in puppi, ubi Christus caput suum reclinaret, quemadmodum sensit Theophylactus, super cap. IV Marci. *Ut erat:* elegans locutio Latinorum, quæ significat continuationem ejus quod prius erat: *ut erat dejecta capillos.*

[d] Ita scripsit ex conjectura Mita et ita legitur, licet mss. constantissime legatur *sua compassione;* veluti dicat a somno Christum fuisse compressum. Quid si Christo jam fesso lassoque somnus *compatiebatur?* Insolens locutio; sed a stylo Chrysologi non tam absona, ut eam non nemo possit amplecti.

[e] Ambrosius in laudanda Pauli verba: *His verbis multorum hæreticorum denotat dogmata.*

Siquidem magna et satis gravis imminet procellosa tempestas, dum se undique furens ac perniciosus ingerit turbo ventorum : maria mugiunt : ipsæ quoque insulæ funditus subruuntur, et tristi sonitu littora universa feriuntur. Sed quia, ut diximus, Christus nostra dormit in navi, accedamus ad eum magis fide quam corpore, et pulsemus eum plus opere misericordiæ [a] quam desperantium tactu. Suscitemus non insolenti strepitu, sed [b] clamore spiritualium canticorum; non murmuratione improba, sed supplicatione pervigili. Demus Deo aliquid temporis vitæ nostræ, ne totam diem infelix ista vanitas et sollicitudo miseranda consumet; ne noctem totam perniciosus somnus et inanis sopor expendat, sed itidem pars diei et noctis ipsi temporum deputetur auctori. Vigila, homo, vigila ; habes exemplum, ut quod tibi [c] gallus impendit hospiti, tu tuo exhibeas creatori ; præsertim cum tibi ille insonat profuturus, cum te ad opus suscitat, cum diem nuntiat jam vicinum : quanto magis hymnis cœlestibus te Deum de superna sede tuam suscitare convenit in salutem. Audi prophetam dicentem : *De nocte spiritus meus* [d] *vigilat ad te Deus* (*Isai.* XXVI, 9). Et Psalmista : *Manibus meis nocte* [e] *coram eo, et non sum deceptus* (*Psal.* LXXVI 3). Diei vero tria tempora idem Psalmista Deo admonet deputanda, dicens, *Vespere et mane, et meridie narrabo, et annuntiabo, et exaudiet vocem meam* (*Psal.* I. LIV, 13). [f] Per quæ tria tempora dum Daniel Deo sedulus supplicaret : impetravit non solum præscientiam futurorum, sed et captivæ diu gentis suæ meruit libertatem (*Dan.* VI, 10). Dicamus ergo quod propheta : *Exsurge, quare obdormis, Domine? Exsurge, et ne repellas usque in finem* (*Psalm.* XLIII, 23). Dicamus cum apostolis : *Magister, non ad te pertinet quia perimus?* Et vero magister, quia non solum factor est omnium elementorum, sed etiam moderator et rector est, qui cum nos audierit, cum fuerit evigilare dignatus, planabuntur undæ, et tumidi fluctus sternentur, et colles; venti diffugient, peribit procella, et tempestas ista quæ imminet, et magna tempestas in tranquillitatem maximam commutabitur.

SERMO XXII.

De terrenorum cura despicienda, deque servo vigili.

Præmia statuuntur his semper quibus certamina dura proponuntur, ac pro magnitudine certaminis præmii proponitur magnitudo. Hinc est quod discipulis suis Christus regnum ponit in gremio, ut in certamine non cedant periculis, non timori; pericula despicit, qui tendit ad regnum ; victoriæ cupidus nescit timere. *Nolite timere*, inquit, *pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum* (*Luc.* XII, 32). [g] Grex pusillus mundo, magnus Deo ; pusillus, quia gloriosos vocat eos, quos instituit ad ovium innocentiam et mansuetudinem Christianam : pusillus grex est, qui non de magno minuitur, sed crescit de pusillo ; pusillus grex nascentis Ecclesiæ sic designat infantiam, quam venire ad regni sui insulas incrementis cœlestibus mox promittit. *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Adjecit quid faciendum sit regnaturus : *Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam ; facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlo.* Vendite quæ possidetis : non potest dominari omnibus, nisi is qui propriis non tenetur ; dejectæ mentis est, qui familiaris rei meminit cum vocatur ad regnum; jacens animus plebeius nummulum thesauris regalibus anteponit; pauper sensus, parvis incubans, perdit magna ; et inhians temporalibus, deserit sempiterna. *Vendite*, inquit, *quæ possidetis, et date eleemosynam ; facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlo.* Homo, tali monitu Christus te ditare voluit, non nudare ; manere tibi tua voluit, non perire; perpetuari, [h] non vacuari sacculos imperavit ; jussit te transferre, non perdere. *Thesaurum non deficientem in cœlo, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.* Plus consilio patris agit, quam jure dominantis : inter insidias latronum et tinearum morsus quare tua recondas objurgat; pervigiles noctes, dies anxios, sollicita tempora, ne tibi ipse facias, commoneris. Auri custos, servator argenti, securitatem non habet, nescit quietem, et cui deest securitas, quies perit; pœna dives est ille, non censu. *Thesaurum non deficientem in cœlo.* Hoc est dicere, ubi ego sum, ibi ponite ; data mihi ego servo. Homo, da Patri, crede Deo, quia et hæredi Pater, et Deus homini creditum non negabit ; tenere tua non potest, quia sua dedit. An humanis indiget, qui divina largitur? an est nostrorum cupidus, qui nos suorum fecit hæredes? certe quibus regnum contulit, quid negabit? O homo, si sic permansurus es, quæ tua sunt hic repone : si illuc iturus es, hic quæ tua sunt cur derelinquis? Qui relinquenda servat, alienorum custos

[a] Apposite. Nam timoris causam fuisse ὀλιγοπιστίαν Christus satis explicat.

[b] Hinc erue antiquum canti usum in Ecclesia. Rupertus lib. v de Glor. et Honor. : *Valet auditio musicæ dulcedinis psallendo atque orando, ad excitandam in pectore nostro Spiritus sancti gratiam.*

[c] Gallus dicitur a Cicerone lib. II de Divin., *nocturnus vigil.* Vide Ambrosium, tom. I l. v Hexam. c. 24.

[d] Marginistæ Chrysologi notant locum hunc ex lectione LXX interpretum. Ego potius a Vulgata dicerem derivatum. Ambrosius, qui 53 circiter annis ante Chrysologum vixit, enarrat. in psalm. CXVIII octon. 19 legit : *de nocte vigilat ad te spiritus meus.* Fortasse hæc a quadam antiqua lectione desumpta sunt, quæ in littera nec Vulgatam, nec LXX sequebatur.

[e] Vulgata habet *contra eum.* Ita Genebrardus *contra* legit pro *coram* ex quadam Hebræorum particula, quæ utrumque significat. Ita sentiunt Glossa, Augustinus, Cassiodorus et alii. Sic Matth. XXVII, 61, sedentes *contra sepulcrum*, pro *coram sepulcro.*

[f] Vide Isidorum Hispal. de Eccles. Offic. lib. I cap. 19 ad 23.

[g] Maldonatus hic vult discipulos Christi et omnes simul fideles pusillum gregem dici, ob Christianam mansuetudinem ; ex Mita.

[h] Fortasse *veterasci* erat reponendum, ut dictio superiori dictioni *perpetuari* convenientius contraponeretur juxta genium Chrysologi. Cicero in Tuscul. : *Nihil inveterascere debet eorum in quibus beata vita consistit.* Sacculos βαλαύτια vocat Suidas, quas ζανὰς Matthæus.

est, non suorum. Si in hac vita, qua peregrini sumus, vivimus, et modicum temporalem esse pauperem dolet, tristem, inhonorum esse : quale erit in perpetua patria inter æternos cives, de contemptu dolorem, de ignobilitate pœnam, de nuditate opprobrium sustinere; et nunc addici pœnis, quando alii promoventur ad regnum? quando pauper ducitur ad consessum Dei, et dives trahitur ad consortium punitorum? Heu quam lamentandæ vices, quando desperati penes homines possidebunt spem divinam, et humanis bonis prædiți bonis cœlestibus fraudabuntur! Et hoc facit thesaurus, qui cor hominis, aut per eleemosynam levat ad cœlum, aut per avaritiam demergit in terram. Et ideo dixit : *Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit.* Homo, mitte et præmitte thesaurum tuum in cœlos, ne [a] cœlestem animam demergas in terram. Aurum de profundo terræ, anima ab excelsis cœli. Melius proinde est ad sedem animæ deferri aurum, quam in sepulcro auri anima demergatur. Exutos ergo totis divitiarum curis, et jam per omnia expeditos militare sibi in sæculo jubet, quos regnare donavit in cœlo. *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando veniat a nuptiis.* [b] Sint lumbi vestri præcincti : ibi præcingenda est virtus, ubi [c] voluptas est comprimenda. Nescit vincere vitia corporis, virtutis cingulum qui deponit. Cincti ergo [d] castitatis baltheo, quod est insigne militiæ Christianæ, fluxam carnis detruncemus ignaviam, et regis nostri exspectatione pervigiles insomnem somnum sæculi nesciamus. Non dormiunt, inquit, nisi cum male fecerint (*Prov.* IV, 16). *Et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Beati, in quorum manibus bonorum operum lucent lucernæ. Sic enim : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona vestra opera, et magnificent Patrem vestrum qui est in cœlis* (*Matth.* V, 16). Et ut lucerna ante oculos, opus bonum in mentibus sic refulget. Non portanti tantum lucerna lucet, sed multis, et opus bonum dum facto in uno lucet, multos illustrat exemplo. Lucerna repellit noctium obscura, opus bonum malitiæ fugat tenebras. Accendamus lucernam [e] bonis operibus in manibus nostris, si volumus coram Domino et hominibus nos lucere. *Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando veniat a nuptiis.* Quia semper [f] nuptiis amicæ sunt faces, luminum testimonio celebratur castitas nuptiarum. Sicut enim fugit lucem illicita qui præsumit, sic multiplici coruscat in lumine licita qui requirit. *Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando veniat a nuptiis.* Homines sunt qui more debitæ servitutis [g] indefessis excubiis adventum sui domini præstolantur; qui vero sic ventri serviunt, ut divinam nesciant servitutem, et de carnis voluptate solliciti, sollicitudinem occursus Dominici perdiderunt, homines non vocandi sunt, sed jumenta. *Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando veniat a nuptiis.* Ex quo [h] ad desponsandum suam Ecclesiam Christus advenit, [i] thalamus ornatur sponsæ: et ornatur auro fidei, argento sapientiæ, virtutum gemmis, sanctitatis [j] velis, verecundiæ rosis, liliis castitatis, pudoris violis. Et ad alta cœli pudicitiæ templum, fastigium virginitatis attollitur : nec desunt psalmorum citharæ, prophetica organa, apostolorum voces, [k] totæque symphoniæ cœlestium nuptiarum.

[a] Auctor dicit animam nostram cœlestem et ab excelsis, quia immediate ex nihilo creatur ab Deo, ut passim theologi. MITA.—Vide Clementem Alexand. Strom. lib. VI pag. 641, ubi diserte hæc eadem docet.

[b] Non tantum militum et iter facientium, sed et ministrantium est habere lumbos succinctos. Lucæ V, 37; Joan. XIII, 4. Hinc Phædrus, Fab. 2, *alte cinctos, strienses* dixit. Chrysologus autem explicat locum Evangelii pro succinctione et compressione voluptatum.

[c] Sic restituimus ex fide mss. Editiones omnes cum Mita habent *voluntas*.

[d] Præcipuum militiæ insigne baltheum erat, quo quicumque exuebat, militiam cogebatur deserere. Unde apud Prudentium, Psychomach. vers. 634, *discingere*, idem est ac *exarmare : Discingitur omnis terra.* Et vers. 824 : *Sedem properat discincta juventus.* Ad rem vero nostram satis apposite Paulinus Nolanus epist. 25 pag. 164 : *Hunc igitur*, scilicet Dominum nostrum, *sequamur; Huic militemus cui cinctus numquam discingitur miles.*

[e] Ms. Vatic., *Bonorum operum*.

[f] Et qui sponsum præstolabantur, et qui sequebantur, faces gestabant. Lucæ XIV, 8; Esther IX, 22. Nos chartæ parcentes a profanis testimoniis abstinemus. Dictæ autem sunt faces *nuptiis amicæ*, pro *nuptiis conjunctæ*, vel *unitæ*. Censet Mita hic a Chrysologo perstringi Novatianos, qui nuptias inepte damnarunt. Fuere et qui dæmonem nuptiarum auctorem esse dixerunt, quos refellit Clemens Alexandrinus Stromat. lib. III pag. 445.

[g] Erant et servi *Excubitores*, qui januarum gerentes curam dominum exspectabant, quoadusque rediret.

[h] Christum Ecclesiæ sponsum vocari, innumera clamant SS. Patrum testimonia : quæ si congerere vellem, nubem facerem. Vide Theophylactum in cap. III Joan. pag. 602; Hammonium in Catena ad cap. III Joan. pag. 168; Clementem Alexand. Strom. lib. III pag. 446, etc.

[i] Thalamus in nuptiis instar conclavis camerati operis, aut tentorioli singulari artificio exstruebatur. Claudianus de nuptiis Honorii :

> . . .Alii thalamum docto componite textu.
> Stagmine gemmato, picturatisque columnis
> Ædificetur apex, etc.

[j] Veteres in penetralibus domus vela apponere consueverunt. Et huc fortasse spectat Ausonius, epiced. in Patrem :

> Non occursator, non garrulus obvia cernens
> Valvis, et velo condita non adii.

Ad hanc rem Pignorius de Servis laudat hæc eadem verba Chrysologi; Calvorius item Ritual. tom. I lib. I pag. 145. Sed et regii consistorii fores velis protendebantur. Corippus lib. III de Justini Minor. Penetr.

> Vela tegunt postes : custodes ardua servant
> Limina, et indignis intrare volentibus obstant.

[k] Prosequens Chrysologus allusionem, meminit etiam musicæ et symphoniæ quas etiam in nuptiis Christianorum obtinuisse scimus. Nuptialis cantus meminit Ambrosius serm. 25. Chrysostomus tom. IX pag. 522 homil. 42 in Actis apostolorum refert ad hospites in nuptialibus conviviis exhilarandos adhibita fuisse cymbala, tibias et cantica.

Satis servus somni est, qui tali et tanto clamore non ad cœlestis regis nuptias suscitatur. *Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando veniat a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei.* Veniens pulsat, cor bene conscius aperit, male conscius claudit; justa mens patescit ad præmium, injusta, quia non meruit, se præcludit. Vigilemus ergo, dilectissimi, ut beatitudinem quæ sequitur consequamur. *Beati servi illi quos cum venerit dominus invenerit vigilantes.* Sufficiant beatitudinis hæc promissa, sed quia Christus ipsius beatitudinis eloquitur charitatem, differamus hodie, ut plenius audiamus quid suis filiis promiserit talis Pater.

SERMO XXIII.

De terrenorum cura despicienda et promissione regni.

Audistis hodie quemadmodum Dominus pastorali jubilo clangorem tubæ cœlestis adjunxit, ut diu inclinatas ovium mentes ad divina tolleret, cœleste protinus promoveret ad regnum. *Nolite*, inquit, *timere, pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum* (*Luc.* XII). Acquisivit humilitas superbia quod amisit, et grex pusillus ac mitis totas et varias edomuit propria mansuetudine feritates. Pusillus grex vicit ac fregit tot [a] genera bestiarum quot diversitates subdidit jugo Christi nationum. Grex pusillus ac mitis diu contentus occidi, diu devorari passus est, donec gentilis sævitia sanguine satiata, vel carnibus, evangelici pabuli suavitatem, et divini fontis fluenta degustans, totum contagium sæculi evitaret, et pastum; atque in hominem rediret ex bestia, qui ex homine fuerat dilapsus in bestiam. Hoc sensisse ante prophetas, hoc apostolos implesse, hoc pertulisse martyres constat, attestante illo qui dicit, *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis* (*Psal.* XLIII, 22). Ut vero iste grex novi ordinis aggrederetur prælium, ubi vivit ille qui fuerit occisus, qui occubuerit, vincit; invenit animam qui amittit; imitatus est suum regem, illam ovem, illum secutus est Agnum, qui *sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se, non aperuit os suum* (*Isai.* LIII). Tacet, qui volens patitur, clamat qui laniatur invitus. Nec potest de morte conqueri, qui mortem dignatus, non coactus, assumit. Potestatis insigne est, cum pro multis volens quis moritur; nolens cum moritur, est necessitatis extremæ, quia venit de contemptu mortis alterum, alterum de conditione naturæ. Christus ergo sicut ovis, et volens, et tacens tondetur [b] ut tegat illam quam Adam primus intulit nuditatem; velut agnus occiditur, ut peccatum totius mundi immolatus absolvat; ponit pro ovibus animam suam, ut impleat et pietatem pastoris et curam. Tibi ergo rex, tibi sacerdos, tibi pastor, tibi sacrificium, tibi ovis, tibi Agnus, tibi totum factus est, qui fecerat totum. Et qui sibi numquam, tibi toties immutatur, propter te varias monstratur in formas, qui manet unica suæ majestatis in forma. Et quid plura? dat se tibi Deus homo ut ferre potes, quia ut est tu non potes sustinere. Sed audiamus jam quid pusillo gregi talis promiserit pastor. *Nolite*, inquit, *timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* O bonitas effusa! O inaudita pietas! O ineffabilis affectio! In societate census pastor oves assumit, atque ad consortium dominationis servos dominus asciscit; ad [c] participatum regni rex gregem populi totius admittit: sic, sic dat, cui deficere census, cui regnum minui, vacuari potestas non potest largiendo. Providenter autem cœpit Dominus, dicendo: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Promissionem regni sine timore servilis status audire non sufficit, quia qui libertate vix dignus est, capere non valet infulas principatus. Dominus ergo servorum mentes tali voce confirmat, ne eos repentinus promissi regni prosternat auditus. Regnum velle servum, crimen est adire periculum; temeritas non timere. Sed hoc ad Christum quantum est? aut quam mirum, quod dat servis regnum, quod sibi servos facit in dominatione consortes, qui servorum pedes lavat, ut extrema servis serviat servitute? [d] Veniant huc, veniant, qui discutiunt potestatem ejus, et tunc de ejus æquitate contendant, cum potuerint tantam capere, loqui, æstimare pietatem; nec jam calumnientur, si se in nostro corpore [e] patre minorem dicat, qui non dicto, sed et facto, cum pedes lavat servorum, se subdidit et subjecit pedibus servulorum. Homo, jam tibi parce, quia [f] ut tibi parceres, tuos Deus lavit, tuos tenuit, tuos amplexatus est pedes. Sed ad cœpta redeamus: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Ecce qui dat, dare loquitur Patrem. Numquid largitatem suam denegat, sic dicendo? Absit, non potestatem mi-

[a] Hoc nomine audiunt penes Latinos homines feræ ac agrestis indolis, quo sensu Apostolus vocavit Cretenses *malas bestias*. Arianus in Epictetum lib. II cap. 9: *Alii quidem nostrum magnæ bestiæ sunt; alii vero bestiolæ malignæ*. Theophylactus in illud ad Corinth. XV, 32, vocat contentionem adversus Judæos *pugnam cum bestiis*; et ad Lucæ VI, Publicanum *malam bestiam* appellat.

[b] Ms. Cæsenæ, *ut vellet illam.*

[c] Apud Julium Capitolinum in Vero: *Defuncto Pio, Maximus in eum omnia contulit principatus etiam imperatoriæ potestatis indulto.* Isaac Casaubonus reponendum docet *Participatum*, quam lectionem firmat editio Mediolanensis. Ita apud Sparitanum in Didio Juliano, ubi in verbis: Claudium Pompeianum e Terracinensi *ad principatum* evocavit, legendum esse *participatum* edocemur ex codice Palatino, apud Hofmannum.

[d] Contra Ætium et Eunomium hæreticos. Vide Augustinum hæres. 54. MITA.

[e] Male enim aliquot Scripturæ loca detorquebant hæretici. Catholicum earum sensum explicat auctor anonymus in Breviario fidei contra Arianos, apud Sirmondum Tom. I pag. 225. *Nos enim Catholici Deum nostrum Jesum Christum, et minorem dicimus Patri, et æqualem. Minorem propter humanitatem assumptam. Æqualem propter divinitatem perpetuam.* Vide Basilium adversus Eunomium initio tom. II, pag. 79, et lib. III, pag. 35.

[f] Ita ex fide manuscriptor. Edit., *ut tibi parcas.*

nuit, sed pandit affectum: sic dicendo non distantiam facit, [a] sed patris, suamque voluntatem monstrat, firmat unitatem. Quod autem dixit, complacuit, et non dixit, placuit; munus edocet Trinitatis, quia quod erga nos Filio placuit, hoc complacuit Trinitati. *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum:* post tantam ergo Dominus largitatem, post suam gratiam tibi copiosius collatam, abjecta et vilia peculia servitutis jubet abjicere regnaturum. *Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam.* Plebeium cultum regia non admittit potestas, augustus honor non nisi diademate confertur et purpura. Abjicere ergo debet habitum servitutis, qui se regem credit divinitus consecratum. Hinc est quod rex supernus illum, qui cum indigna veste majestatis ejus ausus est intrare convivium, ligari, præcipitari, detrudi in tenebras jussit exteriores (*Matth.* XXII), quia deformitas invitati ad invitantis redundat injuriam. Peculia quoque pristinæ libertatis, jam divitiis, jam regiis ditatus opibus qui reservat, [b] captivus miseria se nescit esse felicem. Est consuetudinis, est animi felicis, ut adscitus ad regnum, quod fuit proprium, quod privatum, mox parentibus, mox propinquis, civibus indigentibus liberaliter [c] prorogare, ne sit mendicus animo, qui censu functus est et honore. Tali ergo providentia Dominus, consilio tali, vilia et caduca jubet ut vendamus, ut largiamur, ut donemus, qui in cœlesti regno omnia quæ in cœlo, et quæ in terra sunt, volumus possidere. Sed si vis servare tuorum pretia prædiorum, et sacculorum forte condita te delectant, fac tibi sacculos quales ille præcepit, qui jam cupiditatis tuæ custos est et provisor. Denique, ut vidit, quod duriter dixit: *Vendite quæ possidetis*, mox adjecit: *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis.* Iterum contristatus es, quia quod habes, in cœlis cogeris collocare? Rogo, crede Deo tuo, [d] qui servo credis, et magis Deo quam homini commenda. Sed si times ne quid inde præsumat, ne quid dispergat pietas largitoris, [e] signa fidei annulo sacculos tuos, ut tali custode dormias tu securus, quia ubi ille est, ibi locus nullus est furi. Non poterit tibi tuam pecuniam denegare, qui tibi omnia sua contulit, qui te regni sui et honore ditavit et gloria.

SERMO XXIV.

De servo vigili et felicitate regni Dei.

Semper, et ad omnia vigilias esse salutares nullus ignorat, quia re vera plus vigilare, plus vivere est. Nam quid tam mortis simile, quam dormientis aspectus? quid tam vita plenum quam forma vigilantis? Indulgendum somno est, ut corpus reparet, non resolvat; et vires revocet, non enervet. Semper ergo ad omnia vigilias esse salutares nullus ignorat. Quæ ars, quod opus, quod tempus, quæ potestas, quod officium, non vitæ lucra lucubratione perquirit? Hinc est quod rex [f] in procinctu pervigil callidi hostis præcavet, et evitat insidias; tunc in castris miles supervenientes nocturnos impetus cauta pernoctatione propellit. Sic nauta vigilando diffusi itineris incertas vias intrat, et calles transit invios, et vestigio furtivo ad lucrosi portus votivam pervenit mansionem. Hinc pastor adjungit noctes diebus, et totum sibi tempus denegat dormiendi, ne qua lupis, suffragante somno, grassandi in gregem præbeatur occasio. Sic viator solers per auras noctis, æstus solis prævenit, [g] aptumque diem providentius deputat mansioni. Hoc propheta sciens non die solo, sed de nocte tota clamabat ad Dominum: *Domine Deus salutis meæ, in die clamavi, et nocte coram te* (*Psal.* LXXXVII). Quid plura? Ipse Dominus pernoctat in oratione Dei (*Luc.* VI), ut ante nos [h] oratione liberet quam redimat passione. Et si pro servis dominus vigilat, merito pro seipsis servos vigilare sic jubet. *Præcincti*, inquit, *sint lumbi vestri, et lucernæ ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando veniat a nuptiis* (*Luc.* XII). *Sint lumbi vestri præcincti.* Novus ordo vigiliarum, novus habitus imperatur. *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Nil de vestitu, nil de calceamentis, nil de ipsius occursus apparatu servi vigiles admonentur; sed tota in præcingendis lumbis mandatur cura, tota in constringendis lumbis statuitur vis præcepti, addito lucernarum solatio tantum, sine quo

[a] Cyrillus Alexandrinus lib. IV cap. 5, in Joan. VIII, 17, pag. 414, *ponit istud a me ipso pro peculiariter, et proprie, secundum perfectissimam conformitatem et identitatem voluntatis Patris.*

[b] Ms. Vatic., *captivus misere.*

[c] Vox Chrysologo familiaris. Mita, librariorum fortassis incuria, habet *prærogare.* Parisiens. Mogunt. et aliæ, *erogare.*

[d] Innuit unum ex muneribus servorum, quod erat *Arcariorum:* sicuti Erasthus ille, cujus mentio occurrit in Epist. ad Rom. VI. Saltem hunc Chrysologi locum, ita interpretatur Pignorius de Servis. Vide Zenonem Veron. ad Neophytum serm. 1.

[e] Annulis potissimum pro sigillis utebantur veteres. Vide Clement. Alex. lib. III Pedag. cap. 2, ubi postquam dixit aureos annulos mulieribus concedendos, non ad ornatum tantum, sed ut ea quæ domi sunt servanda obsignentur; usum improbat eorum qui numinum figuras in eis insculpi curabant. Dignus est locus qui exscribatur et explicetur. *Sint autem nobis signacula columba* (in cujus specie Spiritus sanctus descendit), *vel piscis* (quo nomine Christus significabatur, ut infra videbimus), *vel navis, quæ cursu celeri a vento fertur* (quaque, ut observatum est, figuratur Ecclesia), *vel lyra musica, qua usus est Polycrates* (quæ fortasse Davidicam lyram in mentem revocat, ut opinatur scholiastes Sidonii Apollinaris apud Sirmondum, pag. 909, num. 154), *et si sit piscans aliquis, meminerint apostoli et puerorum qui ex aqua extrahuntur.*

[f] Ipsa imminente expeditione, ut alibi annotavimus.

[g] Emendatum ex Latinio quod habent editiones, *actumque.*

[h] Christi oratio ad Patrem nos liberos ostendebat, ut membra unici Filii tanto capiti inserta. Passio vero non absolute respectu omnium liberos facit, sed redemptos: quia tollens nos a servitute diaboli, suos fecit servos pretio tanti sanguinis emptos. MITA.

nec noctis aperitur obscuritas, nec venientis diei clarescit aspectus. *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris.* [a] Cingulum quidem est proprie indicium servitutis : quod et [b] in cursu expeditos reddat, et faciat obsequentes. Sed dixisse suffecerat, estote præcincti; cur lumbos potissimum nominat? cur tanta jubentis reverentia lumborum facit magnopere mentionem. Quæris quare? quia in lumbis est tota corporis causa, ex lumbis tota carnis negotia suscitantur, in lumbis tota est humani lapsus, humanæ fragilitatis occasio. Inde venit quod virtutis ignaros reddit, efficit segniores. Hinc est ergo quod principaliter Dominus lumbos nostros astringi jubet balteo castitatis, et totum carnis nostræ pendulum, fluidum, resolutum, constringi mandat continua zona virtutis, ut carne succincta ad Domini occursum liber, velox, expeditus nostræ mentis reddatur incessus. Hæc tamen audiens, homo, scire debes, quia non retardat ab occursu Dei caro, quia ipsius occursus officii ipsius est inseparabilis comes, si tu ejus componas sarcinas, si reveles onera ejus, si pendula et sinuosa involucra ejus tu providus viator astringas. Quid plura? Erit tibi salubre contubernium, si tu ejus deses et resolutus non fueris institutor; quemadmodum autem debeas æquare sarcinas ejus, ejus pondera injusta moderari, Apostolus edocet, sic dicendo : *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram : fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est idolorum servitus* (*Col.* III, 5). Constringenda est ergo caro continentiæ cingulo, ne effusa vitiis, ac toto peccatorum gravata pondere, supernis et cœlestibus insistere non possit incessibus. Bene ergo Dominus adjecit : *Et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Quia semper ad innocentiæ testimonium lucernæ nocturno portantur in tempore : et sicut vitiis amicæ semper sunt tenebræ, ita lucernæ semper inimicæ criminibus, sociæ semper boni operis sunt lucernæ. Sed in manibus sanctorum, ipsa bona opera sunt lucernæ, dicente Domino. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera : et magnificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* v). Et vere portant lucernas suas, vere fomentis operum, vere misericordiæ unguento inflammant lampades suas, quæ cum loco, proposito studio, latitant, opere, virtute coruscant, ac splendent toto orbe terrarum. Et quia exspectationis suæ Dominus satis tristes, satis anxios noverat mores, ne quis superaretur tædio, ne quis lassesceret tarditate, ne quis longæ exspectationis fatigatione succumberet, perseverantibus in beatitudinem cœlestem, cœleste promittit obsequium. *Beati*, inquit, *servi illi quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Et ne ipsius beatitudinis qualitas haberetur incerta, mox adjecit : *Amen dico vobis, quia præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit eis.* [c] Præcinget se Deus, et faciet servos discumbere, et ministrabit eis. En mutatio inaudita rerum, en terribilis correptio dominationis, en pavenda conversio servitutis : quia parumper servus assistit in domini sui exspectatione succinctus, et sustinendi fidem brevi fatigatione portavit, cui ut [d] talionem redderet, dissimulat se [e] in ipsa divinitate divinitas. *Præcinget se et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit eis.* Discumbenti homini Deus astat, et astat in cœlestibus; [f] epulanti servo servit Dominus, et servit accinctus pueris suis, ministris suis, [g] ministerium facit Christus, et facit in Patris jam gloria constitutus. Homo, [h] calumniaris Christum ad-

[a] Illud videlicet, quo servorum vestes præcingebantur, ne eis ad peragenda, quæ jussa erant, essent impedimento. Hæc alibi annotata. Addam ex Horatio lib. II sat. 8 :

. . . Puer alte cinctus acernam,
Gausape purpureo mensam prætersit.

Et ex Juvenal. sat. 8 :

Et cum venali Cyane succincta lagena.

Verba Chrysologi laudat Pignorius de Servis.

[b] Malui sic reponere ex ms. Vatic. quam id quod omnes habent retinere : *et discursus expedi.os.*

[c] Triplicem admirationis fontem advertit hic Mita : primum ex inaudita rerum mutatione, quod Dominus noster electis in cœlo obsequium præstabit et ministerium; alterum ex terribili correptione suæ dominationis. Corripit enim, id est, seponit dominationem suam in homines, ut suum illis exhibeat obsequium. Tertium ex pavenda conditione servitutis. Quam enim timendum est regnum illi qui, cum natura servus sit, extemplo assumitur in regnum?

[d] Secundum juriscons. in § 7. Instit. de injur., *Talionem reddere* est eadem pœna mulctare aliquem qua tu ipse ab eo mulctatus : et propterea Dominus noster pro famulatu hic tibi ab homine præstito talionem aliquo modo reddidit, dum eidem homini famulatur in gloria. Mita. Ταυτοκαθεία dicitur ab Græcis quæ ab nobis *lex talionis*. Vide canon. 4 concilii Nicæni II, ibique Balsamonem, pag. 499, et notas inferius ad serm. 38.

[c] Et id duabus rationibus fieri docet Mita, ex varia hujus vocis *dissimulare* significatione. Primo enim dissimulare idem est quod connivere, seu clausis oculis aliquid dissimulare, juxta illud Sapientiæ XI, 24 : *dissimulans peccata hominum*. Unde hic divina majestas agit ac si non haberet in homines æternam dominationem, tum sui causa, ut fiat servus servorum suorum, tum causa hominum, ne ipsi a tanta majestate oppressi, haud ferre possint ut sibi a tanto domino serviatur. Secundo *dissimulare* est se in aliquo loco detinere, ut Genes. XIX, 16, cum angeli vellent Lot a Sodomis educere. Textus ait : *Dissimulante illo apprehenderunt manus ejus* : hoc est, « domine detinente; detinet se ergo deitas in deitate, quia, licet Deus homini beatitudinem communicet, non tamen totam bonorum ubertatem largitur; sed quam ferre possit Beatus; » et hæc Mitæ sententia, quam longe pluribus effert.

[f] Quid habeat in iis epulis scribit Auctor infra sermon. 95 et sermon. 176. Non gustu, sed visu epulantur beati, nam visio est tota merces. Mita.

[g] Si Christus cum Patre et Spiritu sancto summæ gloriæ objectum sunt, ut ex theologis, quare Christus tantummodo dicitur facere ministerium beatis? Quia ut sermo 22 superius Auctor : *Quod erga nos Filio placuit, hoc complacuit Trinitati*. Christus autem hominibus beatam gloriam ministrare dicitur, quia fercula convivii potumque suo ipse sanguine promeritus est, ut habet in hoc loco Evangelii Barradas. Mita.

[h] Obscurum in editionibus nonnullis locum, ex

huc, quod detulerit Patri? Qui tibi in terra lavando pedes, [a] extremum repræsentavit obsequium, et repromittit in cœlestibus novissimam servitutem? Crede, hæretice, et tu illi stude reddere talionem. Ille tibi in cœlestibus parat convivium se ministro, et tu illi in terra non desinis continuas ingerere et generare blasphemias; faciet et ille transitus suos, quia transiens ministrabit illis; de dominatione ad fidelium suorum pia transiet et migrabit obsequia; ad te de misericordiæ patre severissimum transibit in judicem. *Et transiens ministrabit illis.* Confitentibus, exspectantibus ministrabit epulas, ministrabit et tibi, sed dignam de tua negatione sententiam. *Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi.* Si in secunda et tertia vigilia venerit : vigilias [b] mundus plures, tres tantum vigilias novit exspectatio Trinitatis; quare tamen a secunda cœpit, et tacuit primam? Quia prima jam vigilia in ortu Dominicæ nativitatis excesserat. Probant hoc pastores, qui dum supra gregem suum vigilant, gregis ipsum pastorem in præsepio invenire, videre, tenere merentur et auctorem; sed quæ sit secunda et tertia vigilia requiramus. Sicut utique prima vigilia est sui ortus in carne, ita secunda est vigilia, qua nostra redit et resuscitatur in carne. Denique ut ad resurgentem veniat, [c] annus excitatur, et evigilat mundus. Tertia vigilia est illa qua exspectatio tota novissimo venientis finitur adventu; ut sicut ille resurrexit nobis, ita nos illi [d] jam perpetuam resurgamus ad vitam.

SERMO XXV.

De terrenorum cura despicienda, et promissione regni.

Hodie Dominus evangelici gregis [e] pusilla et terrena primordia, quam blanda exhortatione sit consolatus, audistis. *Nolite timere*, inquit, *pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum* (*Luc.* XII). Aufert spes anxias, dubios tollit eventus, omnemque propellit, et excludit timorem, quando in exordio ipso regnum nascentibus pollicetur. *Quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Quis de victu, quis de vestitu, quis de plebeio censu, et vernalis cespitis vilitate suspirat, de regno certus, de dominatione securus? Satis sibi invidet qui elevatus ad summa, ipse se ad humilia dejicit, ad egena deponit. Sed scire convenit, pater iste qui est, vel qualis est, vel quod regnum suis filiis repromittit. Quis sit iste pater, quotidie te confitente cognoscis, cum clamas : *Pater noster qui es in cœlis* (*Matth.* VI, 9). Qualis autem sit, ipsa operum magnitudine pervidisti : ex nihilo fecit cœlum, et terram [f] solidavit ex liquido, montes [g] statuit ad stateram, maria intra legitimos terminos sola præcepti auctoritate conclusit. Verum si regni, quod promittit pusillis, desideras nosse qualitatem, ipse aperit, sic dicendo : Sinite parvulos venire ad me; talium est enim regnum cœlorum (*Matth.* XIX, 14). Esse in cœlo mirum est; in cœlo vivere, est majestatis. Jam regnare in cœlo quanti sit, sensus desinit æstimare mortalis; et tamen, homo, quod æstimare non potes, percepisti. Apostolo sic dicente : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (II *Cor.* II, 9). Et quod te mereri dubitas, habere te, et possidere, jam cogeris confiteri. Quid ergo cum terra illi qui possidet cœlum? Quid illi cum humanis, qui adeptus est jam divina? nisi forte placent gemitus, eliguntur labores, amantur pericula, pessima mors delectat, et illata mala bonis sunt gratiora collatis. Sed videamus quod dat Pater tantus consilium regnaturis. *Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam.* Si victuros vos, si regnaturos, si vos jam divites esse creditis in supernis, ubi futuri, quo migraturi, ubi regnaturi estis, vos illa quæ vestra sunt jam præcedant; opes miseras misericordia computate; quæ humana sunt in divina convertite. Et ne cui forsitan deesset evectio ad portanda illa quæ dimittitis, [h] angariatus est pauper : ferunt pauperes onera nostra, et volentes ferunt, quia tali non deprimuntur pondere, sed levantur. *Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam; facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, ubi fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt.* Videtis quia pater iste ditare vult filios, non nudare. *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt.* Novo modo, immo, cœlesti modo, qui hunc audit, vendendo comparat, recondit erogando, dum amittit acquirit. Quam cupit pecu-

Mita, et Castillo, et ms. Cæsen. genuinæ lectioni restituimus. Arius, aliique ex hoc textu, *Pater major me est*, arguunt Filium Dei, etiam quoad divinitatem, Patre minorem esse. Sed textum illum cum catholicis sincere noluerunt intelligere, qui communi sensu de humanitate tantum interpretantur : quod sæpius Auctorem nostrum pluribus in locis docuisse habetur. S. Ambrosius lib. II cap. II Lucæ, contra eosdem hæreticos : *Et miramur, si Christus Patri defert, qui subditur matri?* MITA.

[a] Hæc extrema servitus a Christo Domino discipulis exhibita, a B. Laurentio Justiniano *prodigium* vocatur. MITA.

[b] Hebræi olim diem secabant in quatuor quadrantes, quos ut Romani ac Græci *vigilias* vocarunt. Inde noctem ipsam in tribus vigiliis diviserunt.

[c] Ita ex emendatione Latinii et ms. Vallicell. Editiones, *annuus*.

[d] *Jam*, id est, *tunc*; signat enim tempus futurum; ut Lucæ V : *Ex hoc eris jam homines capiens.* Ex Exod. XIX : *Jam nunc veniam ad te in caligine nubis.* MITA.

[e] Illos enim alloquitur Christus, qui disciplinæ suæ sese tradiderant, vel brevi tradituros erant.

[f] Nimirum Genes. I, 2, abyssi nomine designatur aquarum materia mixta adhuc et confusa cum terra. Vide Severianum Gabulorum episcopum de Creat. Mundi orat. 1, apud Chrysostomum tom. VI, pag. 448 recent. edit.

[g] Respicit ad illud Isaiæ XL, 12 : *et libravit in pondere montes, et colles in statera.*

[h] De Angariis vide quæ habet Stolbergius in dissert. cui titulus : *de Angariis veter.* tom. X Critic. sacr. pag. 101. Angaria in jure est injusta exactio; sed est Persarum vox, quibus ἄγγαρος dicebatur regius tabellio. Persæ enim itinera sua dividebant in parasangas; et ut parasangas attigerant tabelliones, bajulique quiescebant, et onera sua aliis ulterius euntibus per vices transmittenda committebant. Si plura desideras, adi Meursium Castig. cap. 29 pag. 176.

niam perdurare, perpetuare sacculos divitiarum, condita permanere, qui dicit : *facite vobis sacculos, qui non veterascunt!* Ecce [a] docet avaritiam, qui cœperat suadere contemptum : *facite vobis sacculos, qui non veterascunt.* Et qui thesaurizantes temporaliter arguebat, ad totum cupiditatis fomitem jubet sacculos sine fine perquiri. Christe, quo te pertrahit amor tuorum? ut avarum lucrifacias, facis eum quod desiderat, non quod oportet, audire : sacculos imperas, æternos thesauros, qui non deficiant, vis parari; ut avarus dum consueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat, aut a virtute capiatur. Vere Pater es, qui cum tuis quibuscumque parvulis sic agis. Namque et nos interdum nostris parvulis petentibus noxia ingerimus salutaria sub specie noxiorum, fallentes insipientiam, non desipientes affectum. Dixisti : *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesauros non deficientes in cœlo.* Sacculus cur paratur? Quid ibi claustra, ubi ipsa custos est innocentia? ibi quid signaculum, ubi fraudis usus icio non habetur? Si et in cœlo sacculis opus est, cura non amittitur, sed mutatur. Domine, tu vidisti, quia in thesauris tota fides, tota spes in sacculis sit avaris : et ideo imputribiles in cœlo sacculos vis parari, ut qui te non sequitur ad cœlum, sequatur saltem sacculos suos. Avare, fac tibi sacculos, et fac jubente Deo, quia votis tuis annuit divina majestas. Sed fac tibi sacculos erogando, quia quidquid pauper acceperit, Pater cœlestis suscipit. Et ubi recondit? in cœlo. Et ne forte perdidisse te doleas vel [b] usuram, centuplam in cœlesti fenore recipies, quid quid in cœlo, paupere transmiseris perferente. Usura mundi centum ad unum, Deus unum accipit ad centum; et tamen homines cum Deo nolunt habere contractum. Sunt forsitan de cautione solliciti? Quare? Nonne homo homini exiguæ chartulæ obligatione constringitur? Deus tot et tantis voluminibus cavet, et debitor non tenetur? Sed dicis, esto quod debeat, quo exigente restituet? seipso; quia non potest ulli mentiri : idem ipse est et exsecutor et debitor. Non erit in reddendo durus, qui profusus est in largiendo. Crede, homo, Deo, quod tibi Deus dedit; majora reddere vult, cum vult debere largitor.

[a] Spiritualem ac cœlestem, ubi feneratur Domino, qui miseretur pauperi. MITA.

[b] Vide, quæ superius annotavimus ad serm. 15, ubi addendum quod lege Justiniani cautum fuit ut etiam usuræ nauticæ non nisi centesimæ essent l. 26 § 1 cod. de usur. De modo autem comparandi usuras apud Romanos, post Salmasium, Gronovium et Gravinam, vide Gottl. Heineccium, Antiq. Rom. tom. II pag. 84 edit. Venet. 1739.

[c] Vere hos dispensatores vocat Apostolus : *dispensatores ministeriorum Dei.* Non omnibus enim, inquit hic Theophylactus, pag. 190, *verbum Dei suppeditare oportet;* sed quibus opus est, et quando convenit, et sicut oportet. A Gregorio Nazianzeno, orat. 32 pag. 518, vocantur Ecclesiarum pastores τῶν ψυχῶν οἰκόνομοι, καὶ τοῦ λόγου... ταλῶαι, animarum curatores et verbi promi condi.

[d] Cum Chrysologo plures conveniunt enarratores, illud ad Titum I, 7, *Dispensatores gratiæ Dei*, ad omnes fideles referendum esse censentes, qui dona ab Deo accepta in commodum aliorum exhibere debent.

SERMO XXVI.

De fideli dispensatore.

Quod hodie Dominus interroganti Petro respondisse legitur per figuram ad apostolos ipsos, ad doctores tantum et ad eos [c] qui Ecclesiis præsident, dictum, multorum persensit auditus. Interrogat Petrus, *Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an et ad omnes? Cui respondit Dominus : Quis putas est fidelis dispensator et prudens, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus servus ille, quem cum venerit dominus, ita invenerit facientem : vere dico vobis quod super omnia quæ possidet constituet eum. Quod si dicat servus ille in corde suo : moram facit dominus meus venire, et cœperit percutere pueros, et ancillas, et edere, et bibere, et inebriari, veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua nescit, et dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.* Ecclesiæ quidem præsules ista quam primum similitudo constringit, [d] sed hominem nullum, mortalem nullum prorsus eximit hæc figura, quæ dum loquitur ad dispensatorem, omnibus, uno interrogante, respondit : Si est quisquam qui a Deo nil acceperit, discussionem dispensationis, dispensatoris officium non timebit. Homo, si hoc ipsum quod das, accepisti, accepisse te quod habes quomodo tu negabis? De cœlestibus conditis, de horreis divinis rationem reddet, præstabit causas [e] Ecclesiæ prorogator. Et quanto majus suscipit creditum, tanto majus se debitum non dubitat redditurum, dicente Domino : *Cui plus est creditum, plus exigetur ab eo* (*Luc.* XII). Et alibi : *Potentes potenter tormenta patientur* (*Sap.* VI, 7). Quanto altius ascenderit homo, lapsus, tanto altius cadet. Quid altius cœlo? De cœlo cadit in cœlestibus, qui delinquit; desperatus incurrit, qui in ipsis dominantis oculis offendit; et excusatione caret, qui facinus ipso judice teste committit. Aut quam defensionem sperat, quem testimonium cognitoris accusat? Sic diabolus cum esset angelus, et in cœlo, et coram Deo semper clarissimus versaretur, et fulgens, dum Dei tentat aures, dum in Dei superbit aspectu,

[e] Vocabulum, ut alias observatum est, Chrysologo familiare. Idem ac *dispensator*. Hujus enim onus erat consuetum servis præstare demensum. Vetus inscriptio apud Pignorium :

SIGNUM HERCULI
DORUS LARC.
DISP QUI ANTE VILLICUS
HUIUS LOCI.

Chrysologus autem hic loquitur de prorogatore tritici : qui *ministrator*, vel *actor frumenti* dicebatur apud veteres inscriptiones; nisi ministratori et actori hoc obtigerit : ut quandoque et hujusmodi munere fungerentur. Hos Cassiodorus vocat *arcarios* et *procuratores tritici;* et lapis apud eumdem Pignorium, *A Frumento.*

D. M.
ASCLEPIADI
ACTHITUS L. N.
A FRUMENTO.

Apud Ennodium lib. I epist. 3 habetur *prorogare litteras;* et lib. III epist. 14 *prorogari scripta.*

lapsus ad terram, ad tartara dejectus, in diabolum mutatur ex angelo; et qui erat [a] minister veniæ factus est [b] dux pœnarum. Hinc est quod Apostolus nostri ordinis hominem commonet, ne incidat in superbiam et laqueum diaboli. Dispensator ergo divini verbi et cœlestis doctrinæ prorogator, qui ante Dominum stat jugiter, versatur inter altaria semper, neque a Dei oculis recedit umquam, qui peccatorum causas, dolores populi suscipit, offert, ingerit preces, accipit, refert, restituit impetrata, ex homine totus in angelum substitutus, non potest nisi in ipsa Dei facie inter sanctorum sancta peccare, ut inde sibi sumat crimen, unde aliis veniam consueverat reportare. Denique Nadab et Abiud sacerdotes filii Aaron sacerdotis, dum contaminare externo igne altaria præsumunt, ipsius altaris consumuntur incendio, ut sumerent de sacrificio pœnam, qui fecerant de propitiatione peccatum (*Lev.* x) : quod peccatum illis suscitaret ebrietas ; nam vini odor odorem fugarat incensi, et ebrietatis ignis flammam provocarat altaris. Unde quia alienati vino alienum portaverant ignem, mox divino igne referuntur exstincti. Ebrietas in alio crimen est, [c] in sacerdote sacrilegium, quia alter animam suam necat vino, sacerdos spiritum sanctitatis exstinguit, dicente Apostolo : Spiritum nolite exstinguere (I *Thes.* v, 19). Merito inter cætera quæ in dispensatore malo arguit hodiernus sermo, vini condemnat insaniam, dicendo : *Quod si dicat servus ille, moram facit dominus meus venire, et cœperit percutere pueros et ancillas, et edere et bibere, et inebriari*. Proprie dixit, edere et bibere, et inebriari, et percutere. [d] Ebrietas cædis mater, parens litium, furoris genitrix, petulantiæ deformiter est magistra : hanc qui habet, se non habet ; hanc qui habet, homo non est ; hanc qui habet, non peccatum facit, [e] sed est ipse peccatum. Ebrietas est [f] dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, invitatus hostis, illecebra honestatis, et pudoris injuria : hanc nullus noverit Christianus, ne auditu quidem sacerdos attingat ; ne qui est forma virtutum, vitiorum inde fiat, et inveniatur exemplum. Verum quia ad nos et ad ecclesiasticos viros satis dictum est, quemadmodum cunctos teneat responsio Salvatoris, quod non sit qui a Dei dispensatione inveniatur extraneus, perquiramus Apostoli dictum. *Non est potestas nisi a Deo* (*Rom.* XIII, 1). Si a Deo potestas omnis, a Deo rex etiam dispensationis regiæ adeptus est dignitatem. Sic dux, sic miles, sic provinciarum rectores, sic urbium rationem reddituri sunt omnes isti, si in ullo creditæ potestatis excessere mensuram, si rex justitiam custodivit, si æquitatem tenuit, si potestatem moderatus est, si misericordiam non omisit, si tenuit sic ponderis sui libram, ut in neutram partem potestatis suæ trutina [g] propensa declinaret, si omnium curam gessit, si civium procuravit quietem, si sic temperavit censum, ut neque militi sufficientia deesset, neque tributarius lassaretur. Et dux præstabit Deo causas, si sequentibus se præbuit virtutis exemplum, si in excubiis pervigil, si in discursibus indefessus, si pacem omnium proprio labore perquisivit. Rationem reddet et miles, si paruit imperatis, si concussit neminem, si accepta stipendia justissimo labore pensavit. Judex quoque judicii sui supernum judicem sustinebit. Et tu qui dominus es domus tuæ, dispensatorem positum plusquam dominum volo credas, ut exhibeas conjugi simplicem charitatem, doctrinamque ei quam didiceris in Ecclesia prudenter infundas : cui Apostolus in Ecclesia tacere præcepit, et domi discere te docente, dicens, *Mulieres in Ecclesiis taceant ; si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent* (I *Cor.* XIV, 34), Filiis impendas affectum sobrium, sollicitam curam, eosque fideliter in Domini enutrias disciplina. Servis victum et vestitum debitum reddas, remittas culpas, minas temperes, imperes disciplinam, et habeas eos fratres progenie cœlesti, quos subditos mundana possides servitute. Vos quoque servi debetis domino fidem in ipsa quam geritis servitute, quia qui pio et puro corde carnali domino debitum non reddet obsequium, Deo ante qui corda videt, quam homini tenetur obnoxius, qui te parem fecit per gratiam

[a] Mita censet diabolum fuisse quondam *ministrum veniæ* ob hominum custodiam angelis attributam, Recte equidem. Origenes enim lib. VIII contra Celsum, pag. 400, ait *angelos adjuvare homines ad salutem*. Vide Chrysostomum homil. 159 tom. V pag. 958 ; Basilium in cap. VIII Isaiæ, tom. I, pag. 1012, ubi angeli dicuntur *curatores generis humani*.

[b] Hominum scilicet et angelorum : quemadmodum, eo duce et persuasore angeli sectatores nec non homines peccavere, ut dicitur Apocalyp. XXII, 14 : *Traxit secum tertiam partem stellarum*. MITA.

[c] Vide canones, qui *Apostolorum* inscribuntur regul. 42, et Advers. Barthii lib. LV cap. 1, Valeriani homil. 19 apud Sirmondum tom. I pag. 396.

[d] Tanta malorum seges oritur ex ebrietate, ut si vel pauca recenserentur, notæ modus excederetur. Vide Nyssenum, homil. de baptismo tom. II, pag. 221; Basilium, orat. 14 pag. 489 ; Chrysostomum, homil. 17 in I Cor. tom. V, ubi plura ebrietatis incommoda enumerat, nec ab ea quæ habet hic Chrysologus valde dissimilia, Augustinum item ad sacras virgines, quem hoc idem argumentum prosequentem laudat Camerarius Oper. subcis. tom. I, pag. 443. Ad satietatem consule Stuchium Antiquit. Convival. lib. III, cap. 8.

[e] Ebrius non facit peccatum dum ebrius est, quoniam ex defectu rationis liberam non habet voluntatem. Mox dum voluit inebriari fuit peccator. S. Thomas 2-2 quæst. 150. At contracta ebrietate efficitur ipsummet peccatum, quia in peccato cum sit ebrietatis, ab ipso nequaquam tunc surgere vellet, cum illud non intelligat, aut libera voluntate abhorreat : quare ebrius peccatum dicitur ; hoc est subjectum inconvertibile ad bonum pœnitentiæ, dum ipsa perdurat ebrietas. MITA. — Sed fortasse tantis non indigebat Chrysologus, qui hic *peccatum* sumpsit pro *maledictione et opprobrio*, etc.

[f] Ebrietatem dæmoni assimilari posse non solius Chrysologi sententia est. Basilius, orat. 14 vocat ebrietatem *dæmonem voluntarium*. Chrysostomus, homil. 74 tom. V pag. 582, postquam et ipse vocavit ebrietatem *dæmonem voluntarium*, addit *ebrium dæmoniaco esse deteriorem*.

[g] Ita ex Latinio placuit emendare, Editiones, *perpensa*.

quem conditio fecerat disparem vilitate servili. De divite quid dicam? qui quanto plus habet, tanto amplius debet.

Desunt nonnulla. Denique simul reddit, simul tradit alteri : quæ si noluerit reddere, singulis committat per partes. Et tu, pauper, commissam tibi dispensationem non parvam paupertatis existimes si patienter feras, si ingratus non sis, si sis vel in ipsa necessitate sobrius et frugalis ; si danti agas gratias, non danti non ingeras blasphemans injurias ; si tantum quæras quantum dat misericordia, non quantum cupiditas importuna compellit. Certe et tu, pauper, qui libenter petis, da etiam tu libenter petentibus. Sed forte dicis, Non habeo : sit dandi animus, et facultas non deerit largiendi; pone advenienti sellam tuam, pone mensam tuam, candelabrum, lucernam : certe ex eo quod accepisti gratanter appone. Sic Elias (I *Reg.* XVII); sic Elisæus (IV *Reg.* IV) dum declinant ad viduarum vacuas et inopes mansiones, copiose quod viduis deerat, suppleverunt. Adjecit autem Dominus ad confirmationem similitudinis hujus dicendo : *Ille autem servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non se præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis ; qui autem non cognovit et fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Ille quidem qui per conscientiam peccat [a], merito gravius solvit conscientiæ pœnas ; sed et iste per ignorantiæ culpas, plagas ignorantiæ non vitabit : Deum sicut contemnere non licet, sic [b] non licet ignorare.

SERMO XXVII.

De scandalo tollendo.

In procinctu belli semper vigiliæ sunt militum distributæ, ut insidiis nil liceat, nil pateat dolis. Perniciosissimus nimis est repentinus hostis; nam aut inscios prævenit, aut incautos præoccupat, aut opprimit dormientes. Hinc est quod Christus rex noster ante sæcula per totam sæculi noctem milites suos præmandatis vigiliarum vicibus commonuit contra diaboli, id est, veteris hostis subtilissimum dolum, contra latentes impetus vitiorum, contra criminum insidias irruentes, contra scandala quæ nobis variis oriuntur ex causis, contra tentamenta præsentis vitæ, contra urentes aures sæcularium pressurarum, taliter admonendo : *Vigilate et orate, nē intretis in tentationem* [c] *nem* (*Matth.* XXVI, 41). Et statuens qualiter vigilaretur, adjecit : *Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit; beati sunt servi illi, quos cum venerit, invenerit vigilantes* (*Luc.* XII, 39, 37). Et plane beati, quia qui vigilant et anticipant dolos hostium, de Domini sui gloriabuntur adventu. Hodie tamen Dominus ipsas nostrorum ducum contra scandala exsuscitavit, et armavit excubias, dicendo ad discipulos : *Impossibile est ut non veniant scandala* (*Luc.* XVII). Hoc est, impossibile est ut non veniant hostes. Et primum fratres scire nos convenit scandala hæc quid sint. [d] Scandalorum genera sunt diversa, et prima sunt illa quæ diaboli fraus parturit. Secunda sunt, quæ generat calliditas humana. Tertia sunt, quæ parit ipsa ex nobis suspicax et incauta natura. Et a diabolo sunt illa quæ fallunt specie, quæ prætendunt bona cum mala inferant : sicut illud ad Adam, cum nobis humana abstulit, dum divina promittit (*Gen.* III). Et illud, quod per Petrum : *Non tibi hoc erit, Domine* (*Matth.* XVI). Triumphum crucis vacuare contendit, cum fervere se nimio amore mentitur. Nam cum Dominus loqueretur passionis suæ gloriam, respondit per Petrum : *Non tibi hoc erit Domine.* Venenum quam dulce serpentis : ante facit militem regis sui negare victoriam, servus ipse Dominum quam negaret. Unde Dominus servum post se mittit, scandalum remittit auctori : dicendo ad Petrum : *Vade post me;* et diabolo : [e] *Satanas, scandalum mihi es* (*Matth.* XVI, 23). Et vere post Dominum vadit Petrus, quia ut cum sequeretur ad cælum, crucem resupinus ascendit. Sed et illud est scandalum tale, quod fecit Judæis. Nam lapidem firmandis vestigiis latum, in totam sulcavit, et exasperavit offensam, et totius fundamenti petram vertit in scandalum, ut esset miseris ad ruinam. *Ecce pono*, inquit, *in Sion lapidem offensionis et petram scandali* (*Isai.* VIII, 14). Hinc est quod Psalmista anxia supplicatione deposcit : *Custodi me a laqueo quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem* (*Psal.* CXL, 9). Et quia transilierat offensam, scandalum vicerat, taliter gloriatur : *In petra exaltasti me, et deduxisti me, quia factus es spes mea* (*Psal.* LX, 3, 4). Diximus primum genus scandali, dicamus et secundum quod de humana calliditate diximus evenire. Scandalum populo Israelitico [f] Balaam divina-

[a] II Petr. II, 21 : *Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti.*

[b] Tertull. lib. de Pœnit., *ignorantes Dominum nulla exceptio tutatur a pœna.*

[c] Prima vigilia cubitum itur, et eam non nominat Christus. Secunda vigilia erat nocturna nocte, et alto jam somno. Tertia vigilia, media jam nocte : ad cujus finem quarta appropinquat, quod est tempus exsurgendi. Vult ergo Christus nos vigilare ipso eodem tempore, quo omnes dormiunt, secunda scilicet et tertia vigilia.

[d] Vide Basilium in Regul. Breviorib. resp. ad interrog. 64 pag. 550-55.

[e] Non hæc vere diabolo, sed Petro dicta sunt a Christo. Intelligendus ergo Chrysologus, quod hæc dicantur diabolo, qui per tentationem suggerebat Petro : *ea quæ Dei sunt minime sapienti; sed ea quæ hominum sunt*, inquit Origenes in Matth. pag. 286. *Satanæ* autem nomen, quod est *adversarius*, iis tribuebatur, qui divinæ voluntati adversabantur. Origenes contra Celsum lib. VI pag. 306 : *Cæterum Satan Hebræa lingua dictus, et a quibusdam forma magis Græcanica Satanas nominatus, significat adversarium.* De vocis etymo, mirum quam blande allucinatur Justinus, in Dialogo cum Tryphone pag. 331.

[f] Chrysologus, dum Balaam divinatorem appellat, eorum sententiæ videtur assentiri, opinantium Balaam non prophetam esse, sed virum magicis artibus deditum. Ariolus vocatur Num. XXII, 5. Vide Origenem contra Celsum; auctor. Oper. Imperf. in Matth. homil. 2; Cyrillum Alexandrinum lib. IV et VI de Ador. in Spir.; Ambrosium Epist. lib. I class. recent. edit.; Lyranum; Cajetanum Brugens. Jansenium, Tirinum hic. Hieronymus vero ex Hebræorum opinione, putat Balaamum verum Deum coluisse. Certe Moses Num. XXII, 8, 9, 12, 18, 19, 20, expresse testa-

tor objecit (*Num.* XXXI; *Apoc.* II, 14), quando bellatoribus non cum ferratis viris, [a] sed cum puellis toto lenocinio fucatis occurrit, ut arma verteret in luxum, triumphum mutaret in infamiam, et in reatum reatus evocaret ultores, et ad summam profanaret totam de turpitudine sanctitatem. Hinc est quod cum Moyses tali notavit sententia cum puniret. *Et Balaam*, inquit, *divinum occidite, quia hic misit scandalum ante filios Israël.* Scandalum molitus est Jeroboam (III *Reg.* XII), qui ex auro vaccas populo in deos figmento miserabili collocavit, ne Deum vivum, ne verum templum, ne divinam legem, ne legitimos reges, ne patrios ritus quæreret : sic populus mancipatus errori scandalum facit juxta Apostolum (I *Cor.* II), cum quis idolis immolata quasi nihil nocitura manducat, et insensatos lapides, et ligneos deos, qui neque sanctificare, neque pollere quid possunt, tali facto æstimat debere contemni. Sed quod ille fidei arbitratur exemplum, fit ignorantibus erroris occasio, quia non ad contemptum, sed ad cultum provocat nescientes, et convivium religionis videri facit insciis, quos sciens studio derisionis absumit. Unde bene Apostolus concludit et aperit. *Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est* (I *Cor.* VIII). Tertium genus est scandali, quod nobis nostris generatur ex sensibus, cum fallimur oculis, cum decipimur auditu, capimur odore, et sapore vitiamur. Unde Evâ vetiti et lethalis cibi sic gustu est sauciata, sic visu. *Et vidit*, inquit, *mulier quod bonum est lignum ad manducandum, et quod gratum oculis ad videndum, et speciosum est ad intuendum* (*Gen.* III). Bene ergo Dominus adjecit scandalizare sensus ipsos, dicendo : *Si scandalizaverit te oculus tuus, aut manus tua, abscinde, et projice abs te : melius est tibi sine oculo et manu venire ad vitam, quam toto corpore ingredi in gehennam* (*Matth.* V, 18; *Marc.* IX). Et quamvis Dominus lapsus et vitia jusserit sic nos secare, non membra; tamen si hoc Eva mater humani generis sic fecisset, melius sine oculo et manu in vitam venisset, quam totam posteritatem suam lamentabilem misisset in mortem. Cavere ergo oportet nos, fratres, ne scandalum faciamus aliis, ne vel ipsi alio faciente patiamur. Scandalum est quod offendit sensus, quod mentem turbat, quod confundit intelligentiæ puritatem. Scandalum est, quod diabolum fecit ex angelo, quod ex apostolo reddidit proditorem, quod invexit peccatum mundo, quod hominem deduxit ad mortem. Audi Dominum dicentem : *Væ mundo a scandalis* (*Matth.* VI). Scandalum sanctos tentat, fatigat [b] cautos, incautos dejicit, confundit omnia, conturbat omnes : et licet in præsenti loco Dominus de scandalo suæ passionis loquatur, et Judam denotet per quem venit ipsum scandalum scandalorum ; tamen ne quis in hoc deveniret, admonuit, dicendo : *Impossibile est ut non veniant scandala; væ tamen illi per quem veniunt. Bonum est illi si lapis molaris appendatur collo ejus, et projiciatur in mare, quam scandalizet unum de pusillis istis* (*Luc.* XV). Quare non lapis, sed [c] lapis molaris : quia lapis molaris dum triticum terit, dum farinam fundit, a polline furfurem dum secernit, panem pie laborantibus subministrat. Bene ergo illi qui eligit minister scandali magis esse quam pacis, ad collum lapis alligatur molaris, ut hoc illum ad mortem trahat, quod illum trahere debuisset ad vitam : quia sensus ad vitam datos mortis convertit in scandalum, suadendo aliud videre, aliud audire, aliud sentire, aliud sapere, quam erat in Christo, quam erat in scientia salutari. Hinc [d] angularem lapidem (*Isa.* XXVIII, 16), hinc adjutorii lapidem (I *Reg.* VII, 12), hinc lapidem sine manibus abscissum (*Dan.* II, 45), qui est Christus, sic pusillorum circuit et traxit ad scandalum, ut non panem vitæ, sed panem lacrymarum conficeret et doloris, sicut prophetà testatur, dicens : *Qui manducatis panem doloris* (*Is.* XXVI, 2). Bene ergo illi, sicut alibi dixit, *Ut mola asinaria alligetur collo ejus* (*Matt.* XVIII, 6), et inde sumat pœnam, unde sumpsit et sensum, et exæquetur jumentis insipientibus, qui noluit hominibus superna sapientibus comparari.

SERMO XXVIII.

De Matthæi Publicani ac divitis vocatione, et de Christo cum Publicanis manducante et apostolos pauperes eligente.

Quod sit virtutibus cognata paupertas, terrena et cœlestis comprobat disciplina. Athleta ad luctamen nudus accedit, confligit cum fluctibus nauta nudus, miles in acie non nisi expeditus [e] assistit; qui tendit ad philosophiam, totum quod in rebus est ante contemnit. Est ergo virtutibus cognata paupertas; et si paupertas virtutum parens, virtutum socia sic habetur, sapere convenit, quare Christus ad virtutis officium pauperes sic elegit. Petrus et Andreas, Jacobus et Joannes, germanitas combinata, immo congemi-

tur eum verum Deum coluisse, quem ipse, Num. XXII, 18, Dominum Deum suum appellat. Augustinus, lib. II de Divers. Quæst. ad Simplicium, art. 9, quæst. 46 in Numer., rem, ut reperivit, sub judice pendentem, adhuc reliquit.

[a] Liquet, ex Numer. XXXI 16, Balaam regi Balac suasisse ut ad castra Hebræorum submitteret speciosas puellas Moabitides, quæ eos ad fornicandum impellerent, ea lege, ut Hebræi prius ederent idolothyta, et eorum numina venerarentur.

[b] Ita cum Latinio. Editi, *incautos*.

[c] Servorum munus erat molas torquere, certamque farinæ mensuram statis diebus reddere. Sed et quandoque adhibebantur equi, vel asini. Unde *mola asinaria* ingentem quamdam innuit, ad quam circumagendam asino opus erat. Hieronymus hic, Vatablus, Mariana, Maldonatus aliique putavere genus fuisse supplicii apud Hebræos, flagitiosissimos homines in mare demergere, e collo eorum mola asinaria suspensa. Lyranus autem, et ex heterodoxis multi, Grotius, Ligthfootius, Clericus, rem in dubium revocant : asseritque Calmetus, ne volam quidem hujus supplicii apud Hebræos reperiri. Opinatur tamen a Syris vel Romanis induci potuisse in Palæstinam. Quoad Romanos vide Casaubonum in Sueton. Aug. cap. 67.

[d] Cur Christus angularis lapis vocetur passim habes apud SS. Patres. Vide Cyrillum Alex. ad vers. 16 cap. XXVIII Isaiæ; OEcumenium in I Pet. II; Chrysostomum homil. 111 tom. V, et homil. 6 in epist. ad Ephes., et ex eo Theophylactum, in cap. II ad Ephes., Theodoretum in psal. CXVIII, etc.

[e] Mss. Cæsenæ, et Vallicell. habent, *astat*.

nata paupertas, in [a] apostolorum principes eliguntur : pauperes censu, loco humiles, viles arte, obscuri vita, [b] labore communes, addicti vigiliis, fluctibus mancipati, negati honoribus, injuriis dati, præsidio retis, solo piscium captu victum vestitumque conquirentes. Sed in istis quantum vilis mundanus videbatur aspectus, pretiosas tantum animas Dei intuitus tunc videbat. Erant censu pauperes, sed innocentia locupletes; loco humiles, sed sanctitate sublimes, viles arte, sed simplicitate pretiosi; obscuri vita, sed vitæ merito perlucentes; labore communes, sed proposito singulares : addicti vigiliis, sed ad cœlestes victorias jam vocati; fluctibus mancipati, sed fluctibus non demersi; negati honoribus, ditati magis honoribus, non negati; injuriis dati, sed injuriis non relicti; captores piscium, sed piscatores hominum jam decreti. *Venite*, inquit, *et faciam vos fieri piscatores hominum* (*Matth.* IV, 19); ut vitalis escæ jactu, ut hamo cœlestis verbi, de mortis gurgite animas ad lucem tollerent sempiternam. Captores piscium fiunt hominum piscatores, de labore transeunt ad laborem, quia labor nescit lassescere [c] meditatus. Omnia quæ de usu veniunt, non fatigant. Virtus exercitio perseverat. Hinc est quod Apostolos suos Christus humanis laboribus exercere voluit, ut eos indefessos redderet in divinis : voluit eis Deus manere fortitudinem, de exercitio præstare virtutem. Et quia fructus provenit ex labore, voluit eos labores non perdere, sed mutare : ipse ante illis usum laboris indulsit, qui postea eis tolerantiam dedit virtutis. Hinc est quod regna, gentes, carceres, vincula, tormenta, mortes, sævientes homines terris omnibus sic vicerunt. Diximus quod in apostolis amica virtutum, Deo chara, sit electa paupertas. Matthæum [d] de telonio divitem, de usuris locupletem, lucris sæculi onustum quod in apostolatum Christus elegerit, quid dicemus? Hodie Matthæus de seipso sic cœpit : *Et cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine; et ait illi, sequere me* (*Matth.* IX). Matthæus [e] publicanus generat nobis non parvam suis A quæstibus quæstionem, et magnum nobis negotium sua negotiatione proponit. Sed dicit aliquis : Quam quæstionem? Quod negotium? Deus suscipit pauperes, sed divites non repellit. Habens suscipit et ad se attrahit non habentes. Abraham dives (*Luc.* XVI), dives Job, David dives. Et quid Abraham beatius? Quid fortius Job? Quid David sanctius? Nam et Abraham post terrenos mœrores pias animas et revolantes ad cœlum in gremium suæ consolationis includit. Et Job in ipsis divitiarum machinis diabolum et ipse vicit, et nobis vincendi eum reliquit exemplum. Abraham sic possedit divitias, ut eas sæpe et oblatas contemneret et calcaret indultas (*Gen.* XIV); et sic diligeret possidere divitias, non a divitiis possideri; habere eas ad largitatis materiam, non ad cupiditatis incendium. B Sed ad hæc respondetur, fuerunt sanctis innocentes divitiæ, utpote a Deo datæ, non turpiter acquisitæ; concessæ ad usum vitæ, non ad mortis usuram. Matthæum vero publicanum divitiæ, sic cupiditatis publicant magistrum, fornace avaritiæ sic coquebant, sic alligabant vinculis cautionum, sacculorum ponderibus sic premebant, ut levari ad innocentiam, ad justitiam surgere, ad virtutem progredi non valeret. Unde et sedere ejus erat jam subsidere, non sedere. Hunc ergo talem ad sua cur vocaverit Christus, cur elegerit ad divina, nisi quæratur altius facit altissimam quæstionem, et non tantum quæstionem, sed et scandalum, sicut illo tempore circumstantium patefecit intentio. Quomodo enim infirmitas non laboraret humana, quando videbat apud Christum pecuniam sic vale- C re, ut daret fraudulento fidem, venali gratiam, cupiditatis magistro officium largitatis, doctori fenoris magisterium sanctitatis, publicano sæculi cœleste secretum? Urebat videntes, quod usura quæ vastat terram tollebatur ad cœlum, et hanc quam detestantur homines Deitas advocabat. Sic autem sensisse tunc videntes aperit Matthæus ipse, qui dicturus vera de se, non potuit hæc tacere. *Cum autem Jesus discumberet in domo, ecce veniebant multi Publicani et peccatores, et di-*

[a] Vel quia primores electi, vel abundantia virtutum. Theophylactus vocat Petrum et Joannem *vertices apostolorum*. Cæterum de hujusmodi voce *apostolus* vide Hieronymum in epist. 143, ad Damasum, et late Basnagium tom. I Histor. pag. 288, ubi contra Baronium contendit eam ævo Christi non fuisse adoptatam, quam tamen invenimus apud Joannem XIII, 16 : Οὐδὲ ἀπόστολος *atque missus major est eo qui misit eum.* Eodem modo II Cor. VIII, 23. Fratres, missi ab Ecclesia ad eleemosynarum collectionem Ἀπόστολοι *Ecclesiarum* nominantur; et ad Hebræos III, 1, Christus ipse dicitur *Apostolus*, vel quia ipse princeps est et caput apostolorum, vel quia, ut ait Theophylactus, missus est ad oves domus Israel.

[b] Ac si diceret communem quamdam et vulgarem artem exercuisse. Omnibus fortunæ et naturæ dotibus expertes fuisse apostolos, soloque nutu arbitrioque Dei vocatos, contra Maldonatum et Theophylactum, qui in eis naturæ habilitatem non exclusere, asserere possumus cum Clemente Stromat. lib. VI pag. 480, Hilario de Trinitate lib. II, Origeneque contra Celsum lib. II pag. 135.

[c] Id est exercitus. Etenim meditari non modo valet mente agitari; sed etiam exerceri. Unde Plauti verba in Stich., *Simulque ad cursuram meditabor me ad ludos Olympiæ.* Labor autem meditatus, id est frequenter susceptus ac exercitus, usu ipso fit levior. MITA.

[d] Tributum Græcis τέλος dicitur : unde *Telonium.* Locus videlicet in quo publica exigebantur vectigalia, et juxta mare positus, ut ibi solverentur a transfretantibus.

[e] Hoc nomine Judæi vocabant eos quos ipsi vel ob vitæ institutum, vel morum impuritatem veluti profanos detestabantur. Non vero quod omnes Publicani essent ethnici, ut perperam opinatur Tertullianus lib. I de Pudicit. cap. 9, contra quem jure insurgit Hieronymus epist. 146, Damaso, ubi eos Judæos fuisse clarissime evincit, ut patet in Matthæo ex Patris nomine *Alphæo* suoque *Levi.* Quod si velint Publicanos nonnullos fuisse ethnicos, id de principibus tantum Publicanorum dederim, quos Græci δημοσιώνας vocant, id est *publicorum vectigalium redemptores;* non vero de inferioribus eorumque ministris, ut erat Matthæus. Publicanos honori fuisse Romanis, neminem latere puto. Hos Cicero in epist. ad Silum prætorem vocat *amplissimos homines*, multisque laudibus ornat in orat. pro Plancio. At Judæis odio et despectui erant, quod Potentum avaritiæ tyrannidique inservirent.

scumbebant cum eo et discipulis ejus. Pharisæi autem videntes, dicebant discipulis ejus : Quare cum Publicanis et peccatoribus manducat magister vester? Et hoc dicebant Pharisæi, ut esset magnum malum, quod et malis poterit displicere : et si erat nefas publicanos Christo participes, [a] vel in cibo esse, divinis sociare quid erat publicanum? Fratres, in quæstione hac ingenium laboraret interpretis, si non ipse Dominus, cui fit ipsa quæstio, totum quod est quæstionis auferret. Repetamus ergo ordinem lectionis : Christus quare ad Matthæum venerit audiamus. [b] *Cum transiret*, inquit, *Jesus*. Non dixit, cum staret ibi : transivit, et pertransivit inde Jesus, ne Matthæus remaneret ibi; transivit inde Jesus, ne Matthæus ibi [c] taliter permaneret. *Vidit hominem*. Non dixit, vidit Matthæum, quia in Matthæo hominem liberarat; hoc est, homines quos pecunia possidebat servire Deo nequeunt, pecuniæ servientes. *Non potestis*, inquit, *Deo servire et mammonæ* (*Matth.* VI). *Veni, sequere me*. Non dixit, Affer ad me, quia Matthæum, non Matthæi sacculos requirebat. *Veni, sequere me*. Hoc est, depone pondera, disrumpe vincula, solve laqueos. *Me sequere*. Quære te, perde usuram, ut te valeas invenire. Sed jam Pharisæis quid responderit, audiamus : *Non est opus*, inquit, *sanis medicus, sed male habentibus*. Ecce quare ad Matthæum venerat Christus, ut avaritiæ curaret vulnera, ut saniem sanaret usuræ. *Eunles*, inquit, *discite, quid est Misericordiam volo, et non sacrificium*. Misericordiam voluit, ut Matthæus, quod tulerat per miseriam, in misericordias prorogaret; et inde redimeret pœnam, unde comparaverat culpam. *Non veni vocare justos, sed peccatores*. Sic dicens, non repulit justos, sed injustos, qui se [d] justos mentiebantur, exclusit. Christus ergo quod ad peccatores venit, peccata delere voluit, non peccatoribus voluit commanere. Quod est [e] dare vitam mortuo, hoc largitatem tribuere est avaro. Itaque Christus quod Matthæum vocat, non est illa pecuniæ ratio, sed est ratio tota virtutis. Denique Matthæus mox factus est terræ pauper, ut dives haberetur in cœlo.

SERMO XXIX.

De eisdem, et de auro.

Cum Matthæum publicanum Dominus ad apostolatus fastigium evocat et extollit, dat manum lapsis, spem restituit desperatis, reddidit vitæ, quos sibi jam mors detinebat addictos. *Cum præteriret*, inquit, *Jesus, vidit Levi Alphæi sedentem ad telonium* (*Marc.* II).

Sedebat utique, qui stare non poterat pondere cupiditatis oppressus, et ipsa totus conscientia fraudis incurvus. Aurum natura grave, gravius fit avaritia nimis. Hinc est quod plus habentem deprimit quam ferentem, et vehementius aggravat corda quam corpora. Nascitur in terra profunda, sectatur ipsa montium fundamenta, perque ima venarum cæcis discurrit anfractibus, et dum suam semper [f] repetit ad naturam cœlestes animos ad inferna deponit : obscurat sensus semper, alta mentium semper in terrena demergit. Aurum erogare bonum, reponere malum, contemnere validum, fugere persecurum : quod sicut vincere virtutis est, ita felicitatis est evasisse. Auri furor ardentius humano fervet in pectore quam caminus totus ignescit incendiis, et acrius homines dissolvit in terra quam solvitur in calore flammarum. Crudelitatis dominus, sævus hostis, amando lædit, nudat ditando, ipsum etiam captivat aspectum, fidem frangit, violat affectum, vulnerat charitatem, turbat quietem, adimit innocentiam, docet furtum, suadet fraudes, imperat latrocinium. Et quid plura? Hoc est, quod Apostolus dixit : *Radix omnium malorum est avaritia* (I *Tim.* VI). Est commutatio sane una, si homo prudens illud ante mittat ad cœlum, quam mittatur ab illo, ut stultus, in Tartarum. Mittat per manum pauperis, quia quidquid propter Deum pauperi dedit, ad cœlum sine dilatione transmittit. Merito Matthæum Dominus talibus vinculis absolvi cupiens præpeditum suscitat, dicendo : *Sequere me*. Hoc est me sequere de supernis ad superna tendentem, et non aurum de inferis ad inferna mergentem. *Ubi fuerit thesaurus tuus, illic et cor tuum erit* (*Matth.* VI). Aurum patriarcharum stirpem, progeniem sanctam, tantam germanitatis singularem coronam adeo corrupit, et totius reddidit pietatis extorrem, ut Joseph Ægyptiis, fratrem barbaris, innocentem noxiis, [g] ingenuitatem traderent servituti (*Gen.* XXXVII). Sic siccavit mentes, sic corda depressit, sic quod in eis fuerat humani sensus, ferinam in rabiem commutavit, ut non offensam Dei, non sancti patris dolorem, non proprii sanguinis sensum meminisse permiserit. Intuere quid auro gravius, quod cum mores hominum perdit, perdit et naturam. Aurum Judaicum populum sic suo captivavit aspectu, vicit illecebris, specie perdecepit, ut hoc esse Deum crederent, et Deum verum, Deum tot beneficiis cognitum denegarent; sic convertit homines in jumenta, ut vituli caput, caput suum crederent, et omnium rerum capiti [h] caput pe-

[a] Antiquorum Hebræorum mos constantissimus fuit, cum alterius religionis asseclis, neque cum artem aliquam vilem despectamque profitentibus, cibum sumere, ne aliquid immundum contingere conarentur. Vide Genes. XLIII, 31 ; Joan. IV, 9.

[b] E domo videlicet egressus, eo exiturus ad mare.

[c] Ita retinuimus ex ms. Vaticano; nonnullæ editiones, *aliter*.

[d] Cujusmodi equidem Pharisæi.

[e] Hoc est, quemadmodum muneris est divini, non creatæ naturæ, ad vitam mortuos revocare; ita opus est dexteræ Excelsi quod avarus bona sua largiatur. Propterea Matthæi revocatio ab usuris, et facultatum ejus in pios usus erogatio fuit munus divinum. MITA.

[f] Id est, dum natura sua obscura quæque et alte defossa loca amat.

[g] Ms. Vatic., *ingenuum*. At ex genio Chrysologi lectionem ms. Cæsen. et Vallicell. libentius retinui. Non autem auri pretium, quod ex Ismaelitis percepe-runt, eo perduxit Josephi fratres, ut eum venumdarent; sed zelotypia tacti, quod eum in omnes regnaturum somnia protenderent. Non desunt tamen ex Patribus quos hoc idem cum Chrysologo sensisse apparet.

[h] Non uni ex SS. Patribus mens fuit, ab Hebræis vituli tantum caput fuisse conflatum. In hac sententia sunt Cyprianus et Ambrosius epist. 62, Lactantius lib. IV cap. 10. Et inde tradunt nonnulli ortam ethnicorum calumniam, Judæos scilicet adorasse caput

cudis anteferrent (*Exod.* xxxii). Attendite quam sit pernicies ista fugienda, quæ cum mores hominum, honestatem, vitamque perdiderit, ipsum quoque Deum voluit homini et contendit auferre. Hoc est, quod Judam fecit esse proditorem, ut hominem cogeret Deum negare, vendere germanum sui sanguinis, distrahere conditorem, et ipsum sanguinem taxare pretio quem sponte Dominus erat nostrum largiturus in pretium (*Matth.* xxvi). Sed ne multa super hoc generent exempla fastidium, transeamus ad reliqua. *Sequere me, et surgens secutus est eum.* Sæpe legitur et in hoste utilis virtus, sæpe in adversario comprobatur. Matthæus non subtrahitur operi, sed mutatur, et telonium suscipit magis quam relinquit, ut mansura Deo, non homini peritura conquirat, ut non trigesimum in quadragesimum quinquagesimumque nummum tristis redigat supputator; sed trigesimum in sexagesimum et centesimum gaudii fructum lætus recondat divinis commodis profuturum. *Et surgens secutus est eum.* Generosus animus, qui sic ea quæ magna putarat, facile, et quasi nulla contempsit : apparet illum per ignorantiam lucra ante præsentia conquisisse, a quibus ut se sensit, et vidit liberum, sic [a] raptus est ad divina. *Et factum est, dum accumberet in domo illius, multi Publicani et peccatores discumbebant cum Jesu et discipulis ejus.* Discumbebat Jesus plus in Matthæi mente quam [b] sigmate, et epulabatur non cibis, sed reditu peccatoris, ut revocaret convivio, collegio, humanitatis affectu, dulcissima sui confabulatione discumbentes, quos sciebat posse judicis agnita potestate dissolvi, percelli terrore majestatis suæ, de nuda mox præsentia posse prosterni, velatus humano corpore, qui homini voluit subvenire. Occultavit dominum, qui servis dignatus est fiduciam non negare; majestatem texit, qui fragilem studuit parentis amore complecti. Sed offenduntur Judæi, dicentes : *Quare cum Publicanis et peccatoribus manducat et bibit magister vester?* Miraris, Judæe, cur misceatur convivio peccatorum, qui propter peccatores et nasci voluit, et non recusavit occidi : oblatras cur peccatorum vinum bibat, qui pro peccatoribus suum sanguinem fudit. Et si vis posse amplius, suscepit ipse peccatum, ne perderet peccatores; in se sententiam suam judex retorsit, ut amasse se peccatores proderet magis solvendo debitum quam donando. Sed talibus ipsum Dominum respondisse sufficiat, *Non necesse habent sani medico, sed male habentes; non enim veni vocare justos, sed peccatores.* Et quis non erat ægrotus, ipsa generis humani sic ægrotante natura? Ad omnes ergo venit, qui omnes male habentes ut curaret invenit; sed plane mori meruit, qui medicum contempsit ne se accusaret, vel confiteretur ægrotum. Sed dicti sui Dominus aperit mox figuram, dicendo : *Non enim veni vocare justos, sed peccatores.* Non hic Dominus justos respuit, sed superbos; [c] et eos notat, qui cum non sint, esse se jactant justos. Et ubi erant justi, cum juxta prophetam : *Non erat qui faceret bonum, non erat usque ad unum* (*Ps.* xiii)? Ut intelligant ægritudinem, medicum, ut curentur, admittant, confiteantur se peccatores, ut modo Christus parens et conviva largiatur veniam, ne post judex ferat in contumaces debitam sine fine sententiam.

SERMO XXX.

De eisdem.

Hodierna evangelica lectio Matthæum publicanum sic in apostolum commutavit, ut qui erat fraudator pecuniæ fieret gratiæ distributor, et de impietatis schola ad pietatis magisterium perveniret; fieretque doctor misericordiæ, qui avaritiæ fuerat institutor. *Dum transiret Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine* (*Matth.* ix). Cum transiret inde Jesus, bene transiret inde : transibat Judæam, ut veniret ad gentes; præteribat Synagogam, ut Ecclesia permaneret; prætergrediebatur carnis patriam, ut deitatis suæ remearet ad sedem. In Christo, fratres, transitoria est carnis injuria, in quo divinitatis honor est sempiternus. *Dum transiret inde, vidit hominem.* Vidit plus divinis oculis quam humanis. *Vidit hominem*, ut peccata hominis non videret. Vidit opus suum, ut despiceret opera peccatorum. Vidit illum Deus, [d] ut ille videret Deum. Vidit illum Christus, ut ille pecuniæ latebras amplius non videret. Vidit illum Christus sedentem, quia pressus cupiditatis pondere, surgere non valebat. Fratres, deterius sedebat in telonio publicanus iste, quam paralyticus, de quo ante diximus, jacebat in lecto. Quia ille carnis patiebatur paralysim, iste mentis; in illo fuerat compago turbata membrorum, in isto totus ordo fuerat sensuum dissipatus; ille jacebat [e] captus carne, sedebat corpore et animo iste captivus; ille doloribus succumbebat invitus, iste [f] vitiis voluntarius servie-

asini; quam postea in Christianos primævæ ætatis effluxisse satis superque constat, licet eam ab alio fonte promanasse verosimilius sit. At Scriptura ubique *vitulum* dicit, nec usquam solius *capitis* meminit. Is autem erat Apis, seu Serapis Ægyptiorum numen.

[a] Secreta quadam vi sese moveri sensit, qua suaviter quidem et jucunde, sed vehementissime trahebatur. Vide Augustinum de Gratia Christi contra Pelagium.

[b] Id est, mensa, ut alias annotatum est. De sigmate vide Petrum Colum Brugensem, not. ad Sidonium pag. 19, ubi Lipsium emendat Lect. lib. III, in expositione loci Lampridii allucinatum.

[c] Superbissimum hominum genus Pharisæi, qui dum alios veluti peccatores asoernabantur, se ipsos tamquam justos prædicabant.

[d] Deus aspectu suo peccatores illuminat, ut miserrima sua conditione cognita, redeant ad ipsum per pœnitentiam. S. Gregorius : Nullus Deum spiritualiter videt, qui carnaliter vivit; qui enim Deum vidit, eo ipso moritur, ab hujus vitæ delectationibus tota mente separatus. MITA.

[e] Omnibus scilicet membrorum viribus destitutus.

[f] Ex iis abunde patet Matthæum, in sensu Chrysologi, non fuisse nobilem quempiam publicorum vectigalium redemptorem de quibus in notis ad super. serm., sed ipsius publici redemptoris ministrum quem aptius voces *portitorem*, vel *exactorem*, genus hominum sævitiæ, avaritiæ, rapinis deditum. *Alienarum calamitatum negotiatores* vocat hos Chrysostomus tom. VI homil. de Pœnis, seu 79. Theophylactus hom. 15, pag. 88 : *Qui portitorem nominat,*

bat; iste sibi innocens avaritiæ videbatur in crimine, ille se cognoscebat inter vulnera peccatorem; iste lucrorum cumulabat peccata, ille dolorum gemitibus [a] peccata delebat. Merito igitur paralytico dicitur, *Confide, fili, dimittuntur tibi peccata tua* (*Matth.* IX), quia compensarat delicta doloribus; publicano autem dicitur: *Veni, sequere mē.* Hoc est, ut sequendo mē repares quod consequendo pecuniam perdidisti. Sed dicit aliquis: Quare Publicanus, qui major videtur in crimine, major habetur in munere? Nam mox apostolatus certa præditus dignitate, non solum ipse accepit, sed aliis indulgentiam tribuit peccatorum: totum orbem splendore evangelicæ prædicationis irradiat, et paralyticus sola dignus venia vix habetur. Vis nosse quare plus consecutus sit Publicanus? Quia juxta Apostolum, ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia (*Rom.* V). Scimus ut Publicanus gentilis populi typum teneat, paralyticus Judaici populi sit figura, qui hodieque malæ valetudinis tenetur in lecto, ut nisi portatus fuerit fide gentium, oblatus Christo miseratione sanctorum, Christiani populi credulitate salvatus, ad domum fidei, ad domum patriæ non potest pervenire. *Et discumbente eo in domo, ecce venierant*, inquit, *multi publicani et peccatores, et discumbebant cum eo et discipulis ejus. Videntes autem Pharisæi dicebant discipulis ejus, Quare cum publicanis et peccatoribus magister vester manducat?* Arguitur Deus, quia inclinat se homini, quare conjacet peccatori, quare esurit [b] pœnitentiam, quare sitit reditum peccatorum, quare acceptat misericordiæ fercula, quare sumit poculum pietatis. Fratres, venit ad prandium Christus, venit ad convivium Vita, ut faceret secum convivere moriturōs; jacuit Resurrectio, ut de sepulcris surgerent qui jacebant; decubuit indulgentia, ut peccatores levaret ad veniam; venit ad humanitatem divinitas, ut ad divinitatem veniret humanitas; venit judex ad reorum prandium, ut humanitas præveniret reatus sententiam; venit ad languentes medicus, ut reficeret convescendo defessos; inclinavit pastor bonus humeros suos, ut ovem perditam salutares reportaret ad caulas. Sed hoc Pharisæus detestatur et arguit, qui prandium Dominicum putat non virtutis esse, sed ventris; non spiritus, sed carnis; non divinæ bonitatis, sed voluptatis humanæ; terreni luxus, non gratiæ cœlestis. Sic, sic se videt, qui Deum non videt. Quis arguit medicum [c] jacentibus conjacentem, nisi humanæ salutis inimicus? quis pastorem subnixum lasso pecori reprehendit, nisi qui lucrosi gregis amorem nescit? quis judicem de pietate judicat, nisi ille qui fuerit desperatus? quis communionem Dei, nisi sacrilegus, spernit? indulgentiam quis, nisi crudelis horrescit? *Quare magister vester cum Publicanis et peccatoribus manducat?* Et quis est peccator, nisi qui se peccatorem negat? [d] Magis ipse peccator est, et, ut verius dicam, ipse jam peccatum est, qui se jam non intelligit peccatorem. Et quis injustus, nisi qui se judicat justum? Legisti, Pharisæe, *quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Ps.* CXLII). Quamdiu sumus in mortali corpore, et fragilitas dominatur in nobis; et si actu peccata vincimus, vincere peccata cogitationum non possumus, et injustitias fugere: qui si corpore possumus evitare, et si conscientiam malam devincere valemus, culpas negligentiæ, ignorantiæ peccata quemadmodum possumus abolere? Pharisæe, confitere peccatum, ut Christi venire possis ad mensam, ut sit tibi panis Christus et panis ipse frangatur in tuorum veniam peccatorum, ut fiat tibi poculum Christus, qui in tuorum delictorum remissionem funditur. Pharisæe, prandē cum peccatoribus, ut possis prandere cum Christo; agnosce te peccatorem, ut tecum prandeat Christus; intra cum peccatoribus convivium Domini tui, ut possis non esse peccator; intra domum misericordiæ cum Christi venia, ne cum tua justitia extra domum misericordiæ puniaris exclusus: agnosce Christum, audi Christum, audi Dominum tuum, audi cœlestem medicum, calumnias tuas peremptorie confutantem. *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus.* Si vis curam, agnosce languorem. *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Si cupis misericordiam, confitere peccatum. *Euntes*, inquit, *discite quid est, Misericordiam volo, et non sacrificium* (*Ose.* VI). Christus misericordiam vult, et non sacrificium; aut quod sacrificium quæret, qui ut tē quæreret sacrificium factus est ipse? *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Non repulit justos, sed quia sine Christo innocens non habetur in terris. *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Sic dicendo non repulit justos, sed quia omnes reperit peccatores. Audi Psalmistam. *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum; ut videat si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinaverunt; simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psalm.* XIII). Fratres simus, simus peccatores confessione nostra, ut Christi venia non simus peccatores.

eo nomine complectitur avarum, injustum raptorem et lucri cupidum.

[a] Licet Dominus fidem tantum illorum qui paralyticum portabant laudaverit, attamen dicendum est paralyticum proculdubio ita intima cordis compunctione comparatum fuisse, ut peccatorum veniam et corporis incolumitatem promeruerit.

[b] Alias, *pœnitentem.*

[c] Ms. Cæsenæ, *jacentem cum jacente.*

[d] Ms. Cæsenæ., *magister ipse est peccatorum.* Utramque lectionem amplectitur MITA « qui se, ait, peccatorem negat, antonomastice peccator dicitur, quia comparative ad alios majus peccatum habet. Etenim Deo contradicit in sacris paginis dicenti nullum hominem in hac vita esse sine peccato. » Alteram quod spectat subdit: « Quod sit magister peccatorum falsa dogmata disseminando cum Pelagianis et Cœlestianis apud Augustinum serm. 29 de Verb. Apostolor. asserentibus hominem esse qui non sit peccator et qui Christi reparatione non egeat. Immo de peccatore et peccatorum magistro sit ipse peccatum, quia nolens se peccatorem fateri, sit impœnitens finalis, de sua miserabili conditione lætus, emendationis expers. »

SERMO XXXI.

De Pharisæorum et discipulorum Joannis jejunio.

Bonitas virtutum mater, malitia origo vitiorum; virtutes comitatur gloria, inhæret vitiis cognata confusio; sicut vitia teguntur dolis, ita illustrantur libertate virtutes. Hinc est quod Christus virtutum lux, agebat libere, loquebatur pure, præstabat ut Deus, patiebatur ut parens, ut dominus arguebat: Judæi vero viperinum germen, [a] genitricis mors, genitoris occisio, dum perimunt Christum Synagogæ matris uterum diruperunt. Vere sicut scriptum est: *Progenies viperarum* (*Matth.* III) submittebant capita, adulabantur lingua, vulnera dabant dolis, blasphemiis venena fundebant: et quasi non sufficeret ad odium contemptus, despectus ad injuriam, sic Christum persequebantur insidiis, tentabant dolis, interrogatione pulsabant, appetebant contumeliis, et tota cupidi simulatione vallabant. Objiciebant curandos sabbato, ut si non curasset, fieret de impossibilitate contemptus; de lege manaret calumnia si curasset. Interrogabant in qua potestate faceret sua jussione virtutes (*Luc.* XX), ut si dixisset, deitatis, invidiam commoverent; si tacuisset, artis magicæ crimen inferrent. Dicebant enim *in Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia* (*Matth.* XII): et, sicut hodie lectum est, apud discipulos in magistrum notam de Publicanorum convivio componebant. Apud magistrum discipulos jejunii nescios gulæ deditos accusabant; sed discipulis de magistro, magistro de discipulis odiorum causas, discordiæ semina livore jactabant. *Accesserunt*, inquit, *discipuli Joannis, dicentes: Quare nos et Pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant* (*Matth.* IX)? Et cum discipulis Joannis quæ societas Pharisæis? nisi quia junxerat [b] invidia, quos disjunxerat disciplina. Hic jam sua perdit jura zelus, junxit disjungere consuetus. Judæi postponi Moysen Domino non ferebant, discipuli Joannis Christum nolebant Joanni ullatenus anteferri: sic in Christum fremebant utrique livore communi. *Quare nos et Pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant?* Quare? quia penes vos [c] est de lege, non de voluntate, jejunium; jejunium non jejunantem respicit, sed lubentem. Et quis vobis jejunii fructus est, qui jejunium jejunatis invitum? Jejunium est singulare sanctitatis aratrum, colit corda, eradicat crimina, evellit delicta, vitia subruit, charitatem serit, copiam nutrit, parat innocentiæ messem. Discipuli ergo Christi in tota sanctitatis segete constituti, et virtutum manipulos colligentes, habentes panem jam novi fructus, inveterata non possunt jejunia jejunare. Quæ jactantur verbis, pallore proponuntur, venditantur defectu, placent humanis oculis, non divinis. *Quare nos et Pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant? Respondit Dominus: Numquid possunt filii sponsi* [d] *jejunare, quamdiu cum illis est sponsus?* Quid est hoc? Interrogatus Joannes sponsum esse sic testatus est Christum: *Qui habet sponsam sponsus est; amicus autem sponsi, qui stat et audit cum gaudio, gaudet propter vocem sponsi* (*Joan.* III). Convenienter ergo discipulis Joannes magistri sui voce respondit, ut vel illi crederent et non cogerent tempora sponsi læta tristis intrare jejunii: quia qui quærit sponsam jejunia seponit, relinquit austera, totum se dat gaudiis, epulis indulget, totus blandus, totus amabilis, totus festivus incedit, et facit totum quod sponsæ tenera requirit affectio. Christus ergo qui tunc [e] Ecclesiam desponsabat, indulgebat se mensis, convivantibus se non negabat, humanum, comem, blandum se pia charitate reddebat, donec divinis humana conjungeret, et faceret de terrena societate cœleste consortium. Adjecit Dominus dicens: *Nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus, tollit enim* [f] *plenitudinem ejus a vestimento, et pejor scissura fit.* Antiquæ legis supellectilem dicit [g] Judaicis studiis attritam, corruptis

[a] Alludit ad illud quod vulgo perhibetur, viperas scilicet ex eroso matris utero ad vitam exire. Chrysostomus homil. 11 in Matth. pag. 69: *Istud animal corrumpit matrem, ejusque ventrem devorat, ac in lucem prodit.* Eodem modo Theophylactus in cap. III Matth. pag. 18, Isidorus Peleusiota epist. 105 lib. I pag. 32, 33, etc. Vide quæ abundantius dicemus in notis ad serm. 138.

[b] Discipuli Joannis zelo quodam pro magistro suo ducti erant in invidiam Christi. A Pharisæis igitur submissi ii fuerant, ut Christi discipulos aggrederentur. Vel, ut vult hic Chrysologus cum Augustino de Consensu, etc. cap. 17 et Chrysostomus opinatur, Pharisæis accessere, seseque illis consociarunt.

[c] Explicarem non de publicis jejuniis antiqua lege Judæis decretis Levitic. I, 29, sed de illis quæ lege privata et jussu magistrorum, vel ex proprio cujusque consilio statis diebus observabantur. Quod solemne erat Pharisæis, ob famæ aucupium, bis unaquaque hebdomade quandoque pluries. Discipuli etiam Joannis, eo præcipue tempore quo magister detinebatur in vinculis, jejunabant.

[d] Videlicet qui interfuerant nuptiis, et quos apte Chrysologus vocat *amicos sponsi*. Nam sicut sponsam comitabantur virgines, ita socii et amici sponsum. Judic. XIV, 11. Græcis ὁμήλικες sunt, Latinis æquales. Ex hoc Evangelii loco Montanistæ jejunia, et xerophagias protrahebant etiam post Pentecosten, quod ablato sponso filii sponsi debeant jejunare. Vide Hieronymum in cap. VIII Matth. Fortasse hic Chrysologus horum errorem perstringit.

[e] Christum Ecclesiæ sponsum dici, alias observatum. Ad exemplum Dei, qui populi Hebræi a prophetis *maritus* nuncupatur, inquit Grotius in cap. III Joann. 29.

[f] Implere, dicitur Hebræis committere, sarcire, additoque panni frustulo vestem componere. Et plenitudo hic est scissura assuto panni surculo composita. Novum autem dispendium erit, si novum cum veteri panno committas. Tunc enim non cohærente commissura, nova scissura fit. Vide hanc eamdem similitudinem Lucæ V, 36. Nec dissimilia habet Philo, ubi exponit legem quæ pannum et linum contexere vetat: *non solum*, inquit, *diversitas consociationem respuit; sed prævalescentia alterius rupturam potius afficit quam conjunctionem.*

[g] Ita Hieronymus, Euthymius, Chrysostomus, Theophylactus, aliique veterem legem pro veste usu tritam, pro rudi panno Evangelium interpretantur. Hinc colligebant Marcionitæ duas has leges simul componi non posse, neque unum esse Deum utrius-

sensibus, sectis scissam, impuris actibus obsoletam. [a] Pannum rudem Evangelii nuncupat indumentum. Sed audi pannum non scissuræ partem, sed principium texturæ. Tunc enim primum regalis indumenti tela de Christi vellere texebatur, de vellere quod dabat Agnus. *Agnus Dei qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I). Texebatur autem regium vestimentum, quod in purpureum fulgorem cruor tingeret passionis. Merito ergo Christus hunc pannum rudem Judaicæ vetustati prohibebat immitti, ne pejor scissura fieret, si Judaicam vetustatem novitas scinderet Christiana. Et geminat exemplum, dicens : *Neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpunt utres; et vinum effunditur, et utres pereunt; sed vinum novum mittunt in utres novos, et ambo conservantur.* Utres veteres Judæos vocat; novos utres nuncupat Christianos : quia sicut [b] utres pellium ab omni squalore purgantur, et pigmentis liniuntur odoratis, ut saporem vini possint inviolabilem custodire, ita jejuniis corpora humana ab omni carnalium delictorum squalore purgantur, et fiunt utres divinis torcularibus apti, ut de [c] prelo crucis accipiant vinum novum, et incorruptam novitatem conservent. Sed hoc sicut accipiunt Christiani; ita Judæi, nisi Christiani fuerint, non habebunt : qui corrupti vitiis et inveterati malis, vinum novum quod est Evangelii verbum, sic acceperint [d] ut rumpantur et fundant. Agnoscendum est ergo quia Christus per exempla hæc non discipulos suos noluit jejunare, sed noluit jejunium verum fraudulento miscere jejunio.

SERMO XXXII.

De eo qui habebat manum aridam.

Omnia signorum Christi opera stupenda virtutum, non humanitus, neque casu, sed divina procuratione credenda sunt evenisse, sicut hodie nobis evangelicum demonstravit eloquium. *Et intravit*, inquit, *Jesus in synagogam, et* [e] *erat ibi homo habens manum aridam* (*Marc.* III). Christus quidem [f] ingreditur synagogam, sed Judæus nec recipit intrantem, nec agnoscit præsentem, [g] nec operantem cæcatus intelligit. Cernite quam nihil sit præsentia corporalis, ubi fuerit mentis miseranda separatio; sicut contra nihil efficit absentia corporalis, ubi corda fuerint sociata per fidem. *Et erat ibi homo, habens manum aridam.* In hoc homine omnium hominum imago figuratur, in hoc geritur cura cunctorum, in hoc universorum sanitas diu exspectata reparatur. Aruerat enim manus hominis magis stupore fidei [h] quam siccitate nervorum, et plus culpa conscientiæ quam debilitate carnali. Antiqua nimis ista erat, et quæ in ipso mundi principio contigerat ægritudo, nec arte hominis aut beneficio poterat hæc curari; quæ justa Dei fuerat indignatione contracta, tetigerat vetita, inconcessa præsumpserat, cum se ad arborem sciendi bonum, malumque porrexerat (*Gen.* III), auctore indigebat, non qui [i] malagma imponeret, sed qui posset illatam relaxare sententiam, et ignoscendo resolvere quod religaverat indignando. In hoc homine nostræ tantum geritur umbra sanitatis, perfecta autem salus nobis reservatur in Christo, quia tunc ariditas nostræ manus miserando dissolvitur, cum cruore perfunditur Dominicæ passionis, cum illo vitali ligno crucis extenditur, cum carpit fructuosam de dolore virtutem, cum totam arborem salutis amplectitur, cum clavis Domini corpus affigitur, quo numquam ad arborem concupiscentiæ, et aridæ redeat voluntatis. *Observabant*, inquit, *pharisæi si sabbatis curaret, ut accusarent eum.* Ad infamiam judicis et nequitiam cognitoris, [j] quæritur de cura crimen, de pietate accusatio, reatus de virtute, de salute supplicium. Sed mirum non est : semper offendunt bona malos, pia impios, sancta profanos; aut quando non lascivus disciplinam, virtutem vitiosus, innocentiam criminosus accusat? Observabant solliciti sacerdotes sabbatis, non si peccaret, sed si curaret, ut accusarent eum. Amatores criminum invigilant, insidiantur in accusatione virtutum, quasi contra salutem, non pro

---

que auctorem. Vide Tertullianum lib. III et IV contra Marcionem; Epiphanium, hæres. 42; Augustinum lib. IV contra Faustum.

[a] Id est novum, vel numquam interpolatum. Nam et jurisconsulti *nova vestimenta* opponunt *interpolis*. Rudem pro novo habet etiam Paulinus epist. XXXI pag. 198 recent. edit.

Circumdansque rudes festis altaribus agnos

et poema XXVII natal. 10 pag. 654.

. . . Nitet una venustas.
Annosis rudibusque locis.

[b] Utres hircina coria sunt, arte parata, et instar sacci consuta, optime purgata, et suffimentis delinita, ne quid ingrati odoris in vinum irrepat. Hinc ἀσκὸς αἴγειος, *vas caprinum*, eo quod Hebræis *nebel*, *vas coriaceum*, LXX vertunt ἀσκὸς. Loquitur autem Christus in Evangelio ad consuetudinem Syrorum, qui maxime iter facientes vinum secum deferendum utribus includebant.

[c] Idem prelum ac torcular comprimendis uvis aptum. Crux autem sæpius torculari assimilatur, ex illo : *Ego torcular calcavi solus.*

[d] **Ex ms.** Vallicel. editi, *et rumpuntur, et fundunt.*

[e] Vel ex more, quia sabbatum erat; vel introierat ut a Christo sanaretur.

[f] Synagogæ erant academiæ, gymnasia, Hebræis ita dictæ ab *het hamidrasch*, *domus doctrinæ*, ut docet Buxtorfius. Si plura desideras, vide Lamy, de Templo pag. 662.

[g] Athanasius, tom. I pag. 1075 : *Restituta est ipsa manus; cæterum ariditas mentis in Judæis sanata non est.*

[h] Cæmentarium hunc fuisse legimus in Evangelio Nazaræorum, quod Græce vertit Hieronymus. Et revera ex assiduo attactu rerum frigidarum cæmenti, luti, etc., oritur atrophia, qua pars sensim absumitur, et ob defectum alimenti siccatur, ut ait Noster, et arescit.

[i] Emplastrum seu medicamentum. MITA. Ex Græco μάλαγμα, eo quod sine igne maceretur et comprehendatur, ut est apud Isidorum lib. IV cap. 9. Vide Cornelium Celsum, lib. V cap. 17; Augustinum, serm. 38 de Temp.; Salvianum lib. III de Gubern. Dei; Fortunatum in Vita S. Germani Paris. episcopi, qui hoc utuntur vocabulo.

[j] Observabant enim si sanaret, ut eum inde deferrent ad domum judicii, ubi plectebantur sabbati violatores.

salute sabbatum sit provisum. Si sabbatis curaret, observant : tali legis interprete, non dico laborat nimis, sed funditus et exspirat ægrotus. Sabbatum non impie curam denegavit infirmis, sed tota pietate aliquoties quietem præstitit fessis nimio labore mortalibus. *Et ait homini habenti manum aridam : Surge in medium*, professor debilitatis propriæ, supernæ pietatis exactor, testis divinæ virtutis, Judaicæ incredulitatis assertor. *Surge in medium*, ut quos non compungit virtus tanta signorum, quos non opera tantæ salutis inclinant, [a] vel debilitatis tantæ miseratio constringat et mitiget. *Tunc dicit eis,* [b] *licet sabbatis benefacere an male; animam salvam facere, an perdere?* Hoc dicendo, bonitatem commendat operis sui, et illorum malitiæ conceptæ conscientiam accusat : quia cum ille hominem salvum facere corpore animoque gestiret, illi eum accusandi studio perdere moliuntur, qui et patiebantur eum sabbatis curare; insidiantes animo utrum curaret, ut cum curasset, sensus sui malignitate damnarentur, et essent tali patientia quam ipsa malitia nequiores, et plus furentes dolo quam tali judicio dementes. *At illi tacebant, et circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum.* Circumspiciens dixit, non conspiciens, id est, non tantum faciem ut homo intuens, sed ut Deus corpora, corda, mentes, sensus, præterita, præsentia, futura contemplatus. *Circumspiciens eos cum ira, contristatus.* [c] Irascitur ut dominus, contristatur ut parens, dolet ut homo, intuetur ut Deus. *Dicit homini, extende manum tuam; et extendit, et restituta est manus illius.* Extende manum tuam : [d] jussione solvitur, quæ fuerat jussione devincta. *Extende manum tuam.* [e] Agnovit pœna judicem, opus Deum, indulgentia prodidit conditorem. Orate, fratres, ut sola Synagoga tali debilitate fuscetur; nec sit in Ecclesia cujus manum arefaciat cupiditas, contrahat avaritia, rapina debilitet, tenacitas ægrotam constringat : sed si acciderit idipsum, audiat Dominum et cito eam in opere pietatis extendat, relaxet, et in misericordia, in eleemosynis porrigat. Sanari nescit, qui nescit pauperi fenerari. *Tunc egressi Pharisæi statim cum Herodianis consilium faciebant, quomodo eum perderent.* Semper Judæus [f] Herodianis jungitur, [g] ut invadat Christianos. *Jesus*, inquit, *cum discipulis secessit ad mare.* [h] Ut comparatione fluctuum praviorem Judæorum probaret et demonstraret errorem. Sed quia Jesus, [i] deserviente navicula, id est, Ecclesia, sequestratur a confusione turbarum, et Christiani populi gubernator residet indefessus vario genere medendi, et imperavit ventis et mari (*Marc.* IV) [j] ut tandem tranquillitatis obedientia conquiescant, juxta prophetam : *Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum* (*Psal.* II), ut sub jugo pietatis manentes, divinæ gloriæ mereamur esse participes.

SERMO XXXIII.

De filia archisynagogi, deque muliere sanguinis pro fluvio laborante.

[k] Audituri estis hodie, fratres, et, sancto evangelista Marco referente, mecum pariter cognituri qualiter ante Christum Synagogæ prolabitur et prorui principatus, et eum duplici modo Deum et Dominum confitetur, cum adoret pro legis imperio sic dicentis :

[a] Optime. Nam illum in medium vocaverat, tum ut omnes redderet attentos; tum quia, ut ipse aspectus hominis miseri dura circumstantium corda emolliret.

[b] Cum putarent Hebræi nec hostem aggredi licere die sabbati, rogat hic Christus an nisi liceat nocere, liceat saltem benefacere.

[c] Non erat ira Christi appetitio vindictæ, sed indignatio in vitia : et contristabatur de peccatis, sed ut parens miseretur filiorum peccantium. A. Clem. Alex., Strom. lib. IV pag. 535, Deus vocatur ἄθυμος, *nihil ira commotus*. In textu Græco Evangelii pro cæcitate, alii legunt πώρωσιν, *duritiem*.

[d] In Evangelio solum atrophia exponitur; sed verba Christi, *extende manum tuam*, declarant laborasse duplici morbo et contractione scilicet et atrophia. Cui sententiæ assentitur Chrysologus, dum dicit hac Christi jussione manum fuisse solutam. Quæ enim in Evangelio dicitur *arida*, Vatablo *contracta* est, Græce ἐγκύλτοσα, *incurva*, nervis scilicet eam curvantibus et contrahentibus.

[e] Hoc est, ariditas manus experimento cognovit adesse verum judicem, qui illam condemnavit. MITA.

[f] Erant vel servi, vel aulici, vel potius fautores Herodis, quique ab ejus partibus stabant. Herodi enim meditanti sibi asserere regnum favebant multi, obstantibus aliis. Fuerant enim, ut videtur, religione Sadducæi : et Herodem interque eos consultum voluut, ut ille ipsorum doctrinam, illius ipsi regnum stabilirent. Si autem Talmudistis assentiri velimus, docentibus eos eosdem esse ac Dositheanos, clarecceret ratio cur Christo ob violationem sabbati succenserent. Eorum enim dogma erat, *quod in eo situ in quo ipsos dies sabbati deprehenderit, permanerent usque ad vesperam.* At refragatur Origenes adversus Celsum I et VI, ubi ait : Dositheum posteriorem fuisse Jesu, et persuasisse Samaritis se fuisse Christum, Filium Dei. Epiphanius item Dositheanos ab Herodianis distinguit; et hos ait esse Samaritanos, et illos Judæos. Concordat Chrysologus, qui Herodianos Judæis semper unitos fuisse dicit.

[g] De tribus sectis maxime inter se disjunctis Pharisæis, scilicet Herodianis et Sadducæis, ad irridendum autem et illudendum Dominum stricte conjunctis, Maldonatus, in Matth. XXII num. 25, arguit eas figurasse varias hæreticorum sectas, inter se de religione contrarias, nihilominus ad persequendum Christum, hoc est, Ecclesiam catholicam, perfide consentientes. MITA.

[h] Chrysologi mentem aptissimis comparationibus explicat Mita. « Mare siquidem illum perdit qui se ei temere committit, Judæi sponte Christum invadunt, ut sine causa perdant. Mare corpus demergit, non animum, non honores, non virtutes; Judæi hæc omnia in Christo perdere moliuntur. Mare non semper sævit, Judæi jugiter. Mare Christum recognovit auctorem, quando eo imperante facta est tranquillitas magna, et sicco pede super illud ambulavit; Judæi in lege edocti Verbum Dei pro nobis incarnatum agnoscere recusarunt, et agnitum occiderunt. »

[i] Optime dicitur Ecclesiam Deo deservire. Verbum enim hujusmodi significat in alicujus servitio permanere, ideoque passim usurpatur de pedissequis.

[j] Ms. Cæsenæ, *ut ab inquietudine per obedientiam conquiescant.*

[k] Quandoque, et ut plurimum, lectio sacrarum Scripturarum conciones in Ecclesia anteibat. Patent exempla. Nos alibi.

Dominum Deum tuum adorabis (*Deut.* VI) et redditorem vitæ indicat, cum salutem filiæ morientis implorat. *Venit*, ait, *ad eum quidam archisynagogus nomine Jairus : et videns eum, procidit ante pedes ejus, et deprecabatur eum multum dicens, Filia mea in extremis est; veni, impone manum tuam super eam, ut salva sit et vivat* (*Marc.* V). Antequam sermo evangelici sensus aperiat sacramentum, libet in hoc loco paululum parentum prodere passiones, quas sumunt et proferunt de affectibus et amore filiorum. Circumstante familia inter tenera et blanda obsequia propinquorum, molli filia decumbit in lectulo : pater pronus sicca jacet et versatur in terra; illa deficit corpore, hic mente et animo contabescit; illa secretas languoris sui sustinet passiones, hic fœdus et lugubris totus, toto fertur et jactatur in populo; illa moritur ad quietem, hic vivit ad pœnam. Et certe omisimus anxia parentum vota cum gignunt : [a] periculosos ordines sobolem cum producunt, cum nutriunt, mœstos labores et juges pœnas cum fuerint ægrotantes : pejor est mortis dies [b] pignora cum præcedunt. Heu me! cur tanta filii nesciunt? cur ista non sentiunt? cur vicem parentibus reddere non desudant? et tamen parentum pietas perseverat : quia quidquid filiis parentes impenderint, repensabit parentibus parens omnium Deus. Sed ad proposita redeamus. *Venit autem quidam archisynagogus, nomine Jairus, et videns eum procidit ante pedes ejus, et deprecabatur eum multum, dicens : Filia mea in extremis est; veni, et impone manum tuam super eam, ut salva sit.* Quod supplicatione flebili extrema filiæ sic lamentatur, quo remedium languoris sic postulat, desperatum satis probat et demonstrat affectum; unde est quod curæ ordinem sic deposcit : *Veni, impone manum tuam super eam.* Ægrotus non quemadmodum curetur imperat, sed tantum ut curetur implorat. Sed cum esset [c] archisynagogus, legis notitiam hic habebat; et cum verbo cætera, hominem manu Dei legerat esse figuratum. Credidit ergo Deo, quia eadem manu qua creatam senserat filiam, recreari et reduci [d] posset ad vitam. Cognovimus quid sit. *Veni, et impone manum tuam super eam.* Ut qui sponte posuit ad creandum, ad reparandum [e] iterum exoratus imponat. Hoc est quod propheta fatetur, cum decantat in Psalmis : *Tu formasti me, et posuisti super me manum tuam* (*Psalm.* CXXXVIII). Quia qui posuit cum formaret ex nihilo, imposuit iterum, ut reformaret ex perdito. Denique idem Psalmista, ut manus hujus salutare sensit, et adeptus est largitatem, repetitam prorupit in vocem : *Dextera*, inquit, *Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me; dextera Domini fecit virtutem* (*Psal.* CXVII). Et ut meruisse se quod archisynagogus poposcerat demonstraret, adjecit : *Non moriar, sed vivam.* Ille, cum peteret, dixerat : *Veni, impone manum tuam, ut salva sit, et vivat;* hic jam consecutus exsultat. *Non moriar, sed vivam.* Dextera Domini Christus est, sicut prophetico docemur eloquio. Et vere *fecit virtutem* diabolum dum debellat; dum alligato forti, sicut ipse dixit, vasa fortis diripit (*Matth.* XII); dum infernum destruit, dum ipsam mortificat mortem. Et vere exaltavit nos, quos de profundo extulit, et elevavit ad cœlum. Sed jam ad mulierem sermo transeat, quæ occulto vulneri et verecundo languori remedium sic quæsivit, ut et suum [f] pudorem tegeret, et curantis reverentiam custodiret. Et *abiit cum illo, et sequebatur*, inquit, *eum turba multa, et comprimebant eum : et ecce mulier quæ erat in profluvio sanguinis annis duodecim, et fuerat multa perpessa a compluribus medicis, et erogaverat omnia sua, nec profecerat quidquam, sed deterius habebat; cum audisset de Jesu, venit in turba retro, et tetigit vestimentum ejus, dicens : Si vel vestimentum ejus tetigero, salva ero. Et confestim [g] siccatus est fons sanguinis ejus, et sensit corpore quod curata est a plaga.* Non tantum duo maria confunduntur fluctibus suis, quantum mulieris hujus animus ancipiti cogitationum cumulo jactabatur. Post certamina desperata medicorum, [h] post medicamina sumptuosa, post inanem et antiquissimam curam, ubi [i] ars et peritia jam defecerat curantem, ubi languentis omnis jam consumpta fuerat substantia, [j] ipsi auctori verecundum vulnus non casu, sed divinitus occurrit, ut quod humana arte tot annis curari non potuit, sola fide et humilitate curaretur. Mulier stabat eminus, quam natura pudore perfuderat, quam per hoc

[a] Hoc est, siderum dispositiones et loca dum filii nascuntur. Loquitur nativitates hominum ex mente astrologorum, ut infra serm. 157 in notis. MITA. — Sæpe in Scripturis memorantur ordines stellarum, Judic. V, 20; Jerem. XXXI, 35, et in Job. XXXVIII, 33 : *numquid nosti ordinem cœli?*

[b] Hoc est, dum patri præmoritur filius. Nonnulla mss. habent *procedunt*, id est, cum filiorum cadavera ad sepulturam efferuntur. MITA.

[c] Hammondus censet virum hunc unum fuisse ex iis triginta tribus consistorii minoris : quod erat in singulis urbibus ad judicia peragenda constitutum; vel eorum unum, qui multitudinem moderabantur in singulis synagogis ubi singulis sabbatis conveniebant, ut Mosis explicationem audirent. Ministerio enim synagogarum decem numero viri addicebantur, id quod eruitur ex Maimonide Tephillah. cap. 2, explicante Ligthfootio. Primores horum tres archisynagogi, quibus summa synagogæ cura committebatur. Unum ex iis posterioribus nostrum hunc fuisse, Chrysologo adhærens, vix dubitarem.

[d] Ms. Vallicellan. et editio Mitæ habent *posse*.

[e] Optime. Nam sapientiores enarratores subintelligi hic volunt : *oro, obtestor, ut venias.*

[f] Hæc eadem habet Optatus lib. V contra Parmen. Auctor. serm. 42 in appendice oper. divi Augustini, Brugensis, Piscator, aliique.

[g] Phrasis est Hebræorum, qui omnem scatebram *fontem* appellant, ut Zach. XIII, 1. Rusticus Elpidius :

Siccavitque fides venas, fluviumque pudendum.

Sedulius : *Siccisque fluentis*. Apud Lucam, *ῥύσις*, *fluxus*.

[h] Plura, eaque magni pretii medicamenta præscribebant Hebræi feminis profluvio sanguinis laborantibus : de quibus vide Lightfootium.

[i] In nonnullis editis et in ms. Vallicell., *defecerat jam.*

Non est in medico semper, relevetur ut æger :
Interdum docta plus valet arte malum.

[j] Hoc est vulnus, ex quo, ipso Auctore, verecundus quidam pudor oriebatur.

immundam Judaica lex notarat, dicens : *Immunda erit, et sanctum non continget* (*Lev.* XIV); contingere metuens, ne Judaicum furorem, ne legis posset subire sententiam. Dicere non est ausa, ne circumstantium confunderet et oneraret auditum, ne fieret populorum fabula, quæ tot annis [a] stadium et σκάμμα fuerat passionum. Siquidem et amplius ferre et sustinere dolor diuturnus et continuus non sinebat, et deliberandi tempus Christi prætereuntis celeritas amputabat, et e contra noverat quod tacenti, quod occultanti, morbum suum sanitas non daretur. Inter hæc bella cogitationum, solam salutis viam mulier, curam ut furaretur, invenit, ut raperet tacita quod petere non valebat, et pro sua verecundia et pro reverentia præstaturi; et quæ non merebatur corpore, corde perveniret ad medicum, fide Deum, manu tantum tangeret vestimentum : sciens hanc fraudem non solum veniam, sed et remedium præstaturam, quam non voluntas, sed necessitas verecunda generavit; præsertim cum et furantis lucrum quæreret, et ei cui auferebatur nullum gigneret detrimentum. [b] Pium latrocinium, quod ministra fide, fide attrahente committitur. Ecce ubi virtus est quæsita contrariis, ubi fraus fide conveniente quod nitebatur obtinuit. Mulier inter comprimentes, ut nesciretur accedit, et præsumpsit furari se posse curam fide sola, ut habitu lateret et corpore; retro accedit, et ad videndum se judicabat indignam. Curavit fides intra ictum temporis, quod duodecim annis ars humana curare non potuit. Post hoc exemplum suo vitio longa trahit in languoribus tempora, et sua negligentia diu laborat, qui sola fide nescit curari, sed aromatum dispendiis onerari. [c] Tetigit vestimentum mulier, et curata est : et ab antiquo est absoluta languore. Miseri, qui quotidie corpus Domini tractamus et sumimus, et a nostris vulneribus non curamur. Non Christus infirmantibus, sed fides deest : nam multo magis modo in nobis [d] manens poterit vulneratos curare, qui latentem mulierem prætereuntis sic curavit. Sufficit hodie, fratres, furta fidei, et Domini prætereuntis narrasse virtutem : cur autem Dominus veluti ignorans quærit, quam virtutis suæ opere scit curatam, quia nunc longum est, sequenti sermone narrabimus.

SERMO XXXIV.

De eisdem.

Omnes evangelicæ lectiones, fratres charissimi, magna nobis et præsentis, et futuræ vitæ commoda largiuntur. Sed hodierna lectio, et totum quod est spei, contulit, et quidquid est desperationis exclusit. Est nobis dura et deflenda conditio : peccare nos [e] cogit fragilitas innata, et confiteri prohibet confusio cognata peccati; malum enim facere pudor non est, et pudor est confiteri : timemus dicere, quod committere non timemus. Sed hodie [f] mulier, cum quæreret medicinam tacitam [g] vulneri verecundo, invenit silentium, per quod possit peccator ad veniam pervenire. Prima est felicitas in peccatorum turpitudinem non venisse, sed felicitas est secunda peccatorum veniam peccatis latentibus invenisse. Hoc propheta senserat, qui dicebat : *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates : et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI). *Ecce*, inquit evangelista, *mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur ab annis duodecim, accessit retro et tetigit fimbriam vestimenti ejus* (*Matth.* IX). Confugit mulier ad fidem subitam, cui longa defecerat cura : quæ confundebatur medicinam petere, furari voluit sanitatem; nesciri se ab eo voluit, a quo se credidit posse salvari. Ut aer ventorum turbine, sic cogitationum procellis mulier turbabatur : confligebat cum fide causa, cum timore spes, necessitas cum pudore; timoris frigus exstinguebat crudelitatis ardorem, obscurabat lucem fidei [h] vis pudoris, spei confidentiam necessitas verecunda frangebat. Sic mulier magni maris instar confusis æstibus jactabatur : quærebat quomodo faceret occultum de publico, de turba secre-

[a] Scamma passionum, Italico vocabulo *bersaglio*, MITA. — At σκάμμα frequentissima vox apud Græcos dicebatur locus in stadio, sive circo, ubi athletæ certabant. S. Ephrem sub initio libri de Certamine spirituali : *scamma est locus medius, in quo athletæ certabant.* Frequentius etiam locus ipse certaminis : Chrysostomus in Psalm. XLVIII : *Scamma, ubi stadium et lucta est.* Quandoque notat certamen ipsum. Hinc Henschio σκάμματα sunt ἄγμυνες, *certamina.* Vocem Græcam alii etiam Latini Patres retinuere. Tertullianus, lib. ad Martyr. cap. 3 pag. 191, Ambrosius lib. I Offic. Adhuc athletæ in scammate sunt, proverbialiter dictum pro etiamnum de præmio certatur : eo modo quo Tertullianus ait : *ad scamma producere.* Quo in loco advertit Suicerus Thes. tom. II pag. 996 male Erasmum legere *ad stamma.* Paulinus epist. 24 ad Sever., pag. 161 : *Noli interim dum in scammate sumus, dum foris pugnæ, intus terrores, alta pro nobis sapere, aut loqui.* Mitæ interpretationem nullibi memini me legisse.

[b] Chrysostomus etiam homil. 32 pag. 262, tom. II edit. Paris. 1581, dicit mulierem hanc furti ream. Vide not. 1 serm. 35.

[c] Evangelista dicit *fimbriam vestimenti.* Græce autem nomine κρασπίδων intelliguntur filiamenta illa, quæ pendent ex fimbriis vestimentorum. Sanxerat enim Moses Deuter. XXII, 12, ut Hebræi in quatuor pallii angulos panniculos et circa pallium fimbrias gestarent. Tali vestimentorum genere utebatur Christus legis observantissimus. Et si mysteria quærimus, hanc potius vestimenti partem tetigit, quia fimbria hæc insigne erat gentis Judaicæ et nota sanctitatis. Num. XV, 38.

[d] Alias, *manentes.*

[e] Dum per malas complacentias nostros ligat affectus, unde quasi necessario compellimur cadere in peccatum. Quomodo inordinatæ passiones alliciant, ac voluntatem nostram ad illicita protrahant, habes hic infra serm. 41. MITA.

[f] Pseudo-Ambrosius serm. 48 in appendice Operum S. Ambrosii novæ editionis, docet hanc mulierem fuisse Martham. Vide quæ habet hic cl. Calmetus, hujusmodi opinionem merito expungens. Vide etiam quæ de hac muliere scribit Eusebius Histor. Eccl. lib. III cap. 18 et Sozomenus lib. V cap. 21.

[g] Carthusianus sibi falso persuasit hanc fuisse a naribus hæmorrhoissam. Omnes vero conveniunt eam importuno muliebri fluxu laborasse. *Fœdum et pudendum morbum* vocat Brugensis ut et Chrysologus infra serm. 35.

[h] Mitæ convenit ms. Vatic. Vallicell. et nonnullæ editiones, *vis amoris.*

tum; agebat ut sibi et rediret sanitas, et verecundia non periret; curabat ne cura sua ad curantis redundaret injuriam; providebat ut redderetur sibi salus, salva reverentia Salvatoris. Tali ergo sensu mulier merito [a] de summitate fimbriæ pervenit totam ad deitatis summam. *Accessit*, inquit, *retro*. Sed ubi retro? *Et tetigit fimbriam vestimenti ejus. Accessit retro*. Sed ubi? Retro nil erat, ibi faciem quam declinabat invenit. Erat in Christo [b] corpus multiplex, sed erat [c] deitas simplex; erat totus oculus, qui post se supplicem sic videbat. *Accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus*. O quid ista mulier vidit habitare in interioribus Christi, quæ [d] in Christi fimbria divinitatis totam vidit inhabitare virtutem! O quam docuit mulier quantum sit corpus Christi, quæ in Christi fimbria tantum esse monstravit! Audiant Christiani, qui quotidie corpus Christi attingunt, [e] quamnam de ipso corpore sumere possunt medicinam, quando mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem. Sed quod nobis flendum est, [f] mulier de vulnere medicinam tulit, nobis medicina ipsa retorquetur in vulnus. Hinc est quod Apostolus tangentes indigne corpus Christi taliter admonet, et deplorat : Qui enim tangit indigne corpus Christi, judicium sibi sumit. Et quod inde temeritas infirmitatem capiat, unde fides accipere debebat sanitatem, rursus intulit : *Propterea inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi* (I *Cor.* XI). Item dormientes mortuos dicit, quos luget in vivo corpore jam sepultos. Petrus et Paulus, principes fidei Christianæ, notitiam nominis Christi toto orbe diffuderunt; mulier accedendi ad Christum prima tradidit disciplinam; mulier prima dedit formam quomodo peccator [g] tacita confessione deleat sine confusione peccatum; quomodo delinquens, soli Deo cognitus, de reatu nudare apud homines verecunda conscientiæ non cogatur; quomodo homo possit venia judicium prævenire. *At Jesus*, inquit, *conversus, et videns eam*, inquit, *Confide, filia, fides tua te salvam fecit*. At Jesus conversus non motu corporis, sed divinitatis aspectu. Christus conversus est ad mulierem, ut mulier converteretur ad Christum, ut ab ipso curam sumeret unde sumpserat vitam, et sciret sibi præsentis vulneris causam fuisse perpetuæ rem salutis. *Conversus et videns eam*. Vidit eam divinis oculis, non humanis; vidit ut saluti redderet, non ut agnosceret quam sciebat; vidit eam; donatur bonis, malis caret, quem viderit Deus. Hoc universitas sentit ex usu, de felicibus sic dicendo : *Vidit illum Deus*. Vidit ergo istam Deus, quam curando reddidit sic felicem. Et quid plura? Christus mulieris docuit exemplo, quam [h] fides sola totam proficiat ad salutem. Sed de Synagogæ principe jam loquamur, qui dum Christum ducit ad filiam suam, viam dedit qua mulier perveniret ad Christum. Sic cœpit hodiernæ principium lectionis. *Ecce princeps unus accedens adorabat eum, dicens : Domine, filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet*. Futurorum præscium Christum non latebat quod prædictæ mulieris eveniret occursus : per quam Judæorum princeps disceret Deum non movendum locis, non itinere ducendum, non trahendum præsentia corporali, sed credendum quam sit Deus ubique præsens, [i] ubique totus, ubique semper; et quam totum possit jussu facere, non labore; virtutes mittere, non deferre; mortem non manu, sed imperio effugare; vitam non arte reddere, sed præcepto. *Filia mea modo defuncta est, sed veni*. Hoc est dicere : Adhuc vitæ manet calor, adhuc animæ vestigia videntur, adhuc est in via spiritus, adhuc dominus domus habet filiam, adhuc mortuam tartarus nescit; ergo ut euntem possis animam retinere, festina. Stultus putavit Christum non posse suscitare mortuam, nisi teneret. Hinc est quod Christus ubi pervenit ad domum, et vidit puellam quasi perditam fleri, ut infideles animos promoveret ad fidem, dormire eam dicit, non defunctam, ut crederent [j] facilius de morte posse surgere quam de somno. *Non est*, inquit, *mortua puella, sed dormit*. Et vere apud Deum mors somnus est : quia velocius Deus mortuum ad vitam suscitat quam de somno dormiens ab homine suscitetur, et ante Deus frigentibus morte membris vivificantem refundit calorem, quam homo sepultis somno corporibus vigorem possit infundere. Audi Apostolum : *In momento, in ictu oculi, mortui*

[a] Chrysologus supra serm. 33 : *Fide Deum, manu solum tetigit vestimentum :* et Ambrosius lib. VI in Luc. cap. 9 : *Fide tangitur Christus, fide Christus videtur; non corpore tangitur, non oculis comprehenditur*, etc. Per mulierem, Ecclesiam a gentilitate venientem intelligit; per fimbriam apostolos et successores recognoscit, ut infra in hoc eodem serm. MITA.

[b] Ob varias multiplicesque partes quibus constat. Vide Theol. in I part. dist. 8 lit. D. Vel propter corpus mysticum, in quo numerantur apostoli, Ecclesiæ doctores, etc. MITA. — Corpus multiplex quia ubique oculus, ubique manus, etc., erat, ut infra.

[c] Quia Deus est spiritus simplicissimus. MITA.

[d] Fortasse mulier hæc in eam pravam sententiam iverat, Deum agere omnia *natura*, non *voluntate*. Hæc nonnullos olim habuit patronos, quos solide refutat auctor Responsionum ad Græcos.

[e] Corruptum in editis locum ex edition. Bonon. 1 restituimus.

[f] Nonnulla mss. habent, *de fimbria vulneri medicinam tulit.*

[g] Latinius ait verba hæc et sequentia *vel caute legenda, vel sane interpretanda*. Et Mita mire se torquet, ut ex eis catholicum sensum eruat et demonstret Chrysologum loqui hic de illa tacita confessione, quam primum elicere debet peccator in corde suo, antequam peccata confiteatur. Quodnam dubium? Poteratne Chrysologus auricularem confessionem damnare, qui paulo superius in eodem sermone dixerat : *malum enim facere pudor non est, et pudor est confiteri; timemus dicere quod committere non timemus.*

[h] Fides mulieris ea erat, qua credidit Christum esse illum de quo prophetæ prædixerant hujusmodi curationes emanaturas.

[i] Similia habet Theodoretus orat. 2 de Princ., Isidorus Orig. lib. VIII, Tertullian. Apologet. lib. VII. Præ cæteris insignis locus Arnobii lib. I advers. Gentes, ubi Deum alloquitur.

[j] Expungit hanc lectionem Mita, et reponit *facilius de somno posse surgere quam de morte*. Mens autem Auctoris hæc videtur esse : Christus dixit puellam mortuam dormire, ut innueret futurum fore, ut illa revocaretur ad vitam tam facile quam aliquis alius dormiens revocaretur a somno.

resurgent (I *Cor.* xv). B. Apostolus quia velocitatem resurrectionis non potuit referre verbis, aptavit exemplis. Aut quomodo ibi celeritatem sermonis perstringeret, ubi ipsam celeritatem prævenit vis divina? At quomodo apparet ibi tempus, ubi æterna sine tempore res donatur! Sicut [a] temporalitatem tempus attulit, sic exclusit æternitas tempus.

SERMO XXXV.

De muliere profluvio sanguinis obnoxia.

Quid sit Christum tangere, hodie docuit mulier in profluvio sanguinis constituta : quæ cum tangit fimbriam Christi, tum divini pectoris pulsat arcanum, et [b] furto fidei summam rapuit de fimbriæ summitate virtutem. Felix fraus, quæ et [c] lucrum salutis contulit, et damna sustulit mox pudoris. Probat hoc evangelicæ lectionis auditus. *Ecce*, inquit, *mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accedens retro, tetigit fimbriam vestimenti ejus, dicens intra se : Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero* (*Matth.* ix). In arduis languoribus dat crebro consilium vis doloris, in desperatis causis est sæpe magistra necessitas, invenit ipsa sibi passio medicinam. Hinc est quod mulier verecundo vulneri qualiter subveniret invenit, ut fidei insinuaret silentio quod insinuare publico clamore non poterat, ut secreta spiritus via cœlestem perveniret ad medicum, ad quem pervenire manifesto carnis itinere non valebat. Dabat audaciam multam pietas curantis, sed fiduciam pudendi languoris necessitas auferebat; cogebat ad Christum doloris accedere magnitudo, sed [d] adire Christum fœditas ulceris non sinebat. Sic anceps mulier, et fidei trepidante consilio, [e] maluit de fide judicari quam de fœdo vulnere sic perire. *Accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus.* Sciens quod Deum [f] nec tactus polluit, nec offendit visus, nec odor exasperat, nec auditus sauciat, nec inquinat humana cogitatio. Nam si sol tangit stercora, non tamen stercoribus inquinatur, quanto magis creator solis tangit omnia, et tamen non potest ullis contactibus inquinari? Et si medicus cum saniem vulnerum tractat, cum curat verecunda membrorum, non injuriam computat, sed honorem : quanto magis Deus non arbitratur injuriam, dum vulnera nostra curando respicit, tangit ad remedium, visitat ad salutem? Dei conspectum offendunt peccatorum vulnera, non dolorum; morbi criminum, non corporum passiones; vitiorum sanies, non viscerum fluxus : quia homo habetur voluntarius in delictis, in languoribus tenetur invitus. Hinc est quod peccator pœnam recipit, ægrotus recipit curam. Mulier ergo non [g] voluntatis conscia, sed doloris, nec confusa crimine, sed confusa languore, accessit retro, ut turbæ declinaret oculos, non Christi vitaret aspectum; a populis nesciri voluit, non a Christo; gestivit non Deum latere, sed homines : quia non nisi a solo Deo potuit latens videri, audiri tacens, celata curari. *Accessit et tetigit fimbriam vestimenti ejus.* Quia in Christo nil postremum credidit, nil judicavit extremum; quia nec minoratur Deus in homine, nec virtus attenuatur in fimbria, nec cœlestis natura membrorum variatur officiis. Hinc est quod mulier per dorsum pervenit ad faciem, per vestimentum penetravit interna, et per fimbriam capitis tetigit summitatem. Nec hoc sine mysterio; audite prophetam dicentem : *Sicut unguentum quod descendit in oram vestimenti ejus* (*Psal.* cxxxii). Videtis, fratres, in fimbriam vestimenti hujus totam plenitudinem divini chrismatis, totam divini capitis transisse virtutem. Scienter ergo mulier sacram Christi fimbriam gestivit attingere, ut de occulto mysterio vulneris posset sumere medicinam. Fratres, magna hæc mulier, et nimium permiranda, quæ scientia doctores legis vicit, sacramento omnes Judæos superavit, fide præcessit apostolum. Nam Judæa cum scribis et doctoribus suis Deum totum despexit in corpore : Thomas apostolus ut Christum Deum crederet, immisit manus, injecit digitos, patefecit vulnera; et ut Christum crederet, [h] iterum pati compulit Christum (*Joan.* xx). Sed hæc mulier quam personam teneat, cujus typum præferat, cujus præsentet imaginem, spirituali intelligentia perquiramus. Quæ est ista quam sic genuinus sanguis, naturalis debilitas, originalis morbus, ad causas mortis, ad lethale vulnus, ad fœdi languoris adduxit angustias? et quam sic sordidavit vitiis, fœdavit criminibus, secretis vulneribus sauciavit, ut eam ars curare, non solum videre oculus, non solum honestas pateretur, non prævaleret lex ipsa mundare, immo quam lex jusserat arceri templo, prohiberi sacris, sanctis omnibus abstinere : et quam sic dixerat immundam, ut quidquid tetigisset, haberetur immundum. Ista est, fratres, ista est Ecclesia, quæ primi hominis vulnerata peccato, tota fluebat sanguine, tota originaliter decurrebat in mortem.

[a] Spatium temporis.

[b] S. Fulgentius ad Tract. lib. II cap. 15 : *Occulte fimbriam tangens fideli raptu, sanitatis sibi furatur effectum.*

[c] Editiones nonnullæ, *lucrum salvis.*

[d] Male plures editi, *audire.*

[e] Scilicet, maluit a Judæis et gentilibus judicari de fide quam in Christo habebat. De hujusmodi fide Hæmorrhoissæ, vide late Chrysostomum homil. superius laudata in nota 13 ad serm. 33.

[f] Hæc enim erat apud Judæos lex, ut si feminæ simili morbo laborantes unum aliquem tetigissent, is illico pro immundo et polluto haberetur. Unde Hæmorrhoissam hanc cum immundis extra urbem habitasse notat Abulensis cap. 43 in Matth. num. 5. Vide paulo inferius Chrysologum.

[g] Latinius emendat *voluptatis.* Communem lectionem retinui. Mulier conscia doloris erat, non voluntatis. Involuntarium ei erat malum, quod patiebatur.

[h] Figurate loquitur. Admodum patiens sustinuit propria vulnera tangi, iterumque apostolico digito aperiri, cum alias haberet corpus gloriosum et impassibile. MITA.

Hoc absoluto sermone diu tacuit Chrysologus : cujus silentii causam attigit in serm. 86. Ita opinatur Mita.

SERMO XXXVI.

De Hæmorrhoissa, et filia archisynagogi.

Hoc loco D. Petrus obmutuit, cujus silentii ratio abunde redditur sermone 86.

Verecundi debitoris est mox promissa dissolvere, nec creditoris animum, aut deludere moris, aut longa exspectatione suspendere. Cum archisynagogi vel Hæmorrhoissæ mulieris connexa sibi et producta narratio a consueta sermonis nostri brevitate discederet, maluimus dimidiare tractatum, ne non recrearetur tantum, quantum vester oneraretur auditus. Domino archisynagogus occurrit, et totus prolabitur in terram, causam refert, insinuat dolorem, movet præstantis affectum, imperat ut properet et accedat ad curam; e contra mulieri Dominus non quæsitus occurrit, præteriens, occasionem salutis ingessit, taB cens causam tacentis agnovit, occultum vulnus etiam celantis aspexit. Inter Dominum et mulierem furtivæ salutis agitur tam grande commercium : et dum publica petitione viam facit rogatus, fidei cogitatio divinum penetrat, et pervenit ad secretum. Felix mulier, quæ in tanta multitudine est sola cum Christo, ut sola sit conscia et salutis redditæ, et virtutis excelsæ! Beata, quæ talem reperit accessum, cui nullus possit obsistere! Beata, quæ tali via ad suum proripuit et irrepsit auctorem; quæ antequam de vulnere suo confunderetur ab homine, careret ipsius vulneris fœditate, sciens sibi apud homines et per homines interclusum totius aditum sanitatis, qui horrere magis quam curare vulnera consueverunt! Deus abstergit vulnera humana, non despicit; neque horret lanC guores hominum, sed depellit; nec detestatur immunditias humani corporis, sed emendat : quia creaturæ suæ ad tactum nescit Deus, Deus non potest sordidari. Sed evangelista generat quæstionem, cum dicit : *Et statim Jesus in semetipso cum cognovisset virtutem quæ exierat de eo, conversus ad turbam aiebat : Quis tetigit vestimenta mea* (*Marc.* v)? Dum interrogat, [a] velut ignorantiam profitetur : exiisse virtutem de se sentit, ad quam exierat nescit? quod præstiterat novit, cui præstiterit ignorat? de persona dubitat, qui certus est de salute collata? Verum non ignorantis errore, sed majestate Dominus hic scientis et præscientis interrogat; nec quod occultum sibi esset requirit, sed et ipsum sibi bene esse cognitum sic demonstrat, dum taliter quærendo cunctis ignorantibus solus aperit D quod latebat. Interpellatricem tacitam, et suggerentem cogitationibus solis, ac post tergum virtutis suæ consiliis adhærentem, non ut discussor nescius, sed ut præscius inquisitor producit in medium, suisque facit astare conspectibus, ut quæ sibi portarat salutem, omnibus reportaret et [b] fidem; et quæ virtutem probarat, agnosceret majestatem; nec rediret, ut putabat, incognita, quæ plenam [c] sui dederat notionem. Dum erubescit vulnus, dum in tali cura ipsum veretur ut Deum, fidei suæ mulier non parva nubila sustinebat, et mentis suæ lumine confusionum nebulis ipsa caligabat. Vox ergo inquirentis Domini, velut flatus salutaris, fugavit nubes, dispersit nebulas, illustravit fidem, et illam quæ noctis latebat in tenebris ipso sole reddidit clariorem. Aut minor est ista sole, quæ toto orbe radiat, quæ toto Ecclesiæ fulget et resplendet in cœtu? si sic rediisset invisa, date veniam, eluserat medicum, non probarat; et sibi quod consecuta fuerat, ascribere potuit, non sananti; quæ se curam rapuisse [d] de fimbria curantis crediderat, non de sensu : aut quid illius esse crediderat, cujus in se virtutem senserat, voto tamen judicabat extraneum? Quæ utique, et si ante curam verecundiæ fuerat quod latubat, humilitatis quod se judicabat indignam, cur post curam non sponte, ut ageret gratias, ut honorem redderet, ut gloriam tanti operis referret, occurrit? sed posteaquam vidit Dominum in inquisitione persistere, et discipulis excusantibus et compressionem turbæ opponentibus, non posse conspicit se latere, postquam illam timor et tremor conscientiæ cœpit arguere, venit in medium, ut quem occulte senserat medicum, [e] palam profiteretur, et adoraret ut Deum, et tam præsentibus quam futuris fieret de tanto suo languore medicina, dicente evangelista : *Mulier autem timens, ac tremens, sciens quod factum esset in se, venit et procidens ante pedes ejus, dixit ei omnem veritatem.* Verum, quia historica relatio ad altiorem semper est intelligentiam sublimanda, et figuris præsentibus futura sunt noscenda mysteria, archisynagogus, vel ejus filia, sive mulier in fluxu sanguinis constituta, quid sub harum specie personarum teneant sacramenti allegorico nunc sermone pandendum est. Archisynagogi filia, ad quam venit Christus, vadit, et properat, et humano gradu iter facit, qui divinitus loco non potest promoveri, sine dubio synagoga est, dicente Domino : *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* xv). Sed dum ad illam Christus tendit, Ecclesia, quæ in cunctis gentibus posita, amisso naturæ bono, perdebat et profundebat sanguinem generis humani; cujus languorem peritia humana dum D curare nititur, ipsum cumulabat : nam censura fragilitatis humanæ, ac mundanæ districtio disciplinæ, et populorum semper sanguinem fudit, et tamen nec hostes abolere, nec civium bella compescere, nec criminum potuit dementiam perdelere; hæc ergo talibus confossa curis, ubi quidquid suæ fuerat [f] et

[a] Humano enim more Christus circumspexit et interrogavit.

[b] In pluribus editionibus deest *fidem*.

[c] Ex ms. Cæsen. Editi, *sibi*.

[d] Ut alibi observatum est, opinabatur male cum Judæis virtutem Christi, ita esse veluti aliquid de humanitate sua fluens. Lucæ VI, 19 : *virtus de illo exibat, et sanabat omnes*. Vere autem ex illo exibat virtus, cum factis promebatur. Unde hic *virtutem*, *virtutis effectum* explicant interpretes.

[e] Maldonatus, et Menochius, aliique una putant, ideo Christum se convertisse ad mulierem, ut mulier, videns se ultra latere non posse, proderet sese, et ad Dei gloriam miraculum referret.

[f] Apposite equidem ad Hæmorrhoissam alludens : nam in Evangelio legitur : Mulierem hanc πᾶσαν τὴν οὐσίαν αὐτῆς, *omnem substantiam suam* insumpsisse; vetera exemplaria habent : ὅλον τὸν βίον αὐτῆς, quod

erat substantiæ, vidit esse consumptum, id est, animum, mentem, sensum, ingenium, laborem, industriam, rationem, quæ utique rectoribus ad profectum velut medicantibus commodamus, ubi Christi præteruntis sensit præsentiam, retro accessit, quia videre eum sanguine polluta non merebatur. Accedit retro, hoc est, fidei sequitur auditum, et extrema Christi velut ipsam tangit fimbriam, dum non honoratur in patribus, non sanctificatur in lege, non se jactitat in prophetis, non Dominico ipso honoratur in corpore, dum ab illo generationis Christi ordine habetur extranea. Post tergum, hoc est novissimo tempore Christum sequitur, et sancitur occulto fidei sacramento, et vere tetigit vestimentum, quod in sepulcro reperit, per quod resurgentis Domini credidit, et prædicavit [a] insignia. Sed dum circa hanc Christus suis virtutibus occupatur, in archisynagogi filia deficit, et moritur Synagoga : ut et ipsa ad vitam per fidem redeat, quæ per legem mortua fuerat, et pericrat per naturam. *Inter hæc veniunt de domo archisynagogi, et dicunt, Noli vexare magistrum, mortua est puella.* Hodieque Judæi nolunt vexari Christum, quem cupiunt non venire, et mortem pronuntiant, qui spem resurrectionis infideliter perdiderunt; sed et illud huic assertioni nostræ quam convenit, quod archisynagogi filia duodecim annos egisse refertur in vita, et hæc duodecim annos perseverasse memoratur in vulnere, cum utriusque novissimo et expleto tempore salus redderetur et vita. Nam iste numerus tempus humanæ vitæ concludit : qui ut annum faciat, duodecim distinguitur et numeratur in mensibus : unde et propheta [b] sub annum Domini acceptum Christum indicat advenisse; et Apostolus temporis plenitudine Christum venisse approbat, dicens : *Postquam venit temporis plenitudo, misit Deus Filium suum* (*Gal.* IV). Orate, fratres, ut sicut sibi et legi, ut Christo viveret, defuncta est Synagoga; ita et nos peccatis moriamur, et carni, ut vivere possimus in Christo.

SERMO XXXVII.

De Jonæ prophetæ signo.

Fratres, sanctorum gesta casibus non sunt deputanda, sed signis : et quæ vitia putantur illorum, mysteriis sunt applicanda, non [c] lapsibus, sicut hodie Dominica signavit et patefecit instructio, dicens : *Turbis autem concurrentibus cœpit dicere Jesus :* [d] *Generatio hæc nequam est; signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ; sicut enim Jonas signum fuit Ninivitis, ita erit et Filius hominis generationi isti* (*Luc.* XI). Ecce prophetæ fuga ipsius Domini vertitur in figuram, et quod celebratur ferale naufragium, hoc sacramentum Dominicæ resurrectionis existit. Nam quemadmodum Jonas typum per omnia tenuerit et impleverit Salvatoris, historiæ, quæ de ipso scripta est, textus ostendit. Fugit, inquit, Jonas [e] a facie Dei (*Jonæ* I). Nonne Dominus, ut hominis faciem præferret, et formam, faciem formamque propriæ deitatis aufugit? Apostolo sic dicente : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philip.* II). Formam suscepit servi Dominus, ut lateret mundum, ut diabolum præveniret, in hominem [f] se fugat ipsum. Et bene typus Christi ipsius Jonæ servatur in verbis. Non dixit : Fugio Deum, sed A facie Dei ego fugio. Deus qui ubique est, quo seipsum fugiet non est; sed Christus non ut loco, sed sicut specie faciem deitatis aufugeret, totum nostræ servitutis confugit ad vultum. Descendit, inquit, Jonas in [g] Joppen, ut fugeret in [h] Tharsis. Audi descensorem : *Nemo*, inquit, *ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit* (*Joan.* III). Descendit Dominus de cœlo ad terram, descendit deitas ad humana, descendit ad nostram superna dominatio servitutem. Et tamen qui descenderat ad navem, navem navigaturus ascendit: sic Christus, qui in hunc mundum descendit, virtutibus et mirabilibus, Ecclesiæ suæ conscendit in navem. Quid sibi vult [i] autem confusa ventis procella, nisi diabolum qui cor Judæ penetrans, reges, gentes, populos, militiam, judices, marinos elevavit, et inflavit in fluctus, ut ascendentes et cadentes undæ auctorem suum sæculi peterent ad quietem? Audi undas sæculi, audi prophetam dicentem : [j] *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus* (*Ps.* II). Et quia sors Jonam proditura non defuit, implet super Christum Davidicam prophetiam, quæ dicit : *Et super vestimentum meum miserunt sortem* (*Psalm.* XXI). Quod autem Jonas auctor suæ demersionis existit, cum dicit : *Tollite me, et mittite in mare*, voluntariam Domini indicat passionem; nam quare sibi illi sustinent hæc juberi, qui sibi in periculo tali sponte poterant subvenire? Quando enim multorum salus petit unius mortem, mors in interemptis arbitrio collocatur, quia et moriturum retardantis arbitrio collocatur.

recentior interpres vertit : *Totum victum suum.* Verbum autem βίος tum victum, tum omne quo vitam tuentur, significat. Utitur hac voce Lucas, et recte Latinus interpres vertit *substantiam.*

[a] Vestimenta Domini vocat *insignia resurrectionis*, juxta illud : *Vidit linteamina, et credidit.*

[b] Juxta versionem LXX.

[c] Ita mss. Cæsen. et Vatic. Latinius, et secum editiones nonnullæ habent *lapidibus.*

[d] Hæc ipsa Christi responsio testatur hujusmodi signum quæsitum fuisse mala mente, et non discendi, sed contradicendi consilio.

[e] Non a facie Dei naturali, qua præsentia sua Deus ubique est, ut infra Chrysologus, et ut bene noverat Jonas; sed a facie spirituali, id est ab eo loco ubi aderat Deus verbo et spiritu, ubi colebatur et adorabatur.

[f] Ex codic. Vatic. Editi, *se fugit ipsum.*

[g] Oppidum maritimum. Barbaris nunc *Jafa* vel *Jaffa.* Strabo, lib. XVI de eo sic loquitur : *Hoc navali utuntur, qui ad mare descendunt.*

[h] Ciliciæ urbs, quam urbium Matrem vocat Solinus.

[i] Ex editione Bonon. Aliæ, *aut.* Ita etiam emendat Latinius.

[j] Tali sensu explicat hos psalmi versiculos Hilarius tom. I pag. 34. Herodem nempe regem, Pilatum, Romanamque militiam unanimiter in Christum surrexisse.

dare potest ad mortem voluntas, et [a] periclitantis mors periculum [b] prævenire : sic hic ubi totum Domini geritur in figuram exspectatur morientis auctoritas, ut mori non sit necessitas, sed potestas. Audi Dominum dicentem : *Potestatem habeo ponendi animam meam : et potestatem habeo iterum sumendi eam : nemo tollit eam a me* (*Joan.* x). Quomodo ? quia Christus etsi emisit spiritum, non amisit, quia qui omnium in sua manu recipit et tenet animas, ipse animam suam quemadmodum possit perdere non videtur. Audi prophetam dicentem : *Anima mea in manibus tuis semper* (*Psal.* cxviii). Et alibi : *In manus tuas commendo spiritum meum* (*Psal.* xxx). Sed quid plura ? Currit, occurrit, adest [c] bellua de profundo totum Dominicæ resurrectionis impletura et proditura, immo conceptura et paritura mysterium ; adest bellua, adest imago horrida et crudelis inferni, quæ dum fertur avidis faucibus in prophetam, vigorem sui sensit et degustavit auctoris, incurrit namque jejunium devorando. Sed domicilium cordis sui tremens ad superni hospitis aptat et præparat mansionem : ut ipsa quæ fuerat tota causa discriminis, ipsa fieret necessariæ navigationis inaudita vectura, vectorem suum servans, et post triduum referens ad superna ; et hoc daret gentibus quod abstulerat Judæis, quibus signum quærentibus solum dandum Dominus esse signum hoc decernit, per quod scirent gloriam quam in Christo speraverant, totam esse gentibus conferendam. *Generatio*, inquit, *hæc nequam est ; signum quærit, et signum non dabitur illi, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim Jonas signum fuit Ninivitis, ita erit et Filius hominis generationi isti.* Quia Judaica perfidia fluctuante inferni Christus demersus est in profundum ; et triduano cursu tota tartari occulta percurrens, et Judaicæ crudelitatis, et majestatis suæ ac peremptæ mortis dedit indicium cum resurgeret. Merito ergo surgent Ninivitæ in judicio, et condemnabunt illam generationem, quia illi unius prophetæ naufragi, advenæ, ignoti, præconio corriguntur ; isti post virtutes tantas, mirabilia tanta, cum toto resurrectionis corusco, [d] ad fidem non veniunt, ad pœnitentiam non moventur. Ipsum namque [e] resurrectionis signum non credunt, sed gestiunt infamare, dum pretio militum claudunt oculos, corda corrumpunt, quod scierant, quod viderant, ut tacerent ; redimentes mendacium, ut tollerent veritatem. Facinus suum in Christi retorsere discipulos, cum dicunt : *Dicite quia discipuli illius nocte venerunt, et furati sunt* (*Matth.* 28). Erras, Judæe : hoc discipuli non tulerant, sed magister ; et [f] ipse se furatus est, qui videbatur occisus. Sed miror quod Judæus Christum requirit, quem inter duos latrones feraliter collocarat : committit male, custodit impie, iniquius quærit. Judæe, Christus perire non potest, sed tu eum tibi tuo scelere perdidisti, Veniet, [g] veniet in judicium [h] regina austri et eo ipso, qui furatus putabatur, judice, te [i] condemnabit : quia illa venit ab extremo terræ audire sapientiam Salomonis, [j] et tu ad te venientem sapientiam Dei infelicissimus occidisti. Ninivitæ crediturarum gentium, regina austri Ecclesiæ tunc provisa est in figuram. Beati sumus, fratres, quia quod præcessit in typo, quod promissum est in figura, nos specie, veritate veneramur, cernimus et habemus.

SERMO XXXVIII.

De injuria æquo animo toleranda.

Quanta sit cœlestis philosophiæ magnitudo, quanta virtus militiæ Christianæ, hodie docuit Dominus, sic dicendo : *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram* (*Matth.* v). Hoc putat arduum, qui præmia patientiæ quanta sint nescit. Putasne potest ille vulneribus invenire victoriam, qui nec ictu palmæ acquirere vult coronam ? Potest iste morte inquirere gloriam, cui pro honore divino humana gravis videtur injuria ? Homo, nonne præceptis talibus infantiæ tuæ rudimenta componuntur ? Palmæ, parvulorum sunt verbera, non virorum. Hinc est quod levibus mandatis pueritia Christi animatur, ut ad gravia toto jam robore evangelica juventus accedat ; ut hoc laboribus, pœnis, morte se gaudeat

[a] Sic correximus ex castigatione Latinii. Quid enim est *periclitantis mora*, ut habent editi ? Sensus Chrysologi est : cum ad multorum salutem mors unius requiritur, et ea in ejusdem sita est arbitrio, vel voluntas ejus potest retardare mortem ; vel mors ejus imminens periculum prævenire.

[b] Nonnullæ corruptæ editiones, *pervenire.*

[c] Indefinite. Nil aptius. Licet Matthæus eam vocet, *cæte* xii, 40, nihilominus cavendum tibi est, subdunt enarratores, ut hic vel aut balenam, aut pristim, vel physeterem intelligas : quæ ut vastæ belluæ sint, habent tamen gulæ meatus angustos, ideoque solidum hominem nequeunt deglutire. Satius ergo est *cæte* nomine aliquem piscem ex cetaceis intelligere, veluti *cascariam*, *lamiam*, *maltham*, et hujus generis alios.

[d] Ninivitæ moribus barbari, et urbis quæ metropolis erat regni Assyriorum ad ripam Tigridis cives, religione gentiles, lascivia effrenes, quique nullum adhuc Jonæ miraculum conspexerant, sese tamen ad pœnitentiam composuere ; Judæi e contra Dei cultores, inter litteras enutriti, Messiæ contribules, tot ei operanti miracula non credunt.

[e] Resurrectio Christi ultimum fuit miraculum Judæis exhibitum, et primum tum gentibus propositum, ut conversionis eorum initium et exemplar.

[f] Ambrosius, serm. 57 de Sepulcro Domini : *Ipse enim tulit corpus suum, scilicet Christus, qui suscitavit. Ipse tulit corpus qui illud jacens et dormiens sua aspiratione collegit. Ipse tulit corpus qui divinitatis virtute illud gestans, portat ad cælos ; atque ideo sapienter mulier interrogat : Si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum.* Mita.

[g] Evangelista, *surget ;* id est, ut testis coram Christo judice. Testes enim surrexisse e subselliis testimonium dicturos sicut apud Romanos, ita apud Judæos ostendit Marcus xiv, 57 ; Actor. vi, 13.

[h] Reginam Austri, Æthiopiæ, cujus caput Meroe est, imperasse, multis persuasit Josephus lib. viii cap. 6. Assentitur Juvencus lib. ii. Mihi verosimilius est ex Arabia Felici venisse. Suadent et munera oblata Salomoni.

[i] Non sibi collata judicandi potestate, sed comparationis exemplum. Depravatus locus, meliori interpunctione sanatus est.

[j] Ex Latinio et ms. Vallicel. Editi, *et tu adve-nientem.*

obtinere, quod per infantiam parvis injuriis acquirere non valebat. Ut autem dura non esse quæ præcepta sunt approbentur, mandatorum series ipsa replicetur. *Audistis, quia dictum est antiquis, oculum pro oculo, et dentem pro dente; ego autem dico vobis non resistere malo : sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram; et qui vult tecum in judicio contendere, et tunicam tuam tollere, remitte illi et pallium; et qui te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo* (*Exod.* XXI, *Deut.* XII). Audistis quia dictum est antiquis. Quibus antiquis? utique Judæis, quos antiquos plus [a] malitia fecerat quam vetustas, quos furor vindictæ cupidos sic tenebat, ut pro oculo caput, pro dente animam postularent. Hinc est quod eos lex ad vindictæ vicissitudinem refrenabat, ut qui veniam culpæ sapere non valebant, vel modum saperent ultionis, et [b] tantum vindictæ exigerent quantum læsionis intulerat vis furentis. Sed hoc antiquis, nobis autem per gratiam innovatis divina quid imperet bonitas, audiamus. *Ego autem dico vobis.* Quibus? utique Christianis. *Non resistere malo.* Sic cum dicit, vult nos vitia non repensare vitiis, sed superare virtutibus, et in ipsis scintillis adhuc exstinguere iram, quæ si pervenerit ad totum furoris incendium, sine sanguine non sedatur. Ira vincitur lenitate, mansuetudine exstinguitur furor, malitia bonitate palpatur, credulitas pietate prosternitur, impatientia patientia punitur, contentio superatur [c] blanditiis, superbiam humilitas sternit. Ergo, fratres, qui vult vitia vincere, pietatis arma teneat, non furoris. Et quamvis possit lucere sapienti quid sit quod instituuntur injuriis primordia Christiana : tamen quia non intelligunt quidem esse hoc virtutis, esse hoc bonitatis culmen, pietatis esse hoc fastigium, hoc esse divinæ philosophiæ non humanæ, non resistere malo, sed [d] vincere in bono malum, maledicenti benedicere, percutienti iterum [e] percutiendi licentiam non negare, tollenti [f] tunicam dimittere pallium, et rapienti prædam facere largitatem, [g] angarianti mille passus addere suam ad alia duo mil lia servitutem; ut vincat necessitatem voluntas, impietatem pietas; et hoc sic patientis virtus, quod imperat vis cogentis : ergo quamvis ista doceant quale miles Christi ad virtutem roboretur injuriis, A tamen ut plus pateat, qua ex causa sint præcepta altius requiramus. Fratres, ubi se peccatorum morbus, vitiorum scelus, impietatis phrenesis mentibus infudit humanis, et quidquid erat scientiæ, sensus et rationis exstinxit, furore vesano fecit per orbem diffusas gentes Deum fugere, sequi dæmones, creaturas colere, contemnere Creatorem, desiderare vitia, horrere virtutes, agi gladiis, vulneribus ruere, vivos [h] mortibus deperire. Unde sanari aliter homines non valebant, nisi cœlestis medici armati pietate tota et patientia niterentur, qui sic laborantium phrenesi paterentur injurias, maledicta portarent, sustinerent verbera, vulneribus scinderentur, donec eos [i] ad sobrietatem sensus, ad sinceritatem spiritus, ad mentium reducerent sanitatem; ac sic Deum quærere, B fugere dæmones, languores sentire, sapere sanitatem, abjicere vitia, capere virtutes, declinare vulnera, horrere sanguinem, recusare mortem, vitam desiderare [j] perficerent. Et si vultis ut quod diximus plenius innotescat, carnalium medicorum loquamur exempla. Nonne quoties miserum hominem choleræ inflammaverit incendium, et dominante febre vesanum reddiderit ægrotantem, turbatur sensus, mens deperit, feritas accedit, recedit humanitas, et ne multis, moriente homine furor vivit? Hinc est quod frendit dentibus, parentes laniat, scindit proximos, cædit pugno, morsu agit, atque afficit obsequentes. Tunc medicus ad virtutis laudem, ad artis gloriam, ad famæ cumulum armatur patientia : tolerantiam sumit, injurias despicit, morsus sustinet, fert labores, C et non leves pœnas patitur, ut a pœna liberet laborantem; fovet oleo, insistit curis, erogat medicinam, certus quod mercedem honoris obsequiis repenset ægrotus dum receperit sanitatem. Rogo, [k] quæ major phrenesis, quæ gravior vis furoris, quæ par dementia sancti hominis percutere maxillam? mansueti fratris faciem verberare? placidi vultus gratiam tristi livore perfundere? nudare hominem solo quo tegitur vestimento? et ob vilem prædam nil Deo, nil homini, nil naturæ relinquere, nil pudori? angariare hominem [l] suis actibus occupatum? et alienam pœnam suum solatium computare? Ergo, fratres, si talia perpetrantes gravissima phrenesi laborare cognovimus, obediamus Christo, et furentium fratrum

[a] Nonnullæ editiones, corrupte, *militia.*

[b] Jus talionis, quod his verbis innuitur, et de quo alibi, vetustissimum est. Aristoteles ait dictum fuisse jus Radamanthi; isto versiculo descriptum : *ut idem patiatur aliquid quod fecit, justum est.* Legem hanc Moses habet apertis verbis Exod. XXI, 24; Levit. XXIV, 20; Deuter. XIX, 21. Non autem legislatoris mens fuerat ut eadem ad sonum verborum servarentur; vindictam enim ad certum usque modum, vel permittebat, vel dissimulabat. De hujusmodi lege posterioribus sane temporibus vide canon. 4 concilii Nicæni II, ubi vocatur ignoto lexicis vocabulo, ταυτοπάθεια, ibique Balsamonem.

[c] Quam male, bone Deus! in plurimis editionibus, *injuriis.*

[d] Hæc quæ Christus docet, et Chrysologus, ex consilio sunt. Vide Maldonatum et Jansenium hic.

[e] Alias cum ms. Vatic., *percutienti.*

[f] Duplici veste utebantur Judæi. Docet Christus D tollenti *tunicam*, vestem scilicet interiorem, dimittere et pallium *exteriorem.*

[g] De angariis jam in not. 2, serm. 25. Consuetum angariarum spatium mille passus erant.

[h] Plurimæ editiones habent *moribus*, aliæ *morbis.* Mita. et ms. Vallicell. et Cæsen. lectionem hanc, quam retinuimus, habent.

[i] Ad mentem Augustini epist. ad Marcellinum num. 12 : *Paratus debet esse homo pius et justus patienter eorum malitiam sustinere quos fieri bonos quærit, ut numerus potius crescat bonorum, non ut pari malitia se quoque numero addat malorum.*

[j] Fortas., *perdiscerent.*

[k] Atrox profecto injuria viro honesto alapam impingere. Ideo Basilius ῥαπίσμα, *alapam*, *infimam servorum plagam* appellat. Cyprianus de Spectaculis : *Ictibus vulnerum infelix facies locatur.*

[l] Laudat hunc locum Chrysologi du Cangius in Gloss. Inf. Latin. tom. I col. 234.

morsus, verbera, onera, tota pietatis virtute portemus, ut et fratres nostros liberemus a pœna, et nos æternum patientiæ præmium consequamur. Nec dedignetur servus hoc accipere a conservis, quod Dominus a servis et pro servis dignanter accepit : palmis faciem non negavit, tollenti tunicam et pallium dimisit et corpus ; angariantem se ad laborem, gratus ac libens est secutus ad mortem. Ergo, fratres, si dignum Dominus pati duxit, pati servum quomodo, quomodo videtur indignum ? Erramus, erramus, fratres ; qui non facit quod jussit Dominus, gratis sperat Dominus quod promisit.

SERMO XXXIX.

De perseverantia orationis.

Per se semper sibi divina sufficiunt, sed ob hoc hominibus humanis frequenter insinuantur exemplis, quia cœlestis providentia non quid ipsa dicere, sed quid auditor capere possit, attendit. Sic fons per tenues venarum primitus erumpit meatus, atque angustis sensim serpit in rivulis, donec digno successu in totam se fluviorum latitudinem prorumpat, et valenter effundat. Et ut vobis de nobis loquar : nato parvulo, mox cœvum præparat succum natura, escam commutat in potum, et stupentes adhuc fauces, torpentesque internorum meatus, ad usum solidioris cibi, longa lactis infusione componit. Sic nos Dominus ad capienda divina vernaculis eregit, et informat exemplis, dicendo : *Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi : Amice, commoda mihi tres panes quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod ponam ante illum ; et ille de intus respondeat, Noli mihi molestus esse, quia jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere et dare tibi ? Dico vobis, si non dabit illi surgens, quia amicus ejus est, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios* (*Luc.* XI). O quam dare vult, qui se inquietari taliter, taliter patitur suscitari ! O quam necessitatis esse suæ, quod suæ potestatis est, vult videri ! O quam pulsanti iste gestivit occurrere, qui sic [a] secreti sui cubile ipsam collocavit ad januam ! O quam negare noluit, qui sibi etiam neganti qualiter extorqueretur, ostendit ! O quam non ad januam tantum Dominus, sed ipsa janua Dominus fuit ! Ego sum, inquit, janua (*Joan.* X), qui, dormientibus servis, pulsantis necessitatem solus et primus audivi. O quam pius, quam misericors, qui quod mandatis docet, probat et informat exemplis ! *Cum facis*, inquit, *eleemosynam, noli tuba canere.* Et iterum : *Nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua* (*Matth.* VI). A *Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte ?* Parum est quod facienti misericordiam nox velabat, quod largitatem dantis petentis obtegebat improbitas, nisi ad cumulum pietatis velandæ ascriberetur et somnus. Indicit in hac humanitate geminam necessitatis speciem, petentis et dormientis, ut illum petere hospes, dare compellat hunc somnus : utpote qui propterea se daturum ei dicat in tempore, quod non occurrere amico, sed recurrere videatur ad somnum ; et ut ei magis dormire liceat, quam dare libeat sic petenti. Quid plura ? ecce pulsanti illi plus somnus, quam sonus exstitit suffragator. Nec otiosum reor esse quod horam petendi sic aperit, sic designat, dicendo : *Quis vestrum habet amicum, et ibit ad illum media nocte ?* [b] Quasi non et prima, et secunda, B et tertia hora noctis, cum se sopor blandus dormientibus primum fundit in corpora, et visceribus diurno labore fessis dulcis, ac totus illabitur, molesta et aspera sit inquietantis improbitas. Sed hoc tempus est quod devotum et juge pernoctantis demonstrat judicium ; hoc tempus est quo inter præteritos et futuros labores ardens animus, sed ad divina, nil indulget corpori, nil quieti : sed antequam finiat transacti diei opera, inchoat et anticipat jam futuri. Ista satis hora est efficax impetrandi. Hoc sciens propheta, ipsum tempus suæ supplicationis asserit exstitisse, cantando : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* (*Psal.* CXVIII). In hac hora vigilantibus, semper sponsus ille cœlestis occurrit, qui dicit : *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit* (*Matth.* XXV). Non C potuit non impetrare quod voluit, qui ut reciperet hospitem, hospitem reficeret, totam sibi requiem denegavit. Aut quomodo sic petenti, sic pulsanti non responderet ille, qui se in hospite suscipi confitetur, cum dicit : *Hospes fui, et suscepistis me* (*Matth.* XXV)? Æstimo hoc dixisse pulsantem, aut forte aliter convenisse : Feci quod jussisti, redde quod promisisti ; tibi credidi dicenti : *Nolite solliciti esse in crastinum* (*Matth.* VI). Unde hesterno hospiti quod apponerem non reliquit : si tibi ego sic habenti molestus sum, quanto mihi ille exstitit molestior non habenti ? Et tamen ego illi me excusare non potui, quia tibi obedire contendi. Plus hic jubentis quam non habentis verecundia nunc laborat. Hospes in domo est, et tu dormis, immo tu dormis, qui non dormis. Ego sus- D cepi hospitem, nisi dederis panem, panem hospiti tu negasti. Merito sic pulsanti, petenti taliter, quotquot necessarios habuit evangelicus iste fenerator largitus est panes. Quid faciunt qui se non in cubili, sed ipso [c] collocant in sepulcro ? qui se non somno,

[a] In Evangelio κοίτη *et lectum et cubile* significare potest. Rem extra ordinem miratur Chrysologus. Nemo enim cubile suum collocat ad januam, sed in penetralibus domus. Servorum autem erat prope januam dormire. Vide Pignorium, de Servis, qui verba hæc laudat.

[b] Evangelista ipse notaverat horam seram noctis cum dixit : *Ostium clausum est.* Hanc horam Græci κλαυσίθυρον vocant *occlusionem ostii.*

[c] Locutio metaphorica. Ut Ecclesiastici sæculares media nocte surgere debebant ad Deum orandum, vel de more illorum temporum per quatuor noctis vigilias, quasi per excubias in ipsis Ecclesiis Deum laudare tenebantur, et omittebant ; merito igitur ab auctore arguuntur, quod in sepulcro mortis jaceant, quandoquidem aures tum cordis, tum capitis ita obturatas habent, ut ne galli quidem cantum, id est propriam conscientiam ad surgendum clamantem, audirent ; nec suscitarentur aurora, id est evangelica inspiratione, non sole ipso, hoc est Christo, revocarentur ad lucem. MITA.

sed morti tradunt? quos gallus non commonet, lucifer non suscitat, sol ipse non revocat et producit ad lucem? Isti et tempus supplicandi, et hospitis mercedem, et ipsa diei opera perdiderunt. Contristamur, fratres, quando nos diluculo stamus ante Dominum, et nobiscum nostros filios non videmus. Ille noctis medio sic pulsavit, in cujus domo hospes venerat. Rogo, tu quare non vel diluculo vigilas, cui est hospes in domo? quod ille gratiæ, tu tribue vel pigritiæ; quod ille humanitati, tu necessitati saltem, plus somni quam tui amator, impende. Certe ut possis vigilare ad vitam, qui dormis ad mortem, quæ sequuntur, ausculta: *Et ego dico*, inquit, *petite, et dabitur vobis; quærite et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur.* Sed dicis, Esto quod petere possim, pulsare quomodo potero cœleste secretum? Quemadmodum? Iterando preces, et exspectando judicium largitoris, moras dantis patientissime sustinendo; quia quicumque cum semel pulsaverit, indignatur mox si non fuerit auditus, iste non est petitor supplex, sed est imperiosus exactor. Audi prophetam dicentem: *Exspecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum* (*Psal.* XXVI). Et si iterum distulerit in futurum, tu Dominum tuum patienter exspecta. Ubi autem quid quærere debeas vis nosse, sunt divitiæ in sinu pauperis, et regnum cœlorum intra te est. Intra vos est regnum cœlorum, dicit Dominus (*Luc.* XVII). Quis sit autem amicus qui dormit, et quis amicus qui de via venit, et qui sunt pueri qui dormiunt, et quis est iste qui pulsat, et cur sub certo numero tres tantum postulat panes, cum petiero, quæsiero, pulsavero, et pervigil inquietator accipere meruero, vobis amicis mei Domini [a] non negabo. Sed dicitis mihi, Ecce amicus Domini tui [b] venit ad te; iste dare, non accipere, consuevit; hanc denique [c] sitarciam [d] de viatici sui copia pastor avidus explevit, ut de nostræ paupertatis vilissima præparatione gustaret; nec passus est intempesta nocte me sibi aliunde petere [e] hospitum locupletissimus quod habebat. Nec mirum, fratres; semper dare vult dives ad pauperem, cum declinat. Iste illius evangelici amici semper manet in janua; in istius cubili ille cum pueris suis largitor evangelicus perseverat, in cujus corde Pater et Filius, et Spiritus sanctus faciunt semper et collocant mansionem. Quid plura? Pater est: ab ipso petere, in ipso quærere, per ipsum pulsare me credidi; et ideo me vobis daturum non incautus promissor asserui.

SERMO XL.

De bono pastore.

Ubi vernalis auræ tempus annuos ovium cœperit partus aperire, ubi per campos, prata, vias cœperit fecundi gregis germina copiosa dispergere, pastor bonus [f] seponit, et cantus, et [g] discursu anxio teneros quærit, legit, colligit fetus, atque eos collo, humeris, ulnis, lætus vector imponit, ut salvos omnes perferat, et [h] tutas perducat ad caulas. Sic nos, fratres, ubi Quadragesimæ arridente verno, ecclesiasticum gregem videmus fundere uberes partus, [i] tractatus nostri cantus et [i] consueti sermonis epulas seponentes, totam curam in colligendo et comportando cœlesti germine, anxii gravissimo labore dependimus. Sed quia [k] agnos redditos gregi, et totos intra Christi

[a] Datam fidem vel exsolvere nequivit Auctor, vel sermo ille, in quo præstiterat quod hic promittit, periit.

[b] Hic aliqua desunt, nec sensus est absolutus. Non tamen datum est ex manuscriptis aliquid vel supplere, vel corrigere. Vide infra in observ. ad serm. 107 et 136. MITA. — Mihi autem pro certo est Chrysologum loqui hic de aliquo alio episcopo, qui tunc temporis apud illum fuerat diversatus.

[c] In I Reg. IX, 7, habetur: *Panis defecit in sitarciis nostris et sportulam non habemus*; ubi LXX legunt: *Quoniam panes defecerunt in vasis nostris, et plus non est nobiscum*; quo loco Abulensis: *Cistaricium est vas de vimine complexum ad reponendum panem, et ab aliquibus vocatur calathus.* Glos. Interlin. exponit: *Sitarciis nostris, id est sacculis, vel pera.* In Bibliis emendatis habetur *sitarciis*, non autem, ut erat in antiquioribus, *citarciis*. Maldonatus, Matth. x, 10, per *citarciis* sportulam intelligit, et similiter hic debet exponi. MITA. — Ejus tamen pace dixerim sitarciam hic apud Chrysologum, ut superius serm. 5, annonam quotidianam, vel demensum diurnum significare. Vide quæ ibidem dicta sunt.

[d] Obscurum sensum sic illustrarem. Amicus qui semper dare, non accipere consuevit, hanc sibi familiarem et diurnam consuetudinem de copia suæ humilitatis, quam secum ut consuetum sibi viaticum affert, avidus sic explevit, ut non dedignatus sit *de nostræ vilissimæ paupertatis præparatione gustare*, nec passus est me aliunde petere quod ipse virtute et humilitate, *omnium hospitum locupletissimus*, habebat. Ad quid enim aliunde petere quomodo splendide agatur cum hospite, qui dum paucis est contentus, omnia secum habet? Inde in ipsius hospitis laudem pauperis excurrit, cujus precibus adjutus futurum fore sperat ut alterius sermonis expleat promissionem.

[e] Ms. Vaticanum sic habet: *Nec passus est intempestæ noctis me sibi aliunde petere, hospitum locupletissimus, quod habebat.* Nonnullæ editiones habent: *hospitium.*

[f] Otia scilicet, quin et cantus, quibus tempus fallere studebat; seque totum labori committit.

[g] Peragrando campos, et invia quæque sollicite discurrendo.

[h] Editi, corrupte, *totas.*

[i] Hoc nomine sæpius apud SS. Patres audiebant conciones in Ecclesia. Optatus Milevitanus Donatistarum omnium et unius Parmeniani conciones *tractatus* appellatione non semel nominavit. *Nullus vestrum*, ait lib. IV, *lectiones Dominicas incipitis, et tractatus vestros ad vestram injuriam explicatis.* Et lib. V, Parmenionem alloquens: *Et cum hæc initio dictionis tuæ tractaveris in processu tractatus tui, horum immemor factus es.* Vide Ambrosium epist. 14, ad Marcellin.; Gaudentium Brixiensem in præf. ad Benivolum; Hieronymum epist. 65; Augustin. serm. 20, de Diversis; et hæc expresse tractantem Ferrarium, de Concion.

[i] Ex hoc Chrysologi loco colligas velim episcopos tempore Quadragesimæ a concionibus abstinuisse, curamque impendisse omnem in colligendis vectandisque Christiani gregis fetibus ad Ecclesiam.

[k] Agnos appellat recenter baptizatos. Tempore Quadragesimæ pastor noster sanctissimus in evocandis ad fidem gentibus plurimum præcipue insudabat, et catechismo instruens sabbato sancto Paschæ, quo tempore volentes baptizabat. Tumque mos erat ut in Ecclesia Dei per immersionem et emersionem

videmus esse jam septa, divinos lætissimi revocamur ad cantus, Dominici vobis cibi exsultatione tota vitales copias apponentes : ut quos socios senserimus in labore, participes in gaudiis habere possimus. Et quia præfatio hæc nostra pastoris boni fecit et intulit mentionem de ipso qui solus bonus, solus pastor, solus pastorum pastor est, tota sermonis nostri et tractatus repleatur et habeatur intentio. *Pastor*, inquit, *bonus, animam suam ponit pro ovibus suis* (*Joan.* x). Fortem facit vis amoris, quia nil durum, nil amarum, nil grave, nil lethale, computat amor verus. Quod ferrum? quæ vulnera ? quæ pœna ? quæ mortes, amorem prævalent separare perfectum ? Amor impenetrabilis est lorica, respuit jacula, gladios excutit, periculis insultat, mortem ridet, si amor est, vincit omnia. Sed quæramus utrum sit ovibus commoda mors ista pastoris, quæ destituit oves, quæ lupis tradit inerme pecus, quæ sic charum gregem ferinis morsibus derelinquit, direptioni dat, et exponit morti, sicut ipsius pastoris Christi probatur ex morte. Ex quo namque posuit ipse animam suam pro ovibus suis, seque Judaico furore permisit occidi, oves ejus gentilium, velut prædonum, diripiuntur incursu; mactandæ in carceribus, velut latronum clauduntur antris ; a persecutoribus quasi sævientibus lupis sine cessatione laniantur, ab hæreticis quasi ab extraneis canibus rabido dente carpuntur. Hoc apostolorum peremptus probat chorus, hoc martyrum toto orbe diffusus clamat sanguis, hoc Christianorum membra data bestiis, consumpta ignibus, demersa fluminibus, patenter demonstrant : quod utique totum sicut mors intulit, ita vita potuit prohibere pastoris. Ideo pro te pastor amorem morte probat, quia cum videat ovibus imminere discrimen, cum gregem defensare non possit, mavult mori antequam mali de suis ovibus quid videat. Sed quid faciamus, quia Vita mori non poterat, nisi voluisset ? datori animæ animam quis tollere potuisset nolenti ? dicente ipso : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam; nemo tollit eam a me.* Ergo mori voluit, qui se, cum mori non posset, permisit occidi. Quæramus ergo hujus quæ vis, quæ ratio sit amoris, quæ hujus causa mortis, quæ hujus sit utilitas passionis. Et plane vis certa, vera ratio, causa lucens, utilitas tanti sanguinis peraperta : namque pastoris una ex morte virtus emicuit singularis ; pastor pro ovibus morti, quæ ovibus imminebat, occurrit ; ut auctorem mortis diabolum novo ordine captus caperet, victus vinceret, puniret occisus, et ovibus moriendo viam vincendæ mortis aperiret. Nam et diabolus, dum in hominem tendit, prosilivit in Deum; dum in reum sævit, incurrit in judicem; invenit supplicium, dum ingerit pœnam ; ipse accipit, dum dat sententiam ; et vivens mortalium pastu mors moritur, dum devorat vitam ; absorbens reos mors, absorbetur, innocentiæ dum deglutit auctorem ; et perit mors ipsa, quæ perdebat omnes, dum omnium perimere vult salutem. Ergo tali forma præcessit oves pastor, pastor ab ovibus non recessit; nec illas dedit lupis, sed tradidit lupos illis quibus donavit suos eligere sic prædones, ut occisæ viverent, laniatæ resurgerent, sanguine suo tinctæ fulgerent regali purpura, niveo vellere perlucerent. Sic bonus pastor pro ovibus cum posuit animam, non amisit ; et oves taliter tenuit, non reliquit ; nec destituit oves taliter, sed invitavit, quas per mortales campos, per iter mortis, vitalia vocavit et perduxit ad pascua. Sed dicit aliquis, Quando hæc erunt ? Ecce interim oves, id est, apostoli, prophetæ, martyres et confessores jacent sepulti : discerpti toto sparguntur in orbe, involuti sanguine, tetris claduntur sepulcris. Et quis dubitat quod resurgant, vivant, regnent occisi martyres, quando Christus [a] illis resurrexit, vivit et regnat occisus? Audi vocem pastoris hujus : *Oves meæ vocem meam audiunt et sequuntur me.* Necesse est ut quæ sunt ad mortem secutæ, sequantur ad vitam; quæ ad contumeliam comitatæ sunt, comitentur ad honorem ; et sint participes gloriæ, quæ passionis participes exstiterunt. *Ubi sum*, inquit, *ego, ibi erit et minister meus* (*Joan.* xii). Ubi ? utique super cœlos, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens. Homo, non te turbet fides, spes te longior non fatiget : quia certa tibi res est, quæ in ipso tibi rerum servatur auctore. *Mortui*, inquit, *estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo ; cum autem apparuerit Christus vita vestra, tunc et vos cum illo apparebitis in gloria* (*Col.* iii). Laborans messor quod in semine non videt, videbit in messe, [b] et qui in sulco deflet, gaudebit in fructu.

SERMO XLI.

De jejunio et eleemosyna.

Bella gentium legimus superasse quamplurimos, quos tamen pugnas carnis legimus non vicisse, et audivimus eos dedisse delictis pectora, qui dorsa hostibus non dederunt. Proh dolor ! Victores gentium vitiorum fuisse captivos, nationum dominos turpi servisse criminibus servitute ; stetisse inter sævientes gladios, et inter enervata lenocinia corruisse ; regnis fuisse terrori, ludibrio fuisse peccatis ; adversas acies contrivisse jejunos, et crapulatos suarum castra dissolvisse virtutum ; jacuisse effuso vino, qui jacere effuso sanguine nescierunt. Unde est hoc ? unde ? quia hoc non est ratio, sed languor ; non vita, sed febris ; phrenesis, non natura. Nam quotiens ciborum cruditas vitalia dejicit, infirmat stomachum, corrumpit sanguinem, vitiat humores, succendit choleram , extremum [c] febris gignit incen-

baptizarentur, prout ex D. Augustino accipimus, aliisque. Quod cum propriis manibus ageret noster antistes, et innumeri propemodum essent baptizandi, nedum concionem eo tempore dimittere cogebatur, sed et gravissimo labore ob id suscepto nimis anxius erat et lassus. Cumque sacratos viros in ipso labore socios habuisset, eosdem in gaudiis divinæ prædicationis participes habere præoptat. MITA.

[a] Ms. Vat., *ipse.*, fortasse melius.
[b] Emendavimus ex Latinio. Editi omnes, *et quod.*
[c] Vide quæ annotantur ad serm. 18.

dium, toties æger mentem perdit, amittit sensum, A fertur desideriis, contrariis urgetur, salutaria respuit, quærit noxia, fugit curam. Tunc medici [a] satagunt abstinentiæ remedio subvenire ut sanetur, ut sanet abstinentia quod voracitas sauciarat. Et si pro temporali cura ægri medicis obediunt, servant arduam parcitatem; quare pro sempiterna salute sit durum Christo moderatis obedire jejuniis, corpus gubernare mensura, mentem regere parcitate, sensum sobrietate frenare ? Sicut terræ nubes caligant cœlum, sic obscurant animas intemperata convivia; sicut ventorum turbines elementa confundunt, sic fercula congesta stomachum conturbant; ut navem fluctus, corpus ebrietas sic demergit, hominem dat in profundum, lucra vitæ aufert, mortis facit subire naufragium. Est ergo febris, est febris quam beatus Apo- B stolus anhelare in humanis visceribus sic deplorat: *Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum* (*Rom.* VII) : si non bonum, utique malum. Quod malum ? Fragilitas certe, quæ dum serpit in carne, in venis æstuat, intrat ossa, conditur in medullis, fervet in sanguine, in vitiorum phrenesim sic erumpit. Fragilitas febris naturæ, languorum mater, genitrix passionum; fragilitas est, quæ nobis [b] ejusmodi necessitates imponit : et ubi necessitas, non voluntas; ubi exstat de conditione captivitas, judicium de potestate non constat. Fragilitas est per quam vadit homo, non quo invitat voluntas, sed quo necessitas ducit. Audi Apostolum dicentem: *Non quod volo hoc ago* (*Rom.* VII). Fragilitas dum parat homini necessaria, facit illum ad non necessa- C ria pervenire; dum parat cibum, perducit ad crapulam; ebrietatem suadet, dum potum ministrat; offert somnum, ut inertiam tradat; curat ventris onera, ut salutis auferat curam; dat carni totum, ut animæ nil relinquat: facit corpus passionum pompam; facit ut sit homo sui mors, vita vitiorum. Unde si se homo taliter sentit ægrotum, [c] medico se cœlesti tradat, secure ejus monitis acquiescat, a cibis se temperet, mensuram servet [d] in potu, ut possit sic fragilitatis superare languorem, fragilitatem fugere passionum, febrim ac phrenesim vitare vitiorum. Abstinentia est hominis prima medicina; sed ad plenam curam, [e] misericordiæ requirit expensas. Abstinentia exstinguit febrem, sed arefacta membra longæ febris incendio, nisi largo infundantur unguento, nisi blandissimis rigentur fomentis, nisi juventur medicinæ sumptu, ad integram sanitatem redire non possunt : sic jejunium quamvis excludat vitiorum morbos, carnis amputet passiones, criminum causas propellat; tamen sine misericordiæ unguento, sine pietatis rivo, sine eleemosynæ sumptu, perfectam salutem mentibus non reponit. Jejunium B sanat vulnera peccatorum, sed cicatrices vulnerum sine misericordia non emundat. Audi Dominum dicentem : *Date eleemosynam, et ecce sunt vobis omnia munda* (*Luc.* XI). Jejunium singulari cultu evellit vitia, eradicat crimina, ad fructus bonos agrum parat et mentis et corporis : sed nisi misericordiæ fecerit fundamenta, [f] senium est studium jejunantis. Jejunium est sanctitatis hostia, sacrificium castitatis; sed sine misericordiæ incenso ad divinum non potest conspectum in odorem suavitatis ascendere. Quod anima est corpori, hoc misericordiam constat esse jejunio : quando jejunium ex misericordia vivit, tunc vivificat jejunantem. Jejunium, virtutum navis, portat quæstum vitæ, lucrum salutis advectat. Sed qui intrat carnis pelagus, scindit vitiorum C fluctus, inter scopulos criminum transit, præterit littora passionum; nisi cito portum pietatis intraverit, exercere virtutes non potest, lucrum non potest habere virtutum. Qui se stare novit in hujus vitæ lubrico, qui se intelligit carnis viam transire per lapsum, qui se sentit incursionibus ignorantiæ, negligentiæ casibus subjacere, sic jejunium teneat, ut misericordiam non relinquat. Jejunium nobis aperit

[a] Ita restituendum duximus ex ms. Cæsenæ. Editi : *Studio parant abstinentiæ remedio subvenire.*

[b] Editi *jus necessitatis*. An ex ms. Cæsen. medelam loco huic attulimus alii judicent. Lectionem editorum retinuit Mita, et hæc annotavit : « Hoc est debilitas nostra, quæ et fomes, seu concupiscentia dicitur. Humana natura post lapsum primi parentis D proclivis facta est ad malum : et ubi vulgata lectio psalm. CII ait : *Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum, recordatus est quoniam pulvis sumus*, paraphrastes Chaldæus legit : *Quoniam ipse novit fomitem pravum, qui peccatum suggerit.* Job quoque, de homine loquens, ait : *Consumetur velut tinea;* etenim sicut tinea nascens ex ligno, vel panno laneo, instar filii viperæ conradit viscera matris, ita fomes peccati intra nos originali labe infectos exoriens quantum est ex se, nisi divina gratia detineatur, spirituale humidum radicale absumit, et nos infirmiores ad difficultates superandas et imbecilliores reddit. Fomes est appetitus sensitivus justitia originali destitutus, qui suapte natura inclinat ad sequendum suavia, et delectabília sibi, etiamsi sint contra dictamen rectæ rationis, qui ab Apostolo, Rom. VII, *peccatum* vocatur; vel quia processit a peccato originali, vel quia vehementer, non vero necessario ad peccandum inclinat. Quod autem fragilitas jus necessitatis imponat, declarat Bellarminus in psalm. XXIV, vers. 18, in quo David orat Deum dicens : *De necessitatibus meis erue me.* Subdit Bellarminus : *Necessitates autem a quibus liberari cupit, videntur esse molestissimæ illæ concupiscentiæ quæ, velimus nolimus, nos vexant, et aliquando in peccatum pertrahunt.* S. Augustinus, serm. 13 de Verbis Apostoli, inquit : *Prorsus si defuerit auxilium Dei, nil boni agere poteris; et nisi ille regat, cadis; nisi regat, jaces.* Optime Viguer. in Epist. ad Rom. VII, versus finem, videndus. » *Necessitates*, inquit Chrysologus lato modo, quæ scilicet impellunt, non quæ vim faciunt.

[c] Chrysostomus, tom. V homil. 31 : *Ne mihi dicas, Peccavi, quid agam? Medicum habes infirmitate superiorem; medicum habes morbi naturam vincentem; medicum habes sola voluntate curantem et qui potest si vult.* Macarius, homil. 26 : *Medicus cognominatus est, quoniam cœlestem et divinam suppeditat medicinam, et morbos animæ sanat.*

[d] Editi nonnulli cum ms. Cæsen., *in posterum.*

[e] Eleemosynis enim peccata sunt redimenda.

[f] Senium est decrepita ætas. Hinc David : *Usque ad senectam et senium.* Comparat hic Chrysologus jejunium misericordia destitutum senio, ætati omnium infirmissimæ, baculoque indigenti. Sic jejunium labat, egetque fundamento misericordiæ. MITA.

cœlum, jejunium nos intromittit ad Deum; sed nisi tunc adfuerit nobis misericordia nostrarum patrona causarum, qui de innocentia constare non possumus, securi de venia non erimus, dicente Domino: *Judicium sine misericordia illi qui non fecerit misericordiam* (*Jac.* II). Dies gratus, sed gratior est serenus: erit ergo jejunium nostrum illo clarius, si nobis Quadragesimæ dies splendor misericordiæ dat serenos. Clamat Deus: *Misericordiam volo* (*Osee* VI). Homo, da Deo quod vult, si vis tibi dari a Deo quod vis. *Misericordiam volo* Dei vox est, Deus a nobis misericordiam petit, et si dederimus quid dicturus est? illud quod hodie lectum est: *Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi potum.* Et quid? *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV). Qui dederit esurienti panem, dabit sibi regnum; negabit sibi fontem vitæ, sitienti aquæ calicem qui negarit. Amore pauperis Deus suum regnum vendit: et ut emere illud omnis homo possit, fragmentum panis ponit in pretium, quia vult habere omnes, qui tantum petit pretii quantum hominem scit habere. Deus regnum suum fragmento panis vendit; quis excusare poterit non ementem, quem tanta vilitas venditionis accusat? Fratres, prandium nostrum sit pauperis cœna, ut mensa Christi nostrum paretur in prandium, promittente ipso, cum dicit: *Manducabitis in mensa mea in regno meo* (*Luc.* XXII). Fratres, sint deliciæ pauperum nostra jejunia, ut temporale jejunium nostrum in æternas possit nobis delicias immutari. Homo, dando pauperi das tibi; quia quod pauperi non dederis, habebit alter. Tu solum quod pauperi dederis, hoc habebis.

SERMO XLII.

De eisdem.

Jejunii bona, fratres, prout potuimus, superiori sermone perstrinximus; et quod esset oratio cognata jejunio, patefecimus ipsa conclusione sermonis. Sed quia jejunium sine misericordia deficit, jejunium sine pietate jejunat, sine miseratione infirmatur oratio, oratio sine largitate lassescit, reficiamus nostrum misericordiæ exhibitione jejunium, orationem nostram pietatis erigamus auditu, adhibeamus jejunio misericordiam patronam: quia fames est avaritiæ jejunium sine misericordia, cupiditatis pœna est sine pietate jejunium; [a] ultio, non devotio est, non Deo jejunare, sed sæculo; atterere se abstinentia, et hydropi [b] cupiditati inflari; exonerare ventrem cibis, et mentem pecuniæ pondere prægravare. Ipsum se redigit in sacculum, qui pecuniam nescit prorogare, sed claudere: iste alienorum custos, non dominus est suorum; quia parat alii, negat sibi, cum misericors eroget quod avarus oppressit. Est ager cultus sine semine, sine miseratione jejunans. Ager cultus caret sentibus, vitat gramina, evadit totum quod est negligentiæ, quod est squaloris. Sed sicut sine semine fit sterilis, ipso cultu fructum non dat, dat laborem, et ad bonam frugem non valet pervenire; jejunans ita recolit animam, purgat sensus, cor mundat, abscindit vitia, eradicat crimina, dat menti cultum, corpori dat decorem; sine misericordia ad fructum vitæ non pervenit, ad salutis præmium non vadit. Quod est sine rege aula regia, hoc est sine largitate jejunium. Aula regis fulget auro, nitet marmore, picturis splendet, grandescit spatiis, levatur culmine, [c] amœnatur viretis, [d] ipso terribilis est secreto: sed sine rege honorem non habet, caret gloria, est vacua solitudo, est clausa eremus, est horribilis solitudo. Sic jejunium lucet innocentia, radiat castitate, fulget actu, [e] pingitur moribus, incessu micat, sanctitatis toto magnificatur ornatu; sed sine misericordia gloriam non habet, mercede caret, palmam non tenet, perdit fiduciam supplicandi, impetrandi meritum non capescit, attestante Scriptura, quæ dicit: [f] *Qui claudit aurem ne audiat infirmum, et ipse clamabit, et non erit qui exaudiat* (*Prov.* XXI). Quomodo petet misericordiam, qui negavit? *Judicium*, inquit, *sine misericordia fiet illi, qui non fecerit misericordiam* (*Jac.* II). Misericordiam, qui non dat alteri, tollit sibi. Misericordia sibi erit, qui spargit pauperi. *Dispersit*, inquit, *dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi* (*Psal.* CXI). Misericordiam qui seminat inopi, sibi metet. *Qui seminant*, inquit, *in lacrymis, in gaudio metent* (*Psal.* CXV). Non sic imber infundit terram, quomodo jejunium lacrymæ rigant pauperum. Homo, in lacrymas pauperum jacta semina jejunii tui; quia siccantur jejunii virtutes, arescunt jejunantium messes, quæ pauperum fletibus non fuerint irrigatæ. Cœli pluvia infundit terram, lacrymæ pauperis cœlum rigant; ergo sitit cœlum, et exspectat de ploratu pauperum vicem roris; quia misericordia arat cœli campos, sulcos ducit pietas per superna, illic misericordia seminat; quia quæ susceperit manus pauperis, ibi metit; ibi segetem colligit, qui semen suum pauperi commiserit hic serendum. Beatus cui seminanti sic æterna horrea perpetem præparantur ad vitam. Hunc serentem B. Apostolus perscribebat, cum diceret: *Hoc autem dico: Qui parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet: unusquisque sicut proposuit cordi suo, non ex tristitia aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus* (II *Cor.* IX). Magna sunt opera Domini, sed magnitudinem præcellit misericordiæ magnitudo: nam cum dixisset propheta: *Magna opera Domini* (*Psal.* CX), adjecit alibi: *Misericordiæ ejus super omnia opera ejus* (*Psal.* CXLIV). Misericordia, fratres, implet cœlum, replet terram. *Domine*, inquit, *in cœlo misericordia tua* (*Psal.* XXXV). Et idem ipse: *Misericordia Domini plena est terra*

[a] Quasi quamdam sumat de se ipso, ob avaritiæ cupiditatem, vindictam.
[b] Alias, *cupiditate.*
[c] Insolens locutio, pro: amœna fit viretis.
[d] Regium penetrale ingredi sine pœna nemini injusso licet. Alibi observatum.
[e] Elegantiorum morum varietate exornatur.
[f] Juxta versionem LXX.

(*Psal.* XXXII). Et revera, fratres, periisset totum quod Deus fecerat, nisi misericordia subvenisset. Culpa et ultio quidquid in hunc mundum venerat, auferebant; quia et fragilitas semper tendebat ad lapsum, et cogebatur ad vindictam semper censura judicantis. Sic angelus dejicitur e cœlo (*Isa.* XIV); sic de paradiso exsulat homo (*Gen.* III); sic mundus diluvio deletur (*Gen.* VII); sic gentes confunduntur linguis (*Gen.* XI), dantur gladio (*Gen.* XIV); sic exuruntur urbes incendio divino (*Gen.* XIX); sic ex Ægypto plebs educta in eremo occulebatur (*Exod.* XIX); sic terra hians vorat populum (*Num.* XVI); et ne multis, sic Judæam ultor Christi sanguinis Romanus [a] delevit exercitus (*Matth.* XXIV). Hæc est Christi magna, larga, sola misericordia, quæ judicium omne in diem servavit unum, et homini totum tempus ad pœnitentiæ deputavit inducias; ut quod de vitiis infantia suscipit, rapit adolescentia, invadit juventus, corrigat vel senectus; et de peccato vel tunc pœniteat, quando sentit jam se non posse peccare; et tunc saltem reatum deserat, quando illum reliquerit jam reatus; faciat de necessitate virtutem, moriatur innocens, qui totus vixit in crimine. Hinc est quod propheta ad misericordiam currit totus, quia fiduciam de sua justitia non habebat: *Miserere*, inquit, *mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam* (*Psal.* L). Et quare magnam? *Quia misericordia tua*, inquit, *magna est super me; et eruisti animam meam ex inferno inferiori* (*Psal.* LXXXV). Et si Deus reddit per misericordiam quod per judicium deperierat, homo, tibi quid stare, quid constare sine misericordia tu putabas? Probatum est ergo tibi non jejunium solum, sed omnes sine misericordia nutare virtutes. Abraham cœlestis convivii principem, humanitas ardens, Deo impensa, perficit (*Gen.* XVIII): nam quia duos cum Deo terrenam suscepit ad mensam, Orientis et Occidentis populum mensam suscepit ad cœlestem. *Venient*, inquit, *ab Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac, et Jacob in regno cœlorum* (*Matth.* VIII). Loth, quia hospitio suscepit angelos, judicium prævenit (*Gen.* XIX). Hinc gehennam vicit in carne, misericordem nescit divinus ignis exuere. Facit ergo misericordiam, qui vult gehennæ incendium non timere. Denique veniens Christus ante de misericordia disputat quam judicet de reatu. *Cum sederit*, inquit, *super thronum gloriæ suæ dicet: Esurivi, et non dedistis mihi manducare* (*Matth.* XXV). Non dixit, Occidistis, furtum fecistis; sed Esurivi ego, et non dedistis mihi manducare. De crimine non [b] præstabit causas, cui de misericordia causa constabit. Quare? quia *Date eleemosynam, et ecce sunt vobis omnia munda* (*Luc.* XI). Non judicabitur de culpa, cui de largitate laus defertur a judice; vindictam non exigit, humanitatis debitum qui fatetur. *Esurivi*, inquit, *et non dedistis mihi manducare* (*Matth.* XXV). Manducat Deus in cœlo panem quem perceperit pauper in terra. *Quamdiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV). Da ergo panem, da potum, da vestimentum, da tectum, si Deum debitorem, non judicem vis habere; nihil nos nocebit in terra, si nobis in cœlo misericordia sit patrona.

SERMO XLIII.

De oratione, jejunio et eleemosyna.

[c] Populis populariter est loquendum; communio compellanda est sermone communi; omnibus necessaria dicenda sunt more omnium; naturalis lingua chara simplicibus, doctis dulcis: docens loquatur omnibus profutura; ergo hodie imperito verbo veniam dent periti. Tria sunt, tria, fratres, per quæ stat fides, constat devotio, manet virtus. Oratio, jejunium, misericordia. Quod oratio pulsat, impetrat jejunium, misericordia accipit. Oratio, misericordia, jejunium, sunt hæc tria unum, dant hæc sibi invicem vitam. Est namque orationis anima jejunium; jejunii vita misericordia est. Hæc nemo rescindat, nesciunt separari. Horum qui unum [d] tantum habet, vel ista qui simul non habet, nihil habet. Ergo qui orat, jejunet; qui jejunat, misereatur: audiat petentem, qui petens optat audiri; auditum Dei aperit sibi, qui suum supplicanti non claudit auditum. Jejunium jejunator intelligat; esurientem sentiat, qui vult Deum sentire quod esurit; misereatur, qui misericordiam sperat; pietatem qui quærit, faciat; qui præstare sibi vult, præstet. Improbus petitor est, qui quod alii negat sibi postulat. Homo, esto tibi misericordiæ [e] forma; sic quomodo vis, quantum vis, quam cito vis, misericordiam tibi fieri; tam cito aliis tantum, taliter ipse miserere. Ergo oratio, misericordia, jejunium, sint unum patrocinium pro nobis ad Deum, pro nobis hæc advocatio sint una, una hæc pro nobis oratio sint triformis. Hæc sunt, fratres, hæc sunt quæ tenent cœli arcem, quæ [f] secretum Dei judicis pulsant, quæ ante tribunal Christi causas humani generis exsequuntur, quæ injustorum petunt indulgentiam, reorum veniam promerentur. Hæc cui in cœlestibus non assistunt, ipse non subsistit in terris; hæc cum teneant in cœlestibus principatum, in terris rerum summam moderantur; hæc regunt prospera, hæc adversa propellunt; vitia exstinguunt ista, virtutes ista succendunt; hæc reddunt casta corpora, corda pura, hæc pacem membris, mentibus dant quietem; humanos ista sensus scholam faciunt disciplinæ, per hæc in templum Dei pectora humana consurgunt; hæc hominem præstant angelum, homini Deitatis deferunt hæc honorem. Hinc est, quod fit

[a] Innuit eversionem Hierosolymorum sub Tito et Vespasiano.

[b] Præstare causam, idem est ac in judicio sisti.

[c] S. Augustinus, de Trinit. lib. XIV cap. 15, ait: *Nisi popularia præponerentur, deficeret fides simplicium.* Vide ut pro auditoribus accommodate Auctor noster loquatur, et ut Latino sermone utatur in declamandis homiliis, ut serm. 159. MITA.

[d] Corruptum in editionibus locum ex ms. Cæsenæ restituimus.

[e] Scilicet vel regula, vel exemplar, vel norma, ut inferius.

[f] Penetrale, interiora domus, ut superius: *terribilis est secreto.*

horum suffragio [a] Moyses Deus (*Exod.* III), et ad triumphos militares sibi omnia mandat elementa : jubet mare discedere, durari undas, profunda siccari (*Exod.* XIV), cœlum pluere; dat frumenta, ventos spargere cogit carnes (*Exod.* XVI); noctem splendore [b] solis illustrat, solem nubis temperat velamento (*Exod.* XIII); petram percutit, ut de recenti vulnere frigida sitientibus [c] det fluenta (*Num.* XX); primus dat terris legem cœli, scribit vitæ normam, figit terminos disciplinæ (*Exod.* XXIV, XXXV). Per hæc Elias nescit mortem, relinquit terras, [d] cœlos intrat, commoratur angelis, convivit Deo : et terrenus hospes supernas possidet mansiones (IV *Reg.* II). Per ista Joannes [e] fit angelus in carne, cœlestis in terra, et auditu, visu, tactu, totam solus capit, tenet, [f] complectitur Trinitatem. Et nos, fratres, si volumus Moysi gloriæ, Eliæ vitæ, Joannis virtutibus, omnium sanctorum meritis applicari, insistamus orationi, vacemus jejunio, misericordiæ serviamus. Qui in his vixerit, qui per ista fuerit communitus, jacula peccati, diaboli tela, mundi machinas, [g] vitiorum cuneos, mala carnis, voluptatum laqueos, arma mortis, Christianus armiger, bellator Dominicus non timebit. Sed nos qui ad incerta consurgimus, qui inter insidias diem ducimus, qui horarum varietates, momentorum motus, verborum lapsus, actuum pericula sustinemus, quid est quod ecclesiam mane nolumus intrare? Quid est quod [h] matutina prece totius diei custodiam nolumus postulare? quid est quod homini astare toto tempore libet, et Deo assistere nec puncto libet? Non est nostrum, fratres, non est nostrum; inimici est ista surreptio, decipere parat quos non patitur orationibus communiri. Quid de adversis queritur, qui sibi prospera non precatur? Audiamus vocem Dei monentem : *Orate, ne intretis in tentationem* (*Matth.* XXVI). In tentationem vadit, qui ad orationem non vadit. Hoc sciens propheta, cantabat : *Venite adoremus, et procidamus ante eum : et ploremus coram Domino qui fecit nos* (*Psal.* XCIV). Putasne ante Deum lacrymas fundere dignatur, qui verba non dignatur expromere? [i] Manicemus, oremus, vel humano timore, si non amore divino; si non invitati bonis, vel coacti malis. Mala tempora facit nobis contemptus Dei, temporum cursus non facit. Quod ergo contemptu perdidimus, jejuniis conquiramus : animas nostras jejuniis immolemus, quia nihil est quod Deo præstantius offerre possimus, probante propheta, cum dicit : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non spernit* (*Psal.* L). Homo, offer Deo animam tuam, et offer oblationem jejunii, ut sit pura hostia, sacrificium sanctum, vivens victima, quæ et tibi maneat, et data sit Deo. Hoc qui non dederit Deo, excusatus non erit, quia daturus se non potest non habere. Sed accepta ut sint ista, misericordia subsequatur; jejunium non germinat, si de misericordia non rigetur, siccatur jejunium misericordiæ siccitate : quod imber terris, hoc jejunio misericordia est. Quamvis cor excolat, carnem mundet, eradicet vitia, virtutes serat; si misericordiæ fluenta non dederit, fructum non colligit jejunator. Jejunator, ager tuus misericordia jejunante jejunat; jejunator, quod tu in misericordia fuderis, tibi in horreo hoc redundat. Homo ergo, ne servando perdas, collige prorogando; homo, dando pauperi, da tibi : quia quod tu alteri reliqueris, non habebis.

SERMO XLIV.

De consilio impiorum, via peccatorum, et cathedra pestilentiæ, in psalmum I.

Peritus medicus, quoties vario languore defessis plenam desiderat conferre medicinam, altas aperit morborum causas, latentes pestilentiæ exponit incursus, pestiferas caveri commonet regiones, quamplurima remediorum genera demonstrat, herbarum vires pandit, medicamentorum loquitur qualitates, obedientibus promittit longissimam sanitatem : sic ægros arduas et asperas suadet et perducit ad curas. Hinc est quod propheta sanctus, corporis animæque medicinam cœlitus prolaturus, impietatis profundos [j] patefacit recessus, opertos peccatorum nudat mor-

[a] Theodoretus, dialog. 2 pag. 56 : *Typus erat ille* (Moyses) *et figura veritatis. Typus autem non habet omnia quæ habet veritas. Quamobrem non erat ille quidem natura Deus; et tamen appellatus est Deus, ut typum impleret.*

[b] Ms. Cæsenæ et Vatic., *Noctem splendor illustrat.* Mita, *Noctem splendore ignis illustrat.* Fortasse melius, certe ad sacram historiam accommodatius.

[c] Ita Vatican. Vallicell. et editio Mitæ. Ms. Cæsenæ, *defluant flumina.*

[d] Aliæ, *cœlum.* De Eliæ assumptione non eadem veterum est sententia. Nonnulli, sequentes versionem LXX Interpretum, dicunt eum non in cœlum assumptum, *sed tamquam in cœlum.* Vide Theodoretum in psalm. XXIV pag. 486; Athanasium, orat. de Assumptione Christi, tom. II pag. 4; Œcumenium, in cap. I Actor. pag. 4. Alii vere ipsum in cœlum assumptum docent : Chrysostomus, homil. 2 ad popul. Antioch., tom. I pag. 37 edit. Paris.; Nazianzenus, orat. 34 pag. 549; Tertull. lib. V adversus Marcionem cap. 12 pag. 795; et hoc idem docet Scriptura.

[e] Nyssenus, orat. in die Natal. Christi, tom. III pag. 345 : *Magnus inter prophetas, et angelis æqualis præcursor.* Theophylactus in cap. VII Lucæ pag. 352 : *Angelus Joannes fuit, fortasse quod angelicam vitam egerit, fortasse etiam quod adventum Redemptoris nuntiavit.* Cave autem ab errore eorum qui, ex cap. Joan. I, 6, asseruere Joannem non hominem, sed purum putum fuisse angelum, quos confutat Cyrillus Caten. in cap. I Joan., 6.

[f] Hoc est hominum solus præ cunctis tribus sensibus, nempe auditu, visu, et tactu tenet, et complectitur Trinitatem; hoc est sensibus ipsis quantum in se est apprehendit, intelligit et comprehendit Trinitatem : quia tangit Filium quem baptizat; videt Spiritum sanctum in specie columbæ supra Filium descendentem; et audit vocem Patris de nube intonantem : *Hic est Filius meus.* MITA.

[g] Uti serm. 13 dixerat, *castra vitiorum.* Cuneus translate peditum multitudo in cunei formam. Vegetius, lib. III cap. 19. Vide infra serm. 174, ex Mita.

[h] Mos erat veteribus Christianis ante lucem ad ecclesias convenire, ibique orationi, et divinæ psalmodiæ vacare. Vide epistolam Plinii ad Trajanum, observationibus Vossii illustratam.

[i] Corrupte in pluribus editis, *magnificemus; manicare* enim idem est ac *mane surgere.*

[j] Alias, *patefecit.*

bos, iniquitates ostentat, secretum virus, vitiorum naturas, origines delictorum, radices criminum mirabili ratione depromit. Sic ægras mortalium mentes moderatione pia, pro ætate, pro sexu, pro tempore, pro viribus ad salutem perpetim divina curatione perducit. Psalmus quem hodie cantavimus, [a] Psalmorum præfatio est, immo et Psalmorum psalmus, titulorum titulus; est argumentum generans argumenta, est tota causa sequentium canticorum. Et sicut clavis aulæ regalis, ubi primam januam patefecit, [b] penetrabiles reddit intimas ac multiplices mansiones; ita psalmus iste, ubi reseraverit aditus intelligentiæ primos, psalmorum omnium pandit mysterium, pandit secretum. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit* (*Psal.* I) *Beatus vir* : sicut dimicaturo cum bestiis, et gravissimorum certaminum discrimina subituro, pronuntiantur ante bravia, præmia, coronæ; propheta beatitudinem sic præmisit, ut provocaret hominem, [c] totam, quam post enumerat, criminum vincere feritatem. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit.* Quod in consilio abire, et in via stare dixit, forsitan videatur absurdum, cum in consilio consistere et in via abire, magis hominum sit in usu. Perversa quidem sunt universa perversis, nec possunt tenere ordinem, quæ per ordinem non aguntur. Tamen hic propheta non de corporis loquitur, sed mentis incessu; neque prohibet pedum lapsus, sed ruinas arcet animarum. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum.* Abiit, abiit a se, a Deo impius cum recessit; nec stat in consilio, impiis cogitationibus qui vagatur. Iste [d] modo fertur ad cœlum, modo refertur ad terras, jactatur per maria, levatur fluctibus, mergitur in profundo : cumque sua semper mente volutetur ut ebrius, non se computat, et [e] computat cœlum. Qui [f] se scire existimat totum, se nescit; qui si sciret se, numquam cœlum, solem, lunam, ligna, lapides adoraret, quæ sunt omnia suæ data et subdita servituti; sed adorat lapidem, servit ligno, qui Deo vivo, Deo vero servire contempsit. Et ut ab ipso principio rerum, impietatis facta replicemus, [g] impietatis consilium perduxit ad inferna, angelum de supernis, nuntium cœlestis secreti in diabolum commutavit, hominem de regimine vitæ ad mortalis habitaculi transmisit exsilium, de paradisi deliciis ærumnosos sæculi pepulit ad labores; mulierem de virginitatis gloria gemitus conscios dejecit ad partus. Inde est quod antequam gaudeat, non ignorat dolores, et solvit ante de reatu pœnam, quam sobolis gaudeat de processu. *Multiplicans*, inquit, *multiplicabo tristitias tuas et gemitus tuos; in tristitia et gemitu paries filios* (*Gen.* III). Qualis finis est, ubi est origo pœnalis? in vita lætitia quem tenebit, qui vitæ sumit exordium de mœrore? Hoc propheta noverat qui dicebat : *In iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea* (*Psal.* L). Si sic, fratres, ab utero in viam projicimur peccatorum, et delictorum iter totas currimus per ætates, cogitemus infantiæ vanitates, adolescentiæ lapsus, juventutis ruinas, senectutis morbos, et tunc nos non viam vitæ, sed peccatorum viam carpere sic videbimus. Hanc viam notat Christus, sic dicendo : *Quam lata et spatiosa via quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam* (*Matth.* VII). Delictis lata, diffusa fluctibus, criminibus spatiosa, et vere via est vita præsens, in quam venit et vadit homo. *Generatio*, inquit, *vadit, et generatio venit, et terra in æternum stat* (*Eccl.* VII). Et ideo ante dixit : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit.* Non dixit, Non venit; nemo enim in viam non venit peccatorum, in qua nos lex ipsa naturæ perducit et mortis; sed Beatus ille qui non stat in ea. Stat ille, ille demoratur in ea, qui levat onera peccatorum, et onustus viator tarde pervenit, et cœlestem clausam sibi invenit mansionem. Istis ponderibus impeditus flebat propheta, dicens : *Iniquitates meæ superposuerunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Et quia toto vitæ tempore has ferebat, exclamat : *Miser factus sum, et incurvatus sum usque in finem* (*Psal.* XXXVII). Peccatorum viam viator ille pertransit, qui mala hujus vitæ videt, sed despicit; sentit, sed calcat; patitur, sed vincit; et dum fugit illa, plus currit : unde illi occurrit cœlestis janitor, cœlestis illi mansio se non claudit. Sed quid est quod peccatorum viæ impietatis consilium sic præmisit : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit?* Quia etsi natus homo mox peccatorum venit in viam, jacet tamen primum : non mox peccati currit in viam, sed ubi cœperit impietatis venena gustare, tunc [h] saporem trahit de pinguedine peccatorum. Impius in Deum tendit, a Deo vadit cum delinquit; peccatores Deus contemnit, qui ante mandavit non debere peccare. Lucem tenebræ fugiunt, tenebræ luce redeunt abscedente : ubi Deus, peccatum nullum; ubi peccatum, non ibi Deus. Et ut scias, homo, a conspectu Dei hominem viam cursitare peccatorum, audi prophetam : *Non est Deus in conspectu ejus, polluuntur viæ ejus in omni tempore* (*Psal.* IX). Gravius ergo homo tunc in via labitur peccato-

[a] Revera a pluribus, et tantum non omnibus enarratoribus, psalmus hic habetur veluti procœmium et summa omnium psalmorum.

[b] Ex Ms. Vatic. Editi omnes, *penetrales.*

[c] Ms. Cæsenæ, *Tantam.*

[d] Alii quoque interpretes ex phrasi Hebræa explicant locum psalmi de impiis, qui inquiete et indesinenter male agunt, tamquam mare, quod quiescere nequit, inquit Vatablus, unaque secum Pineda et Cocceius. Vide Isai. LVII, 20; Proverb. IV, 16.

[e] Plurimi cœlum facit quod adorat, etc., cum te nihil faciat. MITA.

[f] Arrogantiam peccatorum describit; et in hoc quidem psalmi loco, in Hebræo, pro *impiorum* legitur *derisorum.* Mali enim per arrogantiam pios irridenti, explicat Du Hamelius.

[g] Videlicet sententia, institutum, propositum impiorum.

[h] Impius cum in profundum venerit, in impietate sua lætatur, et gaudet.

rum, quando in ea per prærupta impietatis illabitur. *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.* Impietatem probat qui facit, amat; qui amat, non potest non docere: hinc est quod docens impietatem, pestilentiæ [a] residet in cathedra, et sermone mellito virus doctrinæ lethalis [b] audientibus sic diffundit. Pestilentiæ cathedram philosophiam posuit, quæ docuit, aut deos multos; aut eum qui est, vel non esse, vel [c] non posse docuit inveniri; qui ipsam creaturam naturæ dedit, ut naturæ negaret Auctorem. Cathedram pestilentiæ Pharisæus proposuit, [d] qui traditiones humanas decretis cœlestibus anteponens, vastam [e] lucem fudit populo Judæorum. In cathedra pestilentiæ hæreticus sedit, qui sub specie fidei, scindit, rumpit, distrahit unitatem. *Beatus* ergo *vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit.* Et plane beatus, quia ista tria declinando ad Trinitatis beatitudinem meruit pervenire. Meditetur ergo in lege Domini, et meditetur die ac nocte, ut quæ sequuntur mereatur videre in futuro, et audire latius tempore competenti.

SERMO XLV.

De homine fragili Deum orante, ne se arguat in ira; in psalmum VI.

[f] Responsorium quod hodie propheta supplicante cantavimus, opportunum tempori, aptum malis præsentibus mecum vestra probat et cognoscit affectio. *Domine*, inquit, *ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me* (*Psalm.* VI). Et Deus tumescit ira? calescit furore? absit, fratres. Deus nec subjacet passioni, nec ira accenditur, nec furore turbatur: sed ira Dei est delinquentium pœna, furor Dei est supplicium peccatorum. Fratres, pulvere concreti, plasmati luto, calcamur vitiis, subdimur delictis, curis conficimur, arescimus membris, morte dissolvimur, fetidis horremus sepulcris, et sic inhabiles ad virtutes, ad vitia habiles invenimur. Propheta ergo memor fragilitatis humanæ, et carnalis substantiæ conscius, quia non confidebat de meritis, ad auxilium misericordiæ convolavit, ut Dei constaret circa eum de pietate, non de severitate judicium. *Domine, ne in ira tua arguas me.* Hoc est dicere, argue me, sed non in ira; corripe me, sed non in furore: argue me ut pater, non ut judex; corripe me non ut dominus, sed ut parens; argue me, non ut perdas, sed corripias; corripe me, non ut interimas, sed emendes: et hoc quare? quoniam infirmus sum. *Miserere*, inquit, *mei, Domine, quoniam infirmus sum.* Quid infirmius homine, [g] quem sensus fallit, ignorantia decipit, circumvenit judicium, pompa lædit, tempus deserit, mutat ætas, hebetat infantia, juventus præcipitat, senectus frangit? Huic ergo Deum irasci in ira, indignari in furore, non est creatoris pii, sed est severissimi cognitoris. *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum.* Et quid vis? [h] *Sana me, Domine.* Sentit iste status sui vulnera, sentit morsum serpentis antiqui, sentit primi parentis ruinam, agnoscit se ad has infirmitates venisse nascendo, agnoscit se ad mortem naturaliter pervenisse: et quia mortem removere non poterat ars humana, divinam cogitur expetere medicinam; et ut facilius ægritudinis suæ impetret curam, ipsius ægritudinis causas aperit, qualitates narrat, magnitudinem pandit, exprimit vim doloris. *Sana me, Domine.* Quare? *Quoniam conturbata sunt ossa mea.* Totam structuram corporis [i] ossa portant; et si ossa turbantur, quæ membrorum firmitas? quæ fortitudo nervorum? ubi carnis miseranda substantia? Turbantur ossa, fratres, peccatorum pondere, metu mortis, terrore judicii. Audi ipsum alibi hoc dicentem: *Non est*, inquit, *sanitas in carne mea a facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum* (*Psal.* XXXVII). Et post: *Anima mea impleta est illusionibus, et non est sanitas in carne mea.* Merito ergo addit: *Et anima mea turbata est valde.* Inter Dei præcepta et cordis passiones, inter virtutes et vitia, inter adversa et prospera, inter

[a] Atque ita significat eum esse impietatis doctorem. Sedere enim demonstrat in psalmo doctrinam impiorum, vel audire, vel docere: nam docentes et audientes sedent. Progreditur autem per gradus: ambulare minus est quam stare, et stare minus est quam sedere.

[b] Theodoretus ad hunc locum pag. 400: *Solet sacra Scriptura eos nominare pestilentes, qui non solum seipsos labefactant, sed etiam cum cæteris labem communicant: instar morbi qui et pecudes et homines invadit, cujus participes etiam fiunt qui ægrotantibus appropinquant.*

[c] Gentilium errores pulsat, qui unum Deum vel negarunt, vel nostra non curare, vel quo loco resideat resciri non posse docuerunt.

[d] Hoc eis exprobrat Christus in Evangelio: *Quare et vos transgredimini mandatum Dei, propter traditiones vestras.* Matth. XV.

[e] Hoc est lumen immensum, quod populus Hebræorum habebat, prostravit, dissipavit, ad interitum reduxit. MITA.

[f] Hoc nomine innuebant cantum, in quo cantori, singulos singillatim psalmi cujusdam versiculos canenti, chorus, eosdem versiculos repetens, respondebat. Qui ritus initio Ecclesiæ in Christianis conventibus videtur admissus, utpote quo faciliori modo plebs etiam imperita psalmos concinere ediscceret. Id patet ex Eusebio lib. II Histor. Eccles. cap. 17, interprete Rufino, ubi referens ea, quæ de Essenis tradit Philo Judæus, ita demum concludit: *Quæ omnia supradictus vir eodem ordine eademque consequentia quæ apud nos geruntur expressit: et unus ex omnibus consurgens in medium, psalmum honestis modulis concinit, atque ei præcinenti unum versiculum omnes respondent.* Exempla si vis, adi Martene de Antiq. Eccles. Discipl. pag. 19 num. 7.

[g] Animi et corporis morbos una simul conjungit. Genebrardus ita explicat ipsa verba psalmi videlicet: *Fragilis sum corpore, et animo proprie excisus.* Et pars una interpretum loqui de corporalibus, altera de spiritualibus infirmitatibus docet. Utrasque complectitur Chrysologus.

[h] Augustinus: *Quid ergo iste orat, qui non vult in ira Domini redargui, vel emendari? quid, nisi ut sanetur?*

[i] Hanc eamdem explicationem hujusmodi verbis David, alii interpretes quoque tribuunt. Et vere in ossibus est robur corporis, sine quibus rependum esset. Vel ossa ponuntur pro toto corpore. Sic alibi ossa dicuntur *laudare Dominum*, psalm. XXXIV, 10; *exsultare*, psalm. L, 10; *terreri*, Job. IV, 14; *marcescere*, XXXIII, 19; *pace destitui*, psalm. XXXVII, 4.

pœnas et præmia, inter vitam et mortem, stans in acie, bella sustinens, suscipiens vulnera, raro stans, occumbens sensu, turbatur anima, [a] turbatur valde, quia carnis impedita ponderibus, priusquam ad virtutes veniat, vitiorum fit ante captiva. Hæc bella describit Apostolus, cum dicit : *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem : ut non quæ vultis, illa faciatis* (*Gal.* v). Et alibi : *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati* (*Rom.* VII). Allegans ergo beatus propheta has infirmitates, hæc bella, has animorum turbationes, Deum tali voce convenit : *Et tu, Domine, usquequo?* [b] Hoc est, quousque pateris? quousque dissimulas? quousque non subvenis? quousque dissipari opus tuum, deleri imaginem tuam, tuam tibi creaturam perire permittis? Ubi est Christus tuus toties nuntiatus per legem, per nos, per prophetas multifarie repromissus? Veniat, veniat, priusquam pereunte sæculo, in sæculo nil inveniat quod resalvet. Veniat, veniat, ut carnem reparet, innovet animam, ipsam naturam in cœlestem commutet substantiam. Veniat, ut peccatum tollat, mortem deleat, destruat infernum, vitam reddat, donet cœlum, ne amplius terrena labes possit in nobis invenire quod perdat. Hoc autem petere prophetam, sequens sermo demonstrat, *Convertere, Domine.* Homo Deo, reus judici, addictus sic loquitur cognitori? *Convertere, Domine.* Homo peccat, et Deus convertitur? Ita, fratres, quia juxta prophetam : *Iste peccata nostra portat, et pro nobis dolet* (*Isa.* LIII, *juxta LXX*). Et beatus Joannes : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I). Suscepit peccatum, ut peccatum tolleret, non haberet. *Convertere, Domine.* Unde? ubi? De Deo in hominem, de domino in servum, [c] de judice in patrem, ut pium conversio te demonstret, quem potestas terribilem comminatur. *Convertere, Domine; libera animam meam.* De inferno inferiori. *Salvum me fac propter misericordiam tuam.* Non propter meritum meum, quem labor afficit, gemitus sauciat, solvunt lacrymæ, ira turbat, impugnat inimicus. Sed hoc ut clareat, ipsa prophetæ decantetur oratio. *Salvum me fac propter misericordiam tuam.* Quare? *Quia non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum : lacrymis meis stratum meum rigabo.* Hoc dicebat sanctus David in regali vertice constitutus : qui sic agebat principatum potestatis humanæ, ut in se sanctitatem spiritus, prophetæ gratiam custodiret, et nos in ira tota Dei positi nescimus dicere : *Domine, ne in furore tuo arguas me.* Terra negat fructus, cœlum temperiem, aer salubritatem : hinc [d] pestilentia ubique diffusa per urbes, per agros vario morborum genere consumit genus omne mortalium, et tamen nos non dicimus : *Domine, ne in furore tuo arguas nos, neque in ira tua corripias nos.* Ille post triumphos gemitibus, noctes et dies lacrymis occupabat; nos sub hostili gladio subjacentes, nulla tempora Deo damus, nullas vel ad horam lacrymas Deo fundimus : sed jugiter rapinis, fraudibus, perjuriis, dolis, detractionibus nosmetipsos tradimus et donamus, ut magis magisque iram Dei in nos fomentis criminum suscitemus. Venite, fratres, venite cum propheta : *Venite, adoremus, et procidamus ante eum, et ploremus coram Domino qui fecit nos* (*Psal.* XCIV); [e] venite, dicamus; *Domine, ne in ira tua arguas nos, neque in furore tuo corripias nos.* Ut memor misericordiæ suæ iram mutet in misericordiam, reddet perdita, captiva liberet; nosque sibi cum lætitia servire jam donet, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLVI.

De exsultatione spirituali et confessione peccatorum, in psalmum XCIV.

Sicut graviter æstuanti, et longo sitis ardore succenso, fons frigidus satis lætus et satis salubris occurrit; ita nobis positis in mœrore, et nimium tribulationum pondere depressis, ad gaudia hodie prophetic̃æ vocis [f] excitat cantilena : *Venite,* inquit, *exsultemus Domino* (*Psal.* XCIV). [g] Venite : quo? vel unde? Ex te, homo, in te, ubi non locorum mutatio, sed conversio sensuum adversa depellit, mœrores fugat, desperationes abjicit, excludit angustias, et intrat domicilium sinceri pectoris, lætitiæ divinæ æternam præparat mansionem. *Exsultemus Domino.* Et ubi est illud : *Beati qui lugent* (*Matth.* V), et *Væ vobis qui ridetis* (*Luc.* VI)? Plane beati qui lugent mundo, et væ qui rident mundo : sed beati qui exsultant Domino, qui nesciunt de rapinis, nesciunt de fraudibus, nesciunt lætari de lacrymis proximorum. *Exsultemus Domino.* Ille exsultat Domino qui verbo, actu, opere, non sibi, sed suo exsultat auctori. *Exsultemus Domino.* Ille exsultat Domino, cui sola et tota lætitia semper est Deus. *Jubilemus,* inquit, *Deo salutari nostro.* Non est ovium vox ista, pastoris est : qui [h] dulci jubilo, et varia modulatione, aut gregem producit ad pascua, aut sub nemore umbroso fessum pecus retinet ad quietem, aut alta collium salubrio-

[a] Augustinus, quem laudat Du Hamelius hic : *Quis non intelligit animam luctantem cum membris suis?*

[b] Sic Genebrardus, Cocceius, Grotius, Pineda, Vatablus. Aposiopesis familiaris exspectanti auxilium et opem. Confer. Genes. XXV, 22; Lucæ XIX, 42.

[c] Pagninus, Arias Montanus, et alii, *convertere ab æstu iræ tuæ.*

[d] Suorum temporum ærumnas et calamitates luget Chrysologus.

[e] Locum hunc allegat Claudius Du Vert *Explication des cérémon. de la messe,* tom. I pag. 90, ut ex eo probet psalmos alternatim cum populo clerum cantasse : quod a me alibi observatum. Inde Augustinus in psalm. CXIX, *quem modo nobis cantatum audivimus, et cantando respondimus.*

[f] Omnes editi : *Exstitit cantilena.* Aperto vulneri nec Mita medicas manus adhibuit.

[g] Est enim in psalmo vox hæc hortantis et excitantis ad peragenda. Nam *eia, age!* apud Hebræos his potissimum particulis, *veni, surge!* exprimi solet.

[h] Jubilus, argutus sonus, unde jubilare, cantare in psalm. LXV. Jubilum pastoralis agrestisque vocis sonum nuncupamus. Laudat hunc locum Du Cangius in Glossario tom. II col. 139.

ris graminis hortatur cupiditate conscendere, aut ad devexa vallium sensim tota necessitate descendere. Sed beatæ sunt oves illæ, quæ sui vocem admittunt pastoris, attrahunt, nutriunt, congregant, et vere pastori suo jubilant : quæ germina sui gregis Domino multiplicare moliuntur. *Prævenіamus faciem ejus in confessione.* Et quis prævenit peccatorum cognitorem, scrutatorem cordium, cogitationum conscium, futurorum præscium, præsentem semper et ubique ? Sed præveniendus est non sensuum vicinitate, sed ingenii sagacitate ; non velocitate pedum, sed provido confessionis obsequio : siquidem non dixit, Præveniamus eum tantum, sed *Præveniamus faciem ejus in confessione.* Hoc est, cum [a] spes misericordiæ est, cum tempus est veniæ, cum pœnitentiæ locus est, confiteamur patri, ne judicem sentiamus ; prodamus quæ fecimus pietati, ne severitati cogamur exsolvere quæ tacemus : [b] dicamus indulgentiæ tempore delicta nostra, ne si tacemus, ad excipiendam sententiam defleamus. Et quid plura, fratres ? non judicem, sed judicium nos hortatur propheta clementissimus prævenire. *Et in psalmis*, inquit, *jubilemus ei.* Ne indicta pectori nostro irrationabilis jubilatio crederetur. *In psalmis jubilemus.* Ut [c] in psalmis divinum resonet sacramentum, et quod ad provectum salutis animos promoveat audientium. *Quoniam Deus*, inquit, *magnus Dominus.* Hic dominici corporis aperit sacramentum, quia Deus etiam in nostro corpore magnus Dominus. *Et rex magnus super omnes deos.* Juxta illud : *Quis similis erit Deo inter filios Dei* (*Psal.* LXXXVIII) ? quia omnes supernæ [d] virtutes cum regant cæteros, ipsæ tamen reguntur a Christo. *Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ.* Quia quæ in manu Dei sunt, sine Deo nequeunt obtineri si dilatare fines, si prorogare terminos, si desideramus amissa revocare. Deum ergo fidei viribus deprecemur, per cujus offensam nobis ista depereunt ; et ipsius propitiatione redeunt ampliata, qui dat sicut vult, tollit, et cum vult ; si reddere non potest, omnipotens non habetur ; multa facit ad suæ majestatis indicium, ad nostræ emendationis et correctionis exemplum. Vacant aliena præsidia, si nostri regis non subvenerint adjutoria. *Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud.* Ne putetis quæsitum, inventum, et non a Deo conditum. *Ipsius est mare, et ipse fecit illud, et aridam manus ejus formaverunt.* Ubi sunt [e] qui Deum de materia, et maxime de aqua [f] mundum figurasse confingunt ? Deus noster in cœlo, et in terra, non ut inventor, sed ut conditor materiæ, ex nihilo cuncta perfecit. *Venite*, inquit, *adoremus.* Quæ sequuntur, fratres, ignorantibus veluti immemorem prophetam exsultationis suæ fuisse, demonstrant, dum provocatos ad gaudia mox evocat ad ploratus. *Venite*, inquit, *adoremus et procidamus ante eum, et ploremus coram Domino qui fecit nos.* Dixerat : *Venite, exsultemus ;* verum hic propheta secum [g] fletus suorum nos desiderat fundere gaudiorum : quia semper lacrymæ sicut dolore magno, ita producuntur et gaudio, quæ utique interni pectoris exponunt, et testantur affectum. Qui ergo lapidibus prosternebantur, et lignis, vero tandem Deo cognito, vult nos adorare, procidere et [h] repensare lacrymis, atque continuo devotionis obsequio, quod diu et longo tempore negleximus. Plorat ergo, dum de præteritis pœnitet, gaudet de præsentibus, æstuat et metuit de futuris. Perfectæ autem lætitiæ fletus fuisse ex sequentibus sic demonstrant : *Venite, adoremus et procidamus ante eum, et ploremus coram Domino qui fecit nos.* Et quasi interrogaretur, quare ? reddit causas, aperit rationes : *Quia ipse est Deus noster, et nos populus pascuæ ejus et oves manus ejus.* Ex hoc utique quantum devotus est ille qui gaudet, tantum certe qui contristatur ingratus. Sed jam quæ admonet audiamus intentius : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri : probaverunt, et viderunt opera mea. Quadraginta annis proximus fui generationi illi, et dixi : Semper hi errant corde ; ipsi vero non cognoverunt vias meas quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Cum dicit, hodie, te convenit, ad te loquitur, quicumque homo es auditor, ne audita voce ejus, contemptus reatum, contumaciæ crimen incurras, quem non præcepta, quem non correxit exemplum. Nam ob hoc Judaicam duritiem longo sermone narravit, ut te, Christiane, faceret cautiorem, cui non quadraginta annis tantum conversatur, et cohabitat Deus, sed toto vitæ tempore paret, et militat ad salutem.

[a] Non præveniendus est Dominus in sensu Pelagianorum, qui a libero arbitrio gratiam præveniri putant ; *sed cum tempus est veniæ, et cum pœnitentiæ locus est*, ut paulo superius Chrysologus.

[b] His et sequentibus auricularis confessionis dogma ex Chrysologo aperte firmatur, quidquid blaterent hetherodoxi, qui loca hæc in malum sensum detorquent, ut inde nutantia fulcra petant, unde eorum mendacia funditus evertuntur.

[c] Ms. Cæsen., *in primis*. Consonat Vallicell. Adhæsimus editioni Bonon. 1.

[d] Angeli, scilicet superioresque potestates.

[e] Mundum de præexistente materia a Deo compactum fuisse sensisse Marcionem testatur Tertullianus lib. v advers. eumdem cap. 19. In hac pariter blandienti hæresi fuere Hermogenes, eodem astipulante Tertulliano contra Valentinianum cap. 13, et contra eumdem Hermogenem cap. 1, et de præscriptione, cap. 33 ; et Manichæi, de quibus vide Chrysostomum homil. 1 tom. V ; Theod., Hæres. Fabul. lib. I cap. 26 ; Epiphanium, hæres. 66 ; Nyssenum de Opific. Homin. cap. 22, tom. I pag. 105 et 106.

[f] Cicero lib. II de Natura deorum cap. 10 : *Thales Milesius, qui primus de talibus rebus quæsivit, aquam dixit esse initium rerum, Deum autem eam mentem quæ de aqua cuncta fingebat.* Id autem hausisse videtur philosophus ab illo loco Mosis : *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Consule apud Tilladet. tom. II pag. 222 epistolam Huetii, Gilberto Cupero datam.

[g] Ex insperato gaudio lacrymas effundi jam compertum est. Laudatur locus hic, et illustratur a Gaspare Barthio Advers. lib. XLII cap. 21 col. 1911.

[h] Observant alii cum Chrysologo his tribus Psalmistæ verbis, *adoremus*, *procidamus*, *ploremus*, doceri nos, 1° venerationem et cultum Deo tribuendum ; 2° non solum cordis, sed et exteriori compositione ; 3° et lacrymis.

SERMO XLVII.

De parabolis inventæ margaritæ et sagenæ missæ in mare.

Christus Deus noster, quod cœlum, terram, mare, et in eis magnas, multas, varias condiderit creaturas, miranda potentiæ suæ documenta monstravit : quod vero humana suscipit, agit hominem, intrat tempora, [a] transit ætates, docet verbo, virtute curat, similitudines loquitur, proponit exempla, affectus nostri in se pondus aperit, inesse sibi dilectionis humanæ pandit ineffabilem charitatem. Hinc est quod cœlestia terrenis commendat exemplis, de præsentibus sapere dat futura, invisibilia visibilibus insimulat argumentis ; probant hoc similitudines quas nobis hodie evangelicus clamat auditus : *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti* [b] *bonas margaritas : inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendit omnia quæ habuit, et emit eam* (*Matth.* XIII). Neminem qui hoc audit nomen negotiatoris offendat : hic negotiatorem loquitur qui dat misericordiam, non qui dat fenoris semper usuram ; providentem ornamenta virtutum, non irritamenta vitiorum ; gravitatem morum, non lapidum pondera perferentem ; honestatis, non luxus monilia portantem, gestantem non voluptatis pompam, sed insignia disciplinæ. Iste ergo negotiator has cordis et corporis margaritas proponit, non humano commercio, sed divino exercitio ; non ad præsens commodum, sed ut futurum mercetur ; non ad terrenam gloriam, sed cœlestem : quatenus cœlorum regnum possit virtutum præmio comparare, et innumeris bonis unam redimere perpetuæ vitæ margaritam. Adjecit autem similitudinem Dominus dicens : *Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti : quam cum impleta esset, educentes ; et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare.* Similitudo hæc prodit cur in apostolatum piscatores elegerit Christus, et captores piscium fecerit hominum piscatores, ut divini judicii typus arte piscatoria monstraretur. Pisces congregat [c] captura confusos, sed in vasa discretio dat electos : sic vocatio Christiana justos, et injustos, malos, bonosque congregat ; sed bonos, malosque electio divina discernit.

A *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare.* Ad hujus sæculi mare tumens pompa, elatum vertice, undosum sectis, inscitia fluctuans, clamosum litibus, fremens ira, sævum perfidia, peccatis naufragum, impietate demersum, misit piscatores suos Christus, hoc est, Petrum, Andream, Jacobum, Joannem, probatos arte, cum dicit : *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum* (*Matth.* IV). Misit ergo piscatores suos retia portantes præceptis legalibus, et evangelicis innodata, monitis circumcincta, virtutum donis et gratia dilatata, evangelico sinu congregantia sine fine capturam. Hoc tempus modo, hoc agitur, fratres : per gentes, per populos Christi retia nunc trahuntur, et ducunt confusas [d] toto orbe capturas sine discretione personas. Sed quia sæculi vicinus est finis, et ad B judicii littus capturæ nostræ retia jam propinquant, pisces, hoc est homines, qui profundo sæculi discursu feriato ac libero vagabuntur, siccitate littoris, hoc est, finis propinquitate turbati, tota se rerum [e] dispensatione collidunt : videntes impias gentes triumphis succedentibus ampliari, angustiari captivos toto orbe populos Christianos, impios prosperis gaudere successibus, pios malorum continuata successione calcari, subdi dominos servituti, dominari dominis servos, rebelles filios in parentes, senes juvenibus esse contemptui, omnemque naturæ statum, vitæ ordinem deperiisse. Sed hæc cum ita sint, fortes non turbant, immo [f] infirmos turbant, fortes turbare non possunt, quia sumunt vires de similitudine, [g] fortitudinem de figura. Ejecti de profundo pisces parum C quidem in littore sui confusione volvuntur, sed citata discretio dum malos abjicit, eligit bonos ; facit bonos, non turbat, brevis ista et cito [h] transitura confusio. Ista discretio superna, quæ dat malos pœnis, bonos rapit ad honorem, impios deducit ad tartarum, pios transmittit ad regnum, patres, senes, justos, electos, omnes de contumelia exigua perpetua gloria consolaturi. Probat hoc autem comparatio ipsa, cum dicitur : *In consummatione sæculi exibunt angeli Dei, segregabunt malos de medio justorum.* In consummatione sæculi : qui consummationem sæculi credit, qui de sæculi minoratione causatur, qui confidit mansura succedere, habere quid quærit transitura ? Fratres, mundus de fine principium sumit ; fine innovatur, non D etenim tota se rerum dispensatione collidere nil aliud est quam scandalizari, hoc est graviter offendi ob cunctas res male, ut illi videtur, distributas, videntes impias gentes ampliari, et cætera quæ dicuntur in textu. Et hi qui ita scandalizantur, infirmi sunt, non fortes. S. Hilarius, Comment. in Matth. XXV, ait : *Atque his quidem vexationibus multi turbabuntur et tantis insurgentibus malis scandalizabuntur, et usque in mutuum odium excitabuntur et falsi prophetæ erunt,* etc. MITA.

[a] Sedulius lib. I :

. . . Ævique meatus
Humana pro parte tulit.

Augustinus serm. 146 de Temp. : *Patienter exspectavit ætates, patienter tempora pertulit.*

[b] Notum Judæis mercimonium ob maris Rubri vicinitatem.

[c] Quod Græcis σαγήνη, *sagena, everriculum* dicitur Latinis : cujus natura et opificium est, quidquid ei obviam fit secum trahere. Grotius hic observat ex Plutarcho et Homero hoc ipsum retis genus vocari πάναγρον.

[d] Ex ms. Vatic. Mita et alii, *crediturus*. Fortasse non male.

[e] Hoc est cæci mortales, justorumque Dei judiciorum minime capaces hujusmodi rerum humanarum administrationem iniquam et perversam existimant ;

[f] Aliter Mita : *Sed hæc cum ita sint infirmos turbant, fortes turbare non possunt, quia*, etc.

[g] Scilicet sagenæ evangelicæ, quæ omnia piscium genera includit, divinæ autem electionis est bonos a malis discernere.

[h] Inferius, *brevis ista mixtura ;* Augustinus serm. 362, alias 121 divers. : *Boni tolerant malos, donec in fine separentur.*

deficit creatura; sæculum deficit non Creatori, sed crimini; neque justis, sed peccatoribus finiuntur elementa. *In consummatione sæculi exibunt angeli* [a] *separare justos.* Nec quisquam dubitet sanctis angelos esse parituros, quibus obsequium suum promittit et Christus. Christi vox est: Præcingam me, et ministrabo vobis. *Exibunt angeli Dei et segregabunt malos de medio justorum* (*Luc.* XVII). Portate, justi, [b] portate, immo inducias justi date, brevis ista mixtura longa separatione pensabitur. *Separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis.* Ecce qui [c] ejiciunt vicinos, qui expellunt hospites, qualem sibi eligunt mansionem; ecce qui sibi hic delicias pauperis fame pœnis præparant alienis, ibi ignem sibi quantum de exigua voluptate succendunt. *Ibi erit fletus et stridor dentium.* Quam male stridet ibi, qui hic male ridet; et qui nunc malis pauperum gaudet, de bonis pauperum tunc lugebit, quia potuit cum paupere gaudere, sed noluit: vos autem fideles gaudete in Domino semper.

SERMO XLVIII.

De Christo fabri filio appellato, et de invidia.

Evangelista hodie Judæorum circa Christum proditurus invidiam, sic cœpit: *Venit*, inquit, *Jesus in patriam suam, et docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur et dicerent: Unde huic sapientia et virtus? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas; et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista* (*Matth.* XIII)? Non sic nubes cœlum, nox diem, solem caligo, quomodo mentem cæcat, et tenebrat invidia. Livor hoc Judaicus probat, qui Christi sapientiam miratur, virtutes stupet, attollit opera, dicta suscipit, et tamen ne in ipso videatur divinitas, deitas sentiatur, carnalium parentum nomina commonet et divulgat. *Venit*, inquit, *Jesus in patriam suam.* Nemo miretur, si conditor rerum, cœlorum Dominus, Deus omnium, [d] patriam locumque sortitur, quando se claudit utero, metitur cunis, uberibus occupat, arctat gremio, dat in ulnas; et ut angustias tollat humanas, humanis se dedit atque aptavit angustiis. Homo, ad te Deus se per ista deponit, te per ista sequitur, per istas te perquirit angustias; ut quem formavit opere, reformet exemplo; quem judicio repulit, reducat affectu, et in se servet quem præter se [e] conspicit deperiisse. *Venit*, inquit, *Jesus in patriam suam, et docebat eos in synagogis eorum.* Non in templo suo, sed [f] in synagogis eorum. Synagogæ non poterant ejus esse, in quibus se turbæ perfidiæ, non fidei congregabant; in quibus conveniebat invidiæ populus, non amoris; in quibus considebat consilium malignantium, non bonæ consilium disciplinæ. *Docebat in synagogis eorum, ita ut mirarentur.* Mirabantur indignatione, non gratia; stupebant [g] livore, non laude; furebant, quia quod sapere non poterant superba subsellia, stans humilitas [h] producebat, *ita ut mirarentur, et dicerent: Unde huic hæc sapientia?* Sic dicit qui Deum, ex quo est sapientia, ex quo virtus, ignorat; sic dicit qui Christum nescit esse Dei sapientiam, Dei esse virtutem. Unde sit sapientia, Salomon probat, qui cum regni apicem parvulus suscepisset, ut creditum sibi populum regeret virtute, non fastu; sapientia, non tumore; corde, non vertice; a Deo sapientiam voluit, poposcit, accepit. *Unde huic hæc sapientia et virtus?* Virtutem quæ dat oculos quos natura non dedit, quæ auditum reddit debilitate conclusum, quæ in mutis sui solvit vincula sermonis, quæ claudos reducit ad cursum, quæ animas apud inferos jam devinctas propria redire cogit ad corpora, a Deo esse, nisi salutis invidus non negaret. At Judæi sciebant Christi opera divinæ virtutis esse, non esse possibilitatis humanæ; sed [i] livoris nubilum, malitiæ fumus, visum spectantium caligabant, ne lumen Christi, ne tempus Evangelii perviderent dicendo: *Nonne hic est fabri filius?* Dicebant, Hic est fabri filius; sed cujus fabri filius non dicebant; dicebant fabri filius, ut arte vili ars lateret auctoris, et deitatis nomen fabrile nomen absconderet. Christus erat fabri filius, sed illius qui mundi fabricam fecit [j] non malleo, sed præcepto;

[a] Nonnullæ editiones habent, *parere justis.*

[b] Id est, sustinete, supportate adhuc modicum.

[c] Hic et superius in hoc eodem sermone de hostibus imperium Occidentis infestantibus agit, et hospites e propriis civitatibus et provinciis expulsos tangit, quod liquet ex historiarum lectione. MITA.

[d] Patria Christi quodammodo triplex. Bethleem ubi natus, Nazareth ubi educatus, Capharnaum ubi domicilium posuit. Hic autem innui Nazareth omnes conveniunt.

[e] Perierat homo, cui cœlorum ingressus nequaquam patebat, priusquam Deus sumpsisset hominem. Servatur a Deo ipso cum Dei Filius hypostatice humanam naturam sumpsit. MITA.

[f] Juxta Vulgatam Græcus textus habet: ἐν τῇ συναγωγῇ αὐτῶν, *in synagoga eorum.* Recteque nonnulli putant; Nazareth enim oppido obscurissimo plures synagogæ vix esse poterant.

[g] Novar. in Vall.: *Tamquam aliqua calamitate premerentur; quia Christi auctoritatem, quam sibi tot miraculis pepererat, invidis oculis intuebantur.*

[h] Ex mss. Cæsenæ et Vall. Editi quam plurimi, *producebant.*

[i] Non enim calumniabantur Christum, quasi præstigiorum aut veneficii vi hæc omnia gererentur. Non enim quid tale eis exprobrat Christus; sed, ut notat bene Chrysologus, invidia perciti, quod ex infimis natalibus unus tantam famam promeruisset.

[j] Paulo inferius, *non carbone conflavit.* Ferrariam artem exercuisse Josephum putativum Christi patrem, sentire videtur Chrysologus. Illud fabri filium in Evangelio varias peperit de Josephi arte sententias. Pseudo-Eustachio, in Hexam. pag. 37, *domorum ædificator* habetur; Hugoni card., in Evangel. Marci VI, *aurifex;* neque eos condemnat qui eum *cæmentarium* faciunt. Hilarius in Matth. XV, pag. 757, *Fabrum ferrarium* credit: *Plane hic fabri erat filius, ferrum igne vincentis, omnem sæculi virtutem judicio decoquentis, massamque formantis in omne opus utilitatis humanæ.* Nihil itaque fuit cur Scultetus hanc Hilarii opinionem notaret veluti facinus nullis flammis piacularibus eluendum. Nam eamdem sententiam induisse videntur Theophilus Antiochenus in Matth.; Ambrosius in Luc. lib. III num. 2, ubi exscribit verba laudati Theophili; Beda in Marc. II; et Chrysologus hic. Potior autem sententia est eum fuisse *Fabrum lignarium.* Nam cum vox τεκτῶν absolute ponitur, ut in Evangelio, *Fabrum lignarium* innuere observatum est ex libro V Xeno-

qui elementorum membra non ingenio, sed jussione compegit; qui massam sæculi auctoritate, non carbone conflavit; qui solem non terreno igne, sed superno calore succendit; qui lunam, tenebras, noctem formavit, et tempora, qui stellas variata luce distinxit; qui cuncta fecit ex nihilo, et fecit, o homo, tibi, ut opificem operis æstimatione pensares. Sed tu, Judæe, hujus fabri filium notas, cui pro tantis beneficiis repensare vicem deberes in filium: hinc est, quod non accipis futura, quia de præsentibus existis ingratus. *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria?* Iterum, Judæe, matris nomen clamas, [a] occultas Patris; patrem dicis, nomen non dicis; fabrum dicis, opus non dicis. Judæe, decipiunt te ista, non decipiunt credituros. *Nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacobus et* [b] *Joseph, et Simon, et Judas; et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt?* Si mater, si fratres, si sorores apud vos sunt, pater ubi est? vobiscum non est, quia Deus odit fictos, invidos deserit, declinat ingratos, sibi non sinit crudeles et impios commorari. *Et fratres ejus et sorores ejus, nonne omnes apud nos sunt?* Callide fratres ingeris, ostentas sorores, ut numeroso partu sanctæ matris [c] virginitas lateat, obscuretur integritas, et sentiatur de filio totum quod humanum est, nihil divinum. Judæe, quos dicis fratres et sorores Christi, Cleophæ [d] sororis Mariæ filii sunt, [e] non Mariæ; et fratrum et sororum filios fratres nuncupat et divina lex et humana cognatio. Ergo Christi fratres fecit non matris virginitas, quæ permansit virgo post partum, sed materteræ ejus; fecit propinquitatis assertio. Beata Maria, si alios filios habuisset a Christo mater in ipso crucis tempore, in articulo ipso mortis [f] non discipulo traderetur, non commendaretur extraneo. Invidia de cœlo abjecit angelum (*Isa.* XIV), de paradiso exclusit hominem (*Gen.* III). Ipsa primum contaminavit terras germano sanguine (*Gen.* IV). Ipsa germanos compulit venumdare germanum (*Gen.* XXXVII). Ipsa Moysen fugavit (*Exod.* II), Aaron in fratris excitavit injuriam, Mariam maculavit livore germani (*Num.* XII); ac ne multis, quod pavet mens, quod visus tremit, quod auditus non capit, [g] ipsum Christi attendit et pervenit ad sanguinem. Invidia omnibus malis pejor: quos ceperit, liberari nequeunt; quos vulneraverit, ad curam non veniunt, non redeunt ad salutem. Invidia delictorum venenum, criminum virus, peccatorum mater, origo vitiorum: hanc qui non viderit, bona videt; hanc qui nescierit, mala nescit; hanc qui fugerit, vivit. Invidia vitari fuga potest, non potest superari conflictu. Sed jam quid Dominus responderit, audiamus: *Non est propheta sine honore nisi in patria sua et in domo sua.* Christus quidem venit in patriam suam et in domum suam quia scriptum est: *In sua venit, et sui eum non receperunt* (*Joan.* II). Verum dicendo: *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua et domo sua*, docet quia inter suos posse morsus est, adustio est; inter cives eminere proximos, proximorum urit [h] gloriam: propinqui propinquo si honorem debeant, computant ser-

phontis de Cyropædia. Adi Justinum antiquissimum scriptorem patria Palæstinum, qui Josephum habuit pro *Fabro lignario* in dialogo cum Tryphone pag. 316, quod novit etiam impius ille Libanius, cui perlepidum a Pædagogo datum responsum videre est apud Theodoretum lib. III Histor. cap. 23 pag. 142 edit. Vales., et Sozomenum lib. VI cap. 2. Sed jam notæ fines excessimus.

[a] Id factum plerique existimant, quod adhuc in vivis non degeret Josephus.

[b] Græci codices hunc Josen vel Joannem nominant. Est autem quem Ecclesia Jacobum Minorem dicit.

[c] Etiamsi Judæos alloqui videatur Chrysologus, fortasse vel Ebionitas, vel Helvidium, qui anteriori sæculo vixerat, vel Jovinianum respicere poterat. Uterque in Mariam virginem impie blasphemus eam alios post Jesum peperisse filios ausus est effutire. Vide Epiphan. tom. II lib. I Hæres. edit. Petavii, Tertullian. lib. de Velam. Virgin. cap. 6 pag. 368 edition. Paris.

[d] Probabilior utique hæc sententia: scilicet, hos qui fratres Domini nominantur in Evangelio, fuisse ei sobrinos ex matre sorore Deiparæ uxore Cleophæ, vel Alphi, licet eam Chrysologus Cleophem et non Mariam dictam putet. Hieronymus, de Viris Illustr.: Jacobus qui appellatur frater Domini, ut nonnulli existimant Josephi ex alia uxore, ut autem mihi videtur, Mariæ sororis matris Domini filia. Consule Basnag. in Annal. tom. I pag. 91, fusius pag. 95. Quæ narrat Nyssenus orat. de Nat. Dom. ex apocryphis desumpta nullam merentur fidem.

[e] Immo nec Josephi, licet illum ex alia uxore, cui nomen Eschæ ex arbitrio indidere Ebionitæ, alios accepisse filios filiasque nonnulli veteres innuerint. Consule Hilarium in Matth. I pag. 671. Epiphanium hæres. 78 num. 7; Theophylactum in Matth. Hos Origenes in Matth., ex editione Huetii pag. 223, ad id adductos putat traditione Evangelii quod secundum Petrum inscribitur. Rectissime autem Hieronymo contra Helvidium videtur, *ipsum Joseph virginem fuisse, ut ex virginali connubio virgo filius nasceretur.*

[f] Hoc eodem argumento ad asserendam Virginis puritatem utitur Hilarius Comment. in Matth. tom. I Oper. pag. 671, in fine, ex edit. Veron. 1730. Licet ex Josepho procreatos fuisse fratres Domini credat. *Quod si Mariæ filii fuissent, et non potius Joseph ex priore conjugio suscepti, numquam in tempore passionis Joanni apostolo transcripta esset in Matrem, Domino ad utrumque dicente: Mulier, Ecce Filius tuus; et Joanni, Ecce Mater tua; nisi quod ad desolatæ solatium charitatem filii in discipulo relinquebat.* Hilario consentiunt et Chrysologo Chrysostomus hom. 5 in Matth., Epiphanius loc. cit., Ambrosius lib. II in Luc., quamquam, ut observat scholiastes Hilarii, Joseph passionis tempore superstitem ponens, eo aliter utatur. Paulinus item epist. ad Augustinum 1, alias 43 pag. 295 edit. Veron.: *Quo ostenderet eam præter se, qui ex ea Virgine natus esset, nec habuisse filium, nec habere; quia nec Salvator tantopere curam desolationis habuisset ejus, si illi unicus non fuisset.*

[g] Ms. Cæsen., *ipsa.*

[h] Perquam apposite de invidia urere dicitur:

> Urit enim fulgore suo, qui prægravat artes,
> Infra se posita.

Libius, lib. XL: *Quia tu, omissa ista nocturna fabula, ad id quod doles, quod invidia urit, perverteris.* Ammianus Marcellinus, *urebant Juliani virtutes;* ubi Valesius observat quod quidquid pulchritudine excellit *urit* oculos, ut apud Terentium: *Urit me Glyceræ nitor.*

vitutem. *Et non fecit*, inquit, *ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum*. Non fit ibi virtus, ubi incredulitas non meretur. Etsi mercedem cum sanat, non exigit Christus; indignatur tamen dum pro honore sibi fertur injuria, *qui est super omnia Deus benedictus et gloriosus in sæcula sæculorum*. Amen.

SERMO XLIX.

De eisdem, secundum Marcum.

Quoties humana Dominum sanctus evangelista sustinuisse aut egisse commemorat, toties carnalium sensus tota velut fluctuum commotione conturbat. Imbecilles namque mentes nesciunt Dominici corporis audire, discernere et dispensare mysteria, sicut hodierna lectio monstrat, quæ dicit: *Egressus inde Jesus, abiit in patriam suam* (*Marc.* VI). Egreditur unde, quo ingreditur, qui nullo continetur, nullo concluditur loco? Ad quam patriam vadit, orbem qui fecit et possidet universum? dicente propheta: *Tui sunt cœli, et tua est terra: orbem terrarum, et plenitudinem ejus tu fundasti* (*Psal.* LXXXVIII). Verum non sibi per se, sed per te tibi egreditur, et ingreditur Christus, donec te intromittat expulsum, exsulem revocet, reducat, et reportet ejectum. *Abiit ergo Jesus in patriam suam*. Non ut suam sibi, sed ut tuam tibi, quam Adam perdiderat, patriam redonaret. *Abiit in patriam suam*. Si natus, quomodo non homo? si homo, quomodo non civis? si civis, esse illi patriam quis miretur? Sed hic humanitatis modus, non divinitatis ordo est, quem fatetur: quia qui est, et qui erat ante sæcula Deus noster, parens noster, novissima voluit esse per sæcula; ut quos potestate fecerat, pietate salvaret; et compatiendo reciperet, quos extorres arguendo fecerat et jubendo. Quidquid enim per hominem susceptum legimus egisse, aut pertulisse Christum, non ad divinitatis audiamus injuriam, sed profecisse hominis ad gloriam. *Et sequebantur*, inquit, *illum discipuli ejus*. Merito discipuli Christum redeuntem suam sequuntur ad patriam, quos jam in [a] superni ordinis albo descriptos cœlestis patriæ cives, et municipes electio tanta, tantæ gratiæ perfecerat plenitudo, dicente Domino: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* X). *Et facto sabbato, cœpit in synagoga docere, et multi audientes mirabantur in doctrina ejus, dicentes: Unde huic hæc omnia, et quæ est sapientia quæ data est illi? et virtutes tales quæ per manus ejus efficiuntur?* Infelix Judaicæ mentis et detestanda nequitia, ad discutiendum semper promptior quam ad credendum; divinis virtutibus non ad fidem, sed ad calumniam sollicite commovetur, vel quia meruit audire sapientiam tantam. Sed unde sit malitiose curiosa, vel querula, in bonis suspicax, ad noxia satis facilis, doctrinam despicit quam miratur; quæ probat præcepta, contemnit; ad Deum cunctatur, ad idola perproclivis; in divinis astuta, ligno, lapidibus tota resoluta; prophetiæ rebellis, contraria veritati, auguriis, mendaciisque perdita. Rogo, cui cautum, quod cæcus videt? cui sollicitum quod mortuus surgit? cui dubium, quod loquitur mutus? certe, quis nesciat esse Deum, cujus sola curatur omnis debilitas jussione? Moyses signa fecerat multa, Elias maxima monstraverat documenta virtutum, nec dissimilia opera fecerat Elisæus: cur nemo personam discutit? cur nemo status commovet quæstionem? cur nemo unde essent, quive essent, unde ista, et per quem facerent curiositate sic requisivit [b] ingratus. Sed judicatur hic solus qui solus judicare noluit ne puniret; improba severitate discutitur, qui ut largiretur veniam, nil quæsivit: et cum solus innocens invenerit omnes reos, [c] ad indicium pietatis immensæ suspicere maluit, quam abrogare sententiam, ut vitam mortalibus olim perditam redderet, et repararet [d] occisos. Vere, sicut dixit Apostolus, Magnum pietatis est sacramentum, quod Christi nostri manifestatur in carne (I *Tim.* III). Extendit tamen adhuc curiositatem suam carnalis ista æmulatio, cui semper est [e] inimica veritatis cogitatio: nec patitur Christum virtutibus et sapientia Deum credi, sed proximorum, parentum, fratrum, affinium documento, [f] hominem tantum asserit, gestit, optat, intelligit, dicendo: *Nonne iste est fabri* [g] *filius et Mariæ, frater Jacobi et Joseph, et Simonis et Judæ?* [h] *nonne et sorores ejus hic nobiscum sunt?* Caiphas profano prophetat ore (*Joan.* XI); et cum sacerdos esset, falsitatis suæ sensum vicit officio veritatis; sententiam non suo, sed [i] addicti probat imperio. Balaam maledico benedicit ore, et conductus ad nequitiam, tota loquitur mysteria veritatis (*Num.* XXIII, XXIV): et sicut in spinis rosa, hoc est, in frutice horrenti miri odoris flosculi germinantur; ita sensus aliquoties pessimorum ad bona divinitatis impulsu aguntur inviti, ut non sit meriti, sed mysterii, quod loquuntur. Quod tunc malitiæ Judaicæ videmus evenisse, quæ in contumeliam Dominicæ generationis, cum per artem Joseph prosapiæ Christi exaggerat veritatem, veri genitoris confitetur et loquitur qualitatem, dicendo: *Iste est fabri filius*. Bene per-

[a] Nonnulla mss. habent, *in superno ordine descriptos*.

[b] Ex ms. Vatic. Alias, *ignarus*.

[c] Editi perperam, *judicium*. Inferius, *abrogare*; editi, *rogare*.

[d] Nonnullæ editiones ex oscitantia typographorum, *ociosos*.

[e] In editis plurimis deest *veritatis*.

[f] Error hic Judæorum a primis Ecclesiæ temporibus in hæresim transiit. Tempore enim Ignatii martyris fuerunt qui dicerent Filium nudum esse hominem. Tales Ebionitæ, et Cerinthiani, Joanne apostolo adhuc superstite, qui contra eos scripsit Evangelium.

[g] Nazareni offendebantur etiam in matre Christi, quam nutricem fuisse, vel aliquo alio manuum labore victum sibi quæritasse, census impium illud caput, objiciebant Christianis.

[h] Consobrinas fortasse patrueles neptes Josephi ex aliis fratribus vel sororibus, quas pauperculas fuisse ex hoc eodem patet, quod a Nazarenis criminabantur.

[i] Corruptum fortasse locum, nec ope mss. sanare potuimus. Legerem, *addicti muneris probat imperio*.

sonam tacuit, ut proderet ex arte genitorem, dicendo, non Joseph, sed fabri filius. Et quis talis faber, qualis est iste, qui ex nihilo tantum talem fabricatus est mundum? et quis faber talis, qui totius bonæ artis solus auctor, solus largitor existit? Dic ergo, Judæe, fabri filium, ut Dei filium fatearis invitus; dic Mariæ, ut verum hominem, sed Virginis filium confitearis impulsus; dic fratres, ut tantam dignationem tui prædices et proferas creatoris. Et licet ipse genitricis sanctæ per hoc virtutes moliaris abscondere; tamen evangelistæ veritas non Joseph et Mariæ, sed Cleophæ sororis ejus filios, quos tu fratres appellas, probat et asserit exstitisse; usus enim temporis etiam præsentis germanorum et germanarum filios fratres noscitur nuncupasse. Numquam enim contra pietatis ordinem matrem Dominus extero, hoc est Joanni, commendasset ex cruce, si alios ipsa præter illum filios suscepisset [a]: sed virgini virginem tradit, ut inter tales cura sola sacramenti, sola societas religionis haberetur; nec mundanæ sollicitudini discipulus tantus iste serviret, sed prædicaturus virginitatis partum [b], domi haberet unde hoc dubitantibus approbaret. At Jacobus [c] unius feminæ et matris [d] habere non potuit curam, qui inter primordia, et in illo Judaico tunc furore Hierosolymitanam singulariter rexit Ecclesiam. Bene addidit Dominus: *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua*. Ecce qualiter carnales sapiunt cives; ecce qualiter mundani parentes sentiunt et honorant. Beatus qui cum patrem meruit habere Deum, præter cœlestem patriam nil requirit.

[e] SERMO L.

De paralytico curato.

Christum in humanis actibus divina gessisse mysteria, et in rebus visibilibus invisibilia exercuisse negotia, lectio hodierna monstravit. *Ascendit*, inquit, *in naviculam, et transfretavit, et venit in civitatem suam* (*Matth.* v). Nonne ipse est qui, fugatis fluctibus maris, profunda nudavit, ut Israeliticus populus inter stupentes undas sicco vestigio, velut montium concava, pertransiret (*Exod.* xiv)? Nonne hic est, qui Petri pedibus marinos vertices inclinavit, ut [f] iter liquidum humanis gressibus solidum præberet obsequium (*Matth.* xi)? Et quid est quod sibi maris sic denegat servitutem, ut [g] brevissimi lacus transitum sub mercede nautica transfretaret? *Ascendit*, inquit, *in naviculam, et transfretavit*. Et quid mirum, fratres? Christus venit suscipere infirmitates nostras, et suas nobis conferre virtutes, humana quærere, præstare divina, accipere injurias, reddere dignitates, ferre tædia, referre sanitates; quia medicus [h] qui non fert infirmitates, infirmitates curare nescit; et qui non fuerit [i] cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem. Christus ergo, si in suis mansisset virtutibus, commune cum hominibus nil haberet; et nisi implesset carnis ordinem, carnis in illo esset otiosa susceptio. Sustinuit ergo has necessitates, ut homo verus humanis necessitatibus probaretur. *Ascendit*, inquit, *in naviculam*. Christus Ecclesiæ suæ navem, sæculi fluctus semper mitigaturus ascendit, ut credentes in se ad cœlestem patriam tranquilla navigatione perducat; et municipes civitatis suæ faciat, quos humanitatis suæ fecit esse consortes. Non ergo Christus indiget navi, sed navis indiget Christo, quia sine cœlesti gubernatore navis Ecclesiæ per mundanum pelagus tali et tanto discrimine ad cœlestem portum non valet pervenire. Hæc diximus, fratres, quantum ad intelligentiam pertinet spiritualem: verum nunc ipsius historiæ ordinem prosequamur. *Ascendit*, inquit, *in naviculam et transfretavit, et venit in civitatem suam*. Creator rerum, orbis Dominus, posteaquam se propter nos nostra angustiavit in carne, cœpit habere [j] humanam patriam, cœpit civitatis Judaicæ esse civis: parentes habere cœpit, parentum omnium ipse parens, ut invitaret amor, attraheret charitas, vinceret affectio, suaderet humanitas, quos fugarat dominatio, metus disperserat, fecerat [k] vis potestatis extorres. *Venit in civitatem suam, et*

[a] Vide notam [c] col. 335 superioris sermonis.

[b] In Evangelio enim Verbum carnem assumpsisse et hominem factum docuit.

[c] Ob distinctionem a Jacobo Majori Herodis jussu occiso, Minor dictus. Post Christi in cœlum ascensum ab apostolis, eorum manus Christo dirigente, inquit Photius epist. 117, primus Hierosolymorum episcopus fuit consecratus. Procurante vero Anano juniore pontifice, a synedrio damnatus, et de pinna templi præcipitatus interiit anno Christi 31 ætatis 61.

[d] Nonnulli volunt fuisse Mariam sororem materteræ Jesu, uxoris Cleophæ; ac proinde dictus frater Domini, quia ejus fuerat secundum carnem cognatus.

[e] Vide quæ de hujusmodi sermone diximus in præfatione.

[f] Nonnullæ editiones Bononiens. et Colon. habent, *inter liquidum*.

[g] Genesareticus lacus hic, quo emenso Jesus venit Capharnaum, ut mihi certum est ex Marc. ii, 1, inquit Grotius, quo Christum immigrasse jam a Matthæo fuerat proditus. Hujusmodi lacus appellatur quandoque mare Tiberiadis; in sacra enim Scriptura quandoque lacus vocatur θάλασσα, et e contra quandoque mare lacus dicitur. Quod et in profanis scriptoribus occurrit. Homerus et Sophocles mare vocant λίμνην, et Plinius septem Adriatici maris lacunas vocat septem maria, ut observat Fabricius Theolog. Aquarum p. 178. Vide etiam Hadrianum Relandum lib. i, Palæst. Illust. cap. 38, pag. 259. Hinc patet quam infirmis hæreat fundamentis Porphyrii critice, de quo Hieronymus Quæst. Hebr. in Genes. i: *Frustra Porphyrius, evangelistas, ad faciendum ignorantibus miraculum, et quod Dominus super mare ambulaverit, pro lacu Genesareth mare appellasse calumniatur*.

[h] Sic cum nonnullis editionibus. Mita ex antiquissimo Breviaro ms. habet: *medicus qui affert sanitatem, infirmitates curare nescit*. Lectio quam retinuimus aptiori nexu cum sequentibus cohæret, et stylum Chrysologi apertius redolet.

[i] Juxta illud Apostoli, I Cor. ix. Ubi S. Hieronymus in epist. ad Augustinum 11, tom. II Operum D. Augustini: *Fit enim tamquam æger qui ministrat ægroto: Non cum se febres habere mentitur; sed cum animo condolentis cogitat quemadmodum sibi serviri vellet, si ipse ægrotaret*. Auctor noster infra, serm. 151: Qui non compatitur, amputare non potest passiones. Ex Mita.

[j] Capharnaum intelligit, quem evangelista vocat *civitatem suam*.

[k] Sic cum Latinio et ms. Vallicell. Editi, *jus potestatis*.

ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto, et respiciens, inquit, *Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide, fili : dimittuntur tibi peccata tua.* Audit veniam, et tacet paralyticus, nec ullam respondet gratiam, quia plus corporis quam animæ tendebat ad curam; et temporales ærumnas [a] resoluti corporis sic deflebat, ut æternas pœnas resolutionis animæ non defleret, gratiorem sibi præsentem vitam judicans quam futuram. Merito Christus [b] offerentium fidem non respicit, et vecordiam respicit sic jacentis, ut fidei alienæ suffragio paralytici anima ante curaretur quam corpus. *Respiciens*, inquit, *fidem illorum.* Cernitis in hoc loco, fratres, Deum non quærere insipientium voluntates, non [c] spectare ignorantium fidem, non infirmorum stulta desideria perscrutari, sed ad alterius fidem subvenire, quod per solam gratiam conferebat, cum quidquid divinæ voluntatis est, non negaret. Et re vera, fratres, quando medicus languentium aut quærit, aut respicit voluntates, cum semper contraria desideret et requirat infirmus ; hinc est quod nunc ferrum, nunc ignem, nunc amara pocula ingerit, et apponit invitis, ut curam sani sentiant, quam non poterant sentire ægrotantes. Et si homo injurias despicit, maledicta contemnit, ut sauciatis morbo sponte vitam conferat et salutem ; quanto magis Christus medicus bonitate divina morbis saucios peccatorum, et phrenesi criminum laborantes, ad salutem etiam invitos attrahit, et nolentes ? O si velimus, fratres, o si velimus omnem mentis nostræ paralysim pervidere, animam nostram virtutibus destitutam jacere in vitiorum [d] stratis cernere ; luceret nobis quemadmodum Christus, et nostras quotidie noxias respicit voluntates, et ad salutaria nos remedia pertrahit, et [e] perurget invitos. *Fili*, inquit, *remittuntur tibi peccata tua.* Hæc dicens, Deum se volebat intelligi, qui per hominem oculis adhuc latebat humanis ; virtutibus enim et signis comparabatur prophetis, qui per ipsum fecerant et ipsi virtutes : peccatis autem dare veniam, quia penes hominem non est, et est singulare deitatis insigne, Deum illum pectoribus inserebat humanis. Probat hoc Pharisaicus livor : nam cum dixisset : *Remittuntur tibi peccata tua, responderunt Pharisæi : Hic* [f] *blasphemat, quis enim potest peccata remittere nisi solus Deus ?* Pharisæe, qui sciendo nescis, confitendo negas, cum testaris, impugnas : si Deus est qui remittit peccata, cur tibi Christus Deus non est, qui unius indulgentiæ suæ munere totius mundi probatur abstulisse peccata ? *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* 1). Ut autem possis majora capere ejus divinitatis insignia, audi eum pectoris tui [g] penetrasse secretum ; aspice eum ad cogitationum tuarum latebras pervenisse ; intellige eum cordis tui tacita nudare consilia. *Et cum vidisset*, inquit, *Jesus cogitationes eorum, dixit : Quid cogitatis mala in cordibus vestris ? Quid enim est facilius dicere, Remittuntur tibi peccata tua, an dicere, Surge et ambula ? Ut autem sciatis quia Filius Hominis habet potestatem dimittendi peccata, dixit paralytico, Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam ; et surrexit, et abiit in domum suam.* Scrutator animarum prævenit mentium maligna consilia, et deitatis suæ potentiam operis attestatione monstravit, dum dissipati corporis membra componit, nervos stringit, jungit ossa, complet viscera, firmat artus, et gressus ad cursum suscitat in vivo cadavere jam sepultos. *Tolle lectum tuum.* Hoc est, porta portantem, omnes muta vices, ut quod est [h] infirmitatis testimonium sit probatio sanitatis, ut lectus doloris tui sit meæ curationis indicium, ut receptæ fortitudinis magnitudinem ponderis asserat magnitudo. *Vade*, inquit, *in domum tuam*, ne Christiana fide curatus, in viis Judaicæ perfidiæ jam moreris.

SERMO LI.

De dæmoniaco surdo et muto curato.

Quia solito plus sese terris æstus infuderat, diu tacui, ne compressio quæ ex desiderio nascitur audiendi, ipsa nobis [i] cynocaumatum generaret incendium ; nunc ubi aerem temperies [j] mitigavit autumni, Dominicum, juvante Domino, revocamur ad verbum. Cum filium suum quidam surdi et muti spiritus furore possessum ingereret Domino [k] curandum Dominum præter morem patientiæ suæ evangelista sic retulit fuisse commotum, ut ante in patris vulnus ipse inveheretur quam ad filii moveretur curam. *Respondens*, inquit, *unus de turba, dixit : Magi-*

[a] Sedulius, lib. III, pag. 167, v. 19, de hoc eodem paralytico : *Resolutaque membra jacebant.* Vatablus quoque legit, *resolutum* pro *paralyticum.* Paralysis enim est dissolutio nervorum, ex qua dissolutione exteriora membra viribus destituta tremula redduntur. Unde Hebræi hujusmodi ægrotos vocant *dissolutos membris*, et Græci eos qui a morbo hoc restituuntur *ligari* dicunt. Infirmitatem describit Guillelmus Ader de Morb. Evangel. cap. 11 : *Obsidetur enim in paralysia tota spina dorsi : quæ suapte natura frigida cum sua nervorum propagine a morbo frigidissimo, et glaciali, paralysi nempe, aut convulsione numquam vindicatur.*

[b] In nonnullis, *operantium.* Offerentium fidem respexit Jesus. Nam sicut servo centurionis profuerat fides amicorum domini sui, ita huic ægroto profuit fides amicorum una cum sui ipsius fide. Nam et paralytico fiduciam non defuisse vero simile est, qui se ad eum modum offerri passus est, et alioquin Christus ei peccata non remisisset.

[c] Sic emendat Latinius. Editi omnes, *exspectare.*

[d] Adhæsimus ms. Cæsenæ. Editi, *cerneremus.*

[e] Vide notam [e] col. 218, serm. 10. Dicitur autem pertrahere invitos, cum contumaces flagellat, vel bonis cumulat, ut Deum auctorem agnoscentes ad ipsum redeant per pœnitentiam. MITA.

[f] Non Deo maledicendo, sed quod ei est, remissionem scilicet peccatorum, sibi arrogando.

[g] Erat id, videlicet secreta cordis inspicere, inter notas Messiæ, ut contra Barchaocebam observant Talmudistæ titulo de Synedrio.

[h] Hæc eadem verba in hunc locum usurpavit Lucas Brugensis.

[i] Ardentissimum æstum innuit, quem populi ad audiendum frequentes, pressis ad invicem corporibus, efficiebant. Cynocauma enim est vel æstus canicularis, vel morsus rabidi canis.

[j] Locum hunc laudat Elmenhorstius in illud Minucii Felicis pag. 14, num. 1 : Post æstivam diem in temperiem sese autumnitas dirigebat.

[k] Descendenti de monte in cujus vertice transfiguratus fuerat et ad discipulos redeunti.

ster, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum : qui ubicumque eum apprehenderit, allidit eum et spumat, et stridet dentibus et arescit; et dixi discipulis tuis ut ejicerent eum, et non potuerunt. Qui respondens, eis dixit : O generatio incredula (*Marc.* IX)! Respondens unus de turba : Quid est quod, uno interrogante, [a] feriuntur multi? quid est quod, conquirente uno, incredulitatis notantur omnes? quid est quod ad unius vocem tota generatio superba perfidiæ nuncupatur? Quid est? Quia iste non ad Deum venerat, sed ad magistrum venerat; curam, non a virtute exigens, sed ab arte; tarditatem curæ non causæ deputans, [b] sed curanti; impossibilitatem discipulorum magistri imperitiæ assignans, Judaico livori invidiæ Scribarum talem satisfaciens per clamorem, *Et dixi discipulis tuis ut ejicerent eum, et non potuerunt.* Hoc est dicere, esse diabolum qui Christo non crederet, esse dæmonem qui parvi possit Christi nominis habere virtutem. Discipuli non suo, sed Christi nomine dæmones de obsessis corporibus effugabant. Quod ergo dæmon discipulis imperantibus non cedebat, iste ad infirmitatem Christi nominis, non • discipulorum trahebat ad culpam. Videns ergo Dominus Judæorum sic circumstantes sapere catervas, in filiis patrum perfidiam sic inurit, et in genitoribus germina sic venenosa percellit. *O generatio incredula! Veniens*, inquit, *Dominus ad discipulos suos, vidit circa illos turbam magnam, et Scribas conquirentes cum illis; et confestim omnis populus videns Jesum stupefactus est, et expaverunt.* Timentes utique ne quod insultaverant discipulis, veniente magistro, hoc perderent; et, tanto dæmone fugato, ipsa fieret discipulis causa gloriæ, quæ fuerat confusionis occasio. Hinc est quod Dominus, uno omnibus interrogante, respondit : *O generatio incredula, quamdiu apud vos ero?* Quorum incredulitate neque unus dæmon captivo fugatur ex corpore. *Quamdiu apud vos ero?* [d] Et non ad gentes mittam? ubi ad unius discipuli mei vocem templa corruunt, simulacra fugiunt, consumuntur aræ, cadunt idola, cæduntur luci, tota dæmonum potestas antiquis et veternosis sedibus suis gemens et tremens, et ejulans effugatur : commutantur in Ecclesias delubra, in altaria vertuntur aræ, pecorum victimæ mortuorum in vivam cordis hostiam transferuntur, auguria, divinationes, somnia, in solo Dei nutu, in Dei tantum constituuntur arbitrium. *Quamdiu apud vos ero? quamdiu patiar vos?* [e] Patitur patientia non timore; non necessitate, sed misericordia; exspectatione, non metu hos patitur, portat, exspectat, qui redire vult impium, non perire. *Afferte illum ad me*, quasi longe positum curare non possit, sed afferte vos incredulitatis vestræ causam, infidelitatis titulum, perfidiæ documentum. *Afferte illum.* Ut qui saltem docenti Deo noluistis credere, vel dæmone confitente credatis, et sentiatis vos ipso diabolo nequiores, cum videritis illum confiteri, tremere sui mox præsentia cognitoris. *Et attulerunt eum, et cum vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum, et elisus in terra volvebatur spumans.* Volvebatur homo, sed diabolus torquebatur; invasum vexabat cura, sed invasorem majestas judicis arguebat; sistebatur captus, sed puniebatur hostis, diaboli pœna cruciatu humani corporis apparebat. Opus est, fratres, opus est Dei lumine, ne in opere Dei oculi fallantur humani. *Et interrogavit patrem ejus, quantum temporis est, ex quo hoc accidit ei? at ille ait, ab infantia.* Requirit passionis tempus auctor temporis, medicus passionis tempus requirit, non ut nescius, sed ut sciens nescientibus prodat. Denique interrogatione tali tempus aperit, ætatem pandit, revolvit infantiam, ut tanti mali causa non tangat sobolem, sed parentem, quia a Deo sibi datum pignus ad diaboli gratiam, dæmonum retulit ad honorem, dicente Scriptura. *Et obtulerunt filios suos et filias suas dæmoniis* (*Psal.* CV). Infantia ut in se diabolo locum faceret, quid criminis admiserat? quid reatus? sed replentur dæmone parvuli, quando a parentibus suis offeruntur diabolo, dæmonum ducuntur ad curam. Denique patris fide solvitur, quem patris infidelitas alligarat. Patris vox est : *Si quid potes, adjuva nos misertus nostri.* Hoc est, nos adjuva, miserere nobis, quorum reatus aggravat innocentem, ad quorum pœnam infantis periculum sic redundat. Et bene Dominus a parentibus fidem repetit, dicens : *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Et pater, *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.* Pater credit; et, sicut diximus, patris liberatur fide, qui patris fuerit infidelitate damnatus. Nam cui genitoris fides profuit, quomodo ei genitoris perfidia potuit non obesse? Quomodo autem sanatus sit, vel quare discipuli, qui multos ejecerant dæmones, hunc nequiverint effugare, juvante Domino secuturo sermone pandemus.

SERMO LII.

De eodem.

[f] Doctoris officium est lecta disserere, et mysticis obscurata sensibus lucido astruere et demonstrare sermone, ne minor intelligentia inde perniciem generet auditori, unde scientiam conferre debuit et potuit salutarem. Hæc est igitur hodiernæ consonantia lectionis. *Et respondens unus de turba, dixit : Magister, attuli filium meum habentem spiritum surdum et mutum* (*Marc.* IX). Non dixit, Attuli filium meum surdum et

[a] Feriri interrogatione, dixit Bachiarius de Recip. Laps. Verba Chrysologi laudat et illustrat Barthius Advers. lib. XXXII.

[b] Dubitabant enim an Christus eum posset sanare. Du Hamelius, hic.

[c] Et revera cum Chrysologo putant alii apostolorum quoque, seu discipulorum fidem vacillasse, ob conceptam rei difficultatem, cum tot in uno coaluissent mala.

[d] Ex sequentibus patet mens Chrysologi : objurgationem scilicet istam e sua sententia non apostolos respicere, ut ait Origenes homil. 4 in Matth. tom. III pag. 15 col. 1 antiquæ edit. apud Juntas 1536; neque apostolos æque ac multitudinem circumstantium, ut Lightfootius, Clericus, et Glossa, sed Judæos tantum quos gentilibus comparat.

[e] Apposite dictum. Nam Christus ostendit divinæ erga Judæos patientiæ tempora appropinquasse, et respicit quod in Deuteronomio dicitur de vocatione gentium.

[f] Doctoris, seu docentis appellatio apud Latinos passim obvia. Augustinus serm. 122 de divers.; Lirinensis Commonit. cap. 27; Gregorius M. lib. XVII Moral. cap. 14.

mutum, sed, Attuli filium meum [a] habentem spiritum surdum et mutum. Numquid nequitia spiritalis humanis distinguitur membris, et sensibus angustatur humanis, ut debilitates nostras, nostras perferat passiones; nec videre possit, nisi fenestris oculorum, et foraminibus aurium capere auditum; sermonem linguæ aut oris officio proferre, et per hoc surdi mutique statum miserabilem sustinere, cum tenuis et aerea natura carnem nesciat, refutet ossa, velut aura spirans orbem totum [b] temporis transeat in momento, diversas species assumat, varias mutetur in formas, corda penetret, illudat animabus, inspiret impias et turpissimas cogitationes, nec unde veniat aut quo redeat sentiatur, ac sic innocuas mentes, velut jaculum volans, lethali vulnere et tota facilitate transverberet? Parum esset si hoc pater solus sua supplicatione dixisset, cum dixit: *Attuli filium meum habentem spiritum surdum et mutum*, nisi Dominus ipse immundum spiritum tali increpatione depulisset: *Surde et mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo.* Sed jam quæ ad solutionem quæstionis pertinent prosequamur. Deus qui dæmones est [c] perpetuo crematurus incendio, qui jam eos, et in præsentia astringit vinculis, angit cruciatibus, urget pœnis, potest et cum jusserit tota debilitate truncare, atque eo modo quo vident, quo audiunt, quo loquuntur, cæcos reddere, surdos et mutos facere ne loquantur. Sed in hoc loco quid diabolus homini fecerit declaretur. [d] Antiquus refuga, ubi Deum terris reperit advenisse, obstruxit aures hominum, vinxit linguam, et obseratis humanis sensus foribus, speluncæ suæ latebram pectus fecit et paravit humanum: æstimans quod illuc auditus verbi, virtus divini nominis non veniret: simul, ut est dolosus et callidus, patrem capere parentesque tali se credidit decipere figmento, ut desperarent curari posse eum qui audire nec poterat, nec fari; et ut quod erat diabolici operis, esse crederent debilitatis humanæ, deputarent pignori, ascriberent naturæ, quod intulerat hostis inclusus. Denique, sicut Matthæus de eodem refert, et alia simulatione istius miseri fefellerat patrem; nam sibi sic supplicat: *Domine, miserere filii mei, quia lunaticus est, et male torquetur* (*Matth.* XVII). Aut humanæ naturæ aut cœlestis elementi dæmon, [e] quod suæ artis fuerat, voluit tunc videri, aptans [f] lunæ cursibus hominis passiones; vexabat corpus lunaribus incrementis, ut esse lunæ crederent, quod erat diabolici criminis et furoris. [g] Sic homines illusit, circumvenit ignaros, infamavit apud desides creaturam, quæ [h] lumini tantum condita [i] lædere nescit homines quos continua magis juvare cogitur servitute. Verum posteaquam venit occultorum cognitor, inspector validissimus secretorum, cui latentia diaboli non poterunt [j] obviare figmenta, adducitur puer sanandus præceptione divina; ut quidquid diabolus vinxerat, solveretur a Christo. Egit, egit inimicus, ut hoc quod videbatur, esset naturæ. Sed quare discipuli non potuerunt ejicere eum? Quia hic homo gentilis populi producitur in figuram: siquidem gentilis populus juxta Apostolum, habebat spiritum aeris hujus. *Aeris*, inquit, *spiritus, qui nunc operatur in* [k] *filiis diffidentiæ* (*Ephes.* II). Hic ergo erat surdus et mutus, qui nec audire legem poterat, nec Deum poterat confiteri, sed in igne gehennæ, et per aquas amari semper gurgitis jactabatur; nec poterat a discipulis, vel ullo homine sanari, quia Christus olim auditus fidei, confessio salutis, gentium redemptio dicebatur et vita. Denique ubi imperio Christi fugatus est diabolus, patescunt clausa, vincula solvuntur, sermo redditur, auditus redit, homo reparatur, et solus diabolus deflet diuturna se possessione detrusum. Hinc est quod

[a] Omnes sane morborum causas Judæi a spiritibus repetebant. Hunc autem puerum revera dæmon obsidebat.

[b] Editi tantum non omnes, quos emendavit Meursius, habent *temporis in monumento*.

[c] Vide an Chrysologus hic in illam incidat veterum sententiam, dæmones et nunc dira pati, sed post diem judicii tantum inferni igne esse cremandos.

[d] Vocat diabolum refugam. Refuga enim desertor est, et, ut ait Glossar. Latin. ms. apud Ducangium, *apostata*, et *qui a vero Dei cultu discedunt*. Utuntur hac voce Zeno Veron., serm. de Somno Jacob; Tertullianus, de Habitu muliebri cap. 5; Prudentius, ode 1 Peristeph., et Noster, serm. 155, de Herode.

[e] Consonant Origenes, Chrysostomus et Hieronymus, qui naturalem morbi causam in puero hoc non agnoscunt, opinanturque una cum Nostro dæmones, ut homines fallerent, et in lunæ creatorem convicia evomerent, ægrum hunc excruciasse. Juvencus:

> Nam cursus lunæ natum mihi hunc dæmonis arte
> Torquet.

Hinc est quod contra medicos insurgit Origenes, t. I pag. 311 edition. Huetii, qui morbum hunc non dæmonis arte invectum, sed ab *humiditate lunæ* invectum arbitrantur. Reprehendendus et ipse, qui in alteram partem longius recedendo a recta via aberravit; omnia enim dæmoni, nil naturæ permisit, cum e contra Euthymius in Matth. IV, 24, ad solam naturam referat. Recte autem existimat Huetius, in Origenian. pag. 54 col. 2, fuisse *epilepticum*, *paralyticum* et *dæmoniacum*. Id utique enim inauditum non est, ut duo hæc confundantur. Vide Hesychium.

[f] Comitiali quodam morbi genere laborant lunatici vel epileptici, et in plenilunio majori vi agitantur. Causam aperit laudatus de Ader de Morbis Evang., et Euthymius loco superius citato. Rusticus Elpidius lib. V vers. 243:

> Repserat in miserum rabies horrenda furoris
> Dæmonis afflatus, propria qui peste novicus
> Allidit captans fœdo discrimine mentes
> Menstrua deciduos cum luna recolligit ignes.

[g] Theophylactus in cap. XVII Matth.: *Non luna causa erat morbi; sed dæmon observabat plenilunium, et tunc insidiabatur, ut arguerentur opera Dei, tamquam nobis mala inferentia.*

[h] Id est creata, ut lumen noctu super res sublunares effunderet.

[i] Quam vana sit astrorum observatio innuit. Sortes rerum omnium vetustissimi Chaldæi et Ægyptii sideribus deputabant; et Fortunæ quidem sortem tribuebant lunæ, ut dæmonis sortem soli, et huic res ad animum pertinentes, illi res corporeas curæ esse putabant. Id quod pluribus testimoniis tum ex Macrobio, tum ex Anthologiis Vevii Valensis demonstrat Seldenus lib. de Diis Syris syntagm. 1 cap. 1.

[j] Id est, *contraire*. Explicat Barthius in notis ad Claud. Mamert. cap. 12 pag. 384; et in Advers. lib. x cap. 5, quod aliis Patrum exemplis illustrat, et ampliora congerit lib. XLVI cap. 7 col. 2132. Rudulphus Ardentius, homil. 19: *Quando præceptum terreni Patris non obviat præcepto Dei.*

[k] Ab Apostolo intelligi hic Judæos et gentiles cum Chrys. tradunt enarratores non pauci. Vide Grotium hic.

veniens ex gentibus [a] impositione manus et [b] exorcismis ante a dæmone purgatur, et [c] aperitionem aurium percipit, ut fidei capere possit auditum, ut possit ad salutem prosequente Domino pervenire.

[d] SERMO LIII.

De pace.

Beati pacifici, ait evangelista, charissimi, *quia ipsi filii Dei vocabuntur* (*Matth.* v). Merito Christianæ virtutes virescunt in eo qui unanimitatem Christianæ habet pacis, nec pervenitur ad vocabulum filii Dei, nisi per nomen pacifici. Pax est, charissimi, quæ spoliat hominem servitute, dat nomen ingenuum, mutat apud Deum cum conditione personam, ex famulo filium, liberum facit ex servo. Pax fratrum voluntas est Dei, jucunditas Christi, perfectio est sanctitatis, justitiæ regula, magistra doctrinæ, morum custodia, atque in rebus omnibus laudabilis disciplina. Pax suffragium precum est, supplicationum facilis, atque impetrabilis via, desideriorum omnium competens plenitudo. Pax dilectionis mater est, concordiæ vinculum, ac puræ mentis indicium manifestum, quæ sibi exigit de Deo quod velit; quæ quidquid voluerit, petit; quidquid petierit, sumit. Pax præceptis regalibus conservanda est, ipso Domino Christo dicente: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV); hoc est dicere: In pace vos dimisi, in pace vos inveniam: proficiscens voluit dare quod desiderabat rediens in omnibus invenire. Cœleste mandatum est servare quod dedit: una vox est, inveniam quod dimisi. Plantare pacem radicitus est Dei; evellere penitus, inimici. Nam sicut amor fraternitatis ex Deo est, ita odium ex diabolo; quapropter damnanda sunt odia, quoniam scriptum est: *Qui odit fratrem suum, homicida est* (I *Joan.* 3). Videtis ergo, fratres dilectissimi, quare pax amanda est, et diligenda concordia; ista sunt enim quæ generant et nutriunt charitatem. Scitis autem, secundum apostolum, *quia charitas ex Deo est* (I *Joan.* IV); sine Deo ergo est, qui non habet charitatem. Pax plebis charissimi est gloria sacerdotis, et pacis plena lætitia est perfecta charitas filiorum. Sacerdotis est admonere quod decet, plebis est audire quod monet; quidquid non licet, pastoris est prohibere, gregis audire ac velle ne fiat: utraque si conveniant, salva sunt omnia; nec Deus invenit in plebe quod puniat, nec sacerdos potest habere quod doleat. Servemus ergo, fratres, mandata, quæ vitæ sunt; teneat se profundæ pacis nexibus colligata fraternitas, et salutari vinculo charitatis mutua se dilectione constringat, quæ operit multitudinem peccatorum. Dilectio ergo omnibus desideriis amplectenda est, quæ tot bona potest habere quot præmia. Custodienda præ omnibus virtutibus pax est, quoniam Deus semper in pace est. Locum non demus inimico, ne in tritici segete valeat seminare zizania, et, securo jam rustico, et spe longi laboris eluso, exspectatos fructus ipsa messis maturitate perdat; aut vinum vetustate suave in liquorem perfidiæ demutatum infusa fæcis permixtione conturbet; aut inter dulcia mella felle venena amariora confundat. Procul contentiones, procul lites, procul maledicta mittantur: et quia laqueus est mortis lingua susurronis et bilinguis, parcat unusquisque animæ suæ, ne in supplicium suum vincula sibi mortis innectat. Amate pacem, et tranquilla sunt omnia: ut et nobis præmia, et vobis gaudia reservetis, ut Ecclesia Dei in pacis unitate fundata, perfectam in Christo teneat disciplinam.

SERMO LIV.

De Zachæo.

Beatus evangelista [e] proxime dum divitis inhumani vitam describit et finem, humanos movit et mœstificavit affectus: sed hodie Zachæi divitis humanitatem fidemque referendo, cœleste nos extulit, et provexit ad gaudium. *Et ingressus*, inquit, *Jesus, perambulabat Jericho* (*Luc.* XIX). Quare perambulat, non ambulat? Quia [f] quod Moyses ambulaverat, perambulabat Christus; et populum quem Moyses induxit in via, Jesus ad quietem promissæ mansionis adduxit. *Perambulabat Jericho.* Jericho civitas ipsa est, quam Jesus Nave septeno tubarum clangore subvertit (*Jos.* VI). Sed quia Christus venit salvare quod perierat, ingreditur Jericho, ut quod lex terribili vociferatione dejecerat, Jesus clamore piæ prædicationis attollat. *Jesus*, inquit, *ingressus perambulabat Jericho, et ecce vir nomine Zachæus, et hic erat*

[a] Alludit ad veterem Ecclesiæ ritum imponendi manus gentilibus ad fidem accedentibus.

[b] Concilium CP. primum can. 7 lin. 380: *Primo die ipsos*, gentiles sive Judæos, *Christianos facimus*, nomen suum in tabulis referimus; *secundo catechumenos. Deinde die tertio exorcizamus, ter simul in facies eorum et aures insufflando: et sic eos catechizamus, ut longo tempore versentur in ecclesia, et audiant Scripturas; et tunc ipsos baptizamus.* Ex his patet exorcismum fuisse cæremoniam per aliquot dies præcedentem baptismum, ut bene Chrysologus.

[c] Pamelius ad Tertullianum de Baptismo referens verba concilii Bracarensis cap. 3: *Nos omnimode præcipimus ut ante baptismum 20 dies ad purgationem exorcismi catechumeni veniant, et in illis diebus 20 juxta canonicum præceptum erudiantur et consecrentur. Totidem enim dies computantur a sabbato hebdomadæ tertiæ.* Ad eadem, et potissimum ad tertium diem; qui in aperitione aurium dicebatur, alludit B. Ambrosius lib. de iis qui Mysteriis initiantur cap. 1, et de Sacram. lib. I cap. 1; item B. Augustinus, serm. ad Compet. et loc. cit. ab Amalario de Divin. Offic. lib. I cap. 8; et Rupertus de Divin. Offic. lib. IV cap. 18-21. Hactenus Pamelius.

[d] De hujusmodi sermone vide quæ late in præfatione dicta sunt.

[e] Id est paulo ante. Cicero Lucceio lib. V: *Litteræ quas a te proxime accepi.*

[f] Ambulare significat semper esse in motu; perambulare autem est circuire, sed ad metam et quietem. Ambulavit ergo Moyses qui populum per viam tantummodo duxit: Perambulavit Jesus, qui populum duxit ad quietem. MITA. — At Jesus non plures obibat civitatis vias, et plateas, ut nonnulli colligunt ex vulgata verbi *perambulabat* significatione; sed per mediam transibat civitatem, ut Jerosolymam, sui itineris metam, se conferret.

princeps Publicanorum, et ipse dives. [a] Princeps publicanorum in civitate perdita, perditi operis Zachæus egisse scribitur principatum : ex loco, persona, officio, reatus magnitudo monstratur, ut ex magnitudine criminis remittentis luceat magnitudo. *Et quærebat Jesum videre.* Qui Christum videre quærit, cœlum unde Christus est, non terram, de qua aurum est, intueatur. Dives ergo, qui sursum respicit, non portat divitias, sed proculcat; nec incurvatur divitiis, sed levatur; atque [b] agit divitias ad largientis obsequium, non ad divitiarum avaritiæ servitutem; [c] divitiarum servus, non dominus est avarus : at misericors tot servos se probat habere quot nummos. *Quærebat Jesum videre, et non poterat præ turba, quia statura pusillus erat.* Satis hic animo magnus erat, qui pusillus videbatur in corpore; nam mente tangebat cœlos, qui corpore homines non æquabat. Nemo ergo de brevitate corporis, cui addere nil potest, curet; sed ut fide [d] emineat, hoc procuret. *Et præcurrens, ascendit in arborem.* Quibus putas iste gradibus altissimæ arboris pervenit ad ramos? Iste calcavit terram, superascendit aurum, transcendit avaritiam, et totam divitiarum supergressus est molem, ut prosiliens in [e] arborem veniæ, misericordiæ apprehenderet fructum, et de [f] specula confessionis indulgentiæ cerneret largitorem. *Ascendit in arborem sycomorum.* Mysterio, non causa; ascendit in arborem [g] sycomorum, ut unde Adam texerat nuditatem corporis, Zachæus inde velaret feditatem avaritiæ. *Ascendit in arborem sycomorum, ut videret Jesum, quia inde erat transiturus.* Vere dixit transiturus, quia Christus per terrenas vias et humanos labores non mansurus venerat, sed venerat transiturus. *Cum autem Jesus venisset ad locum, suspiciens, vidit eum.* Quasi si illuc non vertisset oculos, non videret, qui Nathanael cum absens esset, sub eadem arbore longe vidit (*Joann.* I) : sed vidit eum, vidit ad veniam, respexit ad gratiam, intendit ad vitam, contemplatus est ad salutem. Deus quem videt, non ut ignorans agnoscere cupit, sed ut sciens ad gloriam vult videre. *Vidit eum, et ait ad illum : Zachæe, festinans descende, quia hodie oportet me in domo tua manere.* Si bene ascenderat, quare ei dicitur descende? Superius dixit : Præcurrens ascendit arborem. Præcurrit servus Dominum, et ante Zachæus ascendit arborem quam crucem Dominator ascenderet; hinc est quod dicitur ei : *Festinans descende.* Si sapis, festinans descende : descende ante Dominum de Adamatica arbore, ut post crucem Dominicæ passionis ascendas. *Nisi quis tulerit crucem suam, et secutus me fuerit* (*Matth.* X); non dixit, præcesserit me. Descende ergo, ut deponas tantæ fraudis onera, pondera cupiditatis, usurarum molem, magisterium publicani, exactionis crudelissimæ principatum, expeditus intres paupertatis scholam, discipulatum misericordiæ, pietatis usum, patientiæ disciplinam, studia virtutum, scientiam divinitatis, tolerantiam passionum, philosophiam mortis, atque inter vitalis ligni ardua jam perfectus ascendas. *Descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Cujus domum non intraverit Christus, ille ad divinam non perveniet mansionem; et cujus hic ad mensam non sederit Christus; ille cœlestem non accumbet ad mensam. *Et festinans descendit, et suscepit eum gaudens.* Gaudet, quia suscepit susceptorem suum, quia pastorem suum pascit, quia reus judicem suffragio humanitatis inclinat, quia cibi et potus fenore debitorem suum sibi facit et acquirit; et sic fit, ut quæstum non perdat publicanus iste, sed mutet. *Et cum viderent,* inquit, *omnes murmurabant dicentes, quod ad hominem peccatorem divertisset.* Et quis sine peccato? Et si nemo, ipse sibi veniam negat, qui Deum, quod ad peccatores ingreditur, accusat. Deus, quando peccatorem quærit, non peccata, sed hominem quærit : ut peccatum, quod est opus hominis, despiciat, ut opus suum, quod homo est, non amittat. Audi prophetam dicentem : *Averte faciem tuam a peccatis meis* (*Psal.* L), hoc est, ab operibus meis. De se autem : *Opera manuum tuarum ne despicias* (*Psal.* CXXXVII). Judex, cum vult ignoscere, hominem respicit, non culpam; pater, cum misereri vult filio, affectum cogitat, non delictum : sic in homine Deus sui memor est operis, ut operis obliviscatur humani. Tu ergo qui reprehendis, qui murmuras cur ad peccatorem diverterit Christus, viam salutis, exemplum veniæ, misericordiæ spem de tali ingressu cape, et cave ne hoc tibi sit blasphemandi materia, quod tibi occasio est salutis. Quo medicus nisi ad ægrum? *Non est opus*, inquit, *sanis* chæus conscendens, veniam a Christo Domino meruit impetrare.

[a] Ad quem tamquam ad præfectum, vel societatis quæ ibi coierat caput et præsidem inferiores Publicani vectigalia deferebant.

[b] Locum laudat Barthius Advers. lib. XVI cap. 20 pag. 849.

[c] Claudianus :

Si metuis, si prava cupis, si duceris ira,
Servitii patiere jugum.

[d] Sic cum mss. et editionibus Bonon. et Mita. Aliæ, *immineat.*

[e] Mita putat sycomorum Zachæi dictam arborem veniæ, eo quod ex hujus foliis Adam et Eva post lapsum fecerunt sibi succinctoria, cum eos peccasse puderet. Et laudat Augustinum de verb. Apost. serm. 8, tom. X. Unde arbor veniæ ea dicitur sub qua fuit progenitoribus venia ab ipso Deo pronuntiata. Crederem autem Chrysologum hic de arbore Adam nec somniasse quidem. Vocat arborem veniæ illam quam Za-

[f] Iterum Mita ariolatur, et ficus hæc putat vocari *specula confessionis*, quia sub ea protoparentes nostri tegendo pudenda sua, fassi sunt peccata. Ex hac arbore veluti e specula eminentiori Zachæus intuitus est Jesum prætergredientem, eumque Dominum esse cognovit *misericordiæ largitorem.*

[g] Varias circa arborem Adami sententias habes apud enarratores. Sycomorus etiam vocatur ficus Ægyptiaca, quam describit Plinius lib. XI cap. 7. Unde Chrysologus et alii hanc eamdem putant cum fico, de cujus foliis prima sibi integumenta patres nostri contexuere. Magistri autem Hebræorum, et Arabes interpretantur *morum.* Nomen autem Græcum indicare videtur hanc arborem ita *moro* esse similem, ut ficum aliquatenus referat. Leo, in descript. Africæ, eam proprio vocabulo vocat *giumum*, et summæ ait esse proceritatis.

medicus, sed male habentibus (*Matth.* IX). Quo anhelus pastor, nisi ad ovem perditam? Quando [a] se rex hostibus immiscet, nisi cum vult liberare captivum? Et qui pretiosam perdit margaritam, loca squalida non dedignatur intrare, et eam inter stercora ipsa perquirere non abhorret. In quod præceps post filium non se dat mater? Et arguitur Deus, *qui creavit hominem ad imaginem et similitudinem suam* (*Gen.* I), quare hominem inter peccata charitate conditoris inquirit? Murmuras, homo, quare hominem Deus inter peccata quærat : quid facies cum videris eum propter hominem ipsas tenebras tartari penetrare? Audi tamen quid ingressus ad peccatorem fecerit Christus. *Stans*, inquit, *Zachæus dixit.* Vides quomodo erectus est, qui jacebat. Jacemus in vitiis, et jacemus oppressi; stamus, cum bonis operibus, erigimur ad profectum. *Stans*, inquit, *Zachæus, dixit, Dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Iste post mortem se credit esse victurum, qui dimidium bonorum jam futuram transmittit ad vitam. Sit licet ille perfectus, qui totum quod habet illuc, ubi victurus est, semper hinc præmittit; est iste tamen virtutum socius, consors prudentiæ, fidei particeps, qui ad Deum vel dimidium mittit, quia homo quod hic reliquerit, hoc amittit. Et revera, fratres, sicut se iste ibi credit vivere, qui illuc transmittit sua; ita ille se tibi non credit esse victurum, qui sibi illic quod habere debeat nil pararit. Nam si paupertatem vix ferre possumus temporalem, in æternum mendicus fieri quis durabit? Quis militans non ad patriam mittit, quidquid bellico sudore conquirit, ut adolescentiæ labores senectus deliciosa compenset? Et Christianus cui militare est id, quod vivit in sæculo, quomodo non cogitat ut pericula terrena otiis cœlestibus consoletur? Qualiter hæc faciat Christianus, Zachæus ipse et verbo docet et monstrat exemplo. *Dimidium bonorum meorum do pauperibus, et si cui aliquid fraude abstuli, reddo quadruplum.* [b] Qui aliena prorogat, plus dando diripit quam furando; nec compescit inde dolentum gemitus, sed producit. Audeo dicere, qui de fraude Deo offert, cumulat crimina, non emundat; quia Deus in tali munere exuvias suorum pauperum, non [c] misericordias intuetur. Sine causa Deo plorat, contra quem juste causa pauperis ploraverit Deo. Dei vox est : *Si pignus tuleris fratri tuo tunicam, ante solis occasum reddes illi* (*Exod.* XI). Sicut furem lucerna prodit, ita sol eos qui fraudantur, accusat. Si volumus Deo offerre nostra, si apud Deum quæ nostra sunt possidere volumus, mereamur et nos audire talia, qualia Zachæus audivit : *Hodie domui huic salus advenit, quia et hic filius est Abrahæ.* Inhumanus dives cum esset filius Abrahæ, factus est gehennæ filius; iste cum esset rapinæ filius, dando sua, aliena reddendo, [d] Abrahæ adoptatur in filium. Ne quis tamen putet Zachæum offerendo dimidium bonorum perfectionis tenuisse fastigium, qui post omnia sua et seipsum sic dedit Domino, ut [e] episcopatus honore fultus, a mensa publicani quæstus ad mensam dominici corporis perveniret; et fraudulentas sæculi divitias derelinquens, in paupertate Christi veras sæculi divitias inveniret.

SERMO LV.

De paterna Dei in nos dilectione, de patrum in filios charitate, et de Judæorum pœna.

Posteaquam præcepta legis diffusa voluminibus, congesta libris, amorem nobis non suffecerunt commendare divinum, duris hominum præcordiis, comparationibus, exemplis, inseritur Dei et insinuatur affectus. *Quis*, inquit, *ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ovum, numquid porriget illi* [f] *scorpionem? Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis spiritum bonum dabit petentibus se* (*Luc.* XI)*? Quis ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi?* Charitas dolum non habet; frau-

[a] Ita ex ms. Cæsen. restituimus cum Mita. Omnes quot vidimus editiones, *se ex hostibus*, vel *se hostibus*.

[b] De bonis alienis faciens quis eleemosynam plus diripit in faciendo eleemosynam quam diripuerit in alienis furandis. Ratio est quia furando fraudem intulit homini; de re autem furto sublata faciendo eleemosynam, sibi, et proximo, et Deo ipso fraudem intulit. Homini, cui rem non restituit; sibi, quia sic faciendo sibi falso persuadet satisfecisse justitiæ; Deo, quia, quantum ex se est, propria sic commemoravit crimina, et furtum Deo judici ostendit. MITA.

[c] Misericordias pro eleemosynis. Ita Fulgentius in lib. de Trinit. lib. IV cap. 24 : *Misericordiam dispensare pauperibus.* Laudat hunc locum Ducangius in Glossar. tom. II pag. 638 antiq. edit.

[d] Veteres magno consensu volunt Zachæum fuisse gentilem. Aliis verosimilius est fuisse Judæum, sed Publicanum, et, uti publicanum, vixisse usuris et quæstibus addictum. Non enim Judæi Christum traduxerant, eo quod apud incircumcisum epularetur, hoc profecto non prætermissuri, sed quod apud peccatorem. Nec Judæis interdicebatur publica conducere vectigalia. Vide Grotium hic.

[e] Auctor Const. Clem. lib. VII cap. 46 pag. 38, a. : *Cæsareæ Palæstinæ primus ordinatus est episcopus Zachæus, olim Publicanus; post eum Cornelius; tertius Theophilus.* Audiendus autem Latinius ad hunc locum Chrysologi : *Quadium Hierosolymorum episcopum, nomine quidem Zachæum fuisse constat, et 4 Trajani anno, post Justi mortem, eam Ecclesiam regendam suscepisse, id est anno Christi 114. Fuisse tandem eumdem qui Publicanus in Evangelio descriptus est, vix, aut ne vix quidem verosimile videtur : eum post tam longum temporis intervallum hominem jam Publicani munere fungentem cum vocatus a Christo est, et superfuisse, et usque ad regendam Ecclesiam idoneum existimatum esse, non facile credi potest.* Annus Christi 114 conjungendus est cum Trajani imperio 16, Q. Nicco Hasta et P. Manilio Vopisco coss. De episcopatu Zachæi concordant alia scripta Clementi attributa; nec non Rufinus, in præf. ad Recognit.; et Hæresiographus, Sirmondianus, hæres. 11, 12. Pseudo-Clementis scripta aut non legit, aut lecta sprevit Eusebius Cæsariensis, alias tantum Ecclesiæ suæ ornamentum in operibus suis non omissurus. Quæ in epistola 3 supposititii Anacleti in Concilior. tom. I pag. 451 leguntur, de episcopatu Antiocheno Zachæi, nugæ sunt, quibus omnis obstat antiquitas.

[f] Scorpionum genus est quoddam album, ovoque simile.

dem pietas, affectio non recipit falsitatem. Si pater est, non potest non amare; si amat, nisi quod bonum est dare nescit. Negat patrem, qui de patris suspectus est largitate; ignorat se filium, quem data [a] paterna sollicitant. Totum quod est pietatis excludit, qui salutare non credit quidquid dederit pater; aut quomodo pater poterit filiis dare mala pro bonis, qui mala semper pro filiis paratus est sustinere, qui pro filiis mortem non refugit, pericula non declinat? Ideoque te Deus patrem fecit, ideo a te voluit hominem procreari, qui utique quod te de terra fecerat, poterat fecisse quamplurimos : sed egit ut generando scires quanta esset generantis affectio, et in te amorem tui tantum probares auctoris, quantum ipse auctor pignoris tuo pignori conaris impendere. Certe non solum in te quid esset generantis affectio, sentire te Deus voluit, sed in feris, et in pecudibus, et avibus, hoc Deus voluit te videre : quæ cum de terra produxerit sola jussione, postea laborem sentire compulit generandi, mutare patrias, loca cubilibus apta conquirere, fetus locorum difficultatibus communire, gemitibus edere, maximis laboribus enutrire, ac se morti, si natos suos capi viderint, non negare. Unde si non hominis, vel ferarum comparatione, pecudum similitudine, exemplis avium, disce quanta sit in paterna charitate sinceritas. Si ergo Deum credis, et confessus es patrem, quidquid jusserit, quidquid in te elegerit, crede tibi satis esse salutiferum, crede satis esse vitale. Matris data discutere non licet, patris monita retractare non convenit; sic licet paterni mandati species tristior, res tamen ipsa salutifera et vitalis. Sic Abraham ubi Deum patrem credidit, mandatorum formas non attendit asperas et acerbas; circumcisionem recipit verecundam (*Gen.* XVII); et quæ cœlestis Pater jubet, non discutit, sed judicat gloriosa : parricidium considerat perscelestum; sed quia Deus imperat, totum pietati committit. Hinc Isaac patris super se gladium cum videret, hostiam se esse, cum horrere, cum dolere poterat, est gavisus (*Gen.* XXII). Hinc Jephte filia patris munus, patris vota, sua morte tota gratulatione persolvit (*Jud.* XI). Quare ergo jam sciens Deum de patris disputat datis, cum parvulus et innocuus quærit a patre, non sibi bona et profutura percipit? Sed cur has similitudines Dominus fecerit, perquiramus. *Quis*, inquit, *ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi?* Potuit dicere, numquid zizania, numquid lolium, quod ex vicinitate et similitudine mentitur panem, sed generat angustias? Sed Christus venerat filiis, id est Judæis, quos genuisse tali clamore querebatur : *Filios genui et exaltavi; ipsi autem spreverunt me* (*Isa.* I); venerat ergo filiis, venerat panis de cœlo, qui dixit : *Ego sum panis qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI). Sed Judæis est conversus in lapidem offensionis (*Rom.* IX), et petram scandali (*Isa.* VIII), dicente Domino : *Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali* (*Isa.* XXVIII). Quare petram? Quia mordere petram, non panem a patre quærere gestiebant.

Circumdederunt me, inquit, *canes multi* (*Ps.* XXI). Denique posteaquam illi ex hominibus in canes probantur esse conversi, cœlestis illis in petram conversus est panis, non dantis vitio, sed accipientis nequitia, qui illos non reficeret, sed necaret; nec in fundamento positus promoverat ad culmen, sed eos qui sui patris tendebant ad necem, in profundam daret et volveret in ruinam. Adjecit aliam similitudinem : *Numquid pro pisce serpentem dabit illi?* Erat [b] et piscis Christus Jordanis levatus ex alveo, qui carbonibus impositus passionum, post resurrectionem suis, id est discipulis, escam præbuit tunc vitalem; sed Judæis in serpentem piscis iste commutatur, dicente Domino : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in eremo, ita exaltari oportet Filium Hominis* (*Joan.* III). Judæi in serpente videbant Christum, quia impius oculus Deum videre non potest, non potest videre pietatem. Dixit et tertiam similitudinem : *Numquid si petierit ovum, porriget illi scorpionem?* Consuetum est et solemne semper parvulos ovum petere, et parentes ovum pusillis petentibus non negare : sed quia Christus venerat congregare sicut gallina pullos suos (*Matth.* XXIII), ovum protulit verbi, per quod Ecclesiæ germina sancta nutrirentur. Sed quia Judæus per invidiam effundere magis quam sumere ovum id volebat, reperit ibidem scorpionem, ut juxta Apostolum, *Mandatum quod erat illis in vitam, hoc illis esset ad mortem* (*Rom.* VII). In commendationem pietatis tria Dominus protulit, et demonstravit exempla, ut tribus testimoniis, sicut tribus testibus, et pios ad fidem sui amoris animaret, et confutaret impios, non patris, sed suo vitio charitatis gratiam non cepisse.

[c] SERMO LVI.

De symbolo apostolorum.

Sollicitaret me acerbi partus subita et confusa

[a] Locum hunc affert Tilmanus in Allegoriis ad cap. XI Lucæ.

[b] Hoc eum nomine vocat Paulinus Nolanus epist. 100 ad Pammachium pag. 72 : *Ipse verus et aquæ piscis Christus*, ubi Rosweidus in notis varia congerit. Tertullianus, lib. de Baptismo, recens baptizatos et Christianos a Christo Pisce *pisciculos* vocat. Unde Clemens Alexandrinus, lib. III Padog., eos monebat ut in memoriam Christi, vel baptismatis, *piscem* in annulis suis insculperent. Optatus lib. III adversus Parmenian., ad mentem Chrysologi : *Hic est piscis qui in baptismate per invocationem fontalibus undis inseritur... In uno nomine per singulas litteras turbam sanctorum nominum continet* Ἰχθύς. *Piscis enim Latine est Jesus Christus, Dei Filius, Salvator*. Mysterium hujusmodi litterarum aperit Augustinus lib. XVIII de Civit. Dei cap. 23 pag. 583 edit. Antuerp. Horum autem Græcorum quinque verborum quæ sunt Ἰησοῦς Χριστὸς, Θεοῦ Υἱὸς, Σώτηρ, quod est Latine *Jesus Christus, Dei Filius, Salvator*, si primas litteras jungas, erit Ἰχθύς, id est, *piscis*. Versus Græcos, quibus acrostica hæc, a Sibylla Erithrea habes apud Eusebium in oratione Constantini cap. 13.

[c] Constat ex lectione sermonem hunc habitum fuisse instante Paschate, cum nondum tempus baptismi solemniter habendi advenerat. Occasionem præbuit aliquorum pietas, qui baptismo inhiantes, tempus ad hoc debitum prævertere voluerunt. Celeritatis rationem tacet Chrysologus. Tillemontius, tom V, p. 188, credit inter auditores hujus sermonis nonnullos fuisse

tempestas, et immatura germinum me pullulamenta turbarent, nisi crebro disruptis temporum moris, et [a] rudi latrocinio, et [b] effractis viscerum claustris, repentina vivendi lucra quærerent et raperent nascituri. Hinc est quod homo sæpe [c] mensis decimi despiciens terminum, septimo mense angustas primæ domus et arctas uteri abjicit et deserit mansiones, ut præliator novus ante se [d] tempus evicisse gaudeat quam dependat ipse suam temporibus servitutem. Et si hoc humanæ licet naturæ, naturæ cœlesti quid obsistere poterit et divinæ? Aut quid sanctus Spiritus non potest, si hoc potest caro? Aut quomodo gratia superna non efficit, quod fragilitas obtinet, et implet humana? Nonne sic Paulus acerbo dolore viam nostræ vexavit, et viscera genitricis, ut cœlesti turbine, ac tota tempestate Ecclesiæ præveniret tempora parientis, ut subito, et [e] in via nasceretur (*Act.* IX), qui erat ad fidem viam gentibus præbiturus? Merito se [f] abortivum nuncupat (I *Cor.* XV), et miratur se fuisse natum, qui novit se nulla conceptus tempora pertulisse. Namque cum adhuc hostis ipse cæderet extrinsecus sanctæ matris uterum, et in ipso ortu pignora veneranda collideret, repente sanctum mutatur in germen, qui ipsius germinis fuerat ferocissimus persecutor. Eunuchus etiam [g] generatur in via (*Act.* VIII). Ut quem castraverat humana teneritas ad hominis servitutem, et intra [h] regis aulam invita castitas collocarat, voluntaria castitas, et votiva ad cœlestis aulæ gloriam, ad æterni regis promoveret et transferret obsequium. Beatus iste cui datum est ut palatii infulas non amitteret, sed mutaret. Hæc dicit ratio, filioli, ut vos quos [i] tristes suscepimus ad matris uterum, lætissimos perducamus uno eodemque momento. Audite fidem, orationem discite. Sed quia, impediente tempore, nec nos vobis possumus [j] aperire mysterium, nec vos nobis potestis [k] solemniter reddere quæ traduntur, agite ut et nunc symboli [l] simpliciter verba discatis, et paschali tempore quo plenius hæc traduntur, sacramenti ipsius interiora possitis agnoscere. Accipite quod vultis, quod desideratis invadite, quia regnum cœlorum vim patitur, et qui vim faciunt diripiunt illud (*Matth.* XI). Accipite quod vultis; et quod vis potest tollere, gratia largiatur. Ingressus vitæ, janua salutis, introitus fidei, singularis, innocens et pura confessio perdocetur, dicente propheta: *Intrate portas ejus in confessione.* (*Psalm.* XCIX). Unde idem propheta taliter admonitus, Dei in se loquentis [m] aditum domorum postulat, dicens: *Aperite mihi portas justitiæ, et ingressus in eas confitebor Domino* (*Psal.* CXVII). Videtis quia non potest confiteri, qui non fuerit ingressus hanc domum salutis et fidei, in quam sicut intromittit confessio, ita negatio de ea indubitanter excludit. Sed quomodo confitendum sit audiamus. *Corde*, inquit Apostolus, *creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X). Et quid crederetur ostendit. Si credis, inquit, Dominum Jesum in corde tuo, et ore confessus fueris, salvus eris. Corde creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem. Magnum, filioli, per hoc fidei nostræ videmus esse compendium, quando inter cor et linguam totum salutis humanæ versatur et geritur sacramentum. Habes homo unde credere debeas, corde creditur ad justitiam; habes unde debeas confiteri, ore confessio fit ad salutem. Et quid dicam? Totum in se habet homo, qui se habet; ipse autem se habet, qui Deum habet; Deum vero habet, qui eum suum credit, et confitetur auctorem. Signate vos. Fides quæ capitur auditu, corde creditur, ore promitur ad salutem, in secreto mentis est collocanda: et ipsis est nostri pectoris committenda vitalibus, [n] ne dum chartis, et atramento describitur incaute, non reservetur credulis ad vitam, sed prodatur perfidis ad ruinam. In te, homo, custodire debes, quod tibi extra te positum poterit deperire.

nescio qua calamitate oppressos, inter quos unus certe ex aulæ primatibus audientium numerum augebat.

[a] Acerbo, intempestivo.

[b] Ex Latinio et ms. Vallicellano; alias, *et fractis*.

[c] Nonne exacto nono mense homo nascitur? Vel de mense lunari loquitur, vel tempus nativitatis late suscipit.

[d] Id est extorsisse tempus, vivendo quasi per vim. MITA.

[e] Ita testatus est Ananias Sauli dicendo: *Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via quam veniebas.*

[f] I Corinth. XV, 8: *Novissime autem omnium tamquam abortivo visus est mihi.* Quidquid extra tempus nascitur abortivum dicitur. Aliam porro ab ea quam affert Chrysologus hujus cognomenti rationem vide apud D. Thomam Oper. tom. VI pag. 394 recent. edit. Venetæ.

[g] Abbas Pezronius existimat fontem aquæ ex quo fuit baptizatus eunuchus, dum iret per viam, effluxisse prope vicum Betheron, vicesimo a Jerosolymis lapide, Ebronem versus.

[h] Cur non reginæ? Vide Plinium lib. VI cap. 29, qui ex Strabone lib. XVII ait Candacis nomen commune fuisse regnantibus in Meroe. At revera eunuchus iste reginæ Candaci in peninsula Meroe in Æthiopia regnanti erat in famulatu. Sancti hujus eunuchi memoriam recolunt Græci die 27 Augusti. Canisius tom. I pag. 850.

[i] Putat Mita baptizandos hos tristes fuisse, *quia illos vitæ anteactæ in peccatis pœnitebat.* Rectius Tillemontio sedit opinio, aliquo infortunio vel calamitate urgeri.

[j] Tangit fortasse arcani disciplinam, qua jubente catechumenis non adhuc competentibus sacratiora mysteria religionis aperire nefas erat. Res satis superque nota.

[k] Mos erat catechistis primo catechumenos edocere, qui stato die circa ea quæ didicerant episcopo interroganti respondebant. Augustinus lib. I de Fid. et Oper. cap. 2: *Baptizandis symbolum tradimus, reddendumque reposcimus.*

[l] Primum catechumenis nuda informatio et instructio facta, et in ea nuda tandum symboli ac orationis Dominicæ recitatio imposita. Vide Calvorium, tom. I pag. 314; Pamelium ad Tertullianum de Baptismo n. 2; Augustinum loc. cit. cap. 6.

[m] Obscurus penitus in editionibus locus, ex emendatione Mitæ clarescit.

[n] Symbolum fidei ore et verbis docebatur; nunquam libris et litteris excipiebatur. Vide notas serm. sequentis.

SERMO LVII.

In symbolum apostolorum.

Beatus Isaias, [a] evangelista non minus quam Propheta, immunda labia se habere et in medio populi habentis labia immunda se habitare deplorat, dicens : *O miser ego, quoniam compunctus sum, quia cum sim homo, et immunda labia habeam, in medio quoque populi habentis labia immunda ego habitem, regem Dominum Sabaoth vidi oculis meis* (*Isai.* VI). Super humano percellitur hic dolore, quia quod de Deo sentit et videt, loqui non valet, annuntiare non potest, non potest confiteri. Quantum caro angusta est, animo suo arcta sunt labia tantum, lingua tantum brevis est suæ mentis interpres. In carne ignis anhelat inclusus, vaporat venas, inflammat viscera, exæstuat in medullis, totaque hominis interna semper incendit, quia quod mentis contemplatur affectu, ore depromere, effundere labiis, lingua distinguere, et in totum non sufficit evaporare sermonem. Hinc est quod Isaias, ubi vidit regem cœli, hoc est Christum, ipsumque esse Dominum Sabaoth, clarâ visione conspexit, sua suique populi labia immunda deflevit; quia sicut illustrat corda, purgat ora, labia emundat Christi confessa divinitas, ita Christi polluit negata majestas. Sed quid iste profecerit prophetæ gemitus audiamus. *Et missus est*, inquit, *ad me unus de seraphim, qui in manu habebat carbonem, quem forcipe tulerat de altari, et tetigit os meum, dicens : Ecce hoc tetigit labia tua, et abstulit iniquitates, et peccata circumpurgavit.* Non est hujus temporis dicere cur unus mittitur, et quis sit iste qui mittitur, et quantus est qui carbonem superni ignis sic manu gestat intrepidus, immo sic suo [b] temperat attactu, ut prophetæ purget labia, non perurat; sed nunc nos etiam toto cordis compungamur affectu, nosque in hac miseria carnis miseros esse fateamur, immunda quoque labia nos habere piis gemitibus defleamus, ut unus iste de seraphim legis gratiæ forcipe, acceptum de superno altari nobis ignitum fidei deferat sacramentum, talique moderamine nostrorum tangat ora labiorum, ut iniquitates auferat, peccata depurget, et ora nostra sic in flammam plenæ confessionis accendat, ut sit ista salutis adustio, non doloris. Petamus etiam, ut ad corda usque nostra perveniat calor iste carbonis, ut de tanta suavitate mysterii, non solum labiis gustum, sed ipsis totam satietatem sensibus et mente capiamus; et sicut Isaias post emundationem labiorum ineffabilem partum Virginis est locutus, dicens : *Ecce Virgo in utero accipiet, et pariet filium* (*Isai.* VII), sic nos passionis sacramentum et resurrectionis referamus gloriam : [c] *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* In Deum vos hodie merito confitemini credidisse, quando deos deasque sexu dispares, numero confusos, turba populares, viles genere, fama turpes, impietate maximos, primos scelere, crimine singulares, ipsis etiam sepulcrorum suorum [d] vultibus accusatos, lætamini vos fugisse; quia miseriæ, doloris et infelicitatis est tantos et tales habuisse servulos, quantos vos et quales dominos hactenus pertulistis. Sed ad unum vivum, verum, solum, sed non solitarium Deum vos pervenisse gaudete, dicendo : *Credo in Deum Patrem.* Jam confiteatur Filium, qui nominat Patrem : quia qui vocari Pater, Pater dici voluit, habere se Filium clementer ostendit, quem non accepit ex tempore, non genuit in tempore, non suscepit ad tempus. Divinitas nec initium capit, nec recipit finem, nec admittit posterum, quæ non agnoscit occasum. Deus Filium non doloribus parturit, sed virtutibus esse manifestat; nec præter se facit quod ex se est, sed generat; dumque in se est, aperit et revelat. De Patre processit Filius, non recessit; nec successurus patri prodivit ex Patre, sed prodivit mansurus semper in Patre. Audi Joannem dicentem : *Hoc erat in principio* (*Joan.* I). Et alibi : *Quod fuit ab initio* (I *Joan.* I). Quod erat utique non accessit; quod fuit, apparet utique non cœpisse. *Ego sum*, inquit, *primus, et ego novissimus* (*Isa.* XLIV). Qui primus est, non est iste post alterum; qui novissimus, post se alterum non relinquit; sed ista cum dicit, non excludit Patrem, sed in se et Patre universa concludit. Sed [e] ad ea, quæ sequuntur accedamus : *Et in Christum Jesum Filium ejus unicum Dominum nostrum.* Sicut reges triumphorum suorum [f] titulis nuncupantur, et subjectarum gentium nominibus conquirunt numerosissima cognomenta; ita Christus bonorum suorum titulis nuncupatur : a chrismate enim vocatus est Christus, qui divinitatis unguentum aridis jam mortalium membris pius medicator infudit; et ut a chrismate Christus, sic Jesus vocatus est a salute, qui ob hoc nos divino infudit unguento, ut

[a] Et potissima ratio est quia suæ prophetiæ objectum est Babyloniæ captivitas, ab hujusmodi captivitate reditus, et futuri Messiæ regnum. Unde hoc eodem *evangelistæ* nomine eum vocant Augustinus lib. XVIII de Civit. cap. 29; Hieronymus epist 17, et in præfat. Isaiæ; Theodoretus item in præfatione; et alii.

[b] Latinius emendat : *tempta; attactu.*

[c] De hoc symbolo, quod apostolicum apud nos audit, plures plura commenti sunt. Vide Vossium, præcipue in dissertatione de tribus Symbolis. Quidquid alii deblaterent, antiquissimum esse patet, et jam dudum ab ætate Rufini, tamquam ab apostolis traditum, habebatur; et eo quoque ævo, scilicet anno 390, eamdem quam nunc habet adeptus erat perfectionem. Confer Rufin. in expos. Symboli inter Opera Cypriani; Ambrosium in Symb. Apost.; Augustinum de Fide ac Symb. ad Catech., et in Enchirid.; Leonem PP. serm. de Pass. Dom. Quin jam pridem ante Rufinum, anno scilicet 198, ipsius antiquitatis vadem exhibet Tertullianum Calvorius tom. I pag. 505 § 3.

[d] In sepulcrorum gentilium facie, vel in antica eorum parte, non raro deorum dearumque crimina et fabularum scelera insculpta conspiciuntur. Testantur quæ supersunt sarcophaga. Vel potius a *sepulcrorum vultibus*, ab aspectu suorum sepulcrorum, quibus fuisse homines evincitur. *Euhemerus*, inquit Minucius in Octavio pag. 189, *eorum, divorum, patrias et sepulcra dinumerat.* Vide quam Minucio similia de Euhemero doceat Augustinus lib. I de Consens. Evang. cap. 23 fol. 271.

[e] Ex ms. Cæsenæ. Editi, *ad ea quæ ante sunt.*

[f] Occurrunt passim in numismatibus et lapidibus; *Africanus, Germanicus, Parthicus, Dacicus*, etc.

ægris certam salutem, perditis perpetuam redderet sanitatem. *Et in Christum Jesum Filium ejus unicum.* Quia etsi sunt multi filii per gratiam, iste unus et singularis est per naturam. *Dominum nostrum.* Qui nos de tantorum, tam crudelium, tam turpium liberatos servitio dominorum, ut non ad conditionem pristinam vindicet, sed ut ad perpetuam libertatem manumittat, inquirit. *Qui natus est de Spiritu sancto.* Ita et taliter tibi nascitur Christus, donec tibi homo nascendi ordinem mutet, ut sit tibi novus ortus in vita, cui vetustus semper in morte manebat occasus. *Qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine.* Ubi spiritus generat, virgo parturit, totum divinum geritur, nil humanum; nec ullus infirmitati locus est, ubi virtus est sociata virtuti. [a] Soporatus est Adam, ut de viro virgo sumeretur (*Gen.* II); nunc [b] stupuit Virgo, ut vir repararetur ex Virgine (*Luc.* I). Quid sibi de tanto, de tali partu natura poterit vindicare, ubi dum videt novari ordinem suum, tota sua conspicit jura mutari, venisse in suam sobolem suum sentit et miratur auctorem? Videatur hoc perfidis vile, magnum est credentibus sacramentum. *Qui sub Pontio Pilato crucifixus est et sepultus.* Audis judicis nomen, ut [c] tempus etiam passionis agnoscas; audis crucifixum, ut nobis salutem perditam per quod perierat [d] reparatam esse agnoscas, et ibi videas pendere credentium vitam, ubi [e] mors pependerat perfidorum. Audis sepultum, [f] ne mors putetur illusa. Hoc est divinæ virtutis insigne, cum mors morte moritur, auctor mortis proprio mucrone truncatur, prædo capitur sua præda, infernus vita dirumpitur deglutita. *Tertia die resurrexit a mortuis.* Tres dies sepulturæ suæ tribus impendit Christus habitationibus profuturus, inferis, terræ, cœlo; instauraturus quæ in cœlo sunt, et quæ sunt reparaturus in terra, et quæ apud inferos redempturus, simul ut Trinitatis gratiam tridui sacramento datam panderet hominibus ad salutem. *Ascendit in cœlos.* Ascendit, non ut se referret in cœlum, qui semper mansit in cœlo, sed ut te perferret, quem taliter vinctum absolvit et subtraxit inferno. Intellige unde, ubi, homo, per Deum sis levatus, ut esses in cœlestibus stabilis, qui eras lubricus, ac [g] semper nutabundus in terra. *Sedet ad dexteram Patris.* Sed suis Pater nil habet a sinistris. Confessio nostra non divini consessus loca, sed virtutis assignat indicia: Deus loca nescit, Divinitas recipit nil sinistrum. *Inde venturus est judicare vivos et mortuos.* Esto vivos, mortuos quemadmodum poterit judicare? Sed illi vivunt, qui nobis mortui computantur. Ergo resurrecturos eos confitemini ad judicium, quos infidelitas [h] existimat deperiisse; ut qui mortui fuerint, et qui reperientur vivi, pariter suorum reddant actuum vitæque rationem. *Credo in Spiritum sanctum.* Postquam susceptæ carnis confessus es sacramentum, oportet te deitatem spiritus confiteri, ut Trinitatis unitas æqua, Patris, Filii, sancti Spiritus per omnia, et in omnibus, virtutis integram fidei in nostra confessione custodiat et teneat veritatem. *Sanctam Ecclesiam catholicam.* Quia neque a capite membra, neque sponsa separatur a sponso: sed tum tali conjunctione spiritus fit unus, fit omnia, et in omnibus Deus. Ergo ipse in Deum credit, qui in Deum sanctam Ecclesiam confitetur. *Et remissionem peccatorum.* Ipsi sibi donat veniam, qui sibi peccata per Christum remitti posse confidit. *Carnis resurrectionem.* Bene credis, si te per Deum credis resurgere ex morte posse, cui resurgunt semper elementa: sic tempus ex tempore, sic ex nocte dies, sic de sepultura sua semina. Nec tu perire poteris, cum illa reviviscant: nec difficile est Deo facere de te sene quod tu facis semper ipse de semine. *Vitam æternam.* Hæc fides, hoc sacramentum non est, [i] committendum chartis, non scribendum litteris, quia chartæ et litteræ magis cauta quam gratiam proloquuntur; ubi vero Dei gratia, donatio divina consistit, ad pactum fides, altitudo cordis sufficit ad secretum: ut hoc salutis symbolum, hoc vitæ pactum, divinus arbiter noverit, testis falsus ignoret. Signate vos. Ipse autem Dominus Deus noster sensus vestros, corda vestra custodiat; et in his quæ præcepit vobis, ipse vobis fautor assistat.

SERMO LVIII.

In idem.

Qui fidem quærit, [j] rationem non quærit; qui divina postulat, [k] seponit humana; qui Deo genitore nascitur, transcendit naturam, et tempori nil debet,

[a] Exstasi quadam et mentis alienatione, inquiunt LXX; vel profundissimo somno cum capitis gravedine, legit Symmachus.

[b] Virgo quasi stupore soporata putatur, ut soporatus est Adam. MITA. Crediderim respexisse ad illud evangelistæ: *Turbata est, et cogitabat, qualis esset ista salutatio.*

[c] Augustinus de Fide, et Symb. cap. 11 tom. VI Oper. pag. 115 edit. Ant.: *Addendum erat Judicis nomen, propter temporum cognitionem.*

[d] Augustinus, serm. 77 de Tempor.: Hoc enim agit Salvator, ut eisdem vestigiis quibus admissa fuerant delicta purgarentur. Et ipse Chrysologus, serm. 77: Eisdem lineis quibus perierat salus humana reparatur. MITA.

[e] Adam scilicet et Evæ, ut putat Mita. Judæorum fortasse, sive gentilium. Sicut enim Christus vita fuit credentium, ita mors fuit infidelium.

[f] Christus enim, secundum formam servi, quam susceperat, et ut homo vere mortuus est. Contra Nestorium, qui solum hominem mortuum dicebat, vel contra Eutychen., de quo vide notas serm. 60.

[g] Sic putat debere scribi Meursius pag. 178 cap. 30, licet temere mutare non audeat quod habent editi, *mutabundus.*

[h] Negantes animarum immortalitatem. MITA.

[i] Augustinus, de Symb. ad Catechumenos: *Symbolum nemo scribit, ut legi possit, sed recensendum, ne forte deleat oblivio quod tradidit diligentia. Sit vobis codex vestra memoria.* Observat. Calvorius, tom. I lib. II sect. 1 cap. 2 pag. 312, Ienæ 1705, in Ecclesiastica Veterum Disciplina vocalem institutionem *catechismum* appellari; ita ut κατηχέω sive κατηχίζω, idem notet quod ἀπὸ στόματος διδάσκω, *ore ac viva voce doceo.* Κατηχίω enim idem est ac ἠχέω, *resono.*

[j] Non ideo quod quæ fides docet contra rationem sint, sed quod supra captum nostræ mentis sint constituta.

[k] Ex ms. Cæsenæ et Vatic.

qui temporis meretur auctorem. Ecce pia [a] fidei germina videmus ante nasci vos velle quam concipi, ante percipere cœli regnum quam ventris angustias sustinere; sic tendere ad patris gaudia, ut matris transeatis languores; nec putatis abortivum, quod maturum creditis esse per Christum. Sic Paulus apostolus per fidem maturus nascitur, qui se abortivum clamat esse per tempus (I *Cor.* xv). Accipite ergo fidem sola fide; nec quæratis aperiri vobis ipsius fidei rationem, quam vos ne requireretis intra fidem vestra festinatione clausistis. Ad fidem vos, Filii, hodie fides vestri auctoris invitat, qui promissionis suæ ante fidem implet, quam fidem vestræ percipiat sponsionis; et hoc restituit rebus humanis, ut olim verbo promiserat per prophetam. *Dilata*, inquit, *os tuum et adimplebo illud* (*Psalm.* LXXX). Hoc est, tu dilata in confessione, et ego illud ipsius confessionis replebo sacramento, et mystico sermone ditabo, et replebo illud toto eloquio cœlestis arcani. Et revera, Filii, quidquid audientis, quidquid respondentis obedientia profitetur, hoc donantis et docentis Dei redundat ad gratiam. Accepturi ergo symbolum, hoc est, pactum vitæ, salutis placitum, et inter vos et Deum fidei insolubile vinculum pectora parate, [b] non chartam; sensum acuite, non calamum; et audita non atramento, sed spiritu ministrante describite: quia committi non potest caducis et corruptibilibus instrumentis æternum et cœleste secretum, sed in ipsa arca animæ, in ipsa bibliotheca interni spiritus est locandum; ne profanus arbiter, ne improbus quod dilaceret discussor inveniat, et fiat ad contemnentis et ignorantis ruinam, quod confitentis et credentis donatum est ad salutem. Sed dicenti tibi prophetæ: *Dilata os tuum et adimplebo illud* (*Psalm.* LXXX), tu respondere possis: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi* (*Psalm.* CXVIII). *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Qui confessus est Patrem, confitetur et Filium, quia sine Filio Pater dici non potest; et quia Deo augeri, Deo addi nil potest. Semper fuit Filius, quia fuit semper et Pater; nescit inchoari Filius, quia deficere Pater nescit; nec crescit Genitus, ubi Genitor non senescit: æterna et coæterna Patris et Filii substantia non gradibus humanis, sed divinis est æstimanda virtutibus. *In Christum Jesum Filium ejus unicum, Dominum nostrum.* Christum unctum accipe non communi oleo, sed sancto, quo natus est Spiritu. *Qui natus est de Spiritu sancto.* Tali nativitate consecrata est in Deo humanitas, non tali dignatione minorata est [c] in homine deitas. *Qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine.* Virginitas Deum credidit, quia non nisi per Deum ipsa virgo esse potuit et mater. *Qui sub Pontio Pilato crucifixus est, et sepultus.* Judicem indicat ut tempus designet; crucifixum memorat, ut passionis conferat qualitatem: et inde fides argumentum divinæ virtutis et veræ resurrectionis colligat, unde impietas materiam contumeliæ et occasionem præsumpsit erroris. Crucifixus in cruce, in edito coram omnibus inimicis, et tota crudelitate spectantibus, et tota acerbitate observantibus, mortem suscepit. Sepulturam patitur, ne mortem non adiisse ut vinceret, sed simulasse ut eluderet, ab impiis jactaretur. *Sepultus, tertia die resurrexit.* Et si in passione nostræ se carnis veram probavit habuisse substantiam, per trium dierum figuram totam Trinitatis resurgit in gloriam. *Ascendit in cœlos.* Ascendit nos perferens, non se referens, qui numquam recessit e cœlo. *Sedet ad dexteram Patris.* Ordo ibi divinus est, non humanus; sic a dextris sedet Filius, ut Pater non sedeat a sinistris: unica et singularis est divina consessio, ubi superna virtus recipit nil sinistrum. *Inde venturus est judicare vivos et mortuos.* Desinant homines, desinant hæretici judicare judicem suum; sperent veniam, ne incurrant de tali præsumptione sententiam. *Credo in Spiritum sanctum.* Nunc perfecta est tua in Trinitate confessio, quando Spiritum sanctum unius cum Patre et Filio substantiæ fideli voce confessus es. *Et sanctam Ecclesiam.* Quia sic conjuncta Christo est, ut totam divinitatis transferatur in gloriam. *Remissionem peccatorum.* Acquire tibi tua fide veniam: quia satis sibi inimicus est, qui hoc sibi dari non credit, quod tota benignitate largissimus promittit indultor. *Carnis resurrectionem.* Crede carnis resurrectionem: quia qui hoc non credit, fidem non habet in prædictis, dicente Apostolo: *Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit* (I *Cor.* xv). Quos judicabit quibus regnabit Deus, si vitæ, si judicio resurrectio non reddiderit quos sæculo mors ademit? *Vitam æternam.* Manifestum est, quia vita æterna ipsa morte moriente succedit.

SERMO LIX.

In idem.

Audistis vocem Patris, vocem vocantis audistis: Venite, filii, venite, venite, quia venit tempus fidei, credulitatis dies, confessionis hora. Venite, petitores fidei, afferte sincerum pectus, cor mundum, puram vocem, ut quod per nos sermo salutaris insinuat, vos sancto capiatis auditu. Fides ex auditu, auditus ex verbo constat. Placitum fidei, pactum gratiæ, salutis symbolum tota simplicitate sensus audite, quatenus illud confessionis tempore et audire possitis et reddere: quia istud reddere est habere; divinum munus qui reddiderit, non amittit. Daturus legem Deus, jussit ut populi lavarent vestes, lavarent corpora sua, totosque se ab omni carnis contagione mundarent, quia appropinquare Deo homo non potest fæce corporali, mundano squalore pollutus. Lex illa, quæ gratiæ umbram tenuit et figuram, [d] purificationem merito

[a] Alloquitur eos qui mox sacro fonte erunt tingendi, quos *fidei semina* vocaverat Tertullianus.

[b] Adi notam ultimam superioris sermonis; et adde Christianum Lupum, tom. I Oper. pag. 6, ubi laudat hæc eadem verba Chrysologi.

[c] Leo M. serm. 1 de Nativ.: *Nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio.*

[d] Notum est quam fuerint familiares Hebræis ablutiones et purificationes. Unde ingredientibus tem-

quærit tantam, tantam merito exigit puritatem. Audituris Divinitatis sacramentum totum, quanta mentis, quanta corporis opus est puritate? Mundemus ergo corda, purificemus corpora, aperiamus oculos, reseremus sensum, animæ januas patefaciamus totas, ut symbolum quod est fidei pactum, audire, capere, tenere, et in ipso cordis nostri secreto semper servare possimus. *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Credimus in Deum, si negamus deos, si renuntiamus idolis, si diabolum et ejus angelos abnegamus. *Audi*, inquit, *Israel, Dominus Deus tuus unus est* (*Deut.* VI; *Marc.* XII). Et iterum: *Non erunt tibi dii alii absque me* (*Exod.* XX). Habebit ergo Deum verum, unum Deum, qui Deum alterum non habebit. Credimus in Deum, et eumdem confitemur Patrem, ut eumdem semper habuisse Filium nos credamus: habuisse autem Filium, non conceptum, non inchoatum, non separatum partu, non auctum tempore, non minoratum gradu, non ætatibus immutatum, sed intra æternum Genitorem germen permanens in æternum. *Ego*, inquit, *in Patre et Pater in me est* (*Joan.* XIV). Audivimus Patrem, credamus Filium virtute divina, ordine non humano, arcano Dei, non ratione mundana, non lege sæculi, sed potentia superna. Quod scire licet, discutere non licet; credere convenit, non convenit perscrutari: nam ob hoc omnipotentem Deum diximus, ut Deo impossibile nil putemus. *Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum.* Ab unctione Christus, Jesus vocatus est a salute: quia et unctio, quæ per reges, prophetas et sacerdotes olim [a] cucurrerat in figuram, [b] in hunc regem regum, sacerdotem sacerdotum, prophetarum prophetam, tota se plenitudine Spiritus divinitatis effudit; ut regnum et sacerdotium, quod per alios præmiserat temporaliter, in auctorem ipsum refunderet et redderet sempiternum. Et Jesus quidem, id est, salvator, recte dicitur salus, quia et dedit rebus esse, et [c] idem pereuntibus dat salutem. *Filium ejus unicum.* In se est unicus Filius, qui quod aliis per suam gratiam donat, ipse sibi unicam possidet [d] per naturam. *Dominum nostrum.* Sicut supra diximus, Dominus Deus: Deus A unus constat in Christo: quia quidquid est, et deitate et humanitate Deus unus est. Desiit in Christo [e] substantiarum diversitas, ubi caro cœpit esse quod spiritus, quod Homo Deus, quod nostri corporis et deitatis una majestas. *Qui natus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine.* Quid terrenum nascitur, ubi auctore spiritu virgo vocatur in partu? quis non divinum credat, quando quæ peperit nil sensit humanum? Deum mulier virgineo portabat in templo: hinc est, quod et acquisivit honorem matris, virginitatis gloriam non amisit. *Qui sub Pontio Pilato crucifixus est et sepultus.* Nomen judicis dicimus, ut passionis tempus, ut rei gestæ veritas sic patescat. *Crucifixus est.* Ut quia per lignum mors venerat, rediret vita per lignum. *Et sepultus.* Ut officia tota mortis im- B pleret, ut mors morte moreretur, ut ex illius semine corporis, omnis humanorum corporum satio vitalem surgeret et levaretur in messem. *Tertia die resurrexit a mortuis.* Ut tribus in diebus Trinitatis beneficium panderetur, ut per triduanum tempus humana trium temporum generatio salvaretur, id est, ante legem, in lege et in gratia. *Ascendit in cœlos.* Non ut petens, sed ut repetens cœlos. *Nemo ascendit in cœlum*, inquit, *nisi qui de cœlo descendit* (*Joan.* III). *Sedet ad dexteram Patris.* Sed Patrem non habet ad sinistram. Divinitatis consessus recipit nil sinistrum. *Sedet ad dexteram Patris*, ut patris deitate una. *Sedet ad dexteram*, ne sit minor gradu, posterior ordine, sed Patri divinitate una, æqua potestate conregnet: *Ego*, inquit, *et Pater unum sumus* (*Joan.* X). *Inde venturus* C *est judicare vivos et mortuos.* Si credimus venturum judicem, innocentes judici nos præparemus: judicem negat esse, qui advenire non credit: judicandum se satis iste diffidit, qui male vivit. Judicat vivos, judicat et mortuos, quos utique judicaturus exsuscitat. *Credo in Spiritum sanctum.* Hucusque Dominicæ nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis, adventus mysterium confitentes, ad confessionem sancti Spiritus jam venimus: ut sicut in Patrem, et Filium, in sanctum Spiritum sic credatur, ut unam in Trinitate deitatem, virtutem, gloriam prædicemus. *Et sanctam*

---

plum præsto erat mare æneum: ubi se quisque lavaret. Hujusmodi morem, fuisse etiam gentilibus (id scilicet curante diabolo, ut quæ ad Dei cultum ordinata fuerant, ad idola referrentur) testis est Herodotus lib. I, inter Donaria Delphos a Crœso missa duo vasa recensens, quibus se abluerent ingressuri. Et libro IV de vase loquitur, quod χαλκήιον appellat sexcentarum amphorarum capaci, quod ex aculeis sagittarum factum indigenæ memorabant.

[a] Vide Augustinum, de Cons. Evangel. cap. 1; Epiphanium, hæres. 19, apud Baronium an. 57 n. 50, tom I pag. 428 edit. Lucen.

[b] Hæc omnia Christo per prophetas fuerunt enuntiata Lucæ I: *Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* Matth. XXVIII: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Psalm. CI: *Tu es sacerdos in æternum.* Deuteron. XVIII, 15: *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies.* Joan. VI, 15: *Hic est propheta, qui venturus est in mundum.*

[c] Ms. Cæsen., *ipse.*

[d] Contra Photinum, effutientem Christum Dei Filium esse per adoptionem, non per naturam.

[e] Mita legit *subsistentiarum diversitas*, et addit: Non autem legendum substantiarum diversitas, ut in impressis; ni volumus contortius substantiam interpretari. Desiit ergo in Christo substantiarum diversitas, quia humanitas in eo non habet propriam subsistentiam, sed formaliter per subsistentiam Verbi *subsistit.* Impressa lectio, quæ dicit substantiarum est contra symbolum Athanasii, dicentis: *Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus, et homo est ex substantia matris in sæculo natus.* Ideo scriptorum vitio corruptus textus videtur; et immo pro ly *substantiam, subsistentiam* restituimus, quia ubi error Scripturæ verosimiliter conjicitur, cessat Bellarmini Doctrina lib. III de Christo cap. 15 dicens: *Patres non semper locutos juxta exactam dialecticorum regulam; sed abstracta pro concretis, et concreta pro abstractis aliquando usurpasse.* MITA. Vere autem hic Chrysologus contra Nestorium agens, rem ultra quam par est urget: et procul dubio hæresis Eutychetis tunc ei ignota erat; secus enim cautius se gessisset, ut in serm. CXLIV, ubi videtur hujusmodi hæresim præ oculis habuisse.

Ecclesiam. Credimus et Ecclesiam, quam Christi receptam, confirmatam credimus, et confitemur in gloriam. *Remissionem peccatorum.* In novum hominem nasciturus, antiqui reatus, peccati veteris quid habebit? qui præterita sibi remissa non credit debita, dubitat percipere se futura. *Carnis resurrectionem.* Crede, homo, de morte resurgere te posse, quia antequam viveres nil fuisti : aut quare dubitas quod resurgas, cum tibi totum quod in rebus est quotidie sic resurgat? [a] Sol occidit, et resurgit : dies sepelitur et redit : menses, anni, tempora, fructus, semina, cum transeunt ipsa moriuntur, cum redeunt sua ipsa morte reviviscunt, et ut resurrecturum te jugi et vernaculo instruaris exemplo, quoties dormis et vigilas, toties moreris et resurgis. *Vitam æternam. Amen.* Necesse est ut qui resurgit vivat in æternum, quia si in æternum non viveret, non vitæ resurgeret, sed morti. Signate vos. Hoc spei pactum, hoc salutis placitum, hoc vitæ symbolum, hanc fidei cautionem mens teneat, conservet memoria, ne divinitatis pretiosum munus [b] depretiet charta vilis, ne mysterium lucis atrum tenebret atramentum, ne secretum Dei habeat indignus et profanus auditor. Si mihi silentium semper vestra charitas sic præberet, ad omnes tractatus mei sermonis vester perveniret auditus : sed Deus noster et mihi fiduciam dicendi, et vobis audiendi desiderium donare dignetur.

SERMO LX.

In idem.

Si Cananitis mulier clamore subito, repentina fide, juvante Christo, et quod petebat accepit, et quod negabatur extorsit (*Matth.* xv) ; si Æthiops spado arcanum vitalis lavacri præteriens invenit in via, rapuit in transitu (*Act.* viii) ; si Cornelius centurio antequam intraret baptisma, pervenit [c] ad Christum (*Act.* x) ; si latro in ipso momento mortis paradisum invasit (*Luc.* xxiii), et vitam vobis, in articulo temporis quam quæritis, quis negabit? Ex fide ergo accipite fidem, et ut fidei mysterium scire possitis, accessu temporis laborate. Moyses laturus legem cœlum vocat et terram : sacerdos quid invocabit gratiam prolaturus? Ille dixit : *Attende ad cœlum, et loquar, et audiat terra verba ex ore meo* (*Deut.* xxxii, etc.) ; ego dicam, Attende, Deus, loquar ; et audiat homo verba ex ore meo. Ille dixit : *Exspectetur sicut pluvia eloquium meum, et descendant sicut ros verba mea ;* Ego dicam, Veniat sicut ros spiritus tuus, et inundet sicut flumen gratia tua, fiatque nunc cœlestis Verbi unda saliens in vitam æternam. Ille dixit : *Quia nomen Domini invocavit, date magnificentiam Deo nostro ;* ego dicam, Quia fidem invocavi, date credulitatem Deo vestro. Et quia navigia corporum nostrorum Quadragesimæ sunt [d] curata jejunio, necesse est ut placitum fidei, symbolum cœlestis commercii jam dicamus, quatenus sub certa spe per tota mundi æquora, per infidos sæculi fluctus lucra mansura sæculis conquiramus. Accipite ergo fidem, exspectate rem : quia cui fides non præcedit in semine, res ei non sequitur in fructu. Signate vos. Sermo creat auditum, auditus concipit fidem, credulitatem parturit fides, confessionem credulitas nutrit, confessio perpetuam dat salutem. Hinc est quod meo, vestroque ore occurrit ; sic sibi fides, credulitas sic amplectitur se ; salus se confessionis osculo sic salutat. *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Hæc vox totum Trinitatis fatetur et aperit sacramentum. Deum dicit, non deos, quia unum Deum in Trinitate credit Christiana fides : scit Patrem, scit Filium, scit Spiritum sanctum, deos noscit. Divinitas in personis trina est, sed una est in Trinitate divinitas : personis Trinitas distincta est, non est divisa substantiis : Deus unus est, sed trinitate ; Deus solus est, sed non solitarius ; divinitas nec trinitate dividitur, nec confunditur unitate : hæc sentit fides cum dicit, *Credo in Deum.* Mox addidit, *Patrem.* Qui credit Patrem esse, Filium confitetur ; qui credit Patrem et Filium, ætates non sentiat, gradus non cogitet, non tempora suspicetur, non conceptum quærat, nesciat partum : qui Deum credit, divina confessus est, non humana. [e] Sed dicit hæreticus : Quomodo Pater, si non præcedit? quomodo Filius, si non sequitur? quomodo non dat initium, qui generat? quomodo quod generatur, principium a generante non sumit? Hoc ratio docet, hoc natura probat. Erras, hæretice, hoc habet humana ratio, non habet hoc divina ; hoc accipit natura mundi, deitatis non recipit hoc natura ; fragilitas humana concipitur, et concipit, parturitur et parturit, generatur et generat, accipit initium et dat finem, mortem suscipit et refundit, et reservat in sobole quidquid suæ conditionis est et naturæ. Deus vero Pater non genuit in tempore, quia tempus ignorat ; non dedit initium, qui initium nescit ; non transfudit finem, [f] qui non habet finem : sed sic genuit ex se Filium, ut totum quod in se erat esset et maneret in Filio. Honor geniti generantis honor est, perfectio geniti generantis forma est, minoratio geniti revelat ad generantis injuriam. Sed hæc audiens, hæretice, non dicas, Quomodo ista sint? dixisti Deum,

[a] Hac similitudine ad astruendam resurrectionis fidem passim utuntur Patres : Tertull. Apolog. cap. 48 ; Thodoret. orat. 9 de Provid. : Prudentius, lib. II contra Symmachum ; Ambrosius, Hexam. lib. III cap. 8 ; Athenagorus, Apol. pag. 49, aliique plures.

[b] Pretio minuat. Hæc loquendi formula obviam sit in lectione SS. PP. Unde apud Paulinum carm. XIV, *depretiatus :*

Namque ubi corporeæ curatur gloria pompæ,
Vilescit pretio depretiatus homo.

Vide notam primam sequentis homiliæ.

[c] Restitutus locus ex ms. Cæsenæ. Editi, *ad spiritum.*

[d] Fulcitur iis opinio credentium tribus Quadragesimæ dominicis symbolum fidei catechumenos edoceri.

[e] Cum Ravennæ multi Gothorum et aliarum nationum imperatorem Valentinianum comitarentur, et una secum ariana labe laborarent, id potissimum curabat Chrysologus, ut populum sibi creditum ab hujusmodi veneno immunem servaret. Vide serm. 98 et 114.

[f] Alias mss. Cæsenæ et Vatic., *quia nec finem habet, nec initium.*

credidisti Patrem, omnipotentem confessus es ; si dubitas, mentitus es ; credo si dicis, quomodo non credis, si discutis ? si putas impossibile, omnipotentiam quam confessus es sustulisti ; sed nos qui Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unius majestatis et gloriæ confitemur, fidem Dominici corporis jam loquamur. *Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum.* Postquam Dei Filius sicut pluvia in vellus toto divinitatis unguento nostram se fudit in carnem, ab unguento nuncupatus est Christus : et hujus nominis exstitit solus auctor, qui sic Deo superfusus est, et infusus, ut homo Deusque esset unus Deus. Hoc ergo unguenti nomen effudit in nos, qui a Christo dicimur Christiani ; et impletum est illud quod cantatur in Canticis Canticorum. *Unguentum effusum est nomen tuum* (*Cant.* II). *Et in Christum Jesum Filium ejus.* Illud sacramenti nomen est, hoc triumphi : nam sicut a Deo unctus nomen sortitur ex unguine, ita cum salutem perditam mundo reddidit, a salvando nomen salvatoris assumit. Sæpe jam diximus, quod Jesus Hæbraica lingua dicitur, Salvator dicitur hoc Latina. *Et in Christum Jesum Filium ejus.* Cujus ? utique Dei Patris ; cum dicis ergo in Jesum Filium ejus, confiteris Jesum qui natus est de Maria Dei esse Filium. Cave ergo ne amplius sentias in Christo [a] quod homo fuit, sed semper quod Deus sit confitere, Apostolo sic dicente : *Et si novimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus* (II *Cor.* III). *Unicum Dominum nostrum.* Hoc convenit ad utrumque, quia et unicus Patris est, et unicus Dominus noster est : alii filii, alii domini esse per gratiam perceperunt ; solus Christus esse filius, esse Dominus habet et possidet per naturam. *Qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine* (*Matth.* I). Si juxta evangelistam (*Joan.* IV) quod in ea natum est de Spiritu sancto est, quia Deus spiritus est, hæreticus jam Deum natum virginea confiteatur ex carne ; neque amplius cœleste mysterium, virginitatis partum, trahat [b] ad conceptum mundi, ad terrenæ fragilitatis injuriam. *Qui sub Pontio Pilato crucifixus est et sepultus.* Nomen judicis audis ut tempus passionis agnoscas ; audis crucifixum, ut ex mortis ignominia magnitudinem sentias charitatis ; mortemque quæ per lignum venit, mortificatam scias esse per lignum ; et credas majora tibi esse reddita per crucis arborem, quam perdidisse te per paradisi arborem suspirabas. Sepultum dicis, [c] ut veram carnem Christi mortemque non perfunctoriam probet confessio sepulturæ, mortem suscepisse et vicisse, intrasse inferos et rediisse, venisse in jura tartari, et tartari jura solvisse, non est fragilitas, sed potestas. Confiteris *die tertia resurrexisse*, ut intelligas resurrectionem Christi totius Trinitatis fuisse victoriam. Dicis *Ascendisse in cœlos*, ut cœli Dominum credas, ut unde venerat rediisse fatearis, quia superato diabolo, calcata morte, liberato mundo, super cœlos triumphat Christus, qui victus putabatur in terris. Clamas, *Sedet ad dexteram Patris.* Ut quia Patris et Filii una est deitas, par potestas, in cœlesti consessu nulla sit sinistræ sessionis injuria. *Inde venturus est judicare vivos et mortuos.* Quia veniente Christo, resurgent mortui, sistentur vivi, ut pariter causas reddant de suorum ratione factorum. Et quia Dominici corporis jam diximus sacramentum, ad confitendum deitatem Spiritus perveniamus. *Credimus in Spiritum sanctum.* Quem Deum nobis inclamat vox divina, cum dicit : *Quia Deus spiritus est* (*Joan.* IV). *Credimus in sanctum Spiritum.* Quem propheta cooperatorem Patris et Filii decantat : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXII). Totus Deus, totaque Dei virtus est, qui creator cœlestium probatur esse virtutum. *Credimus sanctam Ecclesiam.* Quam sic in se suscepit Christus, ut eam divinitatis suæ faceret esse consortem. *Credimus remissionem peccatorum.* Quia qui per Christum et Ecclesiam in novum hominem fuerit natus, [d] veteris delicti nil habebit. *Credimus carnis resurrectionem.* Ut credamus passionis, mortis, resurrectionis Christi hanc fuisse causam, ut nos resurgeremus ex mortuis. Resurget caro, resurget, ut ipsi sumus, ut agnitio maneat personarum, ut et martyr de persecutoris pœna lætitiam sumat, et persecutor sumat de martyris honore supplicium. *Credimus vitam æternam.* Quia post resurrectionem nec bonorum finis est, nec malorum. Signate vos. Fidem quam credimus et docemus, non atramento, sed spiritu, committamus pectori, non chartæ ; damus memoriæ, non libro, ne divinum munus violent res humanæ, ne cœleste secretum arbiter profanus assumat, ne quod est credentibus ad vitam, existat perfidis ad ruinam. Sol lippientibus oculis non lucem tribuit, sed tenebras ; vinum vires febrientium non reparat, sed enervat ; sine medico vitæ poculum fit lethale, sic perfidis perniciosum est sine fide fidei sacramentum. Sicut dicit Apostolus, *Capiatur fides ex auditu, auditus autem capiatur ex verbo* (*Rom.* X) ; et vitæ placitum, pactum fidei, lex salutis non hæreat morituris, sed vivis sensibus affigatur.

[e] SERMO LXI

In idem.

Nisi me solaretur beati Pauli subita et inopinata

[a] Vel Ebionitarum, vel potius, ut sui moris erat, Nestorianam hæresim tangit.

[b] Jovinianistæ *virginitatem Mariæ destruunt, dicentes eam pariendo violatam fuisse.* Lib. de Hæres., qui inscribitur Augustino.

[c] Eutychetis error fuit, Christi carnem non esse ejusdem naturæ cum nostra, neque Verbum veram assumpsisse carnem, sed quamdam aliam apparentem et phantasticam : ita Verbum potius se hominem passum et sepultum simulaverit, quam revera fuerit. Flavian. epist. 9 inter Epist. S. Leonis, et ejusdem Leonis epist. 97 ad Leon. imp. ; Theodor. lib. IV de Fab. Hæret., in fine. Hanc opinionem ex Lutheranis secutos fuisse Gasparem Swenckfeldum, et Andream Musculum ex Staphylo in lib. de Concord. Discipul. Lutheri advertit Bellarminus de Incarn. lib. III cap. pag. 189 edit. Venetæ.

[d] Per baptismi regenerationem omnia deleri peccata, optime docet Augustinus tom. VII de peccat. Merit. et Remiss., contra Pelagium lib. II cap 27, e contra duas Epist. Pelagii lib. I cap. 12. MITA.

[e] Ex quolibet sermone in symbolum colligitur san

conversio (*Actor.* IX), vix crederem tam facile vos de terrena labe in cœlestem posse gloriam commutari. Illum namque de persecutore mox apostolum præstitit repentina confessio, et Ecclesiæ dedit insignem magistrum, quem furentem Christiani nominis invenerat vastatorem. Nec minus animat me [a] illius spadonis exemplum, quem fides ante rapuit ad gratiam, quam currus [b] ad Indiam domumque revocaret (*Actor.* VIII). Accedit illud etiam latronis mirabile documentum, qui tunc rapuit paradisum, quando latrocinii sui pœnas est appensus, ut solveret (*Luc.* XXIII). Unde nos, filioli, quia sic tempus vestræ regenerationis aptastis, ut neque nos possimus dicere quod necesse est, neque vos possitis quod oportet audire, fidem fidei committentes, tradimus breviter quod [c] latius commendare non possumus. Nam quemadmodum exponentibus nobis potestis cognoscere symboli sacramentum, qui ipsum symbolum memoria capere vix valetis? Hoc monemus solum, ne quis committat litteris, quod est cordi mandaturus ut credat, Apostolo sic monente: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X). Audituri formam fidei, credulitatis normam, confessionis ordinem, parate simul corporis et cordis auditum. Sicut fons ore angusto manans magnis fluviorum laticibus ampliatur, sic fides symboli breviato sermone credulitatis latissimos dat meatus. Et sicut radix alte fixa in excelsum germen se protendit, fides sic radicata pectoris in profundo in excelsum credulitatis cacumen attollitur. Ergo de cordibus vestris expurgate perfidiæ cœnum, ut pura per vos fidei fluenta percurrant; incredulitatis fruteta in vobis radicitus amputate, ut excrescant ad alta credulitatis vestræ robusta plantaria. Et quia, auctore Apostolo, *corde creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem* (*Rom.* X), in confessionis vocem modo date quod jam corde creditis. *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Qui credit in Deum, Deum discutere non præsumat; Deus quod sit, sufficit scire; qui requirit unde sit, quantus sit Deus, Deus quid sit, hic nescit; sol importunum tenebrat aspectum, ad Deum inconcessus cæcatur accessus; Deum qui vult videre, visionis ejus discat tenere mensuram; Deum suum qui vult scire, nesciat gentium deos; qui deos dicit, contradicit Deo. Servire uni libertas est, captivitas multis. Quem Deum confessus es, crede Patrem; ut credens Patrem, esse Filium discas; dicens Filium, genitum cognoscas esse de Patre; cognoscens de Patre genitum, quomodo sit genitus non requiras, quia dixisti, *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Omnipotens potest omnia, et si omnia potest quod in se, ex se, et semper secum habeat Filium quis negabit? Generatio Dei initium non habet, nescit finem, non admittit excessum, quando in Genitore Genitus permanere persistit, dicente ipso Domino. *Ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan.* X). *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X). Confessus es Patrem, confessus es Filium, confessus es divinitatis arcanum, confitere incarnationis Dominicæ sacramentum. *Et in Christum Jesum Filium ejus.* Christus a superno vocatur unguento, est enim tota plenitudine divinitatis infusus; Jesus nomen est a salute, quod nomen omne quod in cœlo, quod in inferno est, tremens, genuflexum, summisso vertice confitetur (*Philip.* II). *Et in Christum Jesum Filium ejus unicum Dominum nostrum.* Ut Patris et Filii est nobis una deitas, ita [d] dominatio una sit nobis. *Qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine.* Spiritus et virgo copula terrena non est, cœleste sed est secretum: hinc est, quod nascitur est divinum. Ergo quod natus est confitendum est, quomodo natus est tacendum est; quia quod secretum est sciri non potest, quod clausum est nescit aperiri, quod singulare est non refertur exemplo. *Qui sub Pontio Pilato crucifixus est et sepultus.* Judicis nomen audis, ne tempus ignores; crucifixum audis, ut tibi mortis qualitas innotescat; et intelligas quid impenderit tibi, qui propter te pœnam tantæ mortis excepit. Audis sepultum, ut scias mortem non fuisse perfunctoriam, [e] sed veracem. Mori nolle est timoris humani, divinæ virtutis est surrexisse de morte; hic ergo non offendat mortis auditus, ubi resurrectionis gloria abscondit mortis injuriam. *Tertia die resurrexit.* Quia hominis est quod moritur, Trinitatis est quod resurgit. *Ascendit in cœlos.* Hominem ferens illo, ubi semper mansit. *Sedet ad dexteram Patris.* Ad dexteram sedet, quia habet deitas nil sinistrum. *Inde venturus est judicare vivos et mortuos.* Judicabit vivos et mortuos, quia resurgent ad judicium, qui

ctissimum archiepiscopum nostrum quamplurimos baptizasse infideles adultos, tum barbaros, tum Italos ac Ravennates, qui adeo sanctis exemplis et sacra hujusce pastoris doctrina ad fidem suscipiendam invitabantur, ut nec differre baptismatis susceptionem, prout multi solebant, ob magnam Spiritus sancti in cordibus eorum commotionem possent. Quod cum ab externis indiciis beatus antistes argumentaretur, eos quamplurimum baptizare nitebatur, fisus exemplis adductis, Pauli scilicet, ac spadonis, et latronis. Ea tempestate et Romæ multi ad fidem Christi convertebantur, teste D. Leone papa I serm. 2 de Nativit.: *Cum utique ad fidem primum venientibus oris nostri officium debeamus.* MITA.

[a] Vel vere spado fuerit; his enim utebantur reginæ ad avertendas suspiciones; unde Terentius:

> Eunuchum porro dixit velle te,
> Quia solæ utuntur his reginæ;

vel regius minister, et princeps Palatinus; eunuchus enim in Scriptura idem qui princeps, ut Daniel I. Hinc Putipharus, licet uxoratus, dicitur eunuchus Genes. XL.

[b] Æthiopiæ reginam et illius quæ Africana vocabatur, docent Acta Apostolorum. Quid ergo? Numquid Æthiopia in India? Hujusmodi nomen usurpasse crediderim Chrysologum, eo quod Æthiopes dicebantur ultimi hominum.

[c] Adverte sæculi disciplinam, quæ arcana religionis catechumenis aperire vetuerat, ut alibi observatum.

[d] Ambrosius in cap. VI Lucæ dixit: *Unus Dominus, quia unus Deus;* et quomodo id exponatur habes loco citato. MITA.

[e] Apposite D. Thomas in Epist. I ad Corinth. pag. 15 tom. VI Oper. pag. 193 recent. edit. Venet.: *Evidens enim mortis signum alicujus, est quod sepeliatur.*

non putantur esse post mortem, quos gentilitas existimat periisse cum sæculo. *Credo in Spiritum sanctum.* Ut in Patre et Filio, et Spiritu sancto unam credas et intelligas esse deitatem. *Credo sanctam Ecclesiam.* Ut confitearis Ecclesiam Christi sponsam in perpetua Christi societate mansuram. *Credo remissionem peccatorum, carnis resurrectionem.* Qui remissionem peccatorum, qui carnis resurrectionem non credit, aufert veniam sibi, ipse subtrahit vitam. Quod audistis et credidistis, quod confessi estis, cor habeat, memoria teneat, charta nesciat, scriptor ignoret, ne sacramentum fidei divulgetur in publicum, ne ad infidelem fidei derivetur arcanum. Deus qui vobis sacramentum fidei et audire dedit, et credere, ipse vos æternam pervenire faciat ad salutem.

SERMO LXII.

In idem.

[a] Nutritor pius nisi totus fuerit redactus in parvulum, numquam parvulum perfectum perducit in virum; denique tunc vocem tenuat, verba ponit, agit nutibus, sensus seponit, infirmat viscera, abjicit vires, membra dissolvit, gressum tardat, gestit non ambulare, sed repere: ridere simulat, timere fingit, flere mentitur, quia est in illo mendacium pietas, desipuisse prudentia est, est infirmitas virtus. Hoc reor beatum Paulum fecisse, cum dicit: *Factus sum parvulus in medio vestri, tamquam si nutrix foveat filios suos* (I *Thes.* II). Sed forte aliquis stupeat, cum videat nutriculum ista facientem: non irridet si est parens, si pater est non miratur: hoc stultitiam dicere non potest qui scit amare. Unde vos jam patres, jam fortes, jam prudentes deprecor ut me patiamini parvulis Domini mei dependere debitæ [b] nutritionis obsequia: et blandimentis hodie magis congrua quam peritiæ verba depromere; non quadrare, sed liquare sermones, et eos adhuc teneris faucibus in modum lactis effundere, docente Apostolo, *Lac vobis potum dedi, non escam* (I *Cor.* III), mutare voces, amare varios affectus, et quid plura? mente, corde, corpore, imbecillis parvulorum mentibus occupari. Sed jam vos Ecclesiæ pia germina prophetico sermone compello. *Venite, filii; audite me* (*Psal.* XXXIII), immo per me, et per meam vocem, jussa veri genitoris audite, quia vos meo ore Deus vocat. *Venite, filii.* Quo venite? et ad quid? *Timorem Domini*, inquit, *docebo vos.* Et quis veniat ad timorem? ille qui vult vitam, ille qui cupit videre dies bonos; ille qui vult bonum facere, fugere malum; ille qui post carnis et spiritus conflictum quietem divinæ pacis desiderat obtinere. *Venite, filii; audite me: timorem Domini*, inquit, *docebo vos. Quis est homo qui vult vitam, et cupit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum.* Sicut autem vitiant crimina conscientiam, sic dolus labia polluit, linguam maledicta contaminant; ac sic Deo confiteri non potest labiis inquinatus et lingua. Et quia *corde creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem* (*Rom.* X), sanctificate corda, mundate labia, justificate linguam, ut vox fidei bajula de puro pectore toto sanctitatis procedat exemplo. Signate vos. Placitum vel pactum, quod lucri spem venientis continet, vel futuri, [c] symbolum nuncupari contractu etiam docemur humano: quod tamen symbolum inter duos firmat semper geminata conscriptio, et in stipulatione cautum reddit humana cautela, ne cui surrepat, ne quem decipiat perfidia contractibus semper inimica. Sed hoc inter homines, inter quos fraus, aut a quo facta est, aut cui facta est, semper lædit; inter Deum vero et homines symbolum fidei sola fide firmatur: non litteræ, sed spiritui creditur: et mandatur cordi, non chartæ: quia divinum creditum humana non indiget cautione. Deus facere fraudem nescit, pati non potest, quia non excluditur tempore, non ætate vincitur, occultatione non fallitur, videt abscondita, furata tenet, negata possidet. Deo salva est ratio sua semper, quia ille, quod credidit, ubi pereat non est; ac si homini, non Deo, neganti perit, non perit feneranti. Sed dicis: Qui falli non potest, quid est, quod exigit placitum? quid symbolum quærit? Quærit ille propter te, non propter se; non quia ille dubitat, sed ut tu credas: quærit symbolum, quia qui ad tuam sortem venit, ad tuum non dedignatur venire contractum; quærit symbolum, quia qui cum totum semper ipse commodat, vult deberi; quærit symbolum, quia te modo non ad rem convocat, sed ad fidem et per placitum præsens futurum pertrahit et invitat ad lucrum. Hoc Apostolus commemorat, cum dicit: *Ex fide in fidem* (*Rom.* I). Et alibi: *Justus ex fide vivit* (*Hebr.* X). Nemo ergo immemor symboli sit, nemo initi cum Deo placiti sit oblitus; nemo cum fidem modo susceperit, rem requirat; cum ad spem venerit, quare non mox sperata percipiat conqueratur. Audi Apostolum dicentem: *Spe salvi facti sumus, spes autem quæ videtur non est spes; quod enim videt quis, quid sperat* (*Rom.* VIII)? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus. Spes ad futura tendit, fides ad promissa transmittit; cum res venerint, advenerint et promissa, spes desinit, fides cessat. Dulcis est epistola, sed usque dum veniat ipse qui misit; necessarium chirographum, sed usque ad debiti redditionem; grati flores, sed usque dum veniatur ad poma. Sed præsentia epistolam delet, rumpit solutio cautionem, flores consumuntur a pomis: et ideo te superni Patris filium, hæredem Dei, cohæredem Chri-

[a] Veteres, *nutricium* dixere. *Inscriptio:*

MEMMIA TERTULLA
NUTRICIO SUO.

Justin. Instit. tit. 6 § 5: *Aut pædagogum, aut nutricium, aut educatorem.* Laudat verba hæc Chrysologi Pignorius de Jernis, pag. 382 recent. edit.

[b] Ms. Cæs., *educationis.*

[c] Symbolum hic est scriptura seu chirographum inter duos contrahentes factum; vel est pignus ex utraque partium datum, ne ab initio contractu impune resilire liceat. MITA. Addam testem Suidam ad mentem Chrysologi: *Symbola, pactiones, quas inter se civitates pepigerunt, et suis civibus proposuerunt, statuentes ut aliis præstent ea quæ jussa sunt, et ab aliis vicissim impetrent.*

sti, participem regni cœlestis, confessorem divini judicis, cœli incolam, paradisi possessorem modo designatum te fide noveris; modo spe, non re noveris te promotum. Et ideo suscipite fidem, tenete spem, dicite symbolum, ut ad rem et ad illa valeatis bona quæ prædiximus pervenire. Signate vos. Hodie, homo, repræsentata est Deo anima tua. *Credo in Deum.* [a] Quæ diu ante dicebat Deum, sed nesciebat; vocabat Deum, sed ignorabat; ignorabat utique, quem taliter per lapides et ligna requirebat. Dicat ergo modo, dicat: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* [b] Quæ diu cum videret lapides, cui crederet non videbat: sed est vere Deus, qui te præstitit non videndo videre, quem videndo dii gentium fecerant non videre. Audi dicentem Dominum: *In judicium veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant, et videntes cæci fiant* (*Joan.* IX). *Credo in Deum Patrem.* Inest Deo pietas, est in Deo semper affectio, paternitas permanet apud illum; semper ergo Filium fuisse credas, ne Patrem semper non fuisse blasphemes. Sed dicis: Si genuit, quomodo semper habuit? quomodo genuit? Qui sic interrogas, fidem negas, quam fateris. *Credo* dixisti: si credis, unde venit quomodo? quomodo sermo dubitantis est, non credentis. *Credo* dixisti *in Deum Patrem omnipotentem:* si est, quod non [c] potest, omnipotens non est; sed tu illum genuisse ex aliquo Filium putas, quem totum fecisse confiteris ex nihilo; ex aliquo utique, si ex tempore: quod si [d] Pater tempus non capit, Filius initium nescit. Sed quam miserum, ut tu illum facias temporalem, qui te præstitit sempiternum. Non ergo conceptione temporum, non passione viscerum, sed Pater Filium generat, nobis dum revelat. *Et in Christum Jesum Filium ejus unicum Dominum nostrum.* Attende, homo, qua reverentia tibi fides insinuatur et traditur: audi Patrem, ut sentias, intelligas, credas, non discutias Filium; et quia est confitearis, non unde, et quando, et quomodo sit, temerarius perscrutator inquiras. Hinc est, quod tibi cœlestis sermo ut annuntiet Patrem, mox te ad Christum, ad Jesum, ad Filium, ad unicum Dominum nostrum tota mente transmittit, ut cum videris ejus quæ sunt humana, te nec assequi posse, nec æstimare, nec capere, non audeas ejus quæ sunt divina contingere. *Quia natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine.* Age, homo, [e] si tamen homo, progredere corde tuo, consurge mente tua, dilatare sensibus tuis, [f] arrige ingenii tui acumina, excita scientiæ tuæ vires; quidquid in te rationis est, exsuscita, examina, discute, perscrutare, et nunc [g] stupenti modo solus aperi quid est quod Spiritus generat, Virgo concipit, Virgo parit, permanet Virgo post partum; quemadmodum fit Verbum caro, Deus homo, homo transfertur in Deum; quemadmodum cunabula capiunt quem non capit cœlum; quemadmodum portatur humeris orbem qui sustinet totum; quare ipse qui fecit omnia, instituit universa, cuncta moderatur, de te nasci, a te regi voluit, instituit nutriri, ut te parente viveret, cujus ante despexerat servitutem. Et si hoc potueris de reposito divinitatis attingere et proferre de deitatis arcano, tunc interius accede, ascende altius, licentius intuere, et tunc Patris tempora, initia Filii, explorator novus, singularis inventor, proditor divinitatis expone. Esto major Isaia, qui dixit: *Sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum; in humilitate judicium ejus ablatum est, generationem ejus quis enarrabit* (*Isa.* LIII)? Cujus? Hujus generationem qui sicut ovis ad occisionem ductus est. [h] Si Christi humana generatio exstitit, si divina; et si ut generatur, narrari non potest, quæ te, homo, unda, qui te fluctus, ad istud naufragium pertulerunt? qui te spiritus per aera volitare impulit ad ruinam? Pater, Filius et Spiritus sanctus una deitas, una virtus, una sempiternitas, majestas una: quidquid autem Filius minoratur, accipit, [i] crescit, mei est corporis, non substantiæ suæ. Aut miraris homo quia Patrem vocat in cœlo qui matrem habere dignatur in terra? *Qui sub Pontio Pilato crucifixus est, et sepultus.* Quare, homo, qui in se æqualis est Patri, hoc solum, quod in te minor esse voluit, accusas? quem audis sedente Pilato astare, cognoscente Pilato judicari, quare hoc solum accipis addici accusantibus criminosis, reo pronuntiante damnari? Sed ille de carne tua nasci voluit, tuis voluit uberibus occupari, jacere in tuo pectore, tuis voluit humeris bajulari, qui semper a te amari voluit, non timeri. Require quid in lege mandaverit primum, et quid in gratiam quæsierit tunc videbis. Interrogatus Dominus, sicut evangelista dixit, quod esset mandatum in lege primum, ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua* (*Matth.* XXII); hinc est quod ad cor tuum venit, [i] et ad mentem tuam, quia animo, corde, est, tam divina quam humana reperitur; utramque inenarrabilem vocavit Isaias. Lectio non est mutanda, sed apte distinguenda. Hæc Latinius. Contra Arium et Eutychen hæresiarchas, ut in epistola Auctoris ad Eutychen, et infr. serm. 145. MITA.

[a] Ms. Cæsen., *quem.*
[b] Ms. Cæsen., *quem.*
[c] Mss. Cæsen. et Vatic., *possit.*
[d] Ms. Cæsen., *Patrem.*
[e] Et non magis angelus, ut ista intelligas; vel animal ratione carens, aut diabolus malitia utens, qui temere ista disquiris. MITA.
[f] Ita Latinius et ms. Vallicell.; editi, *arripe*
[g] Ms. Cæsen., *stupenda.*
[h] Omnia quæ consului mss., *generatio exstitit si Divina.* Lectio nisi apte distinguatur et pronuntietur, non parit hoc loco congruam sententiam; quare sic puto legendum: *si humana Christi generatio exstitit et divina.* Hoc est, si utraque generatio in eo locum habet, et in uno Christo, cum ad occisionem ductus
[i] Adhæsi correctioni Meursianæ. Editi, *nescit.* Cæterum loca Scripturæ Joan. XIV et I Corinth. XV, et si quæ alia, explicanda sunt, quod Filius sola ratione humanæ naturæ sit minor Patre. Ita Chrysostomus, Cyrillus lib. II Thes., Augustin. lib. II Trinit., cap. 7, et Gaudentius in Epist. ad Paul., rejecta veterum Patrum explicatione de ratione principii, non de ratione naturæ, a qua utpote minus congrua resiliisse videtur Chrysologus.
[i] Ms. Cæsenæ, *suscepit animam tuam.*

corpore a te ab initio diligi perquisivit. *Qui sub Pontio Pilato crucifixus est et sepultus.* [a] Hucusque Judæus, sequitur hæreticus; exspectet : ad priora illorum nullus accedat, qui Christi pascuntur, et saginantur injuriis. Sed vos, filioli, audite, ut post passionem mortis, sepulturæ mœrorem resurrectionis gaudiis effugetis. *Tertia die resurrexit.* Ut esset nostri corporis resurrectio, virtus, gratia, beneficium Trinitatis. *Ascendit in cœlis.* Per me, qui per se numquam defuit cœlo. *Sedet ad dexteram Patris.* Divinæ virtutis ordine, non honoris humani. Diximus, sic Filius a dextris sedet, ut numquam Pater sedeat a sinistris. *Inde venturus est judicare vivos et mortuos.* Et quid debet judici mors? hinc est quod resurgit, ut debeat. *Credo in Spiritum sanctum.* Hunc in quem credit, negat, qui Spiritum sanctum negat. *In sanctam Ecclesiam.* Quia Ecclesia in Christo, et in Ecclesia Christus est; qui ergo Ecclesiam fatetur, in Ecclesiam se confessus est credidisse. *Remissionem peccatorum.* Da tibi, homo, veniam tu credendo, qui ad omnia peccata dilapsus es desperando. *Carnis resurrectionem.* Hoc est totum fidei documentum : si carnem, quæ corrupta est, quæ putrefacta est, quæ periit, per Deum resurgere, [b] repaginari, redire posse credas, quem posse omnia, quando omnipotentem confessus es, tunc jurasti. *Vitam æternam.* Bene addidit vitam æternam, ut se resurrecturum crederet, qui resurget per ipsum, [c] qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, nunc et semper, et per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXIII

De Lazaro a mortuis suscitato.

Post apostolicam lectionem cupientibus nobis ad evangelicas redire virtutes, [d] mox Lazarus ab inferis reversus occurrit apportans vincendæ mortis formam, deferens resurrectionis exemplum. Si ergo placet, priusquam ingrediamur pelagus lectionis, priusquam aggrediamur quæstionum fluctus, antequam facti talis altitudinem penetremus, resurrectionis contemplemur aspectum : quia hoc [e] signum videmus esse signorum, virtutum cernimus esse virtutem, mirabilium esse mirificentiam pervidemus Suscitaverat Dominus filiam Jairi principis synagogæ, sed adhuc funere calente, sed adhuc mediante morte, corpore adhuc præsente, adhuc inter homines homine morante, adhuc [f] viante spiritu, adhuc anima claustra tartari nesciente, ac ne multis, sic mortuæ vitam reddidit, ut jus maneret inferni. Suscitavit et unicum matris; sed sic, ut retineret pheretrum, ut anticiparet sepulcrum, ut corruptionem suspenderet et præveniret fetorem, ut ante mortuo vitam redderet, quam tota mortuus jura mortis intraret. Circa Lazarum vero quod geritur, totum singulare est, cujus mors, cujus resurrectio commune nil habet cum prædictis; quem circa et vis tota mortis impleta est, et forma resurrectionis plena resplendet. Audeo, et dico [g] totum rapuisse resurrectionis Dominicæ sacramentum triduanus ab inferis Lazarus si rediisset : nam Christus rediit triduanus ut Dominus, Lazarus revocatur quatriduanus ut servus. Sed ad probanda quæ diximus, jam prælibemus aliqua lectionis. *Miserunt*, inquit, *sorores ejus ad Dominum dicentes, Domine, ecce quem amas infirmatur.* [h] Sic dicentes affectum pulsant, [i] interpellant amorem, conveniunt charitatem, necessitudinem necessitudine gestiunt [j] submovere : sed Christus cui plus est mortem vincere quam removere languorem, cujus amare illud est, non ut dilectum allevet, sed ab inferis ut reducat, dilecto non languoris medicinam, sed resurrectionis gloriam mox paravit. Denique, *Ut audivit infirmari Lazarum*, sicut dicit Evangelista, *mansit in eodem loco duobus diebus.* Videtis quemadmodum dat locum morti, licentiam dat sepulcro, corruptioni posse permittit, negat nil putredini, nil fetori; atque ut tartarus rapiat, trahat, habeat, admittit; atque agit ut humana spes tota pereat, et tota vis mundanæ desperationis accedat, quatenus quod facturus est *fecit Dominus noster, Lazari resurrectio præcipue prædicatur.*

[a] Observat Mita verba hæc desiderari in mss. Cæsenæ et Urbini : exstant autem in Vatic. et Vallicellano, ubi non variant ab impressis. Sensum tamen Auctoris eruit Mita, aitque hic eum agere contra Judæos et hæreticos. Judæus etenim, etsi fateatur Christi mortem et sepulturam, ultra non progreditur in fide; immo ipsius Christi resurrectionem negat. Hæreticus item carnis futuram resurrectionem negabat. Contra hos insurgit Auctor, ut Christianos auditores confirmet in fide resurrectionis carnis humanæ. Ex Mita.

[b] Denuo sociari, compingi. Hujus vocis unum tantum ex Chrysologo exemplum profert Du Cangius.

[c] Conciones veterum Patrum sub divinæ ac sanctissimæ Trinitatis invocatione et glorificatione frequentissime conclusas ostendit Ferrarius lib. I de Rit. Sacr. Eccles. Conc. 132.

[d] Idem ac Eleazarus, ex vocis Hebraicæ contractione. Grotius ex Tertulliano ac Prudentio. Lazarus autem juxta Bedam apud D. Thomam in Cate. a interpretatur *adjutus*. Chrysost. homil. in cap. XVI Lucæ, tom. II, pag. 1171.

[e] Augustin. tract. 49 in Joan., Oper. tom. III, p. II, pag. 449 edit. Antuerp. : *Inter omnia miracula quæ*

[f] Omnia metaphorice dicta, et rhetoricis coloribus adornata. Voce *viare* pro *iter facere* alii utuntur scriptores hujus ævi. Sidonius lib. IV, epist. 3; Fortunatus lib. IX poem.; Ambrosius, lib. V Hexam. cap. 10 : *Quis tribuit dispositionem viandi.*

[g] Cum triduana Christi resurrectio plurimis abundet mysteriis et sacramentis. Si Lazarus triduanus surrexisset, id quod Dominicæ resurrectioni servatum erat sibi assumpsisset, et repræsentasset in se quod mehercle servum dedecebat. Resuscitatur itaque ante Domini resurrectionem; sed quatriduanus jam fetens, ne Dominicæ resurrectionis sacramento præjudicium inferret, simulque ne discipulorum fidem raperet, ut hic infra, et serm. 81. MITA.

[h] At per nuntios ad Jesum missos : qui absens erat et trans Jordanem.

[i] Sorores Lazari non sua, non fratris merita deprædicant, sed solum amorem Jesu erga ipsum, ut observat hic Brugensis. *Sufficit ut noveris*, inquit Augustinus loco cit. pag. 451, *non enim amas, et deseris*

[j] Latinius legit *submonere*.

divinum sit, [a] non humanum. Tantum autem [b] in loco exspectatione mortis residet, ut et mortuum ipse nuntiet, et tunc ad Lazarum denuntiet se venire. Ait enim, *Lazarus mortuus est, et gaudeo.* Hoc est amasse? gaudebat Christus, quia mœror mortis vertendus mox erat resurrectionis in gaudium. *Et gaudeo propter vos.* Quare, propter vos? quia in morte et resurrectione Lazari figura tota mortis et resurrectionis dominicæ pingebatur; et quod erat secuturum mox in Domino jam præcedebat in servo. Dicebat semel et iterum discipulis suis : *Ecce ascendimus Hierosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis : et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum, et ad crucifigendum* (*Matth.* xx). Et ista dicens, videbat eos fieri satis dubios, satis tristes, satis consolationis extorres : et noverat eos ita opprimendos esse ipso pondere passionis, ut nihil in eis ex vita, nihil in eis ex fide, nihil in eis remanere posset ex luce, sed tota pene perfidiæ nocte fuscandos. Et ideo mortem Lazari usque ad quatriduanum tempus protendit, usque ad fetorem prævalere permittit, ut discipuli dubium non haberent posse Dominum post triduum adhuc recentem surgere, cum servum vidissent post quatriduum surgere jam fetentem; et crederent illum facile posse sibi vitam reddere, qui alium taliter revocarat ad vitam. Hinc est quod dicit : *Gaudeo propter vos, ut credatis.* Necesse ergo erat mors Lazari, ut et cum Lazaro [c] jam discipulorum fides consurgeret sepulto. *Quoniam non eram ibi.* Et erat locus ubi non erat Christus? et quomodo non erat ibi, unde mortuum Lazarum discipulis nuntiabat? Fratres, erat ibi Christus Deus, sed ibi [d] non erat homo Christus; erat ibi Christus Deus cum moreretur Lazarus, sed nunc ad mortuum venturus erat Christus, quando erat mortem Christus Dominus subiturus : dicebat itaque, *Quoniam non eram ibi.* Hoc est in morte, in sepulcro, in inferno, ubi per me et meam mortem potestas tota mortis est subruenda. *Martha*, inquit, *ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi, dicens, Domine, si hic fuisses, frater meus non fuisset mortuus.* Mulier, et [e] Deum confiteris et dicis, si hic fuisses? Deum nec absentant loca, nec tempora repræsentant. Non moreretur Lazarus, si Dominus fuisset ibi, qui erat ibi : scilicet, si [f] in paradiso tu, mulier, non fuisses; mulier, tu quæsisti lacrymas, tu invenisti gemitus, tu mortem gulæ pretio comparasti, et accusas absentiam Dei, quando causam mortis fuisse tuam præsentiam non recusas? Mors quando a te [g] provisa est, tunc lamentandi materia fuit; nunc vero facta est virtutis occasio, quia tunc ad pœnam peccantis data est, nunc permissa est resuscitantis ad gloriam; tunc tartarus invenit hominem, nunc amittit. Sed jam quære per fidem, mulier, quod per perfidiam perdidisti. *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus; sed et nunc scio quia quæcumque petieris a Deo, dabit tibi Deus.* Hæc mulier non credit, sed credere conatur, cujus credulitatem incredulitas confundit. *Quæcumque petieris a Deo, dabit tibi Deus.* Deus ex se dat, non a se petit. Quid affers moras, mulier, supplicandi, cum jam præstaturus assistat : Mulier, judex ipse est, quem tu [h] desideras advocatum; in hoc dantis potestas est, non necessitas est rogantis, *Scio*, inquit, *quia quæcumque petieris a Deo, dabit tibi Deus.* Mulier, hoc credere, non est credere; hoc scire, nescire est. Probavit hoc Apostolus, quia homo quando se putat aliquid scire, tunc nescit (I *Cor.* xi). Sed jam quid Dominus responderit, audiamus. *Resurget frater tuus.* Et mulier : *Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.* Martha, iterum scis quod nescis : scis quia in novissimo die [i] possit resurgere frater tuus, sed quod et hic possit, nescis; aut forte Deus qui tunc potest [j] suscitare omnes, unum modo mortuum non potest suscitare? Potest, potest Deus suscitare ad temporale signum mortuum unum, qui tunc omnes mortuos ad vitam perpetem suscitabit. *Scio quæcumque petieris a Deo, dabit tibi Deus, et scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.* Martha, ante te est resurrectio quam tam longe mittis. *Ego sum*, inquit, *resurrectio.* Et quid est, ego sum resurrectio? et non ego resuscito? quid est? Quia suscepit hominem, suscepit mortem : ut qui resuscitat jubendo unum, resurgendo in se resuscitet omnes; et quibus Adam puteus mortis exstitit, his [k] vitæ fons Christus existat; et impleatur illud Apostoli, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (I *Cor.* xi). *Ego sum*, inquit, *resurrectio et vita : qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in*

[a] Hanc eamdem sententiam, Christum scilicet, exspectasse adhuc, et locum dedisse corruptioni, ut certior esset prodigii fides, repetunt ad hunc locum Cyrillus, Theodoretus, Chrysostomus, Euthymius, Alcuinus, aliique.

[b] Mansit enim Bethabaræ

[c] Loco huic in impressis corrupto ex ms. Cæsenæ medelam attuli.

[d] Id est, ibi non erat cum sua humanitate.

[e] Sed infirma fide; non enim Christo nisi præsenti potestatem tribuerat ægros sanandi, ut Auctor infra.

[f] In editis legitur : *qui erat ibi, sed si in paradiso mulier non fuisses.* Subobscuro sensui aliquam lucem afferre conatus sum ex Latinio. Dominus erat ibi, et Lazarus mortuus non fuisset, si Eva in paradiso voluptatis non peccasset.

[g] Id est, instructa ad nocendum.

[h] Martha enim Christum deprecabatur veluti prophetam, cui ab Deo potestas facta fuerit impetrandi prodigia, quæcumque ei placerent. Cupit ergo ut apud eum se gerat, ac si fuisset Lazari advocatus. Chrysostomus homil. 61 : *Adhuc enim ei*, Christo, *quasi homini intendebant.*

[i] Putat Grotius Martham a Pharisæis aliquid subobscurum de resurrectione didicisse. At resurrectionis fidem fuisse tunc temporis communem apud Judæos, credunt accuratiores interpretes. Vide inter eos Calmetum in psalm. x, v, et in II Machab. xii, 43.

[j] Similia, vel tantum non eadem, Augustinus hic : *Per quem tunc resurget, potest et modo, quia ego sum resurrectio.*

[k] Ita explicat Brugensis illud Evangelistæ : *Ego sum resurrectio*, etc., id est auctor et fons resurrectionis et vitæ. Solent Hebræi causas per effectus nominare. Tali modo Christus dicitur *justitia, sanctificatio, redemptio, salus*, etc.

æternum. Credis hoc? Et mulier, *Utique, Domine, ego credidi, et credo, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* Qui ad Lazarum venerat, quid sic occupatur in Martha? quid? Ut ante ista [a] in fide surgeret, quam ille resuscitaretur in carne. Sic facit qui et vivis et mortuis consulturus advenit: nec pertimescit faciendi moras, penes quem facti et effectus permanet et potestas. Fratres, patimini hodie differri verbum, si desideratis audire latius quæ sequuntur.

SERMO LXIV.

De eodem.

Singula Scripturæ verba si libris singulis mandarentur, nec sic mysteria quæ in ipsis sunt audientibus perlucerent; et quid faciet subitus et brevis sermo, qui in modum fulguris, priusquam illustret oculos, jam refugit, nec dat lucem videntibus, sed pavorem? Orate ergo, uti quia in sæculi obscuritate versamur, et in carne positi noctis tempus agimus, non diei, lucernam nobis verbi sui Christus accendat, qua prævia mysterii cœlestis ingrediamur obscura, et gradu lento perveniamus ad scientiæ divinæ quantam possumus claritatem: sicut illi magi, qui mentis suæ oculos metientes, non audent splendori solis, aut divinæ se committere claritati, sed nocte tenerum stellæ lumen tenerioribus oculis assumentes, ad cubile Christi tenerrimum pervenerunt (*Joan.* XI). Sed jam, sicut promisimus, evangelicæ lectionis quod superest, exsequamur. *Martha*, inquit, *ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi.* Sic servus non fuit, non proximus, non amicus, certe qui aderat consolator, ut mulier sola medias per turbas, per castrum totum, [b] extra civitatem et luctus tempore, venienti occurreret salvatori? Fratres, in his personis non causæ currunt, sed sacramenta signantur. Mulier currit pro morte, quæ cucurrit ad mortem; festinat ad veniam, quæ festinavit ad culpam; ad redemptorem pium pervenit, seductor pessimus quam prævenit; resurrectionem quærit, quæ quæsivit ruinam; et ipsa quæ mortem viro attulit, ut vitam viro referat, hæc anhelat. Hinc est quod in loco Christus restitit, exspectavit Christus, quod non intravit turbas, quod non contendit ad domum, quod non ad sepulcrum divertit, quod non ad Lazarum propter quem venerat, festinavit; sed mulierem sustinet, mulierem remoratur, mulierem primam suscepit, quam primam suasor infecit; a muliere perfidiam fugat, ad mulierem revocat fidem, ut quæ fuit perditionis obsequium, salutis eadem sit ministra; et sit tandem per Deum viventium mater, quæ per diabolum diu mater exstitit mortuorum. Et quia mulier fuerat mali caput, causam mortis agit, ut ante crimen diluat quam veniam largiatur, ante causam tollat quam sententiam solvat; et cavet ne vir mulierem, per quam semel deceptus est, participem refugeret ad vitam; ac ne multis [c] periisset mulier, si ante ad virum Christus Dominus pervenisset. Hinc est, fratres, quod per mulierem nascitur Christus; hinc est quod virum mulier semper ventris sui suscitat de sepulcro, ut doloribus revocet, quem depulit blandimentis, ut [d] flendo reparet quem perdidit manducando. Denique ubi Martha confessa est Christo, et quidquid [e] fuit culpæ in persona mulieris pia confessione delevit, mittitur ad Mariam, quia sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari. Veniat Maria, veniat materni nominis bajula, ut videat homo Christum virginalis uteri habitasse secretum, quatenus prodeant ab inferis mortui, mortui exeant de sepulcris. *Jesus*, inquit, *videns Mariam plorantem et Judæos qui cum ea venerant plorantes, fremuit spiritu et turbavit seipsum, et dixit: Ubi posuistis illum? Responderunt, Domine, veni et vide; et lacrymatus est Jesus.* Plorat Maria, plorant Judæi, plorat et Christus; putasne simili compassione? Esto quod Maria soror fleret, quia nec fratrem retinere potuit, nec morti potuit obviare: quæ licet esset [f] de resurrectione secura, destitutione tamen solatii præsentis, mora absentiæ tam longæ, tristitia diutinæ separationis non potuit non deflere; simul quia [g] tam trux, tam funesta, tam crudelis imago mortis, quamvis fidelem mentem non potuit non tangere, non movere. Flebant Judæi et conditionis suæ memores, et futuræ vitæ desperatione possessi. Mors cum satis viventibus sit amara, satis turbat ipso exitu, plus conturbat exemplo: mortuum quotiens quis viderit, totiens se morti ejulat destinatum. Sic de morte non potest non dolere mortalis. Quid horum Christus? et si nihil horum, quare flebat? certe ipse qui dixerat, Lazarus mortuus fuerat expertus ad mortem. Vide fere ad casum nostrum S. Augustinum lib. LXXXIII QQ. q. 11, apud Magistrum in III part. distinct. 12 lit. E. Sed quomodo, ais, aut quando pervenit Christus ante ad mulierem quam virum? Quando ex prævisis meritis Christi venturi Verbum æternum sibi elegit B. Virginem in matrem, et illam immunem fecit ab omni labe peccati. Vel tunc ad mulierem Christus Dominus pervenit, quando missus est angelus Gabriel a Deo. Tunc enim B. Virgo enixe Deum precabatur, ut ad redimendum genus humanum descenderet, ut promiserat per prophetas, etc. Ex Mita.

[a] Christum his verbis Marthæ spem fidemque confirmasse docent etiam Chrysostomus, Theophylactus, Maldonatus, Grotius et Brugensis.

[b] Nondum enim Christus venerat in castellum; sed eo loco remanserat ubi erat Lazari sepulcrum constructum, extra oppidum, juxta morem Hebræorum.

[c] Christus Dominus sapientia Patris, perdita eo ordine reparat quo ceciderunt. Mulier per peccatum ante virum cecidit, ergo decuit mulierem ante virum reparari. S. Augustinus de Genes. ad litter. lib. II cap. 34: *Præceptum enim a Domino per virum, usque ad feminam; peccatum autem a diabolo per feminam, usque ad virum.* Et cap. 37: *Prius data est pœna mulieri quam viro.* Itaque si Redemptor ante ad virum quam ad mulierem pervenisset, utique mulier in sua ægritudine mansisset, et solitus ordo reparationis haud fuisset servatus. Vel saltem homo indignatus potuisset refugere illam habere participem vitæ ex divina reparatione acquisitæ, quam semel mali caput

[d] Ms. Cæsen., *fastidiendo.*

[e] Ex eodem ms. Editi: *Et quidquid suæ culpæ, non in persona mulieris*, etc.

[f] Vide notam 8 superioris homiliæ.

[g] Depravatus in editis locus restituitur ex editione Mitæ, ms. Urbinati et Latinio.

est, et gaudeo, de quo gaudet mortuo, ipsum cum resuscitat tunc lamentatur; qui cum amittit non flet, cum recipit tunc deplorat; tunc fundit mortales lacrymas, vitæ spiritum cum refundit. Fratres, habet hoc natura corporis humani, ut producat lacrymas vis gaudii, vis mœroris. Quotiens enim viscera, aut lætitiæ, aut tristitiæ nimio arctantur impulsu, oculi in lacrymas mox erumpunt. Hinc est quod Christus non dolores mortis, [a] sed illius lætitiæ recordatione lacrymavit, qui voce sua, voce una, omnes est mortuos perpetuam suscitaturus ad vitam. Fremit spiritu, et tota se viscerum commotione conturbat, quia adhuc solum Lazarum, et non jam omnes mortuos suscitabat. Quis ergo ex humana infirmitate existimet hic flevisse Christum, cum cœlestis pater luxuriosum filium non quandiu abiit, sed quando recipit tunc deplorat (*Luc.* xv)? Christus recipiens flevit Lazarum, non amittens, denique non quando plorantes videt, tunc plorat Christus; sed quando interrogat, et in respondentibus videt fidei nil manere, dixerat: *Ubi posuistis eum? At illi responderunt, Domine, veni et vide.* Putaverunt eum nescire ubi positus esset in terra, qui sciebat ubi illum tartara dira retinerent. Ille sic interrogans [b] exigebat fidem, scientiam porrigebat, ut astantes scirent quod mors, quod sepulcrum, quod corruptio, quod putredo, quod fetor non [c] ex conditione Dei, sed ex delicto hominis hominibus accessisset. Nam cum dicit, Ubi posuistis eum, mulieres increpat, mulieres arguit, hoc est: Quem ego posui in paradiso, in regione vitæ, ecce vos ubi posuistis eum. Sed et Judæi ad ignorantiam requirentis respondebant. *Domine, veni et vide.* Quid? illum jubere morti? quid? jubere illum inferis crederent, qui credebant eum quod erat in oculis non videre, qui de lacrymis ejus taliter disputabant? *Qui potuit* [d] *aperire cæci oculos quomodo facere non potuit, ut hic non moreretur?* Potuit facere ut non moreretur, sed mori permisit is qui mortuum ad suam gloriam voluit suscitare: permisit ad inferna descendere, ut appareret Deus ab inferis hominem cum reducit. Sed, Judæi, apparent corda vestra obstructiora inferis, viscera vestra duriora mortuis, oculi vestri tetriores sepulcris, cum vox quæ patefecit tartara vestra non patefecit arcana, cum jussio quæ exsuscitat mortuum mentes vestras non suscitat, cum lex quæ illustrat sepulcrum vestram non illuminet cæcitatem. Sed ista sufficiant, ut cum Christo resurgentis Lazari gloriam patentius videre possimus.

[e] SERMO LXV.

De eodem.

Quoniam mortem Lazari, Mariæ fletus, lacrymas Marthæ, Judæorum planctus jam perstrinximus sermone geminato, nunc exoneremus animos, abjiciamus curas, exoccupemus sensus, ut resurrectionis tantæ gaudio totis mentibus et capere et audire possimus. Evangelista venisse ad monumentum sic prædicat Salvatorem. *Jesus*, inquit, *rursus fremens in semetipso, venit ad monumentum: erat autem spelunca et lapis superpositus erat ei. Jesus fremens venit ad monumentum.* Fremit Christus, ut caro reviviscat; fremit vita, ut mors fugetur; fremit Deus, ut resurgat homo; fremit indulgentia, ne sententia contradicat; fremit Christus debellans mortem, quia [f] non potest non fremere, qui singularem rapit de hoste victoriam. Quod autem dixit, *Rursus fremens*, fremit rursum, ut geminata resurrectionis demonstret insignia: quia voce Christi sicut mortui corpore de sepulcris suscitantur ad vitam, perfidia mortui ad vitam fidei sic resurgunt. *Erat*, inquit, *spelunca*. Dixisse sufficerat venisse ad monumentum; quid est quod tantopere [g] speluncam Evangelista commemorat? Spelunca plane, ubi hominem [h] diaboli latrocinium collocavit; spelunca, ubi virum fraus condidit mulieris; spelunca, ubi Dei plasma mortis rapacitas includebat. *Et lapis superpositus erat ei.* Duræ mortis janua durior [i] durissimo lapide claudebatur: sed plorans quid proficit ad sepulcrum, quando sic duros et congestos [j] obices non penetrat vox plorantis? Christiani, ploremus Deo pro

[a] His male torquentur impia illa capita quæ Christum Stoicum et affectuum expertem penitus nobis effingere conati sunt. At ægre ferebant veteres quod Christus in Evangelio lacrymasse diceretur. Unde Epiphanii ætate, ipso teste in Ancorato, cap. 51 pag. 76 edit. Colon., in quampluribus Lucæ codicibus erratus fuerat locus ille, in quo Christus visa Hierosolyma collacrymasse dicitur. Quem tamen adhibuerat Iræneus lib. contra hæreses, ad refellendos eos qui Christum specie tenus apparuisse impie docebant.

[b] Augustinus de Verb. Dom. serm. 3: *Non locum sepulti ignorare credi debuerat, sed fidem populi approbare volebat.*

[c] Scilicet ex pacto, vel placito Dei.

[d] Sarcasmus est. Cæci illuminationem in dubium revocant; ac si dicerent: Quid prodigium cæci nati prædicant? Amicum utique servasset, si cæcum illuminare potuisset. Ex his vide quam apte Chrysologus in sequentibus perfidiam ac infidelitatem arguat Judæorum.

[e] Hæc scribens Chrysologus verosimilia quædam, ita rhetoricis coloribus adumbrat, ut dum de evangelica historia agebatur, nonnemini modum transiliisse videri possit.

[f] Hoc est: Christus Dominus non potest non turbari intimis animi sensibus, et turbatus excitari ad maximam in hostem protervum indignationem, quem speciali et raro modo sic vincere parat. Vel Christus indignatur et obstrepit, quia unum solum resuscitat, dum omnes ad vitam revocare venisset: interimque detinebatur, quoniam tempus a divina præordinatione stabilitum nondum advenerat. Mita. Vel potius amplectenda est sententia Augustini, opinantis Christum infremuisse ob peccata hominum, a quibus mors.

[g] More Hebræorum sepulcra in speluncis excavabantur.

[h] Quoniam homini vitam innocentiæ, et cætera bona fraudibus suis abstulit, ipsumque in mortis speluncam occlusit, ne quis furtum videret, aut reperiret. Mita.

[i] Lapis appositus erat ad ostium, per quod in antrum speluncæ descendebatur. Speluncæ os quidem una parte sublimius, altera depressius erat: ideoque lapis non hic dicitur revolvi ut Matth. xxviii, 2, sed auferri.

[j] Obex, omne id quod obicitur dici potest. Juvencus, lib. iv, pennas, quibus gallina pullos suos circumplectitur *obices* dixit. Vide Gasparem Barthium advers. lib. xix, cap. 14, qui hunc Chrysologi locum illustrat.

peccatis nostris, et, mortuis [a] non audientibus, cum gentibus non ploremus. *Ait Jesus, tollite lapidem.* Inter divinas virtutes humanum Christus requirit auxilium? non sufficit amovere lapidem, qui mortem sufficit effugare? sepulcri claustra reserare non valet, qui portas tartari prævalet aperire? Dixerat per prophetam: *Auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum* (*Ezech.* XI); præcipit ergo ut Judæi ex e [b] cor lapideum tollant, evolvant perfidiæ saxum, silicem duræ incredulitatis excludant, quatenus animæ per infidelitatem mortuæ de sepulcro pectoris prosilirent: et non tantum surrexisse Lazarum, quantum se Lazaro consurrexisse gauderent. [c] *Tollite lapidem.* Tollite miseræ humanitatis obsequium, ut divinitatis beatæ [d] opera nunc clarescant. *Tollite lapidem.* Quem posuistis vos, ut hominem quem ego posui, nunc reponam. *Respondit Martha: Jam fetet.* Mulier, et quod fetet cujus est? *Jam fetet.* Modo ad te pertinet, quod a te venit: ad sepulcrum non sentires fetorem, si in paradiso suasorem noluisses audire. *Jam fetet.* Quod perditori fetet non fetet Creatori. *Jam fetet.* Quod horret alieni operis eversor, amator sui operis non abhorret. Sed dicendo sic, testaris mortem, quam tu, mulier, intulisti; fetorem clamas, ut plena mors audientibus innotescat, quatenus quod resurget Lazarus, redeuntis sit spiritus, non latentis. Divinæ virtutis sit, non sit artis humanæ; neque Judæi, qui nos dicunt *in principe dæmoniorum ejicere dæmones* (*Matth.* IX) iterum dicant nos non imperio Dei, sed humano præsidio mortuos suscitare. *Jam fetet, quatriduanus est.* Dicit et tempus, ut sciant quia auctor est temporum, cui tempora nulla præscribunt. *Jam fetet, quatriduanus est.* Dicendo sic, [e] exaggerat desperationem, ut qui adsunt videant quia Deus est, qui sic vitam mortuis desperatis salutem, fetentibus dat vigorem. *Elevatis*, inquit, *oculis sursum.* Elevat oculos sursum, ut nobis formam supplicandi tribuat, [f] non sibi viam præparet impetrandi: namque sursum respicit, qui semper est sursum cum Patre, semper Pater in ipso est, et ipse est semper in Patre: *Ego*, inquit, *in Patre, et Pater in me est* (*Joan.* XIV); *Pater*, inquit, *gratias tibi ago, quia audisti me.* De præstito agit gratias; et quod Pater audierit, hoc dicitur; quod Filius petierit, hoc tacetur. Fratres, inter Patrem et Filium audiendi est affectio, non est necessitas supplicandi; charitas assensus est, non est austeritas jussionis; ibi amore geruntur omnia, ubi non indigetur obsequio, sicut ex sequentibus elucescit. *Pater, gratias ago tibi, quia audisti me: ego autem sciebam quia semper me audis.* Vocat invocandi cura, ubi fiducia certa est audiendi. Aut quid ibi facit petendi labor, ubi præstandi est causa communis? Nemo ergo [g] sic Filium minoret precibus, ne [h] Patrem circa salutem hominum sic minoret. Quare autem sic loquatur Filius, ipse aperit, sic dicendo: *Pater, gratias ago tibi, quia audisti me: ego autem sciebam quia semper me audis; sed propter populum dixi, qui circumstat.* Videtis quia loquendo talia suum Patrisque affectum tollit, prodit, pandit gratiam, [i] loquitur unitatem. Dixerat: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt* (*Joan.* XVI); et si sua sunt omnia, quomodo petit? Qui de suo petit, quod petit, non necessitatis est, sed amoris. *Pater, gratias ago tibi, quia audisti me: ego autem sciebam quia semper me audis; sed propter populum dixi, qui circumstat, ut credant quia tu me misisti.* Missum se dixit, ut populi sciant de cœlo venisse Christum, non recessisse de cœlo. Sic ergo mittitur, sic et quod habet accipit, quomodo [j] unde venerat non recessit; sic ergo et Filius quod habet accipit, et Pater quod dederit non amittit. Fratres, et quod auditur, et quod mittitur, et quod venit, et quod accipit, et quod nascitur, et quod patitur, et quod moritur, et quod resurgit, non est hoc divinitatis suæ, infirmitatis hoc nostræ est, nostræ est hoc naturæ: quod totum causa nostri tulit in nostro corpore, non propter se in sua pertulit majestate. Sed ad proposita redeamus. Quid est quod dicit, *Pa-*

[a] Ms. Cæsen. et Vatic., *nil audientibus.*

[b] Consonant alii Patres: Isidorus lib. IV epist. 160; Theodoretus in Ezechiel. XI; Origenes ad Matth. XII, etc.

[c] Justa quoque quæ defunctis solvuntur *obsequia postrema* dicta sunt. Hic pro *obsequio* nostræ humanitatis intelligitur sepulcrum.

[d] Christum voluisse astantes omnes suis ipsorum oculis perspexisse Lazarum, non mortuum tantum, sed fetidum, ut miraculum resurrectionis luculentius clarescceret, fere omnes interpretes docent. Vide Ambrosium lib. I Exam. cap. 75, et orat. de Fide resurrect.; Maldonatum item, et Brugensem, ex Euthymio.

[e] Spem ob rei difficultatem non retinuerat Martha; jam enim in fetido et quatriduano corpore spes omnis aberat resurrectionis. Atque eo magis, si jam tum invaluisset vetus eorum opinio, animam scilicet vagari circa corpus, donec facies et aspectus defuncti immutetur. Beresch Rabba fol. 114 apud Lightfootum in notis: *Tribus diebus anima vagatur circa corpus, exspectans ut redeat in corpus; cum vero videt quod immutatur aspectus faciei, recedit et relinquit corpus.*

[f] Superius gratias egerat Christus Patri suo, quod nondum orantem audierat, ut intelligerent eum similem non esse cæteris prophetis quibus necesse erat orare ut exaudirentur.

[g] Ex hujusmodi enim Evangelii verbis deducebant Arianorum filii argumentum, ut Filium Dei Patre minorem astruerent. Quis enim, aiebant, aliquid petens auditur, minor est eo a quo auditur et impetrat.

[h] Ac si Pater ad homines sublevandos non posset, nisi magnis precibus adduci.

[i] Christus enim in illud præcipue semper incubuit, ut populus numquam ex ejus verbis se esse minorem Patre posset eruere. Ideo cum orat, tunc enim ut homo loquitur, semper aliquid admiscet, vel post orationem aliquid semper gerit, quo ipsius cum Patre unitas et æqualitas ostendatur.

[j] S. Augustinus tract. 11, in Joan.: *Neque enim propterea debet incredibile videri, quia sic ad mundum veniens exiit a Patre, ut non desereret Patrem; et sic vadit ad Patrem, relicto mundo, ut non deserat mundum. Exiit enim a Patre, quia de Patre est; in mundum venit, quia mundo suum corpus ostendit, quod de Virgine assumpsit. Reliquit mundum corporali discessione. Perrexit ad Patrem hominis ascensione, nec mundum deseruit præsenti gubernatione.* MITA.

ter, gratias ago tibi, quia audisti me? Quid est? Ubi Christus cœpit [a] inferi pulsare fores, portas tartari submovere, januas aperire mortis, gehennæ solvere legem vetustam, deturbare antiquissimum jus pœnarum, reposcere Lazari animam, ab inferis viam reditus innovare, occurrit ei tartari tota furens potestas, præferens edictum superni principis, excelsi regis portans decretum, gestans latam tot sæculis Deo loquente sententiam; et videns hominem sciscitabatur quis iste esset, quid auderet, quid sibi vellet, cur solus, aut sine tremore tremendos mortis lacessat et incessat accessus. Cui dicenti quis esset, responderunt prophetica voce, ministri resurrectionis, angeli. *Ipse est rex gloriæ, ipse est fortis et potens in prælio* (*Ps.* XXIII). Sed refert tartarus: Ego regem gloriæ in cœlestibus scio omnibus potestatibus cœlicis præsidere, cujus nutum tota sufferre non potest creatura; hunc autem video de terrenis unum, concretum limo, corpore mortali septum, et in ipso habitu hominis, hominibus viliorem, et ad summam cito dandum sepulcro, subdendum meæ protinus esse ditioni. Sed persistentibus angelis et repetentibus: *Ipse est Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ;* ipse cœli præsul, ipse creator mundi, ipse salvator sæculi, ipse redemptor omnium, et de qua furis tu, lator ipse sententiæ, ipse tuum calcaturus caput, ipse tuum contriturus imperium, ipse te suo judicio perditurus; qui reos jussus capere, attrahis innocentes, sanctos diripis, ipsi Dei Filio comminaris. Redde ergo unum, priusquam multos cogaris exsolvere. Sed tartarus adhuc ista non credens, per consuetos nuntios recurrit ad cœlum, hæc invidiosa interpellatione deploratus: Ego, Domine, et si extremus creaturæ tuæ, et si tristi servitio mancipatus præcepta tua inviolabili lege servo, pervigilo, ne quis sententiæ tuæ vetustum jus, novus temerator immutet, sed apparuit homo, qui dicitur Christus, tuum se Filium jactans, sacerdotes tuos notat, scribas tuos arguit, sabbata tua violat, legem tuam solvit, et animas exemptas carne, et pœnæ jam meæque custodiæ deputatas, ad corpora, in quibus scelerate vixerant, redire compellit; et tantis quotidie procedit ausibus, ut Lazarum jam carcere nostro clausum, jam lege nostra vinctum, jam jure nostro manentem, effractis claustris inferi conetur eruere: aut cito subveni, aut si patefecerit semel januas, omnes, quos tot sæculis servavimus, nunc amittis. Ad hæc Filius de sinu Patris respondit: Pater, justum est ut carcer non innocentes teneat, sed nocentes; pœna non justos cruciet, sed injustos. Quamdiu sub unius hominis culpa, propter Adæ solius noxam, patriarchas, prophetas, martyres, confessores, virgines, viduas, in castitate conjugii permanentes, omnes ætates, utrumque sexum, certe [b] parvulos nescientes bonum vel malum, hic carnifex ad se trahere crudeli infestatione non cessat? Pater, ego moriar, ut non moriantur omnes; Pater, ego Adæ debitum solvam, ut per me tibi vivant qui per Adam moriuntur inferno; Pater, propter sententiam tuam ego meum sanguinem fundam, tantum est ut ad te tua redeat creatura, pretium chari tibi sanguinis mei redemptio sit omnium mortuorum. Ad hæc totius Trinitatis consensus, et Lazarum præcepit exire et tartarus ad reddendos omnes mortuos Christo jussus est obedire: hinc est quod Filius clamat: *Pater, gratias tibi ago, quia audisti me* (*Hebr.* IV). Testatur Apostolus quod Christus advocatus noster sit apud Patrem; denique quando sedet, conjudicat Patri; quando stat, officio fungitur advocati. Tunc Christus, peracta advocatione, clamat voce magna: *Lazare, veni foras.* Tunc tartarus, ligatis manibus et pedibus, Lazarum retulit ad superna: timens et tremens, ne dum solvit, ne dum moras facit, ne dum tardius refert unum, omnes cogeretur afferre. Sic factus est vivorum relator, qui raptor esse consueverat mortuorum. Nam quare Christus vincula inferni dirupit, mortis ligamenta dissolvit, nisi ut nobis monstraret inferni tremendam servitutem? Nam si de Moysi corpore diabolus angelo contradixit, quomodo non tartarus Christo de vita et de resurrectione Lazari contradicet? Orate, fratres, ut qui gustum resurrectionis Lazaro propinante suscepimus, redeunte Christo universalis resurrectionis voces mereamur audire.

SERMO LXVI.

De divite et Lazaro.

Duas hodie a duobus evangelistis editas, ita recitari fecimus lectiones, ut sermoni nostro vester intellectus occurreret, paterent abdita. Lazari resurgentis occasio, cur [d] alterius nos Lazari compulerit facere mentionem, ex sequentibus audietis: modo inhumani divitis et Lazari pauperis stupendas vices, pavendas successiones, conditiones admodum lamentandas in medium producere et afferre gestimus, quia

[a] Elegantius dictum quam *Inferni*, notavit Barthius advers. lib. XXII cap. 10 col. 1090.

[b] Limbum quem vocant, puerorum esse, ut ait hic Chrysologus, apud inferos, tenuere Patres concilii Florentini, ubi sess. ultima diserte definitur, tam eos qui mortali peccato obstricti quam eos qui solo originali mox in infernum descendunt, pœnis tantum disparibus puniendos esse. Nihilominus communis scholasticorum sententia est, quam sequitur Innocentius III, cap. *Majores*, ex tract. de Baptismo, limbum puerorum altiori loco constitutum.

[c] Antequam sermo ad populum haberetur, recitabantur coram Evangeliorum lectiones, vel illa sacræ Scripturæ loca, de quibus sermocinari oportebat. Vide Act. XIII, 14; Auctor Constit. Apost. lib. XI, cap. 14; Tertull. in Apol. cap. 39, et alibi passim. Duas etiam lectiones quandoque recitatas fuisse docet Augustinus serm. 121, de Diversis. *In memoria retinentes pollicitationem nostram ex Evangelio et Apostolo fecimus recitare lectiones.*

[d] Certant veteres recentioresque enarratores, an hæc de Lazaro historia sit, an parabola, vel demum historiis ac parabolis immixta narratio. Historiam eam credidisse videtur Chrysologus, cum Ambrosio lib. VIII, de Divite. Parabolam alii. Chrysostomus hom. de divite et Lazaro; Cyrillus Alexandrinus in Caten. Græcorum PP., ubi notatur ex Judæorum traditione mendicum quemdam tunc fuisse Hierosolymis, nomine Lazarum, satis notum, cujus meminit Dominus ad majorem sermonis manifestationem. Consule Theophylactum.

dives qui participem pauperem in nobis præsentibus audire contempsit, in futuris malis compatientem pauperem non meruit invenire ; nec ardens aquæ refrigerium percepit, æstuanti pauperi fame panis refrigerium qui negavit. *Cum esset*, inquit, *in tormentis, elevavit oculos suos, et vidit Abraham de longe, et Lazarum in sinu ejus* (*Luc.* XVI). Gratis respicit modo [a] Lazarum sursum, qui ante deorsum Lazarum videre despexit. De talibus dixit propheta : *Oculos suos statuerunt declinare in terram* (*Ps.* XVI). *Cum esset in tormentis.* Pungit pœna, quæ non pœnitudo compunxit, et vexant tormenta, quem Lazari vulnera non moverunt : nec gratis aculeos percipit pœnarum, qui in purpura volutabatur ingratus. *Vidit Abraham de longe.* Longe illi erat Abraham, cui non fuerat proximus pauper. [b] Vidit Abraham divitiarum consortem, sed inhumanitatis [c] exsortem, et Abraham dives, sed plus humanitate quam censu, tu dives inhumanitate tua major tuis divitiis extitisti ; Abraham sibi peregrinus, [d] civis hospitum fuit ; tu palatia possidens, tectum pauperi non dedisti ; Abraham dum servos suscipit, dominum sic recepit, et cunctis hominibus ponens panes, ipsum Dominum suam suscepit ad mensam ; tu dum singulari pauperi negas micas, stillam refrigerii perdidisti. *Et ipse clamans, dixit.* Sic clamat ibi, qui hic clamantes contempsit audire, ibi cassa vox est, istic inanis est clamor. Audi prophetam dicentem : *In inferno autem quis confitebitur tibi* (*Psal.* VI) ? In inferno quis misericordiæ locus ? in tormentis quæ spes veniæ, et in hora sententiæ tempus indulgentiæ quis requirit ? *Pater Abraham, miserere mei.* Crudelis fili, quam misericordiam petis quam tibi negando pauperi tu negasti ? *Et mitte Lazarum.* Miser fili, si Lazarus ad tuam mensam venisset, tu ad istum discubitum non venisses. *Ut intingat extremum digiti sui in aquam.* Qui claudit manum pauperi, extremi stipem digiti sic deposcit, et sitit aquæ guttam, qui vini lacus, ne guttam daret, inclusit. *Ut intingat extremum digiti sui.* Qui divitias suas non miserando pauperi dedit, sibi misericordiam sic minorat. *Et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Quasi reliquum corporis ab incendio haberet immune : sed lingua plus ardet, quæ misericordia ut fieret, jubere neglexit ; in lingua majus sentit incendium, quæ maledixit pauperi, misericordiam contradixit ; lingua in tormentis prima est, quæ, derogando pauperi, pauperis blasphemavit auctorem. Sed audiamus jam quid responderit Abraham. *Fili*, inquit, *recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala.* Nemo putet, audiendo ista, quia dives pro bonis receperit bona, quando hinc magis reus est, quod cum a Deo pro malis receperit bona, bona pro nobis Deo reddere contempsit. Nam de divitiis tantis nec victum dedit pauperi, nec sacrificium Deo minima oblatione dependit. At pauper dives vulnere, censu nudus, exutus corpore, vestitus pœnis, animam quam solam non tenebant vulnera, Deo in hostiam jugiter offerebat. Hinc est, quod recipit [e] pro doloribus requiem, pro opprobrio gloriam, pro contumeliis honorem, pro despectu gratiam, pro pœnis immortalitatem, pro vulneribus præmia, pro siti refrigerii fontem, pro fame cœlestis mensæ delicias sempiternas, et quem divitis angulus non cepit, sinus divinæ consolationis includit. Tu, dives, [f] fulgens quondam purpura, nunc [g] tegere fimo, pro coccino vestire flammis, pro molli discubitu sustine tormentorum dura, pro lautis ferculis epulare pœnas, copias inopia compensa, ebrietates siti digere, pro odoribus aspergere fetore : et cui astiterunt voluptatis obsequia, astent tibi ministeria nunc pœnarum, quia ista tibi despiciendo pauperem taliter tu mutasti. Adjecit autem Abraham, dicens : *In his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare.* Dicendo sic, [h] tam justos quam injustos ante adventum Domini apud inferos fuisse declarat,

[a] Loquitur ad phrasim Hebraicam, *elevans oculos.* Chrysostomus, Con. 11, de Lazaro apud D. Thomam in Catena, Oper. tom. V, pag. 275, col. 1, recentioris edit. Ven. : *Elevavit oculos, ut inspiceret, non ut despiceret. Lazarus enim sursum erat, ille deorsum.* Cæterum Hebræi tam Abrahæ sinum quam infernum in subterraneis reponebant, et adeo dissitis, ut eos immane chaos disterminaret . ita tamen, ut ex uno in alterum prospiceretur. Confer quæ habet Ligthfootus in illud Apocalypseos : *Torquebitur in conspectu angelorum sanctorum.*

[b] Chrysologus res spirituales verbis sensui accommodatis explicat : nam hanc eamdem rem egit Christus. Male autem Tertullianus et Irenæus hinc argumentum ducunt, post mortem in anima remanere lineamenta quædam corporis, et simulacra membrorum.

[c] Non consortem, non socium

[d] Nonnulli interpretum recte putant hic de Abrahamo potius quam de aliquo alio patriarcha fieri mentionem, ob ejus hospitalitatem. His et noster accensendus. Tropica vero est evangelistæ locutio. Pro sinu enim Abrahæ intelligebant Hebræi locum in quo animæ suavem vitam agerent. His recte probat Muratorius male de Chrysologo sensisse Brunetum, dum eum in testem advocat suæ sententiæ de Paradiso pag. 230.

[e] Credebant Hebræi eos qui vitam in deliciis egissent post mortem pœnis esse mulctandos ; et e contra qui in ærumnis, felicitatibus cumulandos. Ita etiam Chrysostomus homil. in Luc. XVI, Maldonatus et Grotius.

[f] Purpuræ nomine omnia veniunt divitum ornamenta, Sidonius, epist. 10 ; Lucanus in Hippica de membris balnei. In onyche quam cardin. Baronii beneficentia possederat olim Sirmondus hæc legebantur : Εὐτίχει, Μακεδών, ἡ πορφύρα τῶν ἀδελφῶν : *Sis felix, Macedo, purpura*, id est, decus *fratrum*. Serius autem factum quod reges tantum purpura uterentur, cum antea lautioris fortunæ viri, ut hic noster, purpura item amicirentur. Hebræis majorem purpuræ copiam fecit Tyri vicinitas. Vide Blasium Carophilum Miscell. pag. 45.

[g] Similia his quæ sequuntur habet Basilius in Catena PP.

[h] Gregorius lib. VI Moralium, cap. 27 : *Eos enim qui cœlestis patriæ vias secuti sunt, post egressum carnis inferni claustra tenuerunt ; non ut pœna quasi peccatores flecteret, sed ut illos in locis remotioribus requiescentes ab ingressu regni reatus primæ culpæ retineret.*

et [a] discretos locis tantum, non regionibus aperit fuisse divisos. Postquam vero Dominus resurgens a mortuis, aperuit infernum, patefecit cœlos, paradisi claustra reseravit, dedit sanctis paradisi intrare requiem, ad cœli gloriam pervenire. Ista qui sic credit, intelligit quid mortalibus veniens donaverit Christus. Insipienter ergo dives putat apud inferos mutari loca, quando hic agendo homo bene vel male ibi sibi [b] terminum aut pœnæ aut quietis indicit. Stultus in vita dives, stultior invenitur in pœna; et qui bonorum suorum nescivit tempus, nec malorum suorum tempus miserandus agnoscit. *Rogo te, pater.* Modo rogas, modo tibi tempus patiendi est, non rogandi. *Rogo te, pater?* Quid? *Ut mittas Lazarum in domum patris mei.* Ante quam bene jacuit Lazarus ad illam januam, in qua fame sua inhumanitatis tuæ [c] titulos fixit, ubi postes tuos suis [d] ulceribus laureavit, ubi sanie sua [e] pinxit micas tuas. Patere ergo stare vices, jam depone dolos; lucet quia tu Lazarum non potes sic videre: scitur, scitur, quia plus te felicitas Lazari quam gehennæ torquet incendium. *Respondit Abraham: Habent Moysen et prophetas, audiant illos.* Hoc est, si Moysen, qui regna Ægypti elementis secum militantibus trivit (*Exod.* VII), qui siccavit mare (*Exod.* IV), qui duravit fluctus, qui lapides in fluenta convertit (*Exod.* XVII), qui solem texit nube, qui noctem luce radiavit (*Exod.* XIII), qui cœlum fecit pluere carnes, rorare panes (*Num.* XVI), non solum non audierunt, sed et occidere sunt moliti, isti Lazarum dignabuntur audire, quem tot vulnera sepiunt, quot Moysen cinxere virtutes? patere et me sentire quod genui, et tu patere quæ fecisti. *Non, pater Abraham.* Vere, non pater, quia non erat Abrahæ filius, sed gehennæ. *Non, pater Abraham, sed si quis ierit a mortuis ad eos, pœnitentiam agent.* [f] Hoc dives de corde omnium dicit, hoc de desideriis cunctorum petit, hoc de votis omnium loquitur mundanorum, omnes enim susurrare consuevimus: O si quis veniret a mortuis, et quod ibi agitur hic referret, omnes crederent ei. Certe, ut dubitantes dicerent, Quis inde venit, unde nemo venit? Post mortem quod sit aliquis, quis probabit? Omnes audita loquimur, dictis insinuata sentimus: nam quid veri fides habeat, mersum est in profundum. Sed perfidiæ, non ignorantiæ esse quod sic loquimur, cum ita credimus, hodie beati Joannis evangelistæ lectio secuta monstravit. Nam sicut dives petit, Deus pro Lazaro [g] Lazarum misit. Sed quid missus, quid desideratus, quid resurgens profecerit, patienter audite. *Cogitaverunt*, inquit, *principes sacerdotum, ut Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum* (*Joan.* XII). Quasi ad hoc desideratus advenerit, ut iteratæ mortis pericula sustineret. Nolunt, nolunt referre visa, qui volunt audita non credi. Scimus, scimus, et vitam parari bonis, et malis tormenta præparari: sed dum vitiis capti virtutum tempus nolumus advenire, fingimus nescire quod scimus, et post mortem quid sit nolumus ab inferis venire qui dicat, cum de cœlo Christus veniens, et ab inferis ipse rediens, et quid bonos in cœlo maneat, et quid malos exspectet in inferno, et verbo docuerit, et firmaverit exemplo. Sed forte ideo nec ista credimus, nec Christum volumus advenire, quia mundum transire nolumus, immo non quia mundum transire nolumus, sed quia dolemus vitia præterire. Christus venit non vitam fugare, sed mortem; mortem fugare, non vitam; mundum revocare, non tollere; vitia perdere, non suam disperdere creaturam. Sed orate, fratres, ut veniens nos inveniat tales, quales regni sui cupit et præcipit esse consortes.

SERMO LXVII.

In orationem Dominicam.

Accepistis auditum fidei, fratres charissimi, formam Dominicæ orationis audite. Christus breviter [h] orare docuit, qui cito vult postulata præstare. Aut

[a] Theophylactus: *Chasma mega, hoc est ingens hiatus, significat justorum a peccatoribus distantiam.* Tertullianus Græcum χάσμα vertit *infernum;* aitque esse immensam distantiam sublimitatis et profunditatis. Plutarchus etiam in lib. de Sera num. Vind. in descriptione inferorum ponit *chasma.* Vide Ligthfootum et Grotium in his locis Evangelii, ubi multa de Hebræorum opinione circa infera animarum loca. Ex Chrysologi descriptione firmatur opinio eorum qui Elysios campos non a Græcis vel ab Ægyptiis, sed ab Hebræis inventos putant. Nam et apud ethnicos quoque flumina in Elysiis defluebant, ut et apud Hebræos. Vide Ezechiel. XXXI, 15. Insepultorum animas errare nec ad Elysios pervenire, utriusque gentis opinio fuit. A Tartaro separabantur Elysii vasto insuperabilium murorum ambitu et igneo torrente; et hanc fuisse Hebræorum mentem ex hoc Evangelii loco dignoscimus. Id quod minimi erat impedimenti, ut qui in Tartaris degebant eos qui in Elysiis viderent et audirent.

> Hinc exaudiri gemitus, et sæva sonare
> Verbera, tunc stridor ferri, tractæque catenæ.

Et apud Hebræos: *Videntes turbabuntur timore horribili,* Utut sit, Hebræi hac voce *inferi* locum innuebant, ut bene Chrysologus, ubi animæ post mortem commorabantur. Isai.: XIV, 9; Ezechiel. XXXI; 15; Job. XXVI, 5; I Petri III, 19.

[b] Contra Origenem, ejusque sectatores, docentes terminum quondam imponendum æternis supliciis. Vide Theophylactum ad hunc Evangelii locum.

[c] Titulos figere postibus idem est ac inscriptiones, lapides et statuas ibidem apponere, quæ gentis nobilitatem et munera inuerent.

[d] Quandoque mos fuit antiquis diebus festis postes floribus et lauro ornare. Hebræos quod spectat testis est Persus:

> Herodis venere dies: cunctaque fenestra
> Disposita, pinguem nebulam vomuere lucernæ,
> Portantes violas, etc.

Pro die Herodis intelligit festa et sabbata Judæorum.

[e] Latinius: *Quomodo potuit pingere micas, si negavit micas?*

[f] Tali modo explicant hunc locum evangelistæ, Chrysostomus homil. de Lazaro, Euthymius, Beda, Maldonatus et Grotius.

[g] Eum scilicet, quem Christus a mortuis suscitavit. Nec vero absimile est Christum, cum hanc edisseret parabolam, Lazarum a mortuis suscitatum respexisse. Id plurimi enarratores volunt.

[h] Rogantibus apostolis ut sibi a Christo aliqua daretur orandi formula, hanc eos edocuit omnium excellentissimam, et quam Tertullianus vocat *breviarium totius Evangelii.*

quid petentibus se non dabit, qui seipsum [a] non petentibus dedit? Aut in respondendo quam facit moram, qui in dictandis precibus vota supplicum sic rævenit? Hodie quod audituri estis stupent angeli, miratur cœlum, pavet terra, caro non fert, auditus non capit, non attingit mens, tota sustinere non potest creatura : ego dicere non audeo, tacere non possum. Deus det ut et vos audire possitis, et ego dicere. Quid est magis tremendum, quod se dedit terris Deus, aut quod vos dat cœlo ; quod societatem carnis intrat ipse, aut quod vos facit consortium divinitatis intrare; quod mortem sumit ipse, aut quod vos resumit ex morte; quod ipse in vestram nascitur servitutem, aut quod vos sibi gignit in liberos; quod suscipit paupertatem vestram, aut quod vos sibi facit hæredes, sui unici cohæredes? Est utique terribilius quod terra transfertur in cœlum, homo deitate mutatur, servitutis sors dominationis jura sortitur. Sed hoc quamvis metuendum sit, tamen quia causa non docentem respicit, sed jubentem, accedamus, filioli, quo vocat charitas, trahit amor, invitat affectio : Deum patrem viscera sentiant, vox personet, loquatur lingua, spiritus clamet, et totum quod est in nobis, respondeat gratiæ, non timori; quia qui judicem mutavit in patrem, amari voluit, non timeri. *Pater noster qui es in cœlis* (*Matth.* VI). Hoc cum dicis, non sic habeas, quasi non sit in terris ; non sic accipias, quasi sit loco clausus, qui claudit omnia, sed intellige esse tibi genus e cœlo, cujus Pater habetur in cœlo ; et age ut, vivendo sancte, sancto respondeas Patri. Dei filium ille se probat, qui vitiis non obscuratur humanis, qui divinis virtutibus elucescit. [b] *Sanctificetur nomen tuum*. Cujus genus sumus, ejus censemur et nomine : rogamus ergo ut nomen ejus quod in se et per se sanctum est sanctificetur in nobis ; nomen enim Dei aut honoratur [c] ex nostro actu, aut ex nostris actibus blasphematur. Audi Apostolum dicentem : *Nomen Dei per vos blasphematur in gentibus* (*Rom.* II). *Veniat regnum tuum.* Et quando non regnavit Deus? Petimus ergo ut qui sibi regnavit semper, modo [d] regnet in nobis, ut et nos in illo regnare possimus. Regnavit diabolus, regnavit peccatum, regnavit mors, et fuit diu captiva mortalitas : petimus ergo ut, regnante Deo, pereat diabolus, [e] deficiat peccatum, moriatur mors, captivitas captivetur, ut nos liberi perpetuam regnemus in vitam. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.* Hoc est regnum Dei, quando et in cœlo, et in terra Dei voluntas est sola, quando in omnibus hominibus [f] Deus mens est, Deus vivit, Deus agit, Deus regnat, Deus est totum, ut juxta illud Apostoli : *Sit Deus omnia in omnibus vobis* (I *Cor.* XV). *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Qui patrem se nobis dedit, qui sibi nos adoptavit in filios, qui rerum nos fecit hæredes, qui nos nomine sublimavit, qui nos suo et honore donavit et regno, ipse nos ut panem quotidianum postulemus addixit. In regno Dei, inter munera divina, quid quærit paupertas humana? tam bonus, tam pius, tam largus Pater panem filiis non nisi postulatus indulget? Et ubi est illud : *Nolite solliciti esse quid manducetis, aut quid bibatis, aut quid vestiamini* (*Matth.* VI)? Hoc petere jubet [g] quod prohibet cogitare, quatenus cœlestis pater [h] cœlestem panem, cœlestes filii ut postulemus, hortatur. Ipse dixit : *Ego sum panis, qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI). Ipse est panis, qui satus in Virgine, fermentatus in carne, in passione confectus, in fornace coctus sepulcri, in Ecclesiis conditus, illatus altaribus, cœlestem cibum quotidie fidelibus subministrat. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Homo, [i] si sine peccato esse non potes, et vis semper dimitti tibi totum, dimitte semper; quantum vis dimitti tibi, dimitte tantum; quoties vis dimitti tibi, toties tu dimitte; immo quia vis totum dimitti tibi, totum dimitte : homo, intellige quia remittendo aliis tu [j] tibi veniam dedisti. *Et ne nos inducas in tentationem.* Quia

[a] Scilicet gentibus, quæ illum neutiquam petebant. Nam Hebræi in lege docti Christum ad homines venire orabant dicentes : *Mitte, Domine, quem missurus es*, etc. ; *Veni, Domine, noli tardare*, etc. MITA.

[b] Maldonatus et Brugensis, *celebre reddatur;* Beda et Menochius, *ametur et timeatur;* Tertullianus : *in omnibus perfectissime regnet per gratiam* ; Augustinus, serm. olim. 48 de Tempor., nunc 56 et 57 : *Hoc rogas, ut quod semper sanctum est, in se, sanctificetur in te.* D. Thom., exposit. in orat. Dom. petitio. 1 p. 30 Oper. tom. VIII edit. Ven. : *Ne nomen ejus in nobis manifestetur et declaretur.*

[c] Drusius ex divo Hieronymo : *Sanctificatio enim et pollutio nominis Dei pendet ex operibus nostris.*

[d] Eo, scilicet, regno, quo Deus regnat in cordibus justorum : quod regnum Dei vere vocatur ab Apostolo ad Rom. XIV, 16. Ambrosius, Hilarius, Gregorius, Maldonatus, alii aliter explicant. Cyprianus de Orat. Dominic. sermo 6 pag. 558 : *Qui se Deo et Christo dedicat, non terrena, sed cœlestia regna desiderat.* Consentiunt, Sedulius, lib. IV ; Chrysostomus in Matth. ; Augustinus, ep. olim 21, nunc 130 ad Probam, c. 11.

[e] D. Thomas, loco cit. pag. 32 : *Cum ergo petimus quod veniat regnum ejus, oramus quod non regnet in nobis peccatum, sed ipse Deus.* Ambrosius de Sacram. cap. 4 pag. 341 edit. Paris. 1551.

[f] Editi, perperam, *Deus meus est.*

[g] Cum nonnulli animadvertissent vocem ἐπιούσιον in Hebræo legi *mahar*, quod Syris, quorum dialecto usum fuisse Christum volunt, crastinum est, et non *quotidianum* et *hodiernum;* inde orta est quæstio, quam movet Chrysologus : an scilicet Christus in Evangelio duo sibi invicem repugnantia docuerit. Ad cujus solutionem alii eamdem cum Chrysologo iniere viam, dicentes in Dominicali petitione agi de pane eucharistico. Ambrosius lib. V de Sacram. cap. 4 ; Cyprianus, lib. de Orat. ; Augustinus homil. olim 42 : *Impertire nobis eucharistiam tuam, quotidianum cibum.* At hujusmodi explicationes mores potius quam litteram spectant. Hac enim petitione quærimus omnia quibus ad vitam conservandam indigemus. Alii cum Hieronymo annotarunt vocem Hebræam, ex quo conflatum putatur verbum ἐπιούσιον, non quidem diem proximum, vel immediate sequentem, sed quidquid futurum est significare ; et dixerunt esse ἐπιοῦσια omne id spatium vitæ, quod nobis superest emetiendum.

[h] Evangelista, ἄρτον τὸν ἐπιούσιον; quod nonnulli vertunt *supersubstantialem, super omnes substantias.*

[i] *Debitum in Scripturis delicti figura est*, inquit Tertullianus; *et peccata debita vocantur*, subdit Brugensis.

[j] His similia habet alibi quoque Chrysologus, quæ non absolute intelligenda sunt, quasi hac sola impleta

in sæculo est ipsa vita tentatio. *Tentatio*, inquit ille, *est vita hominis* (*Job.* VII). Rogemus ergo ut nos [a] arbitrio nostro non relinquat, sed in omni actu paterna nos pietate constringat, et in vitæ tramite cœlesti moderatione confirmet. *Sed libera nos a malo.* A quo malo? [b] a diabolo quippe, ex quo est omne malum. Rogamus liberari nos a malo, quia malo qui non caruerit, frui non potest bono. [c] Si adhuc non nati, si adhuc in utero constituti, panem petunt, expetunt regnum, [d] quare fit quæstio, quod semper Dei Filius, in Dei patris mansit arcano? Si Ecclesia generat, ratio non est, est cœleste mysterium; quod in Patre Deo, Dei Filius fuerit, quomodo humana ratiocinatione tractetur non est, non est humano modo divinitas æstimanda. Audisti Deum, nil terrenum cogites, nil humanum; audisti Patrem Christi, hoc per substantiam crede; audisti patrem tuum, hoc crede per gratiam: ille ut esset Filius habuit semper, te esse filium dedit modo Sic ergo te filium scito, ut servum te esse non nescias; sic audi ad Christi similitudinem te reductum, ut semper te Christo cognoscas esse subjectum.

SERMO LXVIII.

In eamdem.

Conditio mortalis, terrena compago, limosa substantia, vitæ ac mortis incerta, labore attrita, consumpta pœnis, putredini ac pulveri subjecta natura capere non valet, æstimare non sufficit, fugare non audet, credere pertimescit, quod hodie cogitur confiteri. Tantam donorum Dei gratiam, promissorum magnitudinem, munerum largitatem, fragilitas humana unde promereri valeat, non potest invenire. Hoc reor non ambiguum Habacuc prophetam mentis intuitu prævidisse, dum se tanto pavore concussum, hujus auditus taliter exagitatum tremore, dicit: *Domine, audivi auditum tuum, et timui; consideravi opera tua, et expavi* (*Habac.* III, *juxta* LXX). Auditum timuit, non quia tunc propheta tantus audierit Dominum, sed quia tunc servus Dominum suum sibi conversum reperit, et audivit in patrem; non quia mundi hujus fabricam elementis ita sibi dissonis consonantem contemplatus expavit, sed quia pietatis erga se tantæ considerans tunc opera, admirationis tremore concussus est et pavore. *Consideravi*, inquit, *opera tua et expavi.* Adoptatum se tunc stupuit in filium, quando perdiderat ipsius fiduciam servitutis. Denique ut sciatis hujus orationis, quam vobis hodie Divinitas insinuat et infundit, affectum, propheta tunc audet cœlitus percepti hujus muneris quodammodo pavore solutus. Quid iterum dixerit pervidete. *Custodivi*, inquit, *et expavit venter meus a voce orationis labiorum meorum.* Posteaquam divini muneris senserat largitatem; custodivit se, ne se hostem, ne inimicum, ne latronem se iterum sicut in paradiso sustineret. Fit vigilantior, fit sollicitior sui custos, qui se post tantæ rei jacturam cœlestem thesaurum in vasis fictilibus custodivit. *Et expavit venter meus.* Ventrem cordis interna nominat hic propheta; qui sicut venter cibis, cor sic sensibus pascitur et repletur. *Et expavit venter meus a voce orationis labiorum meorum.* Si intellectus cordis infuderat ori vocem, labiis dederat verba, cur vota sua, cur desideria sua, cur ex hoc quod est exoraturus, expavit? Quia non suggestione sui cordis, sed divini Spiritus loquebatur affatu. Audi Paulum dicentem: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem: Abba, Pater* (*Gal.* V). Quod auditum cum ad interna transmitteret, tantum se meruisse mirabatur, et interna tota hominis pavebant. Merito adjecit: *Et intravit tremor in ossa mea*, quia ipsa prophetæ viscera vexabantur. *Et subtus me*, inquit, *commota est virtus mea.* Quid est subtus me? quatenus ipse idemque homo sursum per gratiam jam levatus jacebat subtus pristinam per naturam, nec virtutem cœlestem virtus poterat sustinere terrena. Jam fumavit mons Sina, cum daturus legem Deus descendit in montem (*Exod.* XIX). Quid caro faceret, cum descendit Deus in carnem, carni gratiam collaturus? Venit pater quia homo Deum, servus dominum non ferebat. Et quia fidelis est in verbis suis quæ dixit: *Aperi os tuum, et implebo illud* (*Psal.* LXXX); aperite nunc ora vestra, ut ipse ea tali prece, tali repleat et clamore. *Pater noster qui es in cœlis* (*Matth.* VI). Ubi sunt qui de Dei promissione diffidunt? Ecce quam cito fidei est remunerata confessio: mox ut Deum unici Filii confessus es Patrem, tu ipse es Dei Patris adoptatus in filium, ut esses cœli hæres, qui paradisi exsul habebaris et terræ; et ideo nunc vocas, *Pater noster qui es in cœlis.* Quia fuit tibi quondam pater qui te resolvit in limum, qui te ad claustra duxit et pertraxit inferni: terram nesciat, amorem carnis ignoret, patrem pulveris non requirat, nihil in se vitii licere permittat, qui Deum patrem cœlestem repe-

conditione Deus nobis peccata dimittat, sed si cætera accedant, veluti pœnitentia, dolor, etc. Hoc enim interest inter promissiones affirmantes, quæ cum exceptione suscipiendæ sunt, et negantes, quæ absolute.

[a] Deus non tantum homines impios suis sæpe vitiis relinquit, ut Rom. I, 24, sed eos etiam qui viribus suis plus æquo confidunt. Quod malum, juxta Chrysologum, antèvertimus assiduis precibus, et præcipue hac eadem petitione in orat. Dominic.

[b] Malum hic a SS. Patribus pro diabolo sumi plurimis probari potest. At in luce meridiana lucernam accenderem. Græce, in textu, ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, *ab illo improbo, ab illo maligno* vertit Tremellius, Montanus et Syrus; quo nomine diabolus vocari solet, Matth., XIII, 19; Joan. XI, 13; V, 18.

[c] Hic se catechumenos Dominicam orationem docuisse, et gentiles modo per baptismum renatos eruditisse innuit. MITA. — At catechumenis non licebat dicere *Pater noster*, usque dum per aquam regenerationis Filii Dei facti essent. Hoc aperte testatur Chrysostomus homil. 11 in II Cor., tom. V pag. 516 edit. Francof.; et Augustinus homil. 29, de Verbo Apostol.; Theodoretus Epit. Div. Dogm. cap. 28 tom. IV, pag. 336, citante Suicero pag. 1248. Unde passim dicebatur εὐχὴ πιστῶν, *oratio fidelium*. Non tamen res erat illicita, si quis ea uteretur.

[d] Hoc est quare disputamus id quod fide firma creditur, scilicet, quod Filius æterni Patris fuit semper in hoc? Vide supra serm. 58, et 60, et 62; hæc enim contra hæreticos scripta sunt. MITA.

tit ad naturam. Et qui se Dei filium credit, actu, vita, moribus, honestate, tanto generi respondeat, ne iterum ad terrena descendens ad ipsam tanti genitoris tendat injuriam. *Sanctificetur nomen tuum.* Si nomen Christi cæcis visum, cursum claudis, defessis vario languore sanitatem, mortuis dat vitam, teque, homo, ipsum, totamque sanctificat creaturam, quemadmodum tu ipsius nominis oras et expostulas sanctitatem? Quia a Christo vocatus es Christianus; et ideo supplicas ut prærogativa tanti nominis meritis in te subsequentibus roboretur. *Adveniat regnum tuum.* Devotionem mandat, exigit desideria, vota perquirit ipse, qui adventum suum in sua continet potestate. Fidelis est ille miles, qui regis sui præsentiam sitit, exoptat regnum, expetit et concupiscit triumphos : sed hic petis ut tibi et in te adveniat regnaturus, in quo diabolus arcem, mors imperium, diu infernus gessit et tenuit [a] potestatem. Oremus ergo, charissimi, ut Christus semper suo regnet in milite, [b] et miles semper suo triumphet in rege. *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra.* Beatus dies ille, qui terrenorum jungit, sociat, exæquat cœlestibus voluntates, ut inter dispares substantias una atque eadem sit voluntas. Hæc est fida pax, inconcussa concordia, gratia perseverans, quando per unius domini ordinem, familia natura diversa, voluntate fit una, eadem reperitur et sensu. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Post cœleste regnum panem quis postulet temporalem? Sed quotidianum [c] et in diem vult nos in sacramento sui corporis [d] panis viaticum postulare, ut per hoc ad perpetuum diem et ipsam Christi perveniamus ad mensam, ut unde hic gustum sumpsimus, inde ibi plenitudinem totasque satietates capiamus. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Qui sic petit, et debita non relaxat, iste se etiam per quod orat, accusat; qui sibi tantum donari postulat, remitti tantum, quantum ipse remittit et donat, ad placitum Deum, Deum taliter invitat ad pactum. Quisque quantum ipse præstiterit alteri, tantum sibi exigat et ipse præstari. Dimittenda sunt autem, fratres, debita non pecuniæ solum, sed omnium causarum, culparum, criminum; quidquid, homo, [e] incurrere poteris, in his tibi cum incurrerit alter, ignosces. Fidens peccatis suis petit veniam, qui peccanti libenter ignoscit. *Et ne nos inducas in tentationem.* Hoc petere millies multis modis cogimur, fratres, ne fragilitas plus ausa, et de se [f] temere præsumens, nec virium suarum modum colligens, in conflictu male cauta succumbat, deinde offensus Deus tradat tentationibus quos deliquit. *Sed libera nos a malo.* Satis de se humiliter sentit, nec salvari [g] per se præsumit, qui ut a malo per Deum liberetur, implorat. Signate vos. Intelligite, filioli, quanta perfectorum, quanta fortium gloria sit et potestas, quando tanta virtus in ipso conceptu, tanta majestas aperitur in partu. Nondum natus patrem vocat, sanctitatem postulat, regnum petit, dat jura terris, terrenas cœlestibus exæquat voluntates, et laboribus profuturis exigit jam devotus annonam. *Panem nostrum*, inquit, *quotidianum da nobis hodie.* Beati estis, qui cœpistis ante pugnam vincere, ante triumphare quam vivere, ante ad patris promptuaria quam matris ad gremium pervenire, ante pastum gregis, quam succum lactis invadere, toto ante victoriarum sonare jubilo, quam vagitu respondere cunarum. Vere, ut dixit Apostolus, infirmum Dei fortius est hominibus (I *Cor.* 1). Aut quis poterit tanti concetus referre sacramentum? ubi [h] Virgo mater parit orbe quotidie, nec relinquit posteros ad laborem, sed æternam germina [i] præmittit ad gloriam.

SERMO LXIX.

In eamdem.

Putasne mortale pectus Dominicæ charitatis erga nos magnitudinem capiat? Putasne terreni corporis pondere mens depressa erga nos divinum intelligat ac sentiat affectum? Nam quidquid cœli micat, radiat et splendet ornatus, quidquid in terra fragrat in floribus, sapit in fructibus, in animantibus gaudet, nostro amore factum, nostræ addictum est servituti. Sed quamvis magna, parva tamen sunt ad supernæ in nos dilectionis indicium. Nobis principatus cœlorum, nobis ætheriæ potestates, nobis supernæ dominationes, nobis angelorum officia excubiis militant indefessis. Sed ista adhuc asserendæ in nos divinæ necessitudinis parva sunt, et minora, tantumque infima, quantum creatore suo minor est creatura. Deus vultu incontemplabilis, visu imperspicabilis, nullo sensu æstimabilis, inaccessus mente, ne ipso quidem ad plenum notus auditu, quoties, qualiter, quam varie, quam diverse se humanis aptavit obtutibus? Quam se communioni, quam se familiaritati præstitit et concessit humanæ, cum Noe consilii sui facit esse participem, et expiando mundo diluvium præmonet imminere, et

[a] Alias, *principatum.*
[b] Ex ms. Cæsenæ. Editi, *ut miles*
[c] Alias, *exinde.*
[d] Viaticum dicitur SS. eucharistiæ sacramentum, quod nobis ad aliam vitam commigrantibus pro commeatu sit. Vide Basilium Poncium ex familia Eremitarum S. Augustini Variar. Disputat. quæst. 2 part. 1, num. 1. Confer quæ dixi in dissertatione de Pat. argentea Gorreorn pag. 96, in notis.
[e] Alias, *incurrere potes.*
[f] Ex ms. Vaticano. Editi, *tumore.*
[g] Ex hac eadem petitione validissimum argumentum desumebant catholici adversus Pelagianos, asserentes nulla ope gratiæ posse homines viribus suis peccata devitare. Frustra enim petimus *Ne nos inducas in tentationem*, si hoc in nostra positum sic est potestate, ut nullo Dei adjutorio valeamus implere. Hieronymus, lib. III contra Pelagium; Augustinus, Epist. olim 89, nunc 157, ad Hilarium, et epistola olim 74, nunc 78, ad eumdem.
[h] Hoc est, Ecclesia generat filios per baptismum, quos morientes ante se præmittit ad gloriam; stabit enim mater Ecclesia hic, donec sæculi consummatio adveniat. Sed filios Christianos quotidie præmittit ad regnum, dum filii electi obeunt mortem. MITA.
[i] Ms. Cæsenæ, *sed a terreno germine præmittit ad gloriam.*

totum sæculum ipso custode parvo arcæ designat in semine (*Gen.* VI) ; cum ad Abraham velut hospes adventat, invitatus tota dignatione succedit, oblata non respuit, apposita velut esuriens et lassus assumit, et divina collatione velut egens suscipit et acceptat humana (*Gen.* XVIII)? Hinc est, quod emortua mox senis membra reviviscunt, sterilis vetulæ jam viscera suscitantur exstincta, et natura in vivo cadavere persepulta proditura suum resurgit auctorem, et generat plurimos transacto jam tempore, per unum [a] quem crediderat conditorem (*Gen.* XXI). Ad Moysen igneus Deus glomeratur in rubo, deinde confert facienda cum servo, exercetur variis in Ægypto virtutibus, et patefit ad nutum famuli (*Exod.* III) ; irrogat flagella, vel tollit (*Exod.* VIII) ; et in mari quantus sit, quantumve homini [b] dederit, ultricis undæ demonstrant obsequia, cum siccato gurgite [c] cedit unda piis, et liquore durato murum præstat, munimen exhibet liberandis, ac tota naturæ suæ virtute de hoste sævissimo triumphatura decurrit (*Exod.* XIV). Miro contubernio Israeliticis Deus conversatus in castris (*Deut.* XXIII), numerosas gentes nunc ferit fulmine, nunc tangit grandine (*Josue*, X) ; nunc solo tubarum clangore prosternit (*Josue*, VI) ; ut sine conflictu, sine vulnere Deus ducat victrices acies quas præcedit. Affuit desideriis, votis annuit singulorum, mox ad interrogata respondit, occulta prodidit, prædixit futura, quæsita patefecit, regnum contulit, donavit opes, temperavit pluvias, fecundas præstitit terras, conjugia ipsa filiorum copia et honore decoravit. Sed adhuc parum esse credidit, si affectum suum erga nos præstando prospera tantum, et non etiam adversa sustinendo monstraret. Post omnia, mundum suum pauper ingreditur : jacet in cunabilis ut homo, vagitu suo implorat, inquirit, exigit quam tibi præstitit ipse pietatem. Parens omnium usus est te parente, subjectus tibi exstitit cui omnis subjacet altitudo, timuit quem timenda metuunt, fugit ad quem cuncta confugiunt ; cœlorum arbiter est hospes in domibus peccatorum ; pane pascitur qui pascet omnes. Et quid plura? [d] Παντοκράτωρ tenetur sæculorum, sistitur terræ fundator, judicatur humanæ largitor veniæ, discutitur cordis scrutator, punitur vitæ dator et redditor, cunctorum resurrectio sepelitur, ut tarda mens hominis, et intelligentia satis pigra, vel morte in se Dei probaret affectum, quæ prædictis et innumeris Dei beneficiis, Dei erga se non intellexerat, non senserat charitatem. Qui ergo esse fecit, dedit vivere, docuit et orare, quia totum voluit præstare, qui sua sibi prece voluit supplicari. *Pater noster qui es in cœlis* (*Matth.* VI). Ecce, homo, tua te voce Christus hodie, ut sibi faceret [e] cohæredem Dei Patris, adoptat in filium, dum ait, *Pater noster*. Quod suæ dignationis est, tuæ esse voluit potestatis, juxta illud : *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I) ; et tamen jubet dicere, ut dignatio donantis sit, non temeritas præsumentis, *Qui es in cœlis*. Non quod non sit in terris, sed te qui cœlestem Patrem jam vocas, ad cœlestem vult tendere et repetere jam naturam, ut generi tanto vita nostra respondeat, ne terreni mores degenerent, quos cœlestis donavit et contulit jam natura. *Sanctificetur nomen tuum*. Non quod tua sit prece sanctificandum, quod te sanctificat nomen ; sed quia Christi nomine vocatus es Christianus, petendum tibi est ut actu tuo nomen hoc sanctificetur et honoretur in te. Quia sicut virtutum fama, nominis tantum respondet ad gloriam, ita male conversantis infamia ad ejusdem nominis redundat injuriam, dicente Apostolo : *Nomen Dei per vos blasphematur in gentibus* (*Rom.* II). Et revera, filii, tunc gentilis nomini derogat Christiano, quando aliter quam profitetur, et dicitur vivere, viderit Christianum. *Veniat regnum tuum*. Non ut Deo veniat regnum habenti semper, sed postulas ut tibi veniat non habenti, et percipias illud quod tibi affectu suo Dominus pollicetur, cum dicit : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi* (*Matth.* II). Venite, benedicti, non dixit, veniamus ; percipite, non dixit, percipiamus. Nemo miretur quia patrem vocat qui nondum natus est ; [f] nam si Joannes exsultat (*Luc.* I), et Jacob colluctatur in utero (*Gen.* XXV), prudens æstimet quid possit natura divina, si tantum potest per Deum humana conceptio.

SERMO LXX.

In eamdem.

Omnia quæ divinitus dicta factaque referuntur, sunt miraculo, sunt stupori, sunt pavenda mortalibus, ipsis etiam cœlestibus sunt tremenda : sed nihil tam stupet cœlum, pavet terra, expavescit universa creatura, quam quod vos estis hodie, nobis dicentibus, audituri. Servus Dominum patrem vocare a Deo, judicem suum reus nuncupat genitorem, conditio terrena sua se voce Dei adoptat in filium : qui terrena

[a] Quia Abraham credidit illum esse Deum, et universorum conditorem, qui sibi dixerat ex Sara uxore sene, se pariter senem filium suscepturum, qui multarum gentium esset futurus parens ; ideo in gratiam fidei suæ consequitur ut transacto generandi tempore nihilominus generet, et plurimos ex Isaac suscipiat nepotes. MITA.

[b] Ms. Cæsen. et Vallicel., *patefecerit*.

[c] Fortasse legendum, *Cedit unda pedibus*.

[d] Id est : *Omnipotens*.

[e] Et apposite observant hic enarratores in petitione dici *Pater noster*, et non *meus* : ut intelligamus nos esse cum Christo cohæredes et unius Patris filios.

[f] S. Joannes Chrysostomus, homil. 20 in cap. Matth. VI, ait, *nondum initiatum quippe baptismatis sacramento, non posse Deum Patrem vocare*, quod Auctori nostro contradicere videtur. Sed Chrysostomus humano more loquitur, Chrysologus autem divino. Siquidem tantum designatus Filius mente divina, licet quo ad nos physice non possit appellari Filius, gratia baptismatis adhuc sibi deficiente ; tamen divino more Filius Dei appellatur cui præterita juxta ac futura sunt præsentia. MITA.—Alludit Chrysostomus ad suorum temporum morem, quando non aperte licitum erat catechumenis orationem Dominicam recitare. Vide notam 4, serm. 67. Augustinus in Enchirid. ad Laurent. cap. 71 : *Eorum* (fidelium) *est dicere, Pater noster qui es in cœlis, qui jam Patre tali regenerati sunt ex aqua et Spiritu sancto*.

perdidit, æstimat se divinitatis hæredem. Sed audemus, quia præsumptio dicentis non est, ubi auctoritas est jubentis; ipse enim nos hodie dicere sic voluit, qui nos docuit sic orare. Et quid mirum si homines Dei consecravit in filios, quando se hominis dedit et aptavit in filium? Carnis tunc naturam transtulit in divinam, deitatem quando humanam detulit ad naturam : tunc hominem sibi in cœlestibus præstitit cohæredem, quando se participem reddidit terrenorum. Aut homini negare quid amoris potuit, quid muneris, qui totum quod erat hominis, etiam peccatum, [a] suscepit et mortem? Aut quomodo hominem in suis prosperis socium non habebit, qui in adversis hominis se fecit esse consortem? Homo, redi ad Deum, sic amatus a Deo; et ad illius gloriam da totum te, qui se totum propter te [b] ad suam deduxit injuriam; et voca patrem fidens, quem tanto amore tuum probas, sentis, intelligis esse genitorem. *Pater noster.* Quod nondum natus patrem vocat, nemo miretur : Deo nata sunt nascitura, futura facta sunt Deo. Quæ futura sunt, inquit, jam fuerunt (*Eccl.* III). Hinc est quod in utero suum Joannes sentit auctorem (*Luc.* I); et exstat nuntius matri, qui erat suæ nescius vitæ. Hinc est quod Jacob ante legitur bellare quam nasci, ante triumphare quam vivere (*Gen.* XXV). Hinc est quod jam sunt Deo qui sibi adhuc non sunt, qui electi sunt ante constitutionem mundi. *Qui es in cœlis.* Non quod ille non sit in terra, sed ut tu per hoc germen esse noveris te cœleste : et si te Dei Filium esse fateris, vive quasi Dei Filius, ut actu, vita, virtutibus, tanto possis respondere genitori. *Sanctificetur nomen tuum.* Quia a Christo vocatus es Christianus, petis ut prærogativa tanti nominis sanctificetur in te; quia nomen Dei quod per se et sibi sanctum est, aut sanctificatur in nobis nostro actu, aut nostro actu blasphematur in gentibus. *Veniat regnum tuum.* Ipse dicit : *Regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII) : si intra nos est, veniat ut quid oramus? Est in fide, est in spe, est in exspectatione, sed ut in re veniat, jam precamur. Veniat autem nobis, non illi qui semper conregnat Patri suo, semper regnat in Patre; sed veniat nobis. *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matt.* V). Dicimus, *Veniat regnum tuum.* Ut sic Deus regnet in nobis, quatenus in nobis desinat mors regnare, desinat regnare peccatum. Regnavit, inquit, mors ab Adam usque ad Moysen (*Rom.* V). Et alibi : Non regnet peccatum in vestro mortali corpore (*Rom.* VI). *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.* Nunc in terra multa fiunt pro diaboli voluntate, pro sæculi nequitia, pro desiderio carnis; in cœlo vero fit nihil præter Domini voluntatem. Petimus ergo, ut interempto diabolo, ut novo sæculo, ut mutato corpore, ut destructo mortis imperio, ut abolita dominatione peccati, in cœlo et in terra, in Deo et hominibus, una Dei sit, eademque voluntas. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Post regnum cœleste, terrenum panem petere non jubemur, prohibente ipso cum dicit : Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis aut quid bibatis (*Matth.* VI). Sed quia ipse est panis qui de cœlo descendit (*Joan.* VI), petimus et precamur ut ipsum panem quo quotidie, id est, jugiter, sumus in æternitate victuri : hodie, id est, in præsenti vita, de convivio altaris sancti ad virtutem corporis mentisque capiamus. *Et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Sic dicendo, homo, [c] indulgentiæ modum, mensuramque veniæ tu tibi dedisti, qui a Domino tantum tibi petis dimitti, quantum dimiseris ipse conservo. Dimitte ergo delinquenti in te totum, si vis ipse de tuis nihil Domino debere delictis : in altero dimitte tibi, si vis ipse vindicem vitare sententiam. *Et ne nos inducas in tentationem. Deus, sicut scriptum est, neminem tentat* (*Jac.* I) : sed tentare dicitur, cum [d] contumaciter euntes ad tentationum laqueos derelinquit. Sic Adam tentatoris incurrit insidias, dum sui præcepta deserit conditoris. Unde autem et a quo tentaretur homo, prodit sic dicendo : *Sed libera nos a malo.* Hoc est, a diabolo, qui totius mali et auctor est, et origo : diabolus natura cœlestis fuit; nunc est nequitia spiritualis, ætate major sæculo, nocendi usu tritus, lædendi arte [e] peritissimus; unde non jam malus, sed [f] malum dicitur, a quo est omne quod malum est. Hinc est quod propriis viribus liberari homo non potest, carnalibus vinculis illigatus. Petendum nobis est ergo ut Deus nos a diabolo liberet, qui [g] Christum terris ut diabolum vinceret, commodavit. Clamet homo, clamet ad Deum, clamet, Libera nos a malo, ut a tanto malo, solo Christo vincente, liberemur. *Pater noster qui es in cœlis.* Orandi thema, materiam petendi, supplicandi normam paucissimis in verbis ipse tibi qui tibi est exorandus indulsit, ut ex hoc tu petendi sumas sensum, intellectum postulandi capias, mensuram colligas impetrandi, et brevissimo magisterio orandi,

[a] Suscepit ad delendum : non autem assumpsit ut haberet, ut dicit supra serm. 45. In epistola D. Leonis ad Flavianum dicitur : *Assumpsit formam servi sine sorde peccati.* Ideo suscepit, ut habetur I Petr. II : *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Et II Cor. : *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Id est, Deus fecit Deum esse hostiam pro peccato. Vide Bellarm. in exposit. psalmi XXI, 1. D. Ambrosius lib. II in Lucam, de Christo baptizato ait : *Unus omnium peccata suscepit, ut in illo omnia peccata morerentur.* MITA.

[b] Ms. Cæsen., *ad tuam.*

[c] Penes alios interpretes, τοίως, *sicut et nos* dimittimus, non significat modum remittendi, Deus enim perfecte remittit, sed rationem. Non est regula, quod Deus nobis et majora et liberalius remittit, sed conditio; quod si aliis non remiserimus nec nobis remittetur.

[d] Augustinus : *Non enim per se ipsum inducit Deus in tentationem, sed induci patitur eum quem suo auxilio deseruerit.*

[e] Ms. Cæsen., *promptissimus.*

[f] Vide notam 13 serm. 67.

[g] Nota vim hujus verbi *commodavit;* hoc est, fruendum dedit. In commodato etenim redditur idem ipsum specie et numero quod fuerat commodatum, ut patet toto tit. ff. commodati. Sic Christus terris commodatus dicitur, quia, devicto diabolo et homine redempto, idem specie et numero cœlo redditus est. MITA.

latissimam capias disciplinam; [a] simul quia ad amoris indicium rex ipse officio functus est advocati, ut preces quibus [b] responsurus erat ipse dictaret. Cunctatio ablata est impetrandi omnis, immo fiducia collata est tota promerendi, quando ipsum se legit in precibus qui rogatur. Metus locum non habet, ubi a Patre filius pietate interprete desiderat quæ sancta sunt impetrare.

SERMO LXXI.

In eamdem.

Fratres charissimi, qui vos donavit credere, ipse vos docuit et orare, et totam petendi formam paucis aptavit in verbis: quia cum patrem postulat, multa prece filius non laborat; sicut enim petere cogit necessitas genitum, ita urget charitas dare genitorem. Pater ergo qui sponte præstat, non tam ut petatur, quam quid petatur ostendit, ut filius petendo justa placeat, qui potest stulta postulans displicere. Audite Patrem, et vos filios esse jam credite, ut quæ petieritis incunctanter impetrare possitis. Quid valeat fides, credulitas quid possit, quanti sit confessio, hodie monstratur in vobis. Ecce Trinitatis trina confessio in cœlestem sobolem de terrena vos sustulit servitute; ecce fides quæ Deum locuta est patrem, patrem vobis Deum hodie conquisivit; ecce vox quæ confessa est Deum Filium, vos Dei adoptavit in filios; ecce credulitas quæ Deum Spiritum proclamavit, de carnis substantia mortali in vitalem Spiritus substantiam vos mutavit. Quis pietatis tantæ dignus invenietur assertor? Deus Pater homines dignatur hæredes, Deus Filius non dedignatur servulos cohæredes, Deus Spiritus carnem consortem divinitatis assumit, fit cœlum possessio terrenorum, et inferis addicti jurisdictione suscipiuntur in supernis, Apostolo probante, cum dicit: *An nescitis quia angelos judicabimus?* Vocate ergo Deum patrem, vosque si nondum natos, jam tamen designatos filios esse jam credite, et date operam quatenus sit vobis cœlestis vita, sint vobis divini mores, et forma deitatis tota vestra præferatur in forma; quia cœlestis Pater respondentes generi filios muneribus ditat divinis, degenerantes ad pœnalem revocat servitutem. *Pater noster qui es in cœlis.* Succumberet conscientia servilis, terrena conditio solveretur, nisi nos ad hunc clamorem ipsius Patris auctoritas, ipsius Filii Spiritus excitaret. *Misit*, ait, *Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem Abba Pater.* [c] Lassescit mens, caro nostra deficit ad divina, nisi Deus quæ fieri jubet impleat ipse qui jubet. Quando ausa mortalitas Deum vocare patrem nisi modo, quando superna virtute hominis animantur interna? *Pater noster qui es in cœlis.* Homo, quid commune cum terris tibi, qui confiteris tibi genus esse de cœlis? Ergo cœlestem vitam monstra in habitatione terrena: quia si quid in te gesserit terrena cogitatio, cœlo maculam, cœlesti generi injuriam intulisti. *Sanctificetur nomen tuum.* Nos petimus ut sanctificet nomen suum Deus, quod sanctitate sua totam salvat et sanctificat creaturam. Fratres, hoc nomen est quod supernæ potestates pavent, quod tremenda suscipiunt servitute: hoc nomen est quod mundo perdito dat salutem: sed petimus ut nomen Dei actu nostro sanctificetur in nobis; nobis enim bene agentibus benedicitur nomen Dei, nobis male agentibus blasphematur. Audi Apostolum dicentem: *Nomen Dei per vos blasphematur in gentibus* (*Rom.* II). Petimus ergo, petimus ut quantum nomen Dei sanctum est, tantum nos ejus mereamur in nostris mentibus sanctitatem. *Veniat regnum tuum.* Quasi non semper fuerit, ac sit, sic regnum Christi ut veniat nunc rogamus. Et ubi est illud? *Regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII). Inter nos est fide, sed ut re veniat supplicamus. Fratres, quamdiu diabolus vario nequitiarum genere, multimoda arte fallendi rerum aciem turbat, sensus hominum, moresque confundit, sævit idolis, sacrilegiis furit, fallit auguriis, divinatione mentitur, signis decipit, illudit astris, spectaculis occupat, obsidet vitiis, peccatis vulnerat, criminibus sauciat, desperatione prosternit, Christi regnum prolongat et absentiat a nobis. Petimus ergo ut veniat tempus quo, mali tanti auctore pereunte, mundus totus, creatura tota, totam solius Christi regnet et triumphet ad gloriam; et fiat quod sequitur, ut sicut in cœlo, ita et in terra una Domini sit voluntas. Sit terra cœlum, vita Deus, tempus æternitas, patria requies, census innocentia, honor immortalitas, [d] gloria castitas, Deus totum. Addidit, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Post paternitatem Dei, post divini nominis sanctitatem, post cœli regnum, quotidianum panem jubemur exposcere. Christus oblivioni non subjacet, Christus mandatis suis contraria non demandat; ipse dixit: *Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis aut quid bibatis* (*Matth.* VI). Sed quia ipse est panis qui de cœlo descendit (*Joan.* VI), qui legis et gratiæ mola aptatus est in farinam, qui crucis confectus est passione, qui magnæ pietatis fermentatus est sacramento, qui [e] conspersionis levis levamentum sustulit de sepulcro, qui ut divinitatis suæ calore coqueretur, ipse clibanum decoxit inferni, qui ad cœlestem cibum quotidianus Ecclesiæ defertur ad mensam, qui in remissionem frangitur peccatorum, qui edentes se perpetuam pascit et enutrit ad vitam, hunc panem quotidie nobis dari petimus, donec illo in die perpetuo perfruamur. *Et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Homo, [f] penes

[a] *Etiam quia.*

[b] Ita corrigit Meursius, ut est in editione prima Bonon. Editi fere omnes, *responsus.*

[c] Meursius corrigebat, *flaccescit mens.* Sanctificetur in nobis. Augustinus, serm. olim 48 de Diversis, nunc 56 et 57: *Hoc rogas, quod semper sanctum in se, sanctificetur in te; id est sanctum habeatur, non contemnatur.*

[d] Quam male, bone Deus! Plurimæ editiones: Veneta Sarzinæ, Lugdun. Durandi, Colon. Henningii, etc., *furia castitas.* Lugdun. Landriani, curante Theophilo Raynaudo, habet *cura castitas.*

[e] In nonnullis, sicut et in ms. Vatic. deest *levis.*

[f] Explicandus est Chrysologus ex Augustino, qui

te est potestas veniæ, in te est indulgentiæ, tu tibi remissionis auctor es constitutus. Gratis petis veniam, qui tibi in alio indulgere contemnis. Homo, [a] tu tibi misericordiæ factus es ipse mensura; quantum quæris misericordiæ, fac tantum. *Et ne nos inducas in tentationem.* Tentatio est, fratres, species fallens, quæ prospera in adversis, adversa occultat in prosperis, humanamque ignorantiam dolosos educit in lapsus; petimus ergo ne peccatis impellentibus in tentationum foveas incidamus. Inducere autem Deus dicitur, currentes ad crimina cum relinquit. *Sed libera nos a malo.* Hic mali malum designat auctorem, hoc est, diabolum. [b] Petimus ergo ut munere hoc uno malis omnibus cum mali careamus auctore. *Pater noster, qui es in cœlis.* Nemo cum se filium clamat, manere se miretur in habitu servitutis: ad divinum germen hodie designatus es, non promotus; spem, non rem, te noveris consecutum. Audi Apostolum: *Spe salvi facti sumus: spes autem quæ videtur non est spes, quod enim videt quis, quid sperat? si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII). Hodie adoptionis est dies, hodie promissionis tempus est: audi, crede, exspecta, crede creditori tuo, qui tibi credidit debitori; exspecta parumper ut veniat, qui te diu sustinuit ut venires; da illi inducias de promisso, qui tibi quidquid erat debiti jam donavit. Aut quare tu fatigaris spe Dei, cum genus omne hominum subsistat spe, fide vivat? Agricola numquam sereret anhelus, si fructum laboris sui de tempore non speraret; viator laborem prolixi itineris non subiret, nisi se ad destinata crederet pervenire; nauta mare non intraret incertus, si se lucris sequentibus compensaturum viarum discrimina non speraret; miles tota juventutis tempora non ageret in periculis, si senectutis honores copiosissimos non speraret; filius paternæ dominationis [c] tempora non duraret, si se substantiæ paternæ non speraret hæredem. Et tu si te jam filium Dei credis, juxta prophetam: *Exspecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum* (*Psal.* XXVI); et exspecta, ut hæreditatem Dei de exspectationis fide, et de virtute patientiæ consequaris. Audi Apostolum: *Filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus; scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus* (*Joan.* III). Et iterum: *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: cum autem apparuerit Christus vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Colos.* III). Fratres, beati sunt filii Dei, quia et hæreditatem rerum omnium possidebunt, et de excessu patris luctus temporum non videbunt.

SERMO LXXII.

In eamdem.

Quod ego modo cum magno tremore dicturus sum, quod vos estis nunc terribiliter audituri, immo terribiliter vocaturi, stupent angeli, pavescunt virtutes, supernum cœlum non capit, sol non videt, terra non sustinet, tota non assequitur creatura. Quid ad hæc mortale pectus? Quid ad hæc mens hominis imbecilla? Quid ad hæc humani sensus angustia? Quid ad hæc humanæ vocis aura? Quid ad istud humana lingua cito tacitura? Hoc Paulus [d] invisibiliter cum vidisset, prodidit non prodendo, dicens: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (I *Cor.* II). Hoc Isaias cum suo mox cœpisset auditu, ad hoc hominum pervenire posse dubitat vel fidem, dicens: *Domine, quis credidit auditui nostro* (*Isai.* LIII)? Hoc Jeremias cum divino concepisset auditu, partus supernorum sensuum non sustinebat, clamans: Ventrem meum, ventrem meum doleo, et sensus cordis mei perturbati sunt (*Jerem.* IV). Hoc Habacuc divini spiritus perorabat afflatu, cum dicit: Custodivi, et expavit venter meus a voce orationis labiorum meorum; et intravit tremor in ossa mea; et [e] subtus me commota est virtus mea (*Habac.* III). Elevatus virtute Dei sensit suam sub se succubuisse virtutem. Longum est super hoc sacramentum pavoris prosequi, et dinumerare [f] sanctorum exempla: tempus non sinit diu me in hoc timore demorari, cœlestis partus impetus non potest [g] tardare nascentium. Dico ergo, et vos in utero adhuc penetrali voce compello, provida exhortatione præmoneo; ut antequam videatis matrem, vocetis et patrem, ante blandimenta matris, patris tendatis et festinetis ad regnum, ante patris præveniatis ad panem quam matris ad ubera pendeatis. Nec in vos quidquam sibi, aut matris necessitas, aut ætatis tempora vindicent: sed in vobis totum divino patri, totum cœlesti respondeat et occurrat auctori (*Matth.* VI). *Pater noster qui es in cœlis.* Hoc est quod pavebam dicere, hoc est quod trepidabam proferre, hoc est quod neque cœlestium, neque terrestrium quemquam sinebat servitutis propriæ conditio suspicari: cœli et terræ, carnis et Dei repente tantum posse provenire commercium, ut Deus in hominem, homo in Deum; Dominus in servum, servus verteretur in filium, fieretque divinitatis et hu-

petitionem hanc de quotidianis peccatis intelligit, quibus non carent nec piissimi homines, quæque Deus dimittit, si nos dimiserimus. Serm. olim 48 de Divers., nunc 56; serm. olim 42 inter 50, nunc 67; serm. alias 135 de Temp., nunc 59.

[a] Laudat hunc locum Chrysologi Du Hamelius in notis ad Sacr. Script. hic.

[b] Nostræ infirmitatis memores, non solum ut vincamus petimus, sed etiam ne in certamen descendamus, ac forte vincamur. Maldonatus ex Tertulliano, Cyprianus, Augustinus, etc.

[c] Non sustineret. Horat. lib. I Od. 14:

Vix durare carinæ
Possunt imperiosius æquor.

[d] Paulus vidit invisibiliter, quia sine imaginibus vidit arcana per exstasim, S. Thomas in II Cor.; et vidit invisibiliter, quia oculis corporalibus Deus non videtur, ut ex Augustino docet Fulgentius resp. 3, ad Ferrandum diaconum. Ex Mita.

[e] Emendat Meursius, *subitissime commota est.*

[f] Ex ms. Vaticano. In editis deest *exempla.*

[g] Hoc est vos, qui divina vocatione nasci spiritualiter cupitis Christiani, et quodam impetu viscera matris Ecclesiæ urgetis, ut statim nascimini, mihi haud permittitis jamdiu in modo cœptis exemplis morari. Observa ut gentes baptizari et renovari cuperent. Mita.

manitatis ineffabili modo una et sempiterna cognatio. Et quidem deitatis erga nos dignatio tanta est, ut scire nequeat quid potissimum mirari deheat creatura: utrum quod se Deus ad nostram deposuit servitutem, an quod nos ad suæ divinitatis rapuit dignitatem. Hinc est, homo, quod te divinitus adhortatur, [a] qui tanto nunc tuo amore flammatur; quod adhuc in utero voce tuate Deus adoptat in filium; quod te non fieri solum liberum vult ille, sed nasci; quod ipsam propter te manumittit naturam, ne quem nævum, ne quam maculam imponat ortus pristinæ servitutis. O vos beatos, quibus dominari datum est ante quam nasci, ante regnare quam vivere, ante ad Dei Patris gloriam pervenire quam prosapiam propriæ vilitatis agnoscere. Ecclesia felix mater, quæ vos tales respicit, quæ cum virgo permaneat, genuisse tales, et tantos vos taliter se miratur. Olim partus iste præcedentibus designabatur exemplis. Hinc est quod Jacob in utero matris cum fratre luctatur (*Gen.* XXV), præripit et triumphos. Hinc est quod in utero Thamar gemini de primatus honore præliantur, retardant partus, nec ante lucem cupiunt videre quam vincere (*Gen.* XXXVIII). Hinc est quod Joannes exsultat ante, et ante suo occurrit auctori genitricis ex utero quam procedat (*Luc.* I). Et si humana pignora sic ante Deo militant, quam naseantur parentibus, quam vivant sæculo; quid mirum si Ecclesiæ divina germina, si Deo sua soboles in utero adhuc, quod sit superni germinis jam fatetur? *Pater noster qui es in cœlis.* Stupor insurgit, Christus de Dei patris pectore matrem vocat, et fatetur in terra; et homo de matris utero patrem vocat, et confitetur in cœlis, *Pater noster qui es in cœlis.* Quo te homo repente provexit gratia? quo te rapuit cœlestis natura? ut in carne et in terra positus adhuc, et carnem jam nescias et terram, dicendo: *Pater noster qui es in cœlis.* Qui ergo se tanti Patris filium confitetur et credit, respondeat vita generi, moribus patri, et mente atque actu asserat quod cœlestem consecutus est [b] per naturam. *Sanctificetur nomen tuum.* Cujus utique genus esse cœpimus, ejus utique censemur et nomine: et ideo petimus ut in nobis illius nominis sanctificatio perseveret, honor et prærogativa nominis, quod sublimavit sic tanti Genitoris celsitudo. *Adveniat regnum tuum.* Non illi petimus cui numquam defuit regnum, immo qui est ipse regnum, totamque in se regni continet potestatem; sed qui nos vult ad promissam regni gloriam pervenire, monet nos expetere omnibus hoc votis, in hoc vult nos totis mentibus inhiare. Quantum namque est temerarius qui discutit de genere, [c] ignavus est tantum qui non gaudet, æstuat, anhelat, cum promissum intendit et pertendit ad regnum. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.* Sicut in cœlo, sic et in terra: tunc jam totum cœlum est, tunc agit Dei mens una omnes, tunc in Christo omnes et in omnibus Christus, quando omnes solius Dei sapiunt, et [d] faciunt voluntates; tunc omnes unum, immo unus omnes quando Dei spiritus in omnibus vivit unus. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Sicut in psalmo: Benedictus Dominus de die quotidie (*Psal.* LXVII); ita hic: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quotidianum jugem dicimus; jugis panis ille est, qui de cœlo descendit: *Ego sum panis qui de cœlo descendit* (*Joan.* VI). [e] Perfectæ ergo beatitudinis est iste panis; hodie, hoc est in præsenti, illius panis cibo jam vivere incipimus, cujus perpetuitate, quod est quotidie, saginabimur in futurum. *Et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* De supplicantis pectore veniæ fons emanat, et ad veniam refluet: quidquid pietatis exuberat, et effundit in alterum, quando indulget sibi tantum quantum alteri condonaverit. *Et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Satis potest homo misericors, qui cum Deo de pietate confligit, cum tantum sibi dari quantum dederit, quantum donaverit tantum desiderat et donari. Homo, sit semper in pectore tuo venia, si vis crimina non timere. *Et ne nos inducas in tentationem.* Hæc interpretatione indigent, quia tentatio diaboli prævia et amara est ministra ejus: quamdiu vero hoc fragili continemur in corpore, necessario precamur ut in nos [f] nec tentationi pateat aditus, nec diabolo tribuatur accessus. *Sed libera nos a malo.* Ipse autem Dominus Deus noster liberet nos a malo, et perducat ad omne bonum, qui vivit et regnat Deus modo et semper, et per infinita sæcula sæculorum. Amen.

[g] SERMO LXXIII.

De paschali solemnitate.

Hodierna festivitas, fratres charissimi, nobis vepatione, ita in eucharistia est sacramentaliter. MITA.

[a] Alias, *Quod tanto*

[b] Alias, *consecutus es paternitatem.*

[c] Ex mss. Vallicel. Editi plures, *Ignarus.*

[d] Ita petitionem explicat Brugensis: *Fiat a nobis, et in nobis, quod tu vis, præcipis, consulis.*

[e] Salebrosum locum ex mss. Cæsenæ et Urbini explanavit Mita, addens quam sit panis perfectæ beatitudinis sacramentum eucharisticum, in quo vi verborum adest corpus, sanguis, et divinitas Christi, cum in beatitudine una divina persona non videatur sine altera, dicas cum theologis, quod Pater et Spiritus sanctus adsunt in hoc sacramento per concomitantiam. Augustinus, pater theologorum et lumen, serm. 5 de Tempore, ait: *Filius suscepit carnem et non desernit Patrem, nec se divisit a Patre: suscepit carnem in proprietate, sed tamen Pater, et Spiritus sanctus non defuit majestate.* Et sicut Christus est in Incar-

[f] Vere his verbis Deum rogamus, ne sinat nos obnoxios esse tentationi, ut superius innuimus. Cyprianus de Orat. Dom., Augustinus, epist. 157 cap. 2, et lib. de Dono Persev., cap. 6; Chrysostomus, Tertullianus et alii.

[g] In codice Bononiensi sermo hic inscribitur: *Sermo B. Petri Ravennatis de die Paschæ.* De eo Mita: Non videtur absolutus hic sermo. Est illius argumentum de iis qui diu ante effecti sunt Christiani; et de iis qui nuperrime. Hi secundi appensi collo eorum qui jam diu baptizati et confirmati fuere, debent ex uberibus Ecclesiæ, communis matris, verbum Dei et instructionem in fide, quasi lac sumere. Primi vero corpus Christi recipere, et cuncti una pariter sacram Dei eruditionem ab ore pastoris audire. MITA.

tera non connectit, nec carnes agni [a] servat in crastinum: sed dum præterita præsentibus solemni devotione participat, et Pascha nostrum, Pascha redeunte conjungit, novæ regenerationis ablactat infantiam, quia juxta Apostolum, *Vetera transierunt, et ecce facta sunt omnia nova* (II *Cor.* v). Annus Domini perficitur temporibus, non senescit, [b] qui tamdiu suo recurrit in circulo, quamdiu nos ad diem retributionis adducat. Paschalis hodierna solemnitas a lacte, quos ante genuit, nunc [c] repellit, ut solidioris cibi pastu, perfectum Christi roborentur in virum. Fecisse Abraham epulum magnum, totiusque domus suæ lætitiam suscitasse ablactato Isaac, historia divina referente cognovimus (*Gen.* xxi). Et si senectutis soboles, si sterilis unicus, choris tripudiantibus, cithara et tympano, et toto psalterii resonante concentu, universæ familiæ corda traxit et commovit in gaudium, quanto magis nos [d] hodie in hymnis spiritualibus convenit exsultare, vel canticis, quando [e] Virginis in germine ablactatur universa fecunditas? Si Anna Saræ consterilis, quæ lacrymis orationum suarum tamdiu madefecit ariditatem sui corporis et naturæ, quamdiu fuerat longo vitæ tempore negata posteritas, Samuelem divino munere susceptum, ablactatum mox divinum refundit in munus, et lætitiam suam sacrificiorum victimis ad plenitudinem liberationis accumulat (I *Reg.* i); multo magis nos oportet laudis immolare sacrificium, vota solvere, suavitatis incensum adolere, et tota holocaustorum pinguedine Deo Patri victimas immolare, quando Virgo mater enutrita et ablactata tot numero pignora quot stellas cœli, Patri toto orbe repræsentat, ut impleatur illud propheticum: *Benedices coronam anni benignitatis, et campi tui replebuntur ubertate* (*Psal.* xl). Nemo ergo [f] otiosum esse credat istud festivitatis nostræ salutare mysterium, nec existimet [g] pannum novum veteri nos assuere vestimento, ubi nihil Judaicæ vetustatis, novitati conjungimus Christianæ: scientes, Apostolo dicente, novam totam in Christo nobis emersisse creaturam; sed agnitionem divinam supernæ virtutis evehimus ad profectum (II *Cor.* v), ut dum simul nuper nati quid facere debeant imbuuntur, et ante geniti quantam Deo gratiam de perfectione sua debeant instruuntur, appendantur collo ii qui modo nati sunt, et pietate tota sub Ecclesiæ matris uberibus occupentur, trahant teneris faucibus [h] innocentiæ pastum, in opere sancto brachia meditentur extendere, nitantur in cursu fidei tremula firmare vestigia. Numquid sic relinquendi sunt jam nutriti, ut non patris cura, patris manu, patris regantur arbitrio? et ita matris consilio, matris fide muniantur, ut non humana solum, sed etiam divina prudentia percipiant et præripiant salutaria? Sic Jacob suo nimis timidus, matris consilio [i] satis audax, patris ut præriperet benedictionem, [j] plus mysticus quam dolosus incessit (*Gen.* xxvii); nam primogenitum se mentitus non est, quia ille primus est quem cœlestis gratia generat, non natura mortalis; ille nos sub hircorum pellibus figurabat, qui ut moriamur peccato, hortatu matris Ecclesiæ mortificati corporis induimur vestimento, et [m] odore agri continuis confessionum fructibus et ubertate redolemus, donec cæcitati Israeliticæ salutariter illudentes, paternam benedictionem toto fidei præripiamus arcano, dicente Apostolo: Cæcitas Israel facta est, donec plenitudo gentium introiret ex parte (*Rom.* i).

[l] SERMO LXXIV.

De Resurrectione Christi.

Aliquantulum nos tacere, fratres charissimi, et [k] vigiliarum labor fecit, et coegit jejunii lassitudo; et ideo hodie reddimus de Dominica Resurrectione sermonem, in qua si divinum est quod ex Virgine nascitur Christus, quantum divinius est Christus a mortuis quod resurgit? Quod ergo divinum est, humano non accipiatur [n] auditu. *Vespere*, inquit, *sabbati quæ lucescit in prima sabbati* (*Matth.* xxviii). Vespera sabbati, hoc nescit dies sæculi, hoc non habet

[a] Codex Bononiensis, *reservat.*

[b] Ibid., *et.*

[c] Ibid., *appulit*, corrupte. Id est a catechismo et teneris instructionibus, ut sacram participent eucharistiam. Mita. — A veteribus et pro cibo et ante cibum infantibus mel dabatur, deinde lac, ut observatum est a viris eruditis Salmasio lib. de Transubstant. pag. 495, et Isaaco Vossio in Barnabæ epistolam, ad calcem genuinarum Ignatii epistolarum. Hinc mellis et lactis in vetere Ecclesia degustatio, *ad Infantiæ*, ut alicubi loquitur Hieronymus, *significationem.*

[d] Ex cod. Bonon. In editis deest *hodie.*

[e] Ex eod. cod. editi, *Virginei germinis.*

[f] Ex eodem cod. In editis deest *esse.*

[g] Hoc est, Hebræorum Pascha non assuitur nostro Paschæ. Alludit ad illud Matth. ix, 16, de quo supra sermo 31. Mita.

[h] Omnes editiones et mss. Vatic. et Bon., etc., habent *pactum*. Placuit emendatio Latinii.

[i] Ex ms. Vatic. Editi, *satis ausus.*

[j] Non unus inter Patres est Chrysologus qui Jacobi factum a fraude et mendacio excuset, et hæc omnia ad mysterium referri oportere contendat. Vide Augustinum lib. Contra Mendacium, cap. 10. At ut ille a mendacio excusaretur, satis non esset demonstrare in actione illa mysterium, sed oporteret probare simul in sensu historico et litterali nullum præferri mendacium, ut bene Estius in hunc locum. Hoc sibi potissimum negotii suscepit Theodoretus, quæst. 81 in Genes.; Gregorius Magnus, lib. i homil. 6 in Ezechiel., et in Job, lib. xviii cap. 3 nov. edit.; S. Thomas, 2-2, quæst. 1 art. 3, ad 3; Melchior Canus lib. ii de Loc. Theolog. cap. 4. Consultius est cum eruditissimo Calmeto tom. I pag. 216 col. 2 sapiens illud Augustini lib. iii de Doctr. Christ. principium adducere: cum scilicet in Scriptura eximii alicujus viri peccatum adducitur in quo figura et typus rerum futurarum exhibetur, exemplum tamen illud ad litteram minime afferendum esse. Augustinus: *Figuram ad intelligentiam referat, factum vero ipsum ad mores non transferat.*

[k] Ms. Bonon., *Agni*, corrupte.

[l] Vide quæ diximus in præfatione.

[m] Vigiliarum usus in primæva Ecclesia et jejunium prolixius in Hebdomada magna. Quin nox ipsa Paschatis *Vigiliarum Nox* vocatur a Gaudentio tract. in Exod. pag. 24, et ab Alcimo Avito de prima festi Rogationum Instit., et ab Adone Viennensi in Chronico. Vide Lindenbrogium Observat. ad Marcell. pag. 545.

[n] In Codice Bonon. additur: *Audistis evangelistam dicentem: Vespere.*

mundi usus. Vesper finit, [a] non inchoat diem; tenebrescit vesper, non lucescit; non in auroram vertitur, quia lucis ortum ignorat. Vespera mater noctis parturit diem; mutat ordinem, dum agnoscit auctorem; radiat de novitate mysterium, anhelat Creatori servire, non tempori. *Vespere*, inquit, *sabbati quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulcrum.* Sero mulier currit ad veniam, quæ mature cucurrit ad culpam. Vespere quærit Christum, quæ in matutinis Adam se noverat perdidisse. *Venit Maria et altera Maria videre sepulcrum.* Quæ de paradiso perfidiam sumpserat, festinat [b] fidem sumere de sepulcro; contendit rapere de morte vitam, quæ [c] de vita rapuerat mortem. *Venit Maria.* Hoc nomen matris est Christi, venit ergo mater in nomine, venit mulier, ut fieret mater viventium, quæ facta fuerat morientium mater, ut quod scriptum est impleretur: *Hoc est mater omnium viventium* (*Gen.* III). *Venit Maria et altera Maria.* Non dixit venerunt, sed venit; sub uno nomine venerunt duæ mysterio, non casu. *Venit Maria et altera Maria.* Venit ipsa sed altera, altera sed ipsa, ut mulier mutaretur vita, non nomine; virtute, non sexu; et fieret resurrectionis nuntia, quæ internuntia et lapsus exstiterat et ruinæ. *Venit Maria videre sepulcrum.* Ut quam deceperat arboris visus, visus repararet sepulcri; et quam prostraverat illecebrosus aspectus, aspectus salutaris attolleret. *Ecce*, inquit, *terræmotus factus est magnus, angelus enim Domini descendit de cælo.* Tremuit terra, non quia angelus descendit de cœlo, sed quia ab inferis [d] Dominator ascendit. *Ecce terræmotus factus est magnus.* [e] Movetur chaos, dissiliunt ima terrarum, timet terra, montium tremunt pondera, orbis fundamenta quatiuntur, corripitur tartarus, sistuntur inferna : addicitur mors [f] quæ in reos tendens incurrit in judicem, dominata servis exarsit in Dominum, sæviens in homines prosilivit in Deum. Merito ergo perit lex tartari, remota sunt inferni jura, potestas mortis ablata est, et in pœnam temeritatis suscitavit mortuos [g] cognitoris injuria : denique redduntur corpora, redintegratur homo, vita reparatur, et constat de venia jam totum, quia in auctorem vitæ mox est transgressa sententia. *Ecce terræmotus factus est magnus.* Modo terræmotus magnus : O si tunc vel levis turbo arborem mortiferam dejecisset! O si nebulæ fumus illius mulieris tenebrasset aspectum! O si tetra nubes lethalis pomi speciem caligasset! O si manus tangens inconcessa tremuisset! O si peccati diem tenebrasset [h] nox injusta, et lamenta mundi, et incrementa mortis, et Creatoris injuriam tunc tulisset! Sed vitiis semper serviunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis, virtutibus vero austera et fortia sunt amica. *Angelus enim Domini descendit de cælo.* Resurgente Christo, morte pereunte, terrenis redditur cœleste commercium; et mulieri cui fuerat cum diabolo lethale consilium, cum angelo colloquium [i] fit vitale. *Angelus enim Domini descendit de cælo, et revolvit lapidem.* Non dixit volvit, sed revolvit lapidem, qui advolutus probavit mortem, et revolutus exstitit [j] resurrectionis assertor. Beatus lapis qui Christum et revelare meruit et velare; beatus qui non minus corda aperit quam sepulcrum; beatus qui dat resurrectionis fidem, [k] fideique resurrectionem, qui divinam carnem resurrexisse testatur. Mutatur hic ordo rerum; mortem, non mortuum, devorat hic sepulcrum, domus mortis mansio fit vitalis; uteri nova forma mortuum concipit, parit vivum. *Angelus enim Domini descendit de cælo, et accedens revolvit lapidem,*

[a] Accommodat se Chrysologus ad communem aliarum nationum usum, apud quas insolens est dicere diem in vesperis elucescere. Locutio vero hæc propria est Judæis, qui dies sacros, ut hodiernum et nos, ad Vesperas exordiebantur, vel elapsa hebdomada, cum prima hebdomadæ alterius dies inciperet.

[b] Hæc fere Nyssenus orat. 2 contra Eunomium tom. III pag. 712 : *Quoniam, sicut ait Apostolus*, mulier seducta in prævaricatione fuit, *et defectionis a Deo, quæ per inobedientiam facta est, dux fuit; idcirco resurrectionis prima fuit testis, ut ruinam, quæ ex prævaricatione secuta est, per fidem resurrectionis repararet. Et quemadmodum sermonum initio, serpentis ad virum ministra, et consiliaria facta est principium mali, et sequelam in vitam intulit; sic ejus qui morti dedit defectorem draconem sermones ad discipulos perferens, hominibus dux et princeps fidei efficeretur, per quam merito primæ mortis occasio dissolvitur.* Ex interp. Suiceri in Thes. tom. I pag. 807.

[c] De qua vita? An de paradiso deliciarum, ubi vitam agere debebat? An de cibo qui vitam reparans vitam præbere dicitur? An quia cibus naturaliter factus est ad protegendam vitam? Sic de morte cepit vitam, id est de sepulcro, quod mortis sedes nuncupatur. MITA.

[d] Communis sanctorum Patrum sententia est, hoc terræmotu præsertim Dominicam resurrectionem mundo fuisse annuntiatam.

[e] Græco vocabulo, σεισμὸς ἐγένετο μέγας, *motus magnus factus est;* sunt qui putant innui, non terræmotum, sed turbinem. Hammondus, Clericus, etc. At in novi fœderis libris, vox illa non nisi pro terræmotu usurpatur, ut hic apud Chrysologum. Vide Act. XVI, 26; Apoc. VI, 12; XI, 13; Matth. XXIV, 7; XXVII, 54; Marci XIII, 8; Lucæ XXI, 1.

[f] Ms. Bonon., *quæ in rege offendens.*

[g] Ex eodem codice, *suscitavit mortuos. Cognitoris injuria tartara provocantur, redduntur corpora*, etc.

[h] Sed cur nox injusta dicitur? Forte, quia servit injustis, qui tenebras amant, ut liberius peccent? vel quia sua caligine ordinem rerum perturbat? vel quia æque pulchrum obscurat et turpe, bonum et malum? Certe, quia si ante tempus diem obscuram reddidisset, injuste illud egisset. Vel forte per noctem intelligit mortem, ut Bellarm. in psal. XXI, 21, quasi minus utique malum fuisset, quod Eva injuste moreretur, quam sic Deum offenderet. Etenim si mors, quæ pœna peccati est, ante ipsum peccatum obtigisset homini, dici potuisset injusta. MITA. Auctor superius Evæ manum *inconcessam* vocavit, eo quia ad ea quæ vetita erant protendebatur; nunc vocat *noctem injustam*, quæ jura diei turbaverat.

[i] Ms. Bonon. : *Et mulier cui fuerat cum diabolo lethale consilium, cum angelo fuit colloquium cœleste.*

[j] His, scilicet, quibus vacuum sepulcrum patebat, non quod Christi corpus resurgens ea lapidis revolutione indigeret, licet Patribus nonnullis, scilicet Hilario hic, Leon. epist. 83 ad monachos Palæstinæ, visum sit lapidem fuisse revolutum ab angelis honoris gratia Christi resurgentis. Vide Grotium et Maldonatum hic.

[k] Verba hæc desunt in codice Bonon.

et sedebat super eum. Et angelo quæ [a] causa sedendi erat, cui nulla inerat lassitudo? Sed sedebat ut fidei doctor, ut resurrectionis magister : sedebat super petram, ut [b] soliditas sedis daret credentibus firmitatem. [c] Ponebat angelus super petram fundamenta fidei, super quam Christus erat Ecclesiam fundaturus, qui dixit : Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Erat*, inquit, *aspectus ejus sicut fulgur, et vestimenta ejus sicut nix* (*Matth.* XVI). Ad angeli gloriam [d] non sufficit fulgor, ad cœlestem naturam quid fecit vestimentum? Sed splendore tali referebat speciem nostræ resurrectionis et formam, quia resurgentes per Christum, Christi [e] mutantur in gloriam. *Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt veluti mortui.* Miseri quos tunc percutit pavor mortis, quando securitas redditur vitæ : sed [f] crudelitatis ministri, perfidiæ executores alienæ, fiduciam sumere quomodo poterant de supernis? [g] Obsidebant sepulcrum, resurrectioni januas obstruebant, et [h] ne qua posset intrare vita, mors perire, servabant : merito eos angeli [i] perculit et prostravit adventus. Misera, et sibi semper inimica mortalitas dolet se mori, ne resurgere possit, oppugnat : sepulcrum aperire convenerat, et ad resurgendum quidquid erat facilitatis afferre ut esset miraculum de facto, de exemplo spes, de reverso res, credulitas de vivendo. Grandis dementia est hoc, hominem nolle credere, quod sibi desiderat evenire. Hoc de his custodibus hodie dixisse sufficiat : quid autem nostra fides habeat, ne hodie longum sit, post dicemus, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat cum Patre Deus in sæcula sæculorum. Amen.

[k] SERMO LXXV.

De eadem.

Quantum a vobis ego, [l] a me tantum peregrinatus est sermo : sed orate, fratres, ut sicut me vobis Deus reddidit, ita mihi dignetur reddere et redonare sermonem. Audistis evangelistam dicentem (*Matt.* XXVIII): *Vespera*, inquit, *sabbati quæ lucescit in prima sabbati.* Quid hic intelligit humanus sensus? Quid hic humana sapit sapientia? *Vespera quæ lucescit.* Vesper finit, non inchoat diem, nec lucem parturit, sed tenebras; sed hic elementorum auctor elementorum vices mutat, ut in resurrectione Domini totum divinum sentias, nil humanum. Denique resurgente Christo fidelibus lucescit vesper, dies infidelibus tenebrescit; discipulis nox mutatur in diem, Judæis dies vertitur et mutatur in noctem. *Ab hora*, inquit, *sexta, tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam* (*Luc.* XXIII). Ut ipsa quæ [m] tota est meridiana claritas obscuraretur, et illud quod scriptum est impleretur : *Occidet illi sol meridie* (*Amos* VIII); occidet illis, id est, Judæis; nostris autem : *Nox sicut dies illuminabitur* (*Ps.* CXXXVIII). Quia vesper, qui in profundam semper caliginem vergit, totam tunc Christi tetendit et [n] erexit in lucem, ac splendore toto tota mortalium pectora ab inferis Christo resurgente complevit. *Vespera sabbati.* Quia illuminatur per Christum sabbatum, non deletur. *Non enim venit solvere legem, sed adimplere* (*Mat.* V). Illuminatur, ut in die dominico luceat, clarescat in Ecclesia, quod in synagoga Judæis obscurantibus fuscabatur. *Venit Maria Magdalena et altera Maria videre sepulcrum.* Præcedunt apostolos ad ministerium feminæ, quæ sexu viros, quæ ordine discipulos sequuntur : sed non hinc faciunt apostolos segniores, quæ non fœminarum formas, sed Ecclesiarum typum deferunt Dominicum ad sepulcrum : Maria, et Maria, sic altera, ut ipsa : ipsa ut altera : [o] altera ipsa Maria, Maria mater Christi : unum nomen [p] duas geminatur in feminas, quia hic Ecclesia ex duobus populis veniens, una figuratur ex duobus populis, id est, ex gentibus et Judæis, quia primi novissimi et novissimi primi (*Matth.* XX). Venit Maria ad sepulcrum, venit ad resurrectionis uterum, venit ad vitæ partum, ut iterum Christus ex sepulcro nasceretur fidei, qui carnis fuerat generatus ex ventre; et eum quem clausa virginitas vitam protulerat ad præsentem, [q] clausum sepulcrum

[a] Maldonatus et Grotius aliique censent Græcum vocabulum ἐπιστάναι, quod vulgo *sedere* dicitur, usurpari etiam pro *se sistere alicui.*

[b] Ms. Bonon., *soliditas sedentis.*

[c] Ex eodem codice : *Sedebat angelus supra petram, ut soliditas sedentis demonstraret fundamenta fidei, super quam*, etc.

[d] Ex eod. cod., *fulgur. Ad cœlestem naturam quid factum est vestimentum?* Ms. Cæsen. et Vallicel., *quid attinet vestimentum?*

[e] Post hæc additur in ms. Bonon. : *Obscura obscuritas carnis, carnis resurrectionem sic Hebr. dicente Domino : Tunc justi fulgebunt sicut sol.*

[f] Ms. Cæsen., *simplicitatis ministri.*

[g] Codex Bonon., *Ipsi. qui obsidebant sepulcrum.*

[h] In codic. prædicto desunt *mors perire.*

[i] Utique angeli adventus, non Christus resurgens. Neque enim congruum erat ut impia illa turba Christum ab inferis reducem prima videret. Adverte perpetuum pictorum errorem.

[j] Cætera, quæ sequuntur, desunt in codice Bononiensi.

[k] Sermo hic omittitur in codice Bonon.

[l] Discesserat a sua sede Chrysologus; et peregrinus a suis, alio se contulerat : vel Romam ad synodum sub Leone pontifice bis celebratam contra Manichæos; vel eumdem adierat pro causa hæresis Eutychianæ. Ex Mita. Exploditur conjectura hæc ab abb. Bacchinio, quem vide in Observationibus ad Vitam Chrysologi, huic editioni præmissam num. 5.

[m] Ex Hebræorum nempe institutione. Prima hora cum sexta matutina conveniebat, tertia cum nona, sexta cum meridie, nona cum tertia pomeridiana; ita enim absolvebantur ab eis viginti quatuor horæ quibus apud nos dies conficitur.

[n] Latinius, *erepsit.*

[o] De tribus Mariis consule, si placet, quæ eruditissime disserit Calmetus Comment. in Sac. Script. in prolog. ad Evangel. Matth. pag. 451. Chrysologus tantum ad Mariæ nomen alludit.

[p] Scilicet in Mariam Magdalenam, et in Mariam Jacobi et Joseph Matrem.

[q] Plurimorum Patrum ac interpretum sententia fuit, Christum ita e sepulcro egressum esse, ut e Matris utero prodiit, intacto scilicet, integroque ostio. Auctor Quæst. ad Orthod. sub nomine Justini, quæst. 117; Chrysostomus, homil. 11 de S. Joan. Bapt.; Nazianzenus, Tragœd. de Christo patiente; Hieronym.

ad vitam redderet sempiternam. Divinitatis insigne est clausam virginem reliquisse post partum, de sepulcro clauso exisse cum corpore est divinitatis insigne. Maria et Maria venerunt, ut viderent sepulcrum; vides quia venerunt, non ut Dominum cernerent, sed sepulcrum; nec quærebant cum mortuis jam viventem, quæ Dominum jam resurrexisse credebant. *Angelus enim Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem.* Revolvit lapidem, non ut egredienti Domino præberet aditum, sed ut Dominum mundo jam resurrexisse monstraret; conservis ad credendum daret fidem, non ad resurgendum Domino præstaret auxilium. *Revolvit lapidem.* Revolvitur ad fidem, qui ad perfidiam fuerat advolutus. *Revolvit lapidem*, ut idem esset vitæ titulus, qui acceperat mortis [a] tenere custodem. Orate, fratres, ut nunc descendat angelus, et totam duritiem nostri cordis evolvat, aperiat sensuum clausa nostrorum, resurrexisse Christum nostris etiam testetur [b] ex mentibus, quia sicut illud cor cœlum est, in quo vivit et regnat Christus, ita illud pectus sepulcrum, in quo Christus adhuc habetur mortuus et sepultus. Christi mors sicut fuisse, ita pertransisse credatur: Christus homo passus, mortuus et sepultus fuit; est, vivit, regnat, manet, permanet Deus. Audi Apostolum dicentem: *Etsi novimus Christum secundum carnem, sed jam nunc non novimus* (II *Cor.* v). Et: *Quod mortuus est peccato, semel mortuus est, quod autem vivit, vivit Deo* (*Rom.* VI); hoc est, vivit Deus. *Et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum.* Sedebat ad docendam resurrectionem, non ad lassitudinem sublevandam. Cœlestis natura ignorat lassitudinem, nescit laborem: sed factus est lapis [c] vas angelicæ sessionis, doctrinæ cœlestis cathedra, schola vitæ, quia Judæis ad mortis januam, ad cineris servitium, ad triste silentium fuerat constitutus. *Erat*, inquit, *aspectus ejus sicut fulgur, vestimenta autem ejus sicut nix.* Vultus claritas a vestium candore separatur, et facies fulguri, [d] nivi vestis angeli comparatur, quia fulgur de cœlo, nix de terra. Audi prophetam dicentem: *Laudate Dominum de terra, ignis, grando, nix* (*Psal.* CXLVIII). In facie ergo angeli claritas cœlestis servatur naturæ; in veste vero figuratur gratia communionis humanæ, et temperatur species angeli colloquentis, ut carnales oculi, et vestium ferant placidam claritatem, et ex fulgore vultus nuntium sui tremerent, et revererentur auctoris. *Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes.* Quare territi? Quia custodiebant [e] crudelitatis studio, non pietatis obsequio. Ruit, destruitur, stare non potest, quem conscientia destituit, impellit reatus. Hinc est quod angelus percellit impios, pios alloquitur et solatur. [f] *Nolite timere vos.* Hoc est, [g] illi timeant: quærentes non timeant, timeant persequentes. *Nolite timere vos, scio enim quod Jesum qui crucifixus est, quæritis, non est hic.* Hoc est: Ego veni ut instruerem vos, non ut illum eximerem, qui et rerum factor est, et est [h] sui suscitator. *Non est hic, surrexit enim sicut dixit.* Vides quia venit angelus, ut factis assereret servus, [i] quæ Dominus prædixerat verbis; et doceret moriendi et vivendi penes illum potestatem fuisse, qui ante suam mortem prædixerat resurrectionem: nam utique qui scire potuit, potuit et cavere, sed quia vincere potuit, declinare contempsit, quia resurgentis gloria sepelivit morientis injuriam. De sequentibus, fratres, sequenti sermone tractabimus, quia protrahere nos et dilatare sermonem adhuc recens itineris prohibuit lassitudo.

SERMO LXXVI.

De eadem, deque secunda Christi manifestatione facta mulieribus a monumento regredientibus.

Superiori sermone Mariam et alteram Mariam Ecclesiæ ex duobus populis venientis figuram diximus habuisse: hoc ex sequentibus hodie cupimus approbare, si modo nobis vester benignus præbeatur auditus. *Respondens*, inquit, *angelus dixit: Nolite timere vos, scio enim quia Jesum qui crucifixus est, quæritis: non est hic, surrexit enim sicut dixit. Venite, videte locum ubi positus erat Dominus* (*Matth.* XXVIII). Angelus prædicat nomen, crucem dicit, loquitur passionem, fatetur mortem, sed resurrectionem mox, [j] mox Dominum confitetur. Et si angelus post tanta supplicia, post sepulcrum agnoscit Dominum, suam loquitur servitutem, et injuriam passionis totam transisse sentit resurrectionis in gloriam; cur homo aut minoratum Deum in carne judicat, aut in passione existimat [k] ejus defecisse virtutem, aut consumptam dominationem credit servitute? [l] Digne itaque dicit crucifixum, ostendit locum ubi positus erat Dominus, ne alter et non ipse idem resurrexisse crederetur ex mortuis. Et si Dominus eadem redit in carne, vulnera reportat, ipsa clavorum foramina resumit, et ipsa facit testimonia sui corporis, suæ resurrectionis indicia, quæ suæ fuerant contumelia passionis; quare homo se in alia putat, aut [m] in sua non putat carne

quæst. 6 ad Hedibiam; Augustinus, seu quis alius, serm. olim 159, nunc 160, append.

[a] Ms. Cæsen., *tenere custodiam.*

[b] Ex eodem ms., *et mentibus.*

[c] Vasa appellasse videntur nonnulli, majora saxa vel columnarum frusta apta ut super iis sedeatur. Vide Gloss. Du Cangii, tom. III, pag. 1379.

[d] Nix in vestimentis nil aliud sonat quam summum candorem, ut apud Græcos et Latinos, ita et apud Hebræos, Num. XII, 10: psalm. LI, 7; Thren. IV, 7.

[e] Morem e jim gerebant Judæis: et ideo territi, ne pœnas luerent corporis oscitanter servati. Maldonatus et Brugensis.

[f] Solent angeli hac salutationis formula pios timore perculsos consolari.

[g] Mulieres quærentes Jesum, contraponit militibus persequentibus, apposite. Nam Chrysostomus, apud Maldonatum, censet adjunctum fuisse illud *vos* emphatice, ut illas opponat militibus.

[h] Ms. Cæsen., *suus est suscitator.*

[i] Ibid., *quod Dominus.*

[j] Nam post resurrectionem inchoabatur regnum Domini nostri Jesu Christi, cui subsunt et angeli.

[k] Vide Epiphanium adversus hæreses tom. I, p. III pag. 1026 edit. Colon. In Cod. Bonon. deest *ejus.*

[l] Ex ms. Bonon. Quam alte obscurus fuerit locus hic, consule editiones.

[m] Primi omnium resurrectionem negarunt Samaritæ et Sadducæi, quos refellit laudatus Epiphanius, tom. I, p. I, pag. 25. Origenistæ item, Basilidiani,

rediturum, aut carnem servus forte dedignatur suam, cum nostram Dominus non mutarit? Acquiesce homo ipsum te futurum esse in carne tua, ne tu ipse non sis, si in carne surrexeris aliena. Adjecit angelus, dicens : *Et cito euntes dicite discipulis, quia surrexit, et præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis.* Angelus hic non feminas, sed Ecclesiam duabus in feminis mittit, [a] unam mittit, ut eam mittendo sic longe lateque diffundat. Angelus hic sponsam mittit ad sponsum; denique euntibus illis occurrit Dominus, et [b] salutat eas, dicens : [c] *Avete.* Occurrit, et non potestate terret, sed prævenit charitatis ardore; non auctoritate turbat, sed salutat lege sponsi; non dominantis jure onerat, sed honorat dilectione consortis: salutat : *Avete.* Dixerat discipulis suis ipse : *Neminem salutaveritis in via*, et quid est quod hic in via tam [d] festivus salutator occurrit? Non exspectat cognosci, intelligi non requirit, non ut interrogetur admittit, sed in salutationem vadit totus, vadit fervens, et suum solvit ipse salutatione mandatum? Fecit, fecit, quia totum vincit, et exsuperat vis amoris : simul, quia Christus in Ecclesia se salutat, quam suam fecit esse, et sic viscera sua, suum sic recepit in corpus, dicente Apostolo : *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ* (*Colos.* I). In istis vero feminis Ecclesiæ figuram manere plenam res ipsa ostendit evidenter, quia discipulos suos Christus de resurrectione nutantes arguit, trepidantes firmat, ostensione lateris, clavorum cavernis, sumptione cibi, vix revocat ad fidem (*Luc.* XXIV). Unde et merito in fide parvulos sic pueros appellat, dicendo : *Pueri, numquid habetis pulmentarium* (*Joan.* XXI)? ipsamque alibi Mariam flentem quasi de mortuo, mulierem vocat, atque tangendi se licentiam negat (*Joan.* XX) : istas autem sic perfectas invenit, sic credentes, sic non de sexu trepidantes, sic mysterio currentes, sic Dominum toto fidei ardore requirentes, ut habendum se tradat eis salutatione tali, dicens, *Avete.* Angelus dixerat : Scio enim quia Jesum crucifixum quæritis; et requirentibus Christus, *avete* respondit; alibi autem Mariæ [e] nec tangendi datur facultas (*Joan.* XX), hic non solum tangendi, sed et tenendi copia tota conceditur. *Illæ autem*, inquit, *accesserunt, et tenuerunt pedes ejus.* Istæ tenent pedes Christi, quæ in Ecclesia typum evangelicæ prædicationis tenent, et merentur ex cursu : ac sic fide tangunt sui vestigia salvatoris, ut ad totius deitatis pertingant gloriam, perveniant ad honorem. Illa autem merito audit : *Noli me tangere* (*Ibid.*), quæ in terris deflet Dominum, et sic in sepulcro quærit mortuum, ut eum [f] in cœlis nesciat regnare cum Patre. Noli me tangere, id est, obsequi [g] tactu carnis, quem fidei tactu deberes attingere; nec quasi hominem tantum tangere te præsumas in terra, quem Deum nondum sapis in cœlestibus adorare; feminea cura desinat, muliebris sollicitudo desistat, virilis credulitas tuam conscendat in mentem, ascensum meum cordis tui capiat latitudo, [h] ut in cœlestibus æterna tactus mei beatitudine perfruaris. Juxta illud prophetæ : *Beatus vir cujus est auxilium abs te, Domine; ascensus in corde ejus disposuit* (*Psal.* LXXXIII). In terra non tangit Christum, qui fide in cœlo non conscendit ad Christum. Quod ergo eadem Maria nunc in fidei vertice constituta, nunc in Ecclesiæ sublimata fastigio, et tangit Christum, et tenet toto sanctitatis affectu, nunc imbecillitate carnis et feminea infirmitate dejecta dubitat, et tactum sui non meretur auctoris, non facit quæstionem : si quidem illud de figura est, hoc de sexu; illud est de divina gratia, hoc de humana natura. Quia nos idem ipsi cum divina scimus, Dei munus est; cum humana sapimus, cæcamur ex nobis. [i] Sic beatus Petrus Christum, dum Dei Filium confitetur, Patre revelante, cognoscit; cum negat Christum, carnis sentit et patitur cæcitatem (*Mat.* XVI). Inter hæc Judæi crimina, aut male emunt sua, aut distrahunt pejus aliena, dum peccata taxant pretio, dum pecunia pensant et compensant delicta, dum in scelebus suis fundunt, quod toto scelere congregaverunt. Sic Judam comparant traditorem Domini sui, et pretio Redemptoris mundi sanguinem pensant; sic aperti sepulcri fidem claudunt [j] sæculo, ut negandæ resurrectionis crimen nummis criminum mercarentur. *Pecuniam*, inquit, *copiosam dederunt militibus, dicentes : Dicite quia discipuli ejus venerunt nocte, et furati sunt eum, nobis dormientibus, et si hoc præses audierit, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus. At illi accepta pecunia fecerunt sicut erant edocti; et diffamatum est verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem.* Apud Judæos, numquid apud Christianos? Judæe, quod tu in Judæa obscurabas auro, fide toto claruit et eluxit in mundo : discipuli receperunt, non furati sunt Christum; tu perfidiam comparasti, sed non furatus es veritatem; Judæe, resurrexit Christus, *ascendisset ad Patrem.* Tom. III pag. 590 edit. Antuerp.

Valentiniani, Marcionitæ, aliique hujus furfuris homines.

[a] Deest in Cod. Bonon.

[b] Ex eod. cod., *salutator.*

[c] Ibid., *Avete, hoc est, bentote.*

[d] Ex Mita.

[e] Alii interpretes duo hæc Evangelii loca, quæ velut ad invicem pugnantia introducit Chrysologus, ad litteram conciliant. Dicunt enim primo vel has duas fuisse apparitiones diversas; secundo vel Magdalenes ante eum tetigerat; tertio vel Christo prohibente tetigit tamen, ut res importuna et audax est amor. Consule Maldonatum.

[f] Chrysologo consonare videtur Augustinus tract. 121 in Joan., *in hac femina* recognoscens *Ecclesiam de Gentibus quæ in Christum non credidit, nisi cum*

[g] Ms. Cæsenæ, *obsequi tantum carne.*

[h] Docent cum Chrysologo alii enarratores Christum illis verbis, *Noli me tangere*, innuisse mulieri Christum amplectendi gratiam habituram in cœlis : a rebus corporeis ad spirituales mentem ejus attollens. S. Leo, serm. 11 de Ascensione, pag. 72 edit. Lugdun., cura Raynaudi : *Noli me tangere. Nolo ut ad me corporaliter venias, nec me sensu carnis aspicias, ad sublimiora te differo. Cum ad Patrem ascendero, tunc me perfectius veriusque palpabis, apprehensura quod tangis, et creditura quod non cernis.*

[i] Alias in ms. Bonon. : *Sic beatus Petrus, sic Dei Filium Patre revelante cognoscit.*

[j] Ex eod. cod., *mundo.*

stus, tu pecuniam perdidisti. *Sanguis ejus super nos et super filios nostros.* Judæe, Christus vivit, tu et te et tuos posteros occidisti.

SERMO LXXVII.

De Resurrectione Christi.

Plenum satis et perfectæ devotionis indicium, quod tempore passionis tota creatori suo compatitur creatura. Quæ caro terra tremente non tremuit, quæ mens non torpuit, quod ingenium non defecit cum sol ante tempus occidit, lux refugit ? Denique, fratres, et nostra occubuere tunc viscera, sensus est commortuus, sermo noster suo est consepultus auctori, ut ejus totam nunc suscitaretur ad gloriam. Ista exstitit silentii mei causa; ista debiti mei devota dilatio fuit. Nec mirum, fratres, si provide sermo meus toto affectionis obsequio ad inferos etiam suum secutus est largitorem, quia sine ipso vobis talibus ac tantis creditoribus quod redderem non habebam. Quod si cupidus aliquis et avidus exactor de solutionis tarditate conqueritur, [a] calumniam temporis nobis desistat inferre, quia dives Dominus meus multiplicem fenoris ipsius auget et repensat usuram. Absolvat ergo nos jam evangelicæ larga lectionis humanitas, quos [b] officii necessitas hoc tantum deduxit et addixit ad debitum. *Vespera*, inquit, *sabbati quæ lucescit in prima sabbati.* In Domino resurgente non humanæ solum conversum est jus naturæ, sed etiam ipse creaturæ ordo insigniter est mutatus. *Vespera sabbati quæ lucescit.* Ecce Domino resurgente, non tenebrescit vespera, sed lucescit; et fit lucis exordium, quod principium noctis esse consueverat. *Vespera sabbati quæ lucescit in prima sabbati* (*Matth.* XXVIII). [c] Sicut mortalitas in immortalitatem, corruptio in incorruptionem, caro in Deum, ita tenebræ transferuntur in lucem ; ut se nox ipsa taliter non periisse gaudeat, sed esse mutatam, quæ obscuritate magis quam tempore sic defecit, quæ intervalla, quæ vicem suæ felicius perdidit servitutis, ut in perpetuæ lucis profluueret et erumperet libertatem, dicente propheta : *Et nox illuminatio mea in deliciis meis* (*Psal.* CXXXVIII). *Vespera quæ lucescit in prima sabbati.* [d] Sabbatum secundarium se lætatur effectum, quod jussione legis torpebat in otio ; et per diei Dominici primatum in divinæ virtutis opera mirabiliter excitatur , quod Judaicæ observationis inertia a virtute salutari reddebat extraneum, dicente Domino : *Non licet sabbatis ægris curam, afflictis opem, cæcis visum, vitam mortuis condonare* (*Luc.* VI) ? et interpretando taliter a Deo diem sabbati sanctæ legis studiis deputatum, misere tantum ventris addixerat servituti. *Vespera sabbati quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalena, et altera Maria.* Una venit nomine, quæ nunc alia legitur in diversa persona. *Venit Maria et alia Maria.* [e] Quo et unam in duabus nominis unitas figuraret, et mutatam feminam diversitas panderet personarum. Venit enim, non venerunt, et cum dicit alia, in utraque eamdem mystico designat affatu, ut aliam venisse ante fidem, aliam post fidem redituram esse monstraret. Venit mulier, sed redit Maria ; venit quæ intulit mortem, redit quæ genuit vitam ; venit Adam quæ deduxit ad inferos, redit quæ ab inferis Christum recepit. *Venit Maria et alia Maria.* Quare ?. *Videre sepulcrum*, et non Christum quærere : tantum videre sepulcrum, reatus sui titulum, facinoris sui triste documentum, suæ cum diabolo præsumptionis, sui quæstus ferale commercium, ut inde recuperaret fidem, unde perpetuum suæ prævaricationis sustinebat opprobrium. *Et ecce terræmotus factus est magnus.* Si sic terra tremuit cum suorum Dominus resurgit ad veniam ; quemadmodum contremiscet, cum noxiorum consurget ad pœnam, dicente propheta: *Terra tremuit, et quievit, cum resurgeret in judicium Deus* (*Psal.* LXXV) ? Et quæ conservi, hoc est angeli, præsentiam sustinere non valuit, quemadmodum Deum judicem sustinebit? Ecce iisdem lineis, quibus perierat salus humana, reparatur. Prima ad perfidiam mulier, prima procuratur ad fidem ; prima currit ad

[a] Actio in jure est qua quis rem quampiam sibi per solemnes juris formulas asserere conatur; aut pro qua litem intendit. Vide Glossarium Du Cangii.

[b] Hoc est, plangendi mortem Christi, et cum Ecclesia tanto funeri condolendi.

[c] Difficilis sensus explicatio. Pro tenuitate ingenii arbitror auctorem de homine per Christum in novissimo die resuscitando loqui, in cujus carne mortalitas in immortalitatem, corruptio in incorruptionem, caro in spiritum per beatam gloriam transferrentur. Tenebræ vero, quæ in lucem commutabuntur, sunt vel cunctæ res adversæ, quæ in lucem, hoc est in prosperas res, transferuntur; vel certe mors ipsa, quæ nox dicitur, et quæ deposita obscuritate in perpetem lucem mutabitur, id est in perpetem vitam. Non perit nox, id est mors, quia omnes morimur; sed mors mutatur in vitam quoad justos, qui in Domino moriuntur. Non deficit tempus, quia auctor temporum tempora nescit. Nox perdit vicem suæ servitutis, quia mors homini, homo morti deservit; sed libera est a servitute, dum ipse homo in resurrectione luce perpetua fruetur. Hoc probat Auctor ex psalm. CXXXVIII, 10. *Et nox sicut dies illuminabitur*, etc., quod sic explico. Dicit homo : Esto, tenebræ me operiant in nocte mortis, ne ulterius videam lucem : hoc erit quidem in pœnam peccati; sed nox, hoc est ipsa mors corporis, erit illuminatio mea in deliciis meis, quia per gratiam Christi resuscitati, et ego a morte resurgam, et per viam mortis de morte ipsa transibo ad vitam, ubi lumine gloriæ illustratus deliciis beatæ visionis perfruar. Lege Mald. in cap. I Lucæ, num. 78 et 79, ubi per tenebras et lucem cunctas res prosperas et adversas respective Patres intellexisse docet. Et in Joan. I, 4, versus fin., vitam lucem, mortem tenebras Scripturam appellare ait. Sic Auctor noster, infra, serm. 79, hujus loci explanationem innuere videtur. MITA. — Attento stylo Chrysologi facillime intelligitur, comparari hic nostrorum corporum resurrectionem ipsi eidem vesperi, vel, ut loqui amat, nocti resurrectionis Domini, quæ suæ naturæ obscuritatem vertit in lucem, sicuti et nos nostrorum corporum corruptionem vertemus in immortalitatem.

[d] Diem Dominicum ob Christi resurrectionem sabbatum primarium vocat; hoc est, festum præcipuum ac principale. Sabbatum autem Hebræorum secundarium appellat, hoc est, in secundo et humiliori loco positum, tanquam hujus primarii significativum. De sabbato Hebræorum in diem Dominicum converso, et de sanctificatione festorum pulchre, ut solet, Augustinus serm. 251, de Temp. MITA.

[e] Ms. Cæsenæ, *quo tunc in duabus unam.*

interemptorem mortis, quæ prima cucurrerat ad mortis auctorem ; prima audit ab angelo, quæ prima cum diabolo fuerat collocuta. *Angelus Domini descendit de cælo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum.* Non ut conferret resurrectionem tali operatione, sed ut proderet, dicente Domino : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (*Joan.* x). Nobis clausa aperit, nobis occulta reserat, nec auctorem suum, qui jam non erat in sepulcro, educit ad lucem ; sed conservos suos, qui positi erant in dubitationis obscuro, ad fidem resurrectionis adducit ; ipso attestante, cum dicit : *Non est hic, surrexit : Revolvit lapidem, et sedebat super eum.* Quare non volvit, sed revolvit ? Ut quem perfidia Pharisæorum ad offensam voluerat et scandalum, angelus ad fidem revolveret et salutem, dicente propheta : *Ecce pono in Sion lapidem offensionis et petram scandali* (*Isai.* VIII, XXVIII ; *Rom.* IX). Revolvitur ergo lapis, ut evolveret mortem, qui vitam clauserat advolutus, dicente Scriptura : *Videbitis vitam vestram pendentem coram oculis vestris, et non credetis* (*Deut.* XXVIII). *Et sedebat super eum.* Non lassitudinem recreans, sed sacri et vitalis sepulcri se esse præsidem sic demonstrans ; et destructam esse mortem cœlestis minister officii, tali sessionis suæ declarabat indicio ; et esse Deum qui passus est, Deum qui intra nostri corporis est receptus angustias, Deum quem habitu superno sic residens testabatur assertor. Et quid plura, fratres ? sedet, quia ab illo tam venerabili sepulcro numquam angelus recedit. *Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt sicut mortui.* Quos prosternit terror noxios, ad conscios mox recurrit. Sic, sic innocui eum resurgent, terror et mors injustos et impios possidebit. *Erat autem aspectus ejus, sicut fulgur et vestimenta ejus sicut nix.* Quid facit vestis, ubi nulla est nuditas ? quid indumentum, ubi tegendi necessitas non habetur ? Sed angelus, fratres, nostrum habitum, nostram formam, nostram similitudinem, in resurrectione taliter præfigurat, ubi homo ipsa corporis sui claritate restituitur, dicente Domino : *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno patris eorum* (*Matth.* XIII). *Respondens autem angelus, dixit mulieribus : Nolite timere vos, scio enim quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis.* Adhuc crucifixum et mortuum requirebant, quarum fidem sæva passionis procella turbaverat, et tentationis eas ita pondus incurvaverat, ut cœli Dominum adhuc quærere t in sepulcro. *Non est hic.* Secundum id quod in loco exstitit ; hic est autem, per hoc quod ubique est, et loci capacitate non clauditur. *Venite, videte locum ubi positus erat Dominus.* Mulieres vocat angelus ad videndum, ut sacri corporis locus mundaret oculos, quos diabolo [a] claudente vetitæ arboris macularat aspectus. Ingrediuntur sepulcrum, ut consepultæ Domino totam fidei resurgerent in salutem. *Si complantati sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus* (*Rom.* VI). *Euntes dicite discipulis ejus.* Revertere ad virum, mulier jam sanata, et suade fidem, quæ perfidiam suasisti ; refer homini Dominicæ resurrectionis indicium, cui ante tentationis et ruinæ consilium detulisti.

SERMO LXXVIII.

De septima Christi manifestatione facta discipulis ad mare Tiberiadis.

Post illam terris inexpertem, tremendam cœlis, inauditam sæculis, inferis non ferendam tempestatem Dominicæ passionis, venit ad mare Dominus, et discipulos suos nocturnis in tenebris reperit fluctuantes. Fugiente enim sole quid de splendore lunari ? quid de stellis ad noctis potuit solatium remanere ? Erat enim una terra et confusa caligo, quod non solum visum corporis, sed ipsum mentis cæcabat obtutum : nec sinebat littus fidei, portum salutis petere, vel repetere navigantes. *Mane*, inquit evangelista, *jam facto, stetit Jesus in littore, non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus est* (*Joan.* XXI). Creatoris injuriam tota fugerat creatura : necem Domini sui mundus evitare contendit, sciens ad totam domum vindictam pertendere, in qua fuerit servorum scelere Dominator occisus. Hinc est quod suis se deserentibus fundamentis terra tremuit, sol ne videret aufugit, dies ne interesset abscessit, petræ, quia non valebant discedere per naturam, novum scinduntur per vulnus, facinus tantum sono, quia voce non poterant accusantes ; infernus ubi ad se penetrare ipsum Judicem vidit victus, et ejulans, quos tenebat amisit : hinc est quod redditæ corporibus suis animæ resurrecturos mortuos, quos mundus putaverat deperiisse, viventibus nuntiarunt. Ergo taliter cum mundi compago tota confuso ordine fluctuaret, et ad primordiales tenebras atque antiquum chaos crederet se auctoris sui morte devolutam, subito resurrectionis suæ lumine Dominus diem reducit, et orbem totum pristinum reformat in corpus, ut quem sibi taliter viderat esse compassum, suam secum suscitaret ad gloriam, dicente evangelista : *Mane jam facto ;* id est, transacta noctæ Dominicæ Passionis, *Stetit Jesus in littore.* [b] Ut in antiquum terminum revocaret universa, firmaret dubia, jactata compesceret, turbata componeret, et statione sua ipsa fundamenta orbis, quæ sic commota fuerant, stabiliret, quo mox mundus ad sui recurreret auctoris obsequium, qui ad sui diffugerat auctoris injuriam. *Mane autem facto, stetit Jesus in littore.* Ut Ecclesiam præcipue, in qua discipuli amaris tunc [c] fluctibus jactabantur, ad fidam fidei suæ reduceret stationem : denique quia eos fidei virtute reperierat destitutos, et a virili robore invenerat perdejectos, arguit tales pueros nuncupando, cum dicit : *Pueri, numquid pulmentarium habetis ?* Ibi enim erat Petrus, qui negaverat (*Matth.*, XXVI). Thomas, qui dubitaverat (*Joan.* XX) ; Joannes, qui fugerat (*Marc.* XIV) ; non ergo ut fortissimos milites, sed pueros compellat [d] ut

[a] Ms. Cæsenæ, *suadente.*
[b] Ad primævum statum a quo discesserant.
[c] Significat Christus se esse in vado, ipsos in sale versari, ait Grotius.
[d] Timuisse apostolos docet etiam Chrysostomus, et alii.

timidos; et quos idoneos necdum deprehendit ad prælium, ut teneros invitat ad mensam, dicendo : *Pueri, numquid habetis pulmentarium?* Ut humanitas ad gratiam, panis ad fiduciam, [a] pulmentum revocaret ad fidem; corpus enim resurrexisse non crederent, nisi eum [b] toto hominis ordine cernerent manducantem. Hinc est quod petit escas [c] saturitas tota rerum : panis ipse manducat, quia non ille cibum, sed suorum semper esurit charitatem. *Pueri, numquid habetis pulmentarium? Responderunt ei, Non.* Et quid habebant, qui Christum jam secum positum non habebant, qui coram stantem Dominum suis adhuc [d] oculis non videbant? *Non enim cognoverunt discipuli quod Jesus est. Dicit eis, Mittite in dexteram partem navis rete, et invenietis.* Revocat ad dexteram, quos turbo passionis egerat et redegerat ad sinistram. *Miserunt*, inquit, *et non poterant illud trahere a multitudine piscium.* Miserant in dexteram, miserant in virilem partem, sed ut pueri adhuc trahere non valebant : senserunt tamen ex ipso pondere, senserunt pisces venisse ad jubentis imperium, [e] non humanæ artis incurrisse capturam. *Discipulus autem ille qui diligebatur a Jesu, ait : Dominus est.* Primus qui diligitur videt, quia semper amoris oculus acutius intuetur, et semper vivacius [f] qui diligit sentit. *Petrus ut audivit.* Quæ res illam Petri sic tardaverat mentem, ut ab alio audiret Dominum, qui cæteris consueverat nuntiare? Ubi est illud ipsius singulare? Tu es *Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, XXVI), ubi est? In domo aufugerat Caiphæ principis Judæorum, tardius suum Dominum videbat, qui vocem facile ancillæ susurrantis audivit. *Ut audivit*, inquit, *quia Dominus est, tunica se præcinxit, erat enim nudus.* Mirum! fratres, cum comprehenderetur Dominus, Joannes abjecit sindonem, et Petrus [g] invenitus est nudus : quia Joannem texit fuga, Petrum negatio sic nudavit. Mirum, fratres, et vere mirum, quia qui in navi nudatus est, in mare [h] se demergit indutus (*Matth.* XIV) : quia innocentia numquam nuda est, et reatus semper refugit ad velamen. Denique [i] sicut Adam (*Gen.* III), ita et nunc Petrus post culpam suam gestit tegere nuditatem, qui fuerant ambo utique ante culpam [j] sancta nuditate vestiti. *Tunica se præcinxit,* A *et misit se in mare.* Ut mare dilueret quod negatio taliter sordidaverat. *Misit se in mare.* Ut esset primus in reditu, qui acceperat in ordine principatum. *Et tunica se præcinxit.* [k] Qui præcingendus erat martyrii passione, dicente Domino : *Alius te præcinget, et ducet quo tu non vis* (*Joan.* XXI). *Alii autem discipuli navigio venerunt, non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis, trahentes rete piscium.* Alii navigio perveniunt, et capturam piscium trahunt, ut Ecclesiam sæculi jactatam procellis, et eos quos evangelico reti ad supernam lucem rapiunt, et elevant de profundo, ad Dominum secum fideli labore perducant. *Non*, inquit, *longe erant a terra.* Non erant longe a terra viventium, [l] quos præsentium finis proximos esse fecerat jam futuris. *Sed quasi cubitis ducentis.* Ex Judæis et gentibus centenarium numerum duplicat, B qui duorum vitam salutemque jungit populorum. Reliquam partem lectionis sequenti sermone, Domino juvante, tractabimus.

SERMO LXXIX.

De Resurrectione Christi.

Quoniam Matthæi et Marci super Dominicam Resurrectionem jam cucurrimus lectiones, modo qui hinc intonuerit Lucas beatissimus exquiramus. *Una*, inquit, *sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum mulieres, portantes quæ paraverant aromata* (*Luc.* XXIV). Sæpe diximus quæ circa resurrectionem Christi gesta sunt, gesta esse resurrectionis nostræ in formam : hinc est quod evangelistæ sermone plus mystico quam novo factorum Christi seriem proloquuntur. *Una*, inquit, *sabbati.* Bene una, quia resurrectionis C dies alteram nescit; lucis æternæ mater, noctis tempus ignorat; perpetuus dies perpetuo illucescit; resurgentium lux mori non potest; lux quæ noctem delet, nescit exstingui. *Venerunt*, inquit, *ad monumentum portantes quæ paraverant aromata : et invenerunt lapidem revolutum a monumento, et intrantes non invenerunt corpus Domini Jesu.* Quid est, quod quæ ante de monumento [m] fugerant, nunc audaces redeunt ad sepulcrum : intrepidæ pavidum redeunt ad funus, sepulcri tristitiam confidenter invadunt; et non invenientes Dominum, constanter quærunt, constantius immorantur; nec illud pavescunt, quod monumento ut honestius iret ad Dominum. Nec poterat vestis hæc, licet talaris, natatui obsistere, non enim erat natandi necessitas. Sed jam terræ vicinus poterat pedes, præcinctusque ad latus veste, ad Dominum perveniire. D

[a] Et pulmentarium sumitur pro quolibet obsonio. Ita sonat Græcus προσφάγιον.

[b] Eo sc licet, eodemque modo quo cæteri homines vescuntur.

[c] Vocatur Christus, vel quia omnibus rebus satur nullis indigebat, vel per quem omnes saturantur.

[d] Vel quia a littore aberant; vel quia nondum satis luceret dies.

[e] Nam jecerant rete ad dexteram propius littus, ubi minor erat spes capiendi.

[f] Ex Latino. Editi, *qui diligitur.*

[g] In calido illo climate Petrus incedebat nudus. Aut juxta mentem Bedæ dicitur nudus *ad comparationem cæterorum vestimentorum, quibus uti solebat;* vel quod more piscatorum, studio piscandi nudus incesserat.

[h] Evangelium dicit *tunica se præcinxisse.* Et vere Petrus, viso Domino, superiorem vestem induit, ut aliquibus videtur, pallii genus, quo Phœnices et Tyrii utuntur, inquit Theophylactus, qua præcinxit se,

[i] Consonant alii. Theophylactus vero, et secum plures, pudorem Petri ex nuditate, non ex culpa efluxisse docent.

[j] In Adam fuit justitia originalis, in Petro gratia justificationis, in utrisque innocentia. MITA.

[k] Ms. Cæsen., *quia.*

[l] Vel finis vitæ præsentis vel bonorum temporalium, quæ Christum sequentes dimiserant.

[m] Evangelista vocat eas *mente consternatas* ob angelorum aspectum et ob ea quæ in Passione Christi evenerant. Quod hic autem dicitur illas ad monumentum reversas parasse aromata, per antecessum dicitur, cum aromata non emissent, nisi elapso sabbato, et in vesperis alterius diei.

[a] nox addita, dum tenebras generat, addit timorem? Fratres, mulier mali causa, peccati auctor, via mortis, [b] sepulcri titulus, inferni janua, [c] lamenti necessitas tota : ob hoc nascuntur lacrymis, mancipantur mœroribus, gemitibus addicuntur, et in lamentis tantum fortes sunt, quantum viribus inveniuntur infirmæ : et quantum imparatæ sunt ad labores, tantum ad lacrymas sunt paratæ : hinc est quod lacrymis arma vincunt, regna fletibus inclinant, lamentis totam fortitudinem virorum frangunt. Non est ergo mirum, si ad lacrymas, ad funus, ad sepulcrum, ad obsequium Dominici corporis feminæ ardentiores apostolis hic videntur; ubi mulier prima currit ad lacrymas, quæ prima cucurrit ad lapsum; præcedit ad sepulcrum, quæ præcessit ad mortem; fit resurrectionis nuntia, [d] quæ fuit mortis interpres; et quæ viro porrexerat interitus tanti nuntium, viris ipsa porrigit magnæ salutis auditum, ut compenset fidei nuntio quod perfidiæ ademit auditu. Non est hic præposterus ordo, sed mysticus; non postponuntur apostoli feminis, sed ad majora servantur; feminæ obsequium Christi suscipiunt, apostoli Christi suscipiunt passiones; illæ portant aromata, isti flagella; illæ intrant sepulcrum, isti carcerem; illæ ad obsequium festinant, isti pervolant ad catenas; infundunt illæ [e] oleum, isti sanguinem fundunt : mortem stupent illæ, suscipiunt hi mortes. Et quid multa? Resident illæ domi, ad acies isti tendunt, ut devoti milites probent adversis fidem, virtutem laboribus, injuriis patientiam, periculis mortem, vulneribus tolerantiam, devotionem pœnis, viscerum laceratione constantiam. Mulieres ergo ferunt pro Christo lacrymas; apostoli, diabolo superato et victis hostibus, Christo et victoriam referunt, et triumphum (*Luc.* XXIV). Verum quod apostoli resurrexisse Dominum mulieribus nuntiantibus, aut non credidisse, aut [f] deliramentum judicasse referuntur, graviter nemo arguat : alte dubitat, qui altius credit; decipi non potest, qui non est [g] facilis auditui; ignavus nimis est, qui post exemplum invenitur incautus; rudis miles ad aciem concurrit, qui causam belli nescit, vim bellatoris ignorat; peritia est, non est segnities, cum sensim miles veteranus incedit. Sic A Adam novus cito cecidit, dum cito credidit; et dum facile dat aures ad mulieris auditum, se suosque posteros pessimo addixit inimico : at [h] veteranus Petrus feminam non facile audit, feminis nuntiantibus credit tarde, et ut veteranus deliberat, ne ut puer incurrat. Denique ubi duo ex discipulis, qui post resurrectionem Christum meruerunt itineris habere collegam, reversi, nuntiabant Dominum se vidisse, apostoli quod audiunt non delirium judicant, sed virile : dant aures, ora figunt, aperiunt oculos, corda pandunt, et quæ dicuntur sic commendant sensibus, ut post cunctationis æstus sitienter bibant auditum fidei de flumine, quod collegarum lingua fundebat. Sicut ardorem sitis frigida pocula restinguunt et refrigerant, ita mentis auditus lætior fit post mœrorem. B Fratres, quis causas capere Dominicæ nativitatis potest? Dominicæ resurrectionis negotium existimare quis meretur? Ista cogitare, capere, existimare nisi qui ab ipso Deo acceperit, non valebit : quod Creator rerum femineo creatur partu, quod mundi Dominus in servitute videtur humana, quod pastor omnium pastu indiget; reis quod addicitur, qui absolvit universos; quod punitur vita sæculi, quod mortuorum moritur suscitator, quod claudens omnia sepulcro clauditur, quod supernorum Dominus apud inferos invenitur. Qui ergo ista capere potest, apostolorum cunctationes, trepidationes, timores, fugas, latebras profunde judicans non miratur. Ergo, fratres, quod apostoli dubitant, quod ista tam tarde tanta credulitate suscipiunt, non miremur nos, qui hucusque non C credimus, sed oremus ut de his tantum sentire mereamus quantum dederit ille qui divina hominem sentire largitur. Quod remansit de serie lectionis, Deo juvante, proximo sermone perscrutabimur.

SERMO LXXX.

De Christi Resurrectione et secunda manifestatione facta mulieribus a monumento regredientibus.

Sermone proximo, quia primam partem perstrinximus lectionis, hodie quæ sunt in sequentibus audiamus. *Respondens*, inquit, *angelus dixit mulieribus : Nolite timere vos, scio enim quia Jesum, qui crucifixus est, quæritis, non est hic; surrexit enim sicut dixit;*

[a] Latius explicat quod evangelista factum dicit *diluculo*; vel de initio itineris loquitur, non de termino. Nam mulieres Dominica die ante ortum solis, Jerosolymis discessere et pervenere circa ortum solis, Joan. XX, 1 : Πρωΐ σκοτίας ἔτι οὔσης; et Marc. XVI, 2 : Ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου.

[b] Est sepulcri titulus sensu Zamorræ in Monarchia mystica, cap. de malis mulieribus, quia titulus sepulcri cum sit : *Hic jacet*, mala femina nondum a pravis actibus et fraudibus desistit, donec amatorem libidinosum ad ultimam deduxerit perditionem : sed hæc moralem sapit expositionem. MITA.— Aliunde fortasse deducenda res est. Quicumque innuere cupiebat rem aliquam sui juris esse, titulum præfigebat. Augustinus, psalm. XXI : *Ubi potens aliquis invenerit titulos suos, nonne jure rem sibi vindicat, et dicit : Non ponerem titulos meos, nisi res mea esset?* Vide Du Cangium in Glossario. Vocat ergo mulierem *titulum sepulcri*, quod ipsa mortem et sepulcrum universo orbi paraverit. Vide infra, serm. 154, 155.

[c] Nil habet in se, quod non sit lamenti causa necessaria.

[d] Cyrillus apud divum Thomam in Catena Oper. tom. V pag. 374 recent. Ven. editionis : *Namque femina, quæ fuit mortis ministra, venerandum resurrectionis mysterium primo percepit et nuntiavit.*

[e] Dicit *oleum* pro aromatibus, quæ ad condiendum D Christi corpus paraverant.

[f] Lucas XXIV, 11 : *Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista.*

[g] Mss. Cæsen. et Vallicell., *Facilis auditor.*

[h] Dum Petrus una cum Joanne, auditis quæ mulieres nuntiaverant, surrexit et cucurrit ad monumentum, ut Lucæ XXIV, 12, existimasse videtur Chrysologus, id egisse, ut veluti experientia edoctus aliis non temere credere, ea propriis oculis inspiceret vera essent, nec ne. Indeque non feminis, quarum arte jam in atrio deceptus fuerat, addit Mita, sed sibi tantum fidens, quid de resurrectione credendum fuerat, deliberare. Primam ad sepulcrum accessionem, cujus ipse pars fuit narrat Joannes XX, 3. Hic Petrus proficiscitur solus, saltem solius Petri meminit Lucas.

venite, videte locum ubi positus erat Dominus (*Matth.* xxviii). Putasne Petri, Joannis, discipulorum omnium absentia [a] objurgatur, castigatur ignavia, quod resurgenti Christo mulieres primæ solæ pervigiles ardenter occurrant; ipsa etiam [b] virilis portio sic notatur, ut ad resurrectionis gloriam muliebris præcurrat infirmitas? Absit, fratres, est istud causa, non casus; mysterium, non eventus; ordo, non culpa : nam mulier hic virum sequitur, non præcedit, ubi [c] vir resurgit in Christo. [d] Sentias ergo Petrum non mulieribus cessisse, sed Christo; non ancillæ, sed domino; sacramento, non somno; ordini, non timori : denique jam [e] vir erat in Christo quando ad mulieres angelus venit, ut [f] quantum præcellit Dominus angelum, tantum vir mulierem præcederet in honore. *Nolite timere vos.* Quia bonos amor possidet, malos pavor; et impios timor terret, pios solatur affectio. *Nolite timere vos.* Hoc est dicere : Timeat Judæus qui tradidit, Pilatus qui addixit, qui illusit miles, quæ crucifixit impietas, crudelitas amara pocula quæ propinavit, [g] sævitia quæ obsedit sepultum, perfidia quæ emit mendacium, fidem quæ vendidit, inhumanitas quæ Dominum suum resurrexisse dolet, non dolet occidisse : vos autem gaudere convenit, non timere, quia resurrexit quem quærebatis mortuum, vivit quem lugebatis occisum. *Scio enim, quia Jesum, qui crucifixus est, quæritis.* Hoc est, quid quæritis [h] viventem cum mortuis? vitam quid quæritis in sepulcro? Ite potius ad occursum viventis : et jam nolite concurrere ad morientis obsequium. *Scio quia Jesum, qui crucifixus est, quæritis : non est hic.* Sic dixit angelus, quia aperuit ob hoc sepulcrum, non ut inde exiret Christus, qui ibi jam non erat, sed ut ibi Christum jam non esse monstraret. *Surrexit sicut dixit.* Gemina virtus est : et redire a mortuis, et futura præscire. *Venite, videte locum ubi positus erat Dominus.* Venite, mulieres, venite, videte ubi Adam posuistis vos : ubi sepelistis hominem, ubi virum vestro consilio contrusistis, per quod fecistis [i] pro servis ipsis Dominum sic jacere, et intelligite erga vos tantam magnitudinem veniæ, quanta fuit Domino injuriæ magnitudo. *Venite, videte locum ubi positus erat Dominus.* Virtus angelica esse Dominum qui crucifixus est, confitetur : et infirmitas humana discutit, [j] utrum sit Dominus qui resurgit? Christus sic humanas suscepit passiones, ut totum quod divinitatis est, non amittat. *Et euntes cito, dicite discipulis ejus, quia surrexit, et ecce præcedet vos in Galilæam : ibi eum videbitis.* Neque hic mulieribus apostoli postponuntur, sed mulier absolvitur a reatu, dum portat vitæ, portat resurrectionis auditum, quæ auditum mortis portaverat et ruinæ. *Et euntes*, inquit, *cito de monumento cum timore et gaudio magno.* Mulieres intrant sepulcrum, ut fierent sepulturæ participes, sociæ passionis; exeunt de sepulcro, ut ante fide surgerent quam resurgerent carne. *Exeuntes cum timore et gaudio magno.* Et ubi est, nolite timere. Quia timor non ablatus est, sed mutatus; timor abscesserat de reatu, sed de servitio manebat; malus timor culpæ, bonus reverentiæ timor : Adam datum perdiderant, ne perderent [k] ipsum redditum pertimescebant. *Cum timore et gaudio magno.* Scriptum est : *Servite Domino cum timore et exsultate ei cum tremore* (*Ps.* ii). *Cum timore et gaudio magno. Quia timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi* (*Psal.* xviii). In sanctitate ergo manet, qui Dei permanet in timore. *Currebant nuntiare discipulis ejus, et ecce occurrit eis Jesus dicens, Avete.* Fideliter currentibus occurrit Christus, ut quod fide crediderant, agnoscerent visu : et firmaret præsentia, quas adhuc trepidas habebat auditus. *Occurrit eis Jesus, dicens, Avete.* Occurrit ut Dominus, salutat ut parens; affectu animat, servat timore; salutat, ut per amorem serviant, non fugiant per timorem. *At illæ accesserunt, et tenuerunt pedes ejus.* Haberi se voluit, qui passus est se teneri. *Accesserunt, et tenuerunt pedes ejus.* Ut scirent [l] in capite Christi virum esse, se esse in pedibus Christi : et datum sibi virum sequi, non præire per Christum. *Dicit eis, Nolite timere.* Quod dixerat angelus, dicit et Dominus, ut quas firmaverat angelus, Christus

[a] Nonnullæ editiones habent *culpatur.* Aliæ, *uritur.*

[b] Petrus, scilicet, aliique apostolorum.

[c] Id est, virilis sexus, quem Christus Dominus, nascendo inter nos, assumpserat.

[d] Ms. Cæsen., *Constat ergo.*

[e] Virilis portio hominis prius erat non solum ad Christi sepulcrum, sed et in Christo ipso per unionem hypostaticam, quando angelus, Christi minister, venit ad docendum mulieres de ipsius Christi resurrectione. Mita.

[f] Legendum est *Dominus* vel *Christus*, non autem *Deus*, ut in impressis codicibus. Facile enim fuit, ut verbum *Dominus* per compendium litterarum incaute immutaretur in verbum *Deus.* Christus autem Dominus præcellit angelis, primo quia ipse est caput angelorum, juxta illud ad Coloss. ii : *Qui est caput omnis principatus et potestatis;* secundo quia Christus, ut homo, est sacerdos in æternum, qui quotidie seipsum offert in incruento sacrificio Missæ. Ex Mita.

[g] Obscurum in editis locum, ex interpunctione Meursii elucidavimus.

[h] Ms. Cæsenæ, *vivificantem.*

[i] Prima editio Bon., *pro servis ipsi.*

[j] Manichæos fortasse designat, qui phantasticam, non veram fuisse Christi resurrectionem blasphemabant. Vide Cyrillum Hierosolymitanum catechesi 14. Eutyches, quemadmodum assumptionem corporis negavit, et impie docuit, Unigeniti divinitatem cruci affixam fuisse, ita asseruit divinitatem tumulo mandatam resurrexisse. Theodoretus Hæretic. Fab. lib. IV, cap. 13, pag. 246. Origenes putavit Christi corpus, post resurrectionem fuisse aereum, vel æthereum, sicuti colligitur ex lib. ejus iii contra Celsum, pag. 136. Eamdem opinionem, ex fetidis Origenianis lacunis haustam, interpolavit Ostorodius, Sociniani stipitis infelix propago.

[k] In Christo scilicet, qui novus fuit Adam.

[l] Multa hic congerit Mita, et se mire torquet ut suadeat sensum Chrysologi esse : Virum in capite constitutum dici, nam summus pontifex est Ecclesiæ caput, et mulieres sunt in pedibus : *Hoc est in numero fidelium, quibus datum est sequi virum per obedientiam, non autem per usurpationem munium sacerdotalium.* Minori negotio res indiget. Vir potiorem partem tenet in Ecclesia; mulier subjecta ei et pedissequa est.

redderet firmiores. *Sed ite, dicite fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Resurgens a mortuis, Christus resumpsit hominem, non reliquit : vocat ergo fratres, quos corporis sui fecit esse germanos; vocat fratres, quos Patris sui adoptavit in filios; vocat fratres, quos benignus hæres sibi præstitit cohæredes. Sed resurgente Christo impietas qualiter resurgat audite : *Ecce venerunt quidam de custodibus in civitatem, et nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. At illi congregati cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus dicentes, dicite, quia venerunt nocte discipuli ejus, et furati sunt eum dormientibus nobis.* Qui dant pecuniam, non perdenda comparant, sed servanda; Judæi, vendente Juda, emerunt, ut perderent Christum; nunc pecuniam copiosam, ut se legem, templum, patriam perderent, effuderunt. Viri sanguinum, et dolosi, statuunt pretium falsitatis, perfidiæ conficiunt instrumentum, commercio crudeli fraudem fidei, veritatis latrocinium nundinantur : corrumpunt milites, ut furtum vocent quod erat resurrectionis arcanum : *Venerunt discipuli ejus nocte, et furati sunt eum.* Non contenti interfecisse magistrum, quomodo discipulos possent perdere moliuntur, discipulorum crimen esse faciunt virtutem magistri. *Venerunt nocte discipuli ejus, et furati sunt eum.* Plane amiserunt milites, perdiderunt Judæi; sed discipuli magistrum suum, non furto, sed fide; virtute, non fraude; sanctitate, non crimine; vivum, non mortuum sustulerunt : hinc est, quod [a] in Galilæam, ut eum possint videre, mittuntur, quia Deus in loco perfidiæ non videtur. Quod autem dixit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Qui ipse in se sibi dederit, hoc declarat, probante Apostolo, cum dicit : *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* (II *Cor.* v). Filius Dei Virginis filio, Deus homini, divinitas carni contulit, quod semper cum Patre possedit, et Spiritu. Et ideo ait : *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti.* Ut omnes gentes potestas una, eademque [b] recrearet ad salutem, quas crearat ad vitam. *Et ecce,* inquit, *ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Est semper nobiscum, qui cum Patre est semper, et veniet nobis per hoc quod assumpsit ex nobis. Et quid plura, fratres? Quod nascitur, quod patitur, quod resurgit, quod accipit, non est, non est necessitatis suæ, nostræ est hoc salutis.

SERMO LXXXI.

De quinta Christi manifestatione facta discipulis, cum Thomas abesset.

Dum rebellis Judæa Creatorem suum debellare contendit, et in auctoris sui necem levat impias manus, terris abstulit pacem, concordiam rerum solvit, elementorum sic fœdus rupit, ut mundum totum ad chaos [c] revocaret antiquum : denique diem fugat, noctem invadit, lucem tenebris, cœlum rebus aufert, facit tremere terram, miscet mortuos vivis, inferos, superosque confundit, et dissipato ordine in creatoris injuriam pacificum nil penitus, amicum penitus nil reliquit. Hinc est quod reversus ab inferis Christus, ut rebus pacem reddat, exclamat : *Pax vobis. Dum hæc loquuntur,* inquit, *discipuli, Jesus stetit in medio eorum, et dicit eis : Pax vobis.* Bene addit vobis, quia jam terra steterat, dies redierat, sol recurrerat, et ordinem suum compago mundi redditum jam tenebat. Discipulis autem manebat adhuc bellum, et collidebat eos acriter fidei perfidiæque conflictus. Non sic terram, sicut discipulorum cordi turbo concusserat passionis : et ideo animos eorum credulitatis et incredulitatis acies pertinaci dimicatione vastabat : insistebant mentibus eorum cogitationum catervæ, et excursibus desperationis ac spei, robusta licet pectora, rumpebantur. Inter miracula innumerosa signorum Christi, et multimoda passionis ejus genera, inter deitatis insignia, et imbecilla carnis, inter mortis damna, et dona vitæ, discipulorum sensus, mentesque ferebantur : nunc spiritus eorum tollebatur ad cœlum, nunc eorum animæ collidebantur in terram; et in intimis eorum tali procella sæviente, portum quietis nullum, nullam stationem pacis poterant invenire. Hoc videns scrutator pectorum Christus, qui jubet ventis, procellis imperat et solo nutu tempestates tranquillitate commutat, mox eos sua pace confirmat, dicens : *Pax vobis, ego sum, nolite timere.* Ego sum crucifixus ille, mortuus, sepultus. *Ego sum.* Per me Deus, per vos homo. *Ego sum.* Non spiritus in figura carnis, sed ipsa veritas in carne. *Ego sum.* Ego ex mortuis sum vivus, ex inferis sum supernus. *Ego sum,* quem mors fugit, inferna tremuerunt : tartarus Deum confessus est, cum pavescit. *Nolite timere,* Petre, quod negaveris, quod fugeris tu, Joannes, quod deseruistis omnes, quod infidelibus de me totis cogitationibus judicastis, quod adhuc non creditis, me videntes (*Matth.* XXVI; *Marc.* XIV). *Nolite timere, ego sum.* Qui vos per gratiam vocavi, elegi per veniam, pietate sustinui, charitate portavi, et modo vos sola bonitate suscipio, quia culpas videre nescit Pater cum Filium recipit, suos affectio cum resumit. *Conturbati,* inquit, *et conterriti existimabant se spiritum videre.* Quare? quia clausis ostiis [d] intraverat Dominus. Discipuli ergo consternati mœroris somno, dabant Christo non quod

[a] Omnes enim, qui Christum comitati fuerant e Galilæa erant, et e Galilæa profecti ad festum Paschatis.

[b] Solemnis vox apud Patres *creare* pro immutare in melius. Chrysostomus homil. in II Cor. v, 17 : *Creat Deus, quando malum hominem bonum reddit.* Basilius, orat. 4 contra Eunomium; Gregorius Nyssenus, de scopo Christiani tom. I pag. 224; Theodoretus ad II Corinth. v, 17, ibique Theophylactus.

[c] Ex amplificatione dictum, ait Mita; vel quia id tunc eventurum, tot occurrentibus prodigiis, homines verebantur.

[d] At ipsi iidem discipuli fassi erant Christum surrexisse : *vere surrexit Dominus.* Quid ergo nunc spiritum esse credunt? Apposite Chrysologus, quia clausis ostiis intraverat, et nullum adventantis strepitum senserant. Consule Brugensem hic.

potest divina virtus, sed quod natura recipit humana. *Putabant se spiritum videre* (*Luc.* XXIV). Namque spiritus hominis in utero septa transit, penetrat muros, ut clauso corpore intret corpus inclusum : sic anima quando dat vitæ finem, a corporis dulci contubernio cum recedit, domorum claustris, mundanis obstaculis non tenetur : substantia cœlestis terrenis ergastulis nescit includi, juxta illud : *Spiritus nescis unde veniat, aut quo vadat* (*Joan.* III). Discipuli ergo post resurrectionem clausis ostiis Domino ingresso reportasse eum soliditatem corporis non credebant, in imaginem carnis solam rediisse animam suspicantes, ut dormientibus solent corporeæ imagines apparere. *Existimabant se*, inquit, *spiritum videre.* Ergo, sicut diximus, in discipulis non sedabantur cogitationum bella, sed magis magisque cogitationum bella crescebant, et tumultus mentium ipsis etiam visionibus augebatur; et unde resurrectionis asserebatur fides, inde totius cunctationis scrupulus nascebatur. Quod venerat, erat res; quod clausis ostiis intraverat, fides non erat : non erat fides, sed virtus erat; humanum non erat, sed homo erat, ut esset verum corpus in deitatis potentia, [a] non inanis carnis species in resurrectionis injuriam. Ergo ad comprimendos ex hoc nascentes conflictus cogitationum, respondit Christus: *Quid turbati estis? et cogitationes ascendunt in corda vestra?* Bene ascendunt, non descendunt : quia depressæ carnis pondere cogitationes humanæ ad altum Dei mysterium conantur ascendere, et conatibus in ipsis franguntur, ruunt, deponuntur ad terram, nisi ille juverit, qui donat homini cogitare divina. *Quid* C *turbati estis? et cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas et pedes.* Videte, hoc est dicere, Vigilate. Quare? Quia non est somnium quod videtis. *Videte manus meas et pedes.* Quia gravatis oculis caput adhuc respicere non potestis; videte carnis vulnera, quia Dei opera non videtis, considerate [b] inimicorum titulos, quia Dei adhuc non considerastis insignia, palpate, ut vel manus fidem faciat, quia videns oculus, sic cæcatur : oculus non videt, videat tactus; digiti vestri intrent vestigia clavorum, manus vestræ alta vulneris exquirant, aperite manuum foramina, sulcate latus, renovate vulnera, quia negare non possum discipulis ad fidem, quod inimicis in pœnam sævientibus non negavi; palpate, palpate, et usque ad ossa inquisitores ardui pervenite, ut vel ossa D carnis astruant veritatem, et me esse ipsum vel vulnera servata testentur. Rogo quare me resurrexisse non creditis, qui innumeros [c] mortuos sub vestris oculis suscitavi? Nisi forte virtus quæ aliis adfuit, mihi defuit, juxta illam vocem quæ mihi pendenti insultavit [d] in cruce, dicens : *Alios salvos fecit, seipsum salvum facere non potest : si rex Israel est, descendat de cruce, et credemus ei* (*Matth.* XXVII). Et quid est majus, excussis clavis descendere de cruce, aut ab inferis calcata morte conscendere? Ecce et meipsum salvum feci, et ruptis inferni vinculis ad superna conscendi, et tamen neque apud vos fidem meæ deitatis inveni. Aut forte triduana mors abnegat fidem credendi? Nonne quatriduanum Lazarum jam fetentem vobis coram vocavit ab inferis vox mea, mea jussio revocavit ad vitam (*Joan.* XI)? Et si servus quatriduanus surgit, cur triduanus Dominus non resurget? *Adhuc autem illis non credentibus præ gau-* B *dio et mirantibus.* [e] Votiva gaudia et cum data fuerint, vix creduntur; optata cum perveniant, dant stuporem : hinc est quod apostoli resurrectionem Christi celeriorem quam speraverant admirantur; et quod credunt tardius, non est perfidiæ, sed amoris, scrutantes enim taliter fidem non abnegant, sed requirunt; et dum intendunt altius, verum esse quod intuentur exoptant. Fratres, discipulos ad ista tardos, stupidos ad tanta, non perfidiæ timor, sed causæ præstitit magnitudo; visa non videre, nescire scita, credita non credere, non incredulitas facit, sed miraculum singulare. Fratres, ad virtutes natura est nimis infans, quæ nisi per Deum creverit, capere matura non potest, non valet perfecta sentire. Deus ergo quod per nos non possumus, ipse nos capere per se, et sentire concedat.

SERMO LXXXII.

De Christi resurrectione, et quarta manifestatione facta duobus euntibus in castellum.

Quoniam Matthæus sanctus jam nobis quæ de resurrectione Domini cognoverat salutariter indicavit, hodie quid etiam beatus referat Marcus audiamus. *Et cum transisset*, inquit, *sabbatum, Maria Magdalena, et Maria Jacobi et* [f] *Salome, emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum* (*Marc.* XVI). Mulieres hoc loco feminea devotione discurrunt, quæ non ut viventi fidem, sed ut mortuo unguenta deferunt ad sepulcrum, et ut sepulto parant mœroris obsequia, non ut resurgenti divinorum gaudia triumphorum. Mortem Christus, ut mors moreretur, accepit; Christus dum occiditur, illud quod omnes occidebat occidit, sepulcrum D Christus infernum patefacturus intravit. Soluta ergo lege tartari, et inferni carcere destructo, et ipso mortis imperio perempto, jam Christus non est ungendus ut mortuus, sed adorandus ut victor. Mulieres [g] perno-

[a] Locum illum evangelistæ inferius positum : *spiritus ossa et carnem non habet*, aliter a cæteris Christianis interpretabantur Marcionitæ : ex eoque colligebant, Christo resurgenti non fuisse verum corpus, sed imaginarium. Tertullianus lib. VI, contra Marcionem : *Vult itaque sic dictum, quasi spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habentem : Id est non habentem ossa, sicut spiritus.*

[b] Signa et characteres vulnerum, quæ Gregorius Magnus, homil. 26 in Evang. vocavit *vestigia vulnerum;* et inferius Chrysologus, *vestigia clavorum.*

[c] Qui facile numerari non possunt, explicat Mita. Adhuc autem dubitasse apostolos, mentemque eorum fluctuasse, ut ait Chrysostomus homil. 83, et alii quoque sentiunt.

[d] Ms. Bonon. *In cruce dicens : Vah! vah! alios*, etc.

[e] Ea gaudia vocantur votiva, quæ multis votis fuerunt expetita; de hac voce multa commentatur Gothofredus ad l. 1 Codicis Theodosiani.

[f] Ms. Bonon., *Salomene.*

[g] Hoc Chrysologi loco conciliari possunt evangelistæ. Dicendum enim est pias feminas in ipsis sabbati vesperis, scilicet post solis occasum, elapsa solemnitate, Matth. XXVIII, 1, emisse aromata, exisse

etant, vigilant, insomnes agunt, obscura penetrant erumpentis auroræ : unde etiam lucem dubiam non minus cordis videntur sustinere quam corporis. *Et valde mane*, inquit, *una sabbatorum, veniunt ad monumentum orto jam sole.* Si valde mane, quomodo orto jam sole ? Sic nescit evangelista quid dicat ? Evangelista quid dicat scit, sed quid audiat, qui non didicerit nescit, non est erroris ista relatio, veritatis est : nec lapsum patitur sermonis humani, sed rei gestæ cœlitus aperit veritatem. Dixerat : *Ab hora sexta, usque ad horam nonam tenebræ factæ sunt* (*Marc.* XV) ; ergo [a] sol qui præter horam ut Domino competetur abscesserat, claritate cum resurgeret Dominus ante tempus occurrit : et qui ut suo commoreretur auctori, ipsam meridianam suam mortificaverat claritatem, ut consurgeret auctori suo, evictis tenebris, antelucanus erupit. *Valde mane.* Quia tunc sol ut mane faceret [b] manicavit ; et qui ante noctem fugerat, nunc ipse noctem prævenit fugaturus, ut reddat luci nox horas quas terror Dominicæ passionis invaserat. *Dicebant*, inquit, *ad invicem : Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti ?* Ab ostio monumenti, an cordis ? a sepulcro, an ab oculis ? Mulieres, obseratum est pectus, oculi sunt clausi : et ideo patefacti sepulcri gloriam non videtis, oleum non corpori Dominico, sed lucernæ cordis vestri, si videre desideratis, infundite, ut luce fidei pateat quod clauditur incredulitatis obscuro. *Et respicientes*, inquit, *viderunt lapidem revolutum, erat quippe magnus valde.* Plane magnus, et magnus valde, et plus jam magnus merito quam forma, qui creatoris mundi corpus et claudere et operire suffecit. *Et introeuntes monumentum, viderunt juvenem sedentem a dextris, coopertum stola candida.* Introierunt sepulcrum, ut consepultæ Christo, Christo consurgerent de sepulcro, et impleretur illud Apostoli : *Consepulti estis ei in baptismo, in quo et resurrexistis* (*Colos.* II). Vident juvenem, ut cernerent nostræ resurrectionis ætatem ; vident juvenem, quia nescit resurrectio senectutem, neque ætates recipit æterna perfectio. Homo ubi nescit nasci, mori nescit ; et ubi nasci morique nescit, ibi ætatum nec admittit detrimentum, nec indiget incrementis. Vident juvenem sedentem a dextris, quia resurrectio recipit nil sinistrum. *Vias*, inquit, *quæ a dextris sunt, novit Dominus* (*Prov.* IV *juxta LXX*). Et, *Tunc statuet justos ad dexteram suam* (*Matth.* XXV, *juxta LXX*). Orate, fratres, ut et nos moriamur vitiis, sepeliamur temporalibus pompis, ut æternitati resurgamus in Christo, et a dextris positi mereamur audire : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV). *Coopertum stola candida.* Stola ista non ex mortali vellere, sed ex virtute vitali ; splendens cœlesti lumine, non colore terreno ; et clara Creatoris munere, non arte fullonis, dicente Propheta : *Amictus lumen sicut vestimentum* (*Psal.* CIII), et de justis : *Tunc justi fulgebunt sicut sol* (*Matth.* XIII). Terreni terrenis velati sunt vestimentis ; et ideo sicut novitate splendent, ita vetustate sordescunt : cœlestes vero amictu cœlestis luminis ambiuntur, et a terreno squalore suspensi, nec fœdantur vetustate umquam, nec ullis sordibus obscurantur ; sed vestes quas semel dederit resurrectio, perpetuo lumine vestiuntur. *At illæ exeuntes de monumento, fugerunt ; invaserat enim illas tremor et pavor.* Angelus sedet in monumento, de monumento fugiunt mulieres ; quia ille de cœlesti substantia confidit, turbantur istæ de conditione terrena. Sepulcrum qui mori non potest timere nescit ; mulieres autem et de facto tremunt, et sepulcrum sicut mortales adhuc mortaliter expavescunt : hinc est quod nemini quidquam dicunt. *Et nemini quidquam dixerunt.* Quia mulieribus audire, non loqui datum est ; discere datum est, non docere, dicente Apostolo : *Mulieres in Ecclesia taceant* (I *Cor.* XIV). Denique eadem Maria postea et vadit, et nuntiat, sed jam non feminam, sed Ecclesiam gestans, ut ibi sicut femina taceat, hic ut Ecclesia enuntiet et loquatur. *Post hæc*, inquit, *duobus ex his ambulantibus ostensus est.* Quare non tribus, quare non quatuor, sed duobus ? Quia duobus populis, id est, gentibus et Judæis, resurrectionis fides hic prædicanda monstratur : unde, sicut diximus, probatur in duabus feminis, [c] ut in discipulis duobus Ecclesiam unam figurari. *Ostensus est in alia effigie.* Nemo putet Christum sua resurrectione sui vultus effigiem commutasse, ut qui in vulnere erat ipse, alter esset in vultu ; [d] sed mutatur effigies, dum efficitur ex mortali immortalis, et ex corruptibili incorruptibilis, ut hoc sit mutasse substantiam, non mutasse personam, et acquisivisse vultus gloriam, non vultus notitiam perdidisse. Et ne festinus sermo aut fugiat, aut transvolet quæstiones, quod sequitur proximo sermone, Domino revelante, innotescamus.

SERMO LXXXIII.

De nona Christi manifestatione facta recumbentibus undecim discipulis.

Hodie beatus evangelista sic retulit apostolos in

extra urbem, ibique aliquo quodam loco noctem insomnes egisse, ut primo statim alterius diei diluculo venientes ungerent Jesum : et viæ se dantes, ante solis ortum, Lucæ XXIV, 1, ad sepulcrum pervenisse.

[a] Ex ms. Bonon. : *Sol qui ea hora qua Dominus pateretur abscesserat, ut conresurgeret Domino, ante tempus occurrit.*

[b] Lucæ XXI, 38. *Et omnis populus manicabat ad eum.* Petrus Damianus, lib. VI, epist. 31 : *Decadente crepusculo mox ad hominem properans manicavit.* Vocem barbaram quidam negant esse, licet Augustinus, quæst. 46, in lib. Judic., eam apud Latinos scriptores occurrere neget. Apte ea utitur Chrysologus, utpote a *mane* deducta, ut iter matutinum designet : unde *manicationes*, *ad manicationes*, *ad matutinum*, in concilio Turonensi 2, cap. 18 ; *et manicationes festivitatum* apud Haimonium, lib. IV Histor. 81. Du Cangius in Glossario hic laudat verba Chrysologi.

[c] Ex Latinio ; editi, *aut.*

[d] Pristina ei erat effigies, at gloriosior et pulchrior, inquit Brugensis. Christum pristinam effigiem retinuisse, vel ex eo liquet, quod discipulis opus erat ut eum oculis agnoscerent. Ita optime puto Marcum cum Luca conciliari. Locus hic ita habetur in ms. Bonon. : *Unde, sicut diximus, probatur sic in duabus feminis ut in populis duobus Ecclesia una figurari, ostensus est se in aliam effigiem commutasse.*

ipso crucis tempore [a] mensis deditos inhiantes epulis, conviviis occupatos, Dominicæ passionis oblitos. *Recumbentibus*, inquit, *illis undecim, apparuit Dominus* (*Marc.* XVI). Recumbentibus, ubi? ad sepulcrum Domini, mox ad mensam servi? Hæc est servorum fides? hæc discipulorum charitas? hic Petri ardor? hæc est Joannis de ipso Christi pectore assumpti dilectio? hæc est tanto tempore, tantis donis, virtutibus tantis, affectio conquisita, ut [b] in ipso articulo passionis, calente adhuc morte, recenti adhuc funere, exsultantibus inimicis, insultante Judæa tota, discipuli [c] toto tori cultu, totaque discumbentium voluptate pranderent? [d] Moysi mortuo assistunt angeli (*Judæ* 9), agit sepulcri curam Deus ipse: Judaica castra sistuntur, dissimulatur iter, horrida eremi statio duratur, indicitur triginta dierum planctus, et longo lamentationis obsequio servile funus honoratur (*Deut.* XXXIV); et Christus verus unus Dominus, creator rerum, redemptor omnium, post illam tragicam passionem, post mortem, et mortem crucis, triduanus a discipulis lacrymas non meretur? Terra tremit, turbatur tartarus, scinduntur saxa, monumenta dissiliunt, sol fugit, dies sepelitur, fit nox totum, et soli discipuli alto • sigmate, choro uno, toto otio, deliciis securi epulantur; et hoc, fratres, reversus ab infernis ipse sic magister invenit: *Recumbentibus ergo illis undecim, apparuit Dominus et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse non crediderant?* Ad hæc, Petre fidelis, Petre devotissime, quid dicemus? *Recumbentibus illis.* Numquid prandentibus? Fratres, hoc [f] non erat discumbere, sed jacere; nec convivii erat chorus ille, doloris erat ille conventus; ibi panis non erat gaudii, sed mœroris; ibi crucis felle, non vini dulcedine pocula miscebantur. *Erant*, inquit, *clausi propter metum Judæorum* (*Joan.* XX). [g] Si metuentes, si clausi, certe non prandentes; et si non prandentes, non erat domus illa, sed carcer; illud sigma non erat, sed sepulcrum: tunc tota ad discipulos pœna Dominicæ transierat passionis; et non solum lateribus eorum, sed et cordibus doloris lancea tota figebatur; tunc tristitiæ clavis affixæ manus eorum, pedesque tenebantur; tunc illis acetum, tunc fel amaritudo Judaica propinabat; tunc illis sol occidit, dies fugit; tunc illorum mentes animasque nox profundissima possidebat; tunc illos in perfidiæ scopulos, in naufragium fidei cogitationum tentatio sævissima collidebat; tunc desperatio, quæ est inter omnia mala pejor, et in adversis venit semper extrema, funereis illos sternebat sepulcris. Unde, sicut diximus, non discumbentes, non epulantes eos Dominus, sed jacentes invenit, sed sepultos: et ideo exprobrat incredulitatem eorum, quia tantum crediderant desperationi, ut resurrectioni prædictæ a Domino nil crederent, [h] a servis non crederent nuntiatæ; atque in se nihil fidei relinquerent et salutis, sed sæculo mortui, sepulti mundo, unam domum illam, unum sibi esse omnes crederent jam sepulcrum. Hinc est quod eos Dominus videns exemisse se mundo, ad mundum revocat, remittit in mundum, dicens: *Ite in mundum universum, prædicate Evangelium universæ creaturæ.* Venite in mundum, ut qui putatis vos in uno omnes domicilio jam jacere, subjacere vobis omnem mundum repente videatis. *Venite in mundum universum, prædicate Evangelium universæ creaturæ.* Hoc est dicere, estote vos spes omnibus, qui vobis ipsis desperationis causa fuistis; et incredulitas vestra quanta sit tunc probate, cum videritis auditui vestro mundum credere, qui credere vestro visui non potuistis; et cordis vestri quanta sit duritia tunc scitote, cum senseritis, non viso me, orbe toto gentes ferocissimas me fateri, quem positum vestris in oculis vos negastis. Videbitis in terra divisos, clausos insulis, pendentes rupibus, solitudine remotos, [i] magorum sciolos, [j] Græcorum querulos, [k] Romanorum peritos fidem fide sola quærere, quam manu, digito, sulcatis meis vulneribus vos quæsistis. Sed quia meæ Passionis, meæ mortis, meæ resurrectionis vos mitto testes, altius vos ista perscrutatos esse concedo, dummodo [l] cunctatio vestra fiat eis qui

[a] Ms. Cæsenæ, *mensis detentos.*

[b] Id fuit ipsa die Dominicæ resurrectionis, ut habent Euthymius et Theophylactus. MITA. — Verosimile est hanc eamdem manifestationem esse, quam Joannes commemorat, licet Thomas abesset, sed collegium apostolicum eo numero constabat. Sic ante casum Judæ collegium duodecim vocabatur. Vide Duhamelium hic, et Maldonatum.

[c] Tori in quibus sternebantur mensæ toto cultu ornabantur: qua de re vide late disserentem Philonem de Vita Contemplativa, et Senecam de Brevit. vitæ, cap. 12. Chrysologus autem fortasse credidit discipulos eodem usos fuisse cœnaculo quo Christus in ultima cœna. Erat enim jam stratum. Tuetur hanc sententiam Grotius.

[d] Vide dissertationem eruditissimi Calmeti de obitu et sepultura Moysis, ad Epistolam Judæ, Dissertationum tom. II pag. 304, edit. Lucen.

[e] De sigmate, alias observatum est mensam significare.

[f] Merito plane se retractat Chrysologus. Nam discipuli *recumbentes*, id est *sedentes* una simul erant, non cœnantes, cum eis Christus apparuit, licet hoc tempore cœnæ contigisset, cum paratum habebant cibum, cujus comestione Dominus veritatem resurrectionis suæ probare voluit, inquiunt Brugensis et Maldonatus; vel juxta alios in fine cœnæ, eis non tam comedentibus quam confabulantibus cum duobus illis qui Emmaunte redierant.

[g] Tuetur hic Chrysologus sententiam opinantium hanc eamdem fuisse manifestationem de qua Joannes. Vide supra num. 2.

[h] Augustinus etiam lib. III de Consens. Euthymius, Brugensis, Grotius, scribunt Christum redarguisse apostolos, quod Mariæ Magdalenæ, Petro, et duobus discipulis Emmaus, aliisque tam multis visum a se redivivum affirmantibus non crediderunt.

[i] Astrologus enim omnia scire præsumit, dum omnia nescit.

[j] Si ariolari licet, Græci vocantur *queruli*, quia multiloqui; vel, ut habet Œcumenius in Epistola Judæ 16, pag. 250: Μεμψίμοιρος, *qui omnia et semper cavillari studet.* Hesychius autem Μεμψίμοιρος vertit *querulus.*

[k] Quia longo usu in rebus humanis exercitos. MITA.

[l] Dubitationes apostolorum vos magis firmant. Radulphus Ardentius, homil. 69: *Ne nos dubitaremus*

vobis credituri sunt firmamentum. *Qui crediderit*, inquit, *et baptizatus fuerit, salvus erit.* Fratres, quod est anima corpori, hoc est baptismati fides : hinc est, quod qui generatur ex fonte, ex fide vivit : *Justus*, inquit, *ex fide vivit* (*Rom.* I). Moritur ergo omnis quicumque fuerit sine fide. *Qui crediderit.* Quia Trinitas Deus unus est, quia in Patre et Filio et Spiritu sancto una est tota æqualitate majestas, quia Deitas [a] Trinitate distincta est, non est unitate confusa, sed Deitate una est, est trina personis; quia Deus Trinitatis nomen est; quia Pater et Filius non censendi sunt ordine, sed æstimandi sunt charitate; quod Spiritus sanctus non est habendus inferior, plus, minusve, non ut exterior habendus est plus, minusve, quia nescit exteriora Divinitas; quia Christus sic homo factus est ut quod Deus est permanet, sic est mortuus ut mortuos totis sæculis sua resuscitaret ex morte; quod non sibi resurrexit ille, sed nobis; quod nos cœlo intulit, dum se sustulit cœlo; quod sedet [b] ad auctoritatem Judicis, non ad requiem fatigati; quod veniet non loco, qui ubique est ad movendum, neque ut mundum suum teneat, qui totum possidet mundum, sed ut mundus jam semper visionem sui mereatur auctoris. Credat homo etiam peccatorum remissionem, quia cœlestis regio cum sit latissima, non capit peccatorem; neque de suorum desperet homo magnitudine peccatorum, quia si est, quod Deus donare non potest, omnipotens non est. Credat et carnis resurrectionem, ut sit homo ipse [c] qui resurgit, ut accipiat ipse qui peccat pœnam, ipse præmium qui laborat. Credat æternam vitam, ne locum habeat mors secunda. Quod autem de humanis corporibus dæmones, id est, hostes effugantur antiqui; quod ex uno ore varius effunditur sermo linguarum; quod [d] tacti per Christum nesciunt sua venena serpentes; quod venenata pocula bibentes non valent nocere per Christum; quod morbi corporum fugantur Christum prædicantis ad tactum, est, fratres, summum credulitatis indicium. *Signa*, inquit, *credentes hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si quod mortiferum biberint, non nocebit eis; super ægros manus imponent, et bene habebunt.* Homo ergo, esto tibi per fidem medicus, ne cogaris extraneis medicis tuo dispendio subjacere, et [e] chare quod gratis possides comparare. Orate, fratres, ut et in præsenti medicinam semper fidei sentiamus, et in exspectatione Christi positi in adventu ejus securi de nostra conscientia gloriemur.

SERMO LXXXIV.

De quinta Christi manifestatione facta discipulis, cum abesset Thomas, deque sexta, cum adesset.

Diebus quadraginta, quibus post resurrectionem suam Dominus diverso modo refertur, et creditur suis apparuisse discipulis, haud immerito sermone ipsis lectionibus, ipsis deservit, et nititur sacramentis, ut Dominicæ Passionis mœrorem multiplici resurrectionis indicio perfectum vestræ charitatis convertat in gaudium; et qui ante per virtutem suam nostro resurrexit in corpore, nunc etiam per fidem nostris resurgat in cordibus. *Et cum esset sero die illa una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, et stetit in medio eorum* (*Joan.* XX). Cum esset sero : erat plus mœrore quam tempore, sero est mœroris et tristitiæ nubilo mentibus obscuratis. *Sero erat.* Quia etsi crepusculum dederat aliquod resurrectionis indicium, necdum tamen eis Dominus refulserat plena sui luminis claritate. *Et cum fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum.* Magnitudo terroris et facinoris tanto turbine discipulorum [f] domum simul et corda concluserat, et ita totum luminis abdicarat ingressum, ut magis magisque mœrore sensibus occupatis cæca noctis augeretur offusio. Nullæ noctis tenebræ caligini mœroris et formidinis comparantur, quia nullo possunt aut consolationis aut consilii lumine temperari. Audi prophetam : *Timor et tremor venerunt super me, et operuerunt me tenebræ* (*Psal.* LIV). *Et cum fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, et stetit in medio eorum.* Rogo, cur dubitatur clausi corporis arcanum, et obseratum tota integritate domicilium virginale absoluta Divinitas potuisse penetrare, quæ post resurrectionem corporis nostri [g] crassata mysterio, [h] foribus ingreditur

ideo eos ad tempus incredulos esse voluit. Vide notam 17 serm. seq.

[a] In editis, *divisa.* Supra diserte dixerat serm. 60 : *Personis Trinitas distincta est, non est divisa.* Quod etiam innuit serm. 88. Unde textus corruptus creditur incuria scriptorum. MITA.

[b] Quod post ascensionem dicatur *Christum sedere ad dexteram Patris*, explicatur a priscis theologis officium in eo Judicis indicari. Vide Gregorium Magnum pag. 119 edit. Paris. hom. 29 : *Quid est, quod hunc Marcus sedentem, Stephanus vero stantem se videre testatur? Sed scitis, fratres, quia sedere judicantis est; stare vero pugnantis, vel adjuvantis.*

[c] Hæc desunt in plurimis editionibus.

[d] Consonant verba Græca ὄφεις ἀροῦσι, *angues tractabunt, vel manibus tollent.*

[e] Non vili, sed magno pretio.

[f] Ob similem timoris causam clausis januis convenire solitos fuisse apostolos edocemur, Act. XII, 13.

[g] Hoc est divinitas humanitati juncta. *Absoluta Divinitas*, hoc est simplex Deitas. Notandum quod persona Christi, præcise et secundum se considerata, est quidem omnis compositionis expers; persona autem Christi considerata ut subsistens in natura humana, seu ut est terminus resultans ex unione, non est simplex, sed composita, sicuti ipsa unio Incarnationis est vera compositio, ut rationibus et auctoritatibus post alios theologice docet Bonaccina de Incar. disput. 2 qu. 5 punct. 3. MITA.

[h] Cyrillus Hierosol. : *Nemo quærat quomodo januis clausis corpus Domini penetravit, cum intelligat non de homine nudo, sed de omnipotenti Dei Filio hæc scribi.* Calvinus, Clericus, aliique hujus commatis homines, interpretantur hunc locum, quasi Christus ingressus sit ipso sibi recludente fores. At si ipse Christus fores aperuit, quomodo scribit evangelista ipsum intrasse januis clausis? Reponent : Verba hæc cum *fores essent clausæ* tempus notare quo ingressus est, *in vesperis* scilicet, cum fores clauduntur, non autem modum quo ingressus est. At id jam adverterat evange-

et egreditur clausis, talique indicio se totius creaturæ demonstrat auctorem, cui non obsistit, cui deservit ad omnia creatura? [a] Sed si conceptum partumque virginitas excusare suo nescit creatori, si ingressum egressumque clausa janua creatori suo non potest denegare, quemadmodum lapis monumenti, quamvis magnus, quamvis Judaica malitia obsignatus, resurgenti poterat obsistere Salvatori? Sed sicut virginitas et janua claustris suis fidem faciunt deitatis, ita revolutus lapis fidem resurrectionis affirmat, qui nullum [b] revolutus Domino suo præparavit egressum, sed nocte fidei præstat et admittit ingressum. *Venit Jesus, et stetit in medio eorum : et dicit eis, Pax vobis.* Discipulorum corda fidei et dubitationis, desperationis et spei, defectus et magnanimitatis, continui conflictus prælia sustinebant; talium ergo cogitationum bella inspector prævidens, secretorum pacem primitus se videntibus reddit, ut qui taliter ablatus materiam reliquerat confligendi, redditus oculis eorum causam totam certaminis amputaret. *Gavisi sunt*, inquit, *discipuli viso Domino.* Gavisi sunt : quantum post tenebras gratior lux est, serenitas post tempestatis obscura, tantum est acceptius gaudium post mœrorem. *Dicit eis iterum, Pax vobis.* Quid repetitæ pacis largitas ista manifestat, nisi quia quietem, quam sensibus indixerat singulorum, vult etiam inter eos repetitæ pacis donatione servari : quos utique non modica habituros esse noverat in posterum de sua cunctatione certamina, dum unus se in fide perstitisse jactaret, dubitasse alter mœreret. Ut ergo et arrogantis jactantiam tumoremque resecaret, et ejus qui infirmatus fuerat sanaret et excluderet passiones, causæ, non discipulis, quidquid acciderat pius moderator ascribens, imperio pacis suæ bella nascitura compressit : ne alter alteri improperaret, quod ipse cui totum debebatur, donaverat in futuro. Petrus negat, Joannes fugit, Thomas dubitat, cuncti relinquunt (*Matth.* XXVI, *Marc.* XIV, *Joan.* XX) : quibus nisi pacem suam Christus dedisset, et Petrus qui primus erat omnium putaretur inferior, et sequens A indebite forsitan tolleretur adversus primum. *Sicut misit me Pater, sic et ego mitto vos.* [c] Missi sermo non minorat Filium, sed declarat, quia non mittentis potestatem hic, sed [d] missi voluit intelligi charitatem, cum dicit : *Sicut misit me Pater.* Non Dominus, sed Pater. Sic et ego mitto vos. Non auctoritate adhuc jubentis, sed toto diligentis affectu : mitto vos ad tolerantiam famis, ad onera vinculorum, ad squalorem carceris, ad perferenda omnia genera pœnarum, ad sublevandum cunctis exsecrabile mortis jugum, quæ omnia charitas utique humanis mentibus imperat, non potestas. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* [e] Dedit potestatem remittendi peccata, qui insufflatione sua infudit ipsum cordibus eorum et largitus est Remissorem. *Hæc cum dixisset, insufflavit eis, dicens : Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ubi sunt qui per homines hominibus remitti peccata non posse præscribunt; [f] qui semel diabolica impulsione collapsos opprimunt, [g] ne se erigant, qui languoribus curam vulneribus crudeli spiritu subtrahunt negantque medicinam; qui peccatoribus redeundi desperationem [h] impie insultant? Remittit Petrus peccata, et toto cum gaudio suscipit pœnitentes, [i] atque omnibus sacerdotibus hanc a Deo concessam amplectitur potestatem, qui post negationem nisi pœnitentiam repetisset, apostolatus gloriam et vitam pariter perdidisset. Et si Petrus per pœnitentiam rediit, quis sine pœnitentia subsistit? *Thomas autem cum audisset a condiscipulis suis, quod vidissent Dominum, respondit : Nisi videro fixuram clavorum, et misero manum meam in latus ejus, non credam.* Cur Thomas [j] vestigia fidei sic requirit? cur tam pie patientem, tam dure discutit resurgentem? [k] cur ea vulnera, quæ manus infixit impia, devota dextera [l] sic resulcat? cur latus, quod impii militis lancea patefecit, refodere manus nititur obsequentis? cur dolores persecutorum furoribus irrogatos, famulantis curiositas renovat immitis? cur tormentis Dominum, cur pœnis Deum, cur cœlestem medicum probaturus de

lista : *Cum sero esset.* Inutilis ergo hic notaretur pleonasmus. Falsa autem et futilia hæc commentantur, quia locus hic argumento erat Catholicis, veram Christi præsentiam in eucharistia asserentibus, eoque, licet non invicto, ad eam astruendam utebantur.

[a] Alias, *quod si conceptum.*

[b] Ita correxi ex ms. Cæsenæ, ubi prius erat *resolutus.* Sed corrupte. Non enim angelus revolvit lapidem, ut Christus resurgeret, sed postquam resurrexit ex clauso sepulcro angelus revolvit lapidem, ut viderent homines Christum amplius non jacere in sepulcro : propterea revolutus lapis ab ostio monumenti discipulos in fide resurrectionis Christi obfirmavit. Aliud ms. legit, *resignatus.* MITA.

[c] Hæreticos notat, qui ex hoc Evangelii loco Patre Filium minorem impie ausi sunt effutire. Arius et Arianorum filii.

[d] Vide Gregorium M., homil. 27 pag. 116, tergo, col. 1.

[e] Unus Patrum, conciliorum et totius Ecclesiæ consensus est, Christum hic apostolis facultatem remittendi peccata communicasse.

[f] Hæresim Novatiani tangit, qui quondam lapsis veniam denegabat. Vide notam VII serm. 94.

[g] Alias, *ne resurgant.*

[h] Sic ex editione Mitæ. Aliæ, *peccatoribus remittendi et redeundi desperatione impia resultant.* Quid si legendum : *Redeundi desperationem impie inculcant?*

[i] Hæc sensere Patres, concilia et omnes catholici enarratores. Vide Tridentinum sess. 14 can. 3; et Patres apud Bellarminum, de Pœnitentia; Menochium, Brugensem, etc.

[j] Quod Græce τὸν τύπον, *locum clavorum*, noster non inepte, *vestigia fidei.*

[k] Negat Clericus in notis ad hunc Evangelii locum exstitisse in pedibus cicatrices, eo quod in eis clavi infixi non fuerint. At tota reclamat antiquitas, apud quam non dubitatur, pedes etiam Christi clavis fuisse transfixos. Quæstioni solummodo datur, an uno tantum, vel singulis in singulos pedes. Drusius, Clerico non ingratus scriptor, ait Christum crucifixum quaternis clavis, singulis per singulas manus, et singulis per singulos pedes. Ad Clericum quod spectat, nullis contra eum egemus testibus, dicente Luca Christum Thomæ quærenti vestigia vulnerum ostendisse tum *manus*, tum *pedes.*

[l] Alia lectio habet : *sic investigat.*

vulnere discipulus sic requirit? Cecidit potestas diaboli, patefactus est carcer inferni, disrupta sunt vincula mortuorum, moriente Domino sunt evulsa monumenta, et resurgente Domino tota mortis est mutata conditio. Ab ipso Domini sacratissimo sepulcro lapis revolutus est, linteamina resoluta sunt, et resurgentis ad gloriam mors fugit, vita rediit, caro amplius casum nescitura surrexit : et cur tibi soli, Thoma, sola vulnera præsentari ad indicium fidei, nimis callidus explorator, expostulas? quid si ista cum aliis abolita fuissent, quod periculum fidei tuæ [a] curiositas ista peperisset? Nulla pietatis monumenta, nulla Dominicæ resurrectionis inveniri æstimas potuisse documenta, nisi manibus tuis sulcares Judaica crudelitate exarata sic viscera? Quæsivit, fratres, pietas ista, exegit ista devotio, ut resurrexisse Dominum nec ipsa in posterum [b] dubitaret impietas. Sed Thomas non solum [c] cordis sui, sed omnium hominum curabat incertum : et prædicaturus hæc in gentibus, quemadmodum tantæ fidei astrueret sacramentum exsecutor strenuus perquirebat. Certe prophetia magis quam cunctatio fuit. Nam cur talia peteret, nisi a Domino [d] ad indicium resurrectionis suæ servata sola vulnera prophetali spiritu cognovisset? Denique sponte præstitit cæteris, quod iste tardius implorat. *Venit*, inquit, *Jesus et stetit in medio et ostendit eis manus et latus*. Nam qui ingressus fuerat clausis ostiis, et merito a discipulis spiritus esse putabatur, non aliter ipsum se, nisi ipsa corporis passione, ipsis vulnerum notis, taliter dubitantibus poterat approbare. *Denique venit et dicit Thomæ : Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis*. Ut effundant toto orbe, [e] iterum te aperiente, hæc vulnera fidem, quæ [f] aquam in lavacrum, sanguinem in omnium pretium jam fuderunt. *Respondit Thomas et dixit : Dominus meus et Deus meus !* Veniant et audiant hæretici : et, sicut dixit Dominus, non sint increduli, sed fideles. Ecce non solum corpus humanum, sed per pœnalis corporis passiones, [g] Deum et Dominum esse Christum, Thoma vociferante, manifestat. Et vere Deus est, qui vivit ex morte, resurgit ex vulnere : quia talia et tanta cum susceperit, vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[h] SERMO LXXXV.

De ingressu Christi in templum, et Judæorum admiratione.

Etsi aliqua videntur occulta sui profunditate mysterii, nulla tamen est Ecclesiastici cultus infructuosa solemnitas : divina festivitas non pro nostris est voluntatibus consecranda, sed pro suis est percolenda virtutibus. Christianus animus quæ sunt traditione Patrum, et ipsis roborata temporibus, nescit in desperationem deducere, sed venerari ea toto desiderat devotionis eloquio. *Jam die festo*, ait, *mediante, ascendit Dominus in templum* (*Joan.* VII). Quod templum? *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* (I *Cor.* III)? Ascendit hodie Dominus nostri pectoris in templum, qui tam clementer nostri corporis descendit in formam : quod autem ascensus Dei fit in humani cordis excelso, beatus propheta asserit, cum decantat : *Beatus vir cujus est auxilium abs te, Domine, ascensus tui in corde ejus* (*Psal.* LXXXIII). *Jam die festo mediante, ascendit Dominus in templum*. Merito die festo mediante ascendit Dominus in templum, quia nobis erat perfectum diem festum præstaturus e cœlo : quidquid sublime, quidquid ad cœlum tendens in cordibus habebatur humanis, usque ad infernum Dominicæ pondus incurvaverat Passionis. Id namque est quod Christus quadraginta diebus residet et remoratur in terris : et, si dici fas est, Patris occursum differt, Patris suspendit amplexum, donec totum se [i] revelet, et [j] reformet suæ ascensionis in gloriam. In cujus ergo templo hic non ascenderit Christus, cœlum non ascendet ille cum Christo. *Ascendit in templum, et docebat, et mirabantur Judæi, dicentes : Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Bene mirantur Christum, quod non didicerit scire, quando ipsi probantur quæ didicerint et doceant legis præcepta nescire, dicente Domino : *Tu es doctor in Israel, et hæc ignoras* (*Joan.* III)? Mirantur Judæi jam rebelles, nolunt credere : mirari norunt, detrectant

[a] Hoc eodem vocabulo de Thoma loquens utitur Gaudentius, serm. 16 pag. 189.

[b] Gregorius, homil. 26 in Evangelio : *Plus nobis Thomæ infidelitas quam fides discipulorum profuit, quia, dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita solidatur*. Gaudentius, l. c. : *Quod avidius et videre, et attrectare Dominum perquisivit, hoc totum nostræ procurabatur saluti*.

[c] Conveniunt, licet non omnes, Thomam Jesu Christi divinitatem nondum credidisse, et adhuc stetisse in ambiguo, eum sua virtute a mortuis surrexisse.

[d] Docent etiam Hilarius et Leo ideo Christum in corpore suo glorioso, vestigia vulnerum retinuisse, ut constaret idem corpus resurrexisse quod fuerat crucifixum.

[e] Dubitavere nonnulli, Augustinus etiam et Beda hic, an revera S. Thomas Christi vulnera pertractaverit. Negat Euthymius; asserunt Patres et interpretes plerique; Augustinus hic, et serm. 158; Tertullianus adversus Praxeam; Bernard. serm. 5 in Cantic.; et alii apud Calmetum ad hunc locum.

[f] Plures sane interpretes consentiunt Chrysologo, per aquam baptismum, per sanguinem redemptionem mystice fuisse designatam.

[g] Nunc primum Dei appellatio Jesu Christo tributa legitur in Evangelio. Concilium Constantinopolitanum IV anathematis notam Theodoro Mopsuesteno inussit, verba hæc Thomæ ita interpretanti, ac si terrore et stupore prodirent, et Deum Patrem, ut debita illi gloria de tanto prodigio referretur, non Christum respicerent. Noster autem naturas in Christo impermixtas docet disertissime contra Nestorium et Eutychen.

[h] Sermo hic in nonnullis editionibus inscribitur, in illud Joannis : *Jam die festo mediante*.

[i] S. Leo, serm. 1 : *Quod Christus quadraginta dierum spatio differt ascensionem, ut Dominus Jesus vere agnosceretur resuscitatus, qui vere erat et natus et passus, et mortuus*.

[j] Iterum formatur Christus in mentibus ipsorum, ille idem qui prius erat ante mortem, Deus, scilicet et homo in unitate suppositi. MITA.

sapere, [a] nescire possunt. *Mirabantur Judæi, dicentes : Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Quid virgo peperit derogas, non miraris; quod Deus nostro [b] sentit et operatur in corpore abrogas, non fateris; quod cæcus videt, surdus audit, claudus currit, surgit mortuus, et tota Christus arcana Dei loquitur, non miraris? hoc solum quod sciat cum non didicerit, hoc miraris? Hic est ipse qui non didicit litteras, sed donavit; hic est qui sensum condidit, per quem litteræ finguntur; peritus legis, auctor omnium cur litteras non didicerit, admiratur? Deus utique adest origo cunctorum, qui facit esse quod non fuit; cum non didicerit, docet.

[c] *Deesse videntur non pauca.*

[d] SERMO LXXXVI.

De annuntiatione et conceptione D. Joannis Baptistæ.

Mundanus sermo, ut humano profertur ex sensu, humanis servit et obsecundat ingeniis; divinus vero sermo in potestate dantis est, non dicentis. Audistis quemadmodum Zacharias ille [e] summi sacerdotii splendor dum exorat, obmutuit; tacuit pater vocis, *Ego*, inquit, *vox clamantis in deserto* (*Joan.* I); genitor clamoris obmutuit; et egressus silentium retulit, qui [f] responsa relaturus intraverat. Videtis ergo quia silentium meum, quod antea contristavit vos, venit [g] de antiquo pontificali usu, non de novitatis incursu. Ille ubi sensit linguæ suæ vincula sui januam clausisse sermonis, imperavit nutu ne quis causas taciturnitatis inquireret, quia cœleste mysterium dicere non didicerat, qui didicerat scire : sed hoc ad tempus, quia sacerdotis differtur sermo, non aufertur; recondítur, non negatur; mysterio suspenditur, non fugatur. Denique Zacharias ipse quod tacet, non est pœna, sed signum; non est terrena debilitas, sed cœleste secretum; Deus qui loqui dat, tacere facit; et imperat silentium, qui inserit verbum; dominatur divinus sermo, non servit, quia Deus verbum; et ideo non cum jubetur loquitur, sed cum jubet; non cum exigitur, sed cum donat; non cum cogitur, sed cum venit. Unde, fratres, et cum venit audite, et cum non venit sustinete, et cum se donat accipite, et cum se negat orate; quia hoc doctor accipit, quod meretur auditor. Ergo tam vobis quam mihi [h] præteritus suspensus est sermo, ut profluvium mulieris, et verecundi vulneris causam, et illius pudorem sic nostra verecundia celaret, ut quod illa tacuit, etiam nostro silentio clauderetur (*Matth.* IX) : sed cœptum revertamur ad verbum. Hierosolymitanus fons abundat, cum impellit angelus (*Joan.* V), non cum sitit auditor; sic sacerdotis sermo exuberat, quando dat Deus, non cum perorat sacerdos. Hinc est quod Zacharias ipse, qui prophetias loquebatur populis, tacet sibi, ut nos ingrati Deo non simus, si nos semel tacere voluit [i] quibus semper inoffensum largitus est verbum. Ille non dedignatur a Filio verbum recipere, cui dederat lucem : et vos, filii, orate nobis vocem, ut possitis audire sermonem. Reparate gaudium meum, ut assuetam possitis lætitiam possidere, et implere illud Apostoli : *Quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me* (II *Cor.* II). Veniat ergo, veniat in medium beatus Zacharias, qui nos tacens pio consolatur exemplo : et silentio suo nos de nostro non sinit tristes esse silentio. Veniat, veniat præcursor verbi, sacerdotii speculum, sanctitatis exemplum, evangelistarum princeps, [j] clausula prophetarum. *Fuit*, inquit, *in diebus* [k] *Herodis, regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias* (*Luc.* I). Dum dicitur sub quo rege quis sacerdos sit, temperantur mala : adest semper in mœrore solatium, nec consolator deest, cui imminet persecutor. *Fuit in diebus Herodis, regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias.* Usque ad Herodem Judaicæ genti sacerdotalis sanctitas, senum gravitas, patrum pietas præsidebat : jus erat lex divina, ambitio nil ibi, nil temeritas, præsumptio nil valebat, quia gerebatur totum divino ordine, non humano; sed Herodes [l] veniens

[a] Alia exemplaria, *nescire possint.*

[b] In nonnullis, *sentitur.*

[c] Nonnullæ editiones id notant.

[d] Deesse non pauca videntur. MITA.

[e] Chrysologus in eorum sententiam it, opinantium Zachariam summo sacerdotii munere functum, et non simplicis tantum, et de vice Abiæ, ut nonnullis videtur innuere Lucas I. Ambrosius, Lucæ I, tit. de ingressu Zachariæ in Templum : *Videtur autem hic Zacharias designari sacerdos summus, quia semel in anno solus summus sacerdos in secundo sanctuario intrabat.* Vide August. in Joan. homil. 49; Bedam, homil. in vigilia S. Joan. Baptistæ; Theophylactum, Brugensem, etc.

[f] Solitas enim fuisse sacerdotibus contingere apparitiones angelorum, qui Dei jussa ad homines ferunt tunc maxime cum adolerent, ex pluribus rabbinorum scriptis eruit Drusius. Zacharias autem non sacrum penetrale ingressus erat, ut mandata Dei exciperet, sed ut adoleret.

[g] Quandoque pontificii munii obeundi necessitas præsules a concionibus distrahebat, quod inferius innuit : *Quod tacuimus habetote, non oblivionis fuisse, sed temporis; divini negotii, non rationis humanæ.*

[h] Rubeus, lib. II Histor. Ravennat. pag. 109. Chrysologus : *Cum acerrimus esset in dicendo, et in furore quasi raperetur divino, in ipso tamen ardore dicendi, vox illi exstinguebatur : quod in ea maxime concione accidit, quam de muliere fluxu laborante dicebat.* Tillemontius vero putat innui hic Serm. 35, qui aliorum brevior est.

[i] Alias, *quibus sæpius.*

[j] In eo enim desierant prophetiæ. Chrysostomus ex variis Matthæi locis, homil. 20 pag. 1074 edit. Paris. vocat eum *silentium prophetarum.*

[k] Fuit hic Herodes cognomento Magnus, Innocentium cæde, et aliorum criminum perpetratione famosus. Vocat regem, ut eum ab alio Herode tetrarcha Galileæ discerneret. Joannis autem conceptio evenit anno 12 Herodis.

[l] Filius enim erat Antipatri, et Nepos Antipæ, qui religione paganus, Ascalonæ vel natus vel eductus, primus Judaicam amplexus fuerat religionem, cum sub Hircano rege, Judææ præfuit. Antipæ patris religionem secutus Antipater, Phasellum et Herodem Magnum filios in Judaica lege eduxit. Mirum igitur Harduini commentum, qui eum paganum fuisse docet, Athenis oriundum, Platonicæ sectæ addictum, quam ipse in Herodianos transfudit. Fabellas has expungit Basnagius in Historia Judæorum Gallice scripta. Tom. I pag. 63.

ex gente aliena invasit [a] regnum, [b] violavit sacerdotium, confudit ordinem, mutavit mores, [c] sprevit senes, [d] interfecit juvenes, tribus miscuit, delevit stemmata, corrupit genus, tulit quidquid erat et divinæ et humanæ funditus disciplinæ. Sed hoc quid ad Zachariam sanctum? Ne quid ergo tale et in ipso Zacharia crederetur admissum, evangelista cogitur sic referre: *Fuit in diebus Herodis, regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia.* • Quia usque ad ipsum ab atavis, avis, patribus, transfusum genus mansit sacerdotii, tempus legis, sacrificii omnis servata est disciplina, eo quod impietatem regis, iniquitatem temporis, ambitionis rabiem, temeritatis furorem, sacerdotis [f] meritum, et vita compesceret. Sed quid sequatur, audiamus. *Factum est ut incensum poneret, ingressum in templum Domini, et omnis multitudo populi orabat foris in hora incensi.* [g] In hora incensi, fratres, jam sol Judaico occumbebat in templo, ut in Ecclesia matutinus exsurgeret, et Judaicæ doctrinæ instabat vesper, quia Evangelii imminebat aurora; legis obscurabatur dies, ut totus reluceret in gratia. Hinc est quod Zacharias in hora incensi, hoc est, in extremo tempore legalium cæremoniarum prophetali Spiritu incensum infert: offert preces, desideria ingerit, vota commendat, tempus admonet, promissa repetit, [h] exigit Christum. *Et omnis multitudo orabat foris.* Ut ergo populus, qui stabat foris, intromitteretur exorat; quia quos lex adducit ad januam, gratia intromittit in templum. *Apparuit*, inquit, *et angelus Domini, stans a dextris altaris incensi; et videns Zacharias, turbatus est et pavor occidit super eum.* Ergo non est mirum si turbatur sacerdos, si stupet doctor, si pavescit antistes, si tacet minima cum videt maxima, si deserit verba cum signa conspicit. Et ne solus Zacharias timuisse videatur, audi alium prophetam dicentem: *Domine, audivi auditum tuum et timui, consideravi opera tua et expavi* (*Habac.* III), Qui cum Deo loquitur expavescit; unde loquatur angelus ignorat; et quid tenemus? Unde sacerdos taceat, jam dicamus. *Et respondens ei angelus, dixit: Ego sum Gabriel, qui asto ante conspectum Dei, et missus sum ad te hæc loqui, et hæc tibi evangelizare: et ecce eris tacens, nec* A *poteris loqui.* Quæ tacentis culpa, si imperat silentium vis jubentis? Ergo et nos tantilli qui tacuimus, quod tacuimus habetote non oblivionis fuisse, sed temporis; divini negotii, non rationis humanæ. Ergo tristes non simus, quia, donante Deo, silentium momenti continuato sermone pensabitur, et modicum quid tristitiæ nostræ magnum vertetur in gaudium. Gratias ago Deo meo, qui mihi in amoris lucrum vertit damnum sermonis: nam quanta sit in me charitas vestra, pallor prodidit, [i] testatus est clamor, ostenderunt lacrymæ, oratio effusa monstravit.

SERMO LXXXVII.

De eisdem.

Sicut nimio dolore et infirmitate longa luminibus B obscuratis, nisi sensim refusa fuerit, fit inimica lux, certe cum solis sit condita lux oculis, solis sit oculis lux amica, per quos utique reliquo corpori vel traditur, vel negatur; ita [j] diuturno perfidiæ morbo contenebratis mentibus, nisi paulatim fuerit fidei claritas restituta, subito ipso fidei splendore magis perfidiæ crassescit caligo, longo usu aut producitur, aut obtunditur semper natura. Hinc est quod Dominus tetro infidelitatis nubilo cordibus jam cæcatis, ut irradiaret partus virginei sacramentum, desperatæ et annosæ sterilitatis ante præmisit conceptum: ut qui videbat post senectutem longam arida membra reviviscere, et transacto curriculo jam vitæ veteranæ in primam reflorescere pubertatem, atque ipsam naturam [k] in occidua ætate ad nascentis servi insignia C suscitari, pudicitiæ florem, pudoris titulum, castitatis insigne, virginitatis claustra manere post partum crederet posse, auctore ipso ex utero procedente, servari. Et ut præfationi nostræ ac similitudini, quam de oculis sumpsimus vetusto languore defessis, ipsa de qua loquimur modo adsit et astipuletur auctoritas, ac probet oculos hominum nocti male assuetos, obscuratos, promotos sensim revocatos ad lucem, in Joanne Dominus accendit sui luminis et præmisit lucernam, ut degustato lumine in se jam divini Solis jubar ipsum [l] perferrent, ipsam deitatis caperent claritatem. Juxta illud quod dictum est de Joanne: *Ille erat lucerna ardens et lucens* (*Joan.* V): ut ille den-

[a] Defuncto enim Antigono II Aristobuli Filio, et Alexandri Jannei nepote, et ex Asmoneorum stirpe ultimo, quique Antiochiæ Marci Antonii Romanorum ducis jussu vel capite minutus, vel cruci affixus obiit, Herodes regnum usurpavit.

[b] Aristobulum enim, magnæ spei adolescentem, Mariannæ ejus uxoris fratrem, Hircani filium, summumque pontificem, dum balneum, exiens a prandio, intraverat, a coævis ephebis suffocari jussit.

[c] Hircanum regem longævum e solio dejecit, privatamque vitam agere coegit.

[d] Alexandrum videlicet et Aristobulum, ejus ex Marianna filios, capite obtruncatos. Editi nonnulli, perperam: *Infecit juvenes.* Chrysostomus, loco citato: ***Herodes profanavit Templum, sacerdotium sustulit, confudit ordinem, temeravit regnum, corrupit quidquid erat religionis, quod legis, quod morum, quod fidei perdidit, et confudit... occisor filiorum***, etc.

[e] Regalis sacerdotii dignitas a Deo Aaronis familiæ fuerat addicta. Penes autem primogenitos erat sum- D mum sacerdotium. Alii e familia simplices sacerdotes tantum, qui a Davidis regno in 24 classes distributi, vices obibant suas. Quam divisionem ad destructionem usque secundi templi Hierosolymitani in usu fuisse, observat Josephus Antiq. Judaic. lib. VII.

[f] Restitutus locus ex ms. Cæsenæ; editi, *et meritum superavit et vita.*

[g] Duæ erant horæ incensi. De matutina intelligit Grotius; Chrysologus, et una secum accuratiores interpretes, de vespertina.

[h] Deprecabatur Zacharias. Num pro suscipienda prole? Cum essent ambo provectæ jam ætatis, id minime sperabat. Ergo deprecatio videtur fuisse pro salute populi, et adventu exspectati Messiæ. Duhamelius hic. Vide notam 4 serm. 88.

[i] Rubeus, loco citato, eruit ex his quam charus et in deliciis populo Ravennati esset Chrysologus.

[j] Cum Latinio. Editi, *diurno.*

[k] Ms. Cæsenæ. Alii editi, *in occiduam ætatem.*

[l] Ex Latinio. Editi, *præferrent.*

sas noctis placido lumine aperiret tenebras, ipse noctis nescium diem jam desiderantibus ad lucem perpetem redonaret. Hinc est quod et magos adhuc noctis incolas, et totis obstupescentes oculis, tenuiter micans stella assuefacit ad lucem et gradatim pertrahit ad ipsum fontem luminis et dierum (*Matth.* II). Et re vera, fratres, congruit, quia totius anni metas temporum quadriga percurrit, ac nobis Domini nostri natalitia festa revocat, et gaudia jam reducit. Nunc de Joannis ortu, de partu sterilis jam loquamur, ut compendio credulitatis isto, ad illud ubi partus est sine partu, ubi creatur auctor ipse procantis, ubi nascitur ipsa origo generantis, inter hiemales ac nubibus et nebulis dubias luces, lucerna prævia, stella duce pervenire possimus. *Fuit*, inquit evangelista, *sacerdos quidam nomine Zacharias, et uxor ejus Elisabeth: et non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, et processissent ambo in diebus suis* (*Luc.* I). [a] Sterilitas senectute exaggeratur extrema, et a spe generandi totum subducitur quidquid est corporis et naturæ; et ne vel cogitatio sobolis ulla remaneret, ad id perventum est temporis et ætatis, quo transacto calore vitali mortale frigus sterilis jam viscera possidebat, ut genitor ipse cognosceret inde jam per hominem non posse nasci hominem, unde abscesserant res humanæ. Sic, sic, fratres, duris hominum præcordiis credulitas [b] asseritur, et inseritur fides; et tunc totum divinum creditur, cum fuerit nil humanum. *Sorte exiit ut incensum poneret Zacharias ingressus in templum Domini.* Bene dixit *ingressus in templum*: non ingressus templum: quia ipse erat Dei familiarius templum, portans in sui pectoris puritate tota legis arcana et apponens non tam thuris quam puræ supplicationis incensum. [c] Gratius namque Deus in suo, quam in hominis opere requiescit et non tam libenter odoratur [d] Arabicæ arboris guttam quam sinceri cordis et pectoris sanctitatem. *Apparuit ei angelus Domini*, inquit, *stans a dextris altaris incensi.* Dicere suffecerat, apparuit ei angelus, quid magnopere [e] a dextris altaris? Ut esse in sanctis angelis auditor intelligas nil sinistrum, dicente Scriptura. *Vias quæ a dextris sunt novit Dominus* (*Prov.* IV, *juxta LXX*). *Apparuit ei angelus.* Cum jam defecerat totus homo, ut ante Joannes nasceretur ex sterili, quam Christus nasceretur ex Virgine, dictum est de Joanne: *Ecce ego mitto angelum meum* (*Matth.* XI). Felix, quæ ut in Deum cresceret, in senibus sic defecit natura; felix, quæ sterilitatis damna virginea fecunditate mutavit; felix, quæ uno concepit in partu quidquid in [f] toto orbe confundere deplorabat; felix, quæ facta est vitalium [g] germinans mater, quæ erat ante origo miseranda mortalium, ad dolores pariens cum dolore, ad gemitus edens cum gemitu, ad pericula producens hominem cum periculo generantis, et in ipso ortu occasum nuntians per lamenta et lacrymas; semper devorans partus suos, sciens se tantis mœroribus generare morituros. Pascebatur ergo sterilitate magis natura, ne ipsa fecunditate gravius desæviret, fletus potius editura quam pignora: quæ utique lacrymis, mœrore, gemitu, tanto tempore suum quærebat et interpellabat auctorem, intelligens hoc sibi accidisse per culpam, non esse ab auctore piissimo institutum, cum crearetur. Hinc est quod Dominus conditor ipse naturæ viam virginei conceptus, virginei partus, invisibili vestigio et ignoto calle pertransit, et iter humani ortus divino gressu ambulat, non humano, ut nascendo ipsam naturam a servitute mortis, cui taliter addicta fuerat, primitus liberaret, [h] et fonte purgato supernam rivulis redderet puritatem. Merito Joannes in utero exsultat, qui originis suæ libertatem ante nosse quam esse meruit, ante meruit sentire quam vivere. In hora incensi per angelum aperitur sterilitas, conceptus jubetur, promittitur partus, et inter sacraria nativitas sacra procuratur: hinc est quod adhuc in utero cum membrorum compage [i] pene concepta in Joanne est prophetia [j] ante nutu Dei loquitur quam perveniat ad vocis officium. Verum ne dum profunda et mira latissimæ lectionis breviato cupimus sermone concludere, quæ maxime dicenda sunt, transeam, proxime, si Deo placuerit, de sequentibus disseremus.

SERMO LXXXVIII.

De eisdem.

Semper debere anxium est, fratres, semper triste fenoris vinculis alligari; sed me, quem vobis mea sæpe facit promissio debitorem, satis ipsa de talis debiti natura et obligatione blanditur, quia dat, non accipit, qui promittit; et qui dando debet, sibi magis ipsum facit obnoxium creditorem; atque ubi qui credidit debet, et qui debet credidit, ibi necessitudinis, non necessitatis probatur esse contractus; et in tali fenore animæ non oneris, sed honoris præ-

[a] Ms. Cæsenæ, *sterilitate senectus duplicavit miraculum.* Ait Grotius: Ad vetus sterilitatis vitium accedens impedimentum ætatis.

[b] Hoc est, plantatur; et instar arborum in jam plantata credulitate ipsa fides inseritur. MITA.

[c] Communem lectionem placuit retinere. Ms. Cæsenæ habet: *Gratia namque Dei tam in suo quam in hominis opere requievit.*

[d] Exod. XXX enumerantur quatuor aromatum species, e quibus thymiama confici debuerat, Deo in templo adolendum. Inter has *nataph*, id est, ut bene notat Chrysologus, *gutta* quæ fluit ex arbore, idcirco στακτὴ dicta, quia fluit, seu stillat.

[e] Zacharias operabatur in orientali latere altaris, ibique adolebat. Latus occidentale erat proximum Arcæ, cui angelus indecore tergum obvertisset, si ad illud latus stetisset; ideoque stetit in dextris altaris; nempe ad latus septentrionale.

[f] Mss. habent *concipere*, vel *conficere*. At inflictum a librariis vulnus non sanatur adhuc.

[g] Ms. Cæsen. et Vallicell., *vitalium germinum mater.*

[h] Metaphorica locutio. Liberat primum naturam humanam tamquam fontem, ex quo homines tamquam rivuli emanant, ut a sordibus rivuli ipsi mundi reddantur. MITA.

[i] Vide apposite ad hæc Cornelium a Lapide Comment. in Luc. V, 42, 43, pag. 24, col. 1, in princip.

[j] Ms. Cæsenæ, *ante mutus loquitur.*

dulcis currit usura. Posteaquam Zachariæ sacerdoti apparuisse angelum Domini evangelicus sermo descripsit, adjecit dicens : *Et turbatus est Zacharias videns, et timor irruit super eum* (*Luc.* I). Si de judicis potestate sollicitus est, qui semper de apparitoris turbatur et contremiscit adventu, et mandati meritum de persona venientis æstimat et metitur; et quamvis bene conscius pavet, donec causas venientis agnoscat et intelligat qualitatem; quid faciet, quo pavore trepidabit, cum potestatem supernam senserit hominis imbecilla natura, cum respexerit homo angelum, et divinæ sedis [a] ministrum viderit? Caro numquam de sua conscientia est secura : sicut Zacharias ipse, de quo loquimur nunc, comprobavit, qui in ipso tempore placationis offendit; qui dum credit, dubitat, dicente angelo, Quia non credidisti verbis meis : dum postulata promeretur, incurrit; condemnatur, munera ipsa cum suscepit; qui vocem, cum vocem percipit, tunc amittit. Hinc est quod angelus antequam mandata pandat, dona tradat, referat impetrata, [b] metum discutit, fugat timorem, confortat animos ancipiti cogitatione turbatos, ut mens quæ migraverat a se nimio pavoris excessu, in semetipsam reversa beneficiorum tantam sentiret et caperet largitatem, dicens : *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua : et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem.* Putasne sacerdos tantus sic est populi, sic universitatis oblitus, ut de conceptu veteranæ conjugis, [c] de partu desperatæ sterilis rogaret, ut sibi soli legatus omnium tunc adesset, ut advocatus omnium pro se singulariter oraret, ut tantum pontificatus officium [d] intra domesticas arctaret curas, inter familiares clauderet et occuparet angustias, et incensum totius plebis in solum desiderium proprii pignoris addiceret veteranus antistes, ac tali desiderio grandævus, et ipsum tempus jam respiciens, ad partum succenderetur intempestivum? Absit, fratres, absit, ut hoc de sancto Zacharia fidelis anima suspicetur. At quidem angelus in hoc fuisse refert totius supplicationis effectum, dicens : *Exaudita est deprecatio tua, et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium.* Si angelus ad petita respondit, sacerdos pro solo pignore supplicavit, si pro omnibus egit supplicatio sacerdotis, cur angelus de solo pignore retulit impetrata? Quid tenemus, quid diu suspendimus animos auditorum? quam non sibi soli, sed omnibus adfuerit iste venerandus antistes; quam responderit angelus universis; quam Deus prospexerit in uno isto germine sacerdotis, quem genitoribus utique et ipsi ob hoc delegerat naturæ, ut eum daret universitati, largiretur sæculis, populis condonaret, et fieret sacramenti filius inter sacraria [e] delatus, inter sacramenta concessus, esset antistes de venerando generatus antistite, esset angelus ore angeli sancta conceptus in viscera, esset vox Christi : *Ego vox clamantis in deserto* (*Joan.* I); esset vox Christi ad Christum sua reservatus ad tempora, esset præco Judicis præsentiam clamaturus, esset pœnitentia populos Christi vocaturus ad veniam. Quam sacerdos ergo iste jam sui nescius, jam sibi mortuus, extraneus conjugi, soboli jam negatus egerit omnibus, omnibus impetrarit, mox angelo referente discamus. *Et multi*, inquit, *in nativitate ejus gaudebunt.* Non est unigenitus qui est cunctorum creatus ad gaudium. *Erit enim magnus coram Domino.* Qui coram Deo magnus est, quantus sit penes homines quis probabit? *Et vinum et siceram non bibet.* Qui natus est sancto de corpore sacerdotis, et summa senectute, ab omnibus vitiis defæcato, atque exempto juventutis incendiis, vinum nescit, ignorat siceram [f], quæ pariunt luxus ebrietatis et vitia, et tota dissipant morum decora, ornamenta virtutum. *Et vinum et siceram non bibet, sed Spiritu sancto replebitur adhuc in utero matris suæ.* Juxta illud Apostoli : *Fratres, nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed repleamini Spiritu sancto* (*Eph.* V). *Et Spiritu sancto replebitur adhuc in utero matris suæ.* Beatus Joannes, qui ante Dei Spiritu meruit intonare quam hominis vagiret in fletu; beatus, qui ante divina possidere meruit quam sortiretur humana; beatus, qui ante meruit cœlum scire quam terram; beatus, qui, antequam videret præsentia, futura meruit nuntiare; beatus, qui ante Deum capere potuit quam suo ipse caperetur a corpore; beatus et singulariter est beatus, qui, antequam saperet quærere, meritum conquisivit; beatus, qui non pervenit ad gratiam per laborem,

[a] Aliquid semper exitiale spectantibus spectra hæc protendere censebant Hebræi, certaque vicinæ mortis omina. Genes. XVI, 13; XXXII, 30; Exod. XX, 19; Judic. VI, 21, 23; XIII, 12. Vide Euthymium, et Maldonatum hic.

[b] Similia Origenes, homil. 4 : *Nova quippe facies, humanis obtutibus se præbens, turbat mentem, animumque consternat : unde angelus sciens hanc humanam esse naturam, primum perturbationi medetur.*

[c] Certe de filiis nec cogitabat quidem senex ipse, ac sterilis uxoris maritus. Nec pro eadem sterilitate orasse pronum est credere, ut nec Chrysologus credidit. Alii nihilominus putant Zachariam jam pridem pro susceptione prolis Deum orasse, et ad transactam illam precationem angelum respexisse : Vide Ambrosium in Luc. I. Ad rem protinus Augustinus de Quæst. Evangel. lib. XI, in principio, tom. III Oper. p. II pag. 179 edit. Antuerp.

[d] Longe verosimilius dicimus cum Chrysologo; Augustino, lib. I Quæst. Evang.; Chrysostomo, homil. Nat. S. Joann. Baptistæ; Theophylacto et aliis : pro Messiæ adventu orasse; sui enim populi salutem quam enixis precibus expostulare munus erat sacerdotum.

[e] Ms. Cæsenæ, *annuntiatus*.

[f] Sicera vinum erat condimentis mixtum : de quo vide Theophilum Antiochenum ad Luc. I, 15, pag. 331. Paris. 1635. Post vinum nulla potio promptior et aptior inducendæ ebrietati. Nonnulli siceram a vino distinguunt, eamque omne vinum fictitium esse dicunt. Alii docent innui hoc vocabulo omne id quod inebriat, excepto vino. Vide Theophylactum, Balsamonem ad Can. 3 Apostol. pag. 234. Paris. 1558. Cur autem hujusmodi potionis genus vetitum fuerit Nazarenis si quæres, confidenter respondent rabbini arborem Adamo vetitam vitem uviferam fuisse. Nugæ. Vox Hebraica *sechar* omne id significat quod inebriare potest. Vide Duhamelium hic. Beda, in Luc. I, veram subdit hujus prohibitionis rationem.

sed ad labores ipsius gratiæ dignatione descendit. *Et multos*, inquit, *filiorum convertet.* Ad quem? Dicat angelus, ut quia blasphemat, quia negat hæreticus, [a] commutescat; dicat angelus, ut audiat fidelis, et gaudeat; credat hæreticus, et recurrat. *Convertet.* Ad quem? Ad *Dominum Deum*, inquit, *ipsorum.* Quis est hic Deus? De quo propheta dicit: *Hic est Deus noster, et non est alius absque eo qui invenit omnem viam disciplinæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo* (*Baruc.* III). Quando dedit? Tunc utique quando legalibus in tabulis totius vitæ regulam, totam disciplinæ descripsit et normam. Attentus esto auditor, ut scias quis est hic Deus noster, absque quo alius non est. Quis est? *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Ibid.*). Quis est alius visus in terra nisi Christus, qui nostra est conversatus in carne? Et quis est alius conversatus cum hominibus, nisi ille qui cum hominibus humano est commoratus in corpore? Et si hic est Deus noster, et non alius absque eo, hæretice, cum hunc non habueris, quem habebis? *Non est alius*, inquit, *absque eo;* et nunc non dicis, Ergo ubi est Pater? Propheta dicit: *Non est alius absque eo;* et ubi est? In Filio utique, quia præter Filium non est Pater. *Ego in Patre*, dicit, *et Pater in me est* (*Joan.* XIV). Unde et propheta non dixit, Non est alius, sed *Non est alius absque eo:* hoc est dicere, Est; sed in ipso est. Sed dicis, Et si in ipso est, quomodo est alius? [b] Hæretice, sic est alius persona, ut sit ipse substantia; sic est ipse substantia, ut nulla sit confusio Trinitatis; sic est unitas Trinitatis, ut nulla sit in Deitate distantia; sic in se est, et sine se tota Trinitas non est, ut insit in Patre, et Filio, et Spiritu sancto personalitas definita, non separata divinitas. *Et ipse præcedet ante illum.* Ante quem? Ante Christum, qui est Deus ipsorum. Deus noster, Deus omnium, Deus absque quo alius non est: *In virtute Eliæ.* Nemo cum hoc audit, [c] μετεμψύχωσιν imputet: hic spiritum dicit illum, quem per divinam gratiam meruit, non quem carnis est consecutus ad vitam; et virtutem dicit illam quam de supernis habuit, non illam quam propter corporis adeptus est firmitatem. Joannes ergo Eliæ venit in spiritu, et in ejus virtute graditur, qui totum victu, vestitu, honore, castitate, abstinentia, et omnibus Eliam virtutibus repræsentat et Christum. *Præparet Domino plebem perfectam.* Quam in vobis Deus et Dominus noster præparare et confirmare dignetur in gloriam nominis sui.

SERMO LXXXIX.

De eisdem.

Omnia quæ a Deo creata sunt nobis bona sunt, et bona valde, dicente Scriptura: *Et vidit Deus omnia quæcumque fecit, et ecce valde bona* (*Gen.* I, *juxta LXX*). Ergo omnia quæ a Deo creata sunt, bona sunt, et [d] valde bona: sed inter vitia virtutesque media sic habentur, ut ex ipsis, et periti doctrinæ materiam sumant, et erroris causam inveniant imperiti. Sapientes namque Creatorem creaturæ contemplatione cognoscunt; stulti vero dum creaturas ipsas deos existimant, sapere nequeunt Creatorem. Hinc est quod [e] solem, lunam, stellas, aurum, lapides, ligna, deos sibi fecerunt gentiles, quæ Christiani addicta suæ sapiunt servituti. Nec mirum sic esse [f] mediam creaturam, quando ipse creator omnium Christus est fidelibus in salutem, infidelibus in ruinam, evangelista dicente: *Hic positus est in ruinam et resurrectionem multorum* (*Luc.* II). Apostoli etiam aliis habentur in mortem, aliis habentur in vitam, Paulo probante, cum dicit: *Quibusdam sumus odor mortis in mortem, quibusdam autem odor vitæ in vitam* (II *Cor.* II). Ergo et evangelicæ lectiones fiunt bonis intelligentiæ salutaris, malis vero erroris occasio. Antehac evangelista beatissimus, cum referret Joannem Baptistam Herodis astrictum vinculis, adulteriis Herodiadis exstinctum, truncatum in præmium saltatricis, sensimus aliquos fuisse permotos, cur Deus sacrilegæ sanctum, adulteræ virginem, angelum addixerit saltatrici. Fratres, virtutes Joannis, Herodis crimina abundanter [g] alio sermone tractabimus: nunc eloquamur quæ vinculorum causa, carceris quæ necessitas, quæ mortis utilitas fuerit in Joanne. Joannes non potuit mori [h] communi sorte, qui natus est privilegio singulari: cum Christus Deus nasceretur in carne, Joannes angelus est generatus in terris, ut ita officia terrena officiis se cœlestibus miscerent, sicut humanis se divina miscebant, et in terra Deo angelus, Domino ordo cœlestis obsequii non deesset. Sed audiamus ordinem nascentis Joannis, ut causas mortis ejus invenire possimus. *Fuit*, inquit, *in diebus Herodis, regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, et uxor ejus de filiabus Aaron, et nomen ejus Elisabeth. Erant autem ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus De-*

[a] Vel *detumescat*, ait Latinius. Editi, *contumescat.*

[b] Arianos, Ætianos, aliosque hujus furfuris hæreticos perstringit, qui Christo divinitatem, eamdemque cum Patre substantiam negabant.

[c] Animarum in alia corpora transitum. Eliæ autem animam in Joannem transmigrasse nonnulli commenti fuerant, apud Augustinum quæst. 17 in Numer. Confer Tertullianum in lib. de Anima. Hæc autem erat Pharisæorum opinio, credentium animas bonorum posse in aliud corpus immigrare, dum improborum animæ perpetuis mancipantur tormentis. Vide Calmetum in Matth.

[d] Id est, *optima.* Carent enim Hebræi superlativo.

[e] Prima fuisse idololatriæ principia, nemo est qui nesciat. Vide Diodorum Siculum Biblioth. lib. I. Unde Athenienses, spretæ religionis vindices, Anaxagoram garrientem in solem, quem ipsi deum credebant, morte mulctandum censuere. Wower in Not. ad Octavium Minuc. pag. 73. col. 1.

[f] Ex una parte boni, ex alia mali ministra.

[g] Infra, serm. 127.

[h] Ms. Cæsen. et Vallicel., *communi morte.* Ambrosius, serm. 83, in Nat. S. Joan. Bapt.: *Qui præter hominum nativitatem ex repromissione generatus fuerat, hoc de Deo meruit, ne communi cum cæteris de sæculo morte discederet, sed corpus, quod Domino donante susceperat, Dominum confitendo deponeret. Ergo Joannes per omnia voluntatem Domini fecit, quia propter opus Domini et natus est et defunctus.* MIGNE,

nini sine querela (*Luc.* I). Oratores magni et excellentes ingenio, quoties illustrium virorum parant narrare virtutes, avos atavosque commemorant, ut ad honorem præsentium accedat dignitas antiquorum, et laus patrum filiorum redundet ad gloriam. Major est innata gloria quam quæsita ; præcedit quod venit ab origine quod sequitur ex labore, gloriam beatius est habere quam quærere : hinc est quod evangelista ut extollat Joannis gloriam, Zachariæ patris, Elisabeth matris genus dicit, avos memorat, scribit merita, loquitur titulos, gradus digerit, vitam pandit, dilatat insignia, prædicat sanctitatem. *Fuit*, inquit, *in diebus Herodis, regis Judææ.* Tempus memorat regis nefandi, qui sacrum sacerdotii violavit mœrorem, confudit ordinem, statutum solvit, abstulit institutum. Et hoc accedit ad meritum Zachariæ : quia cum in omnes pene Herodes ausus suæ temeritatis extenderit, ausus sit nihil in isto, virtutibus sit hujus oppressus, ut sacerdotis immaculata successio [a] ad gloriam germinis servaretur. [b] *Et uxor ejus de filiabus Aaron.* Aaron primus pontifex in lege fuit sacerdotii origo : propterea, merito prætermissis omnibus, ejus filia dicitur, cujus in se memoria prætulit sanctitatem, quam tanti generis pia custos gloriosissime transfudit in filium. Sed hujus matris laudes evangelista describit : *Erant*, inquit, *ambo justi ante Deum.* Est nova felicitas, est conjugium singulare, quando manet in duobus mens una, una sanctitas in duobus : constabat mente quod distabat in sexu ; et in moribus erat unum, quod geminabat aspectus; et virtutibus reddebat pares, impares dederat quos natura. *Erant*, inquit, *justi ambo ante Deum.* Placere judiciis humanis, [c] coram hominibus esse justum, est virtutis humanæ, maximi est et laboris : ante Deum qui scrutatur corda, cogitationes discutit, videt mentium motus, esse justum humani laboris non est, muneris est divini. Si magnus est qui non peccat in carne, quatenus est qui corde non peccat ? Joannes ergo supra carnem est natus de istis, qui ante Deum nec corde, nec corpore peccaverunt. Adjecit evangelista, dicens : *Incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela. Incedentes :* incedit qui non stat in triviis peccatorum, qui peregrinum se hoc sentit in sæculo, qui asperas virtutum intrat intrepidus mansiones, qui montes justificationum, [d] mandatorum colles indefessus viator ascendit, ut præsentia parentis Dei, patriæ cœlestis beatitudine perfruatur. *Incedentes in omnibus mandatis et justificationibus.* Hi in omnibus, in quibus nemo vel pauci. In omnibus mandatis et justificationibus. Quis fumi nescius cupiditatum transit incendia ? quis vitæ lubricum numquam lapsus evadit ? per vitiorum gurgites quis impollutus incedit ? carnis negotia, vitæ causas, [e] actus mundi quis peragit, et non erit in querela, cum nasci ipsum plenum sit et lacrymis et querelis ? Namque parturiens queritur ex dolore, et natus in lacrymas queritur ex natura. Sed in Zacharia et Elisabeth reatus occidit, periit querela, omnis est amputata causatio, quia in illis parabatur unde tota sanctitas nasceretur : sed hoc ex ipsa jam lectione luceat. *Et non erat eis*, inquit, *filius, eo quod esset Elisabeth sterilis.* Sterilitas ista non erat maledicta, sed mystica, in qua partus non ablatus est, sed dilatus; neque erat pignori clausa, sed tempori : colebatur tempore, virtute serebatur, maturabatur ætate, senectute crescebat, ut in filio singulari tota fecunditas pensaretur, quando in uno nascebatur numerositas congesta virtutum. Beata sterilitas quæ unum servabatur ad partum, et exspectabat Joannem, cui quia prima omnia debebantur, primogeniti dignitas non periret. *Et ambo processerant in diebus suis.* Processerant, non decesserant : vixit in sanctis ætas, non defecit, sed processit. Aut quid illis deficit, quibus accedunt semper incrementa virtutum ? Ergo in Zacharia et Elisabeth stupet sexus, frigescit caro, membra sopiuntur, tempus præterit, ætas transit, [f] abolescit totum quidquid est et humani ordinis et negotii conjugalis, ut divino munere, non partu ex hominibus angelus nasceretur. Promiseramus de ortu Joannis causas mortis ejus expromere, sed quia nos hodie longius sermo protraxit, et ad probationem rei satis nobis necessaria sunt quæ sequuntur, quæ modo dicta sunt ortus ejus deputentur ad gloriam ; nosque ingrati non simus vobis, qui differimus debitum, [g] non negamus : nam debitoribus dilatio crescit ad gratiam creditoris. Exspectate ergo quod promittit debitor, et exspectate securi, quia promissa negari nequeunt, quando sterili tam largiter negata solvuntur.

SERMO XC.

De eisdem.

Erigi nos sanctorum lapsibus, sanctorum trepidatione fundari, cunctatio nos hodie Zachariæ docuit

[a] Proprium genus, familiam, avos proavosque, in publicis tabulis describebant Hebræorum sacerdotes. Exstat insignis locus Josephi contra Appionem, Oper. tom. II, pag. 440, in fin., edit Havercamp. : *Debet enim quisquis sacerdotio fungitur, ex populari sua conjuge liberos quærere; neque ad pecuniam et honores respicere, sed genus exquirere, secundum antiquam successionem, multis probatam testimoniis.*

[b] Sacerdotum cuilibet feminam quamcumque ducere licebat, dummodo de Hebræis parentibus natam, cum de plebe hominibus peregrinam etiam ducere fas esset, exceptis ex nonnullis nationibus, quibuscum jus connubii non erat Hebræis. Quare quod Zacharias uxorem duxerit ex stirpe Aaron non fuit obsequium legi præstitum, ut volunt. Lex enim Num. XXXVI, 8, ad solas virgines paternarum facultatum hæredes pertinebat. Cæterum nil nobilius Joannis Bapt. origine. Ab utroque enim sanguine regali Davidis, et sacerdotali Aaronis, deducebatur.

[c] His enim evangelistæ verbis innui sanctorum conjugum, non tam pietatem, et justitiam coram Deo, sed etiam erga proximum, communis est cum Chrysologo sententia interpretum. Vide Ambrosium, Euthymium, Maldonatum, etc. Unde illis non tantum conscientia pura, sed fama integra.

[d] Recte. Nam mandata Dei in sacra Scriptura *via* vocantur. Beda, et Brugensis.

[e] Vitam nostram vocat *actum mundi*, ac si nos hic fabulam ageremus. Actus penes hujus ævi scriptores idem est ac *actio*, *officium*, etc.

[f] Ms. Cæsen., *est abolitum totum.*

[g] Si Chrysologus, ut pronum est credere, se data fide exsolvit, promissus hic sermo temporum injuria interiit.

sacerdotis : qui cum non credit Dei promissa, sed discutit ; et opera divina, non fide percipit, sed humana ratione disquirit, infidelitatis culpam longa silentii condemnatione persolvit. Audierat ab angelo : *Exaudita est deprecatio tua : et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium. Qui tunc respondit : Unde hoc sciam? Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis* (*Luc.* I). Nonne quantum senectute longa spem posteritatis amiserat, tantum longo vitæ usu fuerat edoctus quod Deus impossibile nil haberet? Legerat tanti temporis sacerdos, sciebat veteranus pontifex lege naturam, non auctorem naturæ posse constringi ; et tempus homini posse, suo non posse præscribere conditori. [a] Noverat de Abrahæ et Saræ emortuis extrema senectute corporibus, et a patris matrisque nomine famosissima sterilitate summotis; Isaac ad totam fecunditatem Israelitici germinis erupisse (*Gen.* XXI), cui non obfuit tantum defuisse naturam, quantum nasci profuit auctoris beneficio, non naturæ. Didicerat Rebeccæ (*Gen.* XXV) et Annæ (I *Reg.* I) effetis diu, diu naturæ suffragio destitutis, dedisse Deum quod sterilitas abnegaverat. Edoctus ergo tantis, quid est quod dicit : *Unde hoc sciam? Ego enim senex sum, et uxor mea processit in diebus suis?* Fratres, satis ad Deum trepida, satis ad divinas virtutes hominis est imbecilla natura, nec talem se in causa invenit qualem se æstimat ante causam ; et satis se ignorat antequam se rebus probet, et experiatur exemplis. Petit cœlum, petit alta, scrutatur superna, movet cœlum, pulsat cœlum ; sed cum cœlum moverit, cœli pondera non poterit sustinere. Ambit fidei subire verticem, ardet cœlum sua penetrare virtute ; sed æthereas in vias ubi incedere humanis gressibus inchoat, et cum suam deorsum respicit ad naturam, non tantum fidit de præteritis, quantum trepidat de ruina. Sic B. Petrus cum per æquora divinos imitatur incessus, et novus viator molle iter duris gressibus calcat, ante de lapsu supplicat quam gaudeat de donato (*Matth.* XIV). Sic nunc Zacharias, qui cum diu fleret diabolum posse, regnare mortem culpa hominis unius, nasci homines ad labores, ad gemitus, ad pericula, optare licet ærumnosa; moritura, nec tamen posse pignora promereri ; stare inter acies criminum, obsideri vitiorum catervis, infirmitatum quati et quassari semper impulsu; videre eminus vexilla virtutum, spem legis, gratiæ libertatem, nec tamen illuc quemquam propriis posse viribus pervenire ; velle bona, et non facere ; crimina odisse, nec vincere ; debere jam misereri Deum, debere jam taliter subvenire captivis ; pontifex ergo iste cum Dei aures continua et tali querela, tali lamentatione pulsaret, Deus sic pia, sic justa poscenti, ex germine ipsius responsionis suæ sumpsit et instituit mirabile documentum, quo crederet posse Deum dare vitam mortuis, salutem reddere desperatis, si senectuti mortuæ sobolem, si sterilitati dedisset filium desperatæ, sicut evangelicus aperit sermo, cum dicit : *Exaudita est deprecatio tua, et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium*, redemptionis hujus nuntium, hujus salutis prævium ; qui Deum non, sicut tu, voce audiat, non gemitibus flectat. Non ad impetrandum nostra ille, sicut tu, suffragia requirat, sed ipse in nostro ordine constitutus, et angelico honore fultus, Deum satis ab omnibus desideratum, nec illi umquam cognitum, etiam ipsis [b] angelis invisum, manu teneat, amplectatur gremio, et jam conspicuum mundo [c] ulnis felicibus tradat, palmis beatissimis assignet, humanis oculis pervidendum, Deum cognitum faciat universis, perducat Dominum ad consortia servulorum, misceat reis Judicem, censorem in se testetur noxiorum suscepisse personam, ac si probet condemnationis humanæ sententiam cessaturam, quando ipse agitur, ipse currit per veniam, qui reos erat daturus ad pœnam. Ut luceat hoc mysterium pietatis immensæ, Zacharia, tuus filius suum Dominum pœnitentiæ demergit in baptisma, in remissionem diluit peccatorum : quia voluit fons dilui, cognitor suscipere veniam, Judex ipse suam subire sententiam, ne damnaret reos, ne vindictam proferret in noxios ; ascendit crucem, degustat mortem, sepulturam patitur, intrat infernum, qui puniri voluit, ne puniret, qui amari magis voluit quam timeri. Quod ubi Zacharias, fratres, audivit, tantum se meruisse suis precibus sacramentum, rei ipsius consideratione territus, sacramenti ipsius æstimatione turbatus, nec se mereri tantum credidit, et Deum dubitavit ad hæc talia et tanta descendere. Hinc est quod dicit : *Unde hoc sciam? Ego enim senex sum, et uxor mea processit in diebus suis.* Hoc est dicere, Quomodo me habere filium ratio non permittit humana, ita nasci et mori Deum majestas non sinit sempiterna. Cui [d] angelus veniabiliter non credenti pœnam signi tantum dedit, non perfidiæ : cautelæ est tarde de Deo humilia credere, de Deo tardius contumeliosa sentire. Adjecit Angelus, dicens : *Ego sum Gabriel*, [e] Ut ex nomine tanto, et ex merito ministri tanti, pon-

[a] Hæc omnia, quæ proculdubio ignota Zachariæ non erant, incredulitatis culpam in eo aggravarunt. *Quandocumque enim Deus aliquod indicat*, inquit Chrysostomus homil. 2 de incompar. Dei Natura, *oportet in fide suscipere ; nam super hujusmodi disceptare contumacis est animæ.* Vide hic Not. 4.

[b] Id est non cognitum adæquate visione comprehensiva.

[c] Editi corrupte, *ullis felicibus*. Emendavit Meursius.

[d] Peccasse Zachariam signum ab angelo postulando, ut superius Chrysostomus, eruunt multi, ex eo quod angelus cunctantem punierit. Vide Augustinum, homil. 290 pag. 1163 novæ edit. Et diffidentiæ culpa eo fuit deterior, quod alias ei ignota non erant divinæ potentiæ exempla ; et quod erat sacerdos populique magister ; et quod hoc tempore, cum cessassent prophetiæ et apparitiones, ei angelus fuerat locutus ; et quod demum in ipso oraculorum loco et tempore precationis. Vide Lightfootum in Harmonia. Cæterum hoc crimen veniale tantum fuisse docet Maldonatus. Chrysologus fortasse *veniabiliter* dixit : id est, culpa venia digna.

[e] Gabriel sonat *virtus Dei*, vel *virtus mea Deus ;* angeli enim cum nominibus non indigeant, nomina accipiunt, quibus ministeria eorum indicentur. Hebræorum filii aiunt, Michaelem esse severitatis ministrum, Gabrielem vero misericordiæ. Ideo illum una ala volare, tardior enim ad puniendum Deus ; hunc duabus, quia velox ad ignoscendum.

tifex promissionis fidem pensaret, et crederet qualitatem. *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te.* Dum dicit nomen, designat meritum; [a] cum se refert astare, se missum refert; servitutem fatetur, ne prærogativa nominis debitum celaret obsequium. *Ego sum*, inquit, *Gabriel, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te, et hæc tibi nuntiare.* Vere *magnus Dominus, et sapientiæ ejus non est numerus* (*Psal.* CXLVI). Infirmantem curat de vulnere, nutantem de ultione confirmat, de supplicio fidei perficit argumentum, dicendo : *Et ecce eris tacens et non poteris loqui.* Ut ex te et in te credendi regulam consequaris, et vernaculo exemplo Deum posse credas facere quod promittit : nam cum vult, [b] tuæ vocis organum claudit; et cum vult, tui aperire oris officium profecto potest; et cum vult fecundam ex sterili facere, ex fecunda sterilem cum promittit, potest; cum vult largiri partus officia, obsequia naturæ cum vult, prævalet denegare. Egit ergo angelus ut tali documento pontifex eruditus non dicat amplius : *Unde hoc sciam?* Qui totius creaturæ indicio potuit approbare quod Deus omnia possit; et qui cœlum, terram, mare, et omnia quæ in eis sunt, ex nihilo legerat substitisse, credere debuit quod potuit ex aliquo facere quod vult, et desperato reddere quod promittit; et qui totum fecit ex eo quod non erat, ex eo quod est quidquid vult facere non laborat. *Et erat plebs exspectans Zachariam, et mirabantur quod tardaret in templo. Egressus autem Zacharias non poterat loqui ad illos, et cognoverunt quod visionem vidisset in templo. Ille autem erat innuens illis, et permansit mutus.* Egreditur pontifex gestans in ore sterilitatis indicium, portans in pectore conceptionis figuram, ut cum mater pareret filium, daret filius vocem, tunc verbi pater ederet sacramentum, et ante natus daret patri veniam, quam dilueret crimina vetusta populorum. Et quia qui non credidit, tacuit, merito propheta, quia credidit, gloriatur, dicendo : *Credidi, propter quod locutus sum* (*Psal.* CXV). Fratres, dat verbum fides, negat infidelitas verbum. Si nos ergo, fratres, sicut dixi, sanctorum lapsus erigit, firmat trepidatio beatorum, nihil umquam Deo esse impossibile judicemus, neque inquiramus quemadmodum facturus sit, quod promittit, cujus voluisse fecisse est, cujus dedisse est promisisse.

[c] SERMO XCI.

De eisdem.

Aurum de terra legere qui noverunt, ubi divitem senserint venam, ibi quidquid artis est, quidquid laboris impendunt : et nos quia in sancto Zacharia cœlestem novimus latere thesaurum, in ipso totum quod sermonis est nostri, quod vestri auditus est, occupemus, quatenus commune lucrum fit, quod fuerit communi labore quæsitum. *Fuit*, inquit, *in diebus Herodis regis Judææ sacerdos quidam nomine Zacharias, ex vice Abia.* Hoc jam diximus. *Et uxor ejus de filiabus Aaron* (*Luc.* I). Sic cœpit evangelista, ut in conjuge sacerdotis [d] servata sacerdotalis stemmatis generositas monstraretur. *Erant*, inquit, *ambo justi ante Deum. Ambo justi*, quia in ambobus erat una justitia. *Ambo justi*, quia constabat inter eos non de diligentia, sed de sanctitate conjugium. *Ambo justi*, quia sexu dispares, pares meritis habebantur. *Ambo justi*, quia ut erat in duobus una caro, sic erat in duobus unus spiritus. Imitentur conjuges, ut quos conjungit affectio, jungat et virtus. *Erant*, inquit, *justi ambo ante Deum. Ambo justi ante Deum.* Et ubi est illud : *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII)? Ante homines forte quis putetur justus, quia homines ut culpas corporum norunt, sic vitia mentis ignorant : ante Deum vero, cui pectoris claustra patent, quem cogitationum secreta non latent, quis innocens habetur et justus? Estne homo qui corde non peccet, non cogitatione delinquat, non offendat dubitatione, non lapsum trepidationis incurrat? Moyses dubitat (*Num.* XX), Aaron deviat (*Exod.* XXXII), Petrus negat (*Matth.* XXVI), et quis justus? Et quomodo *ambo justi ante Deum? Ante Deum*, sed per Deum. *Ambo justi ante Deum.* Non labore, sed gratia. Audi Apostolum : *Justificati gratis per gratiam ipsius* (*Rom.* III). Et iterum : *Non ex vobis, Dei donum est; non ex operibus, ne quis glorietur* (*Ephes.* II). Et iterum : *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* (I *Cor.* IV)? Evangelista ergo sic refert, non quid non habuerit, sed quid acceperit; non quid quæsitum sit, sed quid donatum. *Erant*, inquit, *ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Dei sine querela.* Incedentes dixit, ut eos ostenderet cucurrisse virtutibus, non stetisse; et ambulasse in via justitiæ, non sedisse; nec remansisse in itinere mandatorum, sed ad mandatorum plenitudinem pervenisse. *Incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Dei sine querela.* Beati, fratres, quos culpa non percutit, non vulnerat crimen; sed beatiores isti quos tetigit nec querela. *Sine querela.* Si pueritia, si adolescentia, si juventus sine querela exstitit, ubi tota querela est, qualis horum senectus? Si tale initium, qualis finis? Ascendisse justificationum vertices, colles mandatorum, nec in aliquo titubasse, est gratiæ singularis, est unicæ felicitatis insigne. *Et non erat*, inquit, *illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis.* Non dixit, Non erant illis filii, sed Non erat illis filius, quia singularis futurus erat, qui erat de talibus nasciturus. Audi Dominum dicentem : *Non surrexit major in natis mulierum Joanne Baptista* (*Matth.* XIII). *Eo quod esset Elisabeth sterilis.* Sterilis corpore, sed fecunda virtutibus; tarda soboli, sed non tarda Deo; non germini clausa,

[a] Periphrasis servi; quasi dicat : *Astare Deo, servire Deo, ministrare Deo.* Latini quoque, *stare ad pedes, ad cyathos*, etc.

[b] Zachariæ autem ademptam fuisse, non tantum loquendi, sed et audiendi facultatem infra apparet, cum amici eum nutibus allocutum fuisse dicantur. Non autem improbabilis est opinio Theophylacti, verbum κωφοὶ quod infra subjungitur, non tam surdum quam mutum significare.

[c] Vide quæ diximus in præfatione.

[d] Ms. Cæsen., *Servata sacerdotali stemmate generositas monstraretur.*

sed tempori; non negata pignori, sed servata mysterio. *Et ambo*, inquit, *processerant in diebus suis. Processerant* : sic describitur sacramentum senectutis, quæ nondum decidit meritis, non ætate deficit, sed procedit; nec sentit detrimenta corporis, quæ sumit augmenta virtutis. Fratres, Elisabeth sanctæ partus non ablatus est, sed dilatus, donec transiret tempus carnis, passio corporis, conjugii necessitas, voluptatis causa, cupiditatis sensus, et totum quod humanum confundit, gravat, onerat conscientiam. Mundabatur enim longo tempore sacrificii domus, sanctitatis hospitium, [a] metatus metatoris Christi, angeli domicilium, aula Spiritus sancti, Dei templum. *Nescitis*, inquit Apostolus, *quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* (I *Cor.* III)? Denique ubi tota corporis sedata querela est, et in totum facti sunt sine querela, mox sterilitas fugit, reviviscit senectus, fides concipit, parit castitas, na citur major homine, par angelis, tuba cœli, præco Christi, arcanum Patris, Filii nuntius, signifer superni Regis, peccatorum venia, Judæorum correctio, vocatio gentium, et ut proprie dicam, legis et gratiæ [b] fibula, quæ diploidem summi sacerdotis sancto patri jungebat in pectore. Evangelista ergo virtutes patris matrisque describit, ut ex generatorum tantis meritis dignitas germinis nosceretur; et probaretur major homine, qui in ortu suo excedebat legem nativitatis humanæ. Sed si processurus est, jam nascatur Joannes, quia instat nativitas Christi; surgat novus Lucifer, quia jubar jam veri Solis erumpit; det vocem præco, quia adest judex; clamet tuba, quia venit Rex; et quia processurus est Deus, angelus jam præcedat. Verum, quia quod supra homines est, homo referre non sufficit virtutes [c] nascentis angeli, angelus jam loquatur. *Dixit angelus ad Zachariam, Ne timeas Zacharia : exaudita est deprecatio tua, ecce Elisabeth uxor tua pariet tibi filium; et vocabis nomen ejus Joannem; et erit tibi gaudium et exsultatio; et multi in nativitate ejus gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino; et vinum et siceram non bibet; et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ; et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum; et ipse præcedet ante illum in Spiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.* Vacat humanus sermo, silet [d] prædicatio tractatoris, quando angelico præconio Joannis profertur gloria; virtus insonat, laus [e] collaudatur; nec est quod illi adjiciat homo, cui Deus contulit totum. *Spiritu sancto*, inquit, *replebitur adhuc ex utero matris suæ.* Videtis quemadmodum Joannes ante pervenit ad cœlum quam tangeret terram, ante accepit divinum Spiritum quam haberet humanum, ante suscepit divina munera quam corporis membra, ante cœpit vivere Deo quam sibi, immo ante vixit ille Deo quam Deus viveret illi, juxta illud Apostoli : *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Gal.* II). [f] Sexto mense suæ matris exsultat in utero, et in uterum Virginis venisse nuntiat Christum. Fervens nuntius, qui ante gestivit nuntiare quam vivere; impatiens dux, qui antequam perveniret ad corpus [g] pervenit ad Regem; ante rapuit arma quam membra; ante aciem petiit quam lucem; et ut vinceret mundum, vicit ante naturam, ipse sine visceribus viscera matris exsuscitat; et quia tardabat corpus, solo spiritu implet evangelizantis officium. Quid dicam? Joannes antequam Christum præcederet, se præcessit. Patris, matris, filii corda unus atque idem implet Spiritus sanctus : ut uno sanctitatis organo resonet nativitatis Dominicæ cantilena. Nec mirum, fratres, semper ortus regios honorat festivitas, dulcis gratificat symphonia. Et nos, fratres, nativitatem Christi glorificemus canticis, honoremus muneribus : quia mentitur fidei, si quod facit magus (*Matth.* II), non facit Christianus.

SERMO XCII.

De eisdem.

Sensim nos sermo evangelicus ad altiora promovet, ad superna extollit. Nec mirum, fratres, si Eliam currus ætherius evexit ad cœlum (IV *Reg.* II), cum quotidie ista Evangeliorum quadriga, hominum genus cœli perferat et transmittat ad regnum. Ecce jam nos ipsa, fratres, de partu sterilis ad Virginis partum et a Joannis ortu ad ortum nostri fecit proxi-

[a] Sic emendatus locus, ex editione Bonon. 1 et Mitæ. Reliquæ, *meatus metatoris*. A Chrysostomo pariter, homil. ex variis in Matth. loc. pag. 1074, tom. II, vocatur Baptista *Christi metator*. Frequens hujus ætatis scriptoribus verbum *metatus* pro *domicilio*; passimque apud Gregorium Turonensem : *Metatorum præbendorum onus;* in Novell. Theod. *de Metatis*, ubi plura de hoc onere; et in Codic. Justin. eodem. tit. Metatores autem mansionum præparatores. Bene Mita : *Foriero*. Cyprianus, epist. 22, sub initio, si Pamelio in notis credimus, vocat imperatorem Decium *metatorem Antichristi*. Laudat hunc locum Chrys. Du-Fresne in Gloss.

[b] Fibularum aliquæ vocabantur *vestiariæ*, quibus vestes annectebantur. Apud veteres occurrit *præpositus a fibulis*. Earum usum respexit Chrysologus, quasi Joann. Baptista is fuerit qui utramque legem univit et complexus est.

[c] Angelum vocat Joannem vel ex privilegio quo nascitur, vel ob vitæ puritatem, vel potius ad mentem Scripturarum loquens, in quibus angelorum nomine passim veniunt prophetæ, Aggæi I, 13. Judic. XIII, 2; XI, 1; pro cujus loci intelligentia consule Augustinum, quæst. 91 in Exod., et Justinum in dialogo cum Triphone. Clemens Alexandr., lib. I Strom., et Tertullianus contra Judæos, lib. V, vocant *angelum* Malachiam prophetam ultimum, seu Esdras is fuerit.

[d] Tractator idem ac concionator, vel qui in Ecclesia Scripturas explicat. Vide Claudianum Mamertum episc. Viennensem, lib. I de Statu Animæ, cap. 3; Sidonium, lib. II, cap. 9; Cassiodorum, præfat. ad librum de Institut.; Gregorium Magnum, in epist. ad Leonardum episc. cap. 11; Augustinum, serm. 19 de Verb. Apost.; Paulinum, vel quicumque tandem ille sit, in Vita S. Ambrosii; Hieronymum contra Helvidium, etc.

[e] Ms., *prædicatur*.

[f] Vel a tempore apparitionis angeli, vel a conceptione.

[g] Rex medio in corpore exercitus morari solet, quo optimis undique vallatus præsidiis securius pugnet. MITA.

nos Salvatoris. Sed quod superest adhuc de Zacharia pontifice patientius audiamus, ut ad cunabula nostri Regis regali itinere pervenire possimus : qui ob hoc cœlestis quadrigæ fidam conscendimus sessionem, ut sollicitas et arduas compendiorum semitas vitaremus. Sed enim lectum est : *Et factum est ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam* (*Luc.* I). Ita uni templo astabat tribus tota : parebant millia sacerdotum, propter quod ipsa observatio pontificalis officii erat divisa per plurimos, dispensata per tempora, [a] distributa per vices, ne aut ordinem sacerdotii multitudo confusa turbaret, aut alter legendo jugiter alteri debitum negaret officium. *Post hæc autem concepit Elisabeth uxor ejus.* Erat illis conjugii facultas, erat illis licentia donata generandi, quibus inerat adhuc legis adolescentia, instabat adhuc religionis infantia. Lex, fratres, illicita prohibuit; licita non negavit; intra donum tenuit, supra donum conferre nil potuit; naturam rexit, supra naturam hominem non erexit. Lex fidei janua, gratiæ nuntia, Evangelii prævia, pædagogus religionis infantiæ, remisit in sacerdotio [b] legali conjugii castitatem, [c] ut in pontificatu gratiæ venturam perpetuæ virtutis gloriam nuntiaret. Secundum hanc ergo indulgentiam Elisabeth annositate jam mortua, sanctum reviviscit in partum, et arida atque exarata rugis membra medullis vitalibus in viscera fecunda viridantur : ipsum quoque tempus, ipsum, in quo desierat, revocatur ad corpus; et vetustate nimia domus uteri dilapsa, in faciem novam repente reparatur; stupet ordo, deficit consuetudo, miratur ipsa natura, et ex apparatu mansionis, hospitis meritum dignitasque innotescit. Verum Joannes in generali habitaculo satis se miratus est esse peregrinum, qui se exclusum tempore, abdicatum natura, receptum se in eo auctoris beneficio didicit, non parentis. *Et celabat se mensibus quinque, dicens, quia sic mihi fecit Dominus.* Bene totum fecisse Dominum confitetur, quæ sibi collatum per hominem nil videbat. Et occultabat se mensibus quinque, quia etsi erat divini muneris, sui tamen temporis non erat quod habebat. *Celabat se mensibus quinque.* [d] Erubescit anus feta, verecundatur vetula primi partus, et puerperam senectus abscondit extrema, ne sterilitatis opprobrium risus fecundæ senectutis augeret. Quod autem risui subjacet senilis et veterana conceptio, per similis hujus sterilitatis et ætatis Sara probat (*Gen.* A XVIII), quæ sibi cum reddi partum, donari filium, cui jam vita prope deerat Domino promittente cognosceret, et ipsa de suo partu risit; et quod risui posset esse omnibus prægnans, et onerata canities, ipsius germinis testatur ex nomine, dicente Scriptura : *Et vocavit nomen filii sui Isaac* (*Gen.* XXI). Quod interpretari risum docuit, adjiciens : *Risum mihi fecit Dominus.* Hinc est quod Elisabeth sacrum vult celare mysterium, dicendo : *Quia sic mihi fecit Dominus.* Ut modo conceptus fatiget verecundia, quamdiu negati partus ærumna afflixit; pater tacet ex pœna, ex verecundia mater celat. O quanta silentio vox nascitur! O quanta taciturnitate tuba sæculis inclamatura generatur! O quod secretum divini Judicis dat præconem! *Quia sic mihi fecit Dominus in diebus* B *quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.* Honor conjugii, matrimonii dignitas, est procreatio dulcium liberorum; satis enim grave est, et satis triste, et virginitatis carere præmio, et filiorum solatia non habere; sustinere onera matrimonii, et ad fructum matrimonii non venire. Hinc est quod gaudet a se ablatum sterilitatis opprobrium, dicendo : *Quia sic mihi fecit Dominus in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.* Quia hoc apud homines miserum computatur, apud Deum vero [e] reatus nullus est, ubi parentis culpa nulla est, sed judicium denegantis. Certe si hoc affert aliqua corporalis infirmitas, necessitas in causa est, non voluntas. Sed jam nunc omnis ignava carnis intelligentia sit remota, tota corporei sensus abjiciatur infirmitas : C et quæcumque est ingenii humani omnis excludatur intentio, fidei pateant oculi, cordis reserentur aures, mentis currat et incurrat incessus : ut pervenire ad mysterium virginei conceptus, ad sacramentum partus virginei penetrare possimus, adjuvante Domino Jesu Christo, qui ex ea genitus nunc in cœlestia regna cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit per infinita sæcula sæculorum. Amen.

[f] SERMO XCIII.

De conversione Magdalenæ.

Ad prandium, et ad Pharisæi prandium venisse Christum sollicitus forsitan miratur auditor. Pharisæi domum Christus intravit, non accepturus Judaicos cibos, sed divinam misericordiam largiturus; D neque accubuit [g] pocula saporata melle floribus odorata sumpturus, sed pœnitentis lacrymas ex ipsis

pente prodiens in oculis hominum tumente corpore, illustrius fieret miraculum; vel ut solius Dei pro tanto beneficio laudibus vacaret; vel demum, ut ab omni immunditia careret, ac sordibus se subduceret. Filius enim Nazarenus futurus erat.

[a] Familiæ sacerdotum ex Eleazare et Ithamare Aaronis filiis oriundæ, numerum vigesimum quartum explebant, ut ex I Paralip. XXIV edocemur. Has David sorte delegerat, ut unaquæque ordine suo in templo ministraret per singulas hebdomadas; ita ut, 168 diebus exactis, munus ad primam reverteretur. Patet vicem Abiæ, ex qua Zacharias, octavam fuisse. Vices has Græce *ephemeriæ*. Lucas, I, ἐξ ἐφημερίας Ἀβία, *de vice Abiæ*.

[b] Ex Latinio. Editi, *legalis*.

[c] Clericorum cælibatum aptissime innuit.

[d] Quanam de causa Elisabeth se celaverit, obscurum. Nonnulli, ut Chrysologus, putant ob verecundiam. Propudium enim erat in anu effeta fecunditas, sicuti in femina integræ ætatis sterilitas; alii, ut re-

[e] Ex hoc Evangelii loco eruit Maldonatus id quod Chrysologus : sterilitatem scilicet non fuisse opprobrium coram Deo, nec semper ab irato Numine proficisci.

[f] *Sermo* hic in aliis editionibus inscribitur : *De ea quæ unxit Dominum unguento.*

[g] Mel Hebræis, ut et cæteris Orientalibus familiare multum, ut e plurimis sacræ Scripturæ locis luculenter eruitur. Crateres vero floribus et coronis mos fuisse veteribus exornare, nullus nescit.

oculorum fontibus potaturus : Deus delinquentium gemitus esurit, sitit lacrymas peccatorum. *Rogabat,* inquit, *Dominum quidam Pharisæus, ut manducaret cum illo : et ingressus domum Pharisæi, discubuit. Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accumberet Dominus in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et ungebat unguento* (*Luc.* VII). Videtis quia ad Pharisæi mensam venit Christus, non ut carnalibus repleretur escis, sed ut in carne negotium cœleste monstraret; neque ut probaret posita humanitus ante se, sed post se gesta divinitus approbaret. Christum namque semper agnoscimus per humanos actus divinas exercuisse virtutes, dum nova et præter usus mortalium cuncta esse quæ ab eo etiam corporaliter gesta sunt comprobantur. Pharisæus ad manducandum vocat Christum : quid ibi quærit mulier non vocata? Claustra domus non prorumpit extraneus, convivii secretum non præsumit non [a] invitatus intrare, cibos paratos relaxandis mentibus post laborem perturbare non audet arbiter luxuriosus; et quid est quod hæc mulier ignota, immo male nota, onusta luctibus, plena lacrymis, clamosa planctu, nescio janitore, nullo conscio, ipso ignorante pastore, domus aditus percurrit omnes, transit totas [b] ministeriorum [c] catervas, ipsum convivii pervolat ad secretum, et facit domum lætitiæ domum lamentationis et planctus? Fratres, non rogata venit illa, sed jussa; intravit exhibita, non præsumens : ipse sic fecit eam sisti sibi, qui illam cœlesti sententia jussit absolvi. Denique dum Pharisæus veste clarus, primus [d] in sigmate, in ipsis oculis Christi [e] tumens, epulis homini, non Deo placiturus, festivus infunditur, venit mulier, et venit retro, quia reus animus post tergum stat ad veniam, quia per culpam novit se vultus fiduciam perdidisse; venit satisfactura Deo, non homini placitura cum venit; venit pietatis illa, non voluptatis exhibitura convivium. Denique et pœnitentiæ ponit mensam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert; potum lacrymis temperat in mensura, et ad delicias deitatis totas, [f] totam pulsat cordis sui et corporis symphoniam, [g] organi planctus dat clamorem, citharam per suspiria longa modulatur, gemitus aptat [h] in fistulam; et dum pectus ipsam conscientiam arguens sæpe percutit, facit placitura Deo [i] cymbala personare; dumque taliter apportat divinis oculis cibos, totas misericordiæ copias sic reportat. *Ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix.* Exaggerat evangelista [j] mulieris facinus, ut accumulet indulgentiam largitoris. *In civitate peccatrix.* [k] Civitate peccaverat, quia fama sua famam totius tetigerat civitatis; sicque jam non peccatrix solum, sed [l] ipsius civitatis facta fuerat ipsa peccatum. Hæc cognovit quod nisi ab illo solo civitatis peccatum non posset auferri, qui solus mundi venerat abolere peccatum. *Et ut cognovit quia accumberet Dominus in domo Pharisæi.* Non ad stantem, non ad sedentem audet venire peccatrix : Deus cum stat, corripit; cum sedet, judicat; prostratis conjacet, cum decumbit. *Ut cognovit quod accumberet Dominus in domo Pharisæi.* Inclinem ad miserandum supernam didicit majestatem; et ideo credidit quod esset ad veniam sibi promptus, qui Pharisæi venerat tam promptus ad mensam. *Attulit alabastrum unguenti.* [m] Portavit oleum, quia medicinam lethali vulneri a superno medico perquirebat. *Stans retro secus pedes ejus.* Ad pedes tendit semper citam veniam qui requirit. Et bene stans, quia jam cadere non potest, qui [n] ad pedes Christi

[a] Inter triclinarios servos censebatur *invitator* et *vocator*, nomen sortiti ex munere. Hujus meminit Athæneus lib. IV, illius Martialis lib. IX, et vetus inscriptio apud Pignorium de Servis.

AGATHOPUS
AUGG. LIB.
INVITATOR

Sed esse invitatores servos expressit Christus apud Matth. XII et Lucam XIV.

[b] Ita omnes. Fortasse legendum *ministrorum. Hæc enim*, ait Pignorius pag. 47, *justa et legitima fuit triclinari nomenclatura.* Zeno Veron., serm. de Invidia et livore : *Joseph non venisset in Ægyptum, nec ex ministris Pharaonis exstitisset.*

[c] Mirum sane quantum apud antiquos excreverit servorum numerus. Si testimonia ad satietatem desideras, adi Pignorium in præfat.

[d] Sigma a figura semicirculari quemadmodum porticus C. P. Juliani, apud Zozimum lib. III; a figura semirotunda *sigma* vocabatur. Cum autem sigmati duo essent extrema, velut cornua, dexterum occupanti primus erat in convivio locus. Alter ei obtigerat, qui sinistrum. Si ergo Pharisæus primus erat in sigmate, dextrum ille cornu tenebat.

[e] Gregorius etiam, hom. 33 in Evangelio, Pharisæum hunc superbum *et tumentem* vocat.

[f] Deducto a more priscorum, qui in conviviis instrumentorum pulsatione delectabantur, et Judæi præ cæteris. Vide locum Amos VI, 5. Verba Chrysologi laudat Pignorius de Servis pag. 162.

[g] Sidonius lib. IX cap. 13 dixit *gemere tibiam.*

Crepulis reflanda buccis
Gemit aura tibialis.

[h] Unde apud veteres *fistulatores*. Puella item illa in regio convivio calamos modulabatur apud Abdiam lib. IX Histor. Apost.

[i] Horum usus plurimus apud Hebræos. Vide Lamy, de Templo, pag. 120.

[j] Fuerat enim meretrix, vel scortatrix. Nam id genus mulierum Græci vocant ἁμαρτάδας, *peccatrices.*

[k] Alius, *civitati : in civitate.*

[l] Vel quia civitas ob scandalum Magdalenæ apud cæteros male audiebat; vel tota civitas ad lasciviam ob exemplum hujus mulieris fuerat redacta, etc. MITA.

[m] Oleum sumpsit pro quocumque unguento. Alabastrum enim, in quo hujusmodi oleum servabatur, vas erat vulgare, et in conviviis usitatum, aptumque unguentis condendis. Plinius, lib. XXXVI cap. 8. At potior fortasse sententia opinantium alabastri nomine ea omnia vocari vasa in quibus unguenta condebantur. Vide Epiphan. de Ponder.; et scholiastem Theocriti in idyll. 15 pag. 188, et Aristophanis ad Acharnenses, pag. 302; præ aliis Guillelmum Stuchium Antiq. Conviv. lib. III cap. 15.

[n] Non tam cito modum accumbendi mensis, ut nobis hodie mos est, deseruerunt Hebræi. Licet enim Proverb. XXIII, 1; Amos IV, 7; Ezechiel. XXIII; et Tobiæ II, 4; Esther. I, 6; VII, 1, non obscura appareant

meruit pervenire. *Stans retro secus pedes ejus.* Ut Christi vestigiis innixa percurreret per viam vitæ, quæ per viam cucurrerat mortis. *Lacrymis rigabat pedes ejus.* En mutatur ordo rerum, pluviam terræ cœlum dat semper : ecce nunc rigat terra cœlum, immo super cœlos et usque ad ipsum Dominum imber humanarum prosilit lacrymarum, ut juxta Psalmistam et de aquis fletuum cantetur illud : *Et aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini* (*Psal.* CXLVIII). *Lacrymis rigabat pedes ejus.* O quanta vis in lacrymis peccatorum! rigant cœlum, terram diluunt, exstinguunt gehennam, delent in omne facinus lata divina promulgatione sententiam. *Et capillis capitis sui tergebat.* Dominicos pedes lavat lacrymis, [a] crinibus tergit. Vacat ab excusatione paupertas; inhumanitas veniam non habebit, quia in totum sibi natura sufficit ad obsequium Creatoris. *Et capillis capitis sui tergebat.* In peccatricis caput purgandis criminibus refluebat unda, ut sua fonte mulier in novum baptisma suorum dilueret illuviem peccatorum. *Et capillis capitis sui tergebat.* Ut juxta Psalmistam verticem capilli (*Psal.* LXVII), ex quo ambulaverat in delictis suis, in sanctitatem tali verteret servitute. *Et osculabatur pedes ejus.* Præcesserant intervenientes lacrymæ, ut oscula devota sequerentur, quia lacrymæ satisfactionis sunt documentum, [b] oscula sunt reconciliationis indicia. *Et ungebat unguento.* [c] Mulierem super caput Domini fudisse oleum, alio evangelista referente, cognovimus (*Matth.* XXVI) : non est ergo quod facit hæc mulier mollis et carnalis obsequii, [d] sed plenæ humanitatis est sacramentum; quia [e] in capite Christi Deus est, in pedibus evangelizantium pacem. [f] Orate, fratres, ut et nos in unguine Domini commereamur aliquatenus computari, et ungamur unguento quod pedibus funditur Salvatoris : quia sicut oblatio est, cum offertur unguentum; ita [g] chrisma perfectum est, de Dominicis vestigiis cum redundat. Cujus autem mulier ista typum præferat, vel quam magnum præfiguret arcanum, donante Deo, tunc dicemus, quando ea quæ sunt in sequentibus exponentur.

SERMO XCIV.

De eadem, et Pharisæo murmurante, ac Christo respondente.

Quoniam sermone proximo partem primam hodiernæ percurrimus lectionis, admirati pariter sumus quo fervore, qua fide, quali ausu, quanta obsequii novitate, peccatrix mulier ipsius vestigia contigerit Salvatoris : modo quid Pharisæus tacens dixerit, quid Christus, cui loquuntur tacita, responderit, audiamus. *Videns*, inquit, *Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens : Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum* (*Luc.* VII). Pharisæe, quod conspicis non est ignorantia, sed potestas; est divini judicii, non erroris humani. Pharisæe, erras, nescire magis potuit si fuisset propheta, quia prophetia non est humani arbitrii, muneris est divini : unde propheta [h] scit non quantum vult, sed quantum dederit ille [i] qui tribuit prophetiam. *Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum.* [j] Mulieris malæ tactus urit male conscium, parem polluit, suspectum notat, hominem malæ voluntatis infamat : cæterum peccatrix fit bona, fit sancta, fit innocens, cum tetigerit veniæ largitorem. Stercora contingunt, sed non inquinant solem. [k] Medicum cum tangunt vulnera, pu-

vestigia accubitionis super strata, vel lectisternia, mos hic adhuc apud omnes non obtinuerat. Quod processu temporis evenisse credunt interpretes ex imitatione Persarum et Chaldæorum. Certe Salvator, et in hoc Pharisæi convivio, et in ultima discipulorum cœna lectis incubuit. Ita vero jacebant, ut pedes versus mensam, et caput anteriorem partem respiceret. Accumbebant detractis calceis, et soleis, quas postea servus, quem Romani vocabant *ad pedes*, custodiebat.

[a] Heri quoque servorum suorum capillis tergebant manus.

[b] Vide Hebr. II, 21, et alibi sæpius; et consule Wowerum ad Minuc. Octavium pag. 18.

[c] Dubium an Chrysologus putaverit hanc eamdem fuisse mulierem de qua Matthæus XXVI. Aliam ab eo existimatam crederem; illam enim vocat absolute mulierem, hanc vero per particulam *hæc* determinat, quasi dicat : *hæc mulier de qua loquimur*. Chrysologo conveniunt cordatiores interpretes. Alius hic locus, alius Christi sermo. Obmurmurat Pharisæus, non Judas; et diversa propemodum est obmurmurationis causa : hic mulieris attactus, illic unguenti perditio redarguitur.

[d] Orientalibus humanitatis officium fuit, prandentibus et cœnantibus caput pedesque unguento delinire : cujusmodi officio feminæ potissimum fungebantur, quibus magis quam a viris res unguentaria curabatur. Vide I Samuel VIII, 13, et hic Maldonatum. Mita ait pro oleo capiti effuso, obsequium significari Christo Domino exhibitum; pro oleo effuso pedibus, humanitas præstita apostolis et successoribus. Quod si mulier Ecclesiæ personam agens, quæ est et aliorum interpretum mens, obsequium dimidiasset, non totum Christi corpus mysticum unxisset. Integrum præstitit, dum Christum caput Ecclesiæ, et sacerdotes verbique Dei præcones, qui pedes sunt, unguento perfudit.

[e] Quia idem Deus, qui est in capite Christi, est etiam in pedibus ejusdem corporis mystici, in quibus sunt prædicatores Evangelii, qui ideo pedes Christi dicuntur, quia Christus tamquam caput illos præcellit, illuminat, ac regit, ut sequantur vestigia ejus, prout dicitur infra, serm. 95. Verumtamen observandum est, in toto hoc corpore mystico Christi et Ecclesiæ, Deum diverso modo inesse. Siquidem est eminentissime in capite Christi, hoc est in humanitate Christi per hypostaticam unionem; in pedibus Christi, hoc est in Ecclesia, quæ præcipue ex gentibus conflata est, per fidem adest et gratiam, atque internam illuminationem, dirigens eorum actus, gressus, etc. Unxit hæc mulier caput et pedes Christi, ut pedibus per caput, et capiti per pedes obsequium præstaret humanitatis, argumento eorum quæ dixit Auctor infra, serm. 173 : *Sicut honor capitis*, etc. MITA.

[f] Suadet nobis orare Deum, ut et nos ungamur unguento quod pedibus funditur Salvatoris, hoc est, de Ecclesiæ sacramentis participemus.

[g] Ms. Cæs., *ita profecto chrisma est.*

[h] Alii quoque enarratores notant hic Pharisæi errorem, quasi prophetæ omnia scire debuissent. Vide Grotium, Brugensem, et Calmetum.

[i] Consule Maldonatum ad hunc locum.

[j] Nempe hæc erat Pharisæorum opinio, ex contactu hominum flagitiosorum alios inquinari. Isa. LXV, 5.

[k] Ex Latinio. Editi, *medicum cum tangit.*

tredo non polluit. Judicem quamvis tangat reus, non potest maculare cum supplicat. Sic peccator cum Dominum tangit, non Dominum sordidat; sed ipse et peccato caret omni, et rapit subito sanctitatem. Probat hoc mulier in profluvio sanguinis constituta, quæ ut [a] tetigit fimbriam Domini, non fimbriam polluit, sed ipsa mox inquinamento vetustæ caruit passionis. *Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum.* Pharisæus Christum prophetam crederet, si exposita oculis, nota populis si videret. Quid putas crediturus erit, cum mox eum mentis suæ arbitrum, cordis sui judicem, testem conscientiæ suæ, cogitationum suarum didicerit cognitorem? Putasne vel tunc fatebitur Deum, quem modo post virtutes tantas judicat nec magistrum? *Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum.* Mulier habebat vulnus, sciebat illud, et ideo taliter tanti vulneris medicum perquirebat; Pharisæus perfidiæ morbo saucius, superbiæ flamma febriens, per phrenesim se nesciebat insanum. Hinc est quod Christus illuc primum curam vertit, ubi ignota sæviebat infirmitas, ut cœlestis medicus uno medicamine duos curaret ægrotos. *Videns Pharisæus qui vocaverat eum, ait intra se, dicens.* Cui, quia intra se cogitaverat Pharisæus, Christus publica voce respondit; et dum Pharisæi cordis patefecit arcanum, ipsum fuisse totius prophetiæ demonstrat auctorem. *Respondens*, inquit, *Jesus, ait : Simon, habeo tibi aliquid dicere.* Tibi, cui opus est medicina, et nescis quærere medicinam; tibi, qui Deum magistrum vocas, et Dei deseris disciplinam : ignoras quoniam magistro magnam facit injuriam, qui se discipulum fatetur ejus, cujus non sequitur institutum? Nam sicut discipuli probitas laus est magistri, ita magistri vituperatio discipulus nesciens disciplinam. *Simon, habeo tibi aliquid dicere. Respondit, magister, dic.* Iterum, *magister, dic*, et non Deus dic. Jam jam Deum sentiens, quem vocat magistrum. *Duo*, inquit, *debitores erant cuidam feneratori : unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque; quis ergo eum amplius diligit? Respondens Simon dixit : Æstimo quod is cui plus donavit. Et Dominus, recte judicasti.* Audistis quemadmodum cœlestis creditor totum debitum charitate compensat, et ad incrementum totius fenoris amoris solius exigit et requirit usuram. Plectendus debitor, qui dilectione sola suam negligit redimere cautionem. Vis scire, homo, quid Deo debeas? Quod factus es, Dei creditum est; quod es rationis capax, Dei fenus est; quod discretionem mali bonive possides, accepisti; et quod vivendi normam acceperis per chirographum legis, stipulanti Deo spopondisse te non potes diffiteri. Sed dum te per vitia carnis in lutum instar suis demergis, et quadrupedum more vivens qua præditus es ratione privaris, et in gurgite criminum boni malive perdita discretione confundis, et divinæ legis substantiam dissipas, [b] mundana voluptate captivus, factus es gloriosi fenoris debitor luctuosus, cui deficientibus virtutum lucris criminum multiplicatur usura. Sed licet in hac re ecciderіs, licet fueris in ista devolutus, [c] vide ne desperes : homo, remansit tibi unde piissimo satisfa ias creditori. Absolvi vis? Ama. *Charitas cooperiet multitudinem peccatorum* (I *Joan.* IV). Negationis crimine quid pejus? et tamen Petrus amore solo valuit hoc delere, probante Domino, cum dicit : *Petre, amas me* (*Joan.* XXI, 12)? Inter omnia Dei præcepta amor obtinet principatum. *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua* (*Matth.* XII). Ama ergo, homo, Deum, et ama totus, ut possis omnia sine labore vincere et delere peccata. Teneræ militiæ, delicati conflictus est amore solo de cunctis criminibus reportare victoriam, sicut ex sequentibus elucescit. *Conversus*, inquit, *ad mulierem, dixit Simoni.* Quid est, quod conversus ad mulierem, Simoni loquitur Christus? Quia cum pœnitentem respicit, arguit oblatrantem. *Dixit Simoni : Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis capitis sui tersit; osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intravi non cessavit osculari pedes meos; oleo caput meum non unxisti, hæc autem unguento unxit pedes meos. Propterea, dico tibi : dimittuntur illi peccata multa, quoniam dilexit multum; cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Probatum est quia dilectio delet et abluit universa peccata. Quid est autem quod dixit : *Cui minus dimittitur, minus diligit?* Ergo ad peccandum satis est ut major charitas comparetur? Absit. Charitas de præteritis subvenit, non liberat de futuris; charitas nescit peccare cum diligit; charitas non est charitas, si delinquit; charitas Dei custos est sanctitatis. Fratres, si nos esse peccatores novimus, et esse nolumus peccatores, [d] pedibus Christi demus lacrymas, spargamus capillos, figamus oscula, pietatis oleum tota devotione fundamus; ut dicatur nobis : Dimittuntur vobis peccata multa, quia dilexistis multum. Imitemur hanc mulierem, quam conspicimus non solum caruisse peccatis, sed ad totum sanctitatis verticem pervenisse. Quæ sit autem hæc mulier, quia hodiernus sermo charitatis nos distulit, sicut jam promisimus, in sequentibus Deo auctore pandemus.

[a] Ex Latinio. Alias, *tangit*. Ex præcepto Moysis Num. XV, 83, Hebræi quadratorum palliorum oras teniola ornabant, addebantque angulis panniculos, vel fimbrias Græce κράσπεδα ex lino, vel cannabe cærulea. Hoc vestium genus gestasse Christum testatur hemorrhoissa.

[b] Sic emendat Latinius. Alias, *mundana voluntate.*

[c] In Novatianos insurgit, qui nihil spei relinquebant iis qui semel peccaverant; docebantque impie non posse ab hominibus peccata dimitti.

[d] Hi pedes sunt sacerdotes confessarii, ad quorum pedes peccata sunt deponenda per confessionem, dando lacrymas contritionis, spargendo capillos affectionis, peccata ore proprio nudando, amoris oscula figendo, Deum toto corde diligendo, oleum pietatis fundendo, et peccatorum satisfactionem exhibendo. Lege infra, serm. 95. MITA.

SERMO XCV.

De eadem, ubi de Magdalenæ allegorica conversione.

Omnia quæ a Christo corporaliter gesta referuntur, sic subnixa sunt historica veritate, ut plena semper sacramentis cœlestibus comprobentur. Et quia, quod erat in facie lectionis jam perstrinximus sermone repetito, orate ut, sicut promisimus, interna ejus, Spiritu sancto revelante, pandamus. Inhonora est dictio, quæ Dei facta humana tantum expositione depromit. *Rogavit*, inquit, *Dominum quidam Pharisæus ut manducaret cum illo* (*Luc.* VII). Pharisæus, fratres, [a] catholicus dicitur Judæorum; nam et resurrectionem credit, et [b] a Sadducæo resurrectionem negante dissentit. Hinc est quod rogat Christum, id est, resurrectionis auctorem, ut manducet cum illo : quia qui convivit Christo, mori nescit, utique vivit semper. *Rogabat Dominum ut manducaret cum illo.* Rogas, Pharisæe, ut manduces cum illo; crede, esto Christianus, et manducas ex illo. *Ego sum*, inquit, *panis qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI). Semper Deus majora tribuit quam rogatur; nam se manducandum dedit, qui rogabatur, ut manducandi secum fiduciam largiretur; et tamen sic hoc dedit, ut illud quod postulatus est non negaret. Nonne promittit hoc et sponte discipulis suis? *Vos qui perseverastis mecum, manducabitis et bibetis in mensa mea in regno meo* (*Luc.* XXII). Christiane, qui se tibi hic manducandum dedit, quid suum tibi denegare poterit in futurum? Et qui tantum tibi viaticum paravit ad victum, quid in illa tibi mansione perpetua non paravit? *Manducabitis in mensa mea in regno meo.* Audisti Dei convivium, sollicitus non sis de qualitate convii. Qui pervenire regis meretur ad mensam, manducabit quidquid regni dominatio possidet et potestas; sic qui ad convivium venerit Creatoris, habebit in deliciis suis quidquid continetur in creatura. Sed ad cœpta redeamus. *Et ingressus domum Pharisæi.* Quam domum? Nempe synagogam ingressus accubuit. In synagoga, fratres, tunc accubuit, quando occubuit Christus : sed corpus suum Ecclesiæ transmisit ad mensam, ut esset cœlestis caro manducaturis gentibus ad salutem. *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI). Quemadmodum autem manducetur caro Christi, A quomodo bibatur et sanguis ejus, norunt illi [c] qui sunt sacramentis cœlestibus instituti. *Ecce*, inquit, *mulier quæ erat in civitate peccatrix.* Quæ mulier? [d] Ecclesia sine dubio. *In civitate peccatrix.* Civitate qua? Illa de qua dixerat propheta : *Quomodo facta est meretrix civitatis fidelis Sion* (*Isai.* I)? Et alibi : *Vidi iniquitatem et contradictionem in civitate, et iniquitas et labor in medio ejus et injustitia; et non defecit de plateis ejus usura et dolus* (*Psal.* LIV). In civitate ergo perfidiæ septa muris, superbiæ turribus communita, distincta iniquitatum plateis, obserata contradictionum portis, depicta doli fucis, indurata [e] silicibus usurarum, negotiorum doloribus aggravata, infamata lupanaribus, id est, idolorum templis, mulier hæc, id est Ecclesia, gravissimum trahebat reatum ex B tanta præcedentium colluvie peccatorum. Sed ubi audivit venisse Christum ad domum Pharisæi, id est, ad synagogam : ibi, hoc est, ad Judaicum Pascha, passionis suæ mysteria tradidisse, aperuisse sui corporis et sanguinis sacramentum, manifestasse nostræ redemptionis arcanum, Scribas velut pessimos despiciens janitores. *Væ vobis legisperitis, qui tulistis clavem scientiæ* (*Luc.* XI)! Irruptis contradictionum foribus, contempto ipso chori Pharisaici principatu, ardens, anhelans, æstuans ad totum legalis convivii penetrale pervenit : ibique reperit Christum inter amoris epulas et dulcia pocula traditum, Judaicam occubuisse per fraudem, juxta illud prophetæ : *Quoniam si inimicus exprobrasset mihi, supportassem utique; et si is qui oderat me, super me mala locutus fuisset, abscondissem me utique ab eo : tu vero, homo unanimis, dux meus et notus meus, qui mecum dulces capiebas cibos, in domo domini ambulavimus cum consensu* (*Psal.* LIV). *Ut cognovit accubuisse Dominum in domo Pharisæi*, id est, in synagoga omni dolo, tota fraude addictum, passum, crucifixum et sepultum; tamen a fervore fidei tanta ista non retardatur injuria, sed portat unguentum, portat Christiani chrismatis oleum : et quia Christi faciem videre non meruit corporalem, stat retro non loco, sed tempore, inhæret ejus vestigiis, ut sequatur; et jam desiderii plus quam conscientiæ lacrymas fundit, ut quem abeuntem videre non meruit, mereatur videre redeuntem. Lacrymas ergo ad pedes Domini profluo amore perfundit; dum pedes evangelizantium regnum ejus bonorum operum ma-

[a] Pharisæorum secta antiquissima censetur, quamvis Hieronymus in Isai. VIII scribat ex schola Hillel et Sanimai profluxisse. Eorum mores, instituta, superstitiones habes apud Calmetum Diction. Bibl. Cæterum eos credidisse animam immortalem, specie quadam metempsycoseos admissa, existentiam angelorum, et corporum resurrectionem, constat ex Act. XXIII, 8; Josepho Antiq. lib. XVIII cap. 2 et de Bello lib. II cap. 12.

[b] Sadducæi pluribus erroribus inquinabantur. Nam animam rationalem, quam in hominibus fatebantur, immortalem esse perfracte negabant. Joseph. lib. II de Bello, cap. 12. Angelorum existentiam habebant ad instar fabulæ, Act. XXVIII, 8; Matth. XXII, 23; Marc. XII, 8; Lucæ XX, 27; Deumque corporeum asserebant. Arnobius lib. III pag. 100. Et ab eo providentiam abstulerant. Josephus ubi supra. Unde et alterius vitæ D præmia et pœnas! Præ cæteris corporis resurrectionem pro viribus impugnabant. Quapropter successu temporis, nam eversis Hierosolymis pestis hæc parumper desæviit, vires iterum sumptura, imperator Justinianus, sancita lege, ab imperii finibus adegit, ultimoque supplicio damnavit.

[c] Non omnibus enim sacra religionis mysteria pandebantur. Aug. tract. 96 : *Catechumenis sacramenta fidelium non producuntur.* Et eucharistiam præcipue sub arcani disciplina latuisse norunt omnes. Consule Origenem, lib. contra Celsum.

[d] In hac muliere Ecclesiam figurari docet etiam Ambrosius, lib. VI in Lucam, cap. 15; et Gregorius, homil. 33 in Evangel.

[e] Usurarii duri ut *silices*, damnantur ab SS. Patribus apud Suicerum tom. II pag. 1275.

nibus tenet, lavat lacrymis charitatis, confessionis labiis osculatur, et totum misericordiæ profundit unguentum, donec conversus ad eam; quid est conversus? hoc est, revèrsus, dicat Simoni, dicat Pharisæis, dicat negantibus, dicat populo Judæorum : Intravi domum vestram, aquam pedibus meis non dedistis. Et hæc quando dicet? Quando venerit in majestate Patris sui, et segregabit justos ab injustis, quasi pastor qui segregat oves ab hædis; et dicet : *Esurivi, et non dedistis mihi cibum; sitivi, et non dedistis mihi potum; hospes fui, et non suscepistis me.* Hoc est dicere, Aquam pedibus meis non dedistis; hæc autem, dum meorum pedes lavat, pedes ungit, pedes osculatur, fecit servis [a] quod vos Domino non fecistis (*Matth.* XXV), fecit pedibus quod capiti vos negastis, impendit minimis quod vos vestro denegastis auctori. Tunc dicet ad Ecclesiam : Dimittuntur tibi peccata multa, quia dilexisti multum. Quia tunc erit remissio peccatorum, quando tolletur materia tota peccandi, quando corruptio induet incorruptionem, quando mortalitas immortalitatem consequetur, quando peccati caro caro totius efficietur sanctitatis, quando terrena servitus cœlesti dominatione mutabitur, quando militia humana divinum promovebitur ad regnum. Orate, fratres, ut et nos in parte Ecclesiæ constituti, ad ea quæ numeravimus pervenire mereamur, auctore ipso Christo, cui est honor et gloria una cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XCVI.

De parabola zizaniorum [b].

Si dicta vel facta Christi passim carnalibus sensibus [c] subjicerentur, torpesceret animus meus, vacaret, dormiret ingenium, cor tabesceret, exstingueretur quidquid humani vigoris est et caloris. *Proposuit*, inquit, *illis parabolam* (*Matth.* XIII). Sicut in lapide friget ignis, latet ignis in ferro, ipse tamen ignis ferri ac lapidis collisione flammatur; sic obscurum verbum verbi ac sensus collatione resplendet. Certe si mystica non essent, inter infidelem fidelemque, inter impium atque pium discretio non maneret, et esset devotus sicut contumax, iners sicut qui laborat, pervigil ut ille qui dormit : nunc vero cum petit anima, mens pulsat, quærit sensus, sperat pietas, fides exigit, meretur intentio, apparet et sudantis fructus, et pœna desidis, et justitia largitoris simul, quia plus accepta sapiunt quam possessa, inventa magis quam subjecta delectant. Hinc est quod doctrinam suam Christus parabolis velat, tegit figuris, sacramentis operit, reddit obscuram mysteriis. *Proposuit*, inquit, *illis parabolam*. Illis, hoc est, non suis, sed extraneis, inimicis utique, non amicis; spectantibus ad calumniam, non audientibus ad salutem. *Ideo in parabolis*, inquit, *loquor eis, quia videntes, non vident; et audientes, non audiunt, neque intelligunt.* Quare? Quia qui calumniatur præterita, videre præsentia non meretur; neque dignus est agnoscere gratiam, qui legem ne cognosceretur, abscondit. *Væ vobis*, inquit, *legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ; ipsi non introistis, et eos qui introibant, prohibuistis* (*Luc.* XI). *Proposuit*, inquit, *illis parabolam, dicens : Simile est regnum cœlorum homini.* Et quid offendit Christus, si in similitudinem hominum factus est, ut pereunti humano generi subveniret? Scandalizat Dominus, si, ut manumittat servos, inveniatur in habitu servitutis? quando quidquid est majestas futuræ, quidquid adventus et regni, ecce homini comparatur. *Simile est*, inquit, *regnum cœlorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo; cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit.* Audistis quemadmodum sator mundi rerum principia bona sevit, nec ullum malum ab originis processit auctore; ab inimico superseminatum est malum, malum [d] non est a rerum parente procreatum. *Et vidit Deus*, inquit, *omnia quæcumque fecit, et ecce bona valde* (*Gen.* I). Bona, et valde bona : nam quem Deus faciens vocavit mundum, inficiens reddidit inimicus immundum; et hominem quem Deus in paradiso deliciarum collocavit ad vitam, inimicus in hac laboris vita detraxit ad mortem; et affectum quem carni Deus inseruit per naturam, inimicus in parricidium per invidiam commutavit. Cain probat hoc qui primus germano sanguine terram tinxit, et in exitum fraternum [e] mortis dignus exstitit dedicator (*Gen.* IV). Sic ex discordia nata mors semper humanam scindit et separat charitatem. Et quia longum est ire per singula, vel paucis aperire compellimur, inimicus qualiter bonis mala, virtutibus vitia, vitalibus mortalia, nostram semper superseverit ad ruinam. Nonne ex uno homine Deus omnem replevit terram, et semine ex uno pius sator totum genus hominum tantam multiplicavit ad messem? Sed inimicus mox homines in unum redegit omnes; et superseminando mala quod bene satum fuerat, delevit diluvio, non rigavit. Sic legem divinis et veracibus satam præceptis, humanis et mendacibus fucavit inventis : ut de sacerdote fieret persecutor, de doctore depravator existeret, de defensore legis redderetur immicus. Sic creaturas ad agnitionem conditas Creatoris, ut nesciretur Deus, deos esse mentitus est. Hinc sapientes sæculi fecit stultos, speculatores mundi docuit nihil videre, professores scientiæ fecit scientiam non habere, inquisitores rerum omnium dimisit ignaros. Sic evangelicam segetem satam cœlesti semine hæretica zizania superseminando confu-

[a] Triplici capite juxta veterum morem debebatur aqua pedibus Christi, uti Domino et advenæ, Genes. XVIII, 4; I Regum XXV, 41; I Timoth. V, 10; et uti discubituro. Vide Athenæum lib. XIV.

[b] Zizania, herba notissima, stipula exiliori quam triticus : et lolii species, quæ ex tritico corrupto nascitur : et hæc est zizania Evangelica. Vide Julium Pomponium, Sabinum, veterem Georg. Virgilii interpretem.

[c] Alias, *subjacerent*.

[d] Crasse igitur Manichæi ex sequentibus Evangelii verbis colligebant naturas ipsas bonas malasque a Deo et diabolo seri, inquit Grotius.

[e] Cain vocatur πρωτοφόνος, *primus homicida;* qua voce carere lexica inquit Suicerus tom. II pag. 884.

dit inimicus, ut manipulos fidei gehennæ fasciculos faceret, ne triticum fieret cœlestium horreorum. Et quid plura? Posteaquam est ipse in dæmonem conversus ex angelo, ne qua creatura in suo statu consisteret, arte, dolis, machinis, fraude contendit. Sed jam præsentis parabolæ verba pandamus. *Simile est regnum cœlorum homini.* Cui? Utique Christo. *Qui seminavit bonum semen.* Quia in ipso rerum semine nescit malum conditio Creatoris. *In agro suo.* Hoc est, in mundo, dicente ipso Domino, *Ager hic mundus est* (*Matth.* XVI). *Cum autem dormierunt homines.* Id est, sancti Patres, patriarchæ, prophetæ, apostoli, martyres, in sopore mortis temporaliter dormientes, quia sanctorum mors somnus est; peccatorum vero mors est, quia in inferno pœnæ vivunt, vitæ pereunt peccatores. *Veniens inimicus ejus.* Id est, diabolus. *Superseminavit zizania.* Superseminavit, non seminavit. Præcedunt Creatoris bona, mala diaboli postsequuntur; ut malum quod est ex diabolo, sit accidens, non natura. *Superseminavit zizania in medio tritici.* Quia diabolus hæreses inter fideles, inter sanctos peccatum, inter pacificos lites, inter simplices dolos, inter innocentes nequitiam gratis serere consuevit : non ut acquirat zizania, sed ut triticum perdat; nec ut reos capiat, sed ut adimat innocentes. Hostis plus ducem quam militem petit; nec obsidet mortuos, sed impugnat viventes : sic diabolus non peccatores quærit capere, quos possidet subjugatos, sed ut justos capiat, sic laborat. *Superseminavit zizania in medio tritici, et abiit.* Quia diabolus impellit quidem viribus ad ruinam, sed posteaquam prostraverit, derelinquit; diabolus non quærit hominem, sed hominis interitum quærit. Fratres, ille malis nostris gaudet, turget ruinis nostris, nostris vulneribus convalescit, nostrum sanguinem sitit, nostra saturatur ex carne, nostris [a] vivit ex mortibus. Diabolus hominem non vult habere, sed perdere. Quare? Quia ad cœlum unde ille cecidit, non vult, non fert, non patitur hominem pervenire. Et quia nos sermo trahit longius hodie, reliqua differamus, ut et communem relevemus laborem, et quæ dicenda sunt plenius exsequamur. Deus autem noster et mihi dicendi gratiam, et vobis audiendi desiderium donare dignetur.

SERMO XCVII.

De eadem.

Quia festinus antehac sermo, ut communem temperaret laborem, ad totum parabolæ prætereuntis non valuit pervenire secretum, nunc reliqua, Domino revelante, pandamus. *Proposuit*, inquit, *illis parabolam, dicens : Simile est regnum cœlorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo; cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. Cum autem dormirent homines* (*Matth.* XIII). Insidiator in noctibus latitat, in diebus vigilantes fugit, appetit dormientes, fortis conflictum petit, provocat palam spectantibus omnibus, et coram populis vult habere victoriam. Maximæ infirmitatis indicium est dormientibus irruisse. *Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus.* Malus numquam non stultus. Quid hic egit inimicus? Esto quod dormierint servi, numquid et Dominus dormiebat? Esto quod oculos servorum sopor clauserit post laborem; numquid et dominantis oculos ulla vicerat lassitudo? Inimice, lucis refuga, vigilasti, laborasti, sed non latuisti : nam, dormientibus servis, Dominus ipse te videt; desertor cœli prævenisti, fecisti, sed non profecisti. Deo perire non potest quod ipse custodit : fraudis auctor, in Dominum non committis, sed in servos, dum facis ut negligentiæ illorum quod tuæ fraudis est ascribatur. Ille, ille te videt, qui totius et fraudis testis est et laboris. Manent ergo laboris sui fructus benefacientem, manent et nequitiæ suæ pœnæ fraudantem; illi triticum ad horreum cœleste portabunt, tu tibi zizaniorum tuorum portabis fasciculos ad gehennam. *Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania.* Ut quid? Ut periret dominica messis, et hoc ad lucrum quid pertinebat inimici, nisi quod invidiæ spiritus hominum damnum suum computat lucrum, et quod perierit hominibus, hoc se æstimat acquisivisse? Sed diabolus hoc ideo, ut diximus, tenebris celantibus est molitus, ut adulteratæ messis noxa redundaret ad servos, et hinc pœnam sumerent, unde speraverant palmam. Denique vigilantes servi præ timore, ista cur evenerint expavescunt : hoc metuentes, ne zizaniorum germina ad illorum redirent offensam, quorum conscientia præter jactum boni seminis nil habebat. Hinc est quod auditum sui domini prævenerunt, ne securi de innocentia, reatum de silentio sustinerent : cum vocatur innocens ad reatum, dum purgari æstuat, urget et stimulat cognitorem. *Cum autem crevisset herba et fructum fecisset, tunc*, inquit, *apparuerunt et zizania.* Quod latet in herba, manifestatur in spica; et [b] quod celatur in germine, aperitur in fructu : sic quos credentes putamus pares, fide dispares invenimus, sic judicii prodit messis quod Ecclesiæ germen occultat. Juxta illud dictum Dominicum : Ex fructibus eorum cognoscetis eos (*Matth.* VII). Flores multi, multitudinem fructuum pollicentur, sed exanimati ventorum flabris, ad fructum paucissimi perseverant : sic credentes in Christo multi Ecclesiæ videntur in pace; ubi autem persecutionis procella perflaverit, pauci martyrii reperiuntur in fructu. Sed [c] Euphemia sancta plus solvit in fructu

[a] Ms. Cæsen., *nostris saginatur ex mortibus.*

[b] Ex ms. Cæsen. Alias, *in gramine ;* cui lectioni adhærendo M.ta subdit : Id est in herba, juxta illud Isaiæ XLII, 15 : *Desertos faciam montes et colles, et omne gramen illorum exsiccabo :* id est, omnem herbam.

[c] In quadam constitutione Manuelis Comneni, apud Suicerum Thes. Eccles. tom. II, pag. 25, S. Euphemia vocatur Καλλιμάρτυρ. Ita enim Græci plerumque vocabant feminas illas pro Christiana religione mortem oppetentes. De ea meminit Paulinus Nolanus poema 26, pag. 638 :

Et quæ Chalcidicis Euphemia martyr in oris,
Signat virgineo sacratum sanguine littus.

quam promisit in flore; quæ, manente virginitatis flore, copiosum martyrii pervenit ad fructum. *Accesserunt*, inquit, *servi patrisfamilias, dicentes ei.* Accesserunt, fratres, mente non corpore; non loco, sed fide; dixerunt non clamore vocis, sed cordis tacito cum dolore : *Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo?* Seminasti, non seminavimus : [a] nos quod perfecte facimus, tibi semper nostro assignamur auctori, et tu in iis quæ nobis facienda præcipis, ipse operator assistis. Ergo si nos operis tui facis esse pro tua dignatione consortes, non nobis solis quod zizania nascuntur ascribas. Domine, aut tecum nos munit innocentia, aut nobiscum te reatus attingit; nos nostro operi non potuimus invidere, magnis sudoribus offensam non potuimus comparare; tu quod vis, unde vis, quando vis, habes; nos præter tuam gratiam nil habemus, per quam stamus, *vivimus, movemur et sumus* (*Act.* XVII), et sine qua jacemus, deficimus et perimus. Ergo nos hæc nobis sic laboravimus, ut perirent? Sed quis hoc fecerit, qui solus non dormis, nobis dormientibus, tu vidisti; et si tu vidisti, juste Judex (factum quis scit? ille qui vigilat, non ille qui dormit (*Ps.* CXXVI), ergo tu prode eum, ut nos quos sic anxios conspicis, facias sic securos. *Ait dominus, Inimicus homo hoc fecit.* Inimicus homo hoc fecit; et tu quare hoc cum videres, Domine, permisisti? Quare? Quia timere fraudes non potest, cui nil potest deperire; et quia [b] plus est mixta discernere quam prohibere mixturam, majus est reparare perdita quam illæsa servare; simul quia oportet zizania esse, ut qui probati sunt manifesti fiant (I *Cor.* XI). *Servi autem dixerunt ei, Vis imus et colligimus zizania?* Sic devoti servi indefessum promittunt laborem, nec patiuntur Dominicæ messis videre vel temporaliter feditatem; sed Dominus, quem tempora non fatigant, et quando vult potest abolere suæ messis injuriam, vetat dicendo : *Non.* Et quare prohibuerit mox revelat. *Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum.* Sic imperiti erant cultores, sic operis nescii, sic discretionis scientiam non habentes, ut evellentes zizania, eradicarent et triticum? Ubi sunt prophetæ per Dei spiritum prophetantes? Ubi Petrus cui Pater revelat (*Matth.* XVI)? Ubi Paulus in quo operatur (*Gal.* II) et loquitur (II *Cor.* XIII) Christus? Ubi omnes sancti, plane sancti, sed servi, tantum scientes, quantum singulis scientiarum largitor indulsit? Sed dicis, Hoc occultum nil erat, nil erat ibi occultum, quando aliud videbatur in specie, aliud habebatur in flore; et quod hodie erat zizania, cras in triticum vertebatur : sic hodie habetur hæreticus, qui crastina fit fidelis; et qui ad præsens peccator cernitur, ad futurum justus assistit. Hinc est etiam quod auctor utraque referebat ad messem, id est, usque ad judicium divinæ patientiæ suæ et nostræ pœnitentiæ tempus, ut qui de se malo commutarit ad bonum, Dominicum deputetur in triticum, cœlestibus horreis aggregandus; qui se de fideli fecerit infidelem, gehennæ deputetur incendio. Et quid plura? Si zizaniis non Dei patientia subveniret, nec Matthæum de Publicano evangelistam, nec Paulum de persecutore apostolum Ecclesia possideret. Denique Ananias eradicare triticum tunc quærebat, quando ad Saulum missus, de Paulo talia querebatur : Domine, quanta mala fecit sanctis tuis (*Act.* IX)! hoc est, eradica zizania; quid ad lupum ovis? quid ad contumacem devotus? quid ad persecutorem talis prædicator missus? Sed cum Ananias videret Saulum, Paulum Dominus tunc videbat; cum Ananias persecutorem diceret, tunc Dominus prædicatorem sciebat; et cum ille eum zizania judicaret inferni, Christus eum vas electionis, triticum in cœlesti horreo jam ponebat. *Vade*, inquit, *quia vas electionis est mihi* [c].

SERMO XCVIII.

De parabola grani sinapis.

Audistis hodie, fratres, quemadmodum grano sinapis tota regni cœlestis comparata est magnitudo. Et quid est quod potestatem tantam, sic parva, sic minima, immo minimorum minima similitudo concludit? Sic enim ait Dominus : *Cui simile est regnum Dei? et cui simile æstimabo illud* (*Luc.* XIII)? Cum dicit : *Cui est simile*, quasi quærentis indicat et producit affectum. Et ille solus Verbum, scientiæ fons, dicendi flumen, qui omnium corda rigat, sensus aperit, ingenium dilatat, in invenienda similitudine nunc laborat? Sed quid invenerit audiamus. *Simile est*, inquit, *regnum cœlorum grano sinapis.* Quærens in cœlo et in terra, nil invenit nisi granum sinapis, in quo potentiam totam supernæ dominationis includat; et illud regnum singularitate potens, æternitate felix, divinitate fulgens, diffusum toto cœlo, tota terra dilatatum, in grani sinapis coarctat et concludit an-

---

Chalcidicum hic est Chalcidonia. Chalcidone enim in Bithynia, non Chalcidis in Eubœa passa est Euphemia. Ita Sidonius carm. 2 paneg. Anthemii agens de Byzanthio, cui Eurus a proxima Chalcedone spirat :

Proxima Chalcidicis sensim tuba temperat Euri.

De Euphemia meminere Ennodius apud Sirmondum tom. I pag. 110, hymn. 17 et pag. 1142, num. 130, ubi ejus leges epitaphium; Calendarium Seldeni, pag. 1339; Mediolanense apud Muratorium; et Frontonis pag. 229; de qua etiam sermonem habuit S. Asterius Amasenæ episcopus. Ravennæ fuit templum divæ Euphemiæ sacrum, quod Apollinaris episcopus longo postliminio reversus rite consecravit; ibique divæ lipsana ab Hermacora Aquileiæ episcopo, divique Marci discipulo accepta reposuit, teste Rubeo Histor. Ravenn., et ex eo Bacchinio in Agnelli Pontificali tom. I pag. 131. Pronum autem est credere in eadem ecclesia homiliam hanc habitam fuisse a Chrysologo. Ibidem enim, non in aliis ecclesiis Ravennatibus, habebantur Missæ ad populum, id est *solemnes* in quibus episcopus concionabatur.

[a] Ex mss. Cæsen. et Vallicell. Editi, *quod per te facimus.*

[b] Ex editione Mitæ. Aliæ : *Plus est mystica discernere quam prohibere mysterium.*

[c] Huic sermoni nonnulla deesse videntur.

gustias? *Simile est regnum cœlorum grano sinapis.* Spes ista est credentium tota? Exspectatio ista est fidelium summa? Ista est felicitas virginum longis continentiæ laboribus comparata? Ista est gloria martyrum totius effusione sanguinis conquisita? Hoc est *quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (I *Cor.* II)? hoc est quod ineffabili sacramento diligentibus Deum promittit Apostolus esse præparatum? Fratres, non facile Dominicis moveamur in dictis; nam si *infirmum Dei, fortius est hominibus; et stultum Dei sapientius est hominibus* (I *Cor.* I), hoc minimum Dei tota magnitudine mundi magnificentius invenitur; si modo hoc granum sinapis nos sic nostris seminemus in mentibus, ut intelligentiæ magnam nobis in arborem crescat, et sensus altitudine tota levetur ad cœlum, ac totos scientiarum diffundatur in ramos atque ita ora nostra ferventia vivido fructus sui sapore succendat, et ita igne seminis sui toto nobis ardeat, et flammetur in pectore, atque nostræ ignorantiæ totum nobis auferat sua degustatione fastidium. *Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, et crevit, et factum est in arborem magnam, et volucres cœli requieverunt in ramis ejus.* Grani sinapis, sicut dicit, instar est regnum Dei, quod de supernis affertur verbo, suscipitur auditu, fide seritur, credulitate radicatur, spe crescit, confessione diffunditur, virtute tenditur, et dilatatur in ramos, ad quos vocat aves cœli, id est, spirituales sensus, atque in ipsis eas quieta suscipit mansione. Veniat hæreticus, veniat, quia redeuntibus Ecclesiæ semper patescit ingressus; veniat, audiat, et pietati Dominicæ jam desinat oblatrare. Si cœlestis regni majestas omnis ad grani sinapis similitudinem venit, quid quæritur quod Deus ad hominem, Dominus [a] servi descendit in formam? Sic enim venit, hæretice, ut tibi totum per fidem cresceret, cui jam totum defecerat per naturam. *Simile est regnum cœlorum grano sinapis.* Sed sinapis revertamur ad granum : sic tota regni summa manet, et consistit in regno cœlorum. Christus est regnum cœlorum, qui, [b] velut granum sinapis, in hortum virginei corporis missus, orbe toto crucis [c] in arborem crevit, ac tantum dedit fructus sui saporem, cum teritur passione, ut quidquid est vitale suo saporaret et condiret attactu. Nam sicut in integritate grani sinapis virtus habetur occulta, apparet vero virtus ejus vehementissime si teratur; ita Christus corpore teri voluit, qui suam noluit latere virtutem. Et nos, fratres, teramus istud granum sinapis, ut ejus vim in hac similitudine sentiamus. Christus rex, quia tota ipse est origo regnandi; Christus regnum, quia in ipso est regni sui tota majestas; Christus homo, quia totus homo reparatur in Christo; Christus granum sinapis, unde magnitudo tota Dei, tota hominis exiguitate [d] minoratur. Et quid plura? Omnia ipse factus est, ut in se repararet omnes; Christus homo accepit granum sinapis, hoc est, regnum Dei accepit homo Christus, quod habuit semper Deus Christus; misit in hortum suum, hoc est, in Ecclesiam sponsam. Hujus horti sæpe meminit in Canticis Canticorum, dicendo: *Hortus clausus* (*Cant.* IV). Ecclesia hortus est Evangelii vomere orbe toto diffusus cultura, clausus stimulis disciplinæ, ab omni pessimo gramine apostolico labore purgatus, fidelium plantariis, liliis virginum, rosis martyrum, confessorum viriditate amœnus, fragrans floribus sempiternis. Hoc itaque granum sinapis in hortum suum misit Christus, id est, promissione regni sui, quod radicatum est in patriarchis, natum est in prophetis, crevit in apostolis, in Ecclesia fecit arborem magnam, multiplices dedit in donationibus ramos, quos enumerat Apostolus, dicendo : *Alii datus est sermo sapientiæ, alii verbum scientiæ, alii cura sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum* (I *Cor.* XII). Audistis, fratres, istud granum sinapis in arborem quam prorupit, audistis quas fundavit radices, audistis quales quantosque se jam [e] diffuderit et secaverit in ramos, in quibus cœli, non aeris, aves, in pennis sapientiæ et prudentiæ volatu, fidei securitate requiescant. Et tu audi, si vis terrenas bestias non timere, si vis evitare aves rapaces, voraces vultures, hoc est, aves aereas, quæ sunt omnes nequitiæ spirituales; elevare a terra, terrena deserere : sume alas columbæ propheticæ deargentatas (*Psal.* LXVII), sume pennas divini Solis fulgore radiatas, evola in specie auri, ut in tantis et talibus ramis jam nullis laqueis attentanda requiescas semper, et de volatu tali valida, et de tanta mansione secura. De similitudine sequenti, sequenti verbo, Domino docente, declarabimus.

[a] Contra Christi humanitatem negantes insurgit; in Eutychen præ cæteris, sibi coævum, de quo S. Leo ad Julianum, Coensem episcopum, epist. alias 11, nunc 25, ait Eutychen unigenitum Dei Filium sic de utero B. Virginis prædicare natum, *ut humani quidem corporis speciem gesserit, sed humanæ carnis veritas Deo unita non fuit.* Valentinus, Apollinaris, Manichæi nullam in Christo humanæ carnis dixere veritatem.

[b] Similia his habet Hilarius, Comment. in Matth. XIII, tom. I, pag. 735 recent. edit., ubi Christum grano sinapis comparat.

[c] Minimum, aliorum comparatione, est granum sinapis. Sed in calidioribus locis longe super humanam staturam assurgit, et arborescit. Id quod in agro Babylonensi de sesamo et milio fieri testatur Herodotus.

[d] Hoc est, *abbreviatur*, ut psalm. LXXXVIII, 14 : *Minorasti dies temporis;* ubi Hebræus legit *abbreviasti.* MITA.

[e] Futuram evangelicæ doctrinæ vim et incrementum prædicit Christus. Quam late vero et quam cito sparsum fuerit verbum Domini eruitur ex Actis Apostolicis, Epistolis Pauli, et scriptoribus sequentis sæculi. Confer Irænеum, lib. I cap. III; Origenem, homil. IV in Ezechiel.; Arnobium, lib. II; Athanasium, in epist. synodica, apud Theodoretum histor. lib. 4 capit. 3; Hieronymum, epist. ad Evagrium; Chrysostomum, serm. de Pentec. Tertullianus, qui scribebat circa annum 200, inter nationes Christo subditas, commemorat : *Getulorum varietates, Maurorum multos fines, Britannorum inaccessa Romanis loca, Sarmatarum, Dacorum, et Scytharum et multarum gentium Romanis ignotarum,* etc.

SERMO XCIX.

De parabola fermenti.

Bene cucurrit hodiernæ series lectionis, ut evangelica mulier mater nostra acciperet a Domino fermentum, per quod nobis hodie hoc templum tantam sanctitatis exigeretur et surgeret in massam. Sic enim cœpit Dominus : *Cui simile æstimabo regnum Dei? Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ mensuris tribus, donec fermentatum est totum* (*Luc.* XIII). Bonus Dominus, amator suorum Christus, regni sui similitudines iterat, variat comparationes, quas non de occulto sumit, non captat de cœlestibus, sed profert de quotidiano usu, de communi conversatione proponit, ut ad omne genus hominum perveniat, quod est omnibus profuturum, juxta illud prophetæ : *Audite hæc, omnes gentes, auribus percipite, omnes qui habitatis orbem, quique terrigenæ, et filii hominum, simul dives et pauper* (*Ps.* XLVIII). Si quid de divinitatis occulto, si quid de secreto regali, si quid de penetralibus divitum afferret in medium, hoc nesciret pauper, non caperet mediocritas, notum simplicitas non haberet : nunc vero loquitur nota diviti, usitata pauperi, omnibus vitæ ipsius necessitate [a] vernacula, quia homo in Dei vocatione quæritur, non discernitur in ejus vocatione persona. Sed lectam similitudinem replicemus. *Cui simile*, inquit, *æstimabo regnum Dei?* Sic dicendo appendit animos auditorum, et attonitos reddit stupore toto, quid regno Dei, quid imperio divino valeat comparari : atque illis mente per multa et magna pervagantibus cœli Dominus in hospitio pauperis, in manu [b] panicoctariæ mulieris regni sui invenit et format exemplum, dicendo : *Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ mensuris tribus, donec fermentatum est totum.* Ante regnum suum grano sinapis comparabat, nunc illud efficit simile fermento. Ante sinapis granum memorat accepisse virum, mulierem nunc asserit accepisse fermentum. Dicit ante exiguum semen virum sevisse in magnæ arboris incrementum, mulierem modo fermentum breve ad profectum totius massæ abscondisse manifestat. Vere, sicut dixit apostolus Paulus : *Neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino* (I *Cor.* XI). Ad unum regnum diversum sexum varia similitudo perducit, neque virum separat a muliere vocatio Christiana, quos Deus conjungit, natura sociat, et mira similitudine similes reddit habitus, forma componit, et facit Deus, ut sit homo unus duo, duo unus, alter ipse homo in copula conjugali; ne sit aut singularitas destituta, aut confusa conjunctio. Sed quare has similitudines regni sui Dominus per virum [c] producit et feminam? Quare majestatem tantam tam vilibus, tam disparibus format exemplis? Fratres, pretiosum latet in hac vilitate mysterium, dicente Apostolo, *Mysterium hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V). Comparationibus istis humani generis negotium geritur principale, per virum et mulierem mundi causa sæculis tractata finitur : Adam primus homo, mulier prima Eva, ab arbore scientiæ boni et mali (*Gen.* III), ad evangelici sinapis ardorem deducuntur, ut oculos quos illecebrosa arbor aperiendo clauserat, sinapis arbor grani sui collyrio et [d] acritudine ipsa dum claudit aperiret, ut ora quæ venenosæ arboris gustus infecerat, salutaris arbor flammeo gustus sui sapore sanaret; et ista arbor igneo pastu suo conscientiam toto conversationis suæ ardore succenderet, quam frigidam illa toto jam rigore perfecerat. Neque hic jam vel agit, vel confunditur nuditas, ubi hominem totum tegit venia, fidei facit calere vestitus : sed hoc per granum sinapis, quod acceperat vir, confertur feminæ. Quid vero per fermentum quod accepit mulier, conferatur homini, sollicitius perscrutemur. *Simile est*, inquit, *regnum Dei fermento, quod acceptum mulier, abscondit in farinæ mensuris tribus.* Res de usu geritur : vir in agro sinapis arborem serit, domi mulier fermentum procurat, et panes præparat alimoniæ, quia virum foris exspectat labor, intus mulierem domestica cura constringit. Hinc est quod Sara sterilis et anus ex ista præparatione fermenti, et [e] ex tribus mensuris, tres subcinericios panes dominicæ hospitalitati offert mystico et apponit obsequio (*Gen.* XVIII), ut sterilitas mundi tota senectute conclusa, in mensuris tribus, [f] hoc est, in æqualitate Patris, et Filii, et Spiritus sancti, fermentum fidei collocaret, et Domino suo tres panes poneret confessione Trinitatis; atque pro munere hoc totam Christiani germinis fecunda-ret ad prolem. Sed ad proposita redeamus. Mulier accepit a Deo fermentum fidei, quæ acceperat a diabolo perfidiæ fermentum; abscondit in mensuris tribus, hoc est, [g] in tribus hominum temporibus, quod

[a] Deductum a verna, servo scilicet domi nato.

[b] Ita plurimæ editiones. Aliæ cum ms. Vallicellano, *panicoctricis*. In Consuet. Tolosæ part. II, rubrica de debitis, apud Du Cangium, *pancosteriæ*. Barbarum verbum miratur Pignorius, de Servis. *A furno* dicebantur penes Latinos. Vide lib. XII de Fundo Instructo, etc.

[c] Vere mulier non est pars parabolæ, nisi velis dicere cum Chrysologo, infra, et aliis, Ecclesiam significare. Ideo autem nominatur magis quam vir, quia pinsendi officium magis muliebre est quam virile.

[d] Granum sinapis, si conteratur, accenditur, et in vim suam excitatur : et naturali quadam acrimonia lacrymas edentibus elicit. Unde Latinis adagium : *Sinapi victitare*, pro *mœstam ducere vitam.*

[e] Ita pro *tribus satis*, Lucæ XIII, 21; Matth. XIII, 33, legit Chrysologus cum Arabo. *Satum* autem, vel *seach*, tertia pars est *bathi*, seu *ephæ*. Capit autem sex *cabos*, scilicet sesquimodium Italicum. Sed cur *tria* dicit? Quia tria sata erant, ut videtur, mensura unius coctiræ. Abraham tria sata coxit, Genes. XXVIII, 6; totidem Gedeon, Judic. VI, 19; et epha unum, quod ad idem recurrit, Anna Samuelis mater, I Reg. I, 24.

[f] Vetustior hæc vel similis expositio et relatio, cujus meminit Hilarius Comment. in Matth. tom. I cap. 13 pag. 735 : *Quamquam ad fidei sacramentum, id est Patris, et Filii, et Spiritus sancti unitatem, tres farinæ mensuras esse referendas, sensisse multos meminerim.* Quam tamen merito improbat et refellit.

[g] Ambrosius lib. VII, in Luc. de Comparat. regni cœlest. ad ferm. simile quid habet : *Et quia in tribus mensuris absconditum dicitur esse fermentum con-*

est ab Adam usque ad Noe, a Noe usque ad Moysen, a Moyse usque ad Christum; ut mulier quæ corruperat fermento mortis in Adam totam massam generis humani, fermento resurrectionis totam carnis nostræ massam redintegraret in Christo; ut mulier quæ confecerat panem gemitus et sudoris, panem vitæ coqueret et salutis; et esset omnium viventium mater vera per Christum, quæ erat in Adam mater omnium mortuorum. Ob hoc namque Christus nasci voluit, ut sicut per Evam venit ad omnes mors, ita per Mariam rediret omnibus vita. Quæ Maria hujus fermenti implet typum, similitudinem præfert, consignat figuram, dum de supernis suscipit fermentum Verbi, et humanam carnem in alvo Virginis, immo in alvo Virginis cœlestem totam conspersit in massam. Sed quid allegorici sensus in hac similitudine maneat, jam prodamus. [a] Mulier quæ accepit fermentum, Ecclesia est : fermentum quod accepit, cœlestis doctrinæ est sacramentum : mensuræ tres in quibus perhibetur abscondisse fermentum, Lex, Prophetæ, Evangelia, ubi divinus sensus mystico absconditur et celatur in verbo, ut fidelem non lateat, lateat infidelem. Quod autem dixit : *Donec fermentatum est totum;* illud est quod Apostolus dicit : Ex parte scimus, et ex parte prophetamus : cum autem venerit quod perfectum est, cessabunt quæ ex parte sunt (I *Cor.* XIII). In conspersione scientia nunc divina est, aspergit sensus, levat corda, incrementat ingenia, et doctrinarum more ad sapientiæ cœlestis dilatat, suscitat, diffundit augmentum, fermentatur totum. Quando? Adveniente Christo.

SERMO C.

De Syrophœnissa, sive Chananea.

Hodie Beatus Marcus, cum [b] Syrophœnissæ mulieris commendat prudentiam, fidem refert, credulitatis extollit ardorem, sollicitis auditoribus non parvam generat quæstionem, dicendo : *Et inde surgens Dominus abiit in partes Tyri et Sidonis, et ingressus domum, neminem scire voluit, et non potuit latere* (*Marc.* VII). Voluit et non potuit : velle, et non posse, non est divinæ majestatis, est [c] infirmitatis humanæ; scriptum est enim : *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo et in terra, in mari et in omnibus abyssis* (*Psalm.* CXXXIV). Et Apostolus : *Voluntati ejus quis resistit* (*Rom.* XCV)? Succumbit necessitati quæ non libera et absoluta voluntas. Leprosus dicit ad Dominum : *Si vis, potes me mundare* (*Matth.* VIII); et evangelista dicit : *Voluit, et non potuit.* Quid ait beatus Marcus? Numquid extollenda ita est mulieris fides, ut inclinetur Domini possibilitas et voluntas? Aut est tanta sagacitas fidei, ut nolente Deo divinum valeat investigare secretum? Tale mihi videtur et illud esse, cum Dominus Hemorrhoissæ fidem in suæ virtutis vult prodere, ac probare documento, interrogando : *Quis me tetigit? Cui discipuli dicunt: Turbæ te comprimunt, et dicis, Quis me tetigit* (*Marc.* V)? Discipulis videbatur quod omnes tangerent Dominum solo corpore comprimentes, et tali carnali incessu omnes similiter jungerentur : similiter ille, qui aliter senserat, et aliter inquirebat, pervenisse mulierem ad majestatem suam, ad suam penetrasse virtutem, mente, non corpore, non communi tactu, sed fide, [d] istam sciebat. Unde clamat non homo, sed Deus; non caro, sed spiritus : *Quis me tetigit?* ut eum proderet virtus operis, quem tunc humanitas occultabat. Sed quid sit *voluit*, et quid sit *non potuit*, evidentius inquiramus. Promissionis suæ memor Christus, Israelitici populi primum venerat ad salutem, ut quod Abrahæ promiserat (*Gen.* XXII), et semini ejus David (*Ps.* CXXXI), ejusque posteris, fidele redderet persolutum : sed quia indignos se sua perfidia præstiterunt, obtinuit, rapuit, traxit [e] fides gentium, quod infidelitas sprevit et perdidit Judæorum. Audi ipsum dicentem : *Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israel* (*Matth.* XV). Sed oves luporum contagione jam rabidæ, et ipsis bestiis propria feritate sæviores, laniare et violare suum semper voluere pastorem : atque ideo velle suum Christus implere non poterat, non impossibilitate sua, sed nequitia perditorum, et quod aliis detulerat, aliis conferre cogebatur, dicente ipso : *Regnum cælorum vim patitur, et qui vim faciunt, diripiunt illud* (*Matth.* XI, 6). Vim fecit fides gentium, ut raperet hæreditatem Patris, ipsam hæreditatem totam diriperet filiorum, sicut evidentius præsenti lectione monstratur. *Mulier enim statim ut audivit de eo, cujus habebat filia spiritum immundum, intravit, et procidit ante pedes ejus. Erat autem gentilis Syrophœnissa genere. Et rogabat eum ut dæmonium ejiceret de filia ejus. Qui dixit illi : Sine prius satiari filios; non enim est bonum tollere panem filiorum, et mittere canibus.* Non dixit, non est bonum *gruum visum est ut Dei Filium crederemus absconditum in lege, ac opertum in prophetis, evangelicis prædicationibus adimpletum.*

[a] Ita Ambrosius lib. VII in Luc. cap. ubi supra. Beda item in Luc. XVII. Du-Hamelius, ut probet in hac parabola ostendi progressum Ecclesiæ, laudat verba hæc Chrysologi. Huic autem sermoni deest finis.

[b] Matthæo mulier hæc dicitur Ἑλληνίς, *Græca*. Judæi majorem partem Syriæ *Græciam* vocabant, eo magis quod postquam Græci rerum potiti fuerant, omnes gentes religione diversæ eis Græcorum nomine veniebant. Epist. ad Rom. I, 16; II, 9; X, 12; ad Galat. III, 28. Sane in historia Hebræorum, cum Antiochus e Judæa rediret Antiochiam, dicitur profectus in Græciam. Chananea etiam dicitur Matth. XV, 22, quod Phœnices Chananeorum ex genere essent.

[c] Hilarius in psalm. CXXXIV, tom. I pag. 530 : *Inferioris ab eo naturæ est, ne totum quod velit, et faciat.*

[d] Editi omnes, *ista sciebat.*

[e] Mulieris fidei, gentilium fides comparat, eosque in ea vult significari. At quomodo mulier ethnica cum fuerit, Christum Filium David, et Dominum suum vocavit? Crederem Græcam et ethnicam dici, quod Judæa quidem genere non esset, sed ad Judaicam religionem quodammodo accessisset; quam vel a parentibus hauserat, vel Judæorum consuetudine didicerat. Nisi velimus dicere ethnicis etiam Messiam e genere David forte innotuisse, et Jesum sub hoc nomine per universam Judæam agnitum. De fide autem et adoratione Chananeæ vide Origenem, Hilarium, Hieronymum hic, et Chrysostomum homil. 52.

mittere canibus; sed, Non est bonum tollere filiis, et mittere canibus : quia dare panem canibus, etsi humanitatis non est, humanæ tamen est rationis. [a] Canis dormientibus dominis nocte et custos et pervigil prodit extraneum, turbat furem, occurrit latroni, ut curam relevet et sollicitudinem servulorum. Verumtamen quomodo tulit panem filiis, quibus toties et taliter obtulit, tribuit, ingessit? Sed illi oblatum conculcare ad scelus, non ad vitam sumere sunt conati : et tamen comminutum et conculcatum a filiis, canis tota fide, toto desiderio lambere festinavit. Hinc est quod sic respondit : *Utique Domine, nam* [b] *et catelli sub mensa comedunt de micis puerorum.* Merito quæ se canem confessa est, in hominem commutatur, et juste [c] convertuntur in canes qui se filios esse noluerunt; merito adoptatur in filiam, levatur, honoratur ad mensam, quæ se sub mensa laudabili et provida humilitate dejecit; juste toto nunc epulatur micas ex pane, quæ suis meritis se intellexit, et confessa est vix mereri. Et quid plura? Hinc est quod, propter justitiam suam, Dominus, nec Judæis dare potuit, nec gentibus denegare [d].

SERMO CI.

De morte contemnenda a fidelibus, et quare illam permiserit Deus. In illud Lucæ : *Nolite timere eos qui occidunt corpus*, etc.

Audistis, fratres, quemadmodum milites suos Christus regia exhortatione compellat, ut despectu mortis [e] interfectores corporis non pavescant. Denique eos in amicorum jura transcribit, qui studio triumphi, qui amore libertatis, sanguinem cum gaudio et sine trepidatione fuderint; sic enim ait : *Vobis autem dico amicis meis, Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis : timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Vobis autem dico amicis meis, Ne terreamini* (*Luc.* XII) : quia libertatem probat virtus, metus indicat servitutem; nam liber ad gloriam, servus natus est ad timorem; merito ergo ad Dei amicitias sublimatur, qui propter Deum humanas despicit mortes, nescit timores. Si amicos morum facit imitatio, morum similitudo conjungit, convenienter eos amicos vocat Christus, quos imitatione sua mundi jacula, et ipsam mortis formidinem conspicit et prævidet calcaturos. *Vobis autem dico.* Id est, [f] non omnibus, sed amicis. *Vobis autem dico.* Quos mors absolvit ista, non finit. *Vobis dico.* Quos corporis resolutio promovet ad melius, non transducit ad pœnam. *Vobis dico.* Quibus morte vita inchoatur, non finitur. *Vobis dico*, Quorum mors pretiosa fit non sui qualitate, sed causa, dum vitæ magis lucra invenit quam vitæ perdat usuram. Sed audiamus quid dicat amicis suis. *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus.* Audiant qui de bono mortis veterum vetusta volumina detriverunt, nihil tamen inde capere virtutis, aut consolationis aliquid invenire valuerunt. Quia etsi totis eloquentiæ viribus ad tolerantiam mortis armarunt animos, siccarunt lacrymas, suspiria sustulerunt, negaverunt gemitus, incluserunt dolores, nihil tamen aut de spe certa, aut de perpetua vita, aut de vera suis lectoribus salute conquisierunt. Quis homini, quis sapienti dicat? Mori naturæ est, necesse est deperire. Nobis vixerunt veteres, vivimus nos futuris, nemo sibi; quod non potest tolli velle virtutis est : suscipe voluntarius ad quod urgeris invitus; mors antequam veniat non est; cum autem venerit, venisse nescitur. Nec ergo amisisse te doleas quod cum amiseris non dolebis. Sed hæc talia cum dixerint, [g] dicunt totum de sententia, non de vita. Quia unde, et quando, et quomodo tibi, et per quem mors venerit, nescierunt : nobis autem auctor vitæ prodidit mortis auctorem; Deus namque vitam fecit, diabolus machinatus est in vitam, divino eloquio sic proclamante : *Deus mortem non fecit* (*Sap.* I), *invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* (*Sap.* II). Sed dicis, Quare Deus opere diaboli opus suum passus est deperire? O homo, si interrogata scire velles, vacares paululum, dares animum, aperires aures, ut negotium principale arbiter ipse tu tam curiosus agnosceres. Sed tu occupatus aliis semper, tibi numquam, quare nescias rerum causas, negotia tota sæculorum, judiciorum profundum, et impenetrabile secretum, deses et otiosus accusas. Nonne ut apices litterarum, ut elementa cognosceres, addictus magistro, scholis affixus, totus patiens laboris et pœnæ, nec domum noveras, nec parentes? Quam utile tibi est ad quod tibi magister addicitur, ingeritur schola, et tibi pœnis tuis, labore suo doctor supplicat, ut ista velis scire, ut talia et tanta digneris audire. Probant hoc apostoli, et maxime Paulus, qui vapulando docuit, non cæde do, ut eximius magister quot sunt homini mores, tot ferret et exciperet passiones. Et nos ea in puncto temporis rerum principia, causas sæculi discamus, quia jubemur; et quomodo nos jubemur? et tu audis non quomodo debes; et nos ista servitus, [h] necessitas talis excusat; te libertas tanta,

[a] Verba hæc laudantur a Pignorio, de Servis, pag. 274.

[b] Antiquis catuli etiam erant inter delicias triclinarias. Vide Ursinum, in Appendice ad Ciacconium, de Triclinio. Hoc et marmorum sculpturæ passim testantur.

[c] Hoc nomine gentiles innuit, quod impuram agerent vitam, et in sanguine idolothytorum immolatorum versarentur, inquit Theophylactus, in cap. XV Matth.; vel tamquam exosos Judæis, ut idem alibi repetit. Vide Clementem Alexandrinum Stromat. II pag. 361; Chrysostomum, homil. 23 in Matth. Theophylactus superius laudatus, in VII Matthæi subdit : Canes sunt ἄπιστοι, *infideles*. Vide Photium, in epist. 54 pag. 107; Isidorum Peleusiotam, lib. IV epist. 81.

[d] Huic homiliæ aliquid deesse videtur. MITA.

[e] Ms. Cæsenæ, *suorum corporum.*

[f] Cyrillus in Catena Græcor. PP. : *Non quibuscumque enim hic sermo simpliciter convenire videtur, sed iis qui Deum ex tota diligunt mente, quibus convenit dicere : Quis nos separabit a charitate Christi?*

[g] De sententia lata in homines, quod sint mortales, non de vita, etc. MITA. Vel de vita æterna, quæ nos manet post mortem.

[h] Ms. Cæsenæ, *necessitas talis fortassis excusat.*

voluntas talis, indubitanter accusat : quod dicimus, officii nostri est ; quod minus dicimus, est fastidii tui. Quæris, homo, cur non mortem Deus mox cum ipso exstinxit auctore, et lethale virus sua providentia tunc non providit, ne ad totius orbis, et præcipue ad suæ imaginis perniciem perveniret? Cœlum quod tu vides, homo, firmatum aere toto portat aquas multas, nec portatur ab aliquo ipsum, quia sola illud appendit jussio, sola sustinet vis præcepti, divino eloquio sic prodente : *Qui extendit cœlum sicut pellem, qui tegit in aquis superiora ejus* (*Psal.* CIII). Terra quæ tanto calcatur pondere, atque onere montium, ac mole solidatur, supernatat liquido [a] fundamento, dicente propheta : Qui fundavit terram super aquas (*Psal.* CXXXV), ut quod stat, mandati sit, non naturæ. *Ipse*, inquid, *dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt* (*Psal.* CXLVIII), ut quod stat, sit divini operis, non rationis humanæ. Mare quod tanto commotionis suæ vertice fertur, et elevatur ad nubes, frenant tenues arenæ, ut videamus potestatem tantam [b] non pulveri cedere, sed præcepto. Omnia quæ in eis sunt, moventur ac vivunt solo jussu facta ; iterum sola jussione solvenda confirmat propheta, cum dicit : *Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli ; ipsi peribunt, tu autem permanebis, et omnes sicut vestimentum veterascent ; et velut opertorium mutabis eos, et mutabuntur* (*Psal.* CX). Quomodo? Ut tempori vetustas, non Creatori pereat creatura. Sed tu jam nos, quicumque quæris, evagatos esse dicis : quia cum tu quæris quare Deus mortem in destructionem sui plasmatis permiserit permanere, nos cœlum, terram, mare ex nihilo facta, et [c] solvenda iterum ex nihilo, longo sermone descripsimus, tibi magis ac magis disquirendi materiam conquisivimus. Dicis : Ego quæsivi cur homo pereat, tu et ipsa elementa peritura firmasti, ut de generalitate pereundi solatium, non quietem de ratione, fessis mortalium sensibus provideres ; quasi non doloris sit perire cœlum, solvi terram, et totam rerum faciem jure mortalitatis aboleri. Dicis, rogo, quid pulchrius cœlo? quid splendidius sole? quid luna gratius? quid ornatius stellis? quid salubrius terra? quid utilius mari? aut quæ in istis vetustas? quæ sicut nata vel facta sunt perseverant ; quod utique gratius esset ista stare, quam perdere. Homo, forsitan esset jucundius, sed non utilius : nam istis stantibus tu nutasti ; istis lucentibus cæcatus es, ne videres ; cœli claritas stupefecit sensus tuos, oculos tuos sol splendore cœcavit : nam decore deceptus horum, opificem tu negasti ; istos rectores mundi, istos confessus es deos, quos tuæ Deus verus subjecerat servituti ; necesse est ergo solvi cuncta, novari omnia, ut vel tunc facta credas, cum videris esse reparata. Nec nos æstimes evagatos, quos in argumentum tuæ intelligentiæ totam percurrisse conspicis creaturam. Homo, quando te auctor tuus fecit ex pulvere, non vidisti ; nam si te vidisses factum, numquam te moriturum sic deflevisses. Vidisti te perfectum, vidisti te viventem, vidisti te decorum, auctori tuo te similem jam vidisti : unde esses, qualis esses, quia nec nascentem, nec morientem videras, nesciebas? Hinc est quod naturæ dedisti totum, tibi te, Deo nihil : propterea Deus per naturam redegit te, permisit ex nihilo in pulverem revocari ; ut quid fueris sic videas, et resurrecturus agas gratias, qui [d] factus, qui creatus ingratissimus exstitisti. Non timeamus ergo, fratres, sicut dixit Dominus, eos qui occidunt corpus, quia istam vitam non perimunt, sed destruunt, dum de temporali faciunt sempiternam. Quid plura, fratres? permisit tunc mori, qui poterat suscitare ; qui vivificare sufficit, permisit occidi ; cui est honor et gloria in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO CII.

De Centurione.

Christus in corpore nostro manens, quod omnes non suscitavit mortuos, omnes non sanavit ægrotos, credamus hoc non potestati defuisse, sed tempori. Tunc orbem totum toto virtutis suæ fulgore radiasset, et sustulisset tempus fidei, et nihil secundi adventus sui reservasset ad gloriam. Nec vero sic virtutum suarum temperavit insignia, ut et divinitatis suæ manifestaret indicium, et credendi documentum plenissimum largiretur, et excusationem callidæ infidelitatis auferret, sicut hodie centurio cujus evangelista Lucas meminit, fide sua providentiaque monstravit. *Centurionis*, ait, *cujusdam servus male habens moriebatur, qui illi pretiosus erat.* Centurio hic Romanus erat ; sed plus erat hic ipse fructu [e] centesimo Christianus. Et Deo magis militabat iste quam sæculo ; et in humano bello fortis, fortior in divino, pacis custodia permanebat. *Cujus servus male habens moriebatur, qui illi pretiosus erat.* [f] Servus erat, qui pretio taxabatur. Quæramus ergo quis est iste servus qui illi erat [g] pretiosus. Si dominatur anima, corpus servit ; et homini nil corpore pretiosius. Hic servus centurionis istius pretiosus infirmabatur ad mortem ; ergo centurio rogabat ut Christus solus mortali corpori largiendo vitam perpetem subveniret. *Cum audisset*, inquit, *de Jesu, misit ad eum* [h] *seniores Judæorum.* Gentilis Judæos ad Christum mittit ; et in

[a] Alias, *elemento*.

[b] Cœlius Sedul., lib. I :

Qui maris undisonas, fluctu surgente, procellas
Mergere vicinæ prohibes confinia terræ.

[c] Quoad vetustatem, ut paulo superius explicat cum ait : *Ut tempori vetustas, non Creatori pereat creatura.* Mundus enim purgandus est, et innovandus per combustionem omnium mixtorum in terra, aqua, vel aere existentium, et mutatio erit accidentalis, ut docent Theologi apud Bonaccin. de Incarn. disp. 2, quæst. 5, punct. 5, et ultimo. Vide Bellarminum in psalm. CI. vers. 26. MITA.

[d] Alias, *refectus*.

[e] Centenis enim militibus imperabant centuriones, fructusque centesimus major in usuris.

[f] Fortasse et miles. Nam quandoque apud Hebræos milites appellabantur *Servi ducum*.

[g] Quem dominus plurimi faciebat.

[h] Vel magistratus oppidi, vel præpositos Synagogæ. Utrique eorum hoc nomine gaudebant.

lege positis, qui sine lege erat, legis demonstrat auctorem. Nemo ergo miretur si gentilis, hoc est [a] Christianus, aut vocat, aut ducit, aut perducit ad Christum. *Misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret, et salvaret servum ejus. At illi cum venissent ad Jesum, rogabant eum sollicite dicentes : Dignus est ut hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis.* Judæi rogant pro gentili, qui pro se non rogant ; et agunt satis pro salute alieni servi, qui pro salute suorum nihil agunt filiorum. Aiunt : *Dignus est ut hoc illi præstes.* Si dignus est qui audit, credit, mittit ad Christum : ad Christum qui venit, videt, et non credit, quam probatur indignus ? *Diligit enim gentem nostram.* Ille diligit gentem vestram, quam sic Christo supplicem facit ; sed vos odistis eam, quam sic Christo redditis contumacem. Aut quomodo Christianus non diligit gentem vestram, qui dum Christum fatetur ex gente vestra, quidquid gentis vestræ est cœlestem tollit et extollit ad gloriam ? *Diligit enim gentem nostram, et* [b] *synagogam ipse ædificavit nobis.* Audistis quia semper diruta est synagoga, et jacet jugiter in cæmentis, nec cœlestem surgit in fabricam, nisi eam in Ecclesiæ culmen Christianus fabricator instruxerit. *Jesus*, inquit, *ibat cum illis.* Sed illi non ibant cum Jesu, cum quo mente non ibant ; nec cum illo erant, qui sejuncti corde, corpore videbantur adjuncti. *Et cum jam non longe esset.* A quo ? A gentili. Quantum Judæi se sejungebant a Christo, Christus tamen gentibus jungebatur. *Et cum longe jam non esset, misit ad eum centurio amicos.* Qui ante miserat Judæos, nunc amicos mittit : ut Judæos, sic dicendo indicet inimicos, probante hoc Apostolo cum dicit : *Inimici propter vos* (*Rom.* XI). Judæi dum credidisse gentes invident, quidquid erat et legis et gratiæ perdiderunt. *Misit ad eum amicos.* Audi ad apostolos Dominum dicentem : *Jam non dicam vos servos, sed amicos* (*Joan.* XV). Sicut fides servos promovet in amicos, ita perfidia filios in pœnalem [c] redigit servitutem. *Misit ad eum amicos, dicens : Domine, noli vexari.* Quare ? *Quia non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Videtis quia Christus ducebat magis Judæos quam adduceretur a Judæis, ut audirent esse penes centurionem Divinitatis reverentiam, penes gentilem legis cultum, penes militem stipendium gratiæ, penes Romanum fidei doctrinam, in frigore pagano Christianum calorem, in terreno pectore cœleste secretum, et notitiam totam dominationis supernæ in tota sæculi servitute. *Domine, noli te vexare.* Hoc est dicere, Deus, quid te vexas humano in corpore ? quid te conficis labore terreno ? et viæ longitudine te fatigas ? quid peregrinaris locis, qui es ubique totus ? atque intra te totam tenes et possides creaturam ? *Domine, noli te vexare, non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Fratres, quod est tectum quod hominem aut dignum facit, aut reddit indignum, quo divinum invitet, aut repellat accessum ? Fratres, hoc tectum corpus est quod tegit animam, quod operit sensum spiritus, quod cordis domicilium velat, quod libertatem mentis a cœlesti visione secludit. Sub hoc ergo tecto centurio indignum ducit intrare Christum, hoc est, in corpus humanum divinam succedere majestatem. *Non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Sed Deus, qui quod humanum est, cum vult, facit esse divinum, et quod nostræ carnis est, cum dignatur, suum commutat in spiritum, nec habitare carnem, nec tectum nostri corporis dedignatur intrare. *Propter quod*, inquit, *et meipsum indignum arbitratus sum venire ad te.* [d] Hoc est utrumque devoti, quia et ad se Deum venire indignum ducit, et se accedere ad eum [e] scit esse non dignum. Quis intrat ad judicem non vocatus ? quis non jussus ingreditur ad regem ? quanto magis ad Deum non venit quis non vocatus. *Quos vocavit*, inquit, *eos et justificavit* (*Rom.* VIII). Centurio ergo non refugit adventum Domini, Christi præsentiam non recusat, sed agit ut vocantis sit gratia, non sit temeritas præsumentis. Nam Deus quid possit, humano suggerit et informat exemplo dicendo : *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites ; et dico huic Vade, et vadit ; et alii, Veni, et venit ; et servo meo, Fac hoc, et facit.* Hoc est, si ego, qui sum [f] sub potestate constitutus, imperio verbi solo facio mihi parere subjectos, quomodo tu qui nulli subjaces, et cujus omnia subjacent potestati, verbo non potes jubente curare ? sanitatem mittere ? mandare virtutes ? Aut verbo reficere non potes, quod verbo fecisti ? *Dixit*, inquit, *et facta sunt ; mandavit, et creata sunt* (*Psal.* CXLVIII). Aut aliquid ex aliquo reparare non sufficis, cuncta ex nihilo qui parasti ? *Dic ergo verbo, et sanabitur puer meus.* Implevit illud quod propheta de Deo cecinit : *Misit verbum suum, et sanavit eos ; et eripuit eos de corruptela eorum* (*Psal.* CIV). Fratres, centurio iste, dicendo : *Non sum dignus ut intres sub tectum meum*, Christiani populi gerit figuram, qui ante gentilitate ad fidem evocatus, vel Christianus ob fidem qua credidit Christum ejus potuisse sanare servum. Et fortasse, ut advertit Grotius, centurio hic unius Dei cultum cum Hebræis profitebatur ; vel Christum Messiam a Deo missum credebat. Chysostomus, homilia 26, alias 27, tom. VII Oper. pag. 314, edit. Monfauc : *Vide centurionem veram de Christo habuisse opinionem ; nam non dixit Roga, non dixit Precare, Supplica, sed solum Impera.*

[a] E gentilitate ad fidem evocatus, vel Christianus ob fidem qua credidit Christum ejus potuisse sanare servum. Et fortasse, ut advertit Grotius, centurio hic unius Dei cultum cum Hebræis profitebatur ; vel Christum Messiam a Deo missum credebat. Chysostomus, homilia 26, alias 27, tom. VII Oper. pag. 314, edit. Monfauc : *Vide centurionem veram de Christo habuisse opinionem ; nam non dixit Roga, non dixit Precare, Supplica, sed solum Impera.*

[b] Præceperat Augustus, cujus instituta sequebatur Tiberius, ne cubi Judæi velarentur in synagogis convenire. Unde insolens videri non potest hominem Romanum restaurandæ synagogæ operam dedisse, usus fortasse laboribus militum, quos ne otium in lasciviam verteret, solebant Romani ad publica munera applicare. Chrysostomus loco laudato pag. 316, in fine : *Quod autem Matthæus declarat ipsum Israelitam non esse, et Lucas vero dicit, quod ædificavit synagogam, non est contrarium ; potuit enim et Judæus non esse, et synagogam construxisse.*

[c] Ms. Cæsen. : *Sicut fideles servos promovet in amicos, ita perfidiæ filios in pœnalem redigit servitutem.*

[d] Homini pio, humili, devoto utrumque convenit : scilicet, se indignum putare ut ipse ad Christum, et ad se Christus accedat.

[e] *Existimat indignum.* Ita ms. Cæsen.

[f] Innuit se vel tribuno, vel præsidi subditum. Beda hic, cap. 25.

ram, qui Christi præsentiam corporalem se judicat non mereri, sed solo verbo, nuntio, auditu fidei tantum, totas Domini audit, credit, respicit in sua sanitate virtutes. Nam quod dicit : *Dico huic, Vade, et vadit; et alii, Veni, et venit; et servo meo, Fac hoc, et facit;* Judæorum repulsam, vocationem gentium, [a] Christiani populi obedientiam sic demonstrat. *Dico huic*, hoc est, Judæo, qui non credidit, *Vade, et vadit; et alii*, hoc est, Gentili, quia credidit, *Veni, et venit; et servo meo*, hoc est, Christiano, *Fac hoc, et facit.* Oremus, fratres, ut mereamur Christiani non nomine tantum esse, sed fide ; et ut quæ jubentur, non audiamus tantum, sed faciamus audita. Quia sicut devoti servi est fecisse jussa, ita jussa contumacis est non fecisse. *Dic ergo verbo, et sanabitur puer meus. Quo audito*, inquit, *Jesus miratus est.* Creator mirabilium [b] miratur; aurium conditor, quasi qui non audita nesciat, sic stupet audita : sed dum gentilem sic credidisse miratur, incredulitatem corripit Judæorum. Denique, *Sequentibus se turbis dicit*, in morte manentes arguens sic Judæos : *Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni.* Verum est, fratres : fides sola vivit, et vivet in gentibus; signa et virtutes lassant, et nihil proficiunt in Judæis.

SERMO CIII.

De filio viduæ excitato a mortuis, deque corporum resurrectione.

Hodie beatus evangelista, quia viduæ matris unicum jam funereis vinculis illigatum, lamentabili impositum jam feretro, prosequentibus turbis euntem jam [c] carceris ad sepulcrum, per Christum vitæ redditum nuntiavit (*Luc.* VII), omnium concussit corda, movit mentes, stupefecit auditum. Sed hoc gentes mirentur, Judæi stupeant, mundus pavescat : nos autem, qui omnes a sæculis mortuos ad unam vocem Christi sepulcris excitandos credimus, cur miramur? *Exsurgent*, inquit Isaias, *mortui, et resurgent qui in monumentis sunt* (*Isai.* XXVI, *juxta LXX*). Et Dominus : *Veniet hora quando mortui audient vocem Filii Dei; et qui audierint, vivent* (*Joan.* V). Ad hæc Apostolus : *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti* (I *Cor.* XVI). Quæ est ista tuba, quæ inferis infert bellum, sepulcri resolvit moles, intonat mortuis vitam, resurgentibus in lucem perpetem dat triumphum? Quæ est? Illa quam superius Dominus dixit : *Mortui audient vocem Filii Dei* (*Joan.* V). Tuba non quæ arctato spiritu per concavum cornu ligni vel æris tristem bellantibus dat [d] mugitum, sed quæ de corde Patris, ore Filii, vitalem simul et inferis et superis dat clamorem. *Et in novissima tuba* (I *Cor.* XVI); tuba quæ in principio mundum vocavit ex nihilo, ipsa in novissimo mundum revocabit ex perdito; et quæ initio hominem suscitavit ex limo, ipsa in fine hominem resuscitabit ex pulvere. Fratres, sic credimus, quia tuba divinæ vocis chaos divisit, collegit orbem, mundavit elementa, distinxit mundum, suspendit cœlum, fundavit terram, mare vinxit, mersit infernos, dedit ordinum vices, jussit rerum continuam servitutem; ac ne vacuus horreret orbis, aptavit habitatores, habitacula sic discrevit : in cœlo posuit angelos solo spiritu viventes, in terra constituit vitas varias terrenorum, in aere dedit animas aligeras pervolare, in aquis tam pusilla quam magna fecit, ut viveret animantium multitudo; ac miro modo sic ex disjunctis partibus junxit compagem mundi, ut nec commixtio discreta confunderet, nec discretio rerum scinderet unitatem. Hinc est, quod diei ac noctis copula sic divisa est, ut ex quiete labor, requies ex labore constaret. Hinc sol et luna vicissim mundi circumeunt metas, ut sol [e] geminata luce amplificet claritatem diei, et luna [f] lumine suppari ex toto cæca noctis tempora non relinquat. Hinc stellæ suo cursu varios mutant ortus, ut noctibus et signent tempora, et viantibus dent ducatum. [g] Hinc tempora eundo veniunt, esse incipiunt dum desistunt. Hinc semina nascuntur, crescunt, adolescunt, juvenescunt, senescunt, decidunt, moriuntur, et iterum vitalibus sepulta sulcis, resoluta putredine, salutari ex morte in vitam suam redeunt, de corruptione [h] perpetua suscitantur in forma. Et si hoc, fratres, Dei vox, tuba Christi, per dies, per menses, per tempora, per annos vocat, revocat, ducit, reducit, præcipit esse, facit non esse, dat morti, vitæ reddit, quare quod in omnibus semper facit, semel facere non possit in nobis? Aut in nobis solis virtus divina lassescit, propter quos solos totum quod prædictum est Dei est operata majestas? Homo, si tibi omnia sua ex morte reviviscunt, cur tu Deo non reviviscas ex morte? Aut in te solo Dei creatura deperit, propter quem subsistit, agitur, mutatur, innovatur [i] tota quotidie creatura? Fratres, hæc dico, non signorum Christi cupiens exinanire virtutes, sed hortor ut unius resurgentis exemplo ad fidem resurrectionis omnium concitemur, et credamus quod [j] crux nostri corpo-

[a] Mysticum sensum hoc tali modo explicat Beda. Insignem, sed longiusculum locum, lege apud eum cap. 25.

[b] Nempe mirantis modo se habuit et locutus est, ut circumstantes centurionis fidem admirari et imitari possent. Vide Chrysostomum toties laudatum homil. 26, olim 27.

[c] Ms. Valicell., *ad sepulcrum carceris*.

[d] Tubæ tribuit mugitum, cui tribuitur reboatus.

[e] Nonnulli impressi codices habent *germinata luce*, sed corrupte. Nam sic emendat Latinius, et habent mss. omnia, et prima editio Bonon., ut advertit Mita, qui varias hic affert explicationes. Aptior autem : *Quod sol geminata luce splendere dicitur; primo enim ex se lucet, secundo mediante luna, et stellis, quas sua luce illuminat.*

[f] Luna tunc suppar videtur soli, quando ab ipso integre illuminatur.

[g] Verba hæc, ut apposite dicta, laudat Barthius Advers. lib. LVIII, cap. 5 pag. 2730.

[h] Ex mss. Cæsen. et Vallicell. Editi, *propria*. Quia hæc seminum forma perpetuatur et continuatur in mundo ex corruptione et vivificatione. MITA.

[i] Alias, *tota die*.

[j] Symbolice dictum. Cæterum in cruce aratri figuram nonnulli scriptores observant. Vide Bosium, de Cruce.

ris sit aratrum; fides, semen; sulcus, sepulcrum; resolutio, germen; exspectatio, tempus; ut cum ver Dominici adventus arriserit, corporum nostrorum matura tunc viriditas vitalem resurgat in messem, nesciturum jam finem, nesciturum canitiem, non passuram fasces, nec flagella sensuram. Quia depositis in morte vetustatis paleis novum gloriosi corporis consurgit in fructum. Si ad unius viduæ lacrymas temporales sic motus est Christus, ut occurreret in via, ut ex oculis stillantia dolorum fluenta restingueret, ut [a] recuteret mortem, reduceret hominem, resuscitaret corpus, vitam reduceret, planctum verteret in gaudium, et exsequias lugubres in festivitatem natalitiam commutaret, et feretro datum matri vivum redderet ex morte; quid modo faciet quando inardescet viribus suis ad Ecclesiæ suæ lacrymas diuturnas, ad sponsæ suæ sanguineos sudores? Nam per supplicantem Ecclesiam lacrymas fundit juges, per martyres sacrum sanguinem sudat, donec unicum suum, hoc est populum Christianum, quem tot ad mortem ferunt tempora, occurrens Christus de mortali feretro perpetuæ vitæ reddat in supernæ matris gaudium sempiternum. Verum quia nascentis Christi venit tempus, et miraculum cœleste jam radiat paritura virginitas, atque ortum divini regis nobis non stella jam nuntiat, sed ipse solis ascensus, adoraturi occurramus omnes, et muneribus sacris Deum regemque virgineo processisse fateamur ex templo : offeramus munera, quia nascenti regi semper publica paratur oblatio, offeramus munera, quia indevotus satis est vacuus adorator. Hoc probat magus, qui onustus auro, succensus thure, sacratus myrrha, Christi cunabulis inclinatur (*Matth.* II). Quale est, si quod fecit magus, non faciat Christianus? Quale est, si ad gaudium nascentis Christi fleat pauper, captivus gemat, hospes lamentetur, ejulet peregrinus? Festa cœlestia [b] Judæus decimis semper honoravit, Christianus quid de se sentit, si vel centesimis non honorat? Fratres, ne quis me hoc dicere existimet declamantis studio, non dolentis affectu. Doleo, certe doleo, quando lego Christi cunabula magos rigasse auro, et video [c] altare corporis Christi Christianos vacuum reliquisse, et in tempore hoc præsertim, quando se pauperum [d] fames vasta, [e] quando se fundit turba lamentabilis captivorum. Non habeo nemo dicat, quando Deus [f] ex eo quod habes, non ex eo quod non habes, quærit; quando duo æra viduæ in acceptum dignanter ascribit. Devoti simus Creatori, ut nobis devota sit creatura. Proximorum nostrorum sustentemus angustias, ut a nostris liberemur angustiis. Repleamus altare Dei, ut nostra horrea repleat fructuum plenitudo. Certe si non damus, quia non accipimus non queramur. Ipse autem Deus noster donet vobis tam præsentia quam futura bona, per Dominum nostrum Jesum Christum, cui est omnis honor et perpetua gloria, una cum Spiritu sancto, nunc et semper, et per omnia sæcula sæculorum, Amen.

[a] Alias, *percuteret.*

[b] Decimæ apud Hebræos duplicis erant generis : et quæ Levitis impendebantur, et quæ insumebantur in templo, occasione festivitatum. In quarum loco successisse videntur Agapæ Christianorum. Harum decimarum mentionem fieri volunt rabbini in Deuter. XIV, 22; XXII, 12; et XVII, 18. Vide Liranum in Deuteron. XXVI.

[c] Christianorum mos erat antiquus eleemosynas ad pauperum sublevationem, captivorumque redemptionem, super aram templi deponere : quas diaconi sumentes, egenis opportune distribuebant, ut etiam Auctor, infra, serm. 155, et notat Baronius ad ann. Christi 402. MITA.

[d] Mita cum editis legit *fames vastat*, et plura commentatur; quasi fames se ipsam devastet et destruat. Latinius emendat *vasta;* et sic legi in ms. Cæsenæ, ipse Mita fatetur. Sensus est : *Quando se fames vasta, et turba fundit lacrymabilis captivorum.*

[e] Hoc est ejulatu, lacrymisque adeo Christianam pietatem clamat, ut metalli instar fundi pauperum viscera videantur. MITA. — *Turba se fundit*, id est, *effundit, concursat*, etc.

[f] Optime concordat S. Leo serm. 3 de jejunio septimi mensis. MITA.

SERMO CIV.

De divite, cujus ager ferax fuit.

Quotiens dives iste venit in medium, quem tot sæculis, orbe toto, die omni, clamor divinæ vocis accusat, totiens divitiarum fallax fugatur illecebra, totiens cupiditatum furens flamma restinguitur, avaritiæ totiens rabies vesana mitigatur. Sic namque hodie cœpit Dominus Jesus. *Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit; et cogitabat intra se dicens : Quid faciam, quod non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit, Hoc faciam, destruam horrea mea, et majora faciam, et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi bona mea; et dicam animæ meæ : Anima, habes bona multa posita in annos multos : requiesce, manduca, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus, Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te, quæ autem parasti, cujus erunt?* Miserum, quem ubertas sterilem, [g] abundantia anxium, inhumanum copia, divitiæ fecere mendicum. Humanus ager inhumanum dominum sustinebat; et quod terra fundebat largiter, concludebat et congregabat anguste; ut esset alienorum custos, qui esse suorum noluit prorogator, ingratus Deo, sibi nequam, hostis pauperum, divitum nota, [h] carcer naturæ. *Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit, et cogitabat intra se.* Quasi possit extra se quispiam cogitare, sed intra se iste cogitabat, qui in corde suo impietatis consilio recepto nil pietatis sibi, misericordiæ nil reliquit. *Cogitabat intra se, dicens.* Digno consiliario se usus, [i] qui mali animi non poterat habere solatium, non poterat habere collegam. *Et cogitabat intra se, dicens.* Mens impia cum pietate certabat, et

[g] Plutarchus de cupiditate divitiarum, aiebat : *Argenti cupidinem non exstinguit argentum, nec aurum auri; neque si plura possideas, coercetur plura possidendi cupiditas.* MITA.

[h] Ea includens, quæ ad hominum commoditatem natura emittit. Basilius, homil. 6, quæ inscribitur *de Avaritia*, ait, talem divitem *non meminisse humanæ naturæ.*

[i] Interior noster collega, quocum ipsi nos ipsos consulimus, animus est. At animus malus non potest esse nobis nec solatii nec collegæ loco.

patiebatur intestinum bellum, qui misericordiæ pacem perdiderat et quietem. *Et cogitabat intra se, dicens : Quid faciam?* Interrogantis vox est; et quem putas interrogabat iste? Erat in illo alter, quia ad ejus penetralia jam diabolus possessor [a] insederat; et qui intraverat in cor Judæ, mentis ejus tenebat arcanum. *Quid faciam, quod non habeo?* Audistis quomodo non habet dives? Ecce clamat : *Non habeo.* Verum est, quia non habet semper, qui quærit semper; et non habet ubi congreget, qui ut congreget sic requirit. Sed audiamus quid ei responderit consiliarius internus. *Destruam horrea mea.* Evidenter apparuit qui latebat, quia a destructione incipit semper inimicus. Agit, agit, ut quæ habes destruas, et quæ concupieris non reformes. Miser dives, ignarus de præsentibus, disputas stultissime de futuris; [b] quam melius præsentia, ubi est sedes animæ, transtulisses! At nunc [c] catenæ horreorum tuorum strinxerunt fauces pauperum, vinxerunt hospitum colla, esurientium viscera contriverunt : unde pauperum te præcedunt gemitus et sequuntur, accusant te hospitum luridi vultus, te turba impetit plangens petentium; ut addictus a superno Judice satietatem pœnarum capias, qui horreorum tuorum seras, negando cæteris, tibimet conclusisti. [d] Cogitanti intra se diviti merito ille taliter respondit, *qui scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt* (*Psal.* XCIII) : *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam a te; quæ autem parasti, cujus erunt?* Bene stulte, quia ibi totum de carne fuerat, nil de corde. Bene stulte, [e] quia migraturæ mox animæ condita satis longa præparabat. *Hac nocte a te repetunt animam tuam.* Convenienter hac nocte, quia fugiens misericordiæ lucem, avaritiæ tenebris se manciparat, dicendo : *Manduca, bibe, epulare.* Quod autem bibentes filii noctis sint, non diei, Apostolus sic declarat. *Et qui inebriantur, nocte ebrii sunt* (I *Thes.* v); per obscura fertur, assumitur per tenebras, qui vitæ subsidium claustris suorum mandavit et condidit horreorum. *Repetunt animam tuam a te.* Quare non dixit : qui dederat, repetit, sed repetunt? [f] Quia sanctorum Deus repetit animas et reducit; tartarei ministri repetunt et pertrahunt animas impiorum. *Et cogitabat intra se, dicens : Quid faciam, quod non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit : Hoc faciam; destruam horrea mea et majora faciam, et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi bona mea; et dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona posita in annos multos : manduca, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte repetunt animam tuam; quæ autem parasti cujus erunt?* Unde iste dives sic præventus est, ut magis cogitata perderet quam parata; et impletum est illud prophetæ : *Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam; in illa die peribunt omnes cogitationes eorum* (*Psal.* CXLV). Cogitavit iste quid post se relinqueret, non quid præmitteret ante se : unde juxta Apostolum : *Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; æstimantes se esse sapientes, stulti facti sunt* (*Rom.* I). Cui dicitur stulte, et excitatus de somno præsentis vitæ, in illa perpetuitate nihil invenit in manibus suis; sicut dixit Psalmista : *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* (*Psal.* LXXV). Vigila ergo, dives, in opere bono, in malo dormi; ut non sit manus tua pauperi vacua, ut tibi plena sit semper. Quia dives quantum largiter profundit, tantum largiter redundat [g] in rebus. Esto ergo dives in misericordia, si semper esse vis dives : et tunc erunt horrea tua majora, tunc plena, si non fuerint largitate vacua, cupiditate inclusa.

SERMO CV.

De muliere quæ habebat spiritum infirmitatis.

Hodie cura Christi, et divinæ virtutis dedit mirabile documentum, et diabolicæ fraudis nudavit astutiam, et absolvit mulierem longo et obscuro vulnere sauciatam; sicut ait Evangelista : *Erat Jesus docens in synagoga sabbatis, et mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo, et erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. Quam cum vidisset Jesus, vocavit illam, et ait illi : Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus, et confestim erecta est et glorificabat Deum* (*Luc.* XIII). Habebat spiritum infirmitatis, et erat inclinata : patebat vulnus, sed auctor vulneris non patebat; languorem videbant cuncti, sed languoris materiam non videbant. Erat in aperto pœna, sed in ipsa pœna carnifex latebat inclusus; corpus aspiciebatur incurvum, sed non aspiciebatur incurvi corporis pondus; in medio civium portabat mulier hostem suum, sed hostem cives ut propellerent non videbant. [h] Ars nequissimi spiritus [i] corporis necessitas credebatur, ut prædo callidus teneret captivam dolo, quam tenere viribus non valebat. Diabolus nihil esset, si essent sollicitiores *ter genuit, nudum suscipit Ecclesia, dives velit intrare in cœlum.*

[a] Alias, *insidebat.*

[b] Hæc ex editione Mitæ et ms. Vallicell. In aliis desunt.

[c] Similia his Basilius, homil. in divites, ubi plura de avaritia, tom. II oper. pag. 51 : *Educ de carcere vinctas opes.*

[d] Ex ms. Vatic. Editi : *Cogitabat intra se dives. Merito ille*, etc. Mita vero : *Dixit autem illi Deus : Stulte. Merito illi taliter respondit, qui scit*, etc.

[e] Gregorius, Moral. XXII cap. 12 : *Eadem nocte sublatus est, qui multa tempora fuerat præstolatus; ut scilicet, qui in longum sibi colligendo prospexerat, subsequentem diem, vel unum, minime videret.* Mita laudat hic locum S. Maximi, serm. de sancto Michaele : *Nudi in sæculo nascimur, nudi etiam accedimus ad lavacrum : quam ergo incongruum est ut quem nudum ma-*

[f] Ita et alii interpretantur. Animas impiorum repetunt angeli mali, boni piorum.

[g] Alias, *in rivulis.*

[h] Cyrillus Alexandrinus, in Catena Græcorum Patrum : *Dicit autem spiritum infirmitatis, quia mulier patiebatur hæc atrocitate diaboli, derelicta a Deo propter propria crimina; vel propter transgressionem Adæ, ob quam humana corpora infirmitatem et mortem incurrerant. Dat autem super hoc Deus diabolo potestatem, ut homines mole adversitatis depressi velint ad meliora transire.*

[i] Ac si laborasset emprosthotono, quæ tensio est flectentium musculorum in anteriora.

homines et cautiores. Aut quid in homine umquam prævaluit ille virtute, nisi arte, mendacio, insidiis, fraude, dolo, nequitia, vitiorum ministerio, furore criminum? Ille voluntates hominum semper explorat, et bonas quidem voluntates refugit; malis autem voluntatibus obsecundat, ut sit minister scelerum, criminum leno, parasitus ipse vitiorum. Et quia potestate non potest, dominatur turpissimis mentibus turpissima servitute. Sic mendacio decepit Evam (*Gen.* III), sic cupiditate laqueavit Judam (*Marc.* XIV), sic Judæos cæcavit invidia (*Marc.* XV), sic gentes idolorum caligavit errore, sic confudit populos pompa rerum, sic parvulos vanitate ne sana saperent occupavit. Denique quid circa præsentem mulierem molitus sit audiamus. *Et ecce*, inquit, *mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo, et erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.* Videtis quia hæc mulier depressa nequissimi spiritus onere suspirabat, qui semper oneribus peccatorum deprimit homines, et inclinat ad terram, ne cœlum videant, ne superna sapiant, ne Deum aspectent, ne ad libertatem suam per suum revertantur auctorem; sed inclinato capite, defixis oculis, prono vultu, captivi sub jugo semper hostis tencantur antiqui. Sic premebatur publicanus ille, qui oculos suos ad cœlum tollere non valebat, sed percutiebat peccati conscium pectus; et quia negandi locus non erat, locum misericordiæ perquirebat, dicendo: *Deus, propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* XVIII). Hoc sustinens propheta beatissimus sic canebat: *Iniquitates meæ superposuerunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me* (*Ps.* XXXVII). Et ut sui operis aperiret auctorem, alibi sic profatur: *Verticem capilli perambulantium in delictis suis* (*Psalm.* LXV). Quia qui non resistunt delictis, sed perambulant in eis, eorum diabolus et equitat, et percurrit in verticem; ut qui ad mala suo vadunt studio, ad pejora diaboli ducantur impulsu, Apostolo dicente: *Tamquam euntes ducebamini* (I *Cor.* XII). Sed quid in hac historia spiritualis intelligentiæ maneat perscrutemur. *Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo, et erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.* Quæ est ista cujus infirmitatis etiam tempora describuntur? Quæ est ista, [a] cui ferre de terra, sed inclinare ad eam languor calidus sic studebat? Quæ est? Hæc quæ modo est sanctorum genitrix [b] Ecclesia sancta filiorum; quam, sicut dicit Apostolus, *spiritus aeris hujus, spiritus diffidentiæ, spiritus erroris* (*Ephes.* VI), spiritali vexabat incommodo, atque ita ponderibus diversis pronam dabat et deponebat ad terram, ut ad cœlum numquam sublevaretur aspectu. Sed quid est quod hæc quæ Ecclesiæ typum portat, in Synagoga sic reperitur incurva? Quid est? Quia dum fugit gentium sacrilegia, et declinat sarcinas idolorum, graviora incurrit, et portat [c] pondera Synagogæ, probante Domino, cum dicit: *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, qui alligatis onera gravia, et imponitis super humeros hominum* (*Luc.* XI), *ipsi autem nec vel minimo digito ea vultis movere* (*Matth.* XIII). Unde et beatus Petrus: *Nunc ergo quid tentatis Deum*, inquit, *imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus* (*Act.* XV)? Hinc est quod Christus, ab his oneribus homines cupiens alleviare, clamat: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos: tollite jugum meum super vos, quia suave est* (*Matth.* XI). Cum dicit omnes, et Judæos utique vocat, et gentes. Sed quare per decem et octo annos mulieris hujus trahitur ægritudo? Quia nisi decalogus legis [d] ogdoadis venisset ad gratiam, numquam sancta Ecclesia, numquam mulier hæc ad plenitudinem temporis, ad diem salutis, ad tempus acceptum, ad sui Salvatoris præsentiam pervenisset. Hanc autem mulierem gessisse Ecclesiæ sic figuram ipsius qualitas curationis [e] assignat. *Vocavit*, inquit, *ad se illam, et imposuit illi manus.* Sic curare semper Ecclesiam satis novit, qui fieri Christianus meruit, et quotidie fieri conspicit Christianos. Namque ut incurvus peccatis erigatur gentilis ad cœlum, prius a gentili [f] per impositionem manuum nequam spiritus effugatur. Nam qui solo verbo fugarat dæmones, et infirmitates omnes sola sanaverat jussione, quare super hanc mulierem suas imponit manus? Quare circa istam curandi ordinem novat, nisi quia jam tunc in una sanat omnes; immo, quia non ante suscipit Ecclesiam, nisi eam per impositionem manuum suarum purget a diabolo, et faciat Christianam; et amplius, faciendorum Christianorum curam præsentis curæ formet et instituat sacramento. Sed archisynagogus indignatur quare Christus sabbatis curet, hodieque Judæus in Ecclesiæ cura zeli furore torquetur, dum cœlestes sensus intelligentia terrena [g] revolvit, ac putat sabbatum jumentis, non hominibus consecratum, qui periclitanti bovi vel asino sabbato festinus occurrit, hominique morienti sabbato pietatis quidquam, miserationis quidquam non indulget. Et hoc facit excors, ut in pectore violet sabbatum, et in homine ipsam violet sanctitatem: ac sic Deo Dei lege præscribit; et observando sabbatum, Deo sabbatum sic refundit, quod Deus Judæo pro labore terreno et [h] opere carnis clementer indulsit. *Et conversi sunt in arcum perversum* (*Psal.* LXXVII), qui in Dominum legis legis præcepta rectissima sic retorquent. Judæe,

[a] Locus Œdipo dignus. Fortassis: *Cui se auferre de terra negabat, sed inclinare ad eam languor calidus sic studebat.*

[b] Ms. Cæsen. habet, *Ipsa est sanctorum genitrix filiorum Ecclesia sancta.*

[c] Alias, *portavit pondera.* Graviora erant Judæorum præcepta, vel mortem, vel severiores pœnas transgressoribus minitantia.

[d] Ita editi omnes et mss. Tunc legis scriptæ decalogus ad gratiam octonarii numeri pervenit, quando carnem nostram assumpsit Filius Dei, et in ea mortuus resurrexit nobis. MITA.

[e] Alias, *designat.*

[f] Exorcismi et manus impositiones super capita baptizatorum, etiamnum moris sunt in Ecclesia.

[g] Sic ex Latinio. Editi, *pervolvet*, vel *prævolvit.*

[h] Ms. Cæs., *operibus carneis.*

qui te ab humanis, ut vel uno die, vel sabbato, saluti tuæ curatione cessares. *Deest quippiam.* Et tu, Christiane, [a] diem Domino dominicum serva, si vis illum videre Domini diem, si vis quidquid est dominicum per Dominum possidere.

SERMO CVI.

De ficu quæ fructum non protulit.

Sicut peritus magister ad audiendum rudes, ad intelligendum tardos, discipulorum sensus vario genere doctrinæ pulsat, suscitat, accendit ingenium, ita Dominus similitudinibus variis, diversis comparationibus, populorum pigros, tardosque animos ad evangelicum convocat et invitat auditum; namque hodie sic cœpit: *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quærens fructum in illa, et non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce tres anni sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio: succide eam; ut quid et terram occupat? At ille respondens, ait illi, Domine, dimitte illam etiam hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora, et siquidem fecerit fructum; sin autem, in futuro succides illam* (*Luc.* XIII). *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua.* Rogo quid tam planum, quid tam lucidum, quid tam commune, quid rusticis sic vernaculum, quid proprium sic peritis quam propositæ similitudinis forma? Quæ de generali usu veniens omnes et verbo instruit et convertit exemplo. Infructuosa arbor intricat cespitem, necat spatia, exhaurit terræ vires, cultorem conficit damno, afficit tædio possidentem: ac sic excidere istam lucrum est, est istam commodum non habere. Sic homo utique qui naturæ donum, munus animæ, rationis beneficium, excellentiam sensus, judicium mentis, artis industriam, culturæ bonum, per steriles atque inopes actus evertit, occupat, mergit, auctori fructum, cultori gratiam negat; sicut arbor e terra, sic iste e vita meretur excidi. Et sicut infecunda arbor si fuerit in vinea, dum fundit mortiferam subjectis viribus umbram, inimica non sibi soli, sed etiam palmitibus fit fecundis: ita homo deses, ignavus, si præsit populis, non sibi soli fit noxius, sed multis, dum sequentes se suo vitiat et perdit exemplo. Sed hanc similitudinem quare Dominus dixerit audiamus. Arbor ficus, brumali tempore transacto, dum grossos producit in florem, et simulat suum suis floribus fructum, decipit incautos, illudit ignaros. Namque mox projicit grossos, pigrum proficit et prorumpit in germen; et fit posterior cæteris fructu, quæ videbatur cæteras anteisse. Merito ergo a Domino [b] Synagoga arbori fici comparatur, quæ calefacta tempore legali, temporaliter ecclesiastici fructus floruit in figura. Patriarcharum namque A radice solidata, sacerdotali exaltata culmine, propheticis dilatata ramis, Judaicæ observationis repleta grossis florebat, tunc spe sola fructum datura per Christum, immo ipsum Christum datura [c] post fructum, dicente Psalmista: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Ps.* CXXXI). Unde sancti scientes hæc, spem fructus ex flore capiebant, et solabantur præsentia de futuris: videntes jam jamque succedere æterna mortalibus, perpetua caducis, Legi gratiam, Synagogæ Ecclesiam, cœlestia terrenis, humanis divina, omnibus Christum; quem quia venturum longa patientia sustinebant, venisse fideli gaudio sunt gavisi. Ex istis erat Simeon ille, cui promissum erat ut non videret mortem, donec videret Christum Domini, quem in ulnas habens, talem prorupit in vocem. *Nunc* B *dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum* (*Luc.* II). Ignari vero dum fiduciam gerunt in lege tota, neque sunt de Christi exspectatione solliciti, neque suscipere Christum, neque agnoscere meruerunt: et ita sunt legalibus decepti flosculis, sicut nescios grossis suis decipit ficus. Hinc est quod Dominus adventus sui tempora scire cupientes mittit ad ficum, dicens: *Videte ficulneam et omnes arbores. Cum producunt jam fructum, scitis quia prope est æstas; ita et vos cum videritis hæc fieri, scitote quia prope est regnum Dei* (*Luc.* XXI). Videtis quia ficus non signat præsentia, sed indicat sic futura. Sed jam per ordinem propositum prosequamur exemplum. *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua.* Synagoga est arbor ficus, possessor arboris Christus, vinea in qua refertur plantata C arbor ista, Israeliticus est populus, Isaia propheta sic dicente: *Vinea Domini Sabaoth domus Israel est* (*Isai.* V). *Venit*, inquit, *quærens fructum in illa, et non invenit.* Venit Christus, et in Synagoga fructum fidei reperit nullum, quia tota dolis erat inumbrata perfidiæ. Ad ficulneam venit Christus, ad quam legitur Adam nudus fugisse [d] post culpam, dicente Geneseos libro: *Et cognoverunt quia nudi sunt: et consuerunt folia fici, et fecerunt sibi succinctoria* (*Gen.* III). Venit ergo ad ficum Christus, ut inveniret Adam, ut nudum tegeret pio suo corporis indumento, cujus ficus non velabat, sed stimulabat pudorem; cujus ficus ista, id est Synagoga, circumcisionibus suis nudabat partem verecundi corporis, non tegebat. *Venit*, inquit, *quærens fructum, et non invenit. Dixit autem ad cultorem* D *vineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio; succide eam.* Cultor vineæ, qui infructuosam ficum jubetur excidere, est præsul Synagogæ angelus, qui sterilitatem, quia non potest excusare, inducias impetrat supplicanon. 29 concilii Laodiceni, ibique Balsamonem et Zonaram; et consule Biblioth. Juris Canon. pag. 1242 edit. Parisiens. 1661.

[a] Ignatius, in epist. ad Magnes. pag. 57 edit. Genev. 1623, vocat diem hunc: *diem Resurrectioni consecratum et principem omnium dierum.* Fallitur ergo Nicephorus, lib. VII cap. 46 edit. Basil. 1562, dum asserit Constantinum Magnum, omnium primum, diem hunc appellasse *dominicum*. Nisi dicamus Nicephorum hic innuere voluisse appellationem hanc, jam obsoletam, a Constantino iterum fuisse restitutam. Quod etiam eruitur a Sozomeno, Histor. Eccles. lib. I cap. 7 pag. 13. Cave autem hinc inferas diem hanc antea a Christianis non fuisse in honore. Vide

[b] Ita communiter hæc parabola interpretatur. Consule Ambrosium, Bedam, Theophylactum, Euthymium, et Augustinum, serm. olim 51, nunc 110, de Verb. Domin.

[c] Ms. Cæsen., *per fructum*.

[d] Hujus generis fuisse arborem Adamo interdictam, tradunt Hebræi et ex Græcis plerique. Vide Mariana hic.

cando. Sed illud prætereundum non est quod dixit : *Ecce anni tres sunt.* Tres anni, tria sunt tempora per quæ Christus ad Synagogam fructum quæsiturus advenit, id est, [a] per legem, per prophetas, per ipsam sui præsentiam corporalem, ut infructuosa ficus, quæ jam divinitati fructus velut non necessarios denegabat, vel homini, vel esurienti, vel manducaturo Christo cibos necessarios non negaret. Sed nunc quid cultor vineæ responderit audiamus. *Domine, dimitte illam et hoc anno.* Cultor vineæ concedi adhuc evangelici temporis precatur annum, de quo Isaias dicit : *Prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis* (*Isa.* LXI). Ut quid? *Usque dum fodiam circa illam.* Vult eam apostolico vomere [b] perfodere, quia legalis cultri non valuit sentire culturam. *Et mittam stercora.* [c] Tantæ radici necessaria, quæ pro tanta pinguedine cespitis sancti [d] fota cœlesti imbre non meruit esse fecunda. Ficus sterilis, Synagoga misera miseratione gentium stercoratur; ut vilissimis adjuta fomentis redeat ad fructum, quæ tanto et pretioso ubere decessit de fructu : quæ si post hæc in eadem sterilitate permanserit, jam non cultoris falce, sed ipsius dominantis securi, desperata et inutilis succidetur. Et ideo non dixit : In futuro succidam eam, sed Succides eam, juxta illud Joannis : *Jam securis ad radicem arborum posita est : Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur* (*Matth.* III). Quia post evangelici cultum temporis infructuosas arbores securis judicii succidet, et novissimum suscipiet et cremabit incendium.

SERMO CVII.

In D. Petrum episcopum Ravennæ.

Licet fandi sterilitas silentium mihi indicere videtur, loqui tamen vehementia cogit et sanctitas imperantis. Præstantius est enim imperitum prodere eloquium, quam officiosum negare sermonem. Qui ergo tanti viri adhortationem recuset, cui e cœlo contigit et [f] apostolici vocabulum, et summi privilegium sacerdotis? Neque enim absque divino judicio fuisse credendum est quod prima illa vivendi rudis infantia tanti nominis adepta est dignitatem? Quem tunc affuisse, nisi Deum ipsum putamus, cum nescii parentes de futuris meritis judicarent? Petrum enim vocari in aliis appellatio nominis est, in hoc prærogativa virtutis. Vere beatus Petrus, immobile fundamentum salutis, talem se exhibet in sacerdotio, quales videri volunt qui sacerdotium concupiscunt. Quemadmodum igitur sanctitatis regulam [g] disciplinis monasterialibus imbutus exercet? Pallent ora jejuniis, macies corpus attenuat, eleemosyna pro delictis supplicat, [h] lacrymæ peccata baptizant. Sed ne forte hoc devoti populi turba miraretur, solet Petrus flere, cum in eum Christus intendit (*Matth.* XXVI). Nec quisquam in apostolo imbrem irrigui luctus accuset. Jucundæ sunt lacrymæ, quæ gaudium immortalitatis emerunt (*Marc.* XVI). Ipse est ergo [i] custos fidei, petra Ecclesiæ, [j] janitorque cœlorum. Ipse est apostolicus piscator electus, qui ad se turbas errorum fluctibus mersas, hamo sanctitatis invitat, et doctrinæ suæ [k] rete concludit ad fidem hominum multitudine copiosam (*Luc.* V). Est etiam ipse beatissimus et apostolicus auceps, qui animas juvenum per aera volantes calamo divini sermonis attingit. Jure igitur venerabilis Dei sacerdos olim apostoli [l] nactus vocabulum, nunc adeptus et meritum, serit in populos præcepta justitiæ, et manifesta luce reserat sacrorum voluminum mysticas quæstiones : tantumque est in cœlestibus magisterium disciplinis, ut qui convertitur, ipsi absolutionem debeat; qui non corrigitur, sibi reatum. Omnis undique ad eum ex diversis regionum partibus visendi studio turba concurrit. Quicumque invias solitudines aut latentes eremi latebras incolebant, mirabilem Petrum magis veniunt videre [m] quam sæculum. Datum est illis aliquando discere, difficilius quidem, sed gloriosius [n] mundo præsente luctari : et adversus instructas delinquentes turbas aciem quamdam disponere sanctitatis. Quanta enim in mundo positis post certamen palma est, si in solitudine constitutis sine luctamine coronæ debentur? Unde fratres, quoniam beatissimus Petrus omnia quæ sunt divinæ virtutis, prædicatione suæ doctrinæ vos instruit, pariter et exemplis edocet, deprecemur Dominum Deum nostrum, ut ævo longissimo doctrinæ cœlestis vos sermone lætificet.

[a] Hanc eamdem interpretationem repetunt Ambrosius, et Theophylactus, et Gregorius, homil. 31. Alii explicant de triplici Judaicæ reipublicæ forma sub judicibus, regibus et pontificibus; alii de triplici hominis ætate, pueritia, virilitate et senectute; alii demum de tribus annis quibus Christus docuit. Hæc pro libito. Verior sententia est, per tres annos divinam innui misericordiam erga populum Judaicum. Dicit autem per tres annos, quia ficus, quæ frugiferæ sunt, diutius fructus non differant.

[b] Latini dicunt *ablaqueare*, unde *ablaqueatio*.

[c] Vere ficus, cæteris frigidior, stercoratione indiget.

[d] Ex Latinio. Edit. omnes, *tota cœlesti imbre.*

[e] Vide quæ diximus in præfatione, et in notis ad Vitam Chrysologi ex Castillo.

[f] Vide Barthium, Adversar. lib. XLIII cap. 8 pag. 1490, ubi plura commentatur de voce *apostolici*, primis Ecclesiæ temporibus episcopis attributa.

[g] Ex his verbis eruere promum est Chrysologum, nam in ejus laudem pronuntiatum fuisse sermonem hunc, in præfatione indicavimus, et viridi adhuc ætate intra monasterii septa dies transegisse suos. Vel adhærendum Tillemontio, cui persuasum est hic monasterii nomine, vel Cornelii episcopi Imolensis domum, vel ejusdem episcopi seminarium indicari.

[h] Lacrymas vicem baptismatis fuisse B. Petro apostolo, scribit Leo Magnus serm. 9 in passion. Domini. At hallucinatur Barthius, Advers. lib. LV col. 2615, cum hic de Petro apostolo loqui putat : hæc Chrysologum respiciunt.

[i] Nam contra Arium, Eutychen et alios hæreticos, ac fidei Christianæ hostes quoscumque, verbo, scriptoque, fidem ipsam tutatus est. MITA.

[j] Ideo janitor cœlorum dicitur ab Adelpho Chrysologus noster, quia innumeros adducebat ad fidem, et peccatores suaviter trahebat ad pœnitentiam. MITA.

[k] Ms. Cæsen., *retibus.*

[l] Alias, *sortitus.*

[m] Hoc est urbem Ravennatem, ea tempestate, aula Cæsaris et insignium virorum confluentia et comitatu nobiliorem.

[n] Id est : *combattre de front contre le monde*, explicat Tillemontius.

SERMO CVIII.

De homine, ut sit hostia et sacerdos Deo. In verba Apostoli : *Obsecro vos per misericordiam Dei*, etc.

Mira pietas, quæ ut precetur, ut largiatur, exorat. Hodie namque beatus Apostolus non humana petens, sed divina conferens, sic precatur : *Obsecro vos, per misericordiam Dei* (*Rom.* XII). Medicus austera remedia cum recipere persuadet ægrotos, agit precibus, non compellit imperio, sciens infirmitatis, non voluntatis esse, quod salutaria respuit, quoties profutura repellit infirmus. Et filium pater non potestate, sed amore ad rigorem pertrahit disciplinæ, non ignorans quam sit aspera immaturis sensibus disciplina. Et si corporalis infirmitas ad curam precibus sic movetur, et si sic puerilis animus vix ad prudentiam ducitur blandimentis, quid mirum si Apostolus, qui semper est et medicus et pater, humanas mentes morbis carnalibus sauciatas, ut ad remedia divina subrigat, sic precatur : *Obsecro vos, per misericordiam Dei.* Novum genus obsecrationis inducit. Quare non per virtutem? quare non per majestatem, non per gloriam Dei, sed per misericordiam Dei? Qui per ipsam solam Paulus et crimen persecutoris evasit, et apostolatus tanti adeptus est dignitatem : sicut ipse fatetur, dicens : *Qui prius fui blasphemus et persecutor : et injuriosus, sed misericordiam Dei consecutus sum* : Et iterum : *Fidelis sermo et omni acceptione dignus : quia Christus in hunc mundum venit peccatores salvos facere, quorum primus ego sum, sed misericordiam sum consecutus, ad exemplum omnium, qui crediturі sunt illi in vitam æternam* (I *Tim.* I). *Obsecro*, inquit, *vos per misericordiam Dei.* Rogat Paulus, immo per Paulum rogat Deus, quia plus amari vult quam timeri. Rogat Deus quia non tam Dominus esse vult quam pater. Rogat Deus per misericordiam, ne vindicet per rigorem. Audi rogantem Dominum : *Tota die*, inquit, *expandi manus meas* (*Isai.* LXV). Nonne qui expandit manus ipso habitu rogat? Expandi manus meas. Ad quem? ad populum. Et ad quem populum? Non tantum non credentem, sed contradicentem. Expandi manus meas. Distendit membra, dilatat viscera, pectus porrigit, offert sinum, gremium pandit, ut patrem se tantæ obsecrationis demonstret affectu. Audi et aliter rogantem Deum : *Populе meus, quid feci tibi, aut quid contristavi te* (*Mich.* VI)? Nonne dicit : Si divinitas ignota est, vel caro sit nota? Videte, videte in me corpus vestrum, membra vestra, vestra viscera, ossa vestra, vestrum sanguinem. Et si quod Dei est timetis, quare vel quod vestrum est non amatis? Si Dominum fugitis, quare non recurritis ad parentem? Sed forte vos Passionis meæ, quam fecistis, magnitudo confundit. Nolite timere. Crux hæc non meus, sed mortis est aculeus. Clavi isti non mihi infigunt dolorem, sed vestram mihi infigunt altius charitatem. Vulnera hæc non educunt gemitus meos, sed magis vos meis visceribus introducunt. Extensio corporis mei vos dilatat in gremium, non meam crescit in pœnam. Sanguis meus non mihi deperit, sed vestrum prorogatur in pretium. Venite ergo, redite et vel sic probate patrem, quem videtis pro malis bona, pro injuriis amorem, pro vulneribus tantis tantam reddere charitatem. Sed jam quid obsecret Apostolus audiamus : *Obsecro*, inquit, *vos, ut exhibeatis corpora vestra.* Apostolus rogando sic omnes homines [a] ad sacerdotale fastigium provexit. *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam.* O inauditum Christiani pontificatus officium, quando homo sibi ipse est et hostia et sacerdos; quando homo non extrinsecus quod Deo est immolaturus [b] inquirit; quando homo secum, et in se, et quod pro se est, Deo sacrificaturus apportat; quando et eadem manet hostia, idem permanet et sacerdos; quando [c] hostia mactatur et vivit, sacerdos nescit occidere qui litabit. Mirum sacrificium, ubi corpus sine corpore, sine sanguine sanguis offertur. *Obsecro*, inquit, *vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam.* Fratres, hoc sacrificium Christi descendit ex forma, qui corpus suum pro vita sæculi vitaliter immolavit : et vere corpus suum fecit hostiam vivam, quia vivit occisus. In tali ergo victima mors expenditur, hostia permanet, vivit hostia, mors punitur. Hinc martyres morte nascuntur, fine inchoant, occisione vivunt, et in cœlis lucent, qui in terris putabantur exstincti. *Obsecro*, inquit, *vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam sanctam.* Hoc est illud quod propheta cecinit : Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi (*Psal.* XXXIX). Esto, homo, esto Dei sacrificium et sacerdos; non amittas quod tibi divina dedit et concessit auctoritas; induere sanctitatis stolam, præcingere [d] balteum castitatis; sit in velamento capitis tui Christus; crux in frontis tui munimine perseveret; pectori tuo appone divinæ scientiæ sacramentum; in odorem thymiama semper orationis accende; arripe gladium Spiritus; altare cor tuum pone; et sic corpus tuum admove Dei securus ad victimam. Deus fidem, non mortem quærit; votum, non sanguinem sitit; placatur voluntate, non nece. Hoc probat Deus, ad hostiam Abrahæ sancti filium cum poposcit (*Gen.* XXII). Nam quid aliud Abraham quam corpus suum immolabat in filio? Quid aliud Deus quam fidem requirebat in patre, qui filium sicut offerri jussit, sic non permisit occidi? Tali ergo homo confirmatus exemplo, offer corpus tuum et non solum macta, sed etiam seca per omnia virtutum membra. Quia toties tibi vitiorum artes moriuntur, quoties a te Deo viscera fuerint immolata virtutum. Offer fidem, ut perfidia sit punita; immola jejunium, ut voracitas cesset; sacrifica casti-

[a] Toletus, I Petr. II, 9, ubi Chrysologum laudat : *Ad hoc enim quilibet Christianus sacerdos est.*

[b] Ut olim, quando extranea animalia immolabantur.

[c] Hostia immolata adhuc vivit, quando homo ab hac vita deficit et carnalibus vitiis se mactat, mortificando carnem suam cum peccatis et concupiscentiis. MITA.

[d] Cingulum scilicet, quo sacerdotis femora præcinguntur.

tatem, ut moriatur libido; impone pietatem, ut deponatur impietas; invita misericordiam, ut avaritia deleatur, et ut consumatur stultitia, semper sanctitatem convenit immolare: sic fiet corpus tuum tua hostia, si nullo peccati jaculo fuerit sauciata. Vivit corpus tuum, homo, vivit quoties a te Deo virtutum vita vitiorum mortibus immolatur. Non potest mori qui vitali gladio meretur occidi. Ipse autem Deus noster, qui est via, veritas et vita, et a morte nos liberet et perducat ad vitam.

SERMO CIX.

De hostia corporis et animæ Deo rationabiliter offerenda. In eadem verba Apostoli.

Quoniam præcedens sermo tantum primordia [a] tangit apostolicæ lectionis, nunc de his quæ sequuntur quod Dominus inspirat audiamus; sic enim cœpit: *Obsecro*, inquit, *vos, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam* (*Rom.* XII). Numquid Apostolus sic dicendo, sola corpora digna divinis hostiis probat, et animas velut reprobas aut tacet, aut præterit, aut relinquit? Nonne anima de cœlo est, corpus e terra; hoc regitur, regit illa; illa dominatur, hoc servit; hoc vivit, vivificat illa; illa manet, hoc deficit; hoc ætates patitur, illa nescit; et ad extremum mors, quæ tantum dominatur in corpus, nec anima præsente contingit? Et quid est quod tacetur anima, et solum corpus ad Dei hostiam sic vocatur? Fratres, hic Apostolus honorat corpus, non minorat animam. Nam corpus quod capiunt peccata, quod delicta vinciunt, quod deprimunt crimina, quod vitia corrumpunt, quod dejiciunt passiones, hoc Apostolus cupit solvere, liberare studet, laborat attollere, expiare contendit, ut corpus ad originem animæ conscendat, non anima descendat corporis ad naturam; et corpus animam comitetur ad cœlum, non anima corpus sequatur ad terram. Audi Scripturam dicentem anima qualibus et quantis corporis cruciatibus aggravetur: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena cogitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX). Ergo non deponi animam, sed corpus Apostolus vult levari; et animam et corpus, id est, hominem totum, ad hostiam sanctam, ad placitum Deo sacrificium vult venire. Quod autem et anima sit Dei sacrificium, Psalmista declarat dicens: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* (*Psal.* L). *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, placentem Deo.* Quia non homo ex eo quod vivit placet, sed placet ex eo quod bene vivit; nec ex eo fit homo hostia si se Deo offerat, sed si sancte offerat Deo. Quantum enim immaculata victima placat Deum, tantum Deum victima, si maculata fuerit, exacerbat. Audi dicentem Deum: Non offeras mihi claudum, non luscum, non mortis contagione pollutum, sed maturum sine macula (*Levit.* XXII). Hinc est quod Apostolus vivam Deo petit hostiam. Ergo, fratres, si nos ipsius propitiationis incensum. *Desunt nonnulla.*

Probat hoc Cain, qui cum Deo parva a quo totum perceperat ingratus pontifex sic divisit, ut quod erat pessimum, hoc adoleret altari; quod erat optimum, in suam reservaret offensam; denique cum sua suo male partitur cum auctore, se suosque posteros et a vita et ab humano genere perdivisit (*Gen.* IV). Ergo Abel sequamur ad præmium, non Cain comitemur ad pœnam. Abel agnum portans ad Dei sacrificium, sicut agnus assumitur; Cain gestans sibi stipulam, fomentum sibi, per quod exureretur, invenit. *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, placentem Deo, rationabile obsequium vestrum.* Quantum placat obsequium quod ratione subnixum est, tantum quod rationem non habet, exacerbat. Rationabile obsequium, quod non præsumptione turbatur, non temeritate confunditur, non violatur illicitis, non simulatione fucatur. Ad obsequium regis militaris statio contremiscit; humana dominatio exigit sollicitam servitutem, ad arbitrium jubentis timor obedientis invigilat; quia et cauta devotio præmium justæ remunerationis acquirit, et temeritatis pœnam præsumptrix servitus non evadit. Quis non vocatus ad aulæ regalis se propipit servitutem? quis sine titulo militem se ausus est profiteri? quis sine dignitatis [b] infulis nomen dignitatis invadit Et si hæc penes homines sollicita? cautaque sunt, si ratione constant, si convalescunt ordine, si tremore servantur; quanto, penes Deum magis cauta est devotio, magis tremenda servitus, magis sollicitus cultus, ut divinum ratione præstet obsequium? *Rationabile*, inquit, *obsequium vestrum.* Obsequium ratione calens, fervor est; furor est, quod ratione non frenatur. Hinc Judaicus populus Deum dum sibi præter rationem quærit, Deum cui cum ratione serviebat, amisit (*Exod.* XXXII). Hinc filii Aaron dum rationis sunt immemores, dum præsumunt terrenos ignes divinis ignibus admovere, flammam sacrificii salutaris in pœnale sibi incendium commutarunt (*Levit.* X). Hinc Saul [c] tumens regali vertice, dum putat sibi et de sacerdotio quid licere, regnum quod acceperat, altaris temerator amisit (I *Reg.* XV). Hinc Judæus dum legem sine legis ratione excolit, legis interemit auctorem. Hinc gentilis dum [d] deorum populis et deorum monstris, [e] nescius rationis, obsequitur, ad Dei, qui unus et verus est, pervenire non meruit servitutem. Hinc Arius Patri se putat obsequi Filium blasphemando; et dum Filio dat initium, Patri finem miserandus imponit. Hinc [f] Photinus dum coæternum Patri Filium negat, Pater ut Pater non semper fuerit elaborat. Hinc omnes hæreses dum feruntur ad divinitatis injuriam, dum Trinitatem

[a] Alias, *cogit.*

[b] Sumitur infula aliquando pro corona imperiali, ut lib. I in fin. c. de Quadr. præscript. MITA. —Hinc pro omni dignitatis ornamento ponitur.

[c] Nonnullæ editiones corrupte, *tremens.*

[d] Nullo aptiori vocabulo multitudo deorum gentilium exprimi poterat.

[e] Nil enim rationi magis adversatur quam polytheismus, ut passim Arnobius, et Minucius in Octavio.

[f] De Photini hæresi vide Epiphanium tom. I lib. III hæres. 61 vel 71 pag. 828.

mentiuntur vocabulis, [a] blasphemiis obsequuntur. Nos autem, fratres, et corpora nostra aptemus in vivam Dei hostiam, obsequium nostrum rationabile procuremus, ut sit fides vera, pura conscientia, mens sobria, spes firma, cor mundum, caro casta, sanctus sensus, pius animus, tuta ratio, casta charitas, larga misericordia, vita sancta, verecundus habitus, et ad omne Christi obsequium humilitas nostrum semper comitetur incessum.

SERMO CX.

De salute sub fide reposita, justificatione a Deo per Christum, et de morte pro Christo subeunda. In verba ejusdem : *Non est autem scriptum propter Abraham tantum*, etc.

Beatus Apostolus primis et novissimis, id est, Judæis et Græcis, fidei vexillum unicum semper et singulare erigit ad salutem : quod quisquis habere non meruerit et tenere, cœlestium possidere non poterit gloriam triumphorum. Solum est, fratres, quod contra perfidiam dimicantibus aciem dirigit, regem indicat, connectit socios, impiumque hostem sola sui visione terrificat. Sic enim hodie cœpit : *Non est autem scriptum propter Abraham tantum, quod reputatum est illi ad justitiam; sed et propter nos credentes in eum qui suscitavit Jesum Dominum nostrum a mortuis* (*Rom.* IV). Videtis, fratres, quia dum priores futura, dum præterita credunt posteri, sic uno itinere fidei utrique perveniunt ad salutem, dum illi venturum Christum, nos jam venisse profitemur, illi usque ad mortem more hominis descensurum mirantur et credunt, nos esse mortuum et resurrexisse gloriamur. Et quid plura, fratres? Ideo salus hæc tam antecedentium, quam sequentium oculis est negata, ut tota esset in fide. Quod autem dixit : *Qui suscitavit Jesum Dominum nostrum a mortuis*. Ne quis ab alio credat, ipse sui factor et resuscitator est corporis, qui dixit : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (*Joan.* X) : neque enim ab alio resurrectio suscitari, neque ab alio vivificari vita potuit, nec eadem negare sibi quod erat omnibus collatura. Quia nec fons sitit, nec panis esurit, nec sol indiget luce, nec requies ipsa lassescit. *Qui traditus est*, inquit, *propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram*. Traditus propter delicta, non ut ea quæ non poterat mori vita puniretur, sed ut delicta, quæ nos a vita exsulaverant, sola delerentur. *Et resurrexit propter justificationem nostram*. Manente condemnatione justificari non potest condemnatus; nos ergo quos primi culpa sic parentis addixerat, ut mors obnoxios sibi jure retineret, Christus cœlestis et verus parens, soluta mortis condemnatione, per mortem propriam resurrectionem justificat, ut non reus pereat, sed reatus; ipsaque pœna, id est mors, quæ reos fuerat jussa A percellere, merito deficiat et suæ amittat infulas potestatis. Cur innocentem, cur ipsum judicem crudelis et impia est ausa contingere? et ideo addidit : *Justificati igitur ex fide pacem habeamus ad Deum* (*Rom.* V). Hoc est dicere, desinat, desinat mater dissensionum, hostis quietis, pacis inimica contentio, non extollatur Judæus per legem, gentilis non superbiat per naturam, philosophus ab opinionibus suis spumosis et inanibus detumescat, nemo de meritis, nemo de operibus glorietur; quia vitam, quam prævaricatio prima sustulerat, et elongaverat a nobis furiosa contentio, restituit et reddidit pax divina. *Pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum.* Terra non rebellet in cœlos, [b] caro non insurgat in spiritum; sed supernæ pacis humilis perpetem jun- B gatur ad gloriam. *Per quem accessum habemus.* Quare nobis ipse factus est via, *fide in gratiam istam.* Dux vitæ istius fides est, fratres. *In qua stamus et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Stamus certe fide, non corpore; et in spe, non in re jam percepta gloriamur. *Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem, spes vero non confundit.* Ecce quibus ætatibus justus perfectum roboratur in virum : in tribulatione, patientia, probatione, spe. Tribulatio, fratres, velut prima justi viri concutit et conturbat infantiam : sed cum invenerit ista patientem, ad majora adolescentem jam bonæ indolis tunc erudit. *Tribulatio patientiam operatur.* Patientia est, fratres, quæ Christi ju- C venem aptum probat esse virtutibus. *Spes vero non confundit.* Spes est quæ virum perficit : et ad mensuram Christi plenitudinis indefessa producit. Perfectæ virtutis est, quod in re non teneas [c] spei robore possidere. *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et ut diffusæ in nos divinæ charitatis ostenderet qualitatem, adjecit : *Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus secundum tempus, pro impiis mortuus est? Vix enim pro justo quis moritur : nam pro bono forsitan quis audeat mori? Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quia adhuc cum peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Si Christus genus hominum sic dilexit, ut daret pro impiis et peccatoribus mortem suam, [d] justis quid aliud D credimus largiturum, quam vitam suam, regnum suum, gloriam suam. Ex te suscepit mortem, quam impiis impenderet super terram : reservat tibi, quod in se et per se semper possidet, et possidet in cœlo. Dicamus ergo cum propheta : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam* (*Psal.* CXV). Hoc est et ego moriar pro illo. Et quid simile? Ille sponte pro impio et peccatore, ego vix pro justo et bono : ego vix, quia

[a] Hoc est voluntarie ex animo ac læte blasphemant. MITA. — Morem gerunt eis qui blasphemiis Deum impetunt.

[b] Hic enim est primus justitiæ effectus et reconciliationis cum Deo.

[c] Nam spiritum promissionis accepimus, veluti pignus et arrhabonem regni cœlestis. DUHAMEL.

[d] Corruptum loeum : *Justis eum qui credimus*, etc., sanavit optime Latinius : Mita nec male : *Justis eum quid credimus largiturum.*

me ad mortem non tam voluntas quam necessitas ducit. Audi ipsum dicentem ad Petrum : *Cum autem senueris, præcinget te alius, et ducet quo tu non vis.* In adversis, fratres, necessitas voluntati non potest comparari; acquiescere necessitatis est, velle virtutis. Volenti mors ipsa subjecta est, quia semper dominata est mors nolenti. Et tamen, fratres, quia divinæ charitatis nil simile potest homo redhibere, det quod potest, quia secundum quod habet acceptus est. Deficiat ad gloriam, moriatur ad vitam, pereat ad salutem. Gloriemur, fratres, de nova istius commutatione commercii; quia [a] mors, quæ erat inter homines reparatio tota pietatis, per Christum divinæ commendatio est facta charitatis.

[b] SERMO CXI.

De peccato originali. In verba ejusdem : *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit.*

Præsens, fratres, Apostoli lectio cum dicit, per unum hominem mundum totum suscepisse sententiam (*Rom.* v), non ad perorandum nos, sed ad flendum renovato et intimo dolore compellit. Si enim eximii vates singularis populi, et unius urbis, ac solius nonnumquam hominis diu lamentavere discrimen; quæ mens non totis tenebris obscuretur, quos sensus non tota hebetudo confundat, quos oculos non redigat in fontes et fluenta lacrymarum, quando unius lapsus exstitit ruina cunctorum, et unius culpa omnium defluxit ad pœnam, ac parentis vitium universo generi exitium ferale præparavit, dicente Apostolo : *Propterea sicut per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, et per peccatum mors* (*Ibid.*). Miserum me! ipse qui erat causa bonorum omnium, janua factus est hic malorum. *Peccatum in hunc mundum intravit.* In hunc mundum : miraris eum posteris obfuisse, qui facinore suo damnaverit mundum? Sed dicis, Quomodo intravit? Per quem intravit? Quomodo? Per culpam. Per quem? Per hominem. Et quid? peccatum natura est, an substantia? Nec natura est, nec substantia, sed accidens : et adversa est hæc potestas quæ videtur in opere, sentitur in pœna, impugnat animam, vulnerat mentem, ipsam violat, confunditque naturam. Et quid plura, fratres? Hoc est peccatum naturæ, quod est fumus oculis, quod febris corpori, quod dulcissimis fontibus amara salsedo. Utique purus et lucidus est oculus per naturam, sed per fumi conturbatur et obscuratur injuriam. At corpus membrorum partibus et sensibus suis, per hoc quod est a Deo conditum, viget; sed ubi vis febrium cœperit, et procella domi-

A nari, totum efficitur imbecillum : tunc amaritudo oris, tunc oculorum caligo, tunc gressuum nutabunda vestigia, tunc inimica aura, tunc chari graves, tunc ipsa obsequia videntur odiosa. Et fontes quantum grati sunt per suam dulcedinem et naturam, tantum efficiuntur ingrati, cum aliquod vitium ex accessione susceperint. Sed ad cœpta redeamus. *Sicut per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, et per peccatum mors.* Ecce, fratres, janua, per hominem peccatum, et per peccatum intrasse videmur in mortem. Peccatum, o crudelis fera, et non uno capite in hominum genus sævire contenta! quam vidimus [c] trino ore tota humanæ stirpis germina tam pretiosa devorantem : trino ore, fratres, peccatum capit, mors devorat, deglutit infernus. Et quo, sicut diximus,
B fonte lacrymarum talis nobis [d] plane deflendus est parens, qui nos tantarum miseriarum reliquit hæredes, qui non solum collata bona perdidit, sed omnes posteros suos tam feris creditoribus obnoxios sic reliquit? O dura hæreditas ac crudelis! O miseri, quibus nec adipisci libuit, [e] nec renuntiare licuit nos hæredes! Audi quod sequitur : *Et ita in omnes homines mors transivit.* Sed ne injustum forte videatur cur per unum in omnes, quia omnes per unum; per eum te detestaris esse damnatum, per quem te editum esse gloriaris in lucem. Sed dicis, Si generi debeo quod natus sum, numquid et crimini, ut ante me reum faciat natura quam culpa? Huic quæstioni tuæ mox qui sequitur Apostoli sermo respondet, dicendo : *In quo omnes peccaverunt.* Si in illo omnes peccaverunt, merito
C per illum omnes suscepere supplicium. *Sicut per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, et per peccatum mors : et ita in omnes homines pertransivit, in quo omnes peccaverunt.* Sive in homine, sive in peccato; per illum et in illo omnes peccaverunt. Non ergo peccatum versum est in naturam, sed dum peccatum mortem ingerit, pœnam sibi debitam exigit per naturam. Deus naturam ita fecerat ut homines crearet ad vitam : quæ tamen [f] dum morti nolens generat, illa se peccato fatetur obnoxiam, cujus pœnæ deservit in vita. Nam quis ista sentiat, fratres, quod exstingui velit natura partus suos, et germina sua tam chara velit necari? Sed dum ingemiscit et condolet, amissam suspirat et desiderat suspicere libertatem. Sed per quem acceperit, Joannes primus
D signanter ostendit, qui viso Christo proclamat et vociferatur, dicens : *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* (*Joan.* I). Peccatum mundi, hoc est, fratres, quod per unum hominem Apostolus intrasse testatur. Gaudete ergo, fratres, quia peccatum quod nos gravi

[a] Alius, *mox quæ erat.*

[b] Hujusmodi sermonis finis et scopus est originalis peccati veritatem contra Pelagianos statuere, et corruptionem inde nobis derivatam, nec alio remedio sanandam, nisi Deus se hominem fecisset. TILLEMONTIUS.

[c] Si tantum de originali peccato est sermo, illud trino devorat ore ob triplices mali effectus, qui sunt diminutio boni naturalis, macula et reatus pœnæ. Si de peccato actuali fatur, illud trino ore, hoc est, triplici peccato devorat : nempe cogitatione, verbo et opere mortifero. MITA.—Se ipsum explicat Chrysologus. Peccatum Adæ triplici nos damno affecit : inclinatione ad malum, morte, æterna damnatione.

[d] Alias, *plene.*

[e] Uti hæredes necessarii : quemadmodum de servo hærede instituto disponitur in § 1 Inst. de hær. qualit.; vel uti filii hæredes sui et necessarii ex jure 12 Tabul., absque prætoris privil. sicuti § 12 eodem tit. habetur. MITA.

[f] Alias, *ad mortem.*

pondere deprimebat ad tartarum, a Christo sublatum est, in tartara jam demersum; et nos, quos morti culpa primi parentis addixerat, secundi et divini parentis gratia a pœna revocavit ad vitam. Salvari ergo sine Christo [a] homo non poterat, quia totius mundi peccatum ante ipsius permanebat adventum. Sed tu quod per Christum justificaris, amplecteris; et quod per Adam damnatus es, tu refutas; et alterius tibi pœnam obfuisse conquereris, qui tibi conspicis alterius subvenisse justitiam. Numquid non in semine tota arbor? Vitium ergo seminis vitium est totius arboris. Si sibi ipsa per se natura subvenire potuisset, numquam eam ad reparandum in se auctor ipse suscepisset. Ad vitam eam creatam credis, qui adhuc eam per auctorem dubitas esse reparatam? *Usque ad legem enim*, inquit, *peccatum erat in mundo.* Usque ad legem cum audis, usque ad finem legis, hoc est, usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi, accipe. *Quia peccatum non imputabatur*, ait, *cum lex non esset.* Et quando lex non fuit, [b] quæ cum ipso homine cœpit? si lex non fuisset, Adam prævaricator utique non fuisset, sicut idem aperit Apostolus, cum dicit: *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen.* Utrique legem acceperant: sed Adam mox prævaricatus est, ut accepit; Moyses prævaricatoribus promulgavit acceptam, dicente Apostolo: *Lex prævaricationum causa posita est* (*Galat.* III). Regnavit ergo mors per legem, quia gravius prævaricatores quam peccatores; et non tantum parentis vitio, sed suo jam lapsos facinore, sæva devoravit. *Sed regnavit*, inquit, *mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* Quia non tantum magnos, sed devorabat et parvulos; et non tantum noxios, sed et devastabat innoxios: innoxios dico a culpa propria, non parentis. Et hinc gravius erat lamentanda conditio, quia ejus parentis solvebat pœnam, cujus vix vitam degustarat infantulus; et luebat peccatum mundi, qui mundum cognitum non habebat. Acquiescamus ergo, fratres, quod per unum et unius delicto mors regnavit, si omnes per unum absolvi desideramus, et esse per Christum: quia qui vivit, Christo debet, non sibi; et Adam quod moritur id debebit.

SERMO CXII.

De morte per hominem, vita et gratia per Christum habita, deque abundantia delicti propter legem. In verba ejusdem: *Si enim unius delicto mors regnavit per unum.*

Si quis poculum aquæ frigidæ sitienti porrigit viatori, aliquantum quidem animum recreat æstuantis, et humanitati [c] plane succurrit, non tamen penitus A sitim exstinguit: ita et magnum divinæ scientiæ desiderantibus nosse secretum, noster sermo non sufficit, qui ad præsens festinationi deservit et tempori. Nam si ad humana perdiscenda tota hominis brevis est vita, quod tempus sufficere credimus ad intelligentiam posse divinam? Date ergo veniam, fratres, si intra punctum temporis et [d] horæ unius vix momentum obscura lucidare, clausa reserare, firmare dubia, profunda contingere, tot sæculorum ineffabile sacramentum per omnem modum aperire non possum, et eloqui, si vel caute æmulis, secure filiis, credentibus confidenter, constanter incredulis non valemus. Verum quia hodie apostolicus sermo claro se lumine sensibus audientium totus infudit, nec quidquam catholicis mentibus reliquit ambiguum, cum dicit: *Si enim unius* B *delicto mors regnavit per unum* (*Rom.* V); declamandi studium seponentes, tota simplicitate ipsis apostolicis eloquiis innitemur, ut verum scire cupientibus nulla sermone nostro generetur obscuritas. *Si enim unius delicto*, ut dicit, *mors regnavit per unum*, quare mortem ab uno et primo homine esse posteris acquisitam insinuare et approbare evangelica laborat auctoritas? Et quamvis sufficiat illa sententia, quæ dicit: Deus mortem non fecit (*Sap.* I); quare eam tam trucem, tam crudelem, tam immitem nonnulli a Deo velint esse conditam, scire non possum. Nemo sine piaculo æstimat tam pium, tam bonum Deum, mortem creare potuisse, cujus universus mundus dolore continuo, gemitu, lacrymis, accusat et detestatur auctorem. Si mors etiam penes homines est criminum pœna, quo C ausu concreata homini et pœnæ ante creditur innocenti Deo insita esse quam vita? Sed audiamus Apostolum: *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Christum Dominum nostrum.* Ecce unum, et unum, Adam et Christus. Per illum peccatum regnavit in mortem, per istum gratia regnavit in vitam. Denique duo hæc principia vitæ et mortis, absolutionis et pœnæ, desideratæ libertatis et damnationis extremæ, is qui sequitur sermo Apostoli aperit et declarat. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ita et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Per unum et unum, aut mors regnat, aut vita conceditur. Quid hic ergo addere D sermo possit interpretis? quibus [e] si adjunges silentium, omnis æmulorum succumbit intentio. *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ita et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Sicut fonti fluvius, sicut fructus semini, ita origini deservit aut addicta aut erepta posteritas, sicut

[a] Mss. Cæsen. et Vallic., *nemo poterat.*

[b] Certe præsto erant homini naturæ lex, interiorque conscientiæ lumen, quibus quid malum esse, quidve bonum, docebatur; sed obscuriori quadam turbataque ratione. Locum hunc Apostoli Basilides apud Origenem hic lib. V pag. 140 interpretabatur de metempsychosi; quasi semper in mundo fuerit peccatum, at hominibus tunc solummodo imputatum, quando in humana corpora commigrarunt.

[c] Alias, *plene.*

[d] Habendæ concionis tempus unius horæ spatio definiebatur. Vide Origenem, homil. 3 in Genes.; Cyrillum Hierosolymit., catech. 13: *Quæ cum multa sint, et tempus horæ perbreve;* Augustinum etiam, serm. 237 de Temp.; et Chrysologum nostrum, serm. 121, ibique notam ultimam.

[e] Ex Latinio; in editis deest *si.* Nonnulli, *adjunges.*

ex his quæ adjecit Apostolus plenius approbatur. *Sicut enim unius hominis inobedientia peccatores constituti sunt multi, ita unius obedientia justi constituentur multi.* Sit homo peccator, [a] ut sit Deus justus, quia reatus redundat ad judicem, si pœna percellit innoxium. Et ideo dixit : *Sicut per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Ut scirent se ejus culpæ fuisse participes, cujus pœnæ socios se esse persentiunt. Sed jam quid lex profuerit, attestante Apostolo, audiant legis amatores. *Lex autem,* inquit, *subintravit, ut abundaret delictum.* Ecce, ut Apostolus dicit, non imminutionem delictorum lex fecit esse, [b] sed copiam; non per se, fratres, sed per eum qui legem per imbecillitatem ferre non poterat. Non magnitudo lucis hebetat oculos, quæ solis a Deo creata est oculis, sed oculorum infirmitas lucis totam sustinere non potest, et ferre claritatem : ita et lex, fratres, quæ per se satis justa erat, et satis sancta, dum ab homine fragili severam exigit disciplinam, magis magisque oneravit et prodidit delinquentem. Et hoc quare, fratres? Ut per gratiam et veniam Conditoris rediret ad vitam qui per tumorem et ignorantiam, [c] cum male de innocentia gloriaretur, in debitum parentis deducebatur et pœnam. Morbus igitur latebat occultus, per quem omnium secreta medullarum et venarum meatus in ipsorum vitalium tendebant exitium, et quamdam [d] συγχρίσιν in omnibus generabat internis. Venit lex quæ et vulnus proderet, et tandem vetusto languori [e] supernum advenire medicum nuntiaret. Venit lex, quæ mandatorum fomentis in cutem produceret quod in altum lethaliter sæviebat. Venit lex, ut gladio præceptorum velut apostema longi temporis aperiret, et collectam diu saniem salutaris subinde siccaret effusio. Nec tamen per se, fratres, aut vulnus claudere aut ægrotanti perfectam addere valebat ipsa sanitatem. Quod ubi vidit ægrotus, et tandem statum suum miserandus agnovit, cœpit tendere festinus ad medicum, ut quod per legem proditum, et per ipsam diu fuerat ampliatum, tanti medici peritia curaretur et gratia. Ampliatum vulnus dicimus, fratres, quia post incisionem, putredo, fetor, horror, vexatio ipsi vulneri abscissione generatur, et fit per curam deterior miserandi facies ipsa languoris quam fuerat ignoranti periculum cum lateret. Venit ergo medicus; et jam fesso curis, et curationum vexationibus perdefesso, solius verbi auctoritate subvenit. Sicut centurio ille confitetur, cum dicit : *Dic verbo, et sanabitur puer meus* (*Matth.* VIII). Et impleretur illud propheticum : *Misit Verbum suum, et sanavit eos* (*Psal.* CVI). Et ideo sequitur : *Ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia.* Ac si diceret : Ubi dilatatum est vulnus, supereffusa est sanitas. Nemo ergo ingratus sit legi, quia quem ægrotantem et jacentem invenerat, levavit, fovit, et ut saluti traderet, ipsum usque ad medicum salubri exsultatione perduxit, ut, sicut dixit Apostolus : *Quemadmodum regnavit peccatum in mortem, ita gratia regnet in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.* Gratia in vitam, peccatum regnat in mortem. Recta fides non mortem, non interitum hominis auctori Deo deputat, sed salutem. Mors sit hominis, sit peccati, ut vita creata et reddita solum credatur esse per Christum.

SERMO CXIII.

De non permanendo in peccato, ut gratia abundet, et de virtutibus inserviendo. In verba ejusdem : *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet?* etc.

Beatus Apostolus quando nota interrogat, quando manifesta perquirit, eos videlicet objurgat et increpat qui eloquia divina sua interpretatione corrumpunt : et inde concipiunt suffragia criminum, unde assumere debuerant documenta virtutum. Sic enim hodie cœpit : *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet* (*Rom.* VI)? Superius dixerat, fratres : *Ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia;* et ideo ita exorsus est, ac pro illo divino et singulari magisterio imperitis se velut interrogatione participat, ut quæ sunt prudentiæ cœlestis plena eruditione respondeat. Si enim *ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia. Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet?* Si prona est delinquentibus pietas, si gratia copiosa peccantibus, si injustis amica largitas est divina, certe si futura bona malis præsentibus acquiruntur, quid nobis virtutum iter arduum, quid durus obtinendæ justitiæ labor, quid inter malos jugis servandæ innocentiæ cruciatus? Augeantur humana facinora, ut bonitas cœlestis exuberet; faciamus mala, ut dixit, ut veniant bona (*Rom.* III); permaneamus in peccato, ut gratia abundet. Ad hæc, fratres, idem qui interrogat Apostolus ipse respondit : *Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* Cum dicit [f] *Absit,* taliter intelligentiam insipientium exsecratus

[a] Justus omnino est Deus, quia homo peccator est; et Deus justitiam in hominem, tamquam in vere peccatorem, exercet. MITA.

[b] In Apostolo particula *ut abundaret* non est loco causæ, sed quod occasione legis evenit, quamquam ipsa repugnante lege, quæ minui peccata volebat, non augeri.

[c] Homo justus adhuc sub lege naturæ videns se agere quod rectum est, tumore plenus de innocentia lætabatur, quam se habere confidebat; et per ignorantiam minime sentiebat se juste a Deo puniri ob parentis delictum, et amissam in ipso parente innocentiam. Venit lex Moysis, quæ protulit totum. MITA.

[d] Id est, contagionem, interpretatur Mita. Id est, *idem judicium.* Hoc est, *omnia interiora similiter erant affecta*, legitur in margine pag. 484 edit. Colon. 1627.

[e] Christus Dominus, non raro apud Patres dicitur *medicus.* Chrysostomus tom. V homil. 31 : *Ne mihi dicas, peccavi; quid agam? Medicum habes infirmitate superiorem, medicum habes morbi naturam vincentem, medicum habes nutu sanantem, medicum habes sola voluntate curantem, et qui potest, si vult.* Basilius Seleuciensis, orat. 55, vocat Christum *medicum sine medicamentis sanantem.* Hoc etiam de morbis corporis intelligi potest. Gregorius Nyssenus, orat. 3 contra Eunomæum.

[f] Particula *absit* exsecrantis est, ut Rom. III, 31; quasi dicat : Absurdissimus est et detestabilis error.

est et sensum : siquidem medicus non vulneri, sed curæ proficit et saluti ; nec putredini, nec morbis, sed soli congaudet ille sanitati. Ita et Deus, qui pro magnitudine vulneris adhibuit magnitudinem vigoremque medicinæ, et nec peccato, sed homini largitus est gratiam ; nec ad multiplicanda, sed ad delenda delicta imbrem suæ pietatis effudit. Nemo, nemo sic de ægritudine gratuletur, ut velit in vulnere permanere. Ingratus medico, inimicus est curæ, qui semper curari æstuat, nec umquam desiderat hic sanari ; et ita Dei gratiam suis cupit exuberare peccatis, ut sibi cupiat peccata cumulari. Miser qui tali voto reus esse contendit per veniam. Fugienda, fratres, dementia ista est, fugienda, quæ etiam post curam captiva tenetur amore morborum, recidiva enim lethalis est sæpius ægritudo. Quod autem dixit : *Qui enim mortui sumus peccato*, præsentis temporis loquitur hic figuram : quia mortuos nos dixit esse peccato, non nobis jam in toto mortuum dixit esse peccatum ; quia etsi peccatum ipsum actu operis sanctis et fidelibus est defunctum, vivit tamen, et adhuc in nostram desævit mortem. Tunc autem peccatum ipsum [a] morietur in nobis, *cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem, et factus fuerit sermo qui scriptus est : ubi est, mors, aculeus tuus? ubi est, inferne, victoria tua? Aculeus autem mortis peccatum est* (I *Cor.* XV). Vivit autem peccato, qui ejus, sicut in consequentibus dicit, [b] concupiscentiis famulatur ; et stimulis miserandus inservit, qui obsecundat vitiis, qui criminibus infelici et continua captivitate succumbit, qui quod delicti est esse autumat hoc naturæ, et morbo qui est accidens utitur velut opere et beneficio Conditoris. Et ideo ad arguendum talium ignorantiam addidit dicens : *An nescitis quia quicumque in Christo Jesu baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus illi per baptismum in mortem.* Audiant fideles, et intelligant : quemadmodum triduana Domini sepultura trina demersione figuratur in baptismo ; ut resurrexisse cum Christo, et si necdum corpore, vitæ jam novitate congaudeant ; sitque totus homo virtutum domicilium, qui receptaculum fuerat ante vitiorum. *Ut*, sicut dixit, *quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Christus quidquid suarum virtutum est, refert ad gloriam Patris ; et homo, cujus suum nihil est, sibi vindicare quod per Christum resurrexit elaborat. Quod autem dixit : *In novitate vitæ ambulemus*, quæ superius diximus, illa confirmat, ut si necdum hoc corpore, vita tamen jam totus immutatus incedat ; intelligat se, et dominetur elementis, qui elementis hactenus per ignorantiam serviebat ; largiatur sua per gloriam, qui prius turpiter furabatur aliena ; et qui carnis exercebat illicita, contemnat etiam licentias corporales ; et qui innocentiam hactenus impie moliebatur exstinguere, pro innocentia gloriosius ipse moriatur. Et quid plura ? Si ex vetere homine jam novus effectus est, vitiorum gurgitem in fontem commutet ipse virtutum. Usque ad finem autem lectionis hoc ingerit beatus Apostolus, hoc demonstrat, illum posse cum Christo vivere, illum regnare cum Christo, qui resurgentis Christi innocentiam sequitur, imitatur vitam, implere nititur sanctitatem. Quod dicit : *Ut destruatur corpus peccati ;* destruatur, fratres, actu, non substantia ; opere, non figura, quia peccato, non Deo vult hominem perire, qui ait : *Existimate vos mortuos esse peccato, vivere autem Deo.* Et supernæ libertati, fratres, restituere hominem tota pietate contendit, qui dicit : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Et iterum : *Peccatum vobis non dominetur.* Non dixit, Non veniat ad vos ; non dixit, Non provocet, non titillet ; sed, *Non regnet, non dominetur*, confligat ad vincentis gloriam, dimicet et decidat ad triumphum victoris ; et tandem se doleat impia peccati dominatio a servis quondam suis tota securitate calcari ; et crudelis tyrannus ingemiscat subjectum se suorum pedibus captivorum ; et ad eorum triumphum, de quibus diu triumphaverat, se veteranus hostis pervenisse deploret.

SERMO CXIV.

De servis legis et gratiæ. In verba ejusdem : *Peccavimus, quia non sumus sub lege, sed sub gratia*, etc.

Sicut peregrinanti reditus ad propria dulcis semper et charus est, et vernaculæ domus vestibula sunt gratiosa post tempus, ita mihi post intervalla sermonis ad apostolicarum [c] seriem lectionum suavior est recursus. Siquidem a proposito dicendi ordine, et continuo tramite loquendi discedere nos sæpe necessitas religiosa compellit ; quia sic doctrinæ ordo moderandus est, ut non modo aliud impediatur ex alio. Unde quid hodie beatus Apostolus dixerit audiamus. Quid ergo ait? *Peccavimus, quia non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit* (*Rom.* VI). Hæc interrogatio, fratres, eorum arguit imperitiam qui, legis consuetudine captivati, gratiæ beneficio nesciunt sentire virtutes ; et quos præceptorum legalium series prodidit contumaces, eos sola munerum commoda et festivitatum pompa observationibus vanis fecit et reddidit obstinatos. Et cum legem tempus excluserit, quid cultor legis a lege faciet abdicatus ? Judæe, quid habes quod non perdidisti? Si autem perdidisti, quid gloriaris quasi non perdideris ? Ubi est templum, ubi est sacerdos, ubi sacrificium, ubi incensum, ubi purificationes tuæ, ubi solemnitatum tuarum non omittenda devotio ? Sed ut sis Judæus, merito circumcideris, quia bonis omnibus abscissus es supra-

[a] Juxta veterum philosophorum placitum, quibus aliquid mori dicebatur, cum suis exibat finibus, in aliena transiens. Platoni homo *mori* dicebatur, et cum anima relinquit corpus, et cum anima in corpore constituta suas exuit passiones, et ad virtutes transit.

[b] Concupiscentia quando vocatur peccatum, non utique quia peccatum est vocatur, sed quia peccato facta sit. S. Augustinus, tom. VII, contra duas Epistolas Pelagian. lib. I cap. 12. MITA.

[c] Vide notam [c] serm. 66, col. 385.

dictis. Scriptum est enim : Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis (*Deut.* XXVII). Si maledictus est qui in uno offenderit, quoties maledictus erit qui nihil ex omnibus probabitur effecisse? *Peccavimus*, ait, *quia non sumus sub lege,* [a] *sed sub gratia?* Ac si diceret, fratres : Peccavimus, quia in cura non permansimus jam sanati? Peccavimus, quia ignem, ferrum, medicamenta reliquimus jam curati? Infelix æger, qui post curam non vult curare tormentum. Et quid plura, fratres? Numquam curat, qui infirmantis quærit et exspectat arbitrium? Nam [b] cum ex humore frigido semper ignis succendatur in corpore, et rigor nimius dum membra vexat et concutit, acrius ipse efficit et gignit incendium; ita ægrotus ad augendam flammam quæ suis semper æstuat et anhelat in venis, dari sibi aquam frigidam impatienter exspectat, nesciens quod tunc [c] calor calore restinguitur, frigore nutritur incendium. Lex ergo dum hominis semper exspectat et sustinet voluntatem, nec tamen homo peccati sarcina præpeditus sufficere legalibus prævalet obedire mandatis, cultorem suum lex non absolvit a peccati vinculo, sed crimine prævaricationis obligat. Et ideo addidit, dicens : *Nescitis quod cui exhibuistis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obedistis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad vitam?* Quid est, fratres, quod cum de lege loqueremur, hominem prodidit servum fuisse peccati? *Sive peccati*, ait, *ad mortem, sive obeditionis ad vitam.* Quia superius dixerat, peccatum vobis non dominetur; non enim estis sub lege, sed sub gratia. Qui ergo sub lege sunt peccati, deprimuntur et incurvantur imperio, nec poterunt miseri de peccati turpissima servitute, nisi gratia manumittente, liberari. *Gratias autem ago Deo*, dixit, *quia fuistis servi peccati.* Sic gratias agit, quasi qui congaudeat hominem servum fuisse peccati? Absit. Gratias agit, non quia ante servi fuimus domini tam crudelis, sed quia etiam non sumus subjugati, sicut ex sequentibus id ipsum manifestat expressius, dicens : *Obaudistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis : liberati autem a peccato, servi facti estis justitiæ.* Obaudivimus, fratres, beneficio vocantis, non nostro, quia captivi sic tenebamur arbitrio. *Obaudistis autem ex corde in eam formam doctrinæ.* In quam? In Evangelii nempe, ubi novo libertatis genere non est omissa servitus, sed mutata, quia melior est devota famulatio quam vaga et præsumpta libertas. *Servi facti estis justitiæ.* Hæc servitus, fratres, non obligat, sed absolvit; non onerat, sed honorat; abstergit servitutis maculam, non inurit. Quid hic, rogo, non divinum est, ubi servitus pellitur servitute, ubi fugatur conditione conditio, ubi mors morte moritur, ubi perditio perditione sanatur, et ut proprie ac breviter dicatur, ubi tota adversitas ipsius adversitatis mucrone prosternitur? Quod autem dixit : *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ : sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem; ita exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Magnitudinem pietatis ostendit, cum evangelicam doctrinam ad tam humilia et pene verecunda deponit exempla; ut sanctitati tantum quantum immunditiæ, quantum iniquitati justitiæ tantum imponat, et imperet servituti. Absurda, fratres, atque indecens videtur comparatio, quæ tantum gloriæ quantum turpitudini hominem cupit esse subjectum; sed utinam vel tantum! Et quando tantum Deo quantum mundo, quando tantum cœlo quantum terræ, quando tantum virtuti quantum vitiis fragilitas humana famulatur? Totus homo miser sic carni deditur, sic rebus præsentibus occupatur, ut nihil in se, quod futuræ vitæ, quod divinis bonis deserviat, derelinquat. Illecebræ temporalis vim beatus Apostolus uno sermone humanis conscientiis convenienter aptavit, convenienter expressit, ut tanta voluntate justitiæ, pudicitiæ ac munditiæ humana membra serviant, quanta vehementia dementiaque turpitudini vitiisque se dederunt. Parva aut forte nulla exigit, qui cupit [d] devicta proprietate concedere; et adimit excusationem qui possibilia tibi [e] et usitata præcipit te repensari debere pro maximis. Da ergo, homo, Deo tantum quantum carni vitiisque tribuisti. Et quid est, quod ante vitiis, non Deo, debeas teipsum, quod a te Deus tuo tantum utique amore perquirit? Sequitur : *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ; nunc autem liberati a peccato, servi facti estis* [f] *justitiæ.* Ante servi peccati, nunc servi justitiæ. Per Apostolum ecce succedit servitus servituti, contumax tu nunc tempus tuæ libertatis ostende; peccatum te ante mentiebatur liberum, quem tenebat [g] miserande captivum, nunc gratia te vocat servum, quem ut vere faceret esse liberum, Dei ipsius adoptavit in filium. Impleta est ergo Christi sententia, qua dicit : *Qui vult esse dominus, sit servus* (*Matth.*

[a] Subdit hic Latinius : Vide quam longe ab Apostoli vera lectione et sententia recedat Chrysologus. Alius certe est Apostoli sensus, dum inquit : *Peccavimus, quia*, etc. Et verbis illius *sub gratia*, repetit iterum, iterumque refellit objectionem sibi ab initio factam illis aliis verbis : *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit.*

[b] Ex humore frigido, putrido tamen, minorem resistentiam faciente, ignis in corpore nostro accenditur ac putrido ipso humore frigido nutritur; contrarium enim fit ex suo contrario, ut patet ex Aristotelis Physica. MITA.

[c] Ms. Cæsen., *Calor non exstinguitur frigore; sed* ***frigore nutritur incendium.***

[d] Alias, *detenta*, seu *retenta*. Ut fit cum res datur in emphyteusim; ubi parum, quod fere pro nihilo habetur, pro canone solvi mandatur ab emphyteut. Proprietas enim ac directum dominium penes concedentem remanet, ut cod. de jure emphyt. et late per Julium Clarum. MITA.

[e] Hic suspicandum de veritate lectionis putat Latinius. Primam edition. Bon. secuti sumus. Lectio vero de qua Latinius : *Qui possibilia sibi et usitata præcipit, ut repensari debere pro maximis.*

[f] Resumit Chrysologus quod Apostolus dixerat superius Rom. v, 18.

[g] Pro *misere*. Sic etiam ***miseriter*** et ***miserabiliter*** apud Nonium.

xx). Beata est hæc servitus, quæ dominationem generat sempiternam. Illa enim libertas fructum pœnæ, et confusionem nobis intulit non ferendam, sicut dicit: *Quem enim fructum habuistis tunc in his quæ nunc erubescitis? nam finis illorum mors est.* Ecce qualiter manumittit, ecce quali præmio honorat illam diabolus servitutem; ut mors simul et vitam finiat et inchoet pœnam. At qui Christo serviunt, fratres, illusa morte [a] cum stipendiis, sanctitatis perpetuam transferuntur ad vitam; finis enim Christi non suscipit finem, quia non interficit hominem finis iste, sed perficit.

SERMO CXV.

De lege abrogata per gratiam. In verba ejusdem: *An ignoratis, fratres, scientibus enim legem loquor*, etc.

Posteaquam [b] Davidicam citharam spiritualis intelligentiæ plectro et modulatione tangentes, animos vestros et corda permulsimus, intonantis quoque Evangelii ad suscitandos sensus vestros principia metuenda præbuimus, ad Apostolicum magisterium mox credidimus esse remeandum, ut tripartitus ordo sermonis ecclesiasticæ doctrinæ salutiferam teneat et præbeat disciplinam. Nam et cantilena a continuo labore relaxat animos, et Evangelica auctoritas mentis reparat et exsuscitat ad laborem, [c] apostolicus vigor a tramite recto removeri et nostros non sinit sensus evagari. Hanc beati Apostoli per ordinem sequi hodie reperimus lectionem. *An ignoratis,* [d] *fratres*, inquit, *scientibus enim legem loquor, quia lex dominatur homini quanto tempore vivit?* Et indicit similitudinem. *Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri: igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri.* Videtis, fratres, beati Apostoli magnum cœlestis magisterii documentum, quemadmodum legis tempora legalibus testimoniis asserit præteriisse, totamque ejus prærogativam miro conjugii exinanivit exemplo. Et merito lex [e] carnali conjugio comparatur, quæ non obtinuit cum synagoga spirituale consortium. Nam cum accepisset eam ad observantiam disciplinæ, ad sancti germinis fecunditatem, ad augmentum pudoris, ad custodiam castitatis, ad superni thalami sacrum reverendumque secretum, ad mysticam thori cœlestis unitatem, reperit in ea totius [f] meretricationis illuviem. Occurrit enim tanto viro, id est legi, non compta moribus, non monilibus ornata virtutum, non incessu gravis, non vere illo [g] flammeo virginalis verecundiæ operta velamento; sed lasciva oculis, soluta gressibus, præventa illecebris, et tota dolis et simulationibus perfucata. Quam cum vir tantus visam justa indignatione despiceret, et eam procul a sua societate propelleret, atque toto exsecraretur judicio gravitatis; illa nec despecta erubuit, nec contempta se correxit, nec resipuit, sed repulsa, sed tota præceps ad idolorum lupanaria convolavit, et maluit subire fornicationis infamiam atque [h] adulterii crimen incurrere, quam male placiti habitus turpitudinem non horrere. Unde et merito eam beatus propheta deplorat, dicens: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis Sion* (*Isai.* I)? Cujus adulteria quoque Ezechiel sanctus toto pene volumine præscribit. Hinc est, fratres, quod cum in Evangelio a scribis et doctoribus legis apud Dominum ista accusaretur adultera, avertit faciem suam Dominus, et declinavit in terram, ne crimen cerneret quod puniret; et maluit, fratres, in pulvere scribere veniam, quam dare in carne sententiam (*Joan.* VIII). Hanc Apostolus adulteram ad Christi nititur revocare consortium, nec patitur pristini lapsus timore tardari, quæ vivente viro merito exstitit adultera, quia fuit cum alio viro, nunc vero non deserit legem, quæ ad legis recurrit auctorem; sed moritur legi legalibus addicta sententiis, ut vivat gratiæ et resurgat per veniam, quæ fuerat interempta et mortificata per legem. Denique cum eam a maritali jure defuncto viro asserat [i] absolutam, ipsam potius, non virum, insequentibus defunctam esse testatur: quia non lex homini, sed homo [j] moritur legi; nec mandatum præterit, sed mandato deficit ille qui labitur a mandato. Audi quod sequitur. *Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi.* Numquid dicit, mortua est vobis lex? *Et vos mortificati estis legi.* Et bene addidit, *Per corpus Christi.* Quia lex reum astringit, arctat obnoxium, punit et interficit criminosum. Qui ergo per corpus Christi ab omni crimine exemptus est et erutus, feliciter moritur legi, ut innocentiæ vivat et gratiæ. *Ut sitis*, inquit, *alterius, qui ex mortuis resurrexit. Alterius.* Alter ipse effectus est, cum nostram corruptionem in incorruptionem mutavit, et mortalitatem immortalitatis transvexit ad gloriam. *Ut fructificemus*, ait, *Deo.* Consortes cœlestis naturæ per Christum, non terræ, sed Deo; non morti, sed vitæ; et Deo fructum asserit deferri, non carni. *Cum*

[a] Stipendium peccati mors.

[b] Superiores homilias innuit, in quibus, vel psalmorum versiculos, vel quædam Evangeliorum loca enarravit: nunc ad Apostoli Epistolas, quas superius interpretatus est, ait esse remeandum.

[c] Ex Latinio.

[d] Judæos Romæ degentes alloquitur Apostolus, quos *fratres* vocat etiam carnis ortu, ait Grotius.

[e] Sub statu legis Mosaicæ pauci erant *spirituales*, plerique *carnales*, ait idem Grotius.

[f] Stupri scilicet, vel adulterii.

[g] Quo sponsæ caput obnubebatur. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, ut notaret virginem Christi auspiciis consecrandam, ait *eam Christi flammeo reservari.*

[h] Similitudinem ex Apostolo apte prosequitur. Non enim putandum est Paulum loqui de muliere per divortium dimissa, quæ alteri nupsisset, hoc enim per legem licebat, at de muliere nupta quæ cum alio viro consuevisset.

[i] Alias, cum sacro textu, *liberatam.*

[j] Putant Theodoretus et Cajetanus Apostolum hic Judæis conniventem maluisse dicere, Mortui estis legi, quam Lex mortua est vobis. Eadem tamen est sententia; si enim Judæi ad Christum conversi mortui sunt legi, illis etiam mortua est lex.

enim, inquit, *essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificaremus morti.* Cum dicit : *Cum essemus*, præteritum tempus indicat, dum in sola carne positi, immo magis expositi, quæ carni sunt tantum sapere, facere, velle cogebamur, juxta aliud Apostoli : *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt* (*Rom.* VIII). *Cum enim essemus*, inquit, *in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant.* Dicam sicut dictum est a Domino : *Si lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ* (*Matth.* VI)? Si per legem passiones peccatorum membris dominantur humanis, quid ipsæ per se facient passiones, quæ nascenti mox homini infeliciter et pœnaliter obsecundant? Cum taliter nascentem, generatur taliter, angores deprimunt, urgent pericula, afficiunt pœnæ : passiones sunt, fratres, per quas infirmatur infantia, pueritia trahitur, adolescentia insanit, juventus et senectus multis luctibus cumulantur ; ipsæ sunt quæ totam hominis vitam inimico conturbante comitantur ad lapsum ; quas lex dum prohiberet, admonuit ; dum discuteret, ampliavit ; dum accusaret, reddidit chariores ; et quæ per ignorantiam latebant, fecit esse per scientiam notiores. Et sicut per falcem spinæ magis dum succidumtur accrescunt, ita dum resecantur per legem, [a] pullulant passiones, quia intrinsecus velut in radice carnis fixæ solidantur. Lex intrinsecus culturam fidei habet satis justam, nec proficit : unde ad frugem mortis ipsum cespitem humanæ carnis sua excitatione perducit. *Passiones*, inquit, *peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificaremus morti.* Instrumentum quod ad vitam erat, ad frugem mortis sibi in nobis vindicant passiones. Sauciati ergo taliter per Christi gratiam, a lege mortis absolvimur, et Spiritum sanctum percipimus intrinsecus debellatorem, victoremque vitiorum ; ut passiones forinsecus exclusæ pulsent, tentent, provocent, sed concidant ad nostrorum gloriam triumphorum. Nobis, nobis cupit vincere, qui cum dominaretur nobis dignatus est militare, sicut dixi [b]. Ergo serviamus in novitate Spiritus a carnis servitute jam liberi, quia vera dominatio est [c] famulatus Dominicæ sanctitatis ; nam et [d] vetus homo et vetus littera totam corrupit et perdidit disciplinam.

SERMO CXVI.

De cognitione peccati per legem. In verba ejusdem : *Quid ergo dicemus ? Lex peccatum est? Absit*, etc.

Quoties diverso genere, sed voce consona mystica resonat cantilena, mita dulcedine pascit et delectat auditum ; ita cum vario modo, sed uno Spiritu eodemque sensu divina et cœlestis doctrina depromitur, libentius et cum suavitate maxima evangelicæ scientiæ pandit et aperit sacramentum. Et ideo post propheticam melodiam et virtutum Christi stupenda miracula, ad apostolicarum redeamus ordinem lectionum. Talis ergo hodiernæ exstitit continentia lectionis. *Quid ergo dicemus ? lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi, nisi per legem : nam concupiscentiam non sciebam, nisi lex diceret : Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam* (*Rom.* VII). Audistis, fratres, quo morbo sine Christo laboraverit humana conditio, quam captiva sine gratia fuerit humana fragilitas, quæ lege, quæ mandatis non prohibebatur, sed armabatur ad crimina : quæ ob hoc audiebat, ob hoc cognoscebat, non ut vinceret peccata, sed faceret. *Peccatum non cognovi, nisi per legem.* Vitia non nosse felicitatis est, nosse periculi, vicisse virtutis est. Rex nobilis et fortis, hostibus suis longius occurrit, et ita prævenit ingruentium dolos, ut dejici nequeat fides militum, civium nequeat conturbari constantia : sic modo generosus animus per Christi gratiam corporis sui transgreditur miserandas angustias, et ita totus delicta prævenit, proculcat vitia, et crimina totus internecione prosternit, ut nequeant fucis sensus fallere, dolis ingenium depravare, tumultuationibus misera, imbecilla corda dissolvere, ardore, sanguinibus, [e] fumantes occasiones incendere, vario passionum genere membra naturaliter infirma vexare. Quod ignis aridæ segeti, hoc vitia corpori sunt humano, quæ sola securius separatione vincuntur, necantur ignorantia, et nescita feliciter evanescunt. Nam si ad mentem et sensus pervenerint, si contigerint animos, si semel membra penetraverint, inextinguibile gignitur et exaltatur incendium : et nisi unda cœlestis corda rigaverit, mentes infuderit, membra madefecerit, totum quod est roboris humani, subditur et redigitur in favillam. *Lex*, inquit, *peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi nisi per legem.* Ac si diceret : Aurum avaritia non est, sed avaritiam non cognovi, nisi per aurum. Vinum ebrietas non est, sed ebrietatem non cognovi, nisi per vinum. Pulchritudo corporis non est concupiscentia, sed formæ decus concupiscentiæ me rapuit et perduxit ad lapsum. Sic ergo ipsa per se mala non sunt, quæ a Deo ad utilitatem, ad salutem, ad gratiam sunt creata, sed per ea delinquendi datur occasio. Ergo avarus aurum accusat, ebrius vinum, lascivus aut lepidus formæ vult esse quod contigit ad ruinam. Ita et lex quæ a Deo data fuerat ad salutem, quæ erat per se cœlestis et sancta, facta est per hominem miseri hominis ad ruinam, sicut ex sequentibus probat

[a] Naturæ nostræ corruptione, quæ Dei beneficiis abutitur, lex nostra funesta evadit, nisi illam gratia Salvatoris comitetur. Primo enim inflammat concupiscentiam, quæ cohibita, velut aggere legis opposito, majori impetu in varia desideria erumpit ; secundo peccatum excitat, quod in homine sine lege vivente consopitum fuerat. Vide Natal. ab Alex. in Epist. S. Paul, tom. I pag. 101.

[b] Videtur hic aliquid deesse.

[c] Augustinus in psalm. XCIX : *Libera servitus est apud Dominum : libera servitus, ubi non necessitas sed charitas servit.*

[d] Adam, et vetusta Hebræorum lex.

[e] Lethale peccatum, quamquam sub cineribus pœnitentiæ sepeliatur, si peccator ipse proximam delinquendi occasionem nondum dimiserit, et a se ejecerit, non dicitur penitus exstinctum, sed tantum cinere coopertum, ut iterum data occasione accendatur. MITA.

Apostolus, qui dicit : *Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum.* Quod ergo bonum erat, non intulit mortem, sed peccatum, quod principaliter intulerat mortem, quod fragilem, quod imbecillem, quod humanam naturam pronam fecerat ad lapsus et vitia. Quod latebat, et hostiliter humano grassabatur in corpore, lex reprehendit, lex prodidit, dum admonet hominem de innocentia, de sanctitate, de justitia, de virtute, de fide ; dum arguit de vitiis, de delictis, de criminibus. Sed homo, audire quidem cœpit virtutes, cœpit velle, sed non attigit ; cœpit detestari, sed sequi vitia ; odisse delicta, sed facere ; horrere crimina, sed implere : unde tarde se servum captivum, se male rabiei sensit addictum et cœpit clamare : *Infelix ego homo, quis me liberabit a corpore mortis hujus?* Cui respondetur : *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Quo audito cœpit libertatem quærere per auctorem, salutem per veniam, vitam per solam sperare gratiam. Nam diu ignoraverat unde esset difficilis innocentia, unde laboriosa justitia, anxia sanctitas, virtus ardua, fides tota periculis plena, unde sic tantas copias haberent delicta, [a] unde crimina dum succiduntur increscunt, virtutes deficiunt dum coluntur. Lex aperuit, lex docuit, lex tota luce monstravit, crimina per peccatum, virtutes per Deum in humanis sensibus, in humana mente dominari ; nec posse ante superari delicta quam delictorum fuerit auctor exstinctus, quod est peccatum, quod Christus abstulit, attestante Joanne, cum dicit : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I). *Sine lege enim,* inquit, *peccatum mortuum erat. Ego autem vivebam sine lege aliquando. Sed cum venisset mandatum, peccatum revixit. Et ego mortuus sum, et inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, et per illud occidit.* Peccatum mortuum erat, non quia non erat, sed quia ignorabatur, et proprie dictum est, *Peccatum revixit.* Quia erat sepultum in ignorantia nostra : non mandatum per peccatum, sed peccatum per mandatum revixit, dum facit prævaricari qui fuerat ante peccator ; dum reum perficit etiam contumacem, desertorem exsuscitat et rebellem. Unde merito homo jam tunc se exclamat mortuum, quando se unde, et quare et per quem moreretur agnovit. Peccatum, fratres, quam crudelis tyrannus sit, jam videmus. *Per mandatum seduxit me, et per illud occidit.* Quia argumentum salutis tetendit in laqueum, quia curam fecit esse languorem, quia instrumentum sanitatis exitiale mutavit in vulnus, quia vitam ipsam in gladium lethalem convertit : *Per mandatum seduxit me, et per illud occidit.* At quomodo sibi jam, quod esset occisus, provideret jam mortuus? nam quis poterat subvenire occiso, nisi Christus, qui vitam reparavit occisus? qui talionem morti reddidit per mortem, mortem peremit, atque eam prodidit contumacem, quæ incubare jussa pœnis reorum, attentare ausa est ipsum judicem, invadere ipsum innocentiæ præsumpsit auctorem : unde merito mors mortua est, et in me non ego vivo, sed vivit, agit, regnat, imperat Christus.

SERMO CXVII.

De Adam primo et novissimo. In verba ejusdem : *Factus est primus homo Adam in animam viventem,* etc.

Duos homines beatus Apostolus hodie retulit humano generi dedisse principium, Adam videlicet et Christum : duos homines pares corpore, sed merito dispares ; compage membrorum tota veritate persimiles, sed ipso sui principio tota dissimiles veritate. *Factus est,* inquit, *primus homo Adam in animam viventem : novissimus Adam in spiritum vivificantem* (I *Cor.* XV). Ille primus ab isto novissimo factus est, a quo est et animam consecutus, ut viveret ; hic est ipso se figuratus auctore, qui vitam non exspectaret ab altero, sed ipse vitam solus omnibus largiretur ; ille vilissimo plasmatur ex limo, ex utero pretioso Virginis hic procedit ; in illo terra mutatur in carnem, in isto caro promovetur in Deum. Et quid plura? Hic est Adam, qui suam tunc in illo cum fingeret imaginem collocavit. Hinc est quod ejus et personam [b] suscipit, et nomen recepit, ne sibi, quod ad suam imaginem fecerat deperiret. Primus Adam, novissimus Adam ; ille primus habet initium, hic novissimus non habet finem. [c] Quia hic novissimus vere ipse est primus, ipso dicente : *Ego primus, et ego novissimus* (*Isa.* XLVIII). Ego sum primus, id est sine initio. Ego novissimus, utique sine fine. *Sed non prius,* inquit, *quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale.* [d] Prius utique terra quam fructus ; sed non tam pretiosa terra quam fructus ; illa gemitus exigit et labores, hic substantiam largitur et vitam. Merito propheta de tali fructu gloriatur, dicens : *Terra nostra dedit fructum suum* (*Psal.* LXXXIV). Quem fructum? Illum nempe de quo alibi dicit : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI). *Primus homo,* ait, *de terra terrenus ; secundus homo, de cœlo cœlestis.* [e] Ubi sunt qui conceptum Virginis, Virginis partum, mulierum partibus existimant æquandum, cum illud de terra sit, hoc de cœlo ; hoc divinæ virtutis sit, illud infirmitatis humanæ ; illud sit [f] in corpore passionis, hoc totum sit in tranquillitate divini Spiritus, humani corporis in quiete? San-

[a] Ms. Cæsen, et Vatic., *unde vitia.*

[b] Alias, *suscepit.*

[c] Ms. Cæsenæ et Vallicel. : *Adam ille primus non habet initium, non habet hic novissimus finem ; sed novissimus ille est, qui est primus.*

[d] Ait non prius factum esse spirituale corpus, sed animale, tam in Christo quam in nobis. Præmittere enim solet Deus imperfectiora, ut perfectiora sequantur. Sic prius terra quam fructus, prius pueri sumus quam viri.

[e] Cerinthum, Ebionem, Carpocratianos, aliosque hujus commatis viros vellicat. An vero Virgo sanctissima communi mulierum more Christum enixa fuerit, vide apud Mabillonium, præf. 2 in sæculum IV Bened. pag. 554 edit. Trident., occasione recensendæ quæstionis ortæ inter Ramtramnum, monachum Corbeiensem, et Paschasium Radbertum, ejusdem loci cœnobitam.

[f] Ms. Cæs., *in corporis passione.*

guis siluit, caro stupuit, soporata sunt membra, et aula Virginis tota est in cœlesti commoratione suspensa, donec auctor carnis, carnis sumeret indumentum, et fieret homo cœlestis, qui non solum terram redderet homini, sed homini donaret et cœlum. Virgo concipit, Virgo parturit, Virgo permanet. Ergo virtutis est caro conscia, non doloris, quæ magis pariendo integritatis augmenta suscipit, damna pudoris ignorat; testis potius sui partus existit, quæ nullas partus pertulit passiones; et sacramentis cœlestibus interfuisse se nova mater miratur, quæ nascentis ordinem intelligit humanæ consuetudinis nil habere. [a] Si Deum sic nasci magus fatetur munere, fatetur dum adorat; advertite quid sentire, quid credere debeat Christianus. Sed quod sequitur audiamus. *Qualis terrenus, tales et terreni, et qualis cœlestis, tales et cœlestes.* Quemadmodum non nati taliter, tales poterunt inveniri, non manendo quod nati sunt, sed quod renati sunt permanendo? Hinc est, fratres, quod virginei fontis uterum cœlestis spiritus arcana luminis sui admixtione fecundat; ut quos [b] origo limosæ stirpis profuderat sub misera conditione terrenos, cœlestes pariat, et ad similitudinem sui perducat auctoris. Ergo jam renati, jam reformati ad nostri imaginem Creatoris, quod præcipit Apostolus impleamus. *Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis.* Fuerit necessitas, quod de terra concreti cœlestia [c] spirare nequivimus, quod de concupiscentia nati concupiscentiam non valuimus evitare, quod illecebris dominantibus acquisiti coacti sumus illecebrarum turpitudinem sustinere, quod sæculi hujus habitaculo recepti captivi fuimus malis; ad instar nostri Domini, sicut diximus, jam renati, quos utique concepit virgo, vivificavit spiritus, portavit pudor, genuit integritas, nutrivit innocentia, edocuit sanctitas, virtus exercuit, Deus adoptavit in filios, imaginem totam tota similitudine nostri portemus auctoris: non majestate qua solus est, sed innocentia, simplicitate, mansuetudine, patientia, humilitate, misericordia, concordia, qua dignatus est nobis fieri et esse communis. Cesset vitiorum pruritus pestifer, delictorum lethalia blandimenta vincantur; exsecrandus furor, criminum comprimatur origo; discutiatur a sensibus caligo tota pompæ sæcularis; abjiciatur a mentibus mundanæ cupiditatis illusio; appetatur paupertas Christi, quæ divitias in cœlestibus possidet sempiternas; tota sanctitas animæ custodiatur et corporis, ut non magnitudine, sed actu imago Creatoris nostri portetur et clarescat in nobis. Affirmat quod diximus Apostolus, cum dicit: *Hoc autem dico, fratres, quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Ecce quomodo carnis resurrectio prædicatur, quia ibi caro possidebitur a spiritu, non caro spiritum possidebit, sicut ex sequentibus elucescit. *Neque corruptio incorruptionem possidebit.* Vides quia non caro deperit, sed corruptio; non homo, sed culpa; non persona, sed crimen; ut homo in Deo, et coram Deo vivens, finem se delictorum tandem gaudeat consecutum. De resurrectione proprius sermo proferendus est, fratres, quia transcursim, et in ipso verbi fine, non convenit dici de eo quod nos ad æterna tempora ac perpetuam transmittit ad vitam.

[d] SERMO CXVIII.

De morte et resurrectione carnis.

Quoniam tota [e] spes fidei Christianæ in resurrectione constituta est mortuorum, ne quisquam de ea ausus sit dubitare, beati Pauli asserentis, eam auctoritate, rebus, exemplis, latissimam recitari vobis fecimus [f] hodie lectionem, ad quam sermo noster quod adjicere possit non potuit invenire. Sed quia nostri officii vestra charitas semper exigit servitutem, repetere hæc eadem, inculcare vehementius hæc ipsa, resurrectionis ipsius ardore gestimus. Fratres, semper de resurrectione libet dicere, jugiter de resurrectione delectat audire, quia mori numquam libet, vivere semper delectat. Resonet ergo in ore nostro resurrectio semper, semper resurrectio ad nostræ mentis transmittatur auditum, ut mors quæ nostros semper obsidet sensus, cum terrore suo, cum lamentis suis a nostris sensibus effugetur. Quia sic agricola fructus uberes et [g] exsatiatas epulas cantat, ut [h] immanem vomeris laborem non sentiat et sudorem. Sic nauta portus modulatur et lucra, ne undarum ruinas, ne maris discrimina pertimescat. Sic miles, ne vulnera metuat, ut gladios non pertimescat, prædas personat et triumphos. Unde resurrectionem mente, ore, oculis, spectet, cantet, cogitet Christianus, ut totam mortis possit despicere et calcare formidinem. Mors est, fratres, desperationis domina, incredulitatis mater, germana corruptionis, inferni parens, diaboli conjux, omnium malorum regina, quæ omne genus hominum tali ordine inexplebili impugnat, ut primum susurratricem suam desperationem præmittat talia suadentem: Homo, cur tua perdis tempora? Ecce domina mors tua venit, [i] animam tuam in nihilum redigens, carnem tuam putredine, ossa tua vetustate consumens, ut te qui non fuisti antequam nascereris, faciat non esse post mortem. Redde ergo debita ante mortem, moriturus cito, tibi, ætatibus tuis: da lusibus infantiam, da deliciis adolescentiam, da voluptatibus juventutem, da

[a] Hoc ipso ad hanc rem argumento utitur Noster in epistola contra Eutychetem.

[b] Similia Augustinus, lib. XIII de Civit. Dei, pag. 23: *Induimus imaginem terreni hominis propagatione prævaricationis et mortis, quam nobis intulit generatio; sed induimus imaginem cœlestis hominis, gratia indulgentiæ vitæque perpetuæ.*

[c] Sic legit Latinius. Editi, *aspirare.*

[d] Sermo hic alias inscribitur: *In verba ejusdem: Notum autem vobis facio, fratres*, etc.

[e] Hoc passim SS. Patres. Vide Theophylactum in I ad Corinth. XV, 1, pag. 291 et 292: *Totus Christianismus in resurrectionis dogmate situs est.*

[f] Vide notam 1 serm. 115.

[g] Exsatiatas dicimus res, in quibus desideria nostra abunde complentur.

[h] Ex mss. Cæsenæ et Vatic.; editi, *imminentem.*

[i] Hic *anima* sumitur pro vita corporali.

senectutem mihi, ne sine causa de spe cogites desperatus. Post istam mittit incredulitatem suam filiam, sic minantem : Quasi non moriturus, quasi [a] evasurus mortem, sic de vita disponis? Homo, te decipit fides, tu fidei credis, quæ ut tollat præsentia, futura promittit, et ut auferat quæ sunt ante mortem, nescio quæ invisibilia pollicetur esse post mortem. Quis inde venit, aut quis sapiens credit tot sæculis promissa, nec reddita? O si manduces et bibas! *Manduca et bibe, cras enim morieris* (*Isai.* XXII). Tertiam germanam nequitiæ suæ corruptionem tali dirigit cum furore, ut aspectus hominum invadat, attrahat, occupet, per sepulcra, extremos ostendens carceres, suos jacere ibi demonstrat immobiliter vinculatos; et ut homines sensus hominis horrore toto, toto pavore conturbet, effundit putredinem, eructat saniem, spargit fetores, atque ad unum corpus hominis innumeros [b] carnifices a se vermes dedisse proclamat. Quare non desperationi, quare non incredulitati crederent Christiani? Hæc sunt mortis bella, his ducibus, his consiliis, tali conflictu captivat, vastat, interficit omnes quos natura præsentem perducit ad vitam, [c] ducit reges, trahit populos, gentes impellit, non divitiis redimi, [d] non flecti precibus, non lacrymis molliri, non viribus umquam potuit ista superari. Erravere, fratres, qui de bono mortis [e] scribere sunt conati. Et quid mirum? tunc se mundi sapientes magnos æstimant et præclaros, si id quod est summum malum, hoc esse summum bonum simplicibus persuaserint : merito Scriptura de istis dicit : *Væ qui dicunt bonum malum, et malum bonum* (*Isai.* v). Væ qui ponunt tenebras lucem, et lucem tenebras! Et re vera quem non isti fallerent, [f] quem non cæcare potuerunt, qui vivere malum, mori bonum, incautis credere perfecerunt? Sed hæc, fratres, veritas submovet, lux fugat, impugnat fides, Apostolus notat, Christus delet, qui dum bonum vitæ reddit, malum mortis prodit, damnat, excludit. Sic enim cœpit Apostolus : *Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium, quod prædicavi vobis, quod et accepistis, in quo et statis, per quod et salvamini : qua ratione prædicavi vobis, tenere debetis, nisi sine causa credidistis? Tradidi enim vobis in primis, quod et accepi, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris, et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas* (I *Cor.* XV). Dei largitas victurum, non moriturum ditat. Aut quid bonum accipit, si non erit ipse qui accipit? *In quo et statis*. Stat utique qui semper vivit, quia [g] mortuus semper jacet. *In quo et salvamini*. Si quis moritur, perit; [h] salvatur vero ille qui semper vivit. *Qua ratione prædicavi vobis, tenere debetis, nisi sine causa credidistis*. Non solum, fratres, sine causa credidit, sed et sine causa vixit, qui se ad hoc solum natum credidit ut periret. Homo quid tibi oritur quod non occidat? quid tibi quod occiderit, non resurgit? Dies mane oritur, et iterum resurgit in mane; sero sepelitur in nocte, et iterum resurgit in mane. Sol quotidie nascitur, quotidie moritur, [i] resurgit ipse quotidie; tempora dum transeunt, pereunt; dum redeunt, reviviscunt. Unde, homo, [j] si Deo non credis, si non acquiescis legi, si non consentis auditui, vel oculis tuis crede, vel elementis resurrectionem tuam tibi jugiter prædicantibus acquiesce. Certe si ista longe sunt inferiora, quæ in tuis manibus sunt, et de morte tuo opere suscitantur, te posse Dei opere doceant suscitari. Vade ad semen, Apostolo te docente (I *Cor.* XIII); tolle triticum aridum sine sensu, sine motu; duc sulcum, fodi terram, fac sepulcrum, sepeli triticum, inspice quemadmodum morte deperit, humore turgescit, putredine corrumpitur; et cum pervenerit ad totum quidquid desperatio, quidquid incredulitas, quidquid corruptela tibi superius ingerebat, tunc subito reviviscit in germine, in herba pubescit, juvenescit in caule, maturescit in fruge, et ad illam totam ipsam, quam tu periisse deflebas, speciem resurgit et formam; ut te, homo, triticum non tam doceat manducare quam sapere, non tam cogat laborare quam credere. Reliqua nos taceamus, quia et unde, et quando, et quomodo, et per quem mors venerit, beatus Apostolus plano et satis lucido ac divino declarat eloquio. Homo, accipe fidem, quia gratis datur; crede resurrectionem, quia qui promittit illam pretium non requirit.

SERMO CXIX.

De vero cursu pro corona gloriæ. In verba ejusdem : *Nescitis quod hi qui in stadio currunt*, etc.

Beatus apostolus Paulus non solum per doctrinam

[a] Menander, teste Justino, Apolog. ad Antoninum Pium, pag. 145, sectatoribus suis suasit quod morituri non essent.

[b] Ipsa mors *carnifex est*, inquit Chrysostomus, homil. 75, tom. VII.

[c] Claudianus de raptu :

> Sub tua purpurei veniunt vestigia reges
> Deposito luxu, turba cum paupere mixti.
> Omnia mors æquat.

[d] Similia his Theodoretus, orat. 6 de Provid. pag. 387 : *Lacrymantis non miseretur, precibus non movetur, donis non corrumpitur*, etc. Vide Basilium, epist. 185.

[e] Ethnici fere omnes mortem laudabant. A rege Ptolomeo vetitus fuit Cyrenaicus Hegesias eam in scholis laudare, eo quod multi eo audito, mortem sibi sponte consciscerent.

[f] Alias, *quem non cæcarunt*.

[g] Editi plures, *moriturus*.

[h] Mss. Cæsen. et Vallic. : *Salvatur vero per illum, quod supervivit*.

[i] Hoc argumento libenter usi veteres. Nyssenus, orat. de Resurrect. Christi, tom. III, pag. 429. Nam noctem mortis imaginem putabant, diem vitæ. Tertullianus, lib. contra Marcionem : *Sed nox est imago mortis*. Hilarius, Genes. : Dies *imago vitæ*, nox *mortis imago est*.

[j] Inter Judæos Sadducæi; inter Christianos Simon Magus; Hermogenes item, teste Tertulliano de Resurrect. carnis cap. 4; Joannes Hierosolymit.; Eutychius patriarcha, licet resipuerit, resurrectionem corporum negarunt. Inter gentiles non capitaliter errasse censebatur, qui eam crederet, aut doceret. Id autem apud eos factum, credit Lorinus, ex cap. IV, 29, Act. ad coercendos, metu futurorum, facinorosos.

legis, sed sæculi hujus exemplo ad coronam nos gloriæ cœlestis hortatur. Sic enim inter cætera ait, ut audivit dilectio vestra. *Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium*; et addidit : *Sic currite, ut comprehendatis* (I *Cor.* IX). Secundum terrenum exemplum, multi quidem, ut ait Apostolus, [a] in stadio currunt, sed unus accipit coronam, id est, ille qui melius currit; ita et in stadio vitæ præsentis, multi quidem currunt, sed unus accipit coronam. Currunt Judæi per legem, currunt philosophi per inanem sapientiam, currunt et hæretici per falsam annuntiationem, currunt catholici per veram fidei prædicationem : sed de his omnibus unus coronam accipit, id est, populus catholicus, qui, recepto fidei cursu, tendit ad Christum, ut ad palmam immortalitatis coronamque perveniat. Quapropter et Judæi, et philosophi, et hæretici in vacuum currunt, qui non recto fidei tramite gradiuntur. Quid enim prodest Judæis currere per observationem legis, qui Christum, dominum legis ignorant? Currunt et philosophi per inanem [b] sapientiam sæculi, sed superfluus et vacuus cursus ipsorum est, qui veram Christi sapientiam nesciunt. Vera enim sapientia Dei Christus est, quæ non ornatur verbis, nec luculenta oratione, sed fide cordis agnoscitur. Currunt et hæretici per venenatam fidei suæ assertionem, currunt per jejunia, currunt per elecmosynam, sed pervenire ad coronam nequeunt, quia non currunt; falsa enim fides eorum veræ fidei gratiam accipere non meretur. Manifestat hoc Apostolus alio loco, cum dicit : *Et si distribuero omnem substantiam meam pauperibus, et si tradidero corpus meum igni ut ardeat, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (I *Cor.* XIII). Non enim habet charitatem Christi, qui Christo non fideliter credit. Et ideo bene addidit Apostolus, dicendo : *Sic currite, ut comprehendatis.* Currere ergo debemus fideli cursu in fide Christi, in mandatis Dei, in operibus justitiæ, ut ad coronam æternæ vitæ pervenire possimus. Denique quemadmodum nobis currendum est, idem Apostolus consequenter ostendit, dicendo : *Omnis*, inquit, *qui in agone contendit, ab omnibus continens est; et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptibilem.* Vide quibus nos Apostolus exemplis ad coronam [c] promissæ immortalitatis invitat. [d] In agone isto terreno qui vincere volunt, abstinent se [e] a cibis quibusdam, a potu nimio, abstinent [f] ab omni immunditia, sub tanta castitate, ut etiam propria conjugia non requirant; nec aliter se vincere posse sperant, nisi corpus suum castum [g] pudicumque servaverint. Et post tantum laborem quid aliud quam parvam, et corruptibilem, et vilem quidem coronam accipiunt? Si ergo [h] pro corruptibili corona tantus labor a quibusdam suscipitur, quanto magis nos omnem laborem sustinere debemus, quibus præmium cœleste et æternæ gloriæ corona promittitur? Est ergo nobis agonizandum non levi certamine : certamus enim contra spiritualia nequitiæ, contra diabolum et angelos ejus; certamus contra injustitiam, contra impietatem, contra malitiam, contra impudicitiam, contra diversas illecebras peccatorum. Et si certantes [i] vincimus, tot coronas accipimus quot vitiorum victores fuerimus. Magnus itaque agon iste est, in quo spectaculum Domino exhibemus : spectamur enim certantes a Domino, spectamur ab angelis ejus; in terra vincimus, sed præmium virtutis in cœlestibus accipimus. Denique sancti martyres in agone certaminis positi, non solum vitia peccatorum, sed ipsam mortem vicerunt, et [j] præmia immortalitatis susceperunt. In hoc agone primo Dominus et Salvator noster, et certavit et vicit, ut nobis exemplum certaminis et victoriæ demonstraret. Hæc ergo vobiscum tractantes, semen boni certaminis injicimus in cordibus vestris, tamquam sulcata invenientes pectora vestra aratro justitiæ. Colite igitur verbum quod sparsimus in vobis, ut possit germinare quod satum est. Deus autem visitatione sua, rore suæ vos pietatis infundat; et det incrementum seminibus nostris, quo possitis in collectis manipulis meritorum ad fructum centesimum pervenire.

SERMO CXX.

De figura sæculi vitanda, et forma Salvatoris assumenda. In verba ejusdem : *Nolite configurari huic sæculo*, etc.

Christus apostolos sal esse hodie patefecit, dicendo : *Vos estis sal terræ* (*Matth.* V). Ne quis ergo impatienter ferat, si beati Pauli verba ut grana divini salis terimus, quatenus altius soporati, sensus intel-

[a] Alludere videtur Apostolus ad Olympica vel Isthmica certamina, quæ Corinthi celebrabantur. Stadium in quo cursu certabatur pedibus, seu equis.

[b] Alias, *scientiam.*

[c] Alias, *promissam.*

[d] Pauli vestigiis inhærens Chrysologus, a cursoribus transit ad agonistas, athletas scilicet et pugiles.

[e] Athletæ (quo nomine comprehendebantur apud Græcos omnes qui corpore decertabant, apud Latinos vero pugiles tantum et luctatores), licet essent voracissimi, caricis, caseo et nucibus alebantur; et si carnibus, iis tantum quæ nimium succi et pinguedinis habebant, at sine ullis condimentis. Hinc eorum victus, qui apud Latinos *colephium* vel *coliphium* dicebatur; *arida saginatio* dicitur a Tertulliano de Pallio, cap. 4, ubi vide Salmasium pag. 262, 267.

[f] Horatius, de cursoribus :

> Multa fecit, tulitque puer, sudavit, et alsit,
> Abstinuit Venere et Baccho.

Chrysostomus in verba Pauli ad II Tim. II, 5. *Nisi qui legitime certaverit*, hæc habet cum nostro : *Non sufficit ad legitimam decertationem, si agonista in agonem descenderit, non si unctus fuerit... oportet insuper ut qui coronam consequi vellet, omnem agonisticæ professionis observasset legem tam circa ciborum, quibus vel abstinendum, vel vescendum athletis fuit, quam circa continentiæ ac honestatis rationem.*

[g] Laudat verba hæc Chrysologi Pitiscus in Lexic. Antiq. Romanar. tom. I pag. 197.

[h] Ælianus Var. Histor. VI, 6 : *Qui strenue pugnassent oliva et aliis ramis redimiti, laudibus ferebantur.*

[i] *Vicerimus... accipiemus.*

[j] Hæc et ex superioribus nonnulla profert claris. Muratorius pag. 231 de Paradiso, contra Burnetum.

ligentiam condire possimus. Grana enim salis [a] integra saliunt, quatenus in medullis ipsa subtilius attenuata descendant : sic sermo Apostoli communiter lectus præbet simplicem sensum, profundam scientiam præstat, lectione sedula iteratur ad illa quæ ante perscrutati sumus. Hodie dicit beatus Apostolus : *Nolite configurari huic sæculo* (*Rom.* XII). Putasne beatus Paulus apostolus dicendo sic, elementorum figuris ne configuremur obsistat? neve simus ut Persarum reges, qui subjecta nunc pedibus suis sphæra, ut polum se calcare credantur, Dei vices mentiuntur : nunc radiato capite ne sint homines, solis resident in figura ; nunc [b] impositis sibi cornibus, quasi viros se esse doleant, [c] effeminantur in lunam : nunc varias velut siderum sumunt formas, ut hominis perdant figuram, et nihil supernæ claritatis acquirant. Sed ista licet de sæculi vanitate descendant, et sapientibus tam fugienda sint quam ridenda, tamen Apostolus cum dicit : *Nolite configurari huic sæculo*, sæculi vitam corrigit, arguit mores, judicat institutum, castigat voluntates, luxuriam condemnat, et totam vanitatum sæcularium pompam propellit, effugat, excludit a mentibus Christianis. Sed hoc modo strictim commonet quod est in principio hujus Epistolæ latius exsecutus, ubi figuram sæculi in vitiis sic figurat : *Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidiis, contentione, dolo, malignitate, susurratores, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, erectos, superbos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, sine misericordia, qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte : non solum qui faciunt illa, sed qui consentiunt facientibus* (*Rom.* I). Fratres, audistis formam sæculi, didicistis speciem, vidistis figuram : si tamen formam et non informe monstrum, ubi confusione criminum tota rerum facies est deleta, ubi peccatorum connubio tota mundi figura est dissoluta, ubi delictorum morbis imago ipsa ablata est conditoris, ubi homo in vitiis est sepultus, ubi corrupti corporis scatent scelera, ubi homo hominis est sepulcrum, ubi in homine non homo cernitur, sed cadaver. Apostolus ergo huic formæ nos prohibet esse conformes, et configurari nos huic vetat figuræ ; huic similitudini consimiles non esse permittit, sed ad formam Dei reformat, ad similitudinem revocat Christi, et totam reducit ad imaginem conditoris, dicens : *Sed reformamini in novitate sensus vestri.* Hoc est, sitis per Christum sensibus innovati, abjecta sæculi hujus figura ; et tota inveteratæ imagi-

A nis deformitate projecta, [d] formam vestram in formam vestri reducite Salvatoris : ut novitas sensuum vestrorum in vestris actibus elucescat, et cœlestis homo cœlesti habitu jam gradiatur in terra. Qualiter autem componat formam novi hominis, jam patescat. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem habent actum ; sic multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes.* Agit, agit ut corpus, quod collocat in cœlesti actu, in superna vita, in moribus sanctitatis membrorum consensu et copulatione consistat : neque pes oculi ministerium, neque oculus pedis officium perverso tumore confundat ; sed ut sanctitatis membra donis
B contenta sint largitoris, et credant suum esse membra omnia, quod unum fecerit membrum, quia minorari nescit membrum unum, quod totum honoratur in corpus. Hinc est quod Apostolus actus membris, membra actibus sic depingit : *Sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortatione, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate. Charitas sine simulatione ; odientes malum, adhærentes bono, invicem honore prævenientes, invicem benigni, sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, memoriis sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes : benedicite et nolite maledicere ; gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus ; providentes bona, non solum coram Deo, sed*
C *etiam coram hominibus. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes ; si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes ; non vindicantes vosmetipsos, sed date locum iræ. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum ; si sitit, potum da illi ; noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Superius, fratres, Apostolus patefecit membra vitiorum, revelavit modo nobis membra virtutum ; ut cœleste corpus tantis solidatum membris, nervis talibus roboratum, possit facile mundi bella prosternere, diaboli superare conflictus. Et ita vivens, ut Apostolus docuit, non prosternit mundum ? non proterit carnem ? non diabolum vincit? non æquatur angelis ? non major est cœlo ? Plane major cœlo, quia
D cœlum non movetur sponte, non voluntate agit, non judicio facit quidquam, sed sola necessitate servit semper, quia semel jussum est servire ; impollutum se non viribus, non labore custodit : unde cum non sit obnoxium pœnæ, sic tamen nec consistit ad præmium. At homo ex terrena vilitate concretus, dum terre-

[a] Integra pro re incorrupta, non violata sanie, neve confecta tabe, ut dicat Auctor : grana salis res integras, nondum incorruptas saliunt, si ipsa grana in medullis subtilius attenuata descendant. D. Chrysostomus, homil. 15 in Matth., inquit : *Quomodo fieri potest ut ea quæ jam corrupta sunt, salis perfricatione reparentur ?* MITA. Ms. Cæsen., *in medullas ipsas.*

[b] Successores Alexandri, qui se filium Jovis Ammonis mentiebantur, cornuta fronte prostant in nummis.

[c] Quin et Gordiani Pii nummus, dum Persas aggressurus Carras recepit, exhibet caput ipsius turritum, et in postica parte lunam falcatam, apud Patinum pag. 573. Luna in his regionibus, tum masculino, tum feminino habitu religiose colebatur. Spartianus de Caracalla : *Cum iterum vellet bellum Parthis inferre, atque hibernaret Edessæ, atque inde Carras* LUNI DEI *gratia venisset.*

[d] Differt enim *figura*, quæ est fugax, externa, apparens potius quam existens ; et *Forma* quæ est constantior et solidior.

nam labem vincit, dum sanguinis stimulos frangit, dum carnis exuberat passiones, transcendit cœlum, ad ipsam deitatis pervolat sedem : et sic fit major cœlo, meritis supergreditur angelos, non natura. Probat hoc apostolus Paulus, qui dum satis terram vincit, et intravit cœlum, et transivit alium, et usque ad tertium meruit pervenire. Et juste, nam primus conscendere debet cœlos; qui sic et verbo et exemplo homines penetrare docuit cœlos. Erit, erit major cœlo, qui vixerit sicut docuit Paulus; erit clarior sole, qui sic virtutum radiis toto orbe splendet, ut fuscari se nulla vitiorum nocte permittat. Erit, erit iste lucidior luna, qui tenebras has non tenuato lumine temperat, sed totam sæculi noctem pleno meritorum fulgore depellit : nec sicut luna quotidiana lucis detrimenta præsentit, sed jugi factorum lampade in superni luminis claritate persistit; nec iste sicut illa menstruo interpolatur obscuro, sed in claritate Dei continua permanebit. Et si magna est illa, quod mitigat noctem, quanto hic major, cujus vita recipit nil de nocte? De stellis taceo, quia quot cœlum stellis, tot sancti virtutibus elucescunt, dicente Domino : *Vos estis lux mundi, lucete sicut luminaria in mundo* (*Matth.* v). Ad summum, cœlum, sol, luna, stellæ (Deo dicente) transibunt (*Matth.* xxiv), justus autem in claritate Dei continua permanebit. Velim, fratres, de singulo Apostoli verbo singulas proferre dictiones; sed quia et frequentata lectio fastidium generat audienti, et nos diutius non possumus [a] evangelicas tacere virtutes, gratum sit charitati vestræ quod compendioso sermone præsentem clausimus lectionem. Deus autem noster, et quæ diximus, et quæ tacuimus, ipse sanctis vestris sensibus insinuare dignetur.

SERMO CXXI.

De divite et Lazaro.

Audistis, fratres, hodie et paupertatis finem, et divitiarum qualis sit exitus cognovistis, dicente Domino : *Homo quidam erat dives, et induebatur purpura et bysso, et quotidie epulabatur splendide* (*Luc.* xvi). *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, ulceribus plenus, qui jacebat ad januam ejus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat : sed et canes veniebant et lingebant ulcera ejus. Factum est autem ut moreretur pauper, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Dives autem mortuus est et sepultus in inferno.* En, fratres, quam rerum lamentanda mutatio : pauperem portant angeli, divitem deglutit infernus. En, fratres, mors pauperis totam vitam divitis vicit, et elatio sola pauperis totam divitis pompam transcendit et gloriam. Quare sic sepultura decipit oculos? quare sic exsequiarum pompa mentitur? In [b] obsequium divitis migrat hic [c] tota civitas, cum funus effertur; pauper vadit solus, pauperem duorum portat miseratio [d] bajulorum, [e] nec quatuor ut mortuo, sed duo sub uno vecte, quasi projiciendo oneri portitores addicantur inviti. Merito ei mox angelica officia, merito divina deputantur obsequia, cui tam crudeliter negata sunt ipsa humanitatis extrema. Funus divitis antecedit lugubris turba servorum; feretrum pauperis præcedit angelorum psallentium multitudo. In marmoreo tumulo et [f] curata veste jacet divitis corpus inclusum; pauperis caro [g] naturali quiescit in limo, et materiali situ [h] vermium morsus nescit, prævenit putredines et fetores. Sed requiramus, fratres, quæ divitis culpa, quod crimen, quod scelus eum suppliciis addixit inferni, et ante judicium damnationis ejus, [i] elogium tot sæculis fecit, ipso judice referente, cantari, dicente Domino : *Homo quidam erat dives, et induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam divitis, et cupiebat saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis.* Numquid per se tantum divitiæ criminosæ sunt? aut solæ et per se penes Deum damnandæ sunt vestes? et tantum per se puniendæ sunt epulæ, ut non solum careant præmio bonorum, sed omnium malorum ferant et mereantur [j] exitium? Aut ita per se probata est, et sanctificata mendicitas, ulcera tam sacrata, ut angelorum manibus Abrahæ sancti rapiantur ad gremium? Et mirum, fratres,

[a] Sermo episcopi quandoque Evangeliorum lectionem præcedebat.

[b] Apud Veteres *obsequia* exsequiæ funebres sunt. Nicolaus PP. I in respons. ad consulta Bulgarorum, apud Du Cangium in Gloss. tom. III p. 32, ubi hunc Chrysologi locum laudat : *Non est solito cum obsequiis more ad sepulcra ferendus.*

[c] Tangit veterum morem, apud quos usuvenerat ut cum funus efferretur, propinqui, amici, cum servis, etc., honoris causa anteirent. Vide Hieronym. ad Paulam, de obitu Blesillæ; Sulpicium lib. II de Vita S. Martini; Hegesippum lib. V cap. 2.

[d] Bajuli hic videntur esse νεκροφόροι, Latinis, *vespillones*. Ita apud Augustinum in epist. 19, ad Hieronym. : *Non erit pius deductor, ac bajulus corporis.* Hi c apud Marcellinum lib. XIV pag. 37 : *Bajulorum præcentor.* Tibicen scilicet, qui vespillonibus præcinebat; vel alius quisque, qui eos ad opus excitabat, non secus ac celeustæ remiges. Laudat hunc locum Du Cangius in Gloss. tom. I pag. 482.

[e] Deligebantur ad ministerium funeris *cucullatores* ex ultima servitute homines, qui numero quatuor humeros cadaveri supponebant. Martialis, lib. VIII pag. 74 :

Quattuor inscripti portabant vile cadaver,
Accipit infelix qualia mille rogus.

Vide Pignorium, de Servis.

[f] Alias, *aurata*.

[g] Ms. Cæsen., *materiali limo et naturali situ*.

[h] Quod provenire poterat, vel ex magna siccitate corporis ipsius mendici, vel ex natura telluris sabulosæ, nimis aridæ; vel quia ut caro putrescere incipit, mox terra ipsa putredinem corrodit, immo propria virtute putredinem prævenit, et vermes ex ipsa gigni prohibet, quod verius videtur. MITA. — Plurima sunt beatorum virorum corpora quæ, Deo annuente, incorrupta post obitum servantur. Huc fortasse respexit Auctor

[i] Elogium proprie est brevis criminis annotatio, seu titulus, ut dicitur in lib. III *D. Stellionatus*; et leg. ultima Cod. Theodos. de Naviculariis. Ammianus Marcellin., lib. XIV : *Multos sub uno elogio jussit occidi.* Zeno Veron., de Martyrio Isai. proph. : *Isaias cum Christum prædicaret, vel futuræ damnationis elogium Israelitico populo nuntiaret*, etc.

[j] Alias, *judicium*.

quod Abraham, quondam dives, nunc divitem spernit, dicente Scriptura : *Erat autem Abraham dives valde* (*Gen.* XXX), et cum quem habuit in bonis præsentibus parem, nunc reprobat et patitur esse pœnalem, præsertim cum neque pauperis hujus bona, neque mala divitis istius prodiderit sermo divinus. Cur ergo nunc Abraham ambit pauperem, divitem refugit et refutat? Aut quemadmodum hunc Abraham innocentem habuere divitiæ, hunc fecere divitiæ criminosum; illum promovere ad omnium requiem beatorum, hunc in omnium malorum barathrum deputarunt? Verum ne propositus sermo vestrum diu fatiget animum, suspendat auditum, acceleranda nobis est hujus solutio quæstionis. Abraham, fratres, non sibi, sed pauperi dives fuit, et opes non habere, sed prorogare gestivit : magis magisque in sinu pauperis quam in horreis recondere suas studuit facultates, sicut toto vitæ ejus ordine perdocetur. Nam peregrinus ipse jugiter laboravit, sicque ne peregrinus peregrinum se esse sentiret (*Gen.* XVIII) : sub tentorio manens ipse, sine tecto advenam manere non passus est; et hospitem hospes semper ipse suscepit, extorris patria, domicilii nescius, ipse et dominus omnium fuit, et patria; sciens se non [a] incubatorem, sed dispensatorem divinæ positum largitatis, ut vindicaret oppressos, absolveret captivos (*Gen.* XIV), eriperet jam jamque morituros, ipsum se morti novus bellator addicit, apud quem pietas in alterum vita sua charior fuit. Abraham suscepto hospiti astitit, non assedit; et fuit iste non conviva hospitis, sed minister. Abraham viso peregrino, dominum se esse nescivit, ipse allator prandii, ad coquinam satis delicatam sollicitus addixit uxorem : et qui se suaque omnia famulis suis credit ac committit, committere vix audet hospitem conjugi quam probatæ. Et quid plura, fratres? Hujus denique humanitas sic sancta, sanctis est semper manibus præparata, ut invitaret apud illum ipsum Deum, et compelleret hospitari. Ille ad Abraham, ille ad requiem pauperum, ille ad hospitum receptaculum venit, qui se in hospite et paupere receptum fatebitur in futuro, cum dicet : *Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes fui, et suscepistis me* (*Matth.* XXII). *Factum est autem ut moreretur pauper et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ.* Non immerito, fratres, sua tunc omnes sanctos suscepit in requie, [b] et in ipsa cœlesti beatitudine fungitur dispensatoris officio : quia dum semper hic suscepit peregrinos et pauperes, ipsum cum angelis suscipere Deum, ipsum sub tentorio suo videre hospitem meruit, quem semper habuit largitorem. Et revera, fratres, parum se beatum credidit, si in ipsa superna gloria ab hospitalitatis pio cessaret officio. Et solis donis frueretur divinis, qui hic humana bona crudelem se credidit cuiquam si negaret. Abraham, fratres, venientibus longe semper occurrit, prætereuntes etiam prece vocat, nolentes magna cum supplicatione suam compellit ad mensam, [c] prima et saginata de gregibus hospitibus semper apponit, suis et conjugis suæ manibus factos calentes semper offert panes, quos frigidos et hesternos esse utique jugis humanitas non sinebat. At iste alter dives, immo divitiarum captivus, servus opum, et ipsis censibus compeditus, tantum pompæ ignobile sepulcrum, in quo pietatis totus utique et visus defecerat, et auditus, non jam personam, non pauperem, sed ipsam misericordiam despicit ad januam suam Lazaro sic jacente. Purpura, bysso, delicatis vestibus, epulis blandis ferrea viscera crudelis anima nutriebat : quem Deus humanæ salutis avidus inquisitor emollire cupiens, non tam Lazarum, quam ipsum pietatis [d] conflatorium ejus projecit ad januam; conflatorium dixi, propter ferrea viscera. Impiis ergo oculis mendicus Lazarus ingeritur, admovetur, et ut dives dare possit, magis magisque divitis census cumulatur; sed dives adamante durior, quidquid Deus pauperis propter alimoniam divitis conferebat ad censum, ille aut effundebat turpiter, aut crudeliter reponebat. Item Deus, ut non taceret, ut clamaret, ut admoneret divitem, ut panem se quærere tantum jejunus pauper ostendat, ut vel ad minima largienda abundantis impellat animum, augetur pauperi fames. *Cupiebat*, inquit, *de micis saturari quæ cadebant de mensa divitis.* At dives variis crapulatus ferculis indigeriem suam ructabat ad cœlum, ne vocem pauperis humi et taliter jacentis audiret. Itemque Deus, quia obduratis auribus unius oris nil erat vox clamantis, ad aperiendum cor divitis totum corpus pauperis vulneribus aperit, ut in admonendo divite tot essent pauperis ora quot vulnera. Solvuntur viscera, ulcera producuntur, hiatus vulnerum dilatatur, sanies effunditur, et tota pauperis caro componitur in scenam pietatis : ut quem vox esurientis non moverat, vel suspiria, vel dolores, gemitus et tota ærumnarum congeries commoveret; sed dives superbo oculo, insatiabili corde, hæc omnia et audire, et videre, et sentire contemnit. Quærit adhuc Deus quemadmodum dives a sua obstinatione solvatur. Solvit pauperi manus a suis artubus, uti nec abigeret canes divitis, quos vulneribus suis divitis erat pasturus in vulnus : et novo modo, fratres, humanitatis ordo mutatur; fit humana mendicitas, ut cupiditas [e] prodatur inhumana. Dives pauperem nec cadenti-

ad locum beatitudinis ascendit, ubi Abraham fungi dispensatoris officio fertur. MITA.

[a] Basilius Cæsariensis, in append. Conc. IV p. 26 : *Oportet eos qui sapienter secum reputant, existimare divitiarum usum in administratione esse positum, non in fruendo.* Nam hoc esset quod est Chrysologo *incubare* divitiis. Vox autem est in sacris gentilium usitata, de iis qui in fanis deorum somnia captabant. Occurrit passim apud poetas. Vide Ciceronem, de Divinat. lib. II; Tertullianum, de Anima cap. 27; Arnobium, lib. I, etc.

[b] Mutat hic ordinem Auctor, et a limbo Patrum

[c] Pro optima.

. . . . . O inter dilectos pars prima sodales.
Ovid. lib. IV Trist. Eleg. 9.

[d] Vas in quo metalla liquefiunt. At Lazarus ferrea viscera divitis emollire non potuit.

[e] Alias, *proderetur*.

bus de mensa micis pascit, et Lazarus pauper, quia aliud non habebat, etiam de carnibus suis canibus humanus exstitit. Miser divès, si panem non dedisti, quare vel canes abigere noluisti? Sed [a] mitiores te canes tui, immo tu sævior canibus tuis : nam te sæviente illi parcunt, qui non ad morsum dentes, sed linguas ad obsequium sic producunt, ut in modum spongiæ non vexent vulnera, sed detergant. Dives, in canibus tuis famem pietas vicit : in te pietatem saturitas non evicit. Nam quod canes hoc studio [b] facere curarunt, usus ipse, qui semper est in oculis, probat. Nam canes lambendo semper curant vulnera sua : canes curant pauperem magisterio naturæ, et homo hominem negligit, ipsa graviter accusante natura. Verum est, verum est, quod dives nec micas dare potest, dum semper avarus eget. Differendus est sermo, fratres, quia et dicendi [c] tempus absumpsimus, et lectionis loca, quæ nobis tractanda sunt maxime, subsequuntur.

[d] SERMO CXXII.

De eisdem.

Deberet, fratres, sermo noster hodie sancti Andreæ, in quantum sufficit, referre virtutes : sed quia de divite illo et Lazaro, evangelico paupere, quod superest nos diximus reddituros, et B. Andreæ apostolatus et martyrii sui prærogativa sufficit, et abundat ad gloriam, si placet, nos quæ promisimus, quæ debemus, ipso Domino reddente, solvamus. Scientes namque quod et dicenti et audienti semper generet lassitudo fastidium, superiore tractatu maximam partem propositæ distulimus lectionis, ut reparatis animorum viribus salutaris verbi sequentia toto vigore et [e] debito caperemus auditu. Post illa enim quæ diximus, hæc sequuntur. *Et elevans oculos cum esset in tormentis, Abraham vidit a longe, et Lazarum in sinu ejus. Et elevans oculos suos* (*Luc.* XVI). Sero dives sursum levat oculos suos, quos semper depressit in terram. Dives, quos oculos levas, ipsi sunt accusatores tui; quos oculos levas, ipsi non placant judicem, sed inflammant; non reportant veniam, sed reatum; et exigunt pœnarum cumulum, non solamen. Quo oculos levas? quid clamas adhuc, dives? quo respicis, dives? Ibi est Lazarus, ibi est impietatis tuæ proditor, testis criminis, credulitatis assertor. *Et clamavit*, inquit, *Pater Abraham, miserere mei.* Modo cognoscis patrem, et modo tibi patrem se esse nescis, quem in Lazaro patrem sic sprevisti : modo tibi justus occurrit, qui tunc, ut tibi pius esset, diu Lazarum passus est cruciari. Infelix quem sic ipsa [f] origo arguit, quem sic ipse lucis auctor [g] addicit; infelix cui in judicio pro magnitudine criminis, non misereri genitor, non pater ignoscere, non affectio potuit subvenire. Quid clamas adhuc, dives? Adhuc dives, sed crimine, non censu; non substantia, sed reatu. Quid clamas? quid postulas? Hoc loco jam non geritur postulatio, sed controversia, ubi e diverso consistit ipse qui passus est : sed agentium diversus est locus : hic agit de proximo, ille de longe; hic de sinu suggerit, clamat ille de tartaro; exorat ille de requie, queritur hic de pœna. Sed quid dicit dives : *Pater Abraham, miserere mei.* Bene diceres, si Lazarus in sinu residens ipsum pectus judicis non teneret; bene diceres, si Lazarus justissimi cognitoris tota non possideret arcana. Gratis rogat judicem, quem sic innocens confessor accusat; et frustra sibi credit judicem posse subvenire, quando ore judicis pronuntiat ipse tanta qui pertulit. *Miserere mei, et mitte Lazarum.* Adhuc tu in Lazarum sic crudelis? *Lazarum mitte.* Quo? Ad infernum de gremio, de solio sublimi ad profundissimum chaos, ad tormentorum stridorem de sancta quiete, de tanto silentio beatorum. *Et mitte Lazarum.* Ut video, quod agit dives, non est novelli doloris, sed livoris antiqui, et cœlo magis incenditur quam gehenna. Est grave illis malum, est illis incendium non ferendum quos aliquando habuere contemptui videre felices. Adhuc divitem malitia non deserit, quem jam possidet pœna, qui non se ad Lazarum duci postulat, sed ad se Lazarum vult deduci. Ad cruciatus tui stratum, dives, pius Abraham Lazarum mittere non potest, quem tu ad mensam tuam non es dignatus admittere. Jam vobis versæ sunt vices : vides ejus gloriam, cujus supplicium sic sprevisti; videt ille cruciatus tuos, qui te tunc tua mirabatur in gloria. Sed videamus, fratres, quare sibi mitti Lazarum sic deplorat. *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aqua, et refrigeret linguam meam.* Erras, dives, hæc flamma non tam linguæ quam mentis est, non tam linguæ quam cordis est; et adhuc iste conscientiæ calor est, non illud extremum quid te manet et exspectat incendium. Nam si te jam novissimi [h] judicii totus ignis ambiret,

[a] Ipsæ belluæ quadam in Lazarum pietate moveri videbantur. At Augustinus serm. 78 recent. edit. comparat maledicos canibus lambentibus ulcera Lazari.

[b] Editi cum Mita, *fecere curantum.* Melius nos cum Latinio.

[c] Habendæ concionis tempus olim definitum fuisse ex Patribus probatur. Consule Origenem homil. 21 in Numer.; Augustinum homil. 23 lib. quinquag. Homil. et serm. 237 de Temp.; et Chrysologum rursus sermon. 112; et ibi notam 2.

[d] Ex hoc Chrysologi sermone, uti ex aliis aliorum Patrum, veluti Chrysostomi, in orat. III adversus Judæos; Augustini, in Præfation. ad exposit. Epistolæ B. Joannis; Gaudentii Brixiensis, etc., eruit Ferrarius de Concionibus, lib. III cap. 11 pag. 363, concionandi consuetudinem obtinuisse apud veteres Patres, non tantum diebus dominicis, sed et in aliis Festis, ac Martyrum præsertim.

[e] Latinius legit *devoto.*

[f] Hoc est ipse Abraham, a quo tu originem duxisse dicis, dum Patrem vocas.

[g] Addicere, verbum judiciale, quando res plus offerenti addicitur. Hic autem pro *damnare, devovere,* etc.

[h] Passim apud veteres Patres mentio occurrit. Hilarius in psalm. CXVIII num. 2 : *An cum ex omni otioso verbo rationem simus præstituri, diem judicii concupiscemus, in quo nobis est ille ignis indefessus subeundus?* Origenes, homil. 3 in psalm. XXXVI : *Omnes nos ad illum ignem venire necesse est.* Gregorius Nazianzenus sub initium orat. 261 : *Ignis ille postremus, quo nostra crimina expendentur aut purgabuntur.* Vide Cæsarium, in append. serm.; August. serm. 15 num. 4; Ambrosium, serm. 20 num. 4. At in allatis locis, Patres pro *igne judicii* piaculares flammas intellexisse conveniunt tantum non omnes.

et illius desperatæ damnationis sententia jam teneret, numquam levares oculos, numquam patrem colloqui, numquam pro te rogare, numquam præsumeres intervenire pro fratribus. Certe si te jam possidet totus ignis inferni, si te gehennæ flamma complecitur, quare solius linguæ æstibus desideras subveniri? Nisi quia cum pectus tuum anhelat flamma sui criminis et reatus, magis lingua uritur, ardet, æstuat, quæ insultavit pauperi, quæ misericordiam denegavit : hæc præcedit ad judicium, hæc antea degustat et patitur cruciatus, hæc de toto corpore prima sentit ardorem, quæ cum prima hic varios deliciarum cibos, et odorata degustaret pocula, mandare pietatem noluit, fieri misericordiam non præcepit, sed et ipsa cum alii facerent, derogabat. Ipse est qui induebatur purpura et bysso. Quid est, dives? ab æstu byssus non defendit? purpura non resistit inferno? Remanserunt ista; deseruerunt ista, et ipse nunc nudus sudas, æstuas, qui aliquando insultabas æstibus [a] artificiosa nuditate vestitus. *Et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aqua, et refrigeret linguam meam.* Quid est dives? ubi sunt torrentes torcularium tuorum? ubi sunt horrea ad famem pauperis non minus cupiditatibus dilatata quam copiis? ubi sunt vina ad inopiam pauperis [b] annositatibus et ipsa temporum oblivione servata? ubi sunt effusiones, lapsus, flumina [c] ministeriorum tuorum? Ista omnia tibi periere, non crimini, qui sitis extremi digiti guttam, quam si vel solam dedisses pauperi, non sitires. Immisericordem te gutta, et mica reddidit inhumanum, in quibus totus pauperis et victus consistit et vita. Velim scire, dives, si vel ipsi tibi in pœna positus ignoscis, quia ad hæc mala non venisses, si de tantis horreis micam, guttam de tantis torcularibus tunc dedisses. Parum est quod caro eget, quod natura exigit, quod sufficit vitæ; avaritia causa est quod homo magna et multa recondit non sibi, sed aliis ad suum plane præsentem vel posterum cruciatum. Sed dicis, dives : Ego et si vinum negavi, aquam peto, quam communem cunctis animantibus auctor ipse omnium præstitit et natura. Puto, dives, quod et aquam pauperi tu negasti, cui ne ingrederetur januam tuam, ne ad tuum puteum perveniret, [d] canes quam plurimos objecisti. Quid est autem quod dicis? *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti in aqua*, et non deferat aquam? ergo juxta est aqua : et si juxta est, quare de proximo non sumis? quare? quia vinctæ sunt manus tuæ merito, dives, quia solutis debilitate Lazari manibus subvenire contempsisti. Debet homo, debet debilibus sua membra partiri : quæ cum Job non daret, sed redderet, sic dicebat : *Ego fui oculus cæcorum, pes autem claudorum; ego eram pater invalidorum* (*Job.* XXIX, *juxta LXX*). Homo, si non habes nummum, da pauperi manum, quia majorem misericordiam facit, qui ad mensam suam manu pauperem debilem ducit. Ipsum se pauperi dedit, qui se aptavit in obsequium pauperis, aptavit in pauperis servitutem. Iterum, fratres, præsentis verbi plenitudinem differamus, ut tertia auditione quam sententiam ab Abraham beatissimo pertulerit dives proloquamur.

SERMO CXXIII.

De eisdem.

Inverecundi debitoris est, aut differre credita, aut promissa denegare; honesti, sine mora et mox utraque persolvere. Promisimus ut omne quod restat de illo divite redderemus, qui cum in Lazarum visus sit immitis, in se magis sævus exstitit et crudelis. Hactenus quid dives ad Abraham locutus fuerit, et sanctus evangelista, et noster sermo, in quantum potuit, declaravit. Dictum est: *Et elevans oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et clamans dixit : Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aqua, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Cui nunc respondit Abraham, Fili, recepisti bona in vita tua* (*Luc.* XVI). O mira pietas! adhuc vocat filium, quem degenerasse propria crudelitate sic respicit. O singularis bonitas! adhuc vocat filium, quem vidit inferni vernulam, pœnarum sobolem, extremum mancipium jam gehennæ. Sed vocat filium, ut magis magisque filii prodatur impietas, quando [e] cum tali etiam paterni sermonis pietas perseverat. Tu vocas patrem, [f] ego voco filium ut te graviter doleas perdidisse quod natus es. Adhuc voco filium, ut amarius doleas perdidisse te quod tibi gratia dederat et natura; quia non habuisse doloris non est tanti, quanti habita mœroris est perdidisse. Voco filium, ut intelligas judicii esse quod pateris, [g] non

Chrysologus vero videtur infernum innuisse. Tertullianus etiam, Apolog. num. 48, de judicio agens, *jugis ignis, ignis judicii* meminit; at tamen ibidem solos reprobos respicit.

[a] Auctor hic de byssi indumento loquitur : quod tenuissimi lini genus est, ex quo fiunt vestes subtilissimæ, quæ non modo æstum corpori deferentis non causant, sed potius æstum remittunt. Ex Mita.

[b] Leg. 113 Cod. Theod. de Decurion., *annositate se tueri.* In l. ult. eodem Cod. de Prædiis navicul., *annositatis cursus.* Petrus Cellensis, lib. IX epist. 5 : *Calamus noster annositate et desuetudine quassatus.*

[c] Servos quandoque *ministeria* dicta notat Pignorius, pag. 101. Seneca, de Benefic. lib. III cap. 18, et apud Latinos Gallicos scriptores, *ministerialis* servus est. Quandoque etiam *ministerii* appel atione intelliguntur omnia vasa argentea sternendo triclinio necessaria. *Sacri pompam ministerii* vocat vasa sacra Paulinus Nolanus.

[d] Servi ostiarii comes quandoque fuit canis. Plautus Mistel. : *Tranio age canem, ustam a foribus facem abducas.* Erant, et qui prope januam canem pictum haberent, ut Trimalcio apud Petronium. Seneca, lib. IV. de Ira vocavit hos *catenarios canes.* Irascitur jure Pignorius in nostrorum pictorum inscitiam, qui in ipso divitis triclinio Lazarum humi cubantem pingunt : scilicet janitores admisissent hominem scatentem ulceribus, ipsi dorso luituri, quidquid dominorum oculos offendisset.

[e] Ms. Cæsen. et Vatic. : *In eum talis etiam paterni sermonis*, etc.

[f] In nonnullis editis, *adhuc ego.*

[g] Mysticum sensum eruit Mita, aitque id quod nunc patitur Hebræus, per divitem significatus, non esse ultionem a Christo sumptam, sed justum deitatis judicium; ut qui gentilem viam salutis docere recusavit, ipsemet a Gentili viam salutis ediscat, et laudat serm. 102 et serm. 171, satis a longe.

furoris : voco filium, ut in me mea patientia, et in te tua [a] maneat pœna. Sed iste, fratres, intelligit se non esse filium, qui fatetur et pensat de suo merito esse quod tam pii patris perdidit de natura. Qui tunc utique respondisset generi, si pius, si hospitalis, si misericors, in pauperem si fuisset humanus. Qui genitoris opera non facit, negat genus, Domino sic docente : *Si filii Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis* (*Joan.* VIII). Ille fidem generis probat, [b] qui paterni operis assertor assistit. Sed quid dicit Abraham? *Fili, recepisti bona in vita tua.* Si tantum divitis hujus istud est crimen, quia [c] recepit bona; quantum reus, qui invadit indebita? Si tantum criminosus qui sua claudit, qui non largitur accepta, quam pœnalis est, qui et suis incubat, et aliena pervadit? Fratres, demus nostra, si tamen nostra; demus tamen quæ putamus nostra; vitemus aliena, declinemus extranea; certe si cui aliquid tulimus, tota celeritate reddamus : ne hic relinquentes omnia, illuc censu pauperes, crimine divites, ad istum divitem perducamur. Discat tamen dives quia [d] recepit bona, non accepit. Videtis, fratres, quia Abrahæ sancti verbo istius divitis animus proditur, sensus arguitur, intellectus punitur, qui non sibi data, sed reddita credidit quæcumque Domino largiente possedit. Intelligite quo sensu incesserit, quo corde ambulaverit, qui Deum sibi credidit debitorem, et dominum suum male dives usuris suis addixit obnoxium : ignorans quia Dominus, etsi pauper incessit in terra, dives tamen ascendit in cœlum. Et dedit ille, non accepit in fenore, qui dedit uni quinque talenta, alii duo, alii unum; unde et promittit se exacturum, non redditurum usuram, cum dicit ad servum : *Serve nequam et piger, dedisses pecuniam meam nummulariis, et ego venissem, et exegissem eam utique cum usuris* (*Matth.* XXV). Hinc autem plus impius dives iste, quia non in alium pius exstitit : qui etsi recepit bona, non pro bonis bona, sed pro malis bona recepit indignus. Sed transeamus ad Lazarum, et quæramus quid est quod dicit : *Et Lazarus similiter recepit mala.* Et id sufficiat ad meritum, abundet ad gloriam, si non fecit bona, sed recepit mala. Plane beatus est, fratres, qui se a Deo accipere bona, [e] mala recipere fideliter credit. Beatus qui Deo semper reddit debita : certe si non potest, vel dimitti sibi debita tota humilitate deposcat, ipso Domino sic docente : *Dicite : Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI). Beatus qui Deo debita, et cum non intelligit se contraxisse persolvit, altius propheta instituente cum dicit : *Quæ non rapui tunc exsolvebam* (*Psal.* LXVIII). Beatus qui se apud Deum semper ut excuset, accusat, Scriptura taliter admonente : *Justus in primordio sermonis sui accusator existit* (*Prov.* XVIII, *juxta LXX*). Et si justus, quare se justus accusat? quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens (*Psal.* XLII). Homo coram homine de justitia, de innocentia, de merito forsitan glorietur; coram Deo qui se de innocentia jactat, de sua justitia gloriatur homo non est. Hinc est, quod ille Pharisæus cum non orat, sed justitias suas computat, imputat, ructat, injustus et publicano deterior abscedit (*Luc.* XVIII). Sed accedamus ad reliqua. *Nunc autem hic consolatur*, ait, *tu vero cruciaris.* Videte, fratres, intelligite, fratres, ex his quæ dicta sunt, quia justos et injustos etsi [f] discretio locorum, una tamen inferni adhuc regio continebat; atque eos etsi chaos jam magnum, nondum tamen cœlestis habitatio separabat; et si dividebat illos hiatus tristis, nondum tamen deputata superius angelis altitudo. [g] Flammea romphæa (sicut legislator refert) paradisi volvebatur in janua, ne illuc homini [h] pateret accessus (*Gen.* III) : æreis januis et ferreis vectibus portæ inferi obseratæ claudebantur, ne animabus, quæ illuc jactatæ fuerant de supernis, ullus pateret egressus. Nam et chirographum paterni debiti, quod morti singulos adjiciebat, stylo culpæ et reatus ipsius atramento tenebatur ascriptum, et ad sobolis noxam multa temporum currebat usura. Nec erat idoneus qui paradisum introiret, flammam exstingueret divinitus institutam, aut aperiret januas inferni cœlitus obseratas, aut solveret chirographum, quod in arca legali Dei præcepto tenebatur inclusum. Hinc est quod ipse Dominus, primi hominis, id est, contumacis servi, exsulator advenit; ipse Dominus qui obseravit paradisum, qui clausit infernum, ad terras et ad inferos tota potestate descendit, ut accensa exstingueret, clausa protinus aperiret, protoplasti facinus aboleret. Hinc est quod arietem suæ crucis portat aggressurus infernum, ut conterat et confringat ipsas tartari januas ære munitas, et ferro. De latere fundit aquam, ut paradisi viam temperet; ignem ex parte sanctorum exstinguat inferni, totum

[a] Alias, *permaneat.*

[b] Locus restitutus ex ms. Cæsen.

[c] Juxta varias hujus verbi *recipere* significationes, varia explicantur ab Auctore animi sensa. Hic *recipere* interpretor occultare; juxta l. fin. c. oper. lib. factam ab impp. Valente et Valentin., unde habentur crimina receptorum, eorum scilicet qui fures, raptores et cæteros malefactores, ut occultent, apud se recipiunt, ut ff. de Recept. et C. de his qui Latron. et in Can. *Sicut ait* de Hæreticis. Ideo recepisti bona in vita tua, est idem ac si diceret : Tibi, tuisque improbis usibus, cæteris occultata, bona reservasti. MITA.— Ingeniosius an verius, alii videant. Ἀπέλαβες hic non solum *recepisti*, sed *plene accepisti* significat.

[d] Recepit, id est habuit bona, ut ea Domino reddat cum fenore, vel pauperibus eroget. *Accipere* autem est gratis aliquid ab aliquo habere, vel quod suum est sibi vindicare. Dives autem bona possidebat, Domino largiente, non Domino reddente. Ex Mita.

[e] Hoc est : dum malis justus opprimitur, fideliter credit his a Deo opprimi, tamquam amantissimus filius a patre.

[f] De iis locis de quibus Chrysologus, juxta sanctorum Patrum mentem alibi disseruimus.

[g] *Flammeum gladium* habet Vulgata pro flamma in figuram gladii conformata.

[h] Consonat Origenes, Comment. in I Reg. XVIII edit. Huetii, pag. 36, ubi docet feliciorem esse nostram conditionem, quam eorum qui ante Christum vixerant; quod *nulli eorum datum sit, ubi lignum vitæ erat prætergredi, et flammeum gladium pertransire.*

chirographum debiti diluat, et solvat antiquum, et patiendo hoc remittat ipse, quod ipse intulit importando. Agnoscite, fratres, lætamini, fratres, post triumphum Christi sanctorum custodiam dissolutam et in sanctos ultra inferni nil deberi : quando Christus ut justos, non injustos absolveret, ad inferos usque penetravit. Intelligamus, fratres, quantum Christus profuerit; immo quam sine Christo in nullo fuerit salus, cum præter istam corporum solutionem, sanctorum quoque animæ apud inferos tenebantur astrictæ. Beatus ergo Lazarus, qui totum Deo debuit, ut crimini nil deberet. Beatus quod hic recepit tot mala, ut ibi bona omnia possideret. Et adjecit Abraham, dicens : *Neque hinc ad vos transire neque huc transmeare quis potest.* Terret, fratres, terret nimis hujus vocis auditus, quæ ostendit post mortem, et semel apud inferos pœnali [a] custodiæ deputatos ad sanctorum quietem non posse transferri, nisi Christi gratia jam redempti, ab hac desperatione sanctæ Ecclesiæ intercessione solvantur; ut quod sententia negat, Ecclesia mercatur, præstet gratia. Hic tamen dives rogat adhuc, et dicit : *Pater Abraham.* Adhuc vocat Patrem, qui meritis suis et patrem et patriam sic amisit. *Pater Abraham.* Hic miser et in pœna mentitur. *Pater Abraham, mitte eum in domum patris mei.* Si vere hunc patrem vocat, cujus domum patris alterius tunc requirit? nisi forte eum se in absentia habere patrem credit, quem in præsenti se taliter conspicit perdidisse : et sic sibi credit ejus patris domum ejus gratia custodiri, cujus ibi negari sibi sinum videt, videt requiem pernegari. *Pater Abraham, mitte eum.* Quem? Nempe Lazarum. Ubi? *In domum patris mei.* Modo, et tarde, dives Lazarum ad domum patris sui non misericors, sed miserandus invitat, quem toto tempore substantiæ miseratione suis [b] incumbentem januis non recepit; et sub specie pietatis ad pristina vulnera, ad præteritos gemitus Lazarum vult redire, quem prima petitione ad suos devocare non potuit cruciatus. Ante dixit : *Mitte ad me.* Modo dicit, *Mitte ad fratres meos.* Dolet, agit infelix, ne videat felicem, quem aliquando putaverat infelicem, *Mitte ad fratres meos.* Ubi? *In domum patris mei.* Ut quid? *Habeo enim*, inquit, *quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Cui pius, qui sibi sic impius? Impudenter præsumit aliis impetrare pœnitentiam, qui sibi tam crudeliter ad veniam nil providit. *Mitte Lazarum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres.* Et putas quod quinque fratribus tuis sufficiat Lazarus, qui tibi tanto tempore, tot vulneribus suis, toto clamans corpore nil profecit? Merito ei respondit Abraham : *Habent Moysen et prophetas, audiant illos.* Sine Lazarum tantos requiescere post labores, et tu defle tuas, quas tuo merito sustines, pœnas. Deus autem fratribus tuis et omnibus, non pro tuo consilio, sed pro suo munere olim prospexit ad salutem : dedit per Moysen legem, prophetiam largitus est per Eliam; audiant ergo illos, ne tuos sentiant cruciatus. *Respondit dives : Non, pater Abraham, sed si quis ex mortuis resurrexerit, credent ei.* Cui respondit Abraham : *Si Moysi et Eliæ non credunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent ei.* Nihil tam verum, fratres, qui de cœlo loquenti per legem, de cœlo venienti Christo credere noluit, jam non [c] merebitur credere ab inferis revertenti. Ipse Christus, fratres, Deus et Dominus noster ad Moysen est locutus de cœlo, ipse in terra terreno est locutus in corpore, ipse cum terreno corpore ab inferis est reversus : et tamen referenti quæ bona in cœlis, quæ sint apud inferos mala, fratres, divitis illius, qui Judaicis intelliguntur in populis credere tota obstinatione noluerunt. Verum, fratres, quia nos, qui sit dives, aut quis Lazarus pauper, et qui sint quinque divitis fratres, dicere nunc tempus excludit, nec quid in hac historia spiritualis intelligentiæ lateat aperire permittit, edocti per Christum, quid apud ipsum justos maneat, quid apud inferos exspectet injustos, agamus, curramus verbo, opere, misericordia, ut et superna bona apprehendere, et mala perterriti vitare et declinare possimus.

SERMO CXXIV.

De eisdem.

Quoties nobis a Deo dives ingeritur purpuratus, quoties vulneratus pauper apponitur, toties nobis [d] misericordiæ σκάμμα panditur, toties nobis stadium pietatis aperitur; ut de spectaculo cœlesti possimus attendere, quam brevi quantumvis pauper ad palmam, dives pervenit ad ruinam. *Homo*, inquit, *erat dives, et induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis* (*Luc.* XVI). Induebatur dives purpura, pauper livore; dives bysso, pauper squalore; auro dives, pauper fetore; dives plumeo decumbebat in sigmate, jacebat durissima pauper in terra; dives ructabat epulas, sanie pauper anhelabat; fundebat vina dives, pauper lacrymas; exsatiatus dives projiciebat panes, micas

[a] Chrysologum loqui de limbo SS. Patrum putat Mita, in quo detinebantur Patres in pœnam originalis peccati, nec poterant nisi per mortem Christi ab illa custodia eximi.

[b] Alias, *accubantem.*

[c] Ms. Cæsen. et Vallicel., *Nec Lazaro credet ab inferis revertenti.*

[d] Locus scilicet apertus, in quo misericordia excurrat. Scamma in Gloss. Græco-Latin. *fossum*, vel *fossa*, redditur : unde non inepte Mita *cavea ludorum*, sicuti et in aliis editionibus, scilicet locus medius in quo athletæ luctabant, sive quia fossæ leviter depressæ speciem præseferebat, vel quod apud Græcos fossa soleret cingi, ut apud Romanos Euripo. Chrysostomo, homil. 55 tom. V edit. Paris. pag. 738, Scammata sunt fines curriculi, termini : *Homines angelos reddidit, et ad spem rerum cœlestium vocavit, et stadia longius extendit.* Interpres minus apte : *longiora certamina posuit*, licet inficias non eam apud ipsum Chrysostomum, homil. 1 ad populum Antiochenum, tom. VI pag. 458, Isidorum Peleusiotam, aliosque, *scamma* item significare *certamen.* Vide notas serm. 33.

pauper esuriens non habebat; pascebat oblatrantes pauperem dives ferculis suis, pauper vulneribus suis saturabat divitis canes. Ac ne plurimis, ad divitem bona omnia, ad pauperem mala omnia perlegimus provenisse; neque tamen pauperem fregerunt adversa, aut diviti omnia secunda profuerunt: immo pauperem provexit ad philosophiam paupertas, ad virtutem dolor, contemptus ad patientiam, necessitas ad voluntatem, fames ad jejunium, sitis ad tolerantiam, ad vitam mors, ad præmium pœna, ad cœlum terra, egestas ad regnum; et divitem sic extulit purpura ad superbiam, byssus ad luxum, ad inhumanitatem copia, abundantia ad impietatem, unguenta ad marcorem, ad cæcitatem splendor, sublimitas ad ruinam. Ergo neque prospera ignavos erigunt, neque fortes adversa prosternunt: quia neque divitiæ, neque paupertates, sed animus aut ducit gratos ad præmium, aut ad pœnam deducit ingratos. Januæ divitis pauper apponitur ulceribus plenus: ac fit hoc non humano casu, judicio fit divino, ut divitis et pauperis conflictus esset in terra, spectaculum maneret in cœlo. Dives totus indutus divitiarum stabat armis; et contra pauper jacebat ipsa vestitus in carne, nisi forte lorica erat illi, unum totius corporis vulnus. Dives morabatur [a] servorum in choris, pauper exutus cute dolorum stimulis agebatur. Jaciebat impietatis tela dives, clypeum miserationis Lazarus opponebat, crudelitatem suam dives pauperis vibrabat in vulnus, frustrabatur diviti [b] sontem animam pauperis robur, quia corpore se deserente, totus migravit in animam, et calcata carne in spiritum totus armiger supernus ascendit, ne ubi possit [c] ferire divitis crudelitas inveniret. Ob hoc enim egerat Deus ut dives pauperis, pauper divitis in oculis semper essent, quatenus vicissim sibi ambo curam de vario languore præstaret. Ægrotabat pauper corpore, mente dives. Hinc est quod differebatur cura pauperis, ut dives sumeret de vulnere medicinam, de gemitu compunctionem, de lacrymis pœnitentiam, de patientia exemplum; de fame misericordiam, de siti sensum; ad summam, cœleste de terrena compassione consortium: certe ut tantis dives bonis fultus Deo gratus esset, quando gratus Deo pauper in malis omnibus, vidente divite, permanebat. Merito ergo portabatur ab angelis qui jacebat; qui lugebat, Abrahæ consolabatur in gremio; et vivit Deo semper, qui se sibi vivere nec scivit in mundo. *Factum est*, inquit, *ut moreretur pauper, et portaretur ab angelis in sinu Abrahæ. Mortuus est autem dives, et sepultus est in inferno.* Miser accepit ante animæ, quam corporis sepulturam, nec ante quieti corporis quam pœnali traditus est sepulcro; ut vivat pœnæ semper, cum sit semel mortuus vitæ. *Et sepultus est in inferno: et vidit Abraham de longe, et Lazarum in sinu ejus.* Immutatio quanta rerum! quo descendit dives! quo pauper ascendit! Respicit ibi sursum, quem despexerat hic deorsum; et videt eum de inferno in sinu Abrahæ, quem jacentem se coram superbo de sigmate non videbat. *Pater Abraham, miserere mei.* Stulte petit a patre misericordiam, quam negaverat fratri. *Miserere mei.* Quid illi cum misericordia, cui jam totum cessit in pœnam? Aut quæ illi supplicatio apud patrem poterit subvenire, cui in sinu patris residet accusator? Pectus patris Lazarus tenet, et totam sancti cordis pulsat æquitatem, quatenus se filii patrem boni, mali judicem servet. *Pater Abraham, miserere mei: et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aqua, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Mitte Lazarum:* ut ipse qui cruciatus mei causa est, jam refrigerii minister extremum digiti sui solamen modo ipse porrigat, cui ego jacenti manus meæ totius solatium tunc negavi. *Et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aqua, et refrigeret linguam meam.* Sitit itaque guttam, qui vini lacus cum pauper sitiret, effudit; et stilla digiti extremi credit gehennæ flammas exstinguere, qui mensuris per totam diem ebrietatis non exstinxit incendia. Sed hanc sibi guttam ad refrigerium dari petit, ad ardorem pauperis quam negarat. Ista gutta est, dives, quæ te facit crudelem; ista gutta est, quæ os Lazari a te negata siccavit, quia ad refrigerium corporis et gutta sufficit, et mica. *Cupiens*, inquit, *saturari de micis, quæ cadebant de mensa.* Spargebatur panis, fundebatur vinum, et quod ad extremam vitam pauperis negabatur, hoc totam diviti peribat ad pompam. *Et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aqua; et refrigeret linguam meam.* Lingua in capite, caput mali; ipsa derogat egeno, insultat pauperi, pietatem latrat, misericordiam carpit: et merito prima est in gehenna, in cruciatu prævia, dux pœnarum, quia ipsa interdixit misericordiam, cui datum fuerat ut juberet. Et quamvis series lectionis et me compellat dicere, et vos invitet audire, qui sit purpuratus dives, qui sit Lazarus pauper, qui sint quinque fratres divitis, quomodo ante diem judicii dives cruciatus [d] sentiat gehennæ; attamen dolor revocat ad dicendum: *Mortuus est dives et sepultus est in inferno.* Et si est sub terra carcer, si est [e] καῦσις ardens, si est inferus sine fine crucians, si est [f] apparitor tristis, qui nos ad ista rapiat post sæculi labores; quid stupemus? ubi sumus? quis est iste qui nos eludit somnus? quæ est ista quæ nos tenet oblivio lethalis? quare non omnibus contemptis evadendi a malis talibus nobis sola sit cura, ne viventes mundo, ne aliis cur-

[a] Ex Latinio.

[b] Dolebat Latinius *locum corruptum et mancum esse.* Modo ex ms. Cæsenæ et editione Mitæ restituitur.

[c] Ex emendatione Latinii. Editi omnes, corrupte, *ferre.*

[d] Latinius putat hic aliquid deesse. At reponendum: *Attamen dolor revocat ad dicendum: Mortuus est dives, et sepultus est in inferno,* quæ desunt in editis plurimis.

[e] Combustio, crematio.

[f] Latinius, *apparitor instans;* mendosæ editiones, *apparitor istis.* Aliquando, voce obsoleta, *apparitores* dicebantur *limocincti.* In veteri marmore: *Apparitores et limocincti.* Chrysologus hic pro *apparitore* mortem intelligit.

rentes, ad tantas, tales, tam crudeles subito rapiamur pœnas? Et si est ascendendi possibilitas ad superna, si est facultas vivendi in cœlestibus, si est Abrahæ sinus bonis omnibus ad requiem præparatus, si est Lazarus in sinu patris tanti; immo quia dubium non est, ubi et loca, et personæ, et nomina describuntur, quare non cœlo mutamus terram? quare non caducis emimus æterna? quare non perituris manentia comparamus? ut et supplicia devitemus inferni : et hæc quæ audire desideramus anguste, late videre, habere et tenere possimus.

SERMO CXXV.

De villico iniquo.

Omnium quidem ciborum sal salubre est condimentum, si mensura non desit : alioqui sine modo et ipsum perit, et quod salierit perdit; [a] amarat enim nimietas quod poterat condire mensura. Sic qui in nobis est sensus, si teneat modum, dat saporem, intellectum parit, prudentiam generat, cor dilatat, auget ingenium, maturat dicenda, audienda componit, fitque sibi dulcis, fit degustantibus tota dulcedinis plenitudo; et plane erit ille melleus sensus, qui ore profert nil amarum. Hoc præmisimus, ut sit nobis in evangelicis sensibus nostri sensus constringenda mensura : quatenus vitalem cibum, divinum pastum, cœlestem saporem non violet, sed cautissima nobis sobrietate custodiat, juxta illud Apostoli : *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.* XII). Sed jam quid Dominus dixerit audiamus : *Homo quidam erat dives* (*Luc.* XVI). Et quis erat homo iste, nisi Christus? Quis dives, nisi ipse, qui in paupertate nostra totas creaturæ divitias possidebat? *Homo quidam erat dives.* Hoc Judæis sæpius inculcabat, ut intelligerent quod inesset ei locuples deitas, cui erat humana paupertas. *Erat dives.* Erat in majestate sua dives, qui oculis Judæorum erat pauper. Et quomodo dives non erat, cui ministrabant angeli, virtutes parebant, elementa serviebant, et quæ non erant, fiebant jussa, vocata veniebant? *Homo quidam erat dives : et habebat villicum.* Quem nisi hominem, cui ad colendum mundum [b] tota fuerat commissa possessio? *Homo quidam erat dives, et habebat villicum : et hic* [c] *diffamatus est apud illum.* Quasi non præscierit, quasi non prævideri, cui occulta nota sunt, cujus oculis etiam illa nuda sunt quæ teguntur. *Et hic diffamatus est apud illum.* Ergo ille famæ credidit? fama nuntiante cognovit? Absit. Sed quia illa quæ noverat, quæ pietate velabat, quærere tunc cœpit quando accusabat terra : *Vox sanguinis fratris tui clamat de terra* (*Gen.* IV), clamabat terra, clamabat cœlum, dolebant angeli, quando jam tota sæculi fama loquebatur. *Et hic diffamatus est apud illum quod dissipasset substantiam ejus.* Filius junior ante istius hominis lectus est substantiam dissipasse, nunc ipsius bona villicus dissipasse perhibetur. Sicut idem Deus et homo Christus, idem paterfamilias et pater; sic hunc eumdem esse et villicum constat et filium : est hic causarum diversitas, est mutatio nominum, non est varietas personarum. *Et diffamatus est apud illum quod dissipasset bona ipsius, et vocavit eum.* Vocavit per Evangelium. *Et ait illi.* Et quid per Evangelium non agit, per quod mores arguit, occulta nudat, conscientiam pandit, commissa castigat, dinumerat mala, et in his [d] persistenti minatur pœnam, quamvis converso veniam repromittit? *Et vocavit eum, et ait illi : Quid hic audio de te?* Cognita velut audita imputat, quia in reum non vult accelerare sententiam; et convictum penes se, velut accusatum convenit, qui judicium gestit venia sic præire. *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare.* Tam piis tam severa cur jungit? cur ante a villicatione submovet quam rationem agnoscat? *Redde rationem, jam enim non poteris villicare.* Rationem modo instar hominis expetit, modo sicut Deus instantia denuntiat et futura. *Redde rationem, jam enim non poteris villicare.* Rationem petit, non ut exigat, sed relaxet; petit, ut petatur; petit hic, ne petat tibi; petit in sæculo, ne petat in judicio; petit cito, ne pœnarum tempus, tempus satisfactionis excludat. *Redde rationem villicationis tuæ : jam enim non poteris villicare.* Quare? Quia venit finis vitæ, tempus mortis, jam te apparitio superna constringit, jam judicium vocat. Festina ergo, ne satisfactionis tempus perdas; qui tempus operis perdidisti. *Redde rationem.* Hoc est dicere, compone rationem, compone tua, ne reddas mea; compones autem, si jam desines dissipare. Priora debita suscepi ego, cum te suscepi; solvi ego, cum te absolvi; ego cognitor pro te cognitori audiendus astiti; judicium intravi judex; rei mei reus factus sum, a pœnalibus suscepi pœnas, a damnatis sententiam non refugi; mortis perditor mortem excepi; penetravi inferos destructor inferni, ut te per ista non modo subducerem tuæ pœnæ, sed et meæ consortem facerem dignitatis. Age ergo, ut te quem

[a] Theophylactus, ad Coloss. IV, 6 : *Cibus si sale careat injucundus est; si vero nimium salsus sit, gustui omnino ingratus est.*

[b] Duplex villicorum genus. Nonnulli mittebantur in villas, ut cæteris servis præessent, et quorum habitationem Varro lib. I de Re rustic. cap. 13, et Columella lib. I cap. 6, statui præcepere prope villæ januam. Sed totius etiam domus dispensatores erant, Græcis οἰκονόμοι, Latinis *actores* etiam dicti l. D. Famil. l. XL § 7 de Statu lib. : et talem esse se simulabat Leonidas ille apud Plautum Asin. II 4, vers. 53. Alii in villas designabantur, ut cæteris tamquam dominorum vicarii imperarent, fundumque colerent; et ii etiam *actores* dicti lib. III D. de Pignoribus. His postremis accensendum villicum a Luca descriptum Chrysologus putavit, dum homini eum assimilat cui totam ait fuisse mundi commissam possessionem. Magistratus *reipublicæ villicos* dixit Cicero; et Arnobius, lib. III adversus Gentes, nescio quod numen vocat *ministrum Jovis et villicum.*

[c] Catecresis; neque enim falsa, vel calumniosa erat, sed vera hæc diffamatio. Ex his arguit Calmetus hujusmodi villicum evangelicum, qui heri sui bona dissipavit, non villicum fuisse, sed magnæ domus dispensatorem, penes quem dati et accepti rationes servabantur.

[d] Sanavit Latinius corruptas editiones, in quibus *præsistenti.*

tempus tuæ villicationis exclusit, perpetuitas [a] meæ damnationis non includat. Sed villicus quid responderit jam perscrutemur. *Ait intra se: Quid faciam?* Quid faciam modo? semper homo bona facere tunc cupit, quando mors faciendi tempus ademit. *Ait intra se.* Quærit intra se consilium, qui foris unde sibi jam succurreret non habebat. *Ait intra se.* Pungit cor suum, stimulat mentem suam, et omnia vexat interna, ut a se pœnitentiam quam pro se dare possit extorqueat. *Fodere non valeo.* Non vires isti, sed tempora defecerant ad laborem. *Fodere non valeo, mendicare erubesco.* Confusionem futuri judicii pertimescit, in quo jam non pœnitendi tempus est, sed pœnarum, et ubi reus plus de conscientia quam de gehennæ erubescit incendio. *Mendicare erubesco.* Et quis non erubescit [b] in cœlestibus mendicare? Miser quem temporalitas habuit divitem, mendicum sempiternitas possidebit; et habebit hunc nudum tartarus, quem locupletem suscipere cœlum potuit et tenere. Præsens figura tendit ad populum, sed bonum nobis, bonum nimis, si ad nos ista aptemus singuli, si ad nos ista referamus, qui in terra nos debemus sentire villicos, [c] dominos non putare; prorogationis temporariæ ministerium suscepisse, non invenisse jus perpetuum possidendi; cavere ne ad patremfamilias fama eversæ substantiæ nos præcedat, juxta illud Apostoli: *Quorumdam peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium; quosdam autem et subsequuntur* (1 *Tim.* v). Non pervenit ad statutum terminum vitæ, qui villicationis amittit tempus, quem sonarit credita dissipasse. Hinc, hinc est immaturus exitus, hinc est ante diem mors, hinc est vocatio amara, hinc est seipsa acerbior redhibitio, sicut propheta lamentatur, clamans: *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos* (*Psal.* LIV). Sed utinam, quando nos de vocatione commo..et ægritudo, quando febris a villicatione inclementer excludit, quando vis doloris ad redendam villicationem properare compellit, præsentis villici factum sensumque sequeremur, converteremur ad animæ consilium, ad compunctionem cordis, ad mentis pœnitentiam, ad misericordiæ suffragium, ad pietatis patrocinium, ad confessionis advocationem! certe peteremus Dominicorum [d] chirographa debitorum; et si non tota, vel media, sicut iste villicus, ad nostram veniam solveremus; ut qui bona credita dissipando iniquitatis vocamur villici, in novissimis pia fraude ipsius laudem judicis consequamur. *Et laudavit*, inquit, *villicum iniquitatis.* Et quia evangelici factum villici non parvam generat quæstionem, qui reus de multis unam legitur placuisse per fraudem: quare placuerit sic, vel quis sit iste, sequenti per Deum plenius sermone pandemus.

SERMO CXXVI.

De eodem.

Quam sit commodum, quam lucrosum debitorum nodos solvere, [e] cautionum vincla laxare, præsentis villici nos edocet et informat exemplum: qui dum chirographorum cumulos [f] prudenti moderatur assensu, non modo evasit [g] arctissimas discussionis angustias, sed etiam discussoris laudem mansuram sæculis conquisivit. Et nos, fratres, quod de præsenti lectione vobis fecit [h] promissio me debere, auditu piissimo temperate, ne me vosque simul oneret severa discussio, quos intelligentia poterit benigne relevare. Unde quæ supersunt lectionis jam sequamur, et consilium villicus quod invenerit audiamus. *Ait*, inquit, *intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam... Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam; et sede cito, scribe quinquaginta. Deinde dixit alii: Tu vero quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Et ait illi: Accipe litteras tuas, et scribe octoginta. Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quod prudenter fecisset* (*Luc.* XVI). Vel nunc liquet in evangelicis lectionibus obscuratas mysteriis divinis, supernis velatas sensibus, contineri quamplurimas quæstiones, nec facile humano intellectui subjacere quod ore Christi de cœlestibus profertur arcanis. *Et laudavit*, inquit, *dominus villicum iniquitatis, quod prudenter fecisset.* Rogo quid hoc loco mundanus capit animus? quid hic communis capit et recipit auditus? ubi inter villicum et dominicos debitores [i] versutæ fraudis laudatur inventio, ubi debitoris honestas tollitur, aufertur pudor, [j] violatur innocentia, verecundia tota sepelitur, ubi villicus reddendæ rationis tempore plus ardet in fraude, quam tempore villicationis anhelavit in luxu; in articulo discussionis ipsum dominicum plus in dispendium sævit quam diebus suæ fudit et disperdidit actionis; et qui ante substantiam vacuaverat dissipando, vacuando chirographo quod remanserat plus evertit; nec curat unde possit sarcire quod deerat, sed quod remansit, quemadmodum minorare possit,

[a] Sic ex mss. Cæs. et Vatic.; editi, *meæ donationis.*

[b] Christianus adeo bonis cœlestibus exuberat in militanti Ecclesia, ut aliunde quærere sibi haud necesse sit; nam *Gloria et divitiæ in domo ejus.* Vide quam perperam agant, qui relictis sacris Scripturis et Patrum doctrinis pro sacris concionibus, quoscumque scrutantur auctores profanos, ut ex dictis eorum conceptus auribus prurientes extrahant et populo prædicent placentia. MITA.

[c] Ms. Cæsen., *non dominos extimare.*

[d] Vulgata, *cautionem.* Ita enim jurisconsulti, quod Græci *syngrapham* aut *chirographam.*

[e] Vide superiorem notam. Hujusmodi vocabulo in hoc eodem sensu utuntur Tertullianus et Salvianus.

[f] Ex Mita. Alias, *pio.*

[g] Ex eodem. Alias, *certissimas.*

[h] Ms. Cæsenæ, *me constat promisisse.*

[i] Et in hac versutia, vel solertia, non in fraude, et in facti improbitate, tota vis similitudinis sita est; nam etiam Genes. III secundum LXX legitur quod *serpens prudentissimus erat*, ubi prudentiam non virtutem dicit, sed astutiam: *in qua mirandus est*, subdit Origenes (vel potius Geometer, ut observat Corderius, in Caten. PP. Græcorum), *concursus et acumen quibus vigor mentis elicitur.*

[j] Ita editi et mss. Reponerem, *velatur.*

excogitat. *Dicebat debitori : Quantum debes domino meo?* Non dicebat, quantum debes mihi? Conveniebat conscientiam, testabatur debitoris animum, sic dicendo. Et quid est quod sine respectu domini, debitorem ad tantam fraudem villicus [a] provocabat? *Quantum debes domino meo? Dicit ille : Centum cados olei. Accipe cautionem tuam, et scribe quinquaginta.* Ad tantam fraudem villicus conspirabat et agebat, ut totam fidem perderet, dum meditat [b] cautionem. *Quantum debes domino meo?* Sciebant ambo quia præsens erat ubique et semper supernus creditor, nec poterat fraude præveniri; sed neque in oculis dominicis desinit, semel cœperit qui furari. Esto tamen sit humani moris ut debitor quærat compendia fraudulenta, et villicus sibi consulat, sic furando : dominus iterum quare probat fraudem? furta collaudat? prædicat falsitatem? Quod est nequitia, prudentiam dicit, et hoc pium judicat quod multis pessimum falsitatis præstat exemplum? Sapiat ita carnalibus sensibus; spiritualibus, quod est divini luminis, jam lucescat. Iterata est parabola per villicum, quæ fuerat juniorem prælibata per fillum. Villicus iniquitatis a [c] mammona iniquo gentium populus nuncupatur. *Facite vobis*, inquit, *amicos de mammona iniquitatis*, qui relicto Creatore totum se mammonæ tradiderat servituti. Quisquis est ab hujus mammonæ captivitate liber, et pecuniæ jam crudeli pondere non gravatur, consistat in specula cœlesti, et inde despectet mammonam mundo, et mundanis tyrannico furore dominantem. Imperat gentibus, jubet regnis, bella mandat, comparat bellatores, sanguinem vendit, agit mortes, prodit patrias, urbes destruit, subdit populos, arces urget, vexat cives, foro præsidet, jus delet, fas nefasque confundit, et ad mortes usque tendendo, fidem tentat, violat veritatem, famam carpit, honestatem dissipat, solvit affectus, innocentiam tollit, pietatem sepelit, necessitudinem scindit, amicitiam subruit. Et quid plura? Hoc est mammona, dominus iniquitatis, qui inique humanis et corporibus dominatur et mentibus. Hujus ergo mammonæ villicus, hoc est gentilis populus dissipatæ taliter substantiæ reus a Domino per Evangelium convenitur, ut reddat rationem villicationis suæ, id est, naturalis boni. Cui tunc dicitur : *Jam non poteris villicare.* Quando ei finis sæculi nuntiatur. Credit denique juxta Apostolum figuram præterire mundi (I *Cor.* VII), transire tempora villicationis humanæ; et intra se, in se reversus, quid facere deberet, interrogat. *Ait intra se, Quid faciam?* Ingemuit cor, doluit mens, respondit fides, credulitas dedit consilium salutare, ut villicus ad verum dominum jam rediret, et erogando mammonam sævum dominum suæ victor subderet servituti, ut fieret salutis occasio, quod perditionis exstiterat [d] instrumentum. Pergit ergo villicus gentilis quondam jam Christianus, ad primum debitorem domini sui. [e] Quem? Judæum debitorem, quem quid quantumque domino suo debeat interrogat; quasi nesciat modum debiti. Portitor cautionis noverat jam per Evangelium, sed interrogando confessionem taliter requirebat; denique et qualitatem, et quantitatem debiti confitetur, dicens : *Centum cados olei.* Quare non argenti, vel auri pondus? quare non centum decem, aut nonaginta, sed centum? Ut et de debito et de numero cœleste luceat sacramentum. Debebat Judæus oleum, quod chirographo legis ad ungendos reges, prophetas et sacerdotes, Christiani chrismatis acceperat in figuram, donec ad ipsum regum, et prophetarum, et sacerdotum principem perveniret, cui tota reddenda et infundenda erat centenaria chrismatis plenitudo. Sed quia contra cautionis fidem debitor, ne debitum redderet, occidit impius creditorem, legalis ipsa cautio pervenit ad gentes, hoc est lex : ut Judæus convictus per gentilem, quia debitum convertit in crimen, pœnitentiæ solvat usuram. Vides ergo quia villicus non fraudem, sed pœnitentiam suadet : sollicitat ad acquirendam misericordiam, non impellit ad falsum, cum dicit : *Accipe cautionem tuam, sede cito, et scribe quinquaginta.* Quinquagesimum numerum ad misericordiam pertinere David pandit, cum psalmum quinquagesimum cantat, clamans : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam* (*Psal.* L). Quinquagesimus numerus patefecit misericordiam, dum quinquagesimum annum, qui est jubilæus, lex debitorum omnium, omnium contractuum delere et solvere ligamenta perscribit (*Levit.* XXV). Villicus ergo iste agit, ut per misericordiam Christi idoneus sit Judæus, qui per cautionem legis insolubilibus confusus debitis tenebatur. Debet Judæus oleum, qui juxta Apostolum (*Rom.* XI) feracis in se olivæ pinguedinem incredulitatis sterilitate siccaverat. Unde et evangelicæ fidei calore jam tota redit in ramos [f] Christianos, totamque reviviscit in gratiam. *Deinde alii dicebat : Tu vero quantum debes? Qui ait : Centum coros tritici.* Posteaquam granum tritici, quod est Christus, satum est in terra nostræ carnis, et ad ubertatem supernam per Dominicam fecundatum est sepulturam, factum est ut homo centesimum fructum suo jam debeat auctori. *Nisi*, inquit, *granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*

[a] Ex ms. Cæsen.; editi, *debitor ad tantam fraudem villico conspiraverat.*

[b] Alius hic a superiori hujus verbi sensus. Meditabatur villicus sibi cavere et prospicere. Frequens comicorum locutio. Terentius in Andria : *Puerum autem, ne resciscat mihi esse ab illa, cautio est.*

[c] Mammon, sive mammona, Syriaca vox est, quæ significat divitias, et cum punicus sermo ex Hebraico nascatur, punice etiam *mammona* divitiæ sunt. Vide Augustinum, lib. II cap. 21 de Serm. Dom. in Monte. Alii Interpretes volunt : *Mammona iniquum*, vel *iniquitatis*, Hebraicam esse vocem pro *mammona vanitatis*. Eadem enim vox Hebræis *vanitas* et *iniquitas*. Vide Natal. ab Alex., Calmetum, aliosque. Consule etiam Augustinum, de Quæst. Evangel. lib. I quæst. 34; Ambrosium, lib. VI in Luc. cap ultimo; Theophylactum hoc loco, etc.

[d] Vide ad rem Tertullianum, lib. IV contra Marcionem, et Ambrosium lib. VII num. 245. De avaritia plura et insignia Salvianus lib. I.

[e] Alias, *scilicet.*

[f] Ex ms. Cæsenæ. Editi, *crescit in ramos : Christiano totam*, etc.

(*Joan.* XII). Videns ergo villicus satis providet, cum dicit: *Accipe cautionem tuam, et scribe octoginta.* Quia sicut quinquagesimus misericordiam confert, ita octogesimus totam fidem præfigurat et gratiam. Hic est numerus, in quo decalogum legis esse et ogdoadem gratiæ satis gnarus legis, satis studiosus Evangelii lector intelligit. Itaque villicus cum dicit, *Scribe octoginta*, id agit, ut per gratiam solvat quod reddere non poterat per naturam. Bene ergo iste villicus meruit laudem domini sui, qui in chirographis non fraudem molitus est, sed salutem. Quod autem dixit: *Prudentiores sunt filii sæculi in generatione sua quam filii lucis*, ita intelligendum est, quia qui erant filii sæculi quondam, id est, gentiles, nunc electi sunt Dei: et qui erant filii Dei, hoc est Judæi, nunc in filiis sæculi sunt relicti. *In generatione sua.* Qua renati sunt, non qua nati sunt. *Scribantur hæc*, inquit, *in generatione altera* (*Ps.* CI). Altera hæc est *generatio quærentium Dominum* (*Psal.* XXIII). Deus autem scientiæ et illuminationis illuminet corda vestra, et totam scientiæ suæ plenitudinem in vestræ mentis infundat arcanum.

[a] SERMO CXXVII.

De decollatione D. Joannis Baptistæ.

Hodie nobis Joannis virtus, Herodis feritas dum refertur, concussa sunt viscera, corda tremuerunt, caligavit visus, intellectus hebuit, aufugit auditus. Aut quid constat in sensibus humanis, quando perdidit virtutum magnitudinem criminum magnitudo? *Herodes*, inquit, *tenuit Joannem et alligavit eum, et posuit in carcere* (*Matth.* XIV). Joannes virtutum schola, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma justitiæ, virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina; Joannes major homine, par angelis, legis summa, Evangelii sanctio, apostolorum vox, silentium prophetarum, lucerna mundi, præco judicis, præcursor Christi, [b] metator Domini, Dei testis, totius [c] medius Trinitatis, [d] datur incestæ, traditur adulteræ, addicitur saltatrici. Merito ergo concussa sunt viscera, corda tremuerunt. At Herodes ipse est qui profanavit templum, sacerdotium sustulit, confudit ordinem, temeravit regnum, corrupit quidquid erat religionis; quod vitæ, quod legis, quod morum, quod fidei, quod disciplinæ, perdidit et confudit. [e] Herodes sicarius in cives, in nobiles latro, populator in socios, in domesticos prædo, interemptor plebis, occisor filiorum, homicida in extraneos, in proprios parricida, inebrians cruore terram, in siti sanguinis permanebat. Hinc est quod Joannis sanguinem pium ingenti poculo crudelitatis absorbuit: sed ipsa lectio jam loquatur. *Herodes*, inquit, *tenuit Joannem, et alligavit eum.* Qui vincula solverat peccatorum, peccatoris vinculis alligatur, ut vincta venia locum veniæ non relinquat. *Alligavit eum et posuit in carcere.* Herodes, tu [f] adulterium facis, et in carcerem vadit Joannes? Sic judicas sedens in loco judicis reus, in loco vindicis innocentiæ persecutor? Rogo ubi rerum facies? ubi fama? ubi pudor? ubi existimatio publici cognitoris? certe ubi Deus? ubi homo? ubi fas? ubi lex? ubi ipsius jura naturæ? Simul omnia sunt, Herodes, te agente, te judicante, te jubente confusa. *Tenuit*, inquit, *Joannem, et alligavit eum, et posuit in carcere.* Herodes, te causa petit, te arguunt vincula, te carcer accusat, te divulgat producta in publicum Joannis injuria: causam custodiæ qui requirit, invenit in te quod puniat, et in Joanne quod doleat. Joannes orbi notus, fama virtutis cognitus, celebratissimus sanctitate, dum trahit ad se suæ inquisitores injuriæ, facit ut tuus cunctis innotescat incestus; [g] agit ut te habeat confusio publica, quem corrigere non potuit secreta correctio. Herodem Joannes monitis, non accusatione pulsabat; corrigere voluit, non perire: sed Herodes facibus libidinis ardens perire maluit quam redire, et uxorem fratris illicite possidere. Captivis criminum, innocentiæ inimicis odiosa fit semper libertas, virtus contraria vitiosis, sacrilegis exosa sanctitas, inimica castitas impudicis, corruptis integritas pœna, luxuriosis adversa frugalitas, crudelibus misericordia, pietas impiis, injustis justitia non ferenda. Probat hoc evangelista cum dicit: *Dicebat enim illi Joannes, non licet tibi habere uxorem Philippi fratris tui.* Ecce unde Joannes [h] offendit, ecce unde Herodes furit: malos qui monet, offendit; incurrit odium, qui arguit criminosos. Dicebat Joannes quod erat legis, quod justitiæ, quod salutis; certe quod erat non odii, sed amoris: ecce qualem consecutus est ab impio pro pie-

[a] Vide quæ in præfatione annotantur.

[b] Præcursor Domini vel prænuntius. Alibi de metatoribus nonnulla.

[c] Medius, id est nuntius Trinitatis, explicat Mita: quia eo mediante, dum Christus baptizatur in Jordane, tota Trinitas innotuit; Pater loquens, Filius testimonium recipiens, Spiritus sanctus sub specie columbæ descendens.

[d] Quod omnes editiones peccaverant, *datur incestui*, emendavit Latinius.

[e] Herodes ille, cujus facinora enumerat Auctor, fuit Herodes cognomento *Magnus*, et alter ab eo fuit Herodes ille qui Baptistam capite minui jussit. Is enim erat Herodis Magni filius ex Malthace Samaritana, Antipas dictus, Galileæ tetrarcha, cui adhæserat Herodias, Aristobuli filia, et Herodis Philippi ejus fratris quondam uxor. Absit autem quod doctissimum Chrysologum tam latæ ignorantiæ accusemus; fortasse enim se populi vulgique mentibus accommodavit, in quibus statim ac insonat nomen *Herodis*, illius crudelis impiique tyranni imago excitatur.

[f] Credunt nonnulli (inter quos, et Nostrum annumerandum esse ex his patet) Herodem Philippum, etiam in vivis degere, dum uxor ejus Herodias nupsit Herodi Antipæ.

[g] In Herode accedebat adulterio crimen incestus, ex lege Moysis, qui uxorem fratris habere vetuerat: uno dumtaxat excepto casu, si maritus mortuus fuisset illiberis. Maritus autem Herodiadis, quo tempore eam duxit Antipas, vivebat adhuc; et ex ea acceperat filiam Salomem saltatricem, cujus mentio in Evangelio. Ulterius Herodias nedum Philippi Herodis Antipæ, licet non ejusdem uteri fratris, uxor fuerat; sed filia Aristobuli, quem Herodes Magnus genuerat ex Marianne, Hircani filia, ex stirpe Asmoneorum. Vetita autem erant ex lege connubia, non tantum cum uxore fratris, sed et cum fratris filia; Levit. XVIII, 14, ex multorum cordatiorum interpretum sententia, quamvis res difficultate non careat.

[h] Aliæ editiones, *incurrit*.

tate mercedem. *Volens*, inquit, *occidere eum, timuit populum.* Facile deviat a justitia, qui in causis non Deum, sed homines pertimescit. Hic timor peccandi facultatem differre potest, auferre non potest voluntatem : unde etiam quos suspenderit a crimine, avidiores reddit ad crimen, et æstuat animo quousque perficiat, quod cogitat malum. Solus est Dei timor, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam servat, perpetem tribuit facultatem. Sed audiamus ipsam Joannis beatissimi passionem. *Die natalis Herodis saltavit Herodiadis filia in medio triclinio, et placuit Herodi : unde jurejurando pollicitus est dare ei quodcumque postulasset ab eo. At illa præmonita a matre sua, da mihi, inquit, hic in disco caput Joannis Baptistæ.* Hæc est mulieris antiqua malitia, quæ Adam ejecit de paradisi deliciis (*Gen.* III) ; hæc cœlestes homines fecit esse terrenos, hæc humanum genus misit in infernum, hæc vitam abstulit mundo propter unius arboris pomum. Hoc malum quod homines ducit ad mortem, hoc malum fugit Elias propheta (III *Reg.* XIX) ; et cujus lingua [a] clavis facta est cœli, tamquam reus fugit a facie mulieris; hæc invenit verum laborem et pressuram, quæ nunc occidit Joannem Baptistam, dejicit pueritiam, perdit juventutem, illicit et inquietat emortuam senectutem. *Præmonita a matre sua, Da mihi, inquit, in disco caput Joannis Baptistæ.* De matris pectore dans rugitum [b] nova bellua, contempta corporis præda, caput ipsum truncatura pervadit. *Et contristatus est rex, propter jusjurandum tamen, et propter discumbentes jussit dari, misitque decollari Joannem, et allatum est caput ejus in disco, et datum est puellæ, et puella dedit matri suæ.* Audistis, fratres, quanta sit nata de voluptate crudelitas, de libidine impietas. *Et allatum est caput ejus in disco.* [c] In arenam vertitur domus, mensa migrat in caveam ; fiunt de pransoribus spectatores, furore mutatur convivium ; fit cibus cædes, vinum transit in sanguinem, finis apponitur natali ; in ortu exhibetur occasus, convivium in homicidium commutatur, organa [d] tragœdiam personant sæcularem ; intrat bestia, non puella ; quærit amputare, non saltare ; discurrit fera, non femina ; spargit jubas [e] per cervicem, non capillos ; membra dilatat anfractibus, sævitiæ crescit augmentis ; fit grandis crudelitate, non corpore ; et singularis fera usque dum capiat prædam, fremit ore, dentibus frendit ; ferrum non suscipit, sed producit. Verum ne quis existimet declamare nos velle de talibus, nos non declamare volumus, sed clamare, ut festivitatum gaudia sint cauta vestrarum, [f] natalium-que vestrorum solemnitas teneat in exsultatione mensuram, epulis nostris intersit Christus, in facie prandeatur auctoris ; honestate convivii natura ipsa, quæ vos produxit, honoretur ; lætitia mensæ vestræ pertingat ad pauperes, familia vestra innocentiæ tripudiet disciplina, [g] luxus absistat, fugetur effusio ; saltatricum pestis, lenocinia cantorum, voluptatum fomenta, ventris onera, naufragia [h] mentium cum Herodiadis conviviis abscindantur ; ut præsens gaudium vestrum ad lætitiam perveniat sempiternam. Hodie, fratres, sermonem tulimus, non in Herodem tantum, sed etiam in Herodiadem ; quia satis auditor intelligit quanta sit felicitas martyris, quando miseriam persecutoris audierit : scire tamen nos convenit quia et Joannes de morte sua natus est, et de natali suo mortuus est Herodes.

[i] SERMO CXXVIII.

In divum Apollinarem episcopum et martyrem.

[i] Beatus Apollinaris, primus sacerdotio, solus

[a] Ignem enim e cœlo evocavit Elias, pluviaque e nubibus suo nutu descendit, deciduisque ex aere flammis Dei hostes absumpsit. Chrysostomus, lib. III de Provid. cap. 12 vocat eum *cœlestem animam, qui sic in terra versabatur, ut simul in cœlo esset.*

[b] Atheneus, lib. XIII Dipnos. pag. 414 : *Ex belluis omnibus meretrice nulla perniciosior;* et parum supra : *Thebanam sphingem omnes vocare meretrices possumus.* Ex Mita.

[c] Laudat hunc Chrysologi locum, et illustrat Pignorius de Servis.

[d] Sæcularis dicitur, quod centesimo quoque anno fiebat. In tragicis hisce ludis præco prænuntiabat : Populum Romanum eos visurum esse ludos, quo nemo ejus ætatis umquam vidisset, aut visurus esset posthac. Plinius, lib. VII cap. 48. Sic Joannis Baptistæ decollatio tragœdia sæcularis fuit, quia nemo umquam illius ætatis viderat, nec erat visurus in posterum. MITA. —Ludi sæculares, non centesimo quoque anno Romæ fiebant ; sed ita nuncupabantur, quod quæ rara sunt, post sæculum evenire, loquentium consuetudo usurpat. Ovid. Trist. II, 25 :

> Jusserat, et Phœbo dici, quo tempore ludos
> Fecit, quos ætas aspicit una semel.

Chrysologus mortem Joannis vocat *tragœdiam ;* in tragœdia enim, non mediocris conditionis hominum, sed illustrium personarum funesti exitus habentur ; *sæcularem* dicit veluti inauditam et insolitam.

[e] Alias, *per verticem.*

[f] Dies ab antiquis solemniter celebrati numerantur a Gregorio Nazianzeno, orat. 40. Inter eos præcipuus erat dies natalitius, seu γενέθλια, qui optimo magnificoque cultu festus erat.

[g] Nequitiæ irritamenta, quæ olim in convivio usu venerant, perstringit Chrysologus. Cantores a conviviis arcebantur lege, cujus meminit Paulus Diaconus, lib. I de Theodosio : remque tangit Macrobius, lib. III Saturnal., cap. 1. Excisa tamen luxuria hæc, quæ, teste Augustino, lib. III de Civit. cap. 21 pag. 63, ex Asia Romam commigraverat, per vices pullulare non desiit, teste, ut vides, Chrysologo. Cæterum similia his habet Sidonius Apollinaris, Epist. lib. I ep. 2, ubi laudat convivia Theodorici regis : *Nullus ibi lyristes, choraulus, mesochorus, tympanistria, psaltria canit*, etc. De mesochoris vide Plinium Epist. lib. II ad Maximum.

[h] Alias, *mentis.* Non poterant aptiori vocabulo ebrietates et ebrietatum effectus innui. Vide Hilarium, tract. in psalm. CXXV pag. 459, qui ait *in ebrio mortem quamdam, natura incolumi, imperare.* Basilius, in psalm. CXXXIV, vocat ebrietatem *rationis perniciem.* Idem multa habet dignissima quæ legantur orat. 14 pag. 489.

[i] Primitus in Ecclesia acta gestaque martyrum legebantur inter missarum preces in confessionibus. *Præfationes* vocant ; de quibus intelligendus est locus Hildui i abbatis Dionysiani, in epistola Areopagiticis præfixa, ad Ludovicum Pium imperatorem, ubi ait inter celebrandum *tormenta martyrum succincte commemorari.* At cum hujusmodi acta, ut plurimum, ita referrentur, ut vix a populo possent exaudiri et percipi, mos fuit episcopis fusius de iisdem disserere.

[i] Fuit hic primus Ravennatum episcopus quem

[a] hanc Ecclesiam Ravennatem vernaculo [b] atque inclyto martyrii honore decoravit. [c] Merito Apollinaris, quia juxta mandatum Dei sui, hic perdidit animam suam, ut eam inveniret in vitam sempiternam. Beatus qui ita cursum consummavit, fidem servavit, ut vere primus a credentibus suo reperiretur in loco. Nec eum quisquam [d] confessoris vocabulo minorem credat esse quam martyrem, quem Dei nutu quotidianum et multiplicem reversum conspicit [e] ad agonem. Audi Paulum dicentem : *Quotidie morior* (I *Cor.* xv). Semel mori parum est eum qui potest regi suo gloriosam sæpe de hostibus referre victoriam. Non tam mors quam fides et devotio martyrem facit, et sicut virtutis est in acie, in conflictu, [f] pro regis amore succumbere, ita perfectæ virtutis est diu agere et consummare certamina. Non ideo persecutus est martyrem, quia non statim intulit mortem ; sed probavit martyrem, quia non elicuit fidem ; injecit tela quæ potuit, et omnia armorum suorum genera callidus exegit inimicus : nec tamen fortissimi ductoris movere mentem potuit, aut temerare constantiam. Summum est, fratres, pro Domino præsentem vitam, si necesse sit, contemnere, sed gloriosum est etiam cum vita mundum suo temnere et conculcare cum principe. Festinabat Christus ad martyrem, martyr suum festinabat ad regem. Bene diximus festinabat, juxta illud prophetæ : *Exsurge in occursum mihi, et vide* (*Ps.* LVIII). Sed ut propugnatorem suum sibi Ecclesia sancta retineret, Christo vehementer occurrit, ut vincenti justitiæ reservaret coronam, et sibi belli tempore præliatoris sui præsentiam condonaret. Fundebat sæpe confessor sanguinem suum, suisque vulneribus, fide mentis suæ, testabatur auctorem. Cœlum suspiciens carnem [g] despiciebat et terram. Vicit tamen, tenuit, et a suo desiderio retardari martyrem tenera adhuc [h] Ecclesiæ impetravit infantia. Infantiam dico, fratres, quæ totum semper obtinet, quæ plus lacrymis quam virium ratione contendit. Neque enim tantum vultus et sudor fortium quantum possunt lacrymæ parvulorum, quia ibi corpora, hic corda franguntur ; ibi mentis judicia vix moventur, hic tota pietas inclinata descendit. Et quid plura, fratres ? Egit, egit Ecclesia sancta mater, ut nusquam a suo separaretur antistite. Ecce vivit, ecce ut bonus pastor suo medius assistit in grege, nec unquam separatur spiritus, qui corpore præcessit ad tempus ; præcessit dico habitu, cæterum ipsa [i] inter nos corporis sui habitatione quiescit. Exstinctus est diabolus, persecutor oc-

S. Petri discipulum fuisse tradunt. Plura de eo habes apud claris. Bacchinium Vitæ Pontif. Raven. ex Agnello tom. I pag. 128. Vide Martyrologium Florentin., pag. 667 ; Surium sub die 23 Julii pag. 275 ; Bollandistas tom. IV Julii die 23 pag. 341 ; Tillemontium tom. II pag. 102 ; Bailletum eadem die. Alia de eo Martyrologium Adonis tom. II pag. 349, et doctiss. Georgium in notis. Clar. P. Sabbatinius, in kalendario Neapolitano, observat referri a Gregorio papa lib. VI epist. 61 ad Castorium, in fine pag. 538, Ravennates religioni duxisse quidquid supra corpus S. Apollinaris promiserant non observare : quæ autem de sancto hoc narrat Chrysologus, ideo veris accensenda existimat Honoratus a S. Maria in Regul. Critic. tom. II pag. 66, eo quod sapientes viri ad correctionem Breviarii Ecclesiæ Parisiensis electi, ab eo homiliam hanc expungere nefas habuere. Quam solide nitatur argumentum, alii videant.

[a] Ex quo desumitur, usque ad Chrysologi tempora nullum ex Ravenn. Ecclesiæ archiepiscopis subiisse martyrium præter divum Apollinarem : quod illos de mendacio utique arguit, qui asseruerunt ex quibusdam mss. habuisse S. Martianum, quartum in ordine archiepiscoporum Ravennatum, martyrio coronatum fuisse ; de quo Rubeus, lib. I Hist. Raven, sub anno 127 meminit ; non tamen hoc ipsum affirmat, sed omnino negasset si præsentem sermonem considerasset. MITA. — Ex iis Nostri verbis eruit etiam Fabrus, et Henschenius in Act. SS. Maii 22 tom. V pag. 127 edit. Antuerp. 1685, divum Martianum, cujus memoria agitur die 6 Martii, et qui sub Trajano martyrio coronatus occubuit, alium fuisse a Marciano Ravennatum antistite ; quorum ambo Rubeus nominis similitudine deceptus in unum conflavit. Hæc etiam asserit Pet. Damianus serm. 32 de sancto Apollin. n. 3, pag. 222, licet sexcentis post Chrysologum annis.

[b] Id est *domi perpessio*. Sic Prudentius præfat. in Psychomach. Vide locum laudatum apud Barthium Advers. lib. XXIX, cap. 9.

[c] Fortasse etymologiam nominis respicit : Ἀπόλλου, *perdo*.

[d] Num martyr dici possit Apollinaris vide Bollandianos loc. cit. pag. 541 num. 76. Insigni hoc titulo decoratur a Gregorio Magno lib. V epist. 22. In litaniis ævo Caroli M. apud Mabillon., Analect. tom. II pag. 683, inter martyres invocatur post Timotheum, ni forte, ut advertit Georgius ad Adonem loc. cit., sint Remenses martyres Timotheus et Apollinaris : in aliis item litaniis apud Martenium de Antiq. Discipl. pag. 630 recensetur inter martyres post Protasium. At apud Chrysologum hic, et in litaniis apud Thomasium, de Antiquis Missarum Libris, accensetur confessoribus post S. Benedictum. At licet mortem gladio non subierit, quia tamen sanguinem fudit, et martyrii desiderio exarsit, hujusmodi titulo donari posse existimant.

[e] D. Apollinaris, ut pluries fuit exsilio mulctatus et cæsus ; habet S. Petrus Damianus in sermonibus de eodem, et Rubeus lib. I Histor. Raven.

[f] Sic editio Bonon. et mss. et ita legit Latinius ; reliquæ omnes, *pro re amata*.

[g] Alias, *contemnebat*.

[h] Fuit namque martyrio coronatus anno Dom. 74, et præfuit Ecclesiæ Ravennati undetriginta. MITA. — Intelligendus est autem de numero pleno, nam annos sedisse 28 mens. 1, dies 4 habemus ex Agnelli Pontific., qui nullatenus suffragatur opinioni mortem Apollinaris ad annum 74 consignanti. Tradit enim Apollinarem, cum Petro apostolo Romam venisse, ab eoque post *plurimum tempus* ordinatum episcopum, et Ravennam missum. Cum autem Petrus Romam venerit anno æræ vulgaris 43, si Apollinaris, qui sedit ann. 28, obierit anno 74, missus fuerit necesse est anno 2 pontificatus Petri. Id non consentit Agnellus, qui post plurimum tempus ab adventu Petri Romam, Ravennam missum fuisse scribit. Cum autem ex severioribus tabulis Vespasianum mortuum sciamus anno Christi vulgari 79, martyrium Apollinaris ultra illum annum differre, ut facit Rubeus, nefas ait Bacchinius, pag. 135, putatque rectius statui divi Apollinaris obitum circa annum mortis Vespasiani : qui tamen, cum defunctus fuerit ex Suetonio VIII kal. Julii, mors Apollinaris non potuit accidisse, nisi anno præcedenti. *Qua chronologiæ ratione admissa*, concludit Bacchinius, *initium pontificatus Apollinaris retrocedendo affigetur, servata die qua natale ejusdem in omnibus Martyrologiis signatur* 23 *Julii, anno vulgaris æræ* 50, *die vero* 19 *Junii*.

[i] Sepultus enim fuit Ravennæ, ait Mita.

cubuit : ecce regnat et vivit, qui pro rege suo desideravit occidi, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæculorum sæcula.

[a] SERMO CXXIX.

In D. Cyprianum martyrem.

Quoniam hodie Deo in natali sancti Cypriani martyris convenimus, in quo miro certamine de diabolo triumphavit, et quia nobis virtutum suarum gloriosum reliquit exemplum; ideo exsultare nos convenit et lætari. [b] Natalem ergo sanctorum cum auditis, charissimi, nolite putare illum dici quo nascuntur in terram de carne, sed de terra in cœlum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias, non fluxas, sed fortes, et stabiles et æternas, de mundanis risibus ad coronam et gloriam. Tales natales digne martyrum celebrantur. Cum ergo hujusmodi festivitas agitur, noli æstimare, charissime, quod in solis prandiis et [c] profusioribus epulis natales martyrum celebrentur : sed imitandum tibi proponitur quod in memoria martyris celebras. Aspice ergo, charissime, alacritatem populi circumstantis. In hac enim die aliquando turba astitit impiorum, cum sanctus Cyprianus jussu tyranni feriretur, turbæ erant malorum, exspectantium chori; nunc multitudo fidelium ad collætandum devota confluxit : tunc turba sævientium, nunc exsultantium; tunc desperatorum, nunc sperantium. Idcirco ergo natales martyrum annua lætitia celebrantur, ut quod semel actum est, per omne ævum in memoria maneat devotorum. Gesta res est, charissime, ne te diceres ignorare; celebrantur annua, ne dicas, oblitus sum. Ad hæc ergo imitanda vos animate, charissimi, hanc magnanimitatis gratiam concupiscite; hoc petite dari vobis, quod ille meruit adipisci. Omnes enim cœlestia cupientes terrenorum bonorum laqueis irretiri non possunt, quia conversationem suam in cœlestibus statuerunt : sicut ait sanctus Apostolus : *Nostra autem conversatio in cœlis* (*Phil.* III). Dirigatur ergo cordis nostri desiderium ad habitationem cœlestem, ubi cum dispersus fuerit pauperibus thesaurus vester, illic erit et cor vestrum. Thesaurus autem bonorum omnium Christus est, qui vos cum Patre et Filio et Spiritu sancto donis cœlestibus, et nunc, et in æternum cumulare et replere dignetur.

[d] SERMO CXXX.

In consecratione episcopi.

Sicut magnæ promissionis longa exspectatio accendit animum, mentem fatigat, ita sensus omnes, et interna ipse viscerum suscitat optatus promissionis effectus. Hinc est quod hodie, sicut dixit Isaias (*Isai.* LII), Ecclesia mater sancta festiva, tota gaudens et compta processit, induit se tunicam jucunditatis suæ; et sicut sponsa imposuit [e] sibi mitram, ac vario se composuit et decoravit ornatu, ut cœlum stellis fulget luminibus, et terra vernat floribus suis; et ut hortus producit germina sua, ita produxit lætitia in conspectu omnium filiorum suorum. Quia juxta pollicitationem David : Hodie pro patre natus est ei filius (*Psal.* XLIV), qui eam non pondere inclinet, non auctoritate deterreat, non commotione sollicitet, non asperitate conturbet, sed fideli sustentet obsequio; cura pervigili faciat persecutam, sollicito labore necessaria procuret, familiam blanda institutione componat, hospitibus occurrat, parentibus serviat, regibus obtemperet, potestatibus collaboret, det senibus reverentiam, pueris gratiam, fratribus amorem, parvulis impendat affectum, liberam per Christum cunctis exhibeat servitutem. David dixit : *Audi, filia, et vide* (*Psal.* XLIV). Ego dicam : Audi, mater, et vide, *pro patribus tuis nati sunt tibi filii*. Sint prudentia senes, gravitate patres, charitate filii, virtute juvenes, dulcedine soboles, innocentia infantes, malitia parvuli, quæ mundi sunt nescientes : totam regni Dei præsentiam

[a] Vide quæ in præfatione annotata sunt.

[b] Laudat verba hæc Binghamus, tom. IX; Orig. pag. 134, ut evincat usitatum jamdudum fuisse Ecclesiæ stylum, diem martyrii *natalem* martyris vocitare; et Du-Cangius tom. II pag. 808, in fine. Similia habet Chrysostomus hom. 129; Origenes, vel vetustus auctor, sub ejus nomine in Job tom. I lib. III pag. 274 edit. Paris. 1604, et fere eadem Eusebius Emissenus de natal. S. Genesii, Biblioth. PP. tom. I edit. Lugdun. pag. 670; Augustinus, tom. X, serm. 95 de S. Stephano, fol. 567 col. 1; Maximus in natali SS. Petri et Pauli. tom. VI Biblioth. PP.; et rursus Chrysologus serm. 133.

[c] Martyrum dies emortuales quos, ut dixi, Ecclesia natales vocat, solemniter celebrari veteribus Christianis mos fuit. Priscis temporibus in hujusmodi dierum honorem convivia celebrabant, *agape* nuncupata, et diversa ab agapis illis, apostolis cognita. Cum autem ob consuetam hominum in malum propensam naturam, immodicis comessationibus et ebrietatibus fœdari cœpissent, et inde Manichæi calumniandi fideles occasionem arriperent, piorum hominum consensu eliminata fuere.

[d] Sermo hic in nonnullis codicibus inscribitur : *In consecratione episcopi*. Festum enim consecrationis suæ quotannis celebrabant episcopi, sicuti imperatores natale, seu ortum imperii. L. II Cod. Theod. de Feriis. In utrisque autem panegyricos dici solere ostendunt, quoad principes, ii qui in quinquennalibus vel decennalibus imperatorum dicti sunt; et quoad episcopos sermo hic, et alter inter Chrysologianos 107, et unus Ennodii in natali Laurentii Mediolanensis episcopi, alterque ejusdem in natali Epiphanii episcopi. Anastasius Paulinum Nolanum ad consecrationis suæ solemnitatem litteris amantissimis invitavit eodem teste Paulino lib. XVI; Ambrosius lib. I cap. 5, ad Felicem episcopum Comensem ait, natalem ejusdem orationibus celebrasse. Et Hilarius scribens ad episcopos Tarraconensis Ecclesiæ inquit : *Lectis in conventu fratrum, quos natalis mei festivitas congregavit, litteris tuis*. Ni fallamur animi moris hujus inventor Damasus, qui anno 360 sedere cœpit. Vide Basnagium Ann. tom. III pag. 518. At hunc sermonem quod respicit, fere omnium qui de Chrysologo scripserunt mens est, ab eo fuisse recitatum Ravennæ, non suæ consecrationis recurrente die, sed in ipsa consecrationis solemnitate. Rubeus Histor. Raven. lib. II, anno 449; Mita in ejus Vita; Bacchinius ad Agnellum tom. I pag. 315; Pastritius, de Patena, etc., pag. 98, etc.

[e] Quia tres episcopi mitra fulgentes consecrant alium episcopum ex dispositione Anacleti papæ. MITA. —Fortasse Chrysologus inter sponsæ ornatus *mitræ* meminit, ut Onuphrius in calce libri de Vocibus Ecclesiasticis obscurioribus. Ovid. Heroid. IX, 63 :

Ausus et hirsutos mitra redimire capillos.

possidentes, attestante Domino, cum dicit: *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum* (*Matth.* XIX). Tales generat perpetuæ virginitatis copula, tales generat cœlestis vitæ conjunctio, sexus nescia, conceptus conscia, gnara partus, corruptionis ignara, pudore integra, integritate clausa, casta pignoribus, fecunditate diffusa. Hæc tam pia mater dum unius germinis sui hodie [a] natalitia festa celebrat, sinus aperit, extendit amplexus, emittit vocem, divinis cantat [b] in canticis, ut omnes advocet, omnes capiat, omnes ad congaudendum sibi gremio charitatis includat. [c] Adest ipsa etiam mater Christiani perennis et fidelis imperii, quæ dum fide, opere misericordiæ, sanctitate [d] in honore Trinitatis beatam sectatur et imitatur Ecclesiam, procreare, amplecti, possidere, [e] augustam meruit Trinitatem. Sic remunerat Trinitas in sui amore et ardore ferventes, ista meruit ut daret sibi honorem, gauderet quod sibi fecit [f] Dei gratia religionem consimilem. Ista meruit ut [g] genitricis dignitas per genitricem redundaret in posteros. Orate, fratres, ut Christiani principes, quia pia devotione dignantur nostris occurrere gaudiis, nostris solemnitatibus interesse, ipsos quoque pari gratia omnium sacerdotum longo in tempore obsecratio devota commendet.

[h] SERMO CXXXI.

De Deo, ut videatur; de livore et pertinacia Judæorum, deque hominis morte.

Sæpe diximus quod Deus corporeis oculis non videtur, quod divinitas non clauditur mente carnali, quod humana ratio rerum non capit conditorem, sed Deum sola fides attingit, credulitas sentit tota, nec quantus est, sed quia est, hominis, quantuscumque est, intuetur aspectus. Denique Moyses, qui de servo in amicum, de homine promovetur in Deum, Dei faciem quærit, sed non invenit; petit, sed non accipit; et ut posteriora tantum Dei videat, admonetur (*Exod.* XXXIII) : quatenus homo Deum quærat sequi, non præcedere; neque ante Deum quæ sint quærere præsumat; sed quod per Deum sint omnia adorator agnoscat. Crebro Deus hominibus formam hominis demonstrat, et magnitudinem suam tantam, brevem nostri operis colligit in figuram, ut præsentiam divinam possit infirmus noster oculus intueri, angustus noster recipere possit aspectus. Sic ad Abraham Deus venit in hominis forma, succedit hospitis in figura, et lassi viatoris in mortem accepit pedibus suis aquam (*Gen.* XVIII); sed et invitatus ad mensam vituli et panis appositione saturatur : et ita se totus humano credit et committit obsequio, ut ipso tactu, visu, verum hominem videatur explere, et hoc eo tempore quo verus Deus sterilitati extremæ senis desperatæ patefactis visceribus in partum sobolem largiturus advenit. Sic Jacob vianti conviator occurrit (*Gen.* XXXII), et ita se humano collegio socium præbet, ut provocanti homini Deus totus in luctam inseratur, et tunc videbatur nervis aut lacertis vincere, quando victor cœlestia dat dona, munera dat divina. Sic Isaias Deum regali habitu sedere conspexit (*Isai.* XVI), ut agnosceret nisi a Deo rege regantur reges, ipsos cum sint homines, nihil regere posse rectores. Sic Daniel Deum Patrem, crine niveo, senectute reverenda, antiquitate terribilem, septum angelis, ignitum sede, ad judicandum residere conspicit (*Dan.* VII). Sic ipsum Filium Dei in hominis filio venientem cum cœli nubibus intuetur, [i] ut ignotum

[a] Natalem intellige, non vitæ sed cathedræ.

[b] Ms. Cæsenæ habet *clamat*.

[c] Mita opinatur, nec male, huic sermoni adfuisse Gallam Placidiam, Theodosii imp. filiam, et Arcadii et Honorii sororem. Habemus enim ex Rubeo in Historia Ravennatum, Valentinianum imp. præsentia sua hanc decorasse solemnitatem. Ex quo eruit idem Mita, his verbis debere alia præcedere, ipsum Cæsarem commemorantia, quod et arguit a particula *etiam*, quæ necessario aliquibus verbis conjungenda esset, quæ hic desiderantur : et liquido patet, inquit, ex fine serm., ubi Auctor rogat sacerdotes pro Christianis principibus orare, qui suis interfuere solemnitatibus.

[d] Cum Chrysologi consecratio die Dominica habita fuerit in qua præfatio Trinitatis cani solet : « Et quoniam Augusta, quolibet die dominico, in quibus præfatio de sanctissima Trinitate cantabatur, sacris intererat, ideo, ait Mita, sectatur et imitatur Ecclesiam. » An potius tribus virtutibus, fide, misericordia, et sanctitate Trinitatem honorando, beatam imitabatur Ecclesiam?

[e] Obscurum locum ita explicat Mita. Placidia igitur procreasse augustam Trinitatem fertur, quia fuit trium imperatorum procreatrix. Etenim ipsius causa Constantius olim exercituum ductor, jam ipsius maritus factus, paulo post *Augustus* ab Honorio declaratur. Secundo loco ipsa procreavit filium Valentinianum, a Theodosio Juniore appellatum Cæsarem, et septimo ætatis anno *Augustum*. Tertio tandem se ipsam quodammodo creavit *Augustam*, cum Honorius, ne sororem præter dignitatem Constantio collocasse diceretur, et Constantium ipsum et eamdem Placidiam *Augustos* appellavit. Verum, ut ait Bacchinius ad Agnelli Pontific., tom. I, p. 315, nec ob Placidiæ merita Constantius Augustus creatus est, sed ob propria. Sozomenus lib. IX cap. 16 : *Constantium imperator præmii loco tum sorore, tum corona, tum purpura, tum imperii consortio honoravit.* Quare non potuit dici hunc Augustum a Galla Placidia fuisse procreatum. Sed nec ipsa Augusta renuntiata est, nisi cum Valentinianus declaratus est Cæsar. Igitur Chrysologus, juxta verborum proprietatem interpretandus est : scilicet, triplici modo ad Augustalem dignitatem referri potest, quod Placidia Augustam meruit Trinitatem *procreare*, Valentinianum pariens; *amplecti*, Constantii nuptiis; *possidere*, Augustæ honores assecuta.

[f] Putat idem Mita innui his verbis, Placidiæ obtigisse in virum Constantium catholicæ religionis aseclam, sibique consimilem, cum antea copulata fuerit Ataulpho regi barbaro, et si non pagano, saltem Arianæ hæresis sectatori. Nonnullæ editiones habent : *Quod sibi fecit ei de gratia religionem consimilem.*

[g] Meo sensu legendum esset vel genitoris dignitas, vel Augustalis dignitas. Siquidem per Placidiam dignitas Augustalis redundavit in posteros, hoc est in filios ac nepotes, ab ipsa et Constantio viro procreatos : et hæc dignitas Augustalis processit a Theodosio Cæsare, ipsius Placidiæ genitore, per quam in posteros memoratos exinde reflexit. MITA.

[h] Sermo hic alias inscribitur : *In illud Joannis : Si quis sermonem meum servaverit.*

[i] Hic suspicandum an genuina sit lectio, inquit Latinius.

ante tantis perfidis Christum, fidelibus notum semper fuisse cognoscat. Si toties Deus ab hominibus in figura hominis videtur, quid est quod Judæus modo hominem videns Christum, sic exasperatur, nisi forte figura, honor, veritas, putatur injuria? Retulit evangelista hodie Christum dixisse : *Si quis sermonem meum servaverit, non videbit mortem in æternum* (*Joan.* VIII). Ad quod verbum responderunt Judæi : *Nunc cognovimus quia dæmonium habes : Abraham pater noster mortuus est et prophetæ; et tu dicis : Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum. Numquid tu major es patre nostro Abraham? Quem teipsum facis?* Omnes perfidia qualiter excepit! o qualiter oculos claudit livor! quantum judicium cordis nequitia præjudicata confundit! o quam dure amputat obstinatio rationem! sensus humanus perversus audire non potest, quod semel statuit odisse, malis bonitas exosa, justitia injustis inimica. Hinc est quod homines mendaces cognoscere nequeunt veritatem, judex animus invenire verum non potest inter nuntia [a] falsitatum. Quod vult, non quod est, audit semper, qui decrevit errare. Dixerat Christus : *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Judæus non discutit audita, interpretari sibi dicta non quærit : quod ipse impossibile æstimat, exigit ut ille astruat qui promittit; sed mox de conceptu mentis blasphemiam parturit, serit injurias, maledicta diffundit, et auctoritatem dicentis ita contumeliis vacuare nititur, ut et æterna dare posse mortalibus non credatur, qui sic humanis videtur subjacere. *Nunc scimus quoniam dæmonium habes.* Dæmon mali auctor, mala promittit, non bona; occidere, non vivificare consuevit; nec vult æternos esse homines, quos nec temporales esse permittit. Ergo non est dæmon, [b] sed Deus est Christus, qui redonat quam donaverat vitam, et verbo suo æternos facit homines, quos diabolus persuasione sua fecerat temporales. *Abraham*, inquit, *mortuus est et prophetæ, et tu dicis : Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Audiat fidelis, ut fide revelante cognoscat quod infidelis nescit audire, quod videre non potest qui semet incredulitatis demersit obscuro. Dixit Christus : *Mortem non videbit.* Obstinatio tua, Judæe, merito dicere falsitatem quærit. Abraham et prophetæ verbum audientes tenaciter servaverunt, sed tamen mortui sunt, sed non in æternum. Ergo cum dicit : *Mortem non videbit*, et addidit *In æternum*, [c] resurrectionem promittit, non temporaliter negat esse morituros. Judæe, quos mors in præsenti sæculo faciebat non esse, nos resurrectio perpetuos reficit in futurum. Audi apertius hoc dicentem : *Omnis qui crediderit, non morietur in æternum, sed transibit de morte ad vitam* (*Joan.* V *et* XI). Quomodo non moritur? Quia de morte transit ad vitam. Moritur ergo, moritur omnis qui nascitur de conditione mortali; sed vivit, et in æternum vivit, omnis qui renascitur de generatione vitali. Sed dico, qui potuit auferre mortem, quare hominem voluit transire per mortem? gratior enim videtur medicus qui anticipat morbos, quam qui morbis ingerit seram et non sine dolore medicinam. Judæe, fecisset et hoc medicus Christus, si medico ægrotus non fuisset ingratus. Ille et vitam dedit, et homini mortem venire prædixit : sed ille qui adversa non senserat, prospera servare nescivit. Bona, quam sint bona, scire, nisi malorum cognitione non possumus. Ergo magnificabitur Christus, qui et ante inhabitam vitam dedit, et perditam modo reddit : et homo plus gnarus vitæ, erit sibi cautior, erit plus gratus auctori. *Numquid major es*, inquit, *patre nostro Abraham?* Plane major et tanto major, quantum servo dominus, quantum Deus homine, quantum factura factor, quantum vivificans mortuo, [d] quantum suscitans suscitato. *Respondit Jesus, Abraham exsultavit ut videret diem meum; vidit, et gavisus est.* Ille, ut ostenderet vivere Abraham, dixit illum vidisse diem suum, id est [e] diem quo mundo natus est Christus. Dierum conditor non tenetur die, temporis auctor tempora nescit; sed Christus propter hominem homo natus, et diem suscepit et tempus. *Abraham exsultavit ut videret diem meum.* Si Moyses et Elias in monte occurrunt, ut promissum conspicerent Christum, quomodo nec Abraham occurrit ad partum Virginis, ut promissam benedictionem in gentibus, id est, in semine suo, patientissimus exspectator intenderet? *Amen, amen*, inquit, *dico vobis quia ante Abraham ego sum. Si omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I), et hic est cui Pater dixit : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I), quomodo Abraham non vidit? *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Angelus et Deus, ut diversa est substantia, sic imago. [f] Ergo non nisi ad Filium loquitur Pater, cum dicit : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, quibus est imago eadem, eademque substantia. *Tulerunt lapides, ut mitterent in illum.* Et ædificantes turrem, ut altius caderent, ipsi sibi lapides providerunt; et isti lapides, non ut Deum occiderent, sed unde se occiderent, miserabiles attulerunt. *Jesus abscondit se.* Non timens, sed ignoscens :

[a] Varians lectio : *Internuntiam falsitatum.*

[b] Ms. Cæsenæ : *Deus ergo Christus est, non est dæmon, qui redonat.*

[c] Lege iis similia apud Augustinum, Tractat in Joan. 43 pag. 425 Oper. tom. III. *Quid sibi vult quod ait : Mortem non videbit in æternum? nisi quia Dominus videbat aliam mortem, de qua nos liberare venerat : mortem secundam, mortem æternam, mortem gehennarum, mortem damnationis*, etc.

[d] Ita emendat Latinius quod habent editi, *suscitando suscitatus.*

[e] Augustinus, loco modo laudato, pag. 427, num. 16... *Incertum autem potest esse unde dixerit : utrum diem Domini temporalem, quo erat venturus in carne, an diem Domini, qui nescit ortum, nescit occasum. Sed ego non dubito patrem Abraham totum scisse.*

[f] S. Barnabas in sua epistola : *loquente Patre ad Filium : Faciamus hominem*, etc. Justinus martyr, dialogo cum Tryphone; Theophilus, lib. II ad Autolyc.; Origenes, lib. II contra Celsum; Eusebius Cæsariens., Histor. Eccles. lib. I cap. 2, etc.

Deus peccatorem cum fugit, parcit; Deus rebellem non vult perdere, cum declinat.

SERMO CXXXII.

De unitate fidelium.

Si perfecta omnia, si robusta, si nullius indiga gigneret et proferret natura, profecto aboleretur pietas, ingenium deficeret, ars periret, aurum obscuraretur in terra, gemma occultaretur in lapide : utraque tamen invenit, purgat, distinguit, elimat opifex disciplina; et ars eadem usque ad murenulæ pretiosæ speciem, gratiamque perducit; et quod terra naturæ largo de fonte producit, aut asperatur sentibus, aut agresti luxuria dominante silvescit, nisi illud ad cultum suum solers agricolæ revocet industria; et ne longius evagemur, uno et vernaculo ea in quibus nitimur afferamus exemplo. In cunabulis jam natus homo in homine est, [a] sed latet; est corpus, et non est; membra videntur, et non sunt; vivunt quæ non vigent sensu; inclinatur pietas, desudat industria, ars laborat; et ut plenius dicam, quot membra hominis, tot magisteria ut hominem perficiant, elaborant. Et quid plura? cuncta quæ natura generat vel producit, pietas nutrit, industria excolit, ars decorat. Et quid mirum, fratres, si Deus, qui pati propter hominem voluit, ut hominis honoraret industriam, in rebus præsentibus infirmari voluit et naturam? Hinc est quod [b] sensus in littera latet, occultatur divinum in humano sermone mysterium; ut quæ credentibus adhuc futura jam patent, perfidis et non credentibus obscurentur, ac si infidelium pœna fidelium redundet ad gloriam. Non enim parvi est cruciatus visa non cernere, audita nescire, salutifera velut noxia declinare, virtutes quasi vitia sic cavere, dicente ipso Domino : *In parabolis loquor, ut videntes non videant, et audientes non audiant* (*Marc.* IV; *Luc.* VIII); et ad fideles : *Vobis autem datum est nosse mysterium Dei* (*Matth.* XIII). Nulli ergo, fratres, simplicitate sua aut communis aut vilis sermo evangelicus habeatur, præsertim cum ipsa [c] personans evangelicæ lectionis tuba bene petentibus et pie cupientibus prædixerit denegandum, dicendo : [d] *Quia si duo ex vobis convenerint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo* (*Matth.* XVIII). Audistis quantum possit et prævaleat sanctæ petitionis assensus : non dixit illud aut illud, sed totum se promittit quidquid unitas postulationis concupierit, præstaturum, cum dicit : *De omni re, quamcumque petierint, fiet illis.* Salva tamen ea cautela et reverentia, ut a Deo, quæ Deo [e] digna sunt, postulentur; qui enim mala a Deo postulat, Deum mali judicat et sentit actorem : et quia vilia et indigna precatur, præstantis potestatem et potentiam degener petitor ignorat. Non ergo impia, sed pia; non terrena, sed cœlestia; non illecebris, sed virtuti congrua; non digna odiis, sed apta concordiæ, a tali semper exoranda sunt largitore. Ubi sunt qui præsumunt Ecclesiæ conventum posse contemni, et solitarias preces venerandæ congregationi autumant anteferri, si duobus vel tribus simul positis [f] medium se futurum, et omnia se promittit quæ postulatus fuerit præstaturum (*Matth.* XVIII)? Qui nil negat tam paucis, quid in conciliis et congregatione sanctorum poscentibus denegabit? Sic credens propheta hoc adeptum se gloriatur cum dicit : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in concilio justorum et congregatione* (*Psal.* CX). Toto corde confitetur, qui totum sibi in concilio sanctorum quod poposcerit, [g] audit esse præstandum. Sed nonnulli sub specie fidei, contemptus sui excusare nituntur ignaviam; ut neglecto venerandi cœtus et congregationis ardore, illud se tempus orationi deputasse confingant, quod domesticis dederint et impenderint curis; et dum propriis desideriis mancipantur, divina contemnunt et despiciunt instituta. Isti sunt qui corpus Christi dissipant, membra dispergunt : nec ad decorem suum patiuntur formam Dominici habitus pervenire, quam propheta cum vidisset in spiritu, sic canebat : *Speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV). Habent quidem singula membra proprium sui munus officii, quod tamen tunc implere poterunt, si connexa sibi et compaginata perfecti corporis perveniant ad decorem. Hoc ergo interest inter congregationis plenitudinem gloriosam, et separationis præsumptam de ignorantia aut negligentia vanitatem; quod in salute et honore integri corporis species est unitas membrorum et in separatione viscerum est fœda, lethalis et horrenda pernicies. Homo, quid aliud te docuit in tuo corpore, aut sic divisa conjunctio, aut tam conjuncta divisio, nisi ut ex multis unus, et unus in multis viveres? Est membrorum commercio salutari pretiosus oculus, sed si perseverat in corpore; alioqui ubi corpori defuerit, sibi non aderit : debent illi membra omnia suæ lucis obsequium; sed et ipse oculus sentit corpori se debere quod lux est, qui utique cum omnibus membris [h] ministerium membrorum provideat, evulsus a corpore nec videt. Quisquis ille est qui se putat esse aliquid, tali institutus exemplo maneat in Ecclesia, ut sit aliquid; alioqui ubi defuerit illi, sibi esse mox definit. Quod qui plenius nosse desiderat, Apostoli de corpore Christi loquentis perlegat instit ta, quia nos illa percurrere sermonis brevitas amica

[a] Imperfectus enim est, et non est completus. Ex Aristotele II et III de Generat. MITA.

[b] Soli homini vitæ cursus in labore præscribitur, ut rationabile quod accepit exerceat. D. Ambrosius optime in præfat. Evangelii Lucæ, prope medium, ubi et congruentiam hujusce rei affert. MITA.

[c] Ex edition. Bonon. 50, et ex Mita. Aliæ, perperam, *cum ipsa præmia evangelicæ lectionis nihil*, etc.

[d] Miris modis hæc verba a Patribus exponuntur, ut est apud Maldonat. in hoc textu Matth. XVIII, 19. MITA.

[e] Jac. IV, 3 : *Petitis, et non accipitis, eo quod male petitis.*

[f] Promissioni huic nititur Ecclesiæ nostræ fides, quæ fidelium cœtibus et conciliis, omnibusque locis, in quibus catholicus grex congregatur, Spiritum sanctum præesse constantissime credit.

[g] Ex ms. Cæsen. in impressis, *audet.*

[h] Ex mss. Cæsen. et Vatican. Editi, *ministratum.*

non patitur (I *Cor.* I). Lex est data non uni, sed omnibus. Christus non pro uno, nec ad unum, sed ad omnes, et pro omnibus venit; ut redintegraret omnes in unum, solum bonum, solum jucundum propheta futuri præscius, sic proclamat : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII). Quia Deo non singularitas est accepta, sed unitas. Spiritus sanctus apostolis in unum congregatis ubertate tota sui fontis illabitur (*Act.* II), cujus ut simul discipuli operirentur adventum Dominica sunt præceptione commoniti. Fratres, amittit divina munera, perdit gratiæ largitatem, charitatis fraudatur bonis, unitatis illum benedictio non manebit, qui de se maleficus, et ex defectu suo stulte sibi sufficiens, sic præter Ecclesiam vitam quærit, quam in ipsa tantum esse propheta testatur, dicendo : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII); quia illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in sæculum.

[a] SERMO CXXXIII.

In D. Andream apostolum.

Beatus Andreas merito natus hodie creditur, quando non ad præsentem vitam [b] materno est effusus ex utero, sed [c] conceptu fidei, martyrii partu, cœlestem noscitur generatus ad gloriam. Quando non eum materna cunabula suscepere vagientem, sed superna triumphantem secreta receperunt; quando non infirmum [d] lactis pastum genitricis trahit ex pectore, sed pro rege suo devotissimus miles virtutis sanguinem fudit. Vivit, quia mortem cœlestis militiæ bellator occidit. Sequitur hic moriendo Domino æstuans et anhelans, ac toto virtutis gradu Dominicis incumbit hærere vestigiis, ne eum cursus faciat disparem fratri, quem natura similem, vocatio socium, parem gratia ipsa perfecerat. Ad unam vocem Domini sicut ille patrem, patriam, censum reliquit : laboribus, opprobriis, itineribus, contumeliis, vigiliis, [e] Christo largiente, se indefesse germani societati donavit : solum est quod tempore Dominicæ Passionis fugit, sed neque hoc impar, quia fugit. Negare autem si aliqua putatur culpa, non est gravius fugere quam negare. Sed tacenda sunt alia : æquavit, fratres, venia, quos sic discreverat culpa. Et subsecutus martyrii fervor devotos perprobavit, quos metus improbaverat antecedens. Nam crucem quam refugerant, postea conjunctis viribus ardenter invadunt, ut unde reatum sumpserant, inde conscenderent cœlum, inde præmium sumerent et coronam. Petrus namque crucem, arborem conscendit Andreas; ut qui Christo compati gestiebant, in semetipsis figuram formamque ipsius exprimerent passionis; et redempti ligno, consummarentur ad palmam. Sic Andreas noster etsi cedit ordini, præmio tamen non cedit et labori.

[f] SERMO CXXXIV.

In D. Felicitatem martyrem.

Quoniam varios martyrum multiplicesve triumphos, quos persecutoris crudelitas toties illusa cumulavit, tempus nos dinumerare non patitur, ad illam tota nostri sermonis confugit oratio, quæ meruit filios tot habere quot dies [g] mundus accepit. Vere mater luminum, fons dierum, quæ septenario coruscо germinis sui toto orbe splendet. Beata, quæ [h] non solum pro lege patitur, sed ipsius [i] legis heptalismum meruit mater sancta generare : heptalismum, fratres, qui non unius et temporalis tabernaculi illustraret arcanum, sed Ecclesiam sempiternam sacro illuminaret incenso. Felix, quæ meruit portare tot virtutum pignora quot illa arca [j] præceptorum volu-

---

[a] Sermo hic in codice Vaticano inscribitur : *Incipit sermo de natale S. Andreæ.*

[b] In margine ipsius codicis manu recentiori, *materno;* in textu, *merito.*

[c] In eodem codice, *conceptu Dei.*

[d] Codex Vat., *lactis potum.*

[e] Ex editione Mitæ. In ms. Vat. et in editis aliis deest *largiente se.* Sermonem autem hunc, quo nil corruptior erat in editis, ad fidem mss. emendasse testatur Mita. Corruptus etiam occurrit in ms. Vaticano, et Vallicellano, in quo item inscribitur : *In die natali S. Andreæ.* De qua loquendi formula vide quæ notantur a claris. Meursio in Gloss. de nativitate martyrum; et Gasparem Barthium Adversar. lib. XIX cap. 3; et Historiam de duobus Christi Militibus Damasceno ascriptam. Unde veteres martyrum passiones *baptismum* etiam appellavere. Vide notam [d] serm. 135.

[f] Hujus sermonis titulus in ms. Cæsenatico : *In natali S. Felicitatis.* Beata Felicitas una cum filiis Romæ martyrium passa est sub persecutione Severi imperatoris, circa annos Domini 200, vel paulo ante sub M. Aurelio tempore Soteris papæ anno circiter 176. MITA. — S. Felicitatis passio, una cum septem filiis, obvenit Romæ circa annum 150, sub Publio Urbis præfecto, et Antonino Pio imperatore : sub quo, licet placidissimo principe, martyria non defuere. Ejus festum tum antiqua Martyrologia, tum etiam Sacramentarium beati Gregorii a filiorum festo distinguunt; illorum enim memoriam habent die 10 Julii, hujus vero die 23 Novembris. Celebrem autem fuisse olim Romæ Felicitatis memoriam, ex eo maxime arguitur, quod in die ejus passioni sacro sanctus Gregorius papa homiliam ad populum habuit, ubi mulieris hujus constantiam multis laudibus extollit : et olim etiam sub ejus nomine cœmeterium Romæ exstitisse notat Baronius in notis ad Martyrologium. Ejusdem acta sincera exhibet Ruinartius pag. 26. Vide etiam Martyrologium Adonis ad diem 10 Julii, et 23 Novembris, ibique notas doctiss. Georgii.

[g] Scilicet quot dies consumpti sunt in creatione. Septem enim filios, qui una secum martyrium subiere, enixa fuit; et septimo die mundus absolutus.

[h] Alludit ad illam Matrem septem filiorum II Machab. VII, quæ pro patriis legibus una cum filiis atrocissima tormenta ab Antiocho tyranno simul cum morte, potentissime sustinuerunt. De quibus S. Gregorius Nazianzenus, orat. 20 in Machab., pulchre. MITA.

[i] Ita omnes. Mita addit in ora libri : *Heptalismus ponitur pro numero septenario.* Hic autem mendum cubare notat Macrius in Not. Eccles.; debet enim legi *heptalychnum*, juxta vocem Græcam ἑπταλύχνος, lucernam, septem refertam luminibus, quæ ardebat in templo Hierosolymitano; et ad quam respicit Chrysologus.

[j] In arca fœderis erat liber Deuteronomii scriptus tabulis lapideis ex sententia Tostati. Forte sensu Auctoris, si lapides erant numero septem, in quibus Deuteronomium erat scriptum, quod præcepta conti-

mina sacrata gestavit (*Exod.* xxv); et ut illa verbo, ita hæc doceret exemplo. Jam tunc eos, fratres, martyres genuit, quando eos partus sui septenario numero consecravit et mystico. Huc, huc sanctus Paulus veniat, qui adhuc parturit donec Christus formetur in homine (*Galat.* iv). Ecce mulier iterum atque iterum parturit, donec in virtutem mutetur infirmitas, caro transcendat in spiritum, terra transferatur in cœlum. Ardebat, anhelabat, ut eos uno die sacros martyres pareret, quos vix parvulos per annorum curricula generabat. Ecce mulier, ecce mater, quam vita filiorum fecit anxiam, mors securam. Beata, cui in futura gloria tot astant candelabra, quot germina; beata, quæ tot præmisit ad regnum; beatior, quæ suum in sæculo [a] nil amisit. [b] Discurrebat lætior inter confossa cadavera quam inter cunabula chara filiorum, quia internis oculis tot cernebat bravia quot vulnera; quot tormenta, tot præmia; quot victimas, tot coronas. Et quid plura, fratres? Non est, non est vera mater, quæ nescit filios sic amare.

[c] SERMO CXXXV.

In D. Laurentium.

Hodiernus [d] dies baptismi martyris Laurentii corona illustratur, cujus egregii martyris merita [e] nulla pars Romani orbis ignorat. Passus est in ipso capite gentium, id est, in ipsa urbe Romana. Ibi enim diaconus ministravit, et in ipso juventutis suæ flore decorem juventutis suæ sanguine purpuravit. Passio ejus insignis est, multumque mirabilis : hanc breviter, Domino adjuvante, narrabo. [f] Illo tunc archidiacono beatus Sixtus erat episcopus, cujus triumphus martyrii ante triduum fuit. Cum ergo sanctus Laurentius episcopum suum Sixtum pergentem ad martyrium sequeretur, fide fultus, tristis affectu, non quia ille patiebatur, sed quia ab illo ipse deserebatur, respexit venerabilis senex venerabilem juvenem, et ait illi : Noli esse tristis, fili, post triduum me sequeris. Tunc ille ebibita prophetia, jam corde paratissimus, ex spiritu ebrius, certum speravit futurum quod prædixerat ille qui noverat. Deinde apprehensus, est adductus : et quoniam erat archidiaconus, apud illum esse utique [g] credebantur opes Ecclesiæ, quas desiderabat persecutor, non tam avarus quam furiosus. Oderat quem occidebat : sed amabat apud eum quod ille contemnebat. Erat autem sanctus Laurentius pauper opibus, dives moribus : non se negavit Ecclesiæ habere divitias, sed ut eas ostenderet, tridui dilationem petiit, deinde mandavit congregari agmina pauperum. Tunc deinde ipso die coronæ suæ præsentatus examini, tamquam demonstraturus quod ille quærebat, demonstravit quod habebat. Tunc ait persecutor : Ubi sunt Ecclesiæ facultates ? At ille manum extendens in pauperes : Hæ sunt, inquit, Ecclesiæ facultates. Verum dixit, sed amarum. Quid autem mirum, si veritas auxit odium? Irrisum se dolens crudelis tyrannus et avarus inimicus, qui forte mitiorem pœnam cogitaverat, ferro interficere venerabilem juvenem, parari flammas præcepit; plus ardebat quam urebat; urebat in carne, ardebat in corde. Supplicium ejus tanto erat gravius, quanto interius. Tunc oblata est torrenda, et ut verius dicam, assanda martyrio [h] nobilis illa Laurentii craticula : astrictus est ferro, sed ille craticulam supplicii, lectum quietis putabat : supplicium dixi, secundum animum punientis, non secundum conscientiam patientis. Nullum est enim supplicium damnati, ubi non est pœna peccati. Itaque beatissimus martyr ostendens quam quiete jaceret in illo ignito ferro, ait circumstantibus : Jam me versate, [i] et si una pars cocta est, vorate. Miramur patientiam, donum Dei miremur. Ibi fides non solum non arsit, sed et consolabatur ardentem. Quare fides consolabatur ardentem? Quia fidelem tenebat promittentem. Ut fides non deficeret, ut spes non averteretur, ut charitas inter pœnas igneas corporales

nebat. Scribit Joseph., de Antiquit. Jud. lib. iv cap. 8, quod stabat liber legis prope latus arcæ, sed extra et legebatur septimo quoque anno in festo Tabernaculorum a summo sacerdote. Vide, si placet, S. Hieronymum in Exposit. Deuteronomii. MITA.

[a] Filios enim non amisit, sed *pignora præmisit* ad cœlum, ut ait B. Gregorius in laudata homilia.

[b] Laudat verba hæc Ruinartius loco superius citato, pag. 25.

[c] Vide in Præfatione.

[d] Diem emortualem martyrum *baptismum* etiam a veteribus dictum superius innuimus in nota [e] serm. 133. Chrysostomus, homil. 75. V tom. : *Ne miremini, quod baptismum vocaverim martyrium; etenim hic spiritus etiam copiose adest, et peccata tolluntur, et anima mirabiliter purgatur : et quemadmodum, qui baptizantur aquis, ita qui martyrii coronam consequuntur proprio lavantur sanguine.* Hoc etiam sensu vox βάπτισμα sumi de morte Christi Matth. xx, 22; Marc. x, 38; Lucæ xii, 50, notat idem Chrysostomus, homil. 32 tom. V; Theophylactus in cap. xx Matth. pag. 117.

[e] Protulit verba hæc Ruinartius, in Actis Martyrum, de S. Laurentio, pag. 188. Augustinus serm. 303 novæ editionis : *Quam non potest abscondi Roma, tam non potest abscondi Laurentii corona.* Leo Magnus, in serm. de hoc sancto ait : *Quam clarificatam esse Jerosolymam Stephano, tam illustrem fuisse factam Romam Laurentio.*

[f] Innuit hoc idem Prudentius, hymno de S. Laurentio, libri Περὶ Στεφάνων hym. 2 :

> Hic primus e septemviris,
> Qui stant ad aram proximi,
> Levita sublimis gradu,
> Et cæteris præstantior.

[g] Hoc archidiaconorum munus. Ibidem :

> Claustris sacrorum præerat :
> Cœlestis arcanum domus
> Fidis gubernans clavibus,
> Votasque dispensans opes.

[h] Celebris hæc jam diu Romæ. Gregorius Magnus, indict. 11, epist. 33 ad Dynamium patricium Galliarum transmittit *crucem parvulam, cui de catenis S. Petri beneficia inserta sunt... et per quatuor in circuitu partes de B. Laurentii craticula in qua perustus est, beneficia continentur.* Servatur etiamnum Romæ extra muros ad divi Laurentii in agro Verano.

[i] Augustinus, serm. 303 : *Jam, inquit, coctum est; quod superest, versate me, et manducate.* Prudentius :

> Tunc ille : coctum est, devora,
> Et experimentum cape
> Sit crudum an assum suavius.

plus accenderetur, Dei dona erant. Fratres mei, nemo arroget potentiæ suæ quod non dat nisi Deus. Merito Apostolus alloquens martyres, ut in Epistola ejus hodie cum legeretur, audistis : *Vobis*, inquit, *donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, sed etiam ut patiamini pro eo* (*Phil.* I). Ergo martyrum merita velut Dei dona laudemus, amemus, oremus, subinferamus voluntatem nostram. Voluntas enim sequitur, non prævenit. Sed tamen non deest charitas, si non desit voluntas; ipsa enim ardens voluntas vocatur charitas. Quis est qui timeat volens? quis est qui amet nolens? ferveat oratio, et festum martyris celebretur : sed ut non sit inanis qui celebrat, imitetur.

[a] SERMO CXXXVI.

In Adelphum episcopum.

Habet hoc [b] Adelphi antistitis sanctus animus, et plena pietate dignatio, ut dives pauperis intret hospitium, pauperis se ponat ad mensam, et humilibus se faciat esse communem, quem divitiæ, potestas, honor fecit et reddidit singularem. Inter maximas enim virtutes numeranda est ista voluntas, quæ contempto obsequii sui fastu, despecta magnificæ domus reverentia, calcato etiam suæ fastigio potestatis, et abjecta opum suarum interna conscientia, unde tumor maximus humanis semper dominatur in mentibus, ad vilissimas inopis se inclinavit angustias, ut suo pauperem contubernio sublimaret. Beatus plane iste animus, et ab omni morbo arrogantiæ remotus, qui ad hoc pauperis diversorium prius intravit ut ante humanitatis debitor quam largitor [c] existeret. Imitari Deum evidenter iste gestivit, qui ante humana in corpore suscepit obsequia, quam beneficia homini divina concederet. Quod pontificem Dei summi præsentem Adelphum fecisse conspicimus : qui cum sit verbo dives, scientia copiosus, magnus ingenio, [d] loco primus, egeni sensus et mediocris eloquii nostri audientiam concupivit, illius prophetæ instar qui illius viduæ victum esurivit extremum, et parvulorum ejus sua fame vexavit angustias, novum differens sua petitione ministerium, ut petendo tribueret, esuriendo saturaret, et exhauriendo deficientibus horreum divina largitate cumularet (III *Reg.* XVII).

A Et nos, filioli, quod habuimus, dedisse non pœnitet : quia etsi nos factum conturbavit ad tempus, relevat et solatur exemplum. Cito ad verbum hujus Dei hominis exiguitas ingenii nostri, ut viduæ illius pastus, cœlesti proficiet incremento; ac deinceps a reposito cordis nostri non vitæ substantia deficiet, sed ipsa inopia abolebitur et defectus. Felix vena, quæ suo ditatur irriguo, et fluenta putei sui tota acquirit atque attrahit [e] ubertate. Ecce venit, et sublimes vestros animos cœlestis imber infudit : totoque impetu superni fluminis, quæ in vobis est, civitatem Dei suo rigavit illapsu, ut terra nostra divino rore madida centesimum usque fecundetur ad fructum. Aperite sensus, corda dilatate, et gremium vestræ mentis extendite : ut quidquid de cœlestibus iste thesauris B vobis [f] largiter effuderit, ad æternam gloriam et censum perpetem possidere possitis.

SERMO CXXXVII.

De prædicatione D. Joannis Baptistæ.

Posteaquam legis vomere et jugi cultu exinanita Judaici cespitis est ubertas, beatus Joannes gentium convolans ad desertum, sentes criminum spiritus igne succendens, infructuosas arbores excidens ultionis securi, complanans asperos superbiæ colles, humilitatis convalles erigens exæquando, et planitiem terræ totam (gramine perdito) aptans, nutricibus submittens irrigua Jordanis : ac sic Evangelico semini novalia diffusa præparat, fecunda componit. *Factum est*, inquit, *verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto* (*Luc.* III). *Verbum caro factum est, et* C *habitavit in nobis* (*Joan.* I). *Super Joannem?* Quare non ad Joannem, sed *super Joannem?* Quia quod desursum est, super omnes est. *Factum est verbum Domini super Joannem.* Quia Joannes vox est, Deus Verbum. *Factum est verbum Domini super Joannem.* Deus super Joannem, super servum Dominus, super vocem verbum. Sed dicis mihi : Quid, quod vox præcedit verbum? Præcedit, sed non præcellit : antecedit ad sequentis obsequium, non ad propriæ potestatis indicium. Vox non est ipsa judex, sed est nuntia judicantis : verbum judicat, vox prætonat : jubentem potestas respicit, non clamantem. Sed hoc fateatur, testetur, asserat vox ipsa, præco

[a] Sermo autem hic in ms. Cæsenæ inscribitur : *De laude S. Adelphi episcopi.* Scimus enim apud veteres obtinuisse episcopos, in quoddam inter se observantiæ specimen, si forte alterius sedis episcopi eorum concionibus aderant, in eorum laudes digredi; cujus rei obvia sunt exempla. Illustre quoddam apud Ennodium, dict. 2, tom. I Operum Sirmondi pag. 1053, D ubi Laurentius episcopus Mediolanensis, qui aderat, pluribus laudatur. Quam tamen concionem pronuntiavit Honoratus Novariæ episcopus ut suam, quod olim consuevisse notat Ferrarius de Concion. pag. 203. Nazianzenus orat. 6, præsentem Nyssenum laudat; et orat. 17, Basilium; et Eulalium orat. 30; et centum quinquaginta episcopos orat. 32. Augustinus, psalm. XCII, episcopum Carthaginensem; Gaudentius Brixiensis Ambrosium Mediolanensem, etc.

[b] Cujus sedis fuerit episcopus Adelphus ignotum adhuc. Mita eum *episcopum Metensem* dicit; sed nullis vel futilibus superfultus argumentis, ait Tillemontius. Vide notas ad Vitam Chrysologi ex Castillo, num. 7.

[c] Varians lectio, *exstiterit.*

[d] Chrysologus hic apertissime innuit S. Adelphum, quisquis tandem is fuerit, ordine, et gradu sibi superiorem fuisse. Antequam Ravennatensis Ecclesia jure metropolitico donaretur, nullum alium sibi superiorem agnoverat in Italia, quam Mediolanensem, vel fortasse Aquileiensem antistitem. Nullus temporibus Chrysologi in his sedibus Adelphus. Unde facile est hujusmodi virum de quo hic habetur sermo, episcopum tantum fuisse Chrysologo seniorem. Licet enim Ecclesiam Ravennatem, dum in ea sedebat Chrysologi prædecessor, metropolitanam factam credant nonnulli, id tamen nec certe nec tute asseritur. Unde non vero absimile est, ex Ravennatum antistitum numero, Chrysologum primum hac auctum fuisse dignitate.

[e] Corrigimus ex ms. Vatic. et Latinio. Editi mendose, *libertate.*

[f] Apparet ex his non obscure, et ipsum Adel

ipse, qui clamat : *Qui post me venit*, inquit, *fortior me est* (*Matth.* III). Quare? Quia in me terror est, in illo est sententia. *Venit in omnem regionem Jordanis.* [a] Venit ad Jordanem, quia Judaicas sordes non poterat hydria jam lavare, sed flumen. Sicut scriptum est : *Erant*, inquit, *hydriæ lapideæ secundum purificationem Judæorum* (*Joan.* II). *Venit ad Jordanem.* Ut pœnitentes portaret aqua, non vino. *Venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Erat penes Joannem venia, sed non sine pœnitentia; erat remissio, sed luctibus comparata; erat cura vulneris cum dolore; erat baptisma quod culpam tolleret, [conscientiam non [b] deleret. Et quid plura? Per baptisma Joannis [c] purificabatur homo ad pœnitentiam, non promovebatur ad gratiam. At vero Christi baptisma sic regenerat, sic immutat, sic hominem reddit ex vetere novum, ut præterita nesciat, non recordetur antiqua, qui de terreno cœlestis jam cœlestia possidet et divina. Hinc est, quod redeunti post luxuriam filio pater immortalitatis reddit stolam primam, [d] annulum libertatis imponit, occidit vitulum saginatum, aquas pœnitentiæ, gratiæ convertit in vinum, ut convivium gratiæ jam pocula mera satiarent (*Luc.* XV) : quatenus conscientiæ dolores, pœnitentiæ gemitus, peccatorum lamenta, sobria Dominici calicis aboleret ebrietas : dicente propheta : *Et calix tuus inebrians, quam præclarus est* (*Psal.* XXII). Quantum enim terrena ebrietas est deformis, tantum præclara et decora ebrietas est cœlestis. *Dicebat ergo ad turbas quæ exibant ut ab illo baptizarentur : Progenies viperarum, quis ostendit vobis fugere ab ira ventura? Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ, et ne cœperitis dicere, Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quod potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Jam enim securis ad radices arborum posita est. Omnis arbor non faciens fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur.* Progenies viperarum. Exemplo corripit, A comparatione notat, figura prodit, ut jam non mores solum, sed ipsam naturam possit venenosi germinis immutare. *Progenies viperarum.* Quia quos Deus creaverat homines, fecerat filios Abrahæ, malitia peperit et [e] convertit in viperas; et quos conditor cœlestis dulcedine pietatis infuderat, hos impietas amara fecit lethales vomitus, serpentinum virus effundere; et infando crudelitatis auspicio de morte patris concipi, matris de morte generari. *Progenies viperarum.* Soboles ingrata naturæ, cujus ortus est genitoris exitium, cujus vita est mors parentis. *Progenies viperarum.* Vipera conceptus sui tempore intra os suum receptum caput conjugis [f] refertur abscindere, ut per cruenta oscula non fetum concipiat illa, sed crimen; ac si carnifices sceleris sui pariat filios, vindictæ ordine, non naturæ. Nam genimina patris concepta de cæde, sanguinis antequam lactis exigunt nutrimentum, et ultionem petunt; matris namque uterum viperæ dicuntur exscindere, et scelestum conceptus sui domicilium adhuc immaturis visceribus, maturo furore confringere, ut hoc sit illis vivere, matrem suam, matrem quæ illos tales genuit, non videre. Compulsi latius comparationis quam sanctus Joannes fecerat typum descripsimus et figuram, ut non maledicti, sed veritatis sit, quod ab illo Judæi taliter nuncupantur. *Progenies viperarum.* Synagogam, fratres, ejusque filios tales fuisse demonstrat, ad quam Christus affectu conjugis cum venisset, dicente Joanne : *Qui sponsam habet, sponsus est* (*Joan.* III) : inter amplexus et oscula cruenta Judæ, Christi caput est expetitum, et ore petitum, cum dicitur : *Crucifige, crucifige* (*Joan.* XIX). Unde pignora sanguine concepta, tanto mox ad matris armantur interitum, ut disrupto synagogæ utero, ad vocem Joannis concurrerent et regenerarentur ad Dei progeniem. *Progenies viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira?* Quæ est ista ira ventura? Illa quæ non habet finem, quæ hominem non absolvit morte, sed colligat : nec

B C D

phum populo Ravennati verba fuisse facturum, ut tunc moris erat, nobisque alias est observatum, serm. 138, not. [e].

[a] Vel circa Hierichuntem cis Jordanem, et ad Jordanis occasum; vel Bethaniam, seu Bethabaram trans Jordanem; vel ad Ennon prope Salim cis Jordanem. In iis nempe locis constat Joannem prædicationem exercuisse.

[b] Varians lectio : *ostenderet.* Qui baptismate Joannis baptizabantur, erant tantum baptizati in remissionem peccatorum media pœnitentia, ita ut virtute pœnitentiæ remitteretur culpa baptizati per illud baptisma. At hoc modo baptizati, quandocumque peccata sibi in illo baptismate remissa menti eorum occurrebant, tenebantur denuo conteri, et corde pœnitere : qua de re conscientiam non delebat illud baptisma, hoc est conscientiæ synderesim non auferebat, vel cum ms. *culpam non tollebat, sed conscientiam ostendebat.* Pro declaratione effectus baptismatis Christi Domini ac Joannis videre poteris Suarium in III parte divi Thomæ : hinc desumes explicationem loci D. Chrysologi sub serm. 13, paulo ante medium. MITA.

[c] Joannis baptisma vera erat præparatio baptismatis Christi : homines enim sic comparabat, ut Messiam audirent, et criminum remissionem per baptisma reciperent. Gregorius, homil 20 in Evang. pag. 110, tergo 50 edit. Paris 1551 : *Notandum itaque quod dicitur prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum; quoniam baptismum quod peccata solveret, quia dare non poterat, prædicabat.* A loco Chrysostomi super Matth. homil. 10, licet aptissime hic conveniret, quoniam longiusculus est, abstineo.

[d] Id erat præcipue libertinorum insigne, quod veste alba et annulo donarentur. Tertull., de Resurr. cap. 57; Lipsius, Elector. 1108; Joann. Kircham, de Annulis XV, 16; Thomas, de Usu pract. distinct. in ingen. et libert. XXVI, 27, pag. 14; Justinianus, novel. 78 : cum discrimen abstulit inter ingenuos et libertinos, annulorum usum excepit, quem illis sartum tectumque voluit.

[e] Christus appellat Judæos filios vel *progeniem viperarum* per Hebraismum, ut *filios arietum.* Unde recte Chrysologus eos viperas vocat. Vide Suicerum tom. I pag. 754, ubi locum explicat.

[f] Hæc de vipera olim passim enuntiabantur. Nunc audi recentiores, quibus hæc fabulam sapiunt. Consulas velim Matthiolum in Dioscoridem, ubi advertes ex male intellecto Aristotelis loco hanc effluxisse. De vipera similia etiam docet Basilius tom. II pag. 91 C recent. edit.

jam veniæ spem habere permittit, quam semel tartari deputarit ad pœnam. Admoniti taliter, cognoscunt et genus, et crimen, et ideo responderunt, dicentes : *Quid faciemus ut salvemur? Qui respondens, ait illis.* Quod dicturus est, fratres, timeo dicere, ne quot auditores hodie video contemptores, ille tot faciat contumaces. Quid faciam? Dicere timeo, tacere non possum : aliud me prohibet pietas, ad aliud impellit utilitas : pietas, [a] ne auditor dum contemnit, incurrat : utilitas, ne qui facturus sit non audiat, et per hoc doctor offendat. Dico, fratres, ut et nudus se vestiat, et ego me exuam. *Qui habet*, inquit, *duas tunicas, det non habenti; et qui habet escas, similiter faciat.* Putasne satis petit, qui de duabus tunicis unam petit? Non satis petit, quia non petit gemmam, sed tunicam; non aurum, sed panem. Et si qui de duabus tunicis non dederit unam, reus est; qualis est unam de plurimis qui negarit, qui ad hoc vestes suas carcerat, et panem claudit, ut pauper fame pereat, frigore consumetur? Ille vestes sepelit, non reponit; non credit diligentiæ, sed sepulcris : qui quod negat pauperi, dat tineis : et ipse vestibus suis corporis vorator est, dicente Domino : *Vermis eorum non morietur* (*Isa.* LXVI), quia Christum concussit pauperis fames; dolor hominis Dei prosilivit ad viscera, captivi gemitus ad Christi penetravit interna, inopis contemptus ad creatoris sui redundavit injuriam, profitente ipso, cum dicit : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare, nudus fui, et non vestistis me* (*Matth.* XXV). *Venerunt et Publicani dicentes : Quid faciemus?* Audiant publicani : *Nihil amplius quam constitutum est vobis petatis.* Prodidit quæ res reum faciat publicanum, ne amplius petatis. Qui plus petit, [b] fraudis exactor est, non tributi : cogitent quam Deo reus est, qui defessum et depressum publicat; magis ac magis sua fraude deprimit et fatigat, et ad debita vix sufficienti superimponit, et auget indebita. *Venerunt et milites, dicentes.* [c] Audiant et milites quid etiam militibus interrogantibus responderit hic magister : *Et nos quid faciemus? Et ait illis : Neminem concutiatis, neque calumniemini, contenti estote stipendiis vestris.* Verus miles est, qui non concutit, sed defendit; qui calumniam non ingerit, sed repellit; qui currit ad regis stipendia, non qui currit ad prædam. Beatus Joannes sic divina docuit, ut non turbaret humana : instituit rempublicam, non dimovit; probavit a Deo ordinata esse quæ docuit, posse facere et servare justitiam. Quid sit autem inter baptisma Joannis, et Christi baptisma, quia latius explanandum est, [d] nunc tacemus.

[e] SERMO CXXXVIII.

De pace.

Melius quidem fuerat, fratres charissimi, si pater ac [f] magister noster communis imperitiam nostram latere permitteret, nec publicaret penuriam, quæ in nobis hactenus velamento propriæ verecundiæ tegitur. Melius fuerat, ut qui tam copiose abundat in spiritualibus doctrinæ divitiis, de navicula pauperis nequaquam tenuis verbi vectigal exigeret. Quid enim aut egenus divitibus, aut peregrinus civibus, aut agrestis et ignarus studiosis conferat? Tamen quoniam jussis parere cogimur, eadem nos humilitatis ratio, quæ excusare videtur, ad dicendum cogit, cogit ad obediendum. Quid igitur est, o religiosa plebs Domini, quod vobis quamvis pauperes, quamvis ineruditissimi, attamen decenter offerimus? Pacem sine dubio, quam Dominus noster Jesus Christus ingredientes nos offerre omni domui jubet (*Luc.* X) : unde et nos in principio salutationis nostræ [g] pacem vobis a Domino exoravimus, quæ et habenda semper est, et [h] semper oranda; non illa infida et instabilis hujus mundi pax, quæ vel pro commodis quæritur, vel pro timore servatur; sed pax Christi, quæ secundum sententiam apostoli Pauli, superat omnem mentem, et credentium corda custodit (*Phil.* IV); pax quæ charitatis fecundis nutritur uberibus; pax alumna fidei, columna justitiæ; pax futuræ spei pignus idoneum; pax quæ præsentes sociat, absentes invitat; pax quæ terrena cœlestibus et divinis humana conciliat; sic enim dicit Apostolus : *Quod Dominus noster Jesus Christus pacificavit per sanguinem suum, non solum quæ in terris sunt, sed quæ in cœlis* (*Colos.* I). Hæc ergo vobis, charissimi, pro viribus pauperis viatici, peregrinus viator exposuit, exspectans magis una vobiscum apud mensam potentis magistri affluentibus, et copiosis dapibus saginari. Deus autem pacis, qui cœlestibus terrena conjunxit, concedat nobis eadem sapere in alterutrum, et plena unanimitate gaudere, per Christum Dominum nostrum, per quem est Deo Patri omnipotenti gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO CXXXIX.

De remittendo fratri delicto.

Sicut in terra latet aurum, ita divinus sensus verbis

[a] Plurimæ editiones, mendose, *quæ non auditur.*

[b] Recte; vectigalia enim et justa tributa a principibus imperata non damnat Christus, si ea ex legibus justitiæ et æquitatis indicta sint; sed in exactionibus modum excedere, et plus justo extorquere, hoc Christus exsecratur. Vide Grotium ad hunc locum.

[c] Milites quos alloquitur Joannes, vel erant ex militia Herodis Philippi, vel Herodis Antipæ, vel ex Judæis, qui in castris Romanorum merebant. Eos vero quos Chrysologus, ii erant qui sub imperatore stipendia facientes, Ravennæ stationes habebant.

[d] Sermo vero hic promissus vel interiit vel promissis non stetit Auctor.

[e] Vide præfationem. Moris autem fuisse in Ecclesia ut episcopi peregrini ad concionandum invitarentur, qui mos a canone 33 concilii IV Carthaginensis, Concilior. tom. II pag. 1440, stabilitus fuit plurimis exemplis, quæ hic retexere non vacat, monstrat Baronius ann. 36 num. 13 pag. 337, edit. Lucens.; et Ferrarius, de Concionibus, lib. II, cap. 5 pag. 178. Sermonem autem hunc extra Ravennatem diœcesim habitum fortasse fuisse notat Tillemontius.

[f] Nonnulli putant præsulem hic laudatum fuisse archiepiscopum Mediolanensem : sed conjecturam hanc fatiscenti fulcro inniti, idem observat Tillemontius.

[g] Hunc morem populo annuntiandi pacem solemnem fuisse Chrysostomo, testatur Socrates, lib. VI cap. 14; Sozomenus, lib. VIII cap. 18; et ex eo Nicephorus Callixtus, lib. XIII cap. 16.

[h] Ms. Vatic., *exoranda.*

celatur humanis : et ideo quoties Dominica nobis elo- A quia panduntur, mens evigilet, animus intendat, ut intellectus possit scientiæ cœlestis intrare secretum. Quare Dominus hodie sic cœperit, audiamus. *Attendite*, inquit, *vobis* (*Luc.* XVII). Quid sibi ista novitas elocutionis? Quo ista tendit admonitio præter usum? *Attendite*, inquit, *vobis*. Ille attendit sibi, qui non alienis actibus importunus, impudens, curiosus intendit. *Attendite*, inquit, *vobis*. Vagus oculus, [a] lascivus intuitus, improbus aspectus, suas non respicit ad ruinas, alienos currit, et decurrit ad lapsus; sua cæcus ad crimina, ad aliena errata perlucet; malorum suorum nescius, alienorum est accusator et testis; suum tepidus ad reatum, ad alterius et innocentis flammatur et excandescit examen. Et ne multis, sicut dixit Dominus : Oculus in se trabem non videns, videt in B alio festucam (*Matth.* VII). Nonne oculus prævaricationis est auctor? *Et vidit*, inquit, *mulier quod bonum esset lignum ad manducandum, et quod gratum oculis ad videndum* (*Gen.* III). Mortis janua, invidiæ fax, livoris caminus, toto cupiditatis incendio velocius per aliena percurrit, quam currit ignis arida et terrena per gramina. Dei est quod oculus in orbem sic apertus arctatur angustissimus in pupillam, quatenus moderate visum videat, non invideat; prævideat, non propripiat; prospiciat, non despiciat : oculus sit animæ fenestra, speculum sit mentis, sit lumen corporis, membrorum dux sit, non introitus vitiorum. Sed ad præfata redeamus. *Attendite*, inquit, *vobis*. *Vobis*, non dixit *tibi*, quia quidquid alii attenderit homo, attendit sibi; et quantum videbit ipse alteri, videbit alter ipsi, C sicut ex sequentibus elucescit : *Si peccaverit*, inquit, *in te frater tuus, increpa illum; et si pœnitentiam egerit, dimitte illi*. Age, homo, mandante Deo, dimitte, dimitte peccata : esto misericors ad delicta, in te commissorum tu remissor esto peccatorum, tu modo ne perdas in te divinæ infulas potestatis; quidquid in alio tu non remiseris, tibi in alio tu negabis. *Si peccaverit in te frater tuus*, inquit, *increpa illum*. Increpa ut judex, ut frater remitte, quia juncta libertati charitas, charitati mixta libertas, et terrorem comprimit, et suscitat fratrem : frater est in febre cum lædit, est in furore proximo cum delinquit, est sui nescius, est humanitatis extraneus : huic qui per compassionem non subvenit, hunc qui per patientiam non curat, non per veniam sanat, sanus non est, ægrotat, infirmatur, D viscera non habet, et ab humano sensu monstratur alienus. Furit frater, ascribe ægritudini, tu illum juva ut frater; ascribe tu, quod sic geritur, febri, et fratri non poteris imputare commissum; dabisque tu prudenter infirmitati culpam, fratri veniam; ut illius sanitas ad tuam gloriam recurrat, illius venia tuum redundet ad præmium. *Si peccaverit*, inquit, *in te frater tuus, increpa illum; si pœnitentiam egerit, dimitte illi*. Nemo ista audiens censuram sibi remittens assumat, et imponat fratri delinquenti vana præsumptione personam : ac sic durum putet remittere delicta. Se peccatorem, peccaturum se homo cogitet : et tunc incipit amare veniam, non amare vindictam. Audis tu quia remittere debeas, et quia tibi remitti debeat non audis. Peccabis et tu illi cras, qui tibi hodie peccavit; et erit tibi judex, qui tibi erat reus ante, et reddet tibi veniam, si dedisti : si non dedisti, aut negabit veniam, aut si dederit, [b] imputabit amplius quam donabit. Remitte peccanti, remitte pœnitenti, ut cum tu peccaveris, repensetur in venia, non donetur. Bona semper venia, sed tunc dulcissima cum debetur. Vicit pœnam, judicem prævenit, evasit judicium, qui remittendo ante sibi veniam quam delinqueret jam providit. *Et si septies*, inquit, *in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens : Pœnitet me, dimittes illi*. Quare veniam lege constringit, angustat numero, fine concludit, quam sic pulsat per misericordiam, per gratiam sic relaxat : [c] si septies, si octies? vincit numerus gratiam? bonitati calculus obsistit? et addicit una culpa pœnæ quem commissa septem veniæ jam dederunt? Absit. Nam sicut felix ille qui septies remisit, ita felicior est iste septuagies septies qui remisit. Petrus mandati immemor hujus interrogat Dominum, dicens : *Si peccaverit in me frater meus, quoties remittam illi? septies* (*Matth.* XVIII)? *Respondit Dominus : Non solum septies, sed septuagies septies*. Præscriptus ergo numerus non angustat veniam, sed dilatat, et quod præcepto finit, sine fine relinquit arbitrio; ut [d] si quantum jusserit remiseris, et tantum sit obedientiæ, sit præmii. Verum septimus numerus, qui numerus videtur parvus, invenitur amplissimus sacramento : nam septimus numerus per dies gradiens sabbatum facit, quod benedixit Dominus, et deputavit ad requiem, tam sui operis quam laboris humani. Septimus numerus [e] per ogdoadas currens, sic septemplicat septimanas, ut Pentecosten nobis impletam mysterii solemnitate concludat, totumque sancti Spiritus imbrem in ecclesiasticam segetem cœlesti sonitu tunc effundat. Septimus numerus, cum per menses properat, septimi mensis festa consecrat tota nobis jejunii sanctitate (*Levit.* XXIII). Septimus numerus cum vadit per annos, septimanas facit, facit annum qui requiem dat terræ, nexus omnes fraternæ obligationis absolvit (*Deut.* XV). Septimus numerus annorum cum circuit septimanas, annum quinquagesimum, qui jubilæus vocatur, ad plerum septenarium : usque ad illum numerum qui remiserit, præmium obedientiæ recipiet; qui vero ultra hunc numerum condonaverit præmio supererogationis donabitur, quod maximum est supra præmium obedientiæ; etenim si bonum est septies dimittere, et optimum erit semper et quandocumque frater opus habet ut sibi dimittatur dimittere. MITA.

[a] Ms. Cæsenæ et 1 editio Bonon. habent *passivus intuitus*.

[b] Magis tibi ad rationem ascribet, ad tuum debitum ponet, quam donabit. MITA.

[c] In sensu sacræ Scripturæ septenarius numerus pro incerto usurpatur. Vide Maldonatum, observ. in Matth. XVIII num. 21 et 22.

[d] Hoc est, Domini præceptum est fratri peccanti remittere, etc. Sed, esto, fit tantum usque ad numerum septenarium : usque ad illum numerum qui remiserit, præmium obedientiæ recipiet; qui vero ultra hunc numerum condonaverit præmio supererogationis donabitur, quod maximum est supra præmium obedientiæ; etenim si bonum est septies dimittere, et optimum erit semper et quandocumque frater opus habet ut sibi dimittatur dimittere. MITA.

[e] Latinius legit : *per hebdomadas*.

nitudinem totam veniæ et remissionis adducit (*Levit.* v); ut tollatur servitus, redeat libertas; ut cautionum documenta et monumenta rumpantur; resurgat debitor, debitum sit sepultum; redeat ut ager pauperis, ut pereat divitis totus de cupiditate contractus. Et si septimus numerus septemplicatus per dies, per menses, per annos, totum contulit remissionis et veniæ, septemplicatus septuagies septies septimus numerus quid afferre possit, Christianus æstimet et advertat auditor. Tunc vere cessabit crediti contractus et debiti, tunc vere abolebitur tota conditio servitutis, tunc illa, illa veniet sine fine libertas, tunc æternus ager victurus semper remeabit. Veniet, veniet remissio tunc vera, quando abolebitur etiam necessitas ipsa peccandi, quando pereunte immunditia vere mundus jam vocabitur mundus, quando redeunte vita mors non erit, quando regnante Christo diabolus jam peribit. Orate, fratres, et ut nobis Dominus augeat fidem, quatenus hæc bona credere, videre, et tenere possimus.

[a] SERMO CXL.

De Annuntiatione D. Mariæ Virginis.

Satis modo sit oculorum nostrorum [b] pura acies, ut possit in divini ortus intendere claritatem : nam si nascentis jubar solis oculorum nostrorum vix suffert sanitas tota, vel puritas, quanta interni visus est præparanda sinceritas, ut splendorem sui ferre possit orientis et radiantis auctoris? *In sexto autem mense missus est*, inquit, [c] *angelus Gabriel in civitatem Galilææ cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph* (*Luc.* II). Locum, tempus, personam, sanctus evangelista designat, ut relationis veritas manifestis ipsarum rerum comprobetur indiciis. *Missus est*, inquit, *angelus ad virginem desponsatam.* Ad virginem Deus aligerum portitorem mittit : nam [d] dat arrham, dotem suscipit, qui fert gratiam; fidem refert, et tradit munera virtutis, qui mox virginei consensus [e] resolvit sponsionem. Pervolat ad sponsam festinus interpres, ut a Dei sponsa humanæ desponsationis arceat et suspendat affectum, neque auferat a Joseph virginem, sed reddat Christo, cui est in utero [f] pignorata cum fieret. Christus ergo suam sponsam recipit, non præripit alienam; nec separationem facit, [g] quando suam sibi totam jungit in uno corpore creaturam. Sed quid egerit angelus audiamus : *Ingressus ad eam, dicit : Ave, gratia plena, Dominus tecum.* In hac voce oblatio est, oblatio muneris, [h] non simplex salutationis officium. *Ave.* Hoc est accipe gratiam. Ne trepides, ne sis sollicita de natura. *Gratia plena.* Quia in aliis gratia, in te tota [i] gratiæ pariter veniet plenitudo. *Dominus tecum.* Quid est in te Dominus? Quia ad te non visitandi studio venit, sed in te novo nascendi illabitur sacramento. Adjecit congrue : *Benedicta tu in mulieribus.* Quia in quibus Eva maledicta puniebat viscera, tunc in illis gaudet, honoratur, suspicitur Maria benedicta. Et facta est vere nunc mater viventium per gratiam, quæ mater exstitit morientium per naturam. *Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus.* Quid est quod personam videt, et de sermone turbatur? Quia venerat angelus blandus in specie, [j] fortis in bello, mitis in habitu, in sermone terribilis, [k] humana proferens, divina repromittens. Unde et virginem, quam leviter visus sollicitaverat, nimium turbavit auditus; et quam missi

[a] Hujusmodi festum Annuntiationis jam a sæculo III in Ecclesia celebratum demonstrant tot SS. PP. sermones in eo habiti : scilicet ab Epiphanio episcopo Constantiensi in insula Cypri, a Chrysostomo, S. Acacio episcopo Melitinensi, S. Basilio episcopo Seleuciensi, Tito episcopo Bostrensi, Anastasio archiepiscopo Antiocheno, Hesychio presbytero Jerosolymitano, aliisque multis, de quibus consule Combefisium in Bibliotheca Concionatoria. Incidisse autem in diem 25 Martii, eruitur a Menologiis, et Meneis, et Calendariis Ecclesiæ Russiensium, Ægyptiorum, Syrorum, Coptorum, aliorumque Orientalium. Idem habent antiquissima Martyrologia Ecclesiæ Latinæ; et Henschenius, præter Martyrologia ætate Caroli Calvi, uti Vandalberti, Adonis, et Usuardi, alia memorat hoc recinentia. Thomasinus, de Festis, tom. II lib. II cap. 12 pag. 299, cui assentitur Baillettus in Vitis SS. die 25 Decembris, ait hunc diem 25 Martii statutum fuisse a Patribus, non nisi communi opinione, quod Conceptio Nativitatem novem mensibus antecedat. Utrumque vellicat P. Honoratus in Animadvers. in Regul. et usum Criticos tom. II pag. 271 et 272. Nescio autem si ejusdem argumenta tanti sint roboris, ut contrariam opinionem evertant. Concilium Toletanum X hujusmodi festum transtulit ad octavum ante Natale Domini diem, quem Hispani, sub titulo Exspectationis, celebrem habent, et ab antiphonis *Festum* O appellatur. Toletana Ecclesia utramque retinet solemnitatem : alteram mense Martio, ut Romanæ Ecclesiæ sanctissimum institutum sequatur; alteram octavo ante Natalem Domini diem. Qui plura cupit de Annuntiationis festivitate, adeat eminentiss. Lambertinium, nunc *Benedictum XIV*, de festis B. M. V. p. II § 29.

[b] Ms. Cæsen., *purus intuitus.*

[c] Qui missus est ad Danielem et Zachariam missus et ad Virginem; ut huic soli demandatum videatur totum negotium annuntiandi mortalibus adventum Christi. Vide S. Gregorium, hom. 34 in Evang.

[d] Nazianzenus, orat. in Christi Nativit : *quod autem digna cognosceretur sponsalium, attestatur cum dicit* GRATIA PLENA ; *quasi enim arrha, aut dos sponsi ostenditur, quod fecunda sit gratiis.*

[e] Vel forte clarius *resignat sponsionem;* hoc est aperit ablato quasi nexu, vel patefacit; aut virginei consensus sponsionem Deo reddit. MITA.

[f] Ex hoc loco eruit Mita testimonium pro Dei genitricis immaculata conceptione : et vult sensu Chrysologi *Mariam dici Christo pignoratam statim ac cœpit fieri, ne ullo tempore diabolo pignorata diceretur.*

[g] Ms. Cæsenæ, et Vallicel., *in uno corpore subito jungit creaturam.*

[h] Alii e contra opinantur hanc simplicem fuisse salutationem. Vide Ligthfootum in Harm.

[i] Ita Arias Montanus ex vers. Syriaca, Arab. et Pers., Κεχαριτωμένος, *gratia atque favore plena.*

[j] Ita plures editiones et ms. Vaticanum. Mita legit *fortis in verbo*. Lectionem editorum retinui, propter illud Gregorii, homil. 34 in Luc. tom. II pag. 124, 50 edit. Paris : *Ad Mariam Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo nominatur. Illum quippe nuntiare veniebat qui ad debellandas aereas potestates humilis apparere dignatus est.*

[k] In lucem aspectumque humana ostentans, at verbis divina repromittens, hoc est, re ipsa promittens. MITA.

præsentia parum moverat, concussit toto pondere mittentis auctoritas. Et quid plura? Mox sensit in se supernum suscipi Judicem, ubi ante jam cœlestem vidit et contemplata est [a] metatorem. Quamvis enim blando motu, affectu pio, virginem sibi Deus in matrem, servam sibi verteret Dominus in parentem, turbata sunt tamen viscera, mens refugit, ipsa est tremefacta conditio, cum Deus, quem tota creatura non capit, totum se intra pectus recepit et condidit humanum. *Et cogitabat*, ait, *Virgo quæ esset ista salutatio.* Advertat vestra charitas, ut diximus, consensisse Virginem salutationi, non verborum, sed rerum; et vocem fuisse non communis obsequii, sed supernæ vim totam fuisse virtutis. [b] Cogitat ergo Virgo, quia cito respondere est facilitatis humanæ, cogitare vero ponderis est maximi et judicii permaturi. Quantus sit Deus satis ignorat ille qui hujus Virginis mentem non stupet, animum non miratur : pavet cœlum, tremunt angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit, una puella sic Deum [c] in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, ut pacem terris, cœlis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cœlestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium, pro ipsa domus exigat pensione, pro ipsius uteri mercede conquirat, et impleat illud prophetæ : *Ecce hæreditas Domini, filii merces fructus ventris* (*Ps.* CXXVI). Sed jam se concludat sermo, ut de partu Virginis, donante Deo, et indulgente tempore, gratius proloquamur.

SERMO CXLI.

De Incarnatione Christi.

Quantum secretum cubiculi sit regalis, quali reverentia, quo tremore locus habeatur, ubi ipsa principis requiescit potestas, quam nulli extraneo, immundo nemini, nulli infideli pateat illuc et [d] permittatur accessus; quam munda, quam casta, quam fidelia, ibidem præstolentur obsequia, imperialis aulæ manifestis docetur insignibus. Quis ad ipsas palatii fores vilis, quis propinquat indignus? Certe ad thalamum sponsi nisi satis proximus, nisi satis intimus, nisi bonæ conscientiæ, nisi laudabilis famæ, nisi probabilis vitæ nullus admittitur. Intra thalamum vero ipsum virginem Deus capit solam, suscipitur sola virginitas illibata. Unde, o homo, his admonitus exemplis, æstima quis sis, quantus sis, qualis sis, et tunc demum cogita utrum possis Dominicæ nativitatis penetrare secretum, utrum merearis ad illius pectoris cubiculum pervenire, ubi tota superni Regis, tota divinitatis requiescit majestas; utrum debeas humanis oculis, corporeis sensibus, conceptum virginis temerarius discussor attendere; utrum possis ipsas Dei manus operantes sanctum sibi corporis templum intra alvum genitricis audax et curiosus arbiter intueri, conspectibus tuis absconditum sæculis nudare mysterium, revelare tibi ipsis [e] angelis invisibile sacramentum; et ita cœlesti fabricæ præsidere, ut deprehendas liquido tu quomodo Deus penetrale clausæ carnis intraverit, quemadmodum sacri corporis in illo venerabili utero præter Virginis conscientiam lineamenta pinxerit, quomodo præter concipientis sensum mansura sæculis ossa solidaverit; qualiter, præter hominis ordinem, hominis veram produxerit formam; quemadmodum, præter carnis sollicitudinem, totam carnis assumpserit veritatem; qua ratione, præter naturam [f] nostræ carnis, integram susceperit qualitatem : et si ad hæc tibi liber non perpatuerit accessus, jam Deus ex carne nunc assumere non potuit, quod in principio assumpsit ex limo? Immo quia totum Deo est possibile, et tibi ne ad minima quidem operum Dei possibile est pervenire, conceptum Virginis noli discutere, sed crede; Deum voluisse nasci pie sęnti, quia facis injuriam si requiris; magnum Dominicæ nativitatis sacramentum fide percipe, quia ne minima quidem operum Dei assequi poteris sine fide, dicente Scriptura : *Omnia opera ejus in fide* (*Psal.* XXXII). Sed tu hic totum vis de [g] ratione constare, ubi totum consistit ex fide, quod tamen non sine ratione subsistit, sed ratione Dei, non tua, homo. Quid tam rationabile, nisi ut Deus quidquid voluerit possit? Qui quod vult non potest, Deus non est. Quæ ergo mandat Deus, [h] exsequitur angelus, implet Spiritus, efficit virtus, Virgo credit, natura suscipit, cœli narrant, annuntiat firmamentum, ostendunt stellæ, magi prædicant, pastores adorant, pecora cognoscunt, attestante propheta : *Cognovit bos possessorem suum, et* [i] *asinus præsepe Domini sui* (*Isa* I). Tu homo, si non mox cum angelis, agnosce

[a] Nil aptius. Metatorem angelum vocat; metator enim is est qui præcursor. Ducem præveniens loca designat ubi sedes et castra locanda sint. Vide notas serm. 91 et 127.

[b] Geometer in Caten. Græcorum : *Audita lætitia dictum examinavit; et neque manifeste obstitit per incredulitatem, nec statim paret ex levitate.*

[c] Ms. Cæsen., *in sui pectoris thalamo recipit, et oblectat hospitio.* Alias, *in sui pectoris scriniolo capit et oblectat.*

[d] Præsto enim erant cubicularii, ut indignos arcerent, qui et armigerorum vices quandoque impleverant. Vide Ammianum Marcellinum lib. XXVII.

[e] Angelus naturali lumine Incarnationis mysterium incognitum habet, sed ex Dei revelatione cognitum. Ambrosius, de Fid. ad Gratian.; August., lib. IV cap. 1. MITA.

[f] Varians lectio, *naturæ nostræ.*

[g] Editio 1 Bonon., *niteris ratione constare.*

[h] Alias, *nuntiat angelus.*

[i] Ex iis verbis persuasum nonnullis fuit Isaiam hic, non Judæorum tarditatem, et ingrati animi vitium erga Deum, eorum benefactorem, exprobrasse, exemplo bovis et asini tardiorum animalium; sed in bovem asinumque singularem aliquem digitum intendisse, qui omnium Dominum, recens in præsepe natum, agnoverint. His accensendus Chrysologus, ut vides. Longe aliter locum hunc alii Patres exponunt, ac in illis disertissime Hieronymus in cap. I Isaiæ. Obtrudunt homiliam 32 Chrysostomi, tom. VI Oper., his similia recinentis. Nemo autem summis, ut loqui amant, criticem attigit labiis, qui eamdem homiliam inter spurias amandandas non censuerit. Cæterum ignoscendum Chrysologo, si eadem sensit quæ Origenem, Ambrosium, Gregorium Nazianzenum, Nyssenum item, Cyrillum Hierosolymitanum, Paulinum, Prudentium, aliosque sensisse legimus. At sapientiores critici noverunt Patres illos figurate et allegorice

vel tardissime cum jumentis; ne dum moraris, ipsis jumentis, quibus ante comparatus fueras, postponaris. Ecce jumenta adulantur caudis, blandiuntur auribus, linguis lambunt, et motu quo possunt auctorem suum fatentur contra naturam in tuam venisse naturam; et tu cum Judæis discutis, carpis, qui excluserunt a diversoriis suis Dominum suum, quem jumenta suis in præsepibus susceperunt. Unde si tandem vel angelis es pium præstaturus auditum, quæ ab angelo dicenda sunt, si non feliciter vel dignanter admitte : quod nos hodie differre, et sequenti referre sermone, [a] sancti fratres, satis vobis necessarius sermo compellit.

[b] SERMO CXLII

De Annuntiatione D. Mariæ Virginis.

Audistis hodie, fratres charissimi, angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem. Audistis agi, ut homo [c] cursibus eisdem quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit, agit cum Maria angelus de salute, quia cum Eva angelus egerat de ruina. Audistis angelum de carnis nostræ limo templum divinæ majestatis arte ineffabili construentem. Audistis in terris Deum, in cœlis hominem sacramento incomprehensibili collocari. Audistis inaudita ratione in uno corpore [d] Deum hominemque misceri. Audistis fragilem nostræ carnis naturam ad portandam totam deitatis gloriam angelica exhortatione roborari. Denique ne tanto ponderi cœlestis fabricæ in Maria, subtilis nostri corporis arena succumberet, [e] et in virgine totius generis humani portatura fructum virga tenuis frangeretur, fugatura metum vox angeli mox præcessit, dicens : *Ne timeas, Maria* (*Luc.* I). Ante causam dignitas virginis annuntiatur ex nomine : nam Maria [f] Hebræo sermone, Latine, domina nuncupatur : vocat ergo angelus dominam, ut dominatoris genitricem trepidatio deserat servitutis, quam nasci, et vocari dominam ipsa sui germinis fecit et impetravit auctoritas. *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam.* Verum est, quia qui invenit gratiam, nescit timere. *Invenisti gratiam.* Apud quem? *Apud Deum.* Beata quæ inter homines audire sola meruit præ omnibus. *Invenisti gratiam.* Quantam? quantam superius dixerat : plenam. Et vere plenam, [g] quæ largo imbre totam funderet et infunderet creaturam. *Invenisti enim gratiam apud Deum.* Hæc cum dicit, et ipse angelus miratur, aut feminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per feminam : stupet angelus totum Deum venire intra virginalis uteri angustias, cui tota simul angusta est creatura. Hinc est quod [h] remoratur angelus, hinc est quod Virginem vocat de merito, de gratia compellat, vix causam prodit audienti, sane ut sensum promoveat, vix longa trepidatione componit. Æstimate, fratres, qua reverentia, quo tremore nos tanto interesse deceat et conveniat sacramento, quando ipse angelus non sine metu metum discutit audientis. *Ecce concipies in utero.* Bene concipies, quod caro nescit, conditio non habet, non admittit natura. *Ecce concipies in utero.* Quis ante ad fructum pervenit quam terræ laborem sentiat et sudorem? Quis ante poma carpit quam plantæ suam tribuat et impendat industriam? [i] Quis præter viam ad ullam pervenit mansionem? Quis præter naturam naturæ suscipit incrementum? Beata ergo et vere beata Maria, quæ præter generandi curas, præter materni doloris fastidia, tantam germinis pervenit ad gloriam. Beata, quam divinum pignus sic suo suscepit et servavit in pectore, ut illud tota corporis externa nesciret. Beata, quæ quod de supernis [j] angelo referente susceperat sic menti suæ solæ commisit et credidit. Intra domum Virginis negotium cœleste sic geritur, ut manentibus claustris, ipsa domus septa non sentiant. *Concipies, et paries filium.* Qui ingreditur et egreditur, et introitus sui et exitus nulla vestigia relinquit, divinus habitator est, non humanus; et qui conceptu suo virginem servat, et ortu suo relinquit virginem, non terrenus homo est, sed cœlestis. Nostræ ergo carnis ordo secedat; hic sibi natura nostra nil vindicet, ubi ad divinam progeniem cœlestis ordo divinam instituitur in naturam. Conceptus et partus sermo audientis animum non fatiget, nec leviter sensum [k] moveat Christiani, ubi ad cœlestem progeniem [l] virtutis Dei divina peraguntur insignia. *Concipies et paries filium.* Non dixit tibi, dixit tuum. Quare? Quia *san-*

locutos fuisse, eoque bovis et asini animalium subjugalium symbolo, pastores genere et religione Judæos, ferendo Mosaicæ legis oneri assuetos, intellexisse; qui, ex dato sibi signo ab angelo, natum Dominum intellexerunt.

[a] Hoc olim nomine decorabantur fideles.

[b] Sermo hic inscribitur : *de Annuntiatione beatæ Mariæ Virginis :* cujus festivitatis meminisse videtur Sergius papa : *Constituit, ut in diebus Annuntiationis Domini, Nativitatis*, etc., ubi Rosweidus contendit de Nativitate Domini intelligi, non de ipsius Genitricis per angelum Annuntiatione, in quo eum graviter fœdeque cespitasse notant alii. Gregorius Thaumaturgus, orat. 2 in Annunt. omnibus aliis solemnitatibus eam anteferre videtur. At de tribus his orationibus subacti judicii viri pleno jure dubitant. Vid. serm. 140, notam [a].

[c] Alias, *eisdem gradibus.*

[d] Contra Eutychen, ut pluries observatum est, et errores Valentini, Manetis, et Apollinaris, quorum nemo humanæ carnis veritatem in Christo admisit. Vide similia apud Hilarium, psalm. VI, num. 12, et lib. de Trinit., num. 11.

[e] Ms. Cæsenæ, *virginea virga.*

[f] Mariæ nomen alii a voce Syriaca quæ *dominam* significat; alii ab hebræo *marum*, quod est excellens et sublime, deductum volunt. Vide Suicerum Thes. Eccles. tom. II pag. 303.

[g] Alias, *apud quam.*

[h] Ne dicas vero ad horam usque nonam productum fuisse colloquium : quod Antonii Belingeri, lib. de Angelo Custode commentum fuit. At multo magis ridendus Rutilius Benzonius, qui Gabrielem in Mariæ salutatione suavissimum hymnum carmenque longiusculum musice modulatum occinisse somniavit. Hæ germanissime gerræ sunt.

[i] Laudat verba hæc Suicerus in Thesauro Eccles. tom. II, pag. 415, in fine.

[j] Alias, *deferente.*

[k] Alias, *Christianum.*

[l] Alias, *Virtutis divinæ peraguntur insignia.*

tum vocabitur Filius Dei. Virgo te gratia matrem præstitit, non natura; genitricem te dici pietas voluit, quam non sinebat integritas; in tuo conceptu, in tuo partu crevit pudor, aucta est castitas, integritas roborata est, est [a] solidata virginitas, omnes perseveravere virtutes. Virgo, si tibi salva sunt omnia, quid dedisti? Si virgo, quomodo mater? Si sponsa, genitrix quomodo? Ille, quo tibi aucta sunt omnia, nil minuit, Virgo. Virgo, concipitur ex te [b] auctor tuus, tua ex te oritur origo, [c] in tuo germine est genitor tuus, in tua carne est Deus tuus, et ipse lucem mundi [d] per te recepit qui lucem mundo dedit. Monita ergo per angelum, Virgo, [e] ne præsumas hunc vocare filium tuum, sed mox ut genueris, invoca salvatorem : quia virginitas non sibi parit filium, sed parit pignus auctoris, et integritas suum gestat dominum, non alumnum, dicente angelo : *Et vocabis nomen ejus Jesum*, quod Salvator Latino vocabulo nuncupatur. *Dixit autem Maria ad angelum, Quomodo fiet istud?* Ecce Maria interrogat : et si qui interrogat, dubitat, cur solus Zacharias velut querulus percunctator incurrit? Quia pectorum cognitor non verba, sed corda pervidit; non quid dixerint, sed quid senserint, judicavit; erat enim interrogantium causa dissimilis, species perdivisa. Hæc contra naturam credidit, ille dubitat pro natura; hæc integræ rei ordinem quærit, ille quæ Deus jubet fieri non posse perscribit; ille impellentibus exemplis non accedit ad fidem, hæc sine exemplo percurrit ad fidem; hæc miratur de partu virginis, ille de conceptu disputat conjugali. Merito ergo hæc loquitur, hæc Deum suo cognoscit et confitetur in corpore; ille tacet, donec Joannem quem negabat, convictus proprio redderet ex corpore. *Quomodo fiet istud?* Quare? *Quia virum non cognosco.* Mulier, quem virum quæris? quem tu in Paradiso perdidisti? Redde virum, mulier, redde depositum Dei, redde ex te quem perdidisti per te : prætermitte naturæ ordinem; recognosce ordinem Creatoris. Ille ex te assumet et faciet virum, qui in principio te fecit et assumpsit ex viro; ne quæras virum, cesset opus hominis, quia ad reparationem hominis sufficit ars divina. Hinc est quod Deus ipse ad te venit, quia te pœnituit ad hominem pervenisse [f]. Nec jam caro ad carnem; sed *Spiritus sanctus superveniet in te.* Quia *quod de carne natum est, caro est; et quod de Spiritu, spiritus est* (*Joan.* III). Qui ergo de Spiritu nascitur, sine controversia Deus est, quia Spiritus est Deus. *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Obumbrat Dei virtus, ne portatura Deum, [g] fragilitas humana succumbat. *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* [h] Æstus nostri corporis nescit quam divinæ protegit umbra virtutis; nec secretum mundanæ habitationis inquirit, quæ se septam superni splendoris circumspicit velamento. *Propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Nemo hic communiter accipiat sanctum, sed illa singularitate qua clamatur in cœlestibus : *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth* (*Isai.* VI). Mittitur autem Maria ad Elisabeth, virgo ad sterilem, infans ad anum, ut certamine pio sumant ambæ, percipiant pariter, altera de novitate fidem, altera de necessitate virtutem. His auditis, respondit Maria : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Quæ vocatur ab angelo domina, ipsa se cognoscit et confitetur ancillam. Quia devotus animus [i] infulis beneficiorum crescit ad obsequium : augetur ad gratiam, non ad arrogantiam prosilit, non ad superbiam pertumescit. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* [j] Quæ credit verbo, merito concipit Verbum : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I); et ad totam rem pervenit, quæ secretum [k] fidei consentit auditu. Quantum peccat hæreticus, qui post causam non credit, cum tantum hanc credidisse conspicit ante causam?

[1] SERMO CXLIII.

De eadem.

Debetur quidem vobis natalitius sermo, sed ineffabile Nativitatis Dominicæ sacramentum credere magis convenit quam referre. Virgo peperit. Quod natura non habet, usus nescit, ignorat ratio, mens non capit, pavet cœlum, stupet terra, creatura miratur, quomodo sermo narrabit humanus? Denique evangelista conceptum Virginis, Virginis partum sicut humano sermone pandit, ita divino claudit arcano : et hoc facit ut homo, quod credere jussus est, discutere non præsumat. Quis attingit arcanum Salvatorem tuum invoca et deprecare.

[a] Communissima veterum Patrum sententia perpetuam agnoscit B. Virginis integritatem. Vide Hieronymum, contra Helvidium, cap. 9; Origenem, in Luc. homil. 7; Constantinum Magnum, in orat. ad SS. Cœtum, cap. 19; Epiphanium, hæres. 78, num. 7; Augustinum (si ipse est) de Hæres. cap. 56. Helvidii argumentum refellit Basnagius, tom. I pag. 106. Tertullianus lib. de Velam. Virgin., ait hoc constare licet Hebion resistat. Post Helvidium et Hebionem hæc eadem effutisse scimus Jovinianum.

[b] Laudat hæc, et aliorum Patrum fere similibus verbis illustrat Barthius Advers. lib. I cap. 7 pag. 14. Bucherius, homil in Annuntiat. B. V. : *Creator tuus erit filius tuus, qui fecit te nascetur ex te.*

[c] Alias, *in tuo gremio.*

[d] Nonnullæ editiones, *Per te nobis dedit.*

[e] Verba hæc caute legenda, et recte explicanda advertit Latinius, scilicet : ne præsumas eum habere ad instar filii humano more geniti; sed eum veluti

[f] Frustra hic se torquet Mita; nam Auctor loquitur de Eva, non de Maria.

[g] Juxta nonnullos per verba illa, *virtus Altissimi obumbrabit*, angelus operationis modum explicat : qui consistit in divina Dei protectione, qua remota, eam divina Majestas consumpsisset; et hæc Chrysologi mens. Vide Synopsim Sacror. Critic. tom. IV pag. 817, in principio.

[h] Vide S. Thomam p. III, quæst. 27, art. 4, ubi docet B. V. nec fomitem habuisse.

[i] Fasciis, funibus beneficiorum.

[j] Alias : *quia credit.*

[k] Ad perfectam Verbi incarnationem, et Dei maternitatem pervenit B. V., quia auditu proprio, quasi per scalæ gradus fidei summitatem ascendit. MITA.

[1] Consule præfationem.

Dei, partum Virginis, rerum causas, sæculorum negotium, commercium divinitatis et carnis, hominem Deumque unum Deum? Evangelista sic ait : *Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ cui nomen erat Nazareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph, et nomen virginis Maria* (*Luc.* 1). Missus est angelus a Deo; ubi [a] mediator est angelus, humana cesset opinio; ubi cœlestis est nuntius, interpretatio terrena pellatur. Curiositas humana torpescat, ubi supernus habetur interpres. *Missus est angelus a Deo.* Qui audit attentius, quia a Deo missus sit, deitatis refugit perscrutari secretum. Quod per angelum Deus mandat, ille meretur scire, qui timet scire. Audi Dominum dicentem : *Super quem respiciam nisi super humilem, et mansuetum, et trementem verba mea* (*Isai.* LXVI, *juxta LXX*)? Humilem, et mansuetum : quantum mansuetus est ille qui jussis obtemperat, immansuetus tantum est ille qui jussa discutit. *Missus est angelus ad virginem.* Quia semper est angelis cognata virginitas. In carne præter carnem vivere non terrena vita est, sed cœlestis. Et si vultis scire, angelicam gloriam acquirere majus est quam habere; esse angelum felicitatis est, virginem esse virtutis; virginitas enim hoc obtinet viribus quod habet angelus ex natura. Angelus ergo et virgo divinum agunt officium, non humanum. *Ingressus*, inquit, *angelus ad eam dixit : Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Ave, gratia plena, Dominus tecum :* videtis quibus est virgo oppignorata muneribus. *Ave, gratia plena, Dominus tecum.* Ave, hoc est accipe. Quid? Virtutes munerum, non pudoris. *Ave, gratia plena.* Hæc est gratia quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Hanc gratiam detulit angelus, accepit Virgo salutem sæculis redditura. *Ave, gratia plena.* Quia singulis gratia se est largita per partes, Mariæ vero simul se totam dedit gratiæ plenitudo. *Omnes*, inquit evangelista, *de plenitudine ejus accepimus* (*Joan.* 1). Unde et David dicit : *Descendit sicut pluvia in vellus* (*Psal.* LXXI). Vellus cum sit de corpore, nescit corporis passiones; sic virginitas cum sit in carne, vitia carnis ignorat. Cœlestis ergo imber virgineum in vellus placido se fudit illapsu, et tota divinitatis unda bibulo se nostræ carnis celavit in vellere, donec per patibulum crucis expressum terris omnibus in pluviam salutis effunderet. *Et sicut stillicidia stillantia super terram* (*Ibid.*). Ut vitalibus partita stillicidiis tempora fidei rigarent germina, non necarent. *Ave, gratia plena, Dominus tecum.* Missus est angelus a Deo, et quid dicit? *Dominus tecum.* [b] Ergo erat cum Virgine, qui ad Virginem miserat. Præcessit nuntium suum Deus, sed a Deo non recessit : teneri locis non potest, qui omnibus habetur in locis; et totus ubique est, sine quo nihil est totum. *Benedicta tu inter mulieres.* Vere benedicta virgo, quæ et virginitatis possidet decus, matris et pertulit dignitatem. Vere benedicta, quæ et superni conceptus meruit gratiam, et sustulit integritatis coronam. Vere benedicta, quæ et divini germinis suscepit gloriam, et regina totius exstitit castitatis. Vere benedicta, quæ fuit major cœlo, fortior terra, orbe latior; nam Deum quem mundus non capit, sola cepit. Portavit eum qui portat orbem, genuit genitorem suum, nutrivit omnium viventium nutritorem. Sed videamus quid ait evangelista : *Maria*, inquit, *ut vidit angelum, turbata est in sermone ejus.* Turbata est caro, concussa sunt viscera, mens tremuit, tota cordis obstupuit altitudo : quia in ingressu angeli virgo sensit divinitatis ingressum. Turbabatur humani corporis templum, et carnalis domicilii movebantur angustiæ, cum se in virgineo pectore tota Dei conderet magnitudo. Sed si placet, priusquam fidei Christianæ penetremus arcanum, loquamur ad eos qui partum virginis, qui magnum pietatis sacramentum, qui reparationem salutis humanæ referunt ad divinitatis injuriam. Venit ad virginem Deus, hoc est, ad opus suum opifex, creator ad creaturam suam. Quando ad opificis honorem operis restauratio non redundat? Quando honor non deputatur ad gloriam, si factor facturam suam reparet? Ne amittat quis opus suum, nonne cum veterascit revocat, et cum cadit erigit, et cum destruitur in melius non reformat? Ergo quod in partu virginis agitur, non est Creatoris injuria, sed salus est creaturæ. Si Deus fecit hominem, quis arguit cur refecit? et quod ex limo formasse digne creditur, quare ex carne reformasse judicatur indignum? Quid pretiosius, caro aut limus? Ergo reparationis nostræ quanto pretiosior materia, tanto major est gloria. Aut quando Deus non in utero plasmator est hominis? Audi Job : *Manus tuæ fecerunt et finxerunt me.* Et post : *Ut caseum coagulasti me : ossibus et nervis inseruisti me, vitam et misericordiam dedisti mihi* (*Job.* X). Et David : *Tu formasti me, et posuisti super me manum tuam* (*Ps.* CXXXVIII). Et ad Jeremiam Deus : *Priusquam esses in utero, novi*

[a] Locum exhibet Barthius Advers. lib. LVIII cap. 6 col. 2733, aitque mediatorem pro legato ab aliis etiam usurpari.

[b] Suspicetur fortasse aliquis credidisse Chrysologum Mariam virginem jam Christum Dominum concepisse cum ab angelo salutaretur : quod eruendum putant ab illo Hieronymi, epistola 190 ad Principiam : *Sancta Maria, quia concepera: eum in quo omnis plenitudo divinitatis habitat corporaliter, plena gratia salutatur.* Ego tamen ægre admodum credam Hieronymum, et Chrysologum, aliosque, si qui alii sunt, a recto Evangelii sensu in re compertissima aberrasse, aliisque patribus repugnasse, qui Christum a Virgine conceptum credunt in ipsa tantum colloquii clausula, et post Virginis assensum : Augustino scilicet, serm. 18 de sanctis; Gregorio Magno, lib. XVIII Moralium, cap. 27; Basilio Seleuciensi, orat. de Annunt.; Joanni Damasceno, lib. III de Fide cap. 11; Bernardo, serm. 4 super *Missus est;* Sedulio, lib. XI Pasch.; Prudentio, in Carmine contra Homuncionitas; Ruperto lib. I de Spiritus S. Operibus cap. 9, etc. Idcirco Chrysologi et Hieronymi, etc., testimonia emollire et in rectum sensum deflectere opus est. Consulas velim doctissimum Serry, Exercit. 27 pag. 180, ubi hæc latius disputat.

te, et in vulva sanctificavi te (*Jerem.* I). Si ergo parentis in alvo Job lineamenta depinxit, si matris in utero David membra compegit, si Jeremiam genitricis sanctificavit in vulva, si Joannem sterilis in utero replevit Spiritu sancto, quid mirum modo, si virginis habitavit in utero, qui mulierem hominis sumpsit ex latere? Ipse hominem mulieris resumpsit ex utero, qui virginem viri formavit ex corpore; ac perinde, homo, quæ tibi videntur nova, Deo habentur antiqua. Sed dicis : Quæ nascendi necessitas Deo cui suppetit faciendi potestas? Quæ? Ut ipsam naturam nascendo reficeret, quam fecerat operando : quia quæ facta fuerat ut generaret ad vitam, ipsa generabat ad mortem. Per peccatum primi hominis natura lethale vulnus accepit, et cœpit esse origo mortis, quæ erat initium vitæ. Hoc ergo negotium nativitatis quod nasci compulit Christum, ut naturæ curam nativitas daret auctoris, et naturæ curatio esset vivificatio filiorum.

SERMO CXLIV.

De eadem.

De nativitate Christi nos comperendinare sermonem altitudo rei facit, et cogit mysterii magnitudo. Virgo peperit, quis loquetur? Verbum caro factum est, quis narrabit? Si Verbum Dei infantiæ dat vagitum, homo imperfectus quomodo clamabit in verbo? Quantam stella magis nocte dedit quærentibus lucem, tantam doctoris sermo ortus Dominici præbet audientibus claritatem : ut Christum invenisse gaudeant, discurrere non præsumant, honorent muneribus infantiam, non minorent. Sed orate, fratres, ut qui nostro sensim crevit in corpore, paulatim nostro crescere dignetur in verbo. Evangelista hodie angelum retulit sic locutum : *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum* (*Luc.* I). *Ne timeas, Maria*, quare? Quia invenisti gratiam. Timet non qui invenit, sed qui perdit. Invenit, invenit hæc concipiendo superni germinis gratiam, quæ pariendo non perdidit virginitatis insignia. *Ne timeas, Maria.* Quid timet, quæ securitatem rerum concipit, parit gaudia sæculorum? Timor non est, ubi divinum est negotium, non humanum; ubi virtutis conscientia est, non pudoris. Quid timet, quæ suscepit eum quem timent omnia quæ timentur? Quid timet, [a] cui judex causæ est assertor, integritas testis innocentiæ? *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum* (*Joan.* I). Quod erat in principio apud Deum, [b] Verbum Deum intra se virgo reperit, et factum est magnum deitatis templum, quæ erat pusillum humanitatis hospitium, et quem non capiebat pusillitas humani corporis, cœpit virginalis [c] uteri magnitudo. *Ecce* inquit, *concipies in utero.* Propter reverentiam dixisse suffecerat *concipies;* quod exaggerat, *in utero*, quid est? Ut conceptus esset veritas, non figura; ut partus esset proprietas, non imago, ut sicut de Deo vero Deus verus natus est, sic de vero conceptu [d] veritas humani corporis nasceretur. In ortu Christi, fratres, humani corporis injuria sublata est, non natura; nec est creatura deleta, sed culpa damnata. Est ergo hæresis, quæ Christum [e] aerium corpus assumpsisse mentitur : nec habuisse carnem, [f] sed hominem simulasse confingit. *Concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Quod Hebraice Jesus, Græce Σωτὴρ, hoc dicitur Latine [g] Salvator. Merito ergo Virgini salva sunt omnia, quæ omnium genuit Salvatorem. *Et vocabis nomen ejus Jesum*, quia in hoc nomine deitatis tota adoratur majestas : omnes qui commorantur in cœlis, universi qui habitant terram, cuncti qui in profundo tenentur inferni, huic prosternuntur nomini, hoc adorant. Audi Apostolum dicentem : *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Phil.* II, 10). Hoc nomen quod dedit cæcis visum, auditum surdis, claudis cursum, sermonem mutis, vitam mortuis, totamque diaboli potestatem de obsessis corporibus virtus hujus nominis effugavit. Et si nomen tantum est, quanta potestas? Sed quis est iste qui vocatur hoc nomine? Jam dicat angelus. *Et Filius* [h] *Altissimi vocabitur.* Videtis quia quod concipit Virgo, non terrenum germen est, sed cœleste. Virgo peperit, sed Deus suscepit Filium. Ergo qui de hac nativitate humano modo disputat, ad omnem tendit tanti genitoris injuriam. *Et dabit*, inquit, *ei Dominus sedem David patris sui.* Hinc [i] hæreticus generat perfidiæ suæ nebulas, hinc sibi fingit erroris materiam. *Ecce*, inquit, non ego dico, sed angelus, *Dabit illi Dominus Deus;* numquid non major est qui dat, quam qui accipit? et qui accipit, antequam acciperet non habe-

[a] Hoc est, quæ illum nacta est Judicem, cui perpetua ejusdem libertatis defensio cœlitus est demandata. MITA.

[b] Emendatio Latinii. Editi, *Verbum Deus.*

[c] Alias, *meriti magnitudo.*

[d] Vide quæ ex Tillemontio annotavimus in fine serm. 59.

[e] Christum aerium, et de substantiis superioris mundi compactum corpus induisse, impia fuit doctrina Apellis, Marcionis discipuli. Contra eum surrexit Tertullianus lib. de Præscript. cap. 51 pag. 343, ejusque sectatores, in lib. de Carne Christi cap. 8, vocat *Apellitanos*; et August., lib. de Hæres. ad Quodvultdeum cap. 23, *Apellitæ* dicuntur; et ab Epiphanio, hæres. 44 pag. 166, *Apelleiani.* De eodem sic Theodoretus, Hæret. Fab. lib. I cap. 25 pag. 211 : *Christo corpus attribuit non humanum, sed de mundi substantia.*

[f] Hæresim hanc foverunt varii : Simon, Menander, Marcion, Valentinus, Basilides, Bardesanes, Cerdo, Manes. Vide Theodoretum Hæretic. Fabul. lib. IV cap. 11 pag. 278. Idem, epist. 104 pag. 975; Chrysostomum, homil. 8 in Matth. pag. 52; Ignatium, in epist. ad Trallenses, pag. 13, Basilium, de Generat. Christi hum. pag. 589, ad illud. Matth. I, 20; Socratem, Histor. Eccles. lib. I cap. 22 pag. 185; Photium, epist. ult. pag. 581; Leontium, de Sectis, act. 3 pag. 434. Huc quoque referri debent Gnostici, qui, scribente Epiphanio hæres. 26 pag. 45, docuerunt *Christum non esse natum ex Maria, sed per Mariam ostensum; carnem vero ipsum non assumpsisse, sed speciem tantum fuisse, seu illusionem.*

[g] Vide Synopsim Sacr. Critic. tom. IV pag. 34 et 35. In sacris autem receptius *Sospitator.*

[h] Deus dicitur *Altissimus* hic, et Gen. XIV, 9; psalm. LXXXII, 7; Marci V, 7.

[i] Arianos perstringit.

bat. Sed nos ista, fratres, audiamus, non ut perfidi, sed ut fideles; et sit nobis argumentum fidei, quod illis est erroris occasio. *Dabit illi Dominus Deus.* Quis dat, aut cui dat? utique Deus homini dat, divinitas carni. *Dabit illi Dominus Deus.* Quis Deus? utique Verbum quod erat in principio semper Deus. Cui dat? *quod caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I). Audi Apostolum dicentem : *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* (I *Cor.* XV). Sibi utique non alii. Hic ergo Deus, qui in Christo erat, regnum sibi dabat in Christo, et conferebat suscepto corpori quod semper sua divinitate possederat, sicut ex ipso angeli probatur eloquio. *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui.* Vides, quia quando accipit, David filius dicitur; quando dat, Dei Filius nuncupatur, ipse dixit : *Omnia quæ habet Pater, mea sunt* (*Joan.* XVI). Et quæ necessitas accipiendi, ubi est habendi potestas? Ait, *omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Quis accipit quæ sua sunt? Aut in gratia dantis est, si accipientis est quod donatur? Fatemur quia accepit, sed iste qui natus est, qui suscepit carnem, qui suscepit infantiam, qui cunabula pertulit, qui suscepit ætates, qui laborem sustinuit, qui famem sensit, qui sitim passus est, qui [a] tot injuriarum genera non refugit, qui ascendit crucem, qui subiit mortem, qui intravit sepulcrum : hæretice, huic quod accepit ascribe. At putas quod honorem a Deo dedignatur accipere, qui ab hominibus tantas accepit injurias? Aut existimas quod conferri sibi regnum a patre fastidit, qui ab inimicis pœnas, mortemque suscepit? Hæretice, quod est injuriæ, quod infantiæ, quod ætatis, quod temporis, quod dati, quod accepti, quod minorationis, quod mortis, si intellexeris non esse divinitatis, sed corporis, tu nullam Filio irrogabis injuriam, nullam tu facies in Trinitate distantiam. Sed revertamur ad nos, et quæ sunt nostra jam loquamur. *Dabit illi*, inquit, *Dominus Deus sedem David patris sui, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* Qui in cœlo semper consedit Patri, nunc sedem David accepit in terra : qui regnabit sibi semper, modo nobis in [b] domo Jacob regnum sortitus est æternum. Gaudeamus, fratres, quia qui sibi regnavit regnaturus est nobis; gaudeamus, quia venit regnaturus in terra, ut nos cum illo regnare possimus in cœlo. Audi Apostolum : *Si compatimur, et conregnabimus* (II *Tim.* II). Nobis natus est, nobis utique regnum venit donaturus, ipso promittente, cum dicit : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV). Vobis dixit, non mihi. Venit, ut sit nobiscum semper, ut nostris sit semper in oculis, qui nunc tantum nostris habetur in cordibus. Veniet, ut quibus est gloria de regno, sit de familiaritate fiducia. *Et regni ejus non erit finis.* Qui ejus adventum credis, gaude, quia regnum sine fine promisit, ubi est [c] sine successore militia, ubi sunt perpetuæ dignitates. Sed quid est quod permansura non ambiunt qui ambiunt transitura? Quid est? Quid est quod caducos honores auro comparant, et nolunt gratis accipere sempiternos? Fratres, hic parantur officia, hic decernuntur loca, hic honores designantur, hic qui non de Evangelii fide acceperit codicillos, ibi æternarum infulas non habebit dignitatum. Ergo si delectat militia, si volumus semper militare, arripiamus arma Christi, vigilemus, sobrii simus, vincamus diabolum, prosternamus vitia, ut possimus [d] accipere præmia pariter et coronas ab ipso Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre regnat nunc et semper, et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[e] SERMO CXLV.

De generatione Christi, et de Joseph Mariam dimittere volente.

Audituri estis hodie, fratres, quemadmodum nobis beatus evangelista generationis Christi retulit sacramentum. *Christi*, inquit, *generatio sic erat : Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto; Joseph autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam* (*Matth.* I). Et quomodo justus, qui conceptum sponsæ duxit non discutere? Suspecti non exquirit causam pudoris, conjugii famam non vindicat, sed [f] requirit? *Voluit occulte dimittere eam.* Hoc pio magis videtur convenire quam justo; sed humano judicio, non divino. Penes Deum neque pietas sine justitia est, neque sine pietate justitia; cœlesti sensu sine bonitate æquitas, sine æquitate bonitas non habetur. Virtutes si separatæ fuerint, dilabuntur; æquitas sine bonitate sævitia est, et justitia sine pietate crudelitas. [g] Joseph ergo merito justus, quia pius; et pius, quia justus. Denique dum pietatem cogitat, crudelitate caruit; dum causam temperat, judicium custodivit; dum vindictam differt, crimen evasit; dum refugit accusatorem, fugit sententiam. Æstuabat animus sanctus negotii novitate perculsus, stabat sponsa prægnans sed virgo; stabat plena pignore, sed non vacua pudore; stabat de conceptu sollicita, sed de integritate secura; stabat vestita materno munere, sed non honore virginitatis exclusa. Sponsus quid faceret ad ista? Accusaret de crimine? Sed erat ipse innocentiæ testis. Culpam diceret? Sed erat ipse custos pudoris [h] Urgeret adulterium? Sed erat ipse virginitatis asser-

[a] Ex Latinio. Editi, *tota injuriarum genera.*

[b] Consonant Patres, qui pro *domo Jacob* Ecclesiam et fideles innui volunt.

[c] Vel de siderum, vel de angelorum militia hæc intelligas, utraque semper eadem erit, nec umquam deficiet. Ex Mita.

[d] Similia habes apud Theophylactum in II Tim. II; S. Athanasium, q. 120 de Parab. Script.; Gregorium Nazianz., Orat. 11 in Pentec.; Augustinum, in psalm. XX; Ambrosium Offic. lib. I cap. 10.

[e] In aliquibus codicibus inscribitur tantum : *De generatione Christi;* reliqua desunt.

[f] Alias, *relinquit.*

[g] Uti justus, id est patriorum rituum observator, retinendam uxorem minime censuit; uti pius, dimittere cogitavit; sed sine strepitu forensi et criminis infamia.

[h] Nec veritus est Augustinus dicere nil aliud quam adulterium suspicasse. Justinus etiam in Colloquio cum Tryphone pag. 303 D, edit. Colon. 1686 : *Quod*

tor. Quid faceret ad ista? Cogitat dimittere, quia non poterat vel foris prodere, vel intus quod evenerat continere. Cogitat dimittere, et dicit Deo totum, quia quod homini diceret non habebat. Et nos, fratres, quoties res turbat, fallit species, facit color negotii interna nescire, declinemus judicium, subtrahamus vindictam, sententiam fugiamus, dicamus Deo totum, ne dum facile innocentum forte gestimus in pœnam, ipsi nobis noxiam sententiam proferamus, dicente Domino : *In quo judicio judicaveritis, judicabitur de vobis* (*Matth.* VII). Certe si nos tacuerimus, clamabit Deus, respondebit angelus, qui Joseph, ne innocentiam desereret, sic prævenit : *Joseph*, inquit, *fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Joseph fili David.* Videtis, fratres, in persona genus vocari, videtis [a] in uno totam prosapiam nuncupari, videtis in Joseph seriem Davidici stemmatis [b] jam citari. *Joseph fili David.* [c] Vicesima octava generatione natus, quomodo David filius dicitur, nisi quia generis aperitur arcanum, fides promissionis impletur, superna conceptio cœlestis partus virginea jam signatur in carne? *Joseph fili David.* Tali voce ad David prolata fuerat promissio Dei Patris : *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum : de fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI). Quod factum quidem tali gloriatur in cantico : *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis* (*Psal.* CIX). De fructu ventris tui, bene fructus ventris tui, bene de utero, quia cœlestis hospes, supernus habitator sic in uteri descendit hospitium, ut corporis claustra nesciret; sic de habitaculo ventris exiit, ut virginalis janua non pateret, et impleretur illud quod cantatur in Cantico Canticorum : *Hortus clausus, soror mea sponsa; hortus clausus, fons signatus* (*Cant.* IV). *Joseph fili David, noli timere.* Sponsæ causas sponsus ne timeat admonetur; et vere pius animus dum compatitur, plus pavescit. *Joseph fili David, noli timere.* Ne cum de conscientia securus sis, de sacramenti cognitione succumbas. *Joseph fili David, noli timere.* Quam vides virtus est ista, non crimen; hic non humanus lapsus est, sed est divinus illapsus; hic præmium est, non reatus; hic incrementum cœli est, non corporis detrimentum; hic non est proditio personæ, judicis est secretum; hic palma cognitoris est, non supplicii pœna; hic hominis furtum non est, thesaurus est Dei; hic non est mortis causa, sed vitæ. Et ideo noli timere quia quæ vitam parturit, non meretur [d] occidi. *Joseph fili David, noli timere Mariam conjugem tuam accipere.* Sponsam vocari conjugem legis est hoc divinæ : sicut ergo manente virginitate mater est, ita [e] conjux dicitur pudore permanente. *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Veniant, audiant, qui requirunt quis sit quem Maria genuit. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Veniant, audiant, qui Græco turbine [f] Latinam nubilare nisi sunt puritatem, ἀνθρωποτόκον, χριστοτόκον, ut θεοτόκον tollerent, blasphemantes. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Et quod de Spiritu sancto natum est, spiritus est, quia Deus spiritus est (*Joan.* III *et* IV). Quid ergo requiris quis est qui de Spiritu sancto natus est, cum tibi quia Deus est, Deus ipse respondeat? cum te Joannes increpet, qui dicit : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, et Verbum Deus caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus* (*Joan.* I). Joannes vidit gloriam, respicit infidelis injuriam. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Et vidimus gloriam ejus. Cujus ejus? qui natus est de Spiritu sancto, ejus qui *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Quod in ea natum est de Spiritu sancto est.* Virgo concepit, sed de Spiritu; virgo [g] parturiit, sed eum quem prædixit Isaias : *Ecce virgo in utero accipiet, et pariet*

vero Joseph occulte dimittere, non palam traducere cogitaret, ideo fuit, quod certe adulteram nesciret, sed mere suspicaretur; immo potius fluctuatione et perturbatione animi moveretur.

[a] Promissio Dei de Christo nascituro, non Judaicam gentem tantummodo, sed privatam Davidis prosapiam spectabat.

[b] Alias, *non mutari.*

[c] Corrupte legebatur *tricesima octava.* Facile enim fuit librariis pro *vicesima* scribere *tricesima.* Matth. XVII : *Omnes generationes ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim; et ab David usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim; et a transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim.* Ergo vicesima octava generatione a David, natus est Christus. MITA.

[d] Lege Moysis, Deuteron. XXI, 20, statuebatur lapidatio in uxores adulterii reas.

[e] Sponsa est, quæ alicui pacta est uxor : nam quæ desponsata erat, uxor habebatur destinatione, ac proinde *uxor* vocatur Genes. XXIX, 21; XXII, 24, ubi punitur tamquam adulter, qui alterius sponsam corruperit. Vox autem hæc *conjux* sponsalibus de futuro, usitato hominum sermone, non convenit. Quare inter Virginem ac Josephum matrimonium ratum, non consummatum intercesserat. Vide Dubamel in notis hic; et Augustinum lib. V contra Julian. cap. 12, qui eidem Juliano suffugium quærenti, et evangelistam ex vulgi opinione locutum effutienti, dum Mariam Josephi conjugem dixit, arguta hac observatione occurrit : *Hoc putemus evangelistam facere potuisse, cum vel sua, vel cujuslibet alterius hominis verba narraret, ut secundum opinionem populi loqueretur. Numquid et angelus loquens unus ad unum, contra conscientiam suam, et ipsius cui loquebatur, secundum opinionem potius quam secundum veritatem fuerat locutus; cui et dixit : Noli timere accipere Mariam in conjugem tuam?*

[f] Vixerat Chrysologo coævus Theodorus Mopsuestenus, secundum cujus pravam doctrinam : *Deus Verbum erat in illo homine quem Virgo peperit* κατ' ἀξίαν, *secundum dignitatem,* κατ' ἀναφοράν, *secundum relationem,* κατ ἐνέργειαν, *secundum operationem : unde ipsa virgo Maria* ἀνθρωποτόκος, *hominipara, et* χριστοτόκος, *Christipara, non* Θεοτόκος, *Deipara,* dici poterat. Verosimilius autem est hic a Chrysologo vellicari hæresim Eutychetis, ut putat Bacchinius in Agnello tom. I. Ex hoc enim eruit vir doctissimus Petrum episcopum Ravennatem diversum esse a Petro nostro, qui recentiori ætate vixit; observavitque Tillemontius tom. V pag. 864, col. 2. Nota in hoc sermone nonnulla legi, quæ occurrunt etiam in epistola Chrysologi contra Eutychem.

[g] Alias, *concepit.*

filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur Nobiscum Deus (*Isa.* VII, *Matth.* I). Nobiscum Deus, cum illis homo. *Et maledictus homo, qui spem ponit in homine* (*Jerem.* VII). Audiant qui requirunt quis est qui natus est de Maria? *Paries filium*, inquit angelus, *et vocabis nomen ejus Jesum.* Quare Jesum? Apostolus dicit : *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum* (*Phil.* II); et tu quis sit Jesus, dolosus cognitor nunc requiris? Omnis jam lingua confitetur *quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris;* et tu adhuc inquiris quis est Jesus? *Paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum.* Non alterius salvum faciet. Unde? *A peccatis eorum.* Esse Deum, qui peccata donat, si Christianis non credis, crede infidelissime vel Judæis dicentibus : *Cum sis homo, facis teipsum Deum* (*Joan.* X). *Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus* (*Marc.* II)? Illi eum negabant Deum, qui eum peccata dimittere non credebant; tu ab eo peccata dimitti credis, et Deum dubitas confiteri? Verbum caro factum est, [a] ut hominis caro promoveretur in gloriam Dei, non ut Deus in carnis verteretur injuriam, sicut dicit Apostolus : *Qui se jungit Domino, unus spiritus est* (II *Cor.* VI). Et quomodo non quando se jungit Deus homini, unus est Deus? [b] Humanæ leges intra triginta annos litigiosas omnes interimunt quæstiones, et Christus [c] circa quingentos annos nativitatis suæ causas præstat, ortus sui lites patitur, status sui sustinet quæstiones? Hæretice, desine judicare judicem tuum, et adora in cœlis Deum, quem Deum magus adoravit in terris (*Matth.* II).

[d] SERMO CXLVI.

De eadem, ac Joseph sponso, et sponsa matre.

Quoties transcursis anni metis dies Dominicæ Nativitatis adventat, et virginei partus fulgor toto orbe diffunditur flammeo corusco, [e] voluntatis, non pavoris est quod tacemus. Quæ mens in ipso ortu divini regis objicere se præsumat? Solis radii cum erumpunt, visus hebetatur humanus; radiante Deo, quomodo non totus animorum sauciatur aspectus? Reparatis ergo sensibus novi luminis post stuporem, tempus est quo jam nos visa Christi generatione per carnem ipsius etiam divinitatis contemplemur arcana. *Christi*, inquit evangelista, *generatio sic erat* (*Matth.* I). Fratres, si volumus intelligere quæ dicuntur, divina verba modis non pensemus humanis; seponendus est humanus sensus ubi totum quod dicitur est divinum. Sic Christus quod nascitur non est consuetudo, sed signum; non est natura, sed virtus; non ordo est, sed potestas; et est cœleste miraculum, ratio non humana. Hic mundana scientia quid capiet? hic carnis intelligentia quid requiret? *Christi*, inquit, *generatio sic erat.* Non dixit, Sic facta est, sed Sic erat, quia Christi generatio erat apud Patrem, quando generabatur ex matre. Quod erat, semper erat; quod factum est, hoc reddebatur : erat Deus, reddebatur homo; ex utero nos suscepit ille, qui nos plasmaverat [f] ex luto. *Cum desponsata esset mater ejus Maria.* Suffecerat dixisse, cum desponsata esset Maria. Quid sibi vult sponsa mater? si mater, non sponsa; si sponsa, non adhuc mater. *Cum desponsata esset Maria mater ejus.* Virginitate sponsa, fecunditate mater; mater viri nescia, partus conscia. Aut quomodo non ante conceptum mater, quæ post partum virgo mater? Aut genitrix quando non, quæ sæculorum generavit auctorem, principium dedit rebus? [g] Natura virgo mater semper, sic semper noverca corruptio. Est ergo muneris virginalis ut regeneret per Deum virgo quod per Deum virgo generavit : Deus et integritas est cœleste consortium, virginitas juncta Christo copula est perfecta virtutis. Quod Virgo concipit, est honor Spiritus, non onus est carnis; quod parturit Virgo, secretum est Dei, non est ministerium conjugale; quod nascitur Christus, divinæ majestatis est, non est imbecillitatis humanæ : est gloria deitatis tota, ub nulla carnis sentitur injuria. *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Quid est quod ad sponsam, et non ad liberam cœlestis innocentiæ destinatur arcanum? Quid est quod sic zelo sponsi, sponsæ periculum comparatur? Quid est quod virtus tanta putatur crimen, salus certa discrimen? Quid est, quod inter innocentes taliter laborat pudor, verecundia succumbit, fatigatur castitas, sauciatur fides, exstat accusatio, urget causa, facultas tota excusatione aufertur? Quis excusat sponsam, quam conceptus accusat? Aut quid proficiet defensor externus, quando facti testis internus assistit? Quid tenemus, fratres? Non apices, non litteræ, non syllabæ, non verbum, non nomina, non personæ in Evangelio divinis vacua sunt figuris. Sponsa quæri-

[a] Ms. Cæsen. et Vallicel., *ut homo carne promoveretur.*

[b] Legem tangit a Valentiniano datam Arturo et Protogene coss. XV kalend. Julii, de triginta annorum præscriptione, c. de Præscript.

[c] Ex his nonnulli eruerant ætatem Chrysologi, sed perperam. Vide Mitam in responsionibus ad opposita de Vita Chrysologi. Antiquos parum diligentiæ in annis computandis impendisse fatentur omnes. Præcipue P. Le Ceiller, *Histoire générale des auteurs ecclésiastiques*, tom. IV pag. 13. Quin hic ipse sermo supputationis hujus errorem evincit. Ejusdem enim styli est quo scripta fuit epistola ad Eutychem, dubio procul data an. 449. Ni velimus dicere 50 jam ab ea transactis annis, adhuc Chrysologum in habendis ad populum concionibus exerceri.

[d] Alias titulum præfert *De eadem.* Cætera desiderantur.

[e] Alias, *pavoris, non voluntatis est, quod tacuimus.* Verba hæc juxta mentem Tillemontii, tom. V pag. 187, innuere videntur Chrysologum in die Nativitatis Domini a concionibus abstinuisse.

[f] Alias, *ex limo.*

[g] Ms. Cæsenæ : *Natura virgo vitiata, finem attulit naturæ : sicut rerum natura virgo mater, sic rerum semper noverca corruptio.* Hoc est, cum natura quæ virgo a Deo creata fuerat, ob peccatum protoplasti vitiata remansit, finem attulit ipsi naturæ virgini, quæ ulterius parere nequivit virgo, sed corrupta ut dicat plurimus generationem unius, alterius esse corruptionem; qua de re natura non amplius dicitur mater, sed appellatur noverca. MITA.

tur, ut jam tunc Ecclesia Christi sponsa signetur, juxta illud Oseæ prophetæ : *Sponsabo te mihi in justitia et judicio, et in misericordia et miserationibus, et desponsabo te mihi in fide* (*Osee* II). Hinc Joannes ait : *Qui habet sponsam, sponsus est* (*Joan.* III). Et B. Paulus : *Sponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (II *Cor.* XI). Vere sponsa, quæ virginali partu novam Christi regignit infantiam. Procurator Joseph sponsus, ut iste in illo Joseph Christi figuram impleat passionis ; Joseph prophetalibus somniis incurrit zelum, Christus propheticis visionibus suscepit invidiam; Joseph missus in lacum mortis, vivus emergit a lacu, Christus mortis sepulcro datus, vivus remeat a sepulcro. Joseph venumdatus est, pretio taxatus est Christus, Joseph transducitur in Ægyptum, ad Ægyptum fugatur Christus; Joseph esurientibus populis panem copiose ministrat, Christus cœli pane manentes orbe toto exsaturat nationes. Sic lucet cur Joseph iste cœlestis sponsi typum prætulerit, portaverit imaginem, ambulaverit in figuram. Maria mater vocatur, et quando non Maria mater? *Congregationes*, inquit, *aquarum appellavit Maria* (*Gen.* I). Nonne hæc exeuntem populum de Ægypto concepit uno utero ut emergeret cœlestis in novam creaturam renata progenies juxta illud apostoli : *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari* (I *Cor.* X). Et ut semper Maria humanæ prævia sit salutis, populum quem unda generatrix emisit in lucem, ipsa jure præcessit in cantico. *Maria*, inquit, *soror Aaron sumens tympanum in manu sua, dixit : Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est* (*Exod.* XV). Nomen hoc [a] prophetiæ germanum est, hoc renascentibus salutare, hoc virginitatis insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium castitatis, hoc Dei sacrificium, hoc hospitalitatis virtus, hoc collegium sanctitatis; merito ergo matris Christi nomen est hoc maternum. Diximus quare mater sponsa, quare Joseph sponsus, quare Mariæ maternum nomen, ut totum circa ortum Christi fuisse mysticum panderemus : nunc quare sponsa quæsita sit ad partum Christi, aliis prodamus ex causis. Prædixerat Isaias et virginem parere Deum cœli (*Isai.* VII), regem terræ, orbis Dominum, reparatorem mundi, mortificatorem mortis, redditorem vitæ, perpetuitatis auctorem : hoc quam esset mundanis triste, terribile regibus, pavendum Judæis, ipse Dominicæ nativitatis probavit eventus. Namque ubi natum Christum nuntiantibus magis audivit Judæa, Herodes didicit, mox perdere Judæi, Herodes occidere molitus est Christum (*Matth.* II); et dum successorem sibi timent, omnium perdere conati sunt salvatorem. Denique quia ipsum invenire nequierunt, delent patriam, lac miscent sanguini, coævos ejus parricidali furore collidunt; laniant innocentiæ socios, quia culpæ participes invenire non poterant quos punirent. Et si jam nato Christo hæc faciunt, concepto A Christo tanta feritas quid fecisset? Hinc est quod providetur sponsus, providetur maritalis species, ut celet miraculum, ut tegat signum, ut velet Virginis partum, ut crimini non det locum, ut furentis insidias sic eludat. Christus quamvis morti deditus, in utero si fuisset exstinctus, mors præceps quod nostræ saluti venerat, abstulisset. Et quia locus iste multa nobis conferre poterit si dicatur, prælibasse nos hodie, fratres, Dominicum sufficiat sacramentum.

SERMO CXLVII.

De Incarnationis sacramento.

Dominum Christum, fratres, quæ res fecerit terreni corporis inire commercium, intrare humanæ carnis angustias, habitare virginalis uteri mansionem, B quia ante hac audire cœpimus, hodie plenius audiamus. Vos mihi vita, vos mihi salus, vos mihi gloria : et ideo non patior nescire vos [b] quod Deus mihi dederit scire. Deum scivit evangelista cum dicit : *Deum nemo vidit umquam* (*Joan.* I). Ergo Deum quem sciebat, agnoscebat, sentiebat : quia videre non poterat creatura, ferebatur servitute dura, triste exhibebat obsequium pro invisibili majestate; obsederat pavor omnia; timor solverat universa; cuncta concusserat terror; in cœlo divinus splendor prostraverat angelos; in terra tonitrua et fulmina corda mortalium quassabant. Sic minus pavor amorem dominantis exclusit; angelos fugavit ad terras; homines traxit ad idola; mundum vanis erroribus occupavit : fecit omnes Creatorem fugere, colere creaturas. Amare C non potest, qui satis timet : hinc est quod mundus perire maluit quam timere; pavore mors ipsa levior. Denique Cain ubi parricidali cœpit terrore vexari, mortem petit, requiem credit si periret (*Gen.* IV). Et quid dicam Cain? Elias ille ubi sensit toto se timore aspergi, repetebat quam fugerat mortem, melius existimans morti succumbere quam timori (III *Reg.* XIX). Petrus quoque Dominicæ virtutis timore turbatus, Christum ut a se discederet, supplicabat : *Discede*, inquit, *a me, quia homo peccator sum* (*Luc.* V). Hoc dicebat, quia quidquid erat amoris et fidei, pondus pavoris exstinxerat; sic timor nisi amore fuerit temperatus, quamvis devotam servitutem efficit contumacem. Videns ergo Deus mundum labefactari timore, continuo agit ut cum amore revocet, invitet D gratia, charitate teneat, et constringat affectu. Hinc est quod inveteratam malis terram abluit ulciscente diluvio, et Noe novi sæculi vocat parentem, blando sermone compellat, dat familiarem fiduciam, pie de præsentibus instruit, consolatur per gratiam de futuris; et jam non jussis, sed participato labore una in arca claudit totius sæculi partum, ut societatis amor, timorem servitutis auferret, et servaretur amore communi quod fuerat communi labore salvatum (*Gen.* VII). Hinc est quod Abraham vocat de gentibus, auget nomine, patrem fidei facit, comitatur via, inter exteros servat, ditat rebus, honorat triumphis, pro-

[a] Maria Aaronis soror, prophetiæ dono claruit.

[b] Ms. Cæsen., *quod mihi Deus scire donaverit*,

missis oppignorat, eripit injuriis, hospitalitate blanditur, mirificat germine desperato ; ut tot repletus bonis, tanta divinæ illectus dulcedine charitatis, Deum diligere disceret, non timere ; amando colere, non pavendo (*Gen.* XII). Hinc est quod Jacob fugientem solatur in somnis, redeuntem pro certamine provocat, luctatoris constringit amplexu ; ut amaret patrem certaminis, non timeret (*Gen.* XXVIII). Hinc est quod Moysen patria voce vocat, paterna alloquitur charitate, ut sit plebis suæ liberator invitat (*Exod.* III). Et quid plura ? Deum facit, dedit eum in Deum Pharaonis ; Deum facit, munit signis, armat virtutibus, jussis bella expugnat, militem ipso verbo vincere tribuit, præceptis triumphare concedit atque per omnes virtutum coronas ad amicitiam suam promovet, cœlestis regni præstat esse participem, et ut ipse sit legislator indulget, totum tamen ut amaret accepit : denique tantum esset Dei amore succensus, ut ipse ardenter diligeret, et alios ut diligerent sic moneret : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et ex tota virtute tua* (*Deut.* VI). Quidquid est cordis, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ, ita Dei amore voluit possideri, ut hominis mundanus non haberet quid violaret affectus. Sed per hæc quæ memoravimus, ubi humana corda flamma divinæ charitatis accendit, et humanis sensibus amoris Dei tota se fundit ebrietas, saucia mente cœperunt Deum carnalibus velle oculis intueri. Deum quem mundus non capit, angustus quomodo capere poterat humanus aspectus ? Quid erit, quid debeat, quid possit, non respicit jus amoris. Amor ignorat judicium, ratione caret, modum nescit. Amor non accipit de impossibilitate solatium, non recipit de difficultate remedium. Amor nisi ad desiderata pervaserit, necat amantem ; et ideo vadit quo ducitur, non quo debeat. Amor parit desiderium, gliscit ardore, ardor ad inconcessa pertendit. Et quid plura ? Amor quod amat non potest non videre : hinc est quod omnes sancti omnia quæ meruerant parva duxerunt, si Dominum non viderent. Et revera, fratres, quomodo pro beneficiis reddet obsequium, si beneficiorum non videat largitorem ? Aut quomodo credit a Deo se amari, cujus non meretur aspectum ? Hinc est quod amor qui cupit videre Deum, et si non habet judicium, habet tamen studium pietatis. Hinc est quod Moyses audet dicere : *Si inveni gratiam coram te, ostende mihi faciem tuam* (*Exod.* XXXIII). Hinc est quod alius dicit : *Ostende faciem tuam* (*Psal.* LXXIX). Denique et ipsi gentiles ob hoc simulacra finxerunt, ut in ipsis erroribus oculis cernerent quod colebant. Sciens ergo Deus visendi se desiderio cruciari, lassarique mortales, unde se visibilem faceret hoc elegit, quod esset et terrenis magnum, et non minimum supernis. Nam quod in terra a Deo sibi simile factum A est, in cœlo non poterat honorificum non haberi ? *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem, et similitudinem nostram* (*Gen.* I). Perfecta devotio hoc debet imagini, quod debet et regi. Si de cœlo sumpsisset angelum, nihilominus invisibilis haberetur : si de terra minus homine, et divinitatis esset injuria, et dejecisset hominem, non levasset. Nemo ergo, charissimi, Dei credat injuriam, si Deus ad homines per hominem venit, et assumpsit ex nobis, ut videretur a nobis qui vivit et regnat Deus nunc, et [a] per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO CXLVIII.

De eodem.

Hodie, fratres, hesternum debemus redhibere sermonem, hodie Dominicæ nativitatis lætitiam debemus B iterare : quando concipit Virgo, virgo parit, manet virgo, non est consuetudo, sed signum ; non est ratio, sed [b] virtus ; auctor est, non natura ; non est commune, sed solum ; divinum est, non humanum. Cesset ergo inanis philosophiæ labor, nasci Christum non fuit necessitas, sed potestas ; fuit honor, injuria non fuit ; sacramentum pietatis fuit, deitatis non fuit detrimentum ; fuit reparatio salutis humanæ, imminutio substantiæ non fuit hæc divinæ. Qui non nascendo ex intacto limo fecit hominem, nascendo ipse hominem de corpore fecit intacto ; manus quæ in nostrum plasma lutum dignanter assumpsit, ad reparationem nostram dignanter assumpsit et carnem. Ergo quod Creator in creatura sua, quod Deus invenitur in carne, creaturæ honor est, non est Creatoris injuria. C Sed hoc contumeliam credit, qui credit lutum pretiosius esse quam carnem. Fortasse pœnitet de luti injuria in honorem carnis, in hominis gloriam se mutatum ? Homo, quare tibi tam vilis es, qui tam pretiosus es Deo ? Quare sic honoratus a Deo teipsum taliter inhonoras ? Quare quæris unde factus sis, et ad quid factus sis non requiris ? Nonne tota ista quam vides tibi facta est mundi domus ? Tibi infusa lux circumfusas removet tenebras, tibi est temperata nox, tibi dimensus est dies : tibi cœlum, solis, lunæ, stellarum vario fulgore radiatum est ; tibi terra floribus, nemoribus, fructibus est depicta ; tibi creata est in aere, campis, in aqua speciosa continens mirabilis animantium multitudo, ne gaudium novi sæculi tristis solitudo confunderet. Hinc est quod fecit te esse de D terra, ut esses tu dominus terrenorum, et esses ipsis in ipsius substantiæ communione communis : nec tamen te terrenum terrestribus sic æquavit, ut non etiam cœlestibus animatum te cœlitus exæquaret : et ut esset tibi cum Deo ratio communis, corpus commune cum jumentis, dedit tibi animam de cœlo, dedit tibi corpus de terra, ut in te nexa cœli terræque concordia servaretur. Adhuc tamen quid adjiciat ad honorem tuum tuus Creator excogitat : in te imagi-

[a] Hac formula absolvere conciones solemne fuisse Patribus, testatur Ferrarius de Concion. lib. I, cap. 32, pag. 153, ubi et ipsum laudat Chrysologum.

[b] Nil usitatius apud veteres quam *virtutis* nomine divinitatem, et maxime Christi, enuntiare. Sola testimonia, quæ Theodoretus colligit ad calcem dialogi 3 contra Theopaschitas abunde faciunt. Addam illud Ambrosii lib. II de Fide, cap. 7 num. 56 : *Christus ut homo turbatur, non turbatur ejus virtus, non turbatur ejus divinitas.*

nem suam ponit (*Gen.* I), ut terris invisibilem conditorem visibilis imago præsentem poneret, et in terrenis dedit tibi vices suas, ut non [a] fraudaretur Domini vicario mundi tam larga possessio. Et si ista ita sunt, quare modo putatur injuria, quando Deus quod per se fecit in te, in se clementer excepit, et in homine se vere videri voluit, in quo ante imaginario voluit se videri; deditque ut [b] proprietas esset ipse, qui ante ut similitudo esset acceperat? Concepit virgo, virgo peperit, non te conceptus turbet, partus te non confundat auditus, quando virginitas quidquid est humani pudoris excusat. Aut quæ ibi verecundiæ læsio, ubi init deitas cum amica sibi semper integritate consortium; ubi est interpres angelus, fides pronuba, desponsatio castitas, donatio virtus, judex conscientia, causa Deus, conceptus integritas, virginitas partus, virgo mater? Nemo ergo judicet humano modo quod divino geritur sacramento, nemo [c] mysterium cœleste discutiat ratione terrena, nemo ex usu tractet novitatis arcanum, nemo quod singulare est metiatur exemplo, nemo contumeliam de pietate componat, nemo periculum subeat de salute. Certe qui scire desiderat altiora, recurrat ad legem, per legem legis scientiam quærat, auctoris factum auctoritate cognoscat auctoris. Lex refert (*Gen.* II) quod Deus hominem propriam creavit ad vitam, quod homini terram jussit proferre fructus spontanea servitute; quod bestias, pecudes, armenta, humanæ jussit potestati subjacere, non arti, ut homo laboris nescius, doloris ignarus, beatus delicias possideret. Sed omnia hæc ne haberet homo, angelus, qui inter primos habebatur, invidit, maluitque in diabolum commutari, ne hominem plenum gloria [d] sic videret. Denique hoc livore succensus aggreditur dolis feminam, virginemque ut vetitum degustaret pomum inducit: inducta virgo inducit virginem mox maritum, ac dejecit vitæ statum, mortis cibum, peccati pabulum, dum ministrat, et ipsa fit totius materia ruinæ, quæ facta fuerat ad solatium singulare. Hinc peccatum primum, hinc origo mortis, hinc labor, hinc dolor, hinc gemitus, hinc amara [e] propagata est nostræ conditio servitutis. Namque homo ante dominus omnium, in omnium dejectus est servitutem, et timet omnes qui timebatur ab omnibus; et vix arte valet, qui potestate regnabat. Hinc est, fratres, hinc est, quod Christi talis est ordo nascentis: ad virginem diabolus venerat, venit angelus ad Mariam; ut quod malus dejecerat angelus, bonus angelus allevaret. Perfidiam suasit ille, hic fidem: suasori credidit illa, ista credit auctori. Nascitur Christus, ut nascendo corruptam redintegret naturam; infantiam suscepit ille, patitur nutrimenta, percurrit ætates, ut unam perfectam, manentem, quam ipse fecerat, instauraret ætatem: portat hominem, ne jam cadere homo possit; quem terrenum fecerat, fecit esse cœlestem; animatum humano spiritu, spiritum vivificat in divinum: et sic eum totum tollit in Deum, ut in eo quod peccati, quod mortis, quod laboris, quod doloris, quod terræ est, nil relinquat, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre vivit, et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, nunc, et semper, et per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

[f] SERMO CXLIX.

De Nativitate Christi et pace Christianorum.

In adventu Domini et Salvatoris nostri, atque in præsentia ejus corporali angeli ducentes choros cœlestes, evangelizabant pastoribus, dicentes: *Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo* (*Luc.* II). Ab ipsis ergo sanctis angelis etiam nos mutuati vocem, annuntiamus vobis gaudium magnum. Hodie enim Ecclesia in pace est, et hæretici in ira; hodie Ecclesiæ navis in portu est, et hæreticorum furor jactatur in fluctibus; hodie, fratres, pastores Ecclesiæ in securitate, et hæretici in perturbatione sunt; hodie oves Domini in tuto, et lupi insaniunt; hodie vinea Domini in abundantia, et operarii iniquitatis in indigentia; hodie populus Christi, charissimi, exaltatus est, et inimici veritatis humiliati sunt; hodie, dilectissimi, Christus in lætitia, et diabolus in luctu; hodie angeli in exsultatione, et dæmones in confusione. Et quid plura dicere? Hodie Christus qui est rex pacis, cum sua pace procedens fugavit omne dissidium, dissensiones depulit, discordiam perturbavit, et sicut cœlum splendor solis, ita Ecclesiam fulgore pacis illuminat. *Quia natus est vobis hodie*, ait, *Salvator mundi.* O quam desiderabile nomen pacis, quam religionis Christianæ stabile fundamentum, et altaris Dominici cœlestis ornatus! Et quid dignum possumus de pace proloqui? Pax nomen est ipsius Christi, sicut et Apostolus dicit: *Quia Christus est pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II): quæ non sententiis, neque fide, sed invidia diaboli dissidebant. Verum sicut procedente rege, et plateæ mundantur, et omnis civitas diversis floribus et ornatibus coronatur, ut nihil sit, quod minus dignum vultui regis appareat; ita et nunc, procedente Christo rege pacis, omne quod triste est auferatur a medio; et illucescente veritate, fugetur mendacium, fugiat discordia, resplendeat concordia. Et sicut frequenter fieri videmus, ubi regum, vel fratrum tabulæ depinguntur, ut inter utrosque

[a] Mita, mendose, *fundaretur*.

[b] Homo prius tantum erat similitudo Dei; nunc etiam proprietas dicitur, postquam humanitas accepta est a Verbo. MITA.

[c] Hujus vocis significationem examinandam suscepit Casaubonus Exercit. 16 pag. 542, eamque a *claudendo* dictam putat. Universam autem Christi, et de Christo doctrinam appellant *mysterium*. Et I Cor. IV, 1, apostoli vocantur *dispensatores mysteriorum Dei*. A paganis vocem hanc effluxisse si quis contendat, non renuam. Nonnulla enim eorum sacra vocabantur *mysteria*, vel *sacra opertanea*.

[d] Alias, *quam hominem sic videre*.

[e] Editiones correximus ex ms. Cæsen., in quibus deest, *propagata est*.

[f] Huic sermoni in nonnullis editionibus titulus est: *De Nativitate Domini sermo: quem quidam D. Severiani Gabalensis vutant, sed falso*. Consule annotata in præfatione.

unanimitatis declarentur insignia, artifex pictor femineo habitu post tergum utriusque [a] concordiam statuit, quæ brachiis suis utrumque complectens indicet, quod hi qui videntur corporibus separati, sententiis et voluntate conveniant; ita nunc pax Domini media assistens, et utrumque nostrum gremio palpante connectens, discreta corpora in unum convenire animum ulnis jungentibus docet, in quo sine dubio completur sermo propheticus, qui ait: *Et erit consilium pacificum inter utrosque* (*Zach.* VI). Et hesterno quidem [b] pater noster communis Evangelico pacis sermone præfatus est, hodie vero nos verba pacis expromimus; ipse nos hesternos resupinis manibus in verbo pacis excepit, et nos hodie dilatato pectore ulnisque patentibus ad eum cum muneribus pacis occurrimus. Jam bella destructa sunt. Omnia pulchritudo pacis obtinuit, nunc in luctu est diabolus, et in lamentatione omnis dæmonum turma; nunc in cœlestibus lætitia, et in angelis exsultatio, quibus specialius familiaris est pax: hanc enim etiam cœlestes admirantur virtutes, apud quas fons ejus habetur perennis: ex quo etiam terreni, guttis quibusdam exinde distillantibus, irrorantur. Et ideo etiam si in terris pax laudatur a sanctis, laudis ejus splendor redundat in cœlum: laudant eam cœlestes angeli, et dicunt: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Videtis, fratres, quomodo cœlestes omnes, et terrestres invicem sibi munera pacis mittunt, cœlestes angeli pacem terris annuntiant, sancti in terris Christum, qui est pax nostra, collaudant in cœlestibus positum, et mysticis choris conclamant: *Hosanna in excelsis.* Dicamus ergo et nos cum angelis: *Gloria in altissimis Deo*, qui humiliavit diabolum, et exaltavit Christum suum; gloria in altissimis Deo, qui discordiam fugavit, et pacem statuit. Videte, fratres, vocem angelicam exsultantem. *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax.* Dico enim vobis artem diaboli, cujus neque vos ignoratis astutias. Vidit Satanas firmitatem fidei stabilitatemque, vidit eam pietate dogmatum septam, vidit eam operum bonorum fructibus abundantem; et ideo pro omnibus ad insaniam venit, et rabie furoris exarsit, ut inscinderet concordiam, ut convelleret charitatem, ut disrumperet pacem, sed pax semper sit nobiscum.

SERMO CL.

De fuga Christi in Ægyptum.

Si conceptum Virginis, Virginis partum sermo non aperit, sensus non recipit, non capit mens humana, Deum fugisse ut hominem quis loquatur? *Apparuit*, inquit, *Angelus Domini in somnis Joseph, dicens: Accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum* (*Matth.* II). Si pietatis esse diximus, quod natus est Christus, Christus quod fugisse legitur, quid dicemus? Forte sicut natum diximus, ut repararet naturam, dicamus quod ut fugaces revocaret aufugit. Et revera si, ut revocet errantem ovem, in montibus ipse errat, quomodo ipse non fugit fugientes populos ut reducat? *Accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum.* Quid est quod sic cœlestis causa tractatur, ut sensus [c] confundatur humanus, lassetur animus, laboret intelligentia, hebetetur auditus, fides nutet, spes titubet, credulitas ipsa succumbat? *Accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum.* Persequente homine, Deus fugit; sæviente terra, cœlum trepidat; et volitante pulvere, pavore turbantur angeli, et pavor patris filio fugiente monstratur. *Accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum.* David persequente Saul, ad Judæam confugit, recepit vicinia (I *Reg.* XXI *et* XXII); domus unius viduæ Eliæ sufficit ad latebras (I *Reg.* XVII). Christo fugiente locus deest, provincia deficit, non subvenit patria. Dum migrat, non vicinæ gentes, non finitimæ sufficiunt regiones: sed [d] Ægypti tristem locum, extorrem habitu, lingua, moribus barbarum [e] procurat exsilium. *Accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum.* Si rerum refugium fugit, auxilium latescit omnium; si formidat fortitudo cunctorum, si se universorum defensio non defensat, quare humana notatur fuga, arguitur trepidatio, formido culpatur? Quare vocatur in crimen Petrus qui negat, Joannes qui expavescit et fugit, discipuli omnes, quia deserunt per pavorem (*Matth.* XXVI, *Marc.* XIV)? Et ista, fratres, esto facta sint, quare litteris mandantur, quare referuntur in libris, quare recitantur sæculis, quare quotidianis lectionibus innotescunt, quare omnes panduntur in gentes? Numquid ut divinum timorem lingua, locus, ætas, tempus, universa cognoscant? Sicut enim cum virtutes leguntur, animos erigunt ad profectum, ita deponunt animos cum recitantur infirma. Quid sibi vult ergo evangelista, quod hæc scribit ad memoriam sempiternam? Devoti militis est regis sui tacere fugam, referre constantiam, virtutes loqui, timores silere, aperire fortia, infirma reticere, adversa delere, prædicare victorias, quo et hostium frangere ausus possit, et sociorum excitare virtutem. Evangelista igitur referendo talia, videtur excitasse hæreticorum latratus, defensionem fidelibus sustulisse. *Tolle*, ait, *puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum.* Mandatur fuga, non profectio; imponitur necessitas, non voluntas: indicit angelus latentem peregrinationem, non liberum commeatum; ut via, quæ est per se molesta, semper esset molestior per timorem. Ergo ob quam causam hæc nobis scripta sint, jam tempus est ut quæramus. *Tolle puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum.* Bellicosus quod in bello

[a] Hæc apparent in nummo Juliæ Paulæ, et in veterum monumentis.

[b] Chrysostomus scilicet, qui pridie quam Severianus de pace sermonem habuerat et ipse.

[c] Male vulneratum in editis locum ex mss. Cæsen. et olim Urbinat. sanavit Mita.

[d] Ms. Cæsenæ, *sed Ægypti triste loco, extorre habitu, lingua ignotum, moribus barbarum procuratur exsilium.*

[e] Ita emendat Latinius: Editi et mss., *procuratur.*

fugit artis est, non timoris; Deus quando fugit hominem, sacramenti est, non pavoris : potens quando se subducit infirmo, insequentem non pavet, sed foris producit; vult enim in aperto vincere, qui publicam referre cupit ex hoste victoriam; occultum se non patitur inire conflictum, qui mandare suum sæculis vult triumphum. Secreta victoria, virtusque latens exemplum posteris non relinquunt. Hinc est, quod Christus fugit, ut cedat tempori, non Herodi : neque enim mortem fugit, qui venerat de hoste reportare victoriam; neque humanas insidias expavescit, qui totas venerat diabolicæ fraudis aperire versutias; neque tunc timuit, quando infans, et secundum hominem timere nescivit, et secundum Deum potuit non timere. Christus, fratres, si mactatus in illo grege lactentium tunc fuisset, mors ei casus fuerat, non voluntas; non virtus fuerat, sed infirmitas; necessitas fuerat, non potestas; et innocentiæ fuisset præmium, majestatis gloria non fuisset. Certe ubi esset, quod a Deo dictum est : *Non coques agnum in lacte matris suæ* (*Exod.* XIII *et* XXXIV)? *Futurum est*, inquit, *ut Herodes quærat puerum*. Herodes quærebat, sed quærebat diabolus per Herodem, qui videbat sibi magos, quos habebat in [a] erroribus suis principes, aufugisse. Christus si vinctus pannis, si sub matris uberibus occupatus, si tacens lingua, si latens opere, si gressu nullus, diaboli signiferos, hoc est magos in duces fidelissimos commutavit, perfectæ ætatis Christus quid posset facere diabolus jam videbat : et ideo movebat Judæos, instigabat Herodem, ut Christi suspectam sibi præveniret infantiam, ut futura virtutis ejus anticiparet insignia, ut peremptorium sibi nobis [b] victoriosissimum vexillum crucis callidus machinator [c] auferret. Sentiebat diabolus, sentiebat quod Christus doctrinis, virtutibus, vitam mox repararet, et mundum totum, qui adhuc vagiens, ipsum quod erat mundani vertices, occuparet, juxta illud prophetæ : *Priusquam sciat puer vocare patrem aut matrem, accipiet et virtutem Damasci, et spolia Samariæ* (*Isai.* VIII). Et ut, ipsis probantibus Judæis, cum dicunt : *Videtis, quia nihil proficimus, ecce mundus totus post ipsum vadit* (*Joan.* XII), Christus se in carne venturum, ascensurum per ætatum gradus, annuntiaturum gloriam cœlestis regni, prædicaturum fidei doctrinam, et imperio verbi solo fugaturum dæmones, daturum cæcis visum, claudis cursum, mutis verbum, auditum surdis, peccatoribus [d] remissionem, mortuis vitam, per legem promiserat, et per prophetas. Unde hæc Christus impleturus [e] vir, infans mortem distulit, non fugit. Denique fugam ejus non de periculi metu, sed de prophetiæ venisse mysterio evangelista asserit, sic dicendo : *Accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum*. Et post : *Ut impleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem : Ex Ægypto vocavi filium meum* (*Oseæ* XI). Christus ergo fugit, ut staret legis veritas, prophetiæ fides, Psalmistæ testimonium, dicente ipso Domino : *Necesse erat impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me* (*Luc.* XXIV). Christus fugit, nobis, non sibi; Christus fugit, ut dispensanda temporibus sacramenta servaret. Christus fugit, ut futuris virtutibus subveniret, et perfidis materiam tolleret excusandi, et credituris fidei fiduciam largiretur, quia in persecutione melius est fugere, quam negare. Denique Petrus, quia fugere noluit, abnegavit (*Marc.* XIV); Joannes ne abnegaret, aufugit.

SERMO CLI

De eadem.

Hodierna lectio movit corda, concussit viscera, stupefecit auditum. *Ecce*, inquit, *angelus Domini apparuit Joseph in somnis, dicens : Surge, accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum* (*Matth.* II). Cui nascenti virginitas non resistit, non obviat ratio, non contradicit natura, quæ potestas, quæ vis, quod discrimen prævalet, ut compellatur ad fugam? *Accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum*. Reverentius diceret, Vade in Ægyptum, ut esset profectio, non fuga; voluntas, non necessitas; judicium, non metus; humanum saltem, si non divinum : at nunc mandatur fuga, mandatur cœlitus, mandatur per angelum, ut videatur cœlum timor ante tenuisse quam terram. *Accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum*. In Ægyptum fuge a tuis ad extraneos, ad sacrilegos a sanctis; a templo tuo ad dæmonum fana, ad [f] idolorum patriam a regione sanctorum. Sic Judææ non sufficit latitudo, sic angustatur sæculi diffusa possessio, non capit secretum templi. Sacerdotum turba non suscipit, non abscondit numerositas investigabilis cognatorum, ut ad deitatis latebras profana Ægyptus conducatur : sic res urget, si non vacat intueri verecundiam virginis, laborem matris, sexus

[a] In erroribus scilicet, in quibus astronomicis observationibus dediti, ut plurimum, inducuntur. Ex quibus et ex sequentibus satis patet tradidisse Chrysologum, magos fuisse ariolos, et vanarum stellarum apparitionum studiosos, quos infra vocat *diaboli signiferos*. At nullus jam dubitat, magos hos fuisse sapientes, philosophos, et sideralis scientiæ peritos. Chrysologus fortasse nudæ vocis significationi adhæsit. Nam, ut ait Hesychius, magum appellabant *seductorem*, *incantatorem*; et Suidas : *Veneficos vocarunt magos*. Chrysologo propior Balsamon, ad can. 36 Laodicen. pag. 842 : *Magi sunt, qui ad Satanam accedunt*. Non autem defuere ex Patribus qui cum Nostro male de evangelicis magis sensere. Hilarius, Comment. in Matth. cap. 1, num. 5, pag. 672, tom. I edit. Veron., vocat eos *homines professionis longe a scientia divinæ cognitionis aversæ*; Ignatius, Epist. ad Ephes.; Justinus, dialog. cum Tryphone; Orig., lib. I contra Celsum; Ambrosius, lib. II in Luc. num. 47 et 48; Hieronymus, in Isai. XIX, 47, qui tandem palinodiam recinere videtur in Daniel. XI.

[b] Alias, *saluberrimum*.

[c] Ms. Cæsen., *evacuaret*.

[d] Alias, *veniam*.

[e] Alias, *robustiori ætate*.

[f] Fuisse Ægyptum idololatriæ sedem, nemo est qui ambigat : et, adventante Christo, Ægypti simulacra corruisse jam prædixerat Isaias cap. XIX, de quo vaticinio Baronius in Annal. At alio intendisse animum prophetam sanctissimum, vult clariss. Serry Exercit. 38 pag. 261 et seqq.; quem consulas vellem, ut vulgo conceptam opinionem tandem exuas.

pudorem, periculum in Joseph, longinquitatis fatigationem, exitium totius domus, et, quod his durius, Judæos peregrinaturos in gentibus, quibus nec ipsa est communio, immo est profundum legis [a] transgressione naufragium. O quam durum est peregrinatio etiam inter cives fratresque! sapit quid sit sua domus, qui sentit alienam : et ubi est illud : *Domine, refugium factus es nobis* (*Psal.* LXXXIX)? Et, *Deus noster refugium et virtus* (*Psal.* XLV)? Si refugium fugit, si timet virtus, si præsidium migrat, quæ vita, quæ spes, quæ securitas, quod munimen? Eliæ contra insidias liberi regis, vidua una sufficit (III *Reg.* XVII); Christo contra Herodis captivi minas Judæa tota non sufficit. Elias missos ad se cœlesti igne consumit (IV *Reg.* I), Christus sola fuga fit salvus. Hucusque fugæ Christi querimonias exaggerasse sufficiat. Fratres, quod fugit Christus, fuit mysterii, non timoris; fuit liberatio, non periculum Creatoris; divinæ virtutis fuit, non fuit fragilitatis humanæ; non fugit propter auctoris mortem, sed fugit propter sæculi vitam. Nam qui mori venerat, quare fugeret mortem? Christus totam causam nostræ salutis occideret, si se parvulum permisisset occidi. Christus venerat, ut quos præceptis docuerat, firmaret exemplis, et ipse faceret quæ facienda mandaverat; et visu probaret possibilia, quæ impossibilia videbantur auditu. Venerat ut mundo notitiam suæ deitatis infunderet, et humani generis ignorantiam auferret. Venerat ut pigra mortalium corda ad fidem virtutibus excitaret. Venerat diabolum publico superare conflictu; ut [b] ab omnibus et divino vinceretur jussu, et humano presterneretur exemplo. Venerat præsentiæ suæ promissa persolvere, ut quibus scire se dederat, concederet se videre. Venerat ut veniret Judæus de contemptu legis. Venerat introducere ad fidem gentes. Venerat eligere apostolos doctores orbis, eosque cœlestibus implere doctrinis, munire virtutibus, armare signis, ut signis edomarent feros, sanarent virtutibus infirmos; doctrinis dociles edocerent : et ad summum, venerat mortem perdere moriendo, penetrando inferna dissolvere, resurgendo sepulcra reserare; ascendendo ad cœlos cœlestibus donare terrenos. Omnia hæc utique periissent nobis, si Christus, cum esset in cunabulis, non fugisset. Sed, auditor, dicas, Cum posset aliter, quare tantis, quare talibus se summisit injuriis? Quare? Primum, quia neque sine homine poterat salvari homo, neque sine humanis injuriis injuriæ humanæ poterant amputari : causam suam facit, qui [c] alteri vult cavere; qui non compatitur, amputare non potest passiones. Christus nos in se suscepit, ut se daret nobis; pertulit passiones nostras, ut nostras tolleret passiones. Hinc est quod Christus fugit, ut nostras fugas in persecutionibus temperaret. Martyr comprehensus debet tenere constantiam, non comprehensus debet fugere persequentem, ut et persecutori indulgeat resipiscendi tempus, et sibi tempus non auferat supplicandi, dicente Domino : *Si vos persecuti fuerint in hac civitate, fugite in aliam* (*Matth.* X). Persecutorem qui provocat, facit; corrigit qui declinat. Fugere debemus ergo, provocare non debemus, si salvari persecutores nostros volumus, pro quibus præceptum est nos orare. *Orate*, inquit, *pro persequentibus vos* (*Matth.* V). Orandum est, fugiendum est, ut et ille qui per ignorantiam furit, sanetur; et ille qui patitur de patientia palmam subeat, non subeat de temeritate discrimen. Fratres [d] si Saulum martyres non fugissent, Paulum martyremque non fecissent. Hoc faciendum docuit Christus, hoc nobis reliquit exemplum; ut fugiente Domino, fugere indignum non putet servus. Et alia est causa quod fugit Christus, quod infans tempus suæ distulit passionis, quod crucem supra tricesimum annum vitæ corporalis ascendit; ut qui ad vitam perfectum hominem fecerat, perfectam repararet in vitam; et qualem terris dederat, talem redderet cœlo. Et quod ad Ægyptum fugit, [e] aliam procedit ad causam. Fugit ad Ægyptum, ut perfidiam Judæorum [f] per fidem gentium castigaret : nam Dominum suum quem Judæa fugaverat, Ægyptus obsequenter accepit, ut Ecclesiam Synagogæ, Judæis gentes anteponendas in fide suam panderet per figuram.

[g] SERMO CLII.

De infantium nece.

Zelus quo tendat, quo prosiliat livor, invidia quo feratur Herodiana hodie patefecit immanitas : quæ dum temporalis regni æmulatur angustias, æterni regis ortum molitur exstinguere, sicut ait evangelista : *Tunc Herodes videns quia illusus esset a magis, iratus est valde : et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus ejus* (*Matth.* II). *Videns quia illusus esset a magis.* Dolet impietas se illusam, dilatam se crudelitas furit, fremit dolosi-

[a] Judæis ad exteros vetita peregrinatio.

[b] Alias, *ab hominibus.*

[c] Alias, *alterius.*

[d] Corruptus in plurimis editionibus locus medica manu indigebat. Dum autem *martyremque* dicit, forsan S. Stephanum respicit.

[e] Ad litteram : Christus in Ægyptum se recepit, ubi nihil Herodes auctoritatis et potestatis habebat. Nec ejus, nec Scribarum, et Pharisæorum furorem evitasset, ut observat Hieronymus, Comment. in Matth. lib. I, si extra Galileæ tantum fines aufugisset. Nam persecutor Herodes integrum tum Judæorum regnum obtinebat, et post ejus tantum obitum in tetrarchias divisio facta fuit.

[f] Non quod tunc in Ægypto Christi fides recepta esset, ut gregarius quidam mysticus scriptor innuit : nam ibidem ad annos usque rep. sal. 329 idololatriam durasse accuratiores scriptores docent. Et qui tradunt ad Christi adventum idolorum simulacra in eadem regione corruisse, si de dæmonum imperio ibidem excusso intelligunt, ea tradunt quæ elapsis temporibus, non quæ modo evenere. Cum autem in superiori nota meliori criterio examinandam dixi universam horum simulacrorum eversionem, non ideo omnia prodigia quæ tunc in Ægypto visa scribunt expunxi; hæc enim solius Casauboni aliorumque Protestantium audacia est; ea sola ratione, quod Christus initium suorum signorum fecisse dicatur in Cana Galileæ.

[g] In nonnullis editionibus hanc epigraphem præfert : *Qui, non recte tamen, divi Severiani titulo circumfertur.* Vide præfationem.

tas se deceptam, et in se fraus reversa colliditur. Herodes stridet cadens ipse in laqueum quem tetendit : hinc iniquitatem quam condiderat evaginat : de fide perfidiæ sumit arma ; terreno quærit furore, quem natum cœlitus non credit ; ad sinus matrum militum cogit castra, inter ubera arcem pietatis oppugnat, in teneris uberibus ferrum durat, lac fundit antequam sanguinem, dat ante mortem sentire quam vitam, tenebras ingerit intrantibus lucem. Sic ait magister mali, minister doli, iræ artifex, inventor sceleris, impietatis auctor, pietatis prædo, inimicus innocentiæ, hostis naturæ, malus omnibus, suis pejor, pessimus sibi : quem Christus, non ut evaderet, sed ne videret, aufugit. In altum tendens, cadit ab alto ; cœlum pulsans, intrat profundum ; in se vadit, qui vadit in Deum ; se occidit, qui vitam conatur [a] occidere, [b] quia capi non potest perditione salus, occisione vita, æternitas fine. O ambitio quam cæca semper ! O quam semper præsumptio pessima ! O quam perdit concessa, qui inconcessa captat ! Herodes obsidens terrenum regnum, impugnat cœleste ; terrenis inhians, irruit in divina, ipsamque pietatem tota impietate insectatur. Audierat natum regem, quæsierat ubi, quando, unde ; et ad quid : ast qualiter debuerat non quæsivit, quia apud illum erat peccandi [c] amor, amor innocentiæ non manebat. [d] Destinatus ad scelus, ad piaculum promptus, paratus ad crimen, causas innocentiæ non requirit, jus abrogat, confundit fas nefasque, cui nequitia est sodalis, cui odiosa est æquitas, iniquitas semper est amica, qui cædibus vivit, qui se munit sanguine, qui crudelitatem sectatur, cui de timore stat totum, de amore nil constat. Herodes tunc cæcus sic Christum gladiis quærit, investigat cruore, crudelitate rimatur, successorem timens, incessit in auctorem ; peremit innocentes, volens innocentiam deperire. Rector populi, morum custos, disciplinæ censor, justitiæ indagator, æquitatis defensor, servator innocentiæ, ampliator populi, innocentis causam facit innocentium crimen, munus • vaticinatorum vertit in pœnam, auctoris ortum orientum mandat occasum, negotium salvantis salvandorum jubet esse discrimen. Judex audientes vocat, interrogat loquentes, negantes arguit, urget reos, percellit noxios, conscios corripit, [f] addit complices, sententiæ dat detectos. Infantes quid ? Quorum lingua tacuit, oculi nil viderunt, nil audierunt aures, manus nil fecerunt, et quibus actus nullus est, unde culpa ? [g] Sumpserunt mortem qui vivere nescierunt, non tempus [h] profuit, non excusavit ætas, silentium non defendit, quibus apud Herodem solum quod nati sunt, hoc fuit crimen. Et revera, quomodo non redderent naturæ creditum, a quibus causa exigebatur auctoris ? Infelix homo, qui sibi ad accusationem paravit omnia, ad excusandum spatium non reliquit, sed totum paravit ad pœnam ! Quis excusabit, quem pulsat innocentia, infantia impetit, lac ut sanguis accusat ? Hoc contra Herodem. At Christus futurorum præscius, conscius secretorum, cogitationum judex, mentium perscrutator, quare deseruit quos sciebat quærendos esse propter se, et propter se noverat occidendos ? Natus rex, et rex cœlestis quare neglexit milites innocentiæ suæ, coætaneum sibi quare contempsit [i] exercitum, quare cunabulis suis deputatas excubias sic reliquit, ut regem solum quæsiturus hostis totum grassaretur in militem ? Fratres, Christus non despexit suos milites, sed provexit, quibus dedit ante triumphare quam vivere, quos fecit capere sine concertatione victoriam : quos donavit coronis antequam membris : quos voluit virtutibus vitia præterire, ante cœlum possidere quam terram, nec ante humanis inserere quam divinis. Præmisit ergo Christus suos milites, non amisit ; recepit suas acies, non reliquit. Beati, quos martyrio natos vidimus esse, non sæculo. Beati, qui labores in requiem, in refrigerium dolores, mœrores in gaudium commutarunt. Vivunt, vivunt, qui vere vivunt, qui pro Christo merentur occidi. Beati ventres qui portaverunt tales, beata ubera quæ se talibus infuderunt, beatæ lacrymæ quæ pro talibus fusæ flentibus gratiam baptismatis contulerunt. Nam diverso modo, dono uno, in lacrymis suis matres, et suo filii sanguine baptizantur. In martyrio filiorum passæ sunt matres ; nam gladius filiorum pertransiens membra ad matrum corda pervenit, et necesse est ut sint præmii consortes, quæ fuerunt sociæ passionis. Arridebat parvulus occisori, gladio adjocabatur infantulus, nutricis loco attendebat lactans percussoris horrorem, nescia lucis ætas moritura gaudebat, infans filius omnem hominem non ut hostem respicit, sed parentem. Matres tulerunt quidquid et angoris exstitit, et doloris, et ideo non carebunt martyrii gaudio, martyrii lacrymas quæ fuderunt. Hoc loco attendat auditor, attendat, ut intel-

[a] Alias, *exstinguere*.

[b] Ms. Cæsen., *quia capere non potest perditionem salus, occisionem vita, æternitas finem*.

[c] Ms. Cæsen., *peccandi timor*. Male.

[d] Hoc est, a perversa voluntate destinatus ad committendum scelus ; *destinare* enim *deliberare*, *statuere* est. MITA.

[e] Id est magorum, qui eum Christi nativitatis admonuerant. Ita ex ms. Cæsenæ emendandum duxi, licet Mita cum editis retineat *munus nati natorum*.

[f] Fortasse, *addicit*.

[g] Alias, *Subierunt*.

[h] Ex ms. Vallicellano. Editi, *tempus affuit*.

[i] Exercitum vocat infantium numerum in Herodiana persecutione occisorum, quem Græci in suis Menologiis et Æthiopes in suis Liturgiis ad quatuordecim millia, præter omnem veri speciem, extendunt. Quis enim credat in tam angusto terræ angulo, spatio duorum tantum annorum, tot puerorum millia in lucem prodiisse, demptis insuper femellis, in quibus facile non sævitum est, cum ab illis nil sibi timeret Herodes, iisque infra id tempus placida proculdubio morte peremptis ? Et hæc ergo ad Græcas fabulas amandanda.

[j] Bethleemitas pueros veros martyres esse tenet Ecclesia, eosque eo nomine veteres Patres commendant. In iis maxime S. Irenæus, lib. IV adversus Hæres., cap. 8 ; Cyprianus, epist. 56 ; Augustinus, serm. 10 de sanctis ; auctor homiliæ 3 in diversa Evangelii loca apud Origenem. Quo autem jure eo ornentur titulo, merito disputant theologi. Vide Estium in IV Sentent. dist. 4 § 21.

ligat martyrium non constare per meritum, sed venire per gratiam. In parvulis quæ voluntas, quod arbitrium, ubi captiva fuit et ipsa natura? De martyrio ergo debemus totum Deo, nil nobis. Vincere diabolum, corpus tradere, contemnere viscera, tormenta expendere, lassare tortorem, capere de injuriis gloriam, de morte vitam, non est virtutis humanæ, muneris est divini. Ad martyrium qui sua virtute currit, per Christum non pervenit ad coronam : sed ipse nos cœleste perducat ad pabulum, qui nostro dignatus est jacere in stabulo, Jesus Christus Nazarenus Dominus noster, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO CLIII.

De eadem.

Fratres, humani sensus non est virginei partus aperire mysterium : quod natura non habet, auctoris est, non naturæ; est opus superni spiritus, quod sentire non potest caro; ubi non est humanitatis indicium, ibi deitatis est signum, dicente propheta : *Ipse Dominus Deus dabit vobis signum. Ecce virgo in utero accipiet* (*Isa.* VII). Ubi nil est terreni usus, est ibi cœlestis ordinis totum; quod de mundo non est, mundano intellectui non potest subjacere. Conceptus qui virginem servat, partus virginem [a] qui relinquit, divinum est quod generat, non humanum; Deus graditur, ubi vestigium nullatenus humani transitus invenitur; consuetudo deficit, miracula cum geruntur; consuetudines non respiciunt signa, singularitas non admittit exemplum, sicut hodierna pandit lectio, quæ divina narrat prælia parvulorum. Coorta regi cohors sua, magis præmori quam commori tota gestit : Christo dicati milites cœperunt ante militare quam vivere, ante pugnare quam ludere, fundere ante sanguinem quam lactis ubera peroptare : ardentes animæ moras corporis non tulerunt, a gremio ad furentes hostium cuneos pervolantes, anticipant virtutibus blandimenta, vulneribus oscula, unguenta ferro, ut cœlum possint ante inhabitare quam terram, præmia spiritus ante portare quam carnem, ante referre triumphos Deo quam perferre hominum nutrimenta. Vere, vere, fratres, isti sunt gratiæ martyres, confitentur tacentes, nescientes pugnant, vincunt inscii, moriuntur inconscii, ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes. Ergo sicut virginitas corruptionis nescia contulit honorem matri, sic infantia passionis ignara martyrii palmas rapuit et coronas. Sed quid dicemus quod rex ipse qui stare debuit, fugit solus, et fugit monente Patre? Fugere istud est amoris intimi, non timoris [b] ignavi. Si stetisset Christus, haberet eos synagoga filios, hos Ecclesia martyres non haberet.

SERMO CLIV.

In D. Stephanum protomartyrem.

Sicut dominum prædiorum [c] limitibus affixi tituli proloquuntur, ita nomina ipsa sæpe sanctorum merita indicant, testantur insignia. Ita Abraham, quod fide credidit, nominis adjectione monstravit, quando ex Abram Abraham divinitus nuncupatur : ut dilatandus genere, nomine ante dilataretur, dicente Domino : *Et non vocabitur amplius nomen tuum Abram, sed* [d] *Abraham erit nomen tuum, quia patrem multarum gentium posui te* (*Gen.* XVII). Sic conjux sancta ejus cum de sterili fit fecunda, ex Sarai [e] vocitata est Sarah, ut et ipsa ante crescat nomine quam crescat pignore; et quia [f] permittente Domino risum edidit si vetula conciperet exarata jam rugis, si pareret desperata jam fecunditas, si sterilitas jam penes senectutis extrema prægnans fieret, risum mox quod genuit, nuncupavit; et hoc aptavit in nomine, quod sensu passa est cum rideret : *Et vocavit nomen ejus Isaac, quod interpretatur risus* (*Gen.* XXI). Sic Jacob, qui in utero cœpit ante luctari quam vivere, ante viribus superare quam membris, etiam inter viscera materna ipsa supplantatoris est vocabulum consecutus, eo quod antequam nasceretur noscitur divinitus reprobatum supplantasse germanum (*Gen.* XXV). Et quia longum est ire per singula, sicut Petrus a petra nomen adeptus est, quia primus meruit Ecclesiam fidei firmitate fundare; ita Stephanus [g] vocatus est a corona, quia primus meruit pro Christi nomine subire conflictum, primus meruit sanguine militum Christi [h] martyrium dedicare. Petrus apostolici [i] chori vetustum teneat principatum, aperiat intrantibus regnum cœlorum, reos potestate vinciat, pœnitentes clementer absolvat; Stephanus est mar-

[a] Alias, *qui non violat.*

[b] Ex ms. Cæsen. Editi, *timoris ignaviæ.*

[c] Titulus proprie lapis inscriptus, vel ipsa lapidis inscriptio. Hac notione, *lapideum titulum*, habet vetus inscriptio apud J. Sponium, in Itiner. tom. III p. 2 pag. 5. Vide Du-Cangium, in Gloss. tom. III pag. 1252, ubi hujusmodi locum Chrysologi laudat.

[d] Mariana hic : *Abram pater excelsus, Abraham pater turbæ.*

[e] Ex eo enim quod multarum gentium erat futura parens... propterea congruo decoratur et nomine. Sarai *principem vel dominam meam* indicabat, quod uni homini, et uni familiæ præcelleret; verum venturæ dignitati anguste satis respondebat hoc nomen; propterea Deus illam in posterum vocari jussit *Sarah;* hoc est dominam indefinite, seu principem, ut multarum gentium stirps et origo diceretur. MITA.— *Sara princeps mea, Sara princeps absolute, ob copiam posteritatis,* Mariana hic. Vide Philonem, de Nominibus mutatis.

[f] Non mediocri vitio laborantem locum sanavimus ex Latinio. Editi et ipse Mita, *promittente Domino, risum credidit.*

[g] Ennodius, carm. XLIV :

Quid Stephano potentius!
Dicas coronam, martyr est.
Fructum laboris, nomen est.

[h] Cain *dedicator mortis*, ut dicitur serm. 96. Stephanus dedicator martyrii, quia fuit primus qui pro nomine Christi, jam pro nobis passi, mortui et resuscitati, sanguinem fuderit. S. Fulgentius, serm. de eodem. MITA.— *Dedicare* idem ac *initium dare.* S. Cyprianus, epist. 33 : *Hoc die auspicatus est, dum dedicat lectionem.* Gesta Constantini M. : *Palatium usque ad perfectum fecit, quem non dedicavit*, id est *incœpit.* Vox Tertulliano familiaris.

[i] Locum exhibet Barthius, Advers. lib. V cap. 2 pag. 2148, et observat *chorum* veteribus pro jucundissimo agmine usurpari, raro, vel numquam pro tristi. Exempla profert.

tyrum primus, Stephanus purpuratum [a] ducat exercitum, qui pro Domini sui [b] adhuc calente sanguine sanguinem suum avidus bellator effundit. Et quia cruore proprio tinctam sibi ipse purpuram conquisivit, merito a rege suo consecutus est post coronam, qui jam cum nasceretur nomen sortitus est a corona : vere quem præscivit et prædestinavit, ipsum nunc martyrii primum vocavit ad gloriam.

[c] SERMO CLV.

De kalendis Januarii, quæ varia gentium superstitione polluebantur.

Ubi nostram Christus pie natus est ad salutem, mox diabolus divinæ bonitati numerosa genuit et perniciosa portenta, ut ridiculum de religione componeret, in sacrilegium verteret sanctitatem, de honore Dei Deo pararet injuriam. Hinc est, fratres, hinc est quod [d] hodie gentiles deos suos fœditatibus exquisitis, excogitato dedecore, et ipsa turpitudine turpiores [e] videndos trahunt, distrahunt, [f] pertrahunt, quos faciunt non videndos. Quæ vanitas, qualis dementia, quanta cæcitas, fateri deos, et eos ludibriis infelicibus infamare! Irrisores sunt, cultores non sunt, qui deos quos venerantur illudunt; injuriis afficiunt, non honorant, qui deos a quibus se formatos existimant, sic deformant, confundunt, non glorificant, qui eos de ipsa confusione componunt. Vere sicut ait Apostolus, *Quia non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt* (*Rom.* I) : quando eis quibus humana abrogant, dant divina, quando eos judicant dignos cœlo, quando ipsos faciunt terra ipsa non dignos, vere dati sunt in reprobum sensum; et [g] non est hoc judicii humani, est hoc sapientiæ Dei, ut ipsi sint injuriarum Dei vindices, qui injuriæ probantur auctores. Quæ ira, quæ ultio, sic in Deum de idolis exsequeretur offensam, ut eos quos vetustas aris, incenso, victimis, gemmis, auro deos esse mentita est, posteritas turpi cultu homines fuisse turpissimos judicaret, et eorum vitam, mores, actus, ipsis eorum signaret in vultibus, ac doceret tales fugiendos esse potius quam colendos! Defleamus, fratres, et eos qui talia sunt secuti, et nos evasisse talia cœlitus gaudeamus. Quorum formant adulteria in simulacris, quorum fornicationes imaginibus mandant, quorum [h] titulant incesta picturis, quorum crudelitates commendant libris, quorum parricidia tradunt sæculis, quorum impietates personant tragœdiis, quorum obscena ludunt, hos qua dementia deos crederent, nisi quia criminum desiderio, amore scelerum possidentur, [i] deos exoptant habere criminosos? Qui peccare cupit, peccatorum colit et veneratur auctores. Hinc est quod se Veneri adulter inseruit; hinc est quod se Marti crudelis addicit. [j] Hæc diximus, fratres, ut proderemus causam : quare gentiles hodie faciant deos suos talia committere, quæ sustinemus, et faciant tales qui videntibus et horrori sint et pudori; faciant ut eos aliquando et ipsi qui faciunt horreant et relinquant, et Christiani glorientur a talibus se liberatos esse per Christum : si modo non eorum ex spectaculis polluantur, si eorum non in-

[a] Alias, *ducit*, *duxit*.

[b] Passus dicitur ab aliquibus die 3 Augusti ejusdem anni 34, quo Christus cruci affixus est pro omnium salute. Sed et traditione Ecclesiæ, Patrum testimoniis comprobata, coronatus est VII kalend. Januarii anno Christi 34 expleto, inchoante illo ipso die anno 35 a nativitate Dom. MITA. — Martyrologium Adonis editum a claris. Georgio, tom. I, pag. 7 : *Natale S. Stephani protomartyris non longe post ascensionem Domini passi, eodem scilicet anno passionis Christi.* An vero die 26 Decembris S. Stephani natalis celebretur, vel ejus inventio, an illius translatio Constantinopolim, quæ ann. Dom. 439 hac die facta fuisse dicitur, consulendus Baronius in Martyr., die 3 Augusti, ac item Sollerius ad Usuardum, die 3 Augusti.

[c] Sermo hic laudatur a Martene de Antiq. Eccles. Discipl. tom. I pag. 104. Notum omnibus, kalendas Januarias, quarum tertium diem vel pridie Novarum *Vota* vocitatum est, quod eo die vota pro salute principis susciperentur, apud Christianos adhuc immoderatæ libertatis et intemperantiæ fuisse. Quamobrem antiqui Patres et concilia acriter contra eorum observationem invehuntur. Chrysostomus, homil. 23 in eos qui novilunia observant, tom. I pag. 264 edit. Francofurt. 1698, multos eo die superstitiosæ observationi et auguriis deditos esse dicit, ac putare reliquum annum se hilariter transacturos, si novilunium hoc hilariter degerent. Similes quas Chrysostomus querelas habet Augustinus, serm. 5. de kalend. Januarii tom. X pag. 621; Asterius Amasenus, hom. 4 de festo kalend., ap. Combefis. auct. nov. pag. 65; Ambrosius serm. 17 per totum. Prudentius lib. I contra Symmachum :

... Jano etiam celebri de mente litatur
Auspiciis epulisque sacris, quas inveterato
Heu miseri! sub honore agitant, et gaudia ducunt
Festa kalendarum. Sic observatio crevit
Ex atavis quondam male cœpta; deinde secutis
Tradita temporibus, serisque nepotibus aucta.
Traxerunt longam corda inconsulta catenam,
Mosque tenebrosus vitiosa in sæcula fluxit.

Vide Martene de Antiq. Eccles. Discipl. tom. I pag. 104; Durantium, lib. XI cap. 48 pag. 380; Du-Cangium, tom. II pag. 13; clariss. Sabbatinium, kalend. pag. 12; concilium Trullanum, canon. 62 concilior. tom. VII pag. 1375; Bing. Orig. Eccles. tom. IX pag. 6 § 3, ubi Chrysologum citat.

[d] Ex hoc textu dignum observatione censeo ea tempestate multos de plebe ac nobiles fuisse Ravennæ, qui adhuc gentilitio more viverent, idolaque colerent. MITA. — Sed ludicra hæc Christianis etiam usitata erant. Consule quoad Ravennates Rubeum Histor. lib. II pag. 106.

[e] Editi : *Ipsa turpitudine turpiores deos suos videndos trahunt.* Frustra repetita verba *deos suos* expungit Meursius.

[f] Simulacra enim deorum tunc temporis producebantur cum omni cultu : *Qui cum ridiculus esset ridiculum facere, et insultare ipsis diis suis talibus productionibus ait Chrysologus.* Barthius, Advers. lib. XII cap. 12 pag. 2503.

[g] De hujusmodi lectionis veritate merito suspicandum esse notat Latinius : nam in suo codice legerat : *Non est hoc judicii divini.* Genuinam lectionem restituimus.

[h] Exornant. Tertullianus in poem. de Judicio Dei :

Quis mihi ruricolas aptabit carmine musas
Et vernis roseas titulabit floribus auras?

[i] Editi, *criminum deos exoptant.* Tò *criminum* bis repetitum iterum expungit Meursius

[j] Totam periodum ex mss. et conjectura restituit Mita. Alta nox penes alias editiones.

quinent thura tactu, si hujusmodi fugiant de assensione discrimen, quia factis semper est æqualis assensus, Apostolo probante, cum dicit: *Non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus* (*Rom.* I). Et si tanta est de assensione damnatio, quis satis lugeat eos qui [a] simulacra faciunt semetipsos? Nonne isti amiserunt imaginem Dei, similitudinem perdiderunt, Christi exuti sunt indumentum, qui se simulacrorum formis sacrilegis formaverunt? Sed dicit aliquis, Non sunt hæc sacrilegiorum studia, vota sunt hæc jocorum; et hoc esse novitatis lætitiam, non vetustatis errorem; esse hoc anni principium, non gentilitatis offensam. Erras, homo, non sunt hæc ludicra, sunt crimina. Quis de impietate ludit, de sacrilegio quis jocatur, piaculum quis dicit risum? Satis se decipit, qui sic sentit; tyrannus est, tyranni habitum qui præsumit. Qui se deum facit, Deo vero contradictor existit; imaginem Dei portare noluit, qui idoli voluerit portare personam; qui jocari voluerit cum diabolo, non poterit gaudere cum Christo. Nemo cum serpente securus ludit, nemo cum diabolo jocatur impune. Si quæ sunt ergo viscera pietatis in nobis, si quæ est in nobis contemplatio humanitatis, si quæ nos habet fraternæ salutis affectio, abstrahamus eos qui sic ad perditionem currunt, rapiuntur ad mortem, trahuntur ad tartara, festini sunt in gehennam. Abstrahat ergo pater filium, servum dominus, parens parentem, civem civis, homo hominem, Christianus omnes qui se bestiis compararunt, exæquarunt jumentis, [b] aptaverunt pecudibus, dæmonibus formaverunt. Et ille qui liberat, invenit præmium; qui negligit, acquirit offensam. Beatus qui suæ vitæ custos est, et provisor est salutis alienæ.

SERMO CLVI.

De Epiphania et magis.

Quoties salutaribus succis contra lethales morbos antidotum temperat peritia præcauta medicorum, si præter artem, præter medicinam, præter tempus, accipere præsumat ægrotus, sit periculi causa, quod provisum est ad salutem; sic Dei verbum, si præter magisterium, præter doctrinam, præter dogma fidei, scire temerarius præsumat auditor, quod est vitæ materia, fit perditionis occasio. [c] Quærendum est, fratres, ne per audiendi imperitiam, quod ad profectum nobis divinitus scriptum est, ad animarum venium detrimentum. Putasne [d] Chaldæos siderum scrutatores, errantes per astra magos, cœli negotia in tenebris noctium perquirentes, nascendi, moriendi causas, stellarum cursibus ascribentes, bona, malave hominum de arbitrio luminarium firmantes, evangelista hodie ortum Christi absconditum sæculis stella duce docuit invenisse? Absit. Sic sentit mundus, sic gentiles intelligunt, sic facit species lectionis: cæterum sermo evangelicus non humana loquitur, sed divina; non usitata, sed nova; non arte falientia, sed veritate subnixa; non oculis alludentia, sed cordibus infixa; non conjecturis nutantia, sed auctoritate firmata; a Deo venientia, non a fato; non collecta numeris, sed virtutibus acquisita. *Cum natus esset Jesus*, inquit, *in Bethlehem Judæ, in diebus Herodis regis, ecce magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes: Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Vidimus stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum* (*Matth.* II). Cum nascitur Jesus, oritur origo rerum, generatur largitor generis, nascitur auctor naturæ, ut repararet naturam, genus redderet, originem recrearet. Adam primus homo, pater generis, origo generationis, naturæ bonum, libertatem generis et germinis vitam sic perdidit, dum deliquit, ut malum naturæ, servitutem generis, germinis mortem successio lamentanda portaret. Hinc est quod Christus nascendo naturam reddidit, sustulit moriendo mortem, vitam revocat dum resurgit: et qui homini animam dederat de cœlo, inde hominem fecit et carne constare, ne terrena labes cœlestem sensum rursum carnis demergat in lapsum, dicente Apostolo: *Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis: qualis terrenus, tales et terreni; et qualis cœlestis, tales et cœlestes* (I *Cor.* XV). Et Joannes evangelista: *Omnis, qui ex Deo natus est, non peccat, sed generatio Dei servat illum* (*Joan.* V). Hinc est ergo quod nascitur Christus, ut jacentes in terreno germine cœlestem tolleret ad naturam. *Cum natus esset Jesus in Bethlehem Judæ.* Bethlehem, fratres, Hebraice domus panis vocatur. His ergo vocabulis Judæ signatur domus, genus vocatur, ut promissionis fides, ut prophetiæ veritas impleatur, dicente Jacob: *Juda, te laudabunt fratres tui, manus tuæ supra dorsum inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui* (*Gen.* XLIX, *juxta LXX*). Et post: *Non deficiet princeps ex Juda, nec dux ex femoribus ejus, donec veniat cui reposita sunt, et ipse erit exspectatio*

[a] Ad instar enim deorum dearumque personati procedebant. Vide apprime ad rem Augustinum, seu quemvis alium, serm. 29 in appendice. Longior locus notæ fines excederet. Audi tantum Rubeum pag. 106, de Ravenn.: *Deorum simulacra induti cursitabant per urbem; idque eo gestu ac modo, ut quæ de illorum incestibus, adulteriis et cæteris improbe actis tradita sunt, ea fere omnia viderentur sub oculis poni.*

[b] Et hæc quoque infamis horum profanorum ludorum consuetudo erat: pecudum cervorumque assumptis formis huc illucque discursare, et petulantius se gerere. Vide concilium Tolet. IV can. 10; Augustinum, serm. de Temp. 225; concil. Antisiod. can. 1; Ambrosium, in psalm. XLI; Maximum Taur., serm. in kalend. Januar.: *Numquid non universa ibi falsa sunt, et insana, cum se a Deo formati homines, aut in pecudes, aut in feras transformant?*

[c] Alias, *Curandum est.*

[d] Agit in astrologos judiciarios, et contra Priscillianistas, opinantes magos naturali astrorum scientia Christum natum conjecisse, quos sæpius Augustinus, Chrysostomus et Gregorius arguerunt. Cumque Noster neget magos stella duce natum invenisse Christum, de naturali et humana scientia astrorum loquitur, ut innuit in seq. sermone. MITA. — Magos autem Chaldæos fuisse ad instar figmenti habent eruditiores. Nam Chaldæa respectu Judææ Aquilonaris est, non Orientalis: unde toties prophetæ malum a Chaldæis inferendum Judæis ab Aquilone oriturum dicunt. Verosimilius est Persas fuisse, et a Perside venisse. Fabella de magorum uno coloris subnigri, a Collectaneis Ven. Bedæ perperam ascriptis, emanavit.

gentium. Unde et David, *Juda rex meus* (*Psal.* LIX). *Cum natus esset Jesus in Bethlehem Judæ in diebus Herodis regis*. Quid est, quod [a] tempore regis nefandi Deus descendit ad terras? miscetur divinitas carni? fit terreno corpori cœleste commercium? Quid est? et quando non verus rex expulsurus tyrannum, vindicaturus patriam, instauraturus orbem, libertatem redditurus adventat? Herodes [b] refuga gentis Judaicæ invasit regnum, libertatem sustulit, profanavit sancta, confudit ordinem; quidquid disciplinæ, quidquid cultus est, abolevit; merito ergo genti sanctæ, quia humana desunt, divina succurrunt, et adest Deus ipsi, cui homo non erat qui adesset. Sic iterum Christus veniet, ut Antichristus subruat, liberetur orbis, paradisi patria reddatur, mundi perpetuetur libertas, sæculi servitus tota tollatur. *Ecce magi ab Oriente venerunt*. Ab Oriente ad Orientem veniunt magi, ut susciperet venientes ipse qui jusserat ut venirent : quando enim Deum magus, nisi Deo jubente perquireret? quando regem cœli nisi revelante Deo [c] astrologus invenisset? quando unum Deum sine Deo Chaldæus adoraret in terra, qui in cœlo [d] diis totidem quot sideribus serviebat? Plus cœleste de magis quam de stella signum est, quod Judææ regem, quod legis auctorem magus scit, nescit Judæus; Chaldæa defert, non defert Judæa; Hierosolyma aversatur et refugit; Syria sequitur et adorat. *Ecce magi ab Oriente venerunt, dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum? Vidimus stellam ejus*. Et quid tamen est quod videtur? Vere sicut dixit Apostolus : *Cum esset dives, pauper factus est* (II *Cor.* VIII); cum esset in deitate sua dives, nostra fit pauper in carne; et habere cœpit stellam unam, totam qui fecit, habet et continet creaturam. *Vidimus stellam ejus*. Aliquando videt magus illum qui habet stellam, non habetur a stella; nec ipse agitur cursu stellæ, sed ipse stellæ agit cursum, cujus per cœlum sic cursum dirigit, sic moderatur incessum, sic viam temperat, [e] ut magorum serviat et mittatur ad gressum. Nam ambulante mago, stella ambulat : sedente mago, stat stella; mago dormiente, excubat stella : sic sentit magus, ut quibus viandi par conditio est, par sit necessitas serviendi; et stellam jam non Deum credit, sed judicat esse conservam, quam cernit taliter suis obsequiis mancipatam. *Ubi est qui natus est rex Judæorum? Vidimus stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum*. Dicendo, ubi est qui natus est rex Judæorum, non interrogant, sed insultant : quando scientes interrogant nescientes, [f] non ipsi ignorant, sed negligentes arguunt, increpant desides, malos produnt, contumaces verberant, servos Domino non occurrisse accusant. Nam quid ab hominibus quærunt, qui per Deum noverant quod quærebant? Ut quid illis ad hoc humanæ demonstrationis officium, quibus ad hoc cœli sidera serviebant? Quo illis lucerna templi, quibus cœli sidus mirabile perlucebat? *Ubi est qui natus est rex Judæorum?* Hoc est dicere : Cur rex Judæorum in præsepe jacet, et non decumbit in templo? Cur non fulget in purpura, sed squalet in pannis? Cur latet in specu, et manifestus in sanctuario non habetur? Receperunt jumenta in præsepi, quem in domo sua recipere vos sprevistis. *Agnovit*, sicut scriptum est, *bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui* (*Isai.* I); tu autem, Israel, tuum Dominum non quæsisti. *Vidimus stellam ejus*. Apparuit stella non volens, sed jussa; non cœli nutu, sed Divinitatis impulsu; non lege siderum, sed novitate signorum; non cœli climate, sed virtute nascentis; non ab arte, sed a Deo; non astrologi scientia, sed præscientia Conditoris; non arithmetica ratione, sed sanctione divina; superna procuratione, non curiositate Chaldæa; non arte magica, sed Judaica prophetia. Sic ubi vidit magus humanas periisse curas, suas defecisse artes, mundanæ sapientiæ exinanitos labores, omnium sudores obriguisse sectarum, totius philosophiæ thesauros esse vacuatos, fugisse paganam noctem, opinionum nebulas concidisse, ipsas dæmonum delituisse umbras, stellam non ut cometam [g] incirconfuso crine occultare quod nuntiat, obscurare quod lucet, sic dicit : [h] Fas est, ut te novo radio, signifero lumine, splendore certo radiare videam in Judæam, atque illic natum regem, præter mundi legem, præter carnis ordinem, præter humanam monstrare naturam. Sic deposito errore, sequitur, currit, pervenit, invenit, gaudet, procidit, adorat; quia non per stellam, non per artem, sed per Deum, Deum se invenisse humana miratur in carne. Ergo, fratres, lectione præsenti non est firmatus error magicus, sed solutus. Sed sufficiant ista hodie, ut per Deum quæ sunt in sequentibus clare elucescant.

SERMO CLVII.

De eisdem.

Dominicæ festivitates causas suas suis vocabulis eloquuntur : nam sicut nascendo Christus diem dedit Numquam vero magos reges vocat; eosque numquam hujusmodi titulo honorarunt veteres, si ab uno Tertulliano nonnullisque aliis discedas. Notabilis locus Origenis homil. 3 qui magos *miseros homines* vocat.

[a] Convenit hodie inter chronologos insigniores, Christum natum esse anno mortem Herodis antecedente, qui, notante Flavio Josepho Antiq. Judaic. lib. XVII cap. 8, obiit anno 37 post adeptum a Romanis Judææ regnum : unde Christum necesse est natum esse anno Herodis 36, imperii Augusti 40, quandoquidem annum imperii sui quintum agebat Augustus dum Herodem Judæorum regem constituit, ut plurimis momentis demonstrat card. Norisius, Centaph. Pisan. dissert. II, cap. 6, pag. 128 edit. Lugdun. per Van der Aa.

[b] Unde refuga, nisi a Judæorum castris ad gentilium imperatorum religionem? Vide not. 4 serm. 52.

[c] Magos sapientes vocat *astrologos* : et seipsum explicat si forte alicui scrupulum injecisset serm. 150.

[d] Sidera pro diis olim habita nemo est qui nesciat.

[e] Origenes, in Joan. pag. 27, vocat stellam *magorum ministram, et servam cognitionis Jesu*.

[f] Ms. Cæsenæ, *non ignorant nescientes, sed arguunt negligentes*.

[g] Mita legit, *cincinnato crine*.

[h] Mita : *Tempus est ut te præviam sequar, et novo*, etc.

natalem, et resurgendo resurrectionis diem dedit; sic lumine signorum diem suæ illuminationis ostendit. Qui enim nascendo ante humano corpore se velavit, postea operando ipse se cœlesti revelavit arcano : post Deus ipse apparuit trino modo, qui homo in partu patuit singularis. Merito ergo [a] solemnitas præsens Epiphaniæ vocabulo nuncupatur, in qua illuxit deitas, quæ nostra nobis obscurabatur in carne. Ista est, fratres, ista est festivitas quæ, concepta tempore diverso, peperit tria deitatis insignia. Per Epiphaniam magi [b] Christum Dominum muneribus mysticis confitentur, et cultores siderum, [c] noctis incolæ, auctorem lucis densis inveniunt in tenebris : ut sit hoc auctoris gratia, non sit hoc industria sic quærentis; non sit stellæ, sed Dei; sit Creatoris donum, non sit beneficium creaturæ; non sit humanæ artis, muneris sit divini. *Ecce magi*, inquit, *ab Oriente venerunt, dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum* (*Matth.* II). *Vidimus stellam ejus.* Et quid non ejus? Stella ejus est, non ille stellæ. *Stellam ejus.* Quæ accepit esse, sed non dedit; stellam, cujus ortum tenebat auctor, non quæ ortum tenebat auctoris. *Stellam ejus.* Venientem, [d] non a genesi, sed a genitore; mandato, non fato; non a computatore, sed ab auctore; non quæ daret ortum, sed quæ sustineret occasum. Stellam non legiferam, sed signiferam; ferentem non dierum ordinem, sed noctium lumen. Stella hæc ministra viæ, non vitæ; comes magorum, non cognata Christi; non Dominantis domina, sed ancillula servorum. Sed dicit aliquis : Quare magi? Quare per stellam? si cum stellis, cum origine nulla causa est, nulla ratio cum natura? Quare magi? Quare stella? Ut per Christum ipsa materia erroris sic fieret salutis occasio : quemadmodum per Christum mortis causa, causa facta est vitæ. Hostem proprio mucrone turbare singulare est insigne virtutis. Apud magos in culpa erat ignorantia, non voluntas; et erat in crimine non studium, sed error. [e] Quærere Deum, et nescire quærere, necessitas magis est quam reatus. Fuit ergo pium, ut et Deus invenire se a quærentibus daret et culpam deputaret errori. Denique Paulus judicio tali de persecutore factus est prædicator, quia per zelum legis impugnabat legem, et in Deum [f] Dei amore peccabat. Hinc est quod fides currit ad Paulum, perfidia ad ignorantiam recurrit. Sed adhuc dicit auditor : Esto quod stella, non nutu proprio, sed Dei jussu ostenderet viam quærentibus magis : unde tanta munerum scientia mysticorum, unde donorum sacramenta tanta? Non Chaldæa arte, sed de prisca sanctorum traditione majorum : erant isti [g] de genere Noe, de filiis Abrahæ, qui Christum nasci per Deum dilicerant, non per artem; eumque hominem, Deum, regem, moriturum alto cognoverant sacramento. Hinc est quod apta patrum fidei munera portaverunt, ut aurum regi, incensum Deo, morituro myrrham scienter offerrent, talique munere et pietati satisfacerent et honori. Sed de magis ista sufficiant. Per Epiphaniam Christus in nuptiis aquas saporavit in vinum (*Joan.* II), ut Christum nuptiis interfuisse virtutis fuerit, non voluptatis; non fuerit humanitatis, sed potestatis; signi fuerit causa, non ventris; ebrietatis non fuerit apparatus, fuerit deitatis ostensio. Denique ubi aqua mutavit naturam, mox patefecit auctorem, et elementorum creator [h] mutatione revelatus est creaturæ. Felices nuptiæ, felices illæ quibus Christus est præsens, quæ non luxu, sed virtutibus consecrantur. Quid ibi non transivit in gratiam, ubi aqua transivit in vinum? Per Epiphaniam Christus Jordanis alveum baptisma nostrum consecratus intravit (*Matth.* III), ut quos nascendo in terrra susceperat, hos renascendo relevaret in cœlum; in se haberet liberos, quos præter se viderat esse captivos; faceret vitales ipse, quos culpa fecerat esse mortales; perpetuos redderet, quos mors dederat temporales; et quos diabolus exsules fecerat terrenorum, hos ipse in cœlestibus sibi faceret esse consortes. Hinc est, fratres, quod Spiritus sanctus tunc toto se fudit illapsu, quando Pater de cœlestibus clamat : *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* III); ut quibus in creandis nobis operatio fuerat una cum Filio, una fieret de nostra reparatione dignatio; sicque Christus diverso tempore uno eodemque die magorum munere, aquæ mutatione, atque Patris voce Deus trino testimonio nosceretur, fieretque de trina ostensione Christi Epiphaniæ una et sacrata solemnitas.

[i] SERMO CLVIII.

De eisdem.

Sæpe quærimus quare sic mundum Christus intrat,

[a] Latinam Ecclesiam in hac die, tres jam dudum celebrasse solemnitates, hic a Chrysologo memoratas, patet ex Isidoro de Divinis Officiis; Maximo Taurinensi, homil. 1 in Epiph., et homil. 6 sub initio; aliisque plurimis.

[b] Alias, *Christum Deum.*

[c] Vel quia studio siderum addicti; vel mystice, quia in nocte gentilitatis vitam agerent. Ex Mita.

[d] Natalem hominum diem observare, ut mos est astrologis improbat. Multa hic extra semitam aggerit. Mita.

[e] Ms. Cæsenæ, *quærere Deum, quem nesciebant, et nescire quærere, magis necessitatis est quam reatus.* Non enim Deum in astris quærebant per pertinaciam, sed per ignorantiam, ait Mita.

[f] Nam Christum, quem esse Deum nesciebat, ob zelum divinæ legis persequebatur.

[g] Magos veri Dei fuisse adoratores; sed Judaicæ legis ignaros tradunt non pauci. Sed eos primitias gentium, communi consensu dicuntur a Patribus. Maleferiatus auctor anno 1636 integrum volumen in Gallia edidit, ut ostenderet magos Christi adoratores, haud alios fuisse quam Henochum, Eliam et Melchisedechum. Sic insanire solet :

Gens ratione carens, et mentem pasta chimeris,

ait Serry, pag. 336, qui opinionem hanc potius irridet *quam expendit.* Cæterum, id quod asserit Noster, magos scilicet fuisse ex filiis Abrahæ, ex Cæthura concubina, habes etiam apud Maldonatum, in cap. II Matthæi.

[h] Quia id tam celeriter, et adeo absolute factum est, ut non nisi a Deo creatore id esse posse judicadum sit. Mita.

[i] Observa hic aureum eloquentiæ Romanæ flumen : pro materia, de Christo rege nato, magisque Chri

ut ventris experiatur angustias, partus patiatur injuriam, sustineat vincla pannorum, cunabula toleret imbecilla, lacrymis uberum nutrimenta disquirat, ætatum gradus, necessitatesque persentiat. Et qualiter venire debuit, qui voluit apportare gratiam, timorem pellere, quærere charitatem? Natura docet omnes quid valeat, quid meretur infantia. Infantia, quam barbariem non vincit, quam non feritatem mitigat, quam crudelitatem non comprimit, quem non compescit furorem, quam non potestatem deponit, quem non mollit rigorem, quam duritiam non resolvit, quid non amoris expostulat, quid non affectionis extorquet, quam non imponit gratiam, quam non impetrat charitatem? Hoc ita esse sciunt patres, matres sentiunt, probant omnes, viscera humana testantur. Sic ergo nasci voluit, qui amari voluit, non timeri : et tamen apud malitiam humanam sic blanda, sic pia, sic chara, audite quid proficit infantia. *Audiens*, inquit, *Herodes rex, turbatus est, et omnis Hierosolyma cum ipso, et congregans omnes principes sacerdotum, et scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur* (*Matth.* II). Si Hierosolyma, si rex, si scribæ, si principes sacerdotum ad Christi sic turbantur infantiam, quid isti facerent, Christus perfectum mox in hominem si venisset, si fultus divitiis, et multitudine, si cum suspectis, si cum extraneis? Qui nil dant tempori, nil ætati, nil pauperi, nil parenti; sed ut audiunt natum, parant nascenti mortem, innocenti dolos, scelus pio, nudo gladios, soli milites, vagienti necem, pœnam parenti : et ut vis misceatur sanguini, crudelitas acerba cunabulis bella indicit, ubera telis urget, clypeos illidit gremiis, quatenus humanam divinamque sobolem ante sepulcrum faciat intrare quam mundum. Esto quod Herodes rex amore regni, successoris timore, coactus sit talia moliri; quare Hierosolyma, quare principes, quare scribæ? Quia nasci non vult profanus Deum, servus dominum, judicem reus, rebellis principem, perfidus cognitorem. Hierosolyma varia se contaminatione perfuderat, sacerdotes profanaverant sancta, et [a] peccata vendentes, in quæstum veniam pietatemque converterant. Scribæ doctrinam cœlestem, scientiam salutarem, vitale magisterium, in sævum sensum, in perfidiæ lapsum, in lethale vaniloquium commutarant. Hinc est quod Christum nolunt nasci, vivere timent, quia noverant se mox ignominiæ dandos, trahendos opprobriis, ejiciendos templo, privandos sacerdotio, oblationum munere vacuandos. Semel enim cupiditate flammati, capti pompa, vitiis sauciati, vanitate ebrii, madefacti luxu, quia de correctione nil cogitare poterant, de venia nil sperabant. Bonus villicus quando copiosum fructum continuo labore conquirit, venire dominum suum [b] ad lucrum suum cupit, suum concupiscit ad gaudium : diligens operarius quando opus suscepti laboris impleverit, ut mercedem percipiat, patremfamilias desiderat advenire : devotus miles post conflictum, post victoriam, præsentiam regis optat, ut præmiis sudores et vulnera remuneratione compenset; sic ad palmam suam cupit venire Christum, qui bella mundi indefessa virtute prosternit; sic Christum venire non vult, qui superatus illecebris sæculi de pœna trepidat, de venia nil præsumit. Fratres, faciamus bona, declinemus a malis : fugiamus vitia, virtutes sequamur, dissimulemus præsentia, futura cogitemus, nostrum petamus ad regnum, nostram veniamus ad palmam, optemus ad gloriam, tendamus votis omnibus ad coronam. Sed ad illa sermo quæ sunt in sequentibus jam recurrat. *Tunc Herodes*, inquit, *clam vocatis magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis, et mittens in Bethlehem, dixit : Ite et interrogate diligenter de puero, et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum.* Occulte vocat magos, quia palam nil audet simulata mens, conscientia dolosa. Occulte vocat magos, quia fur amat noctem, latro in occulto tendit insidias. Diligenter inquirit tempus stellæ : sed cum timet regnum, signum cœli non timet, temporis non pertimescit auctorem. Quid turbaris, Herodes? Quid es tantum de successore sollicitus? Cui sidera militant, terreno imperio non tenetur. *Ite, et interrogate diligenter de puero, et cum inveneritis, renuntiate mihi.* Herodes, erras : magus adorare jussus est, non deferre; testari venit ille, non prodere; videre illi datum est, tibi non datum est invenire. *Ite, et interrogate.* Quasi magos semel interrogare non sufficit. Interrogantibus pie datum est [c] sine pietate responsum, salutis nuntius male audientibus conversus est in ruinam. Contumax servus audit natum Dominum, sed Domino nascenti parat laqueos, non honorem; mortem præparat, ut careat servitute. Sed quia nec finiri Deus, nec perire salus, nec vita poterat interire, permanet in honore Dominus, servus remansit in crimine; et ad pœnam trahitur qui ad obsequium venire contempsit; capitur ad sententiam, qui ad gratiam noluit pervenire. *Ite, et interrogate diligenter de puero, et cum inveneritis, renuntiate mihi.* Convenienter dixit *renuntiate mihi*, quia semper diabolo renuntiat, qui pervenire festinat ad Christum; Christianus futurus a sacerdote cum audit, Renuntias diabolo, respondit, Renuntio. Proprie ergo Herodes a magis sibi renuntiare debere dicit, qui se diaboli sciebat tenere locum, Satanæ noverat implere personam. *Ut et ego veniens adorem eum.* Vult mentiri, sed non potest : veniet, ut ad tormenta curvetur, ad supplicia jaciatur, sternatur ad pœnam, qui adorare finxerat, ut sæviret. Sed magi, ubi Judaicæ perfidiæ

stum requirentibus fusum; pro auditoribus, Valentiniano imperatore, et Galla Placidia, ejusdem matre Augusta, nec non proceribus aulæ; pro tempore, ubi mores hominum corrupti erant et depravati; pro eruditione, ut tota animi placiditate illos arguat, desumpta similitudine ab orationis argumento, et quomodo sanctis instruat præceptis. MITA.

[a] Etenim oblatas victimas ad peccatorum expiationem sibi ipsis vindicabant, seu vindicatum pretium sibi recondebant. MITA.

[b] Alias, *ad agrum suum.*

[c] Dum enim Herodes aulica benignitate magos abire sinit, de Christi nece impius cogitabat.

nubila transierunt, et in Christianæ fidei sereno [a] revident, quam viderunt stellam, ipsa prævia, ipsa duce, ad ortus Dominici locum sacratissimum pervenerunt. *Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera aurum, thus, et myrrham.* Aurum regi, thus Deo, morituro myrrham, Dominicæ devotioni offerunt, scientiæ thesauros maximos in posterum credituris; sic ad sua per innocentiæ viam redeunt, qui iter Herodianæ fraudis calcaverunt in ruinam.

SERMO CLIX.

De eisdem.

Ante hos dies, id est, diem octavum kalendarum mensis hujus quo crescere dies cœpit, quia dies verus illuxit, in carne natum Dominum Christum Jesum, in Evangelio scriptum (*Luc.* II), facile recolunt, qui legerunt, vel qui aurem legentibus præbuerunt. Israelitici pastores super gregem suum vigilantes, angelis nuntiantibus, cognoverunt : hodie in eadem carne manifestatum gentiles magi curiosa sectantes, signis indicantibus, invenerunt. Illis ortum Dominicæ nativitatis annuntians locuta est vox spiritualium ministrorum, istis stella tamquam lingua cœlorum. Dicunt illi ad quos sæpius prophetæ missi fuerant : Transeamus usque Bethleem, et videamus hoc verbum quod factum est ad nos; dicunt isti, quibus [b] nullus umquam locutus fuerat prophetarum, et sciscitantes interrogant : *Ubi est qui natus est rex Judæorum? Vidimus stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum* (*Matth.* II). Accedunt ergo illi de proximo, hi veniunt de longinquo, utrique tamen ad unum eumdemque fidei locum, pia devotione conveniunt : ibique regem Christum appositum ante duo [c] prophetica illa jumenta, duorum videlicet populorum typum figuramque gestantia, intuentur, admirantur, agnoscunt. *Agnovit enim bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui* (*Isai.* I). Agnovit enim bos Judæus [d] jugo legis excusso, agnovit et asinus paganus stultitiæ feritate deposita; ille deserens superfluum observationis laborem, hic relinquens vagum superstitionis errorem. Uterque agnovit, quia uterque ad unum præsepe Domini epulaturus accessit, epulaturus non fenum mortis, sed cibum salutis. Edite, edite, pia animalia, æternæ vitæ cibaria : et perpetuæ retributionis escam avidis quantum potestis faucibus occupate, non dividentes in frusta, sed integrum, solidumque sumentes. Non potest enim edi Christus, et dividi; integer a credentibus sumitur, integer in ore cordis recipitur. *Verbum enim caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I) : habitavit, ex quo uterum Virginis dignanter implevit. *Obtulerunt illi*, ut scriptum est, *aurum, thus et myrrham.* Nos fidei [e] thus longinquæ regionis, nos [f] proximæ confessionis myrrham boni odoris, nos suaveolentia dona charitatis; tria namque ista offerimus, quando Christum, et regem, et Dominum, et hominem confitemur. Sed in spiritu et veritate adoremus Christum, si ei munera fidei et confessionis obtulimus : et nos sicut illi magi, qui sunt fidei nostræ duces credulitatisque principes, commoniti in somnis, id est, in hac vita, quæ somno est similis, illuso Herode rege, id est, diabolo hujus mundi principe, per aliam viam, id est, [g] per alteram vitam, ad illam nostram patriam revertamur, de qua per Adam ejecti infeliciter sumus, per Christum vero misericorditer nunc reducti.

SERMO CLX.

de eisdem.

Quamvis in ipso Dominicæ incarnationis sacramento adfuerint clara semper divinitatis insignia, Deum tamen venisse in humanum corpus multis modis aperit et revelat hodierna solemnitas, ne perdat per ignorantiam semper obscuritatibus involuta mortalitas quod tantum tenere meruit et possidere per gratiam. Nam qui nobis nasci voluit, a nobis noluit ignorari : et ideo sic aperit, ne magnum pietatis sacramentum magni fieret erroris occasio. Hodie magus quem fulgentem quærebat in stellis, in cunis reperit vagientem. Hodie magus clarum miratur in pannis, quem diu in astris patiebatur obscurum. Hodie magus quid ubi videat profundo stupore pervolvit : in terra cœlum, in cœlo terram, in Deo hominem, in homine Deum, et universo sæculo non capacem concludi corpore perpusillo. Unde magus qui scrutari non valet, capere non potest, mox adorat; videt enim non sic lucere in cœlo stellas, lunam, solem, qualiter illuxisse carnem contemplatur in terris; videt in uno eodemque corpore divinitatis et humanitatis convenisse commercium. Hic dum credit Deum, sentit regem, intelligit humani generis amore morituram, et pavida cogitatione pertractat quemadmodum possit mori Deus, qualiter possit vitæ restitutor occidi. Ac sic magus cessat arte quærere quod arte non potest invenire : et quia se in cœlo diu cum astris errantibus videt errasse, gaudet in terra se ad Deum ducatu unici sideris pervenisse, et deprehendit magus cuncta quæ videntur in cœlo, humanis clara oculis, profundis esse obscurata myste-

[a] Non abs re suspicantur aliqui ex sacræ Scripturæ enarratoribus spectatum in Oriente ab magis sidus, Hierosolymam usque ducem præcessisse; inde negatum ejusdem lumen dum ibi commorati fuere, iterum se egredientibus exhibuisse, ac Bethlehem usque deduxisse.

[b] Neque verbo ad aures, neque scripto et per prophetiam : licet enim per prophetiam Balaam et veterem majorum suorum traditionem sciverint magi quæ dicuntur in textu, tamen Balaam non fuit propheta, sed ariolus : et sicut Caiphas, non sicut propheta prophetavit. Lege Maldonatum, in cap. II Matth., q. 4, et Num. XXII, 5. MITA.

[c] Ex loco Isaiæ inferius laudato, quem ad Christum natum communiter applicant.

[d] Hæc est prophetiæ hujus genuina explicatio. Vide disertissime Hieronymum in cap. I Isaiæ.

[e] Ab Hebræis enim ad nos fides nostra peregrinata est.

[f] A lege enim Christi nobis sacramentum pœnitentiæ, et peccatorum confessio effluxit, nisi potius intelligat de fidei confessione quam corde et animo elicimus. Ex Mita.

[g] Per præsentis vitæ emendationem.

riis. [a] Jamque videns credere se, et non discutere, mysticis muneribus confitetur : thure Deum, auro regem, myrrha esse moriturum. Thure Deum, auro regem, ut eum diviti placaret obsequio, quem curioso et importuno incesserat et offenderat instituto ; atque implet illud quod multi de spadone ex Æthiopia [b] suspicantur : *Æthiopia præveniet manus ejus Deo* (*Psal.* LXVII). Videt Christum magus Judæum præveniens manibus suis, quia quando Christum Judæus Herodi scelere prodebat, tunc magus Deum Christum muneribus fatebatur. Hinc est quod gentilis qui erat novissimus, factus est primus : quia tunc ex magorum fide est gentium credulitas dedicata, et Judæorum est notata crudelitas. Hodie Christus Jordanis alveum, mundi peccatum lavaturus intravit : ad hoc eum venisse Joannes ipse testatur. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I). Hodie servus Dominum, homo Deum, Joannes Christum tenet ; tenet accepturus veniam, non daturus. Hodie, sicut ait propheta : *Vox Domini super aquas* (*Psal.* XXVIII). Quæ vox? *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui* (*Matth.* III). Hodie vox Dei super aquas, quia Pater Deus ut probaret generis fidem, [c] ipse sui testis Filii, ipse assertor assistit. *Hic est Filius meus dilectus*, quia alterum qui testimonium diceret non habebat : arcanum Patris, arbitrum non habebat ; testem generatio nescit divina ; divinitas externam non recipit notionem, ipso Filio dicente. *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius* (*Matth.* XI). Hodie Spiritus sanctus supernatat aquis in specie columbæ, ut sicut illa colomba Noe nuntiaverat diluvium discessisse mundi (*Gen.* VIII), ita ista indice nosceretur perpetuum mundi cessasse naufragium ; neque sicut illa veteris olivæ surculum portaret, sed totam [d] in caput parentis novi chrismatis pinguedinem fundit, ut impleat illud quod propheta prædixit : *Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (*Psal.* XLIV). Hodie Dominus super aquas. Bene super aquas, et non subtus aquas, quia Christus baptismati suo non servit, sed imperat sacramentis. Hodie Deus majestatis intonuit, et si Pater de cœlo intonat, si Filius Jordanis insistit fluentis, si Spiritus sanctus [e] corporaliter apparet de supernis ; quid est quod Jordanis qui fugit ad præsentiam legalis arcæ (*Josue* III), ad totius Trinitatis præsentiam non refugit. Quid est? Quia qui pietati obsequitur, incipit non esse timori. Hic Trinitas exercet gratiam totam, totam secum loquitur charitatem : ibi elementa corripit, ut servulos instituat ad timorem. Inter hæc tamen talia et tanta intrepidus stat Joannes, quia timere non potest, qui totus ad Dei amorem natus angelico testimonio comprobatur. Hodie Christus initium dat signorum cœlestium, dum convertit aquas in vinum (*Joan.* II), ut quem Pater voce Filium jam probarat, ipse se Deum [f] virtutibus approbaret, quia auctor est elementorum qui elementa commutat ; et naturam fecit ipse, qui contra naturam facere non laborat : aquam transfert in vinum, ut [g] divinitatis in vigore naturæ nostræ proficiat hebetudo. Nam qui panes quinque fragmento profluo et [h] furtivo incremento, ad quinque millia hominum tetendit et dilatavit saginam (*Matth.* XIV), potuit augmentis succrescentibus ad nuptiarum festa vini ampliare et perpetuare mensuras. Sed aqua in sanguinis erat [i] convertenda mysterium, ut mera pocula de vase corporis sui Christus bibentibus propinaret, ut impleret illud prophetæ : *Et calix tuus inebrians quam præclarus est* (*Psal.* XXII). Tribus autem modis hodie Christi deitas est probata : magorum munere, Patris testimonio, aquæ mutatione in vinum ; quia tribus stare omne verbum Scripturæ firmavit auctoritas dicendo : *In ore duorum vel trium testium stet omne verbum* (*Matth.* XVIII). Sed quia festivitas ipsa ad mensam nos Domini et calicis istius lætitiam commonet jam i venire, res amplas brevi sermone sufficit conclusisse, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit et regnat nunc et semper, et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO CLXI.

De parabola servi ab agro regressi, deque hominis erga Deum gratitudine.

Audistis, fratres, quemadmodum famulatum divinum Dominus exigit humanæ servitutis exemplo, dicendo : *Quis vestrum habens servum arantem, aut pascentem, qui regresso ab agro dicat : Statim transi, recumbe ; et non dicit ei, Para quod cœnem, et præcingere, et ministra mihi donec manducem et bibam, et post hæc tu manducabis et bibes? Numquid gratiam*

[a] Ms. Cæsen., *credit et non discutit, sed mysticis muneribus confitetur.*

[b] In hoc nempe vaticinio conversionem gentium, Ægyptiorum maxime et Æthiopum, quorum primitiæ in reginæ Candacis spadone multi recognoscunt. Hilarius autem, cum Chrysologo putat magos Christum in incunabulis veneratos, ex iis regionibus esse profectos.

[c] Ms. Cæsen., *ipse sibi, sui testis Filii.*

[d] Scilicet Christi, qui omnium salvandorum ac reparandorum parens est. MITA.

[e] Quod vera ac naturalis columba fuerit hæc, plerique negant : verumtamen corpus habuisse affirmat S. Augustinus, sed corpus aerum in speciem columbæ. Non tamen fuit illud corpus, quodcumque esset, a Spiritu sancto hypostatice assumptum, ut falso opinatus est Tertullianus ; sed Spiritus sanctus fuit in illo, tamquam signatus in signo : sicut angeli, ut ab hominibus videantur, sæpe humana corpora assumpsere. Vide Maldonatum in cap. III ; Matth., num. 16. MITA.—In hac re, inquit Calmetus, religiosi adeo non fuere Patres, uti recentiores nostri ; neque indignam putavere Spiritu sancto columbæ speciem, cum passim in Scriptura Dei Filius describatur nomine Leonis Juda, Vermis Jacob, Agni, Lapidis, etc.

[f] Ms. Cæsen., *manifestaret.*

[g] Ms. idem, *Deitatis vino.*

[h] Hoc est abscondito, et humanis oculis impervio.

[i] Scilicet in sacrificio Missæ. MITA.

[i] Hinc subinfero Auctorem nostrum prædicasse populo divinum verbum ante sacrum, vel antequam sacrum faceret. MITA. — Vel potius inter Missarum solemnia, proxime pro Evangelii lectione, antequam populo sacra mysteria distribuerentur.

habet servo illi, quia fecit quæ sibi imperavit? Non puto. Sic et vos, cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus (*Luc.* XVII). *Sic et vos.* Quid simile? Immo longe dissimile. Tantum debet homo Deo, quantum debet homini homo? Absit. Nam est alter ordo, diversa causa, [a] dissimilis fides. Deus hominem fecit esse, nasci jussit, dedit vivere, concessit sapere, donavit et tempora, distribuit ætates, concessit ad gloriam, aperuit ad honorem, præfecit animantibus, et toti terræ dominum definita lege et ætate præscripsit : et cum talia, tantaque prima homini Dei beneficia deperiissent, secunda reparavit tanto majora, quanto divina; præstantiora tanto, quanto cœlestia. Nam cœli post habitatorem dedit, quem dederat ante incolam terrenorum, ut adversum nullum illi, nullus incursus, [b] nullusque serpens terrenis latens in bonis, irrepere amplius in hominem non valeret; servaretque conditio jam certa, quem perdiderat [c] incerta libertas; et esset homo liber omnium, sola Domini servitute, cui conditionem qua factus est debet, debet originem : quod redemptus est, quod emptus est, debet utique servitutem, dicente Apostolo : *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum* (I *Cor.* VII). Et propheta ut conditionem, ut originem fateretur : *Ego servus tuus*, inquit, *et filius ancillæ tuæ* (*Psal.* CXV). Deo ista, homini quid tale debet homo? Et tamen quærit Deus vel tantum; quia reddere homo Deo nil vult, cui debet totum. Sed repetamus lectionem, et oculis nostris similitudinem proponamus ipsam, et quod diximus tunc lucebit, quia nullam Deo, homini totam dependimus servitutem. *Quis vestrum habens servum arantem aut pascentem, qui regresso ab agro dicat : Statim transi, recumbe; et non dicit ei, Para quod cœnem, et præcingere, et ministra mihi, donec manducem, et bibam, et post hæc tu manducabis et bibes?* Quam familiaris, quam vernacula, quam de quotidiano usu veniens, quam communis est ista doctrina. Si dominus est, qui audit, agnoscit talia se exigere a servo; si servus, exhibere se domino ista cognoscit. [d] Servus namque post vigilias antelucanas, post totius diei varios et duros labores, post trepidantes et anxios concursus, et parat Domino A suo cœnam, et cinctus quod paraverat subministrat : non est elatus, quia fecit, sed cum devotione singula faciens contremiscit, et apponit domino suo cibos multiplices, arte tota totiùs saporis conditos; ipse autem semicoctam, nec salitam forsitan cœnulam gustaturus; porrigens crebra pocula, [e] variat calices, vina mutat; ad longissimi [f] convivii fabulas longiores stat fixus, stat moveri nescius, stat cujus lassescere non licet servituti. Et cum dominus jam partem noctis in somno deducit, peragit in quiete, servus colligit, curat, accurat, ponit, componit, reponit, et sic in rebus necessariis immoratur, ut nihil sibi, aut parum noctis ad escam reservet et soporem. Post hæc omnia nisi pervigilet in crastinum, et dominum prævenerit dormientem, fessus, indefessus, [g] manicabit ad verbera, ad præsentem pœnam nihil hesterno ei subvenit de labore, quia quidquid dominus indebite, iracunde, libens, nolens, oblitus, cogitans, sciens, nesciens circa servum fecerit, judicium, justitia, lex est, imperantis ira subdito jus est, et ad libitum domini vocem non habet conditio servitutis. Si ergo et servus sentit quid debeat homini taliter serviendo, et dominando dominus qualem servitutem Domino dominorum debeat, docetur et intelligit se magistro. Hoc implebat Paulus, qui [h] servitutis suæ titulos sic scribebat : *Usque ad hanc horam esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur* (I *Cor.* IV). Et alibi : Lividum facio corpus meum, et servituti subjicio (I *Cor.* IX, *juxta LXX*). Præbebat vinditam bonus servus, qui se usque ad livorem sic agens jugiter verberabat : nec laxabat frena corpori, ne per indulgentiam caro laxata alterius incurreret servitutem. Sed, homo, quod a servo exigis, impende ei qui te dominum fecit. Tu qui semper dormis, et a servo exigis vigilias indefessas, aliquando vigila tuo Domino pro te sine cessatione vigilanti, assiste tuo Domino vel momento uno jejunanti, cui manducanti tuus servus semper assistit; remitte servo innocenti, [i] cui peccanti blanditur Dominus tuus; da interim veniam, cui tuus Dominus semper ignoscit. Certe si quidquam boni feceris, crede te [j] Domino solvisse debitum, non beneficium præstitisse. *Cum feceritis*, inquit, *omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi*

[a] Hoc est fidelitas, vel constantia promissorum. MITA.

[b] Alta hic nox in veteribus editionibus. Lucem dedimus ex Mita.

[c] Anceps, fluctuans, quia in mutabili hominis arbitrio residebat. MITA.

[d] Laudantur verba hæc a Pignorio, de Servis, page 68.

[e] Ms. Vallicell., *varios calices.*

[f] Vel quia sæpe in conviviis fabulatur, vel respicit morem antiquorum, in quorum conviviis ludicra et scenica agebantur, vel ænigmata a convivis solvenda proponebantur.

[g] Has serviles delicias, inquit Pignorius, tangit eleganter Geta Terentianus Phorm. Act. II, scen. I :

Herus si redierit
Molendum usque in pistrino, vapulandum, habendæ compedes,
Opus ruri faciendum, etc.

[h] Nescio quid de viris principibus vulgo *titolati* somniet Mita. Tituli servitutis erant tabellæ in quibus inscribebantur mancipiorum morbi, et vitia, et quidquid aliud emptorum intererat non nescire. Pendebant autem hujusmodi tituli ex eorum collo. Propertius Eleg. 5 lib. IV :

Aut quorum titulus per barbara colla pependit.

Ait ergo Paulus inter titulos suæ servitutis, scripsisse famem, nuditatem, etc.

[i] Blanditur Deus peccatori, vel statim non puniendo, vel largiendo temporalia, vel more optimi parentis, qui maledictis suorum infantium arridet, quo bonos efficiat; vel uti loquens de Saulo dixit Augustinus serm. 15 de verb. Apost., *sævi et miseretur.* Ex Mita.

[j] Alias, *dominanti.*

inutiles sumus ; quod debuimus facere, fecimus. Quando per se homo utilis ad divina, qui sic sibi est inutilis ad humana? Cogitet homo cordis mala, carnis vitia, voluptatum fluctus, desideriorum procellas, irarum scopulos, naufragia criminum, et tunc quidquid in se est utile [a] dabit Deo, sibi quidquid inutile est deputabit. Sed ad proposita redeamus, ut quare Dominus discipulos suos admonuerit jam patescat. Apostolos suos Christus [b] ut mitteret adpopulos vario dolore languentes, dedit illis virtutem spiritus, potestatem supernam dedit, dedit gratiam sanitatum, unde perambulantes illi reddebant visum cæcis, claudis cursum, surdis auditum, et ne per singula vos morer, cunctis male habentibus dabant salutem, unde redeuntes gloriabantur dicentes : *Domine, etiam in nomine tuo dæmonia subjecta sunt nobis.* Quos Dominus temperat, dicens : *Nolite gaudere quia dæmonia subjecta sunt vobis : gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* x). Ergo ne per elationem perderent quod conquisierant per laborem, et deputarent sibi quod divinitus fuerant consecuti, ad humilitatem, quæ mater est doctrinæ, tali revocat exemplo : *Quis vestrum habens servum arantem, aut pascentem, qui regresso ab agro dicat ei, Statim transi, et recumbe; et non dicit ei, Para quod cœnem, et præcingere, et ministra mihi donec manducem et bibam, et post hæc tu manducabis et bibes?* Post exactos labores, et magna et multa documenta virtutum, apostoli satis sibi utiles videbantur, sed versari in luto carnis, et limo corporis hujus, et quod essent inutiles, nesciebant, sed deprehenduntur cum Judas tradit, Petrus negat (*Matth.* xxvi), Joannes fugit, relinquunt omnes (*Marc.* xiv), ut solus in quo erat, et ex quo erat tota utilitas appareret. Quod autem dixit : *Et postea tu manducabis*, monet discipulos, ut post ascensionem suam statim copulari se Domino in illa beatitudine superna gestirent. Nam denique hic [c] relicturos omnia approbat, et præcingit ad tolerantiam passionis, et ministerii sui perficit ad laborem. Nam tunc tanto tempore ministrarunt apostoli discumbenti, quanto tempore inter peccatorum coquinas et gentium focos cœnam Domini super mensas Ecclesiæ in memoriam perpetem præpararunt. Hanc cœnam qui [d] fidelis est novit, qui nescit, et scire desiderat, sit fidelis.

SERMO CLXII.

De eo qui volebat dividere hæreditatem.

Audistis, fratres, hodie quid a Domino hæres bonorum petierit mundanorum. *Magister*, inquit, *dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem* (*Luc.* xii). Præceps cupiditas, et incauta, mundanæ litis arbitrum credidit ipsum sæculi cognitorem; et eum fieri voluit divisionis auctorem, qui ad restituendam venerat humani generis unitatem. *Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem.* Hic non magister quæstus est, [e] sed amor. *Dic fratri meo ut dividat mecum hæredilatem.* Cum dicit, *dic fratri meo*, præmisit quod charitatem moneat, quod interpellet naturam, quod pulset affectum. *Dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem.* Non potest dicere fratri, *Divide*, qui per prophetam docuit : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Ps.* cxxxii). *Dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem.* Quæ major hæreditas, quæ melior hæreditas quam divinæ vinculum charitatis? Quia hæreditas aliquando perit, charitas numquam, dicente Apostolo : *Charitas numquam excidit* (I *Cor.* xiii). Sed dicit aliquis, Ergo charitas numquam perit, numquam violatur? Plane numquam, quia [f] charitas si est, permanet; si non permanet, non est. Sicut sterilis arbor quæ vernali tempore cum tota candescit in flore, [g] fructum non dat illa, sed fallit; ita est charitas quæ putatur, et non est : occasionum concussa fluctibus evanescit, ac sic lædit sollicitos et decipit incautos. Sed ad cœpta redeamus. *Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem.* Hæreditas mundana, ante posteris infert jurgia quam confert censum; antequam dividat facultates, [h] scindit hæredes; antequam debitas tradat singulis portiones, successores ipsos desecat et mittit in partes. Proinde non est hæreditas ista, sed pugna; et hæc noverca filiorum est, non facultas. Ille ditat filios, qui relinquit filiis plenissimam charitatem. At tu, quisquis ille es qui Dominum tali petitione compellas, Dominum provocas, Dominum producis ad litem, cum quo tibi Apostolus hæreditatem docet et ostendit esse communem : *Hæredes*, inquit, *Dei sumus, cohæredes autem Christi* (*Rom.* viii). Hic tibi sic hæres est, hic est tibi frater, qui nascendi sorte, conditione crescendi, vivendi ordine, moriendi exitu, per omnia tibi voluit similis inveniri. Nam cum esset et solus Dei hæres, et Filius unicus per naturam, te participem sibi, te cohæredem sibi voluit et fecit esse per gratiam, qui eras miser et subjectus ultimæ servituti. Habebis itaque, et collata poteris feliciter possidere, si manseris in aula Patris, si fueris in divina hæreditate communis. Dari potest, dividi non potest sors divina, quia cœlestia et qui dederit non amittit, et qui acceperit sibi singulariter non recondit. Unde homo quid hunc ad divisionem vocas, quid hunc ad discussionem miserandus invitas, quid ab eo partem petis, qui tibi quæsivit et contulit totum? Vel expertus cessa, et jam pœniteat talia te petiisse. Nam partem substantiæ principalis accepisti, et acceptam peregrinus, vagus, luxuriosus cum luxuriosis helluo

[a] Id est, ascribet Deo.
[b] Alias, *cum mitteret.*
[c] Non parvo loci detrimento in editis omnibus deest vox *omnia.* Supplevit Latinius.
[d] Sacram scilicet eucharistiam, quæ ea ætate arcani tenebris obtegebatur infidelibus et catechumenis.
[e] Editi, perperam, *sed amoris.*
[f] Juxta S. Augustinum relatum a Magistro distinct. 31 lib. iii : *Charitas, quæ deseri potest, numquam vera fuit;* et Ambrosius : *Ficta charitas est, quæ in adversis deserit.* Ex Mita.
[g] Ms. Cæsen., *fructum dat nullum.*
[h] Chrysostomus apud Lippom. in Catena : *Facultatum multitudo divisionem operatur, concordiam impedit, et cognationis vinculum dirimit.*

perdidisti (*Luc.* xv). Hinc paradisi exsul, hinc hæreditatis exsors, hinc extorris a vita. Homo, dicit tibi Christus, Quod a me, et per me consecutus es, sine me non poteris possidere, quia sine me qualis fueris, jam vidisti ; hoc sciens pro te Patrem ingrate omnium sic poposci : *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum* (*Joan.* xvii). Et quia nec hoc tibi sufficere poterat ad tutelam, nam cum mecum esses in paradiso, et [a] extra me tu periisses, adjeci, dicens : *Pater, sicut tu in me, et ego in te, ita et isti in nobis unum sint.* Ego ut Patris bona habeam, processi de Patre, a Patre penitus non recessi : et ideo tantum te in nobis habere volo, quantum nos ipsi sumus, et manemus in nobis. Desine ergo vel superna dividere, vel de terrenis me audiente litigare, ne quem tenes et habes hodie largitorem pium, severissimum sentias postmodum cognitorem. Sed jam quid responderit Dominus audiamus : *Homo*, inquit, *quis me constituit judicem aut divisorem super vos? Quis me constituit judicem ?* Et ubi est illud quod tu dixisti, Domine : *Pater neminem judicat, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* v) ? *Aut divisorem super vos ?* Et quis dividet justos ab injustis, sicut segregat pastor oves ab hædis (*Matth.* xxv) ? Si tibi judicium debetur hominis, et per te est totius sæculi celebranda divisio, quomodo dicis, *Quis me constituit judicem aut divisorem super vos ?* Est quidem penes Christum, et fuit, atque erit omne judicium, sed tunc non judicaturus venerat, sed judicandus, nec addicturus reos, sed a reis innocens addicendus. In homine agebat Deum, in servo dominum, ut esset vernula temporis, qui erat et factor et cognitor sæculorum. Merito ergo respondit : *Quis me constituit judicem aut divisorem super vos?* Et quis eum constitueret judicem, qui constituit et restituit universa ? Christus ad litigatoris arbitrium arbiter esse non poterat, qui totius judicii summa est et potestas. [b] At illi jurgator quare non opposuit : Quomodo non invitatus a fratre taliter tu petisti ? Nescis, quod justus mediator non est, qui ab una tantum eligitur parte ? Verum hæc non dixit ; sed invisus astitit, ut adjudicantis illi fas esset, fratri non esset, resilire sententiam. Et quia Christus correcturus venerat, non damnaturus reum, præcepto removet fomitem jurgiorum, dicendo : *Videte, cavete ab avaritia.* Hoc est dicere : Abjiciatur avaritia, et non erit in hæreditate contentio. Avaritia, fratres, parentes negat, germanos dividit, separat socios, amicitiam solvit, excludit affectum : hanc qui intra se habuerit, erit nullius, suus non erit. Avaritia, fratres, sicut dixit Apostolus, *radix est omnium malorum* (I *Tim.* vi) : quæ cum radicari cœperit in corde, sic morum dissipat ornamenta, sicut [c] arbor noxia feralibus radicibus nexa solvit, et dissipat monumenta majorum.

SERMO CLXIII.

De terrenorum cura despicienda.

Beati quorum corda hodiernus Dominici sermonis penetravit auditus. Beati quorum mentes promovit ad fidem tanta et talis promissio Salvatoris. Beati qui credulitate cœlestium mandatorum duris absoluti sunt præsentium curis. Tali namque hodie discipulos suos, immo omnes auditores suos, Dominus voce compellat : *Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quod vestiamini. Anima plus est quam esca, et corpus plus est quam vestimentum* (*Luc.* xii). [d] Quis sic ita invidus bonis suis, quis sic deliciis suis inimicus, ut spontanea et cœlitus præparata despiciat, et concupiscat mundanis laboribus et doloribus conquisita ? Degener nimis animus, mens tota servilis est, quæ coquorum [e] afflatus, squalores coquinæ, hesterno horrore fetentia perquirat obsonia, cui jugiter regius deservit atque adjacet apparatus. Noli ergo, homo, inania providendo gemere, noli laborare caduca præparando, quia prandii tui semper et ubique Deus præparator assistit. Quis rex devotis militibus debitam non procurat annonam ? Quis dominus fidelibus servis ista cibaria non ministrat ? Quis pater non dat panem filiis ? Si ergo nobis Deus, et rex et Dominus, et Pater est, quid negabit ? Stipendiis suis militans derogat miles regi ; suis sumptibus vivens dominum servus accusat ; pro se sollicitus filius culpat superstitem patrem. Noli ergo, homo, exponere Deum pro te taliter cogitando, qui et justitia regnantis, et dominantis studio, et generantis affectu, in se totam tui recepit sollicitudinem, refudit et curam, dicendo : *Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis.* Sed te forte mellitus imber, et singularis cibus, Judaici fastidii deterret exemplo, nec carnem credis humorum varietate concretam per solum manna [f] sua voluntate compleri : dicis, Deus sicut corpus ex diversis voluit constare membris, ita variatis dapibus voluit et jussit enutriri. Superfluus est, o homo, iste qui te exagitat timor : nam Creatoris ad prandium tota concurrit et advolat creatura. Unde si te legalis cibi singularitas et parcitas terret, invitet et provocet evangelici convivii cœlestis effusio, quæ in uno ferculo manducaturo Petro totius apponit genera creaturæ (*Act.* x). Nam quidquid Noe [g] vector novi

[a] Alias, *extreme tu periisti.*

[b] Mirum quantum tota hæc periodus in omnibus editionibus scateat erroribus. Et cum etiam codices mendosi sint, eam ex conjectura Mitæ restituimus.

[c] Observat plurimis Mita, primum monumenta more antiquo in agris construi solita ex lapide lateritio. Si vere ibidem prope arbores plantatæ fuissent, illæ radicibus intra lapidum connexionibus immissis, et lapides titulares, et lateres, sepulcrum componentes, e proprio loco indistincte prosternunt. MITA.

[d] Latinius, *quis sit.*

[e] Ms. Cæsen. Editi, *affatus.*

[f] Auctor Sapientiæ xvi, 20, 21, tradit omnium gustui manna accommodari consuevisse, ut singulis saperet. S. Augustinus Retract. lib. ii cap. 10, scite animadvertit hanc cibo virtutem, ut se omnium gustui accommodaret, non nisi pro filiis Dei inditam fuisse. Vide Gregor. Moral. lib. vi cap. 9.

[g] Aliis epithetis eum ornant Patres. Dictus est a Chrysostomo, homil. 110 tom. V pag. 711, *naufragium facientis naturæ bonus gubernator;* a Nazianzeno,

sæculi, sæculi servavit ad semen, quidquid in aere volitat et fertur, quidquid gignitur et vivit in terra, quidquid in aquis est, et movetur, hoc uno Petri cœlitus mactatur, et exhibetur ad cœnam. Si ergo vis, homo, accipere et omnia manducare, despice vilia tibi providere cellaria. Et nos quidem magnis exemplis tibi superna cogitanti carnalia non defutura probare contendimus: Deus autem pro suæ majestatis insignibus de suis dubitantem promissis ad vilia et extrema remittit exempla; ut te tali examinatione redarguat, quem [a] tanta imitatione non traxit. *Considerate*, inquit, *corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, et Deus pascit illos; quanto magis vos pluris estis illis?* Dubium merito infidelem ad avem mittit, amicam belli, furoris sociam, insatiatam sanguine, et in ipsos mortuos ferro gravius sævientem. Namque cessante gladio carnifex improbissimus exanime grassatur in corpus, laniat, dissipat, spargit, ne quid funeris inventum, quieti misericors sepultura commendet. Itaque Dominus exemplo tali exaggerat dubitantis insaniam, qui putat Deum hoc piis filiis denegaturum, quod impiis [b] avibus subministrat; et existimant relinquentibus propter se patriam, domum, parentes, filios, conjuges, victus subsidia non daturum, qui nascenti indulsit crescere, terminavit corporis incrementum. O miserum, o tota infelicitate dignissimum, cui cum detur regnum, suspirat panem; cum perpetuitate donetur, deflet potum; cum immortalitatis gloria induatur, plangit corporis vestimentum. Genuinæ infelicitatis conscius, fieri non credit se felicem; et terreno enutritus in pulvere cœli incolam dubitat se futurum. Convenienter ergo Dominus quæ sequuntur adjecit: *Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* Humanarum mentium cogitationes intimus scrutator exponit; nam omnis homo dum sui corporis pulchritudinem concupiscit, procerum se esse exoptat: sed cogitare homo hoc potest, hoc per se homo obtinere non potest; ad id credendo pervenit, ad hoc pervenire non potest cogitando. Hinc est quod Dominus humani conscius desiderii hominem Christi tetendit in formam, ut in mensuram Christi speciositate tota decorus esset, qui in brevitate sua erat ipso erubescente deformis; unde bene subjunxit: *Si ergo neque quod minimum est potestis, de cæteris quid solliciti estis?* Hoc est, quid cogitatione, homo, majora præsumis, qui per fidem minora desperas? Quid vestimento minus, quid majus corporis incremento? Crede ergo tibi a Deo vestitum corporis posse præstari, a quo tibi fides corporis incrementa repromittit. Verum, quia Deus sic humanum diligit genus, ut ipsos quos dominantis jure corripit, mox paterno soletur, et mulceat blandimento, quos comparatione fœdissimæ avis exasperasse videbatur, ad floris odorati et speciosi nimium hos reducit exemplum. *Considerate*, inquit, *lilia quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis.* O quantum se superna pietas hominis amore deponit! Nam qui poterat præcepta sua sola auctoritate firmare, toto insinuat et astruit labore doctoris, et qui sufficiebat in sola fide promissionis suæ terminum collocare, auditores ad fidem promissi suasoris perducit exemplo; dubios lilii comparatione confirmat, lilium Salomonis sublimat exemplo: quia ipso Domino testante, inter omnes mundi reges Salomon singulari gloria, ornatu unico, speciosus effulsit, et omnes terræ flores lilium vincit et præcellit in gratia; tantumque distat ab universo germine lilium, quantum regem specie, gloria, cunctis, constat excellere. Nec a nobis latius lilii describenda est pulchritudo, cujus prærogativam Dominica testatio reddit singularem: iteranda sunt sane illa quæ ad robur fidei nostræ geminato Dominus commendavit exemplo; quia Christianus de vita, de regno, de immortalitate certus, [c] de pastus et vestitus non debet necessitate pulsari, cum videat Deum hodie nato, et perituro in crastinum germini [d] tantam vestibus gloriam contulisse. Sed sicut ariditate ista, sicut clibani deputantur incendio, ita mortis, ita gehennæ ignibus destinantur, qui præsentia sibi a Deo præstari dubitant, cum futura sibi jam sentiant contributa. *Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis, et nolite in sublimia tolli; hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit quoniam his indigetis. Verumtamen quærite regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis.* Cum se patrem nostrum dicit, nostri sibi piam curam comprobat non deesse: cum nos regnum cœleste jubet quærere, subjicienda monstrat omnia; nobis quidquid cœlestis exigit apparatus indicat adfuturum.

SERMO CLXIV.

De igne cœlesti, de separatione facta a Christo, et de Ecclesiæ et Synagogæ divisione. In illud Lucæ: *Ignem veni mittere in terram*, etc.

Sicut febrientibus amarus est semper salutaris cibus, ita et sæpe Dominicus sermo contrarius imperitis: utrisque tamen aliter, aut ex corporis, aut ex mentis infirmitate contingit. Hodie Dominus exasperasse nonnullorum videtur auditum, dicendo: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* Et infra: *Putatis quia pacem veni mittere in terram? Non, dico vobis, sed separationem* (*Luc.* XII). Et ubi est illud: *Ecce Agnus Dei* (*Joan.* I)? Ubi illud: *Sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se mutus, sic non aperuit os suum* (*Isai.*

orat. 18 pag. 297, *secundi hujus mundi parens*; a Theodoreto in psalmum. XC, *generis nostri scintilla*; et iterum orat. 5 de Provid., *secundus humani generis princeps*, etc.

[a] Sic placuit reponere cum Latinio. Editi omnes, *tanta mutatione.*

[b] Ambrosius, apud Du-Hamelium hic: *Aves cœli speciale sibi nihil vindicant; et ideo pabulis indigere nesciunt, quia aliis invidere non possunt.*

[c] Ms. Cæsen., *de pastu et vestitu non debet ambigere.*

[d] Ms. Cæsen., *tantam vestitus gloriam.* Latinius, *tantam vestium gloriam.*

LIII)? Sed et illud : *Dicite filiæ Sion : Ecce rex tuus venit tibi mansuetus* (*Matth.* XXI)? Et quid est quod Agnus iste tam dure in prædicatione percutit? Quid sic arietat in verbo, qui in passione [a] tanta patientia tacet, in morte tota humilitate succumbit? Et revera, fratres, mundum suum Christus per omnia mitis et mansuetus intravit, dum nascitur nostro dulcis in germine, dum cunis blande blandior ipse fovetur, dum parvulus in gremio se fundit et resolvit humano, dum parentis in collo stringitur, et stringit toto charitatis amplexu. Et ut enutriat toto dum nutritur affectu, per omnes sensim currit et adolescit ætates : pauper agit semper, solitarius semper incedit, quia pauper communis est semper; patet omnibus solitarius semper. Et quid est quod tantum verbis spargit ignem, quod tanta et talia inflammat, et dilatat incendia, dicendo : *Ignem veni mittere in terram?* Quid est? Ager quoties longa incuria silvescit, et toto luxuriæ agrestis sordescit horrore, peritissimi cultoris utique semper aperitur et purgatur incendio : ac studio benigno cultor ignis apponitur, ut exustis sentibus reveletur prima facies campi, [b] præstetur agricolæ libera, fiat facilis via vomeri, sit germinis ferax sterilis diu terra, et longa ac mœsta otia læto lætissima jam repenset in fructu. Ergo ubi Judaicus cespes continuo aratro legis et jugi cultu [c] effetus ad inopiam, non respondit germini, non labori, sed pro tritico lolium reddidit, protulit pro viribus spinas, Christus ad sata gentium divini cultus convertit industriam : ac diu oppressa dumis nationum cupiens novalia purgare, ignem mittit primum maximus magister in terram, et quidquid naturalis squalefecerat luxus, quidquid arefecerat brumalis rigor, artifici depurgat et consumit incendio; quatenus sola longo exhausta jejunio ipso suo cinere saginata pinguescerent, et post diuturnam duritiem tenera redderentur et mollia; ac sic evangelico apta cultu semini redderentur commoda; et felici sulco jam redderent tricesimum, sexagesimum ac centesimum fructum. Sed hic ipse cultus non est novus agricolæ veteri et cœlesti, nam legem [d] pangere, gratiam serere, ignis semper uti opere consuevit. Daturus legem ignem præmisit in rubo; sed divinum rubus portavit, non concepit incendium (*Exod.* V), jam tunc aculeis malitiæ plenum et ingratum culturæ legis • populum præfigurans. Et nunc in arva gentium cum destinaret apostolos, sic eos igneo imbre perfudit, et ignis consedit super eos, ut possent humecta siccare, sicca infundere, decoquere cruda, frigida calefacere, accendere exstincta, comburere noxia, et in opere diverso uno atque eodem igne ad cœlestem copiam tota percolere deserta terrarum, dicente propheta : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII). Sed ad illud jam quod sequitur transeamus. *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? Sed baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor donec perficiatur?* Urget aqua ignem : cogitanda est talis, tam divisa conjunctio. Urget unda flammam, multiplicat flamma undam. Quæ est talis, tam [f] concors ista discordia? Geritur hic, sicut diximus, agricolæ divini species : plena namque omnia calore germinant, humore nutriuntur. Unde rerum parens Deus ignis et aquæ commercio nos germinat, nos enutrit, quorum tanto ardet, calet, exæstuat, anhelat affectu. *Baptismo habeo baptizari.* Christus suo baptizatur in sanguine, ut quidquid ex nostra carne suscepit, diluatur, renovetur, et totam suæ divinæ majestatis redigatur in formam. Baptizatur Christus suæ baptismate Passionis, qui totius peccatum mundi lavit, quod non nisi ab eo qui mundum fecerat, poterat aboleri. *Putatis*, ait, *quia pacem veni mittere in terram? Non, dico vobis, sed separationem.* Quare? Quia conjunctio cœlestis est in ista separatione terrena. Nemo potest connecti terræ, et jungi cœlo. Grata ergo et chara sit ista terrena separatio, quæ nos sic a terrenis separat, ut inserat nos divinis. *Erunt*, inquit, *ex hoc quinque in domo una divisi, tres in duo, et duo in tres : dividetur pater in filium, et filius in patrem; mater in filiam, et filia in matrem; socrus in nurum suam, et nurus in socrum suam.* Cum quinque dixerit ex una domo dividendos numero, nomina sex dividentur, pater, filius, mater, filia, socrus, nurus : sed quia est ipsa socrus quæ mater est, certum est quinque tantum personas in his nominibus inveniri. Dividuntur autem tres in duo, dum in sponso sponsa conjuncta, socrus quæ tertia est, divisa remanebit in domo. Ergo ista in qua Ecclesia conjungitur Christo Synagoga, quæ mater est, et socrus, permanet suo jam marito perdivisa. Duo ergo in tres ita dividuntur, dum de isto Christi et Ecclesiæ consortio altera [g] hæres scinditur et dividitur Synagoga, ut Christus et Ecclesia divisi [h] ab hæreticis, uno maneant et jungantur in Spiritu. Dividitur et pater in filium, et filius in patrem, dum Judaicus populus qui per carnalem Christi generationem paternum sortitus est nomen, a Christo Filio per invidiam separatur, pater lividus in odium vertit affectum, cui filii gloria jugis est pœna, est continuus cruciatus, dicente Apostolo : *Quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX). Dividitur et mater in filiam : est namque Synagoga mater, ex qua per Petrum et cæteros apostolos nascitur Ecclesia filia, quæ ubi divini

[a] Ms. Vatic. et Vallicel., *qui in patientia tanta ad mortem festinat.*

[b] Id est, a vepribus sentibusque soluta. Verum cum Latinio sic emendavimus. Editi omnes, *præstetur agricolæ libertas.*

[c] Ita cum eodem Latinio : Editi, *effectus.*

[d] Alias, *spargere.*

• Divinam legem non concepit Judæus, sed eam tantum forinsecus portavit, veluti rubus in exteriori tantum parte exardescens. Ex Mita.

[f] Verba illa, *baptismo habeo baptizari*, diverso tempore a Christo fuisse pronuntiata existimat Maldonatus : unde inanis operæ esset eorum nexum cum superioribus quærere. Id autem egregie præstitit Chrysologus.

[g] Latinius legit, et jure fortasse, *altera hæresis.*

[h] Alias, *a Judæis.*

regis Christi meruit habere consortium, matrem et æmulam pertulit et novercam. Et quæ filiæ mater talis, qualis nurui socrus? Hæc namque Synagoga mater, ubi Ecclesiam nurum vidit ex gentibus advenisse, occidit scelesta filium, nurus consortium ne videret: occidit Christum, si vel sic amorem nurus furibunda valeret exstinguere. Sed ex morte totum resurrexit in Ecclesiæ conjugium Christus; ut probaret charitatem non separari morte, sed crescere. Arguit eos autem Dominus qui faciem cœli, ortus nubium, stellarum cursus, plagas orbis student nimia curiositate perquirere, et tempus salutis suæ nullis studiis, nullis indiciis nituntur agnoscere. *Hypocritæ*, ait, *faciem cœli et terræ nostis probare; et quomodo tempus istud non probatis?* Oculus effusus perdit lumen, quia tota hominis intra pupillam visio continetur. Ne ergo studeas videre multa, ut videas temetipsum; ne præsumas excelsa contueri, nec longinqua ambias conspicere, quia angustus oculus non capit multa, non penetrat excelsa, longinqua non perspicit, atque ita videt nihil, qui videre existimat totum. Agnosce ergo diem salutis, tempus acceptum per Christum Jesum Dominum nostrum, si vis a te.

Deest finis.

[a] SERMO CLXV.

De consecratione D. Projecti episcopi Foro-Corneliensis.

Omnibus quidem Ecclesiis venerationem debere me profiteor, et fidelissimam servitutem : sed Corneliensi Ecclesiæ inservire peculiarius ipsius nominis amore compellor. [b] Cornelius namque memoriæ beatissimæ vita clarus, cunctis virtutum titulis ubique fulgens, operum magnitudine notus universis, [c] pater mihi fuit, ipse me per Evangelium genuit, ipse pius piissime nutrivit, ipse sanctus sancta instituit servitute, ipse pontifex sacris obtulit et consecravit altaribus: et ideo mihi clarum, colendum, mirabile Cornelii nomen. Amor ergo cognominis me compellit Corneliensis Ecclesiæ desideriis desideranter occurrere, et Projectum venerabilem virum amabilius pontificem consecrare. Projectum dixi, sed non abjectum, juxta illud : *In te projectus sum ex utero; de ventre matris meæ Deus meus es tu* (*Psal.* XXI). Et vere iste Projectus ex utero humanæ matris matris divinæ in utero jugiter mansit, qui domus suæ nescius, domus Dei esse perstitit habitator. Qualiter autem, fratres, cunabulis ab ipsis [d] gradus Ecclesiasticæ militiæ conscenderit et officia, quia dicere mihi longum est, sicut dicit Dominus, *ætatem habet, ipse* [e] *pro se loquatur* (*Joan.* II), per Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit et regnat cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen.

[f] SERMO CLXVI.

De quadragesimali jejunio.

Habet quidem simplicitas innocentiæ suæ gratiam, habet fidei suæ fructum; scientiæ præmium habere non potest, palmam habere non potest virtutum. Aliud est otio et securitati suæ vivere, aliud est pro omnibus ferre vigilias et labores. Simplicitas civem bonum facit, non facit militem fortem : hinc est quod ille censum solvit, hic stipendia percipit et honores. Civis aut cedit aut succumbit adversis, adversa miles sustinet et propellit; ille pugnare non didicit, hic non timere; ille cavet semper, hic vincit. Hæc diximus, ut quæ sit distantia monstraremus inter eum qui Christianæ fidei simpliciter accipit et sequitur sacramentum, et inter eum qui studet ipsius fidei et apprehendere scienter, et nosse mysterium. Ecce Quadragesimæ jejunium, quod devotione solemni die crastino suscipit universalis Ecclesia : multi putant abstinentiæ tantum studio, vel nobis traditum, vel pro nobis Dominum peregisse, nec altioris intelligentiæ continere mysterium, sed solummodo castigandis corporibus, resecandis vitiis, temperandis mentibus hoc provisum. Porro quadragenarius iste numerus tam sacratus esse a sæculis, tam mysticus reperitur, ut semper efficiendis rebus divinis, et maximis Dei negotiis explicandis adhibitus lege inviolabili perscribatur. Quod ut luceat ad purum copiosissimis percurramus exemplis. Cum mundus intra generis humani primordia perdeflenda, nefando vitiorum squalore sordesceret, et totus criminum feteret horrore, ac pene ipso iniquitatis suæ fumo fuscare cœli tantam contenderet claritatem, quadraginta diebus ac noctibus expiaturus terram, cœlestis imber effunditur (*Gen.* VII) : ut, quia perire sibi mundus, quod factus fuerat, [g] jam debebat, gauderet tali baptismate se renatum, sciretque quod est, non se naturæ, sed

[a] Sermoni huic in ms. Cæsenæ præfigitur titulus : *In ordinatione episcopi Foro-Corneliensis nomine Projecti.*

[b] Vide quæ observata sunt in notis ad Vitam Chrysologi ex Castillo, num. 5.

[c] Forte per baptismum, certe per educationem, ordinationem, et consecrationem. De B. Ambrosio, D. Augustinus lib. contra Pelag. : *Baptizantem veneror ut Patrem; in Christum Jesum per Evangelium ipse me genuit.* MITA.

[d] Projectum una cum Chrysologo a B. Cornelio sacris aris addictum, et levitam consecratum, tradit Mita. Chrysologo inde ad Ravennatem sedem evecto, alter ab eo venit in archidiaconatus dignitate, quam postea, et ipse electus præsul, beato Donato levitæ Corneliensi cessit. Episcopalibus infulis ornatus videtur anno 431. Eumdem credit esse Baronius, quem Cœlestinus PP. legatum elegit, ut suo nomine concilio Ephesino præesset. Annal. tom. VII an. 431 num. 22. At si hæc vera essent, communis de Chrysologi ordinatione sententia corrueret, ejusque cathedræ natalem ante Sixti dies annumque 431 statuere oporteret. Non autem sibi constare videtur Baronius, dum alias Rubeum secutus, statuit ordinationem Chrysologi anno 433, Sixti PP. II ibidem num. 24 anni 433. De Projecto episcopo silent Martyrologia. Ejusdem tantum meminit Ferrarius, de Sanctis Italiæ, sub die 23 Septembris, qui ei in Ecclesia Foro-Corneliensi sacer est. Mira de eo narrantur : qua fide, apud ipsum Auctorem videat is cui hæc scire placuerit.

[e] Mos fuit ut qui episcopi consecrabantur verba ad populum facerent, ut alibi observatum est.

[f] In quo Chrysologus, ait Castillo, Ravennatum vitiosa et nimis adulterata compescuit jejunia : nam quadragesimales hebdomadas, modo valde rigidas amplectebantur cives, modo nimis indulgentes et laxas diligebant.

[g] Alias, *deflebat.*

auctoris sui gratiæ, jam debere; ipsamque nostri baptismatis formam terra, nostri corporis origo, præ-libaret; ut quæ ante natos homines producebat ad mortem, hos ad vitam produceret jam renatos. Attendite, fratres, quantus sit quadragenarius numerus iste, qui et tunc cœlum terris aperuit abluendis, et nunc fonte baptismatis orbem totum pandit gentibus innovandis. Merito nos quadraginta diebus per jejunium currimus, ut perveniamus ad fontem [a] baptismatis et salutis. Quadraginta annis populum Judæorum panificus in eremo pavit imber (*Exod.* x) : nec solito ministratu incrementa germinis produxit e terra, sed ipse terris potius fluxit frumenta; totumque servitutis humanæ ademit laborem, qui blando rore esurientibus cœlestem præbuit et evexit annonam. Quadraginta diebus terram repromissionis exploratio missa divinitus circuivit (*Num.* xiii) : ut hic sacratus numerus promissas Israeliticum populum evocaret ad terras, qui nos quadragenariis jejuniorum cursibus evocat, et perducit ad cœlum. Namque et nostri corporis terram quadraginta diebus explorat nunc et circuit cœlestis inspectio, ut expugnatis et expulsis vitiorum gentibus, regionem nostri cordis possideat turba virtutum. Et quia nihil omittendum est, Moyses ipse dierum quadraginta jejunio ita humano defæcatus est et exinanitus a corpore (*Exod.* xxiv), ut totus divinitatis mutaretur in gloriam; et adhuc in nostri corporis obscuro toto fulgeret lumine deitatis; neque intueri eum mortalium visus posset, qui [b] substantia Dei diu pastus tota mortalis cibi oblitus fuerat adjumenta : unde didicit coram Deo et cum Deo commorantibus vitæ subsidia non deesse. Et revera, fratres, nescit lassari, mori non potest, cui panis, cui vita Deus est. Merito hic talis legem sancire meruit, qui totum quidquid in homine lex urgere poterat, peramisit. Præstiterat hoc Moysi juge fortasse jejunium; sed nondum reddiderat talem, si defuisset quadragenarius numerus hic sacratus. Jejunium Eliam levavit ad cœlum (IV *Reg.* ii), et purificato sic corpori ignei currus addixit obsequium; ut ostenderet [c] gehenna, quæ exurit reos, innocuis quam deservit : sed ut ad hoc perveniat et Elias, quadragenarii numeri ante viam mysticam præcurrit (III *Reg.* xix). Ezechiel eximius prophetarum quadraginta diebus [d] jacens latere uno, scientibus legem loquor, captivitatem futuram dum præfigurat, absolvit (*Ezech.* iv) : qui sacratus numerus iste suscipit iniquitates, ut deleat; captivitates ut absolvat ingreditur; vincula patitur, ut relaxet. Hinc est ergo quod Dominus, auctor a sæculis in hoc numero absconditi sacramenti, intra ipsum numerum dierum quadraginta jejunii (*Matth.* iv), ut quod adumbraverat in famulis ipsa per se [e] jam Veritas, facta et cœpta perficeret, firmaret tenera, inchoata suppleret, et quæ præceptis instituerat, roboraret exemplo; non enim sufficerat hoc tantum tanti numeri sacramentum imperasse verbis, nisi commendasset et facto. Et tamen, fratres, a tempore diluvii sacramenti hujus contendimus aperire mysterium, non ausi anteriora contingere, superiora rimari, loqui tacita, tam diu certe reposita proferre : præsertim cum mihi temerarium et vobis non necessarium videam causarum tales tantasque origines perscrutari. Veræ devotionis est, fidelissimæ servitutis est, quid fieri velit, non quare velit dominator, inquirere. Si ergo quadraginta dierum simplex, purum, æquale, tantis testimoniis, sub tanti numero sacramenti traditum nobis a Domino jejunium perdocetur, unde ista varietas, unde novitas ista, unde hebdomadæ nunc resolutæ, nunc rigidæ, nunc indulgentes nimium, [f] nunc severæ? Unde intemperati jejunii usus iste, qui aut afficiat sine venia, aut remittat ad crapulam? Hoc est, separatim calida, separatim frigida, separatim salis, separatim cibi remedia suis usibus deputare, et totum vitæ negligere conditorem? Certe qui corporis cibos condiunt, sapienter discant animæ pabulum temperare, ne aut plus salitum, aut penitus insulsum salutaris cibi generat lethale fastidium. Jejunium sit æquale : et, ut est nobis traditum (*Matth.* ii), servetur ad corporis et animæ disciplinam. Certe qui jejunare non potest, non præsumat inducere novitatem : sed fateatur esse fragilitatis propriæ quod relaxat, et [g] redimat eleemosynis quod non potest supplere jejuniis; quia illius gemitus Dominus non requirit, qui pro se gemitus pauperum sic redemit.

SERMO CLXVII.

De D. Joanne Baptista prædicante, deque pœnitentia agenda.

Opportune nobis Joannes beatissimus jejunii tempore pœnitentiæ doctor advenit; doctor dicto factoque, magister verus, quod verbo asserit, demonstrat exemplo. Magisterium stat de scientia, sed magisterii auctoritas constat ex vita; docenda faciens, obedientem perficit auditorem. Docere factis, sola est norma doctrinæ; doctrina in dictis scientia est, in factis virtus. Scientia ergo illa vera est, quæ fuerit mixta virtuti; illa, illa divina est, non humana, evangelista

[a] Peracto expletoque quadragesimali jejunio solemnis in Paschate habebatur baptismus.

[b] Hoc est essentia divina, vel sermone Domini, qui Moysem per aera per quadraginta dies bis renovaverat, ut ait auctor de Mirab. Script. in tom. III Oper. S. Augustini. MITA.

[c] De hujusmodi vocis etymo vide Hofmannum, in Lexico; Fungerum, in Gehenna; Seldenum, de Diis Syris, syntag. 1 cap. 6.

[d] Ezechiel prophetarum vetustissimus diebus trecentis et nonaginta in sinistrum latus, quadraginta in dexterum cubuit : omnino diebus quadragintis, et triginta per trecentos et nonaginta dies, annos totidem significantibus, Israelis iniquitas definitur; per quadraginta, diuturnitas captivitatis Judæ indicatur. De cubatione autem Ezechielis, an ad prodigium recurrendum sit, vide Chrysostomum de Provid., Basilium in Isaiæ viii, Theodoret. in Oseæ i, cæterosque enarratores.

[e] Corrupte in editis, *ipsa per se jam veritate facta;* vel : *ipsa per se jam veritas faciens.*

[f] De superstitione in hoc jejunio a pluribus adhibita habet S. Ambrosius serm. 23 et 24, in vetustis. MITA.

[g] Vide quam optime S. Leo serm. de jejunio septimi mensis.

probante, cum dicit : *Quæ cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I). Præceptor cum docenda facit, et auditu instruit, et informat exemplo. *In diebus*, inquit, *illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, et dicens : Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III). Pœnitentiam agite, quare non magis gaudete? gaudete magis, quia succedunt humanis divina, cœlestia terrenis, temporalibus sempiterna, malis bona, secura anxiis, ærumnis beata, mansura perituris. *Pœnitentiam agite.* Pœniteat plane, pœniteat qui divinis prætulit humana, qui servire voluit mundo, et dominationem mundi cum mundi Domino non habere. Pœniteat qui maluit perire cum diabolo, quam regnare cum Christo. Pœniteat qui virtutum libertatem fugiens, captivus voluit esse vitiorum. Pœniteat, et satis pœniteat, qui ne vitam teneret, manus tradidit morti. *Appropinquavit enim regnum cœlorum.* Regnum cœlorum est præmium justorum, judicium peccatorum, impiis pœna. Beatus ergo Joannes, qui pœnitentia judicium voluit præveniri; peccatores non judicium voluit habere, sed præmium; impios voluit regnum intrare, non pœnam. Et tunc Joannes vicinum cecinit regnum cœlorum, quando adhuc puer mundus ætatum conquirebat augmenta. Modo cœlorum regnum quam proximum jam scimus, quando mundus senectute fessus extrema, vacuatur viribus, membra deponit, amittit sensus, doloribus urgetur, curam respuit, vitæ moritur, vivit morbis, defectum clamat, testatur finem. Nos ergo duriores Judæis, qui fugientem sequimur mundum, qui futurorum temporum obliviscimur, præsentibus inhiamus, qui in ipso positi jam judicio non timemus, qui venienti jam Domino non occurrimus, qui volumus manere mortem, resurrectionem nolumus mortuorum, qui servire volumus, nolumus regnare, ut tantum regnum nostro Domino differamus. Ubi est illud : *Cum orabitis, dicite : Veniat regnum tuum* (*Luc.* XI)? Majori ergo pœnitentia opus est nobis, et pro modo vulneris modus adhibendus est medicinæ. Pœniteamus, fratres, pœniteamus cito, quia nobis spatium temporis jam negatur, jam nobis ipsa hora concluditur, judicii præsentia jam nobis satisfactionis locum excludit. Currat pœnitentia, sententia ne præcurrat : quia Dominus quod non venit adhuc, quod adhuc exspectat, quod moras facit, nos sibi redire desiderat, non perire, quos pietate tali semper est allocutus : *Nolo mortem peccatoris, sed ut revertatur impius a via sua, et vivat* (*Ezech.* XXXIII). Pœnitentes ergo revertamur, fratres, et ne de arcto temporis pertimescamus, quia auctor temporis nescit arctari : probat hoc evangelicus latro, qui in cruce et in hora mortis rapuit veniam, invasit vitam, effregit paradisum, penetravit ad regnum (*Luc.* XXIII). Et nos, fratres, qui de voluntate meritum non quæsivimus, acquiramus vel de necessitate virtutem, ne judicemur judices nostri simus : pœnitentiam debemus nobis, ut possimus nobis auferre sententiam. Prima est felicitas perpetua innocentiæ securitate gaudere, inviolatam servare mentis et corporis sanctitatem, nulla immunda mundi inquinamenta sentire, reatus conscientiam non habere, vulnera nescire peccati, gratiam semper possidere virtutum, semper sub spe vivere cœlestium præmiorum. Sed si quo forte nostra mens jaculo fuerit confixa peccati, si caro tumescat ex crimine, si vitiorum sanie fragilitas humana corrumpatur; tunc ægris illa, quæ non sanis, pœnitentiæ medicina succurrat, ferrum compunctionis accedat, apponatur adustio tunc doloris, adhibeantur suspiriorum tunc fomenta, tumentis conscientiæ fervor evaporet; tunc reatus ulcera lacrymis abluantur, immunditiam corporis cilicia tunc detergant. Ferat, ferat amaram pœnitentiæ curam, qui servare [a] debitam noluit sanitatem. Cui vita sua chara est, dura [b] nulla est cura : medicus non sit ingratus, qui per dolorem revocat ad salutem. Qui innocentiæ creditum servat, pœnitentiæ non solvit usuram. Dominus hoc aperit dicendo : *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus.* Et qui male haberent patefecit, iterum dicens : *Non veni vocare justos, sed peccatores* (*Matth.* IX). Revocat per pœnitentiam Joannes, Christus per gratiam vocat : hinc est quod Joannes vestitu, victu, loco, totus pœnitentia formatus incedit. *Venit*, inquit, *Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ et dicens : Pœnitentiam agite.* Per deserta Judææ pœnitentiam clamat Joannes, quæ legis cultum, prophetarum laborem, fecunditatem patrum, frugem Dei sua sterilitate perdebat : unde ad pœnitentiam merito vocantur disciplinarum deserta, non hominum, non locorum : vocat clamor, ubi non assistit auditor. *Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum.* Potuit de caprarum, sed cilicio opus non erat : sed accepit [c] tortuosissimi pilos animantis nihil habentis recti, nihil gratiæ, nihil decoris, quem natura dedit labori duro, addixit magno ponderi, extremæ tradidit servituti. Tali pœnitentiæ magister indui debuit vestimento; ut qui a recti detorserant disciplina, et deformes se totos formis reddiderant peccatorum, magnis pœnitentiæ sarcinis subderentur, adjicerentur duris satisfactionis angoribus ; suspiria compunctionis laboriosa portarent; ut directi et attenuati in modum acus per angustum pœnitentiæ foramen ampla remissionis intrarent, et impleretur Dominicum dictum : [d] *Camelum per foramen acus posse transire*

[a] Alias, *delicatam.*

[b] Ms. Cæsenæ, *cui vita sua est chara, nulla cura est impura.*

[c] Vocat camelum *animal tortuosum*, fortasse *quia solus camelus*, referente Horo lib. II cap. 95, *femur inflectit;* habet enim quatuor articulos in femore, totidem ossibus interjectis. Camelum ira percitum ita describit Nazianzenus :

Quid? si camelus quispiam ferox tonet
Gutture, tibique tendat infestum caput?
Stabisne pugnans? nonne qui sapit fugit?

[c] In his Christi verbis multi opinantur non agi hic de camelo animali, sed de *camelo*, aut *camilo*, fune nautica. Nam *camilum* vocari crassum rudentem, quo nautæ utuntur ad jaciendas anchoras, advertit Theophylactus, in cap. XIX Matth. pag. 113. Jure

(*Matth.* XIX). *Esca autem ejus erant locustæ, et mel silvestre.* Locusta castigandis peccatoribus attributa merito pœnitentiæ figuratur in pastum, ut de peccati loco exsiliens, in pœnitentiæ locum ad cœlum possit [a] pennis veniæ pervolare. Hoc propheta senserat, qui dicebat: *Sicut umbra cum declinat sublatus sum, et excussus sum sicut locustæ; genua mea infirmata sunt præ jejunio, et caro mea immutata est propter misericordiam* (*Psal.* CVIII). Audis quemadmodum de peccato in pœnitentiam excussus est ut locusta, et curvavit genua ut pœnitentiæ pondera bajularet : et adjicitur mellis cibus, ut amara pœnitentiæ dulcis misericordia temperaret.

SERMO CLXVIII.

De parabola centum ovium.

Sicut profunda maris ingredi, et liquentis viæ calles invios transmeare artifex viator invenit; ita de Dei dictis aliquid audire, et ad divini sensus penetrare secretum dedit et docuit lex divina. Hinc est quod ratem nostræ mentis carnis a littore solventes, in pelagus evangelici sermonis intramus, credentes quod flante Spiritu sancto cœlestis intelligentiæ perveniamus ad portum. Dominus noster hodie spem peccatorum promovit ad veniam, et superborum murmur piissimo compressit exemplo. *Erant*, inquit, *appropinquantes Domino publicani et peccatores, ut audirent illum: et murmurabant Pharisæi et Scribæ dicentes, quia hic peccatores recipit et manducat cum illis* (*Luc.* XI). Non minus invidi quam superbi malitiam de Dominica bonitate capiebant : de pietate Dei impii reddebantur, fiebant de Christi miseratione crudeles, sumebant de cœlesti curatione languorem, et [b] pœnitentium veniam vertebant judicis in reatum. *Peccatores recipit, et manducat cum illis.* Sic videt invidus, sic superbus sentit : avarus sic sapit, intelligit sic malignus. *Peccatores recipit.* [c] Non dicunt suscipit. Quid amiserat, qui recipit? Donat culpas, iram vertit in gaudium, dolorem mutat in gratiam, quicumque invenit quod amisit. *Peccatores recipit.* Recipit peccatores Deus, sed Deus peccatores esse non sinit, quos recipit; peccator Deum non violat appropinquans, Deus peccatorem sanctificat cum proquinquat. Pharisæe, Christus peccata non recipit, cum recipit peccatorem, quia Deus non criminis, sed hominis est receptor. Unde Pharisæus non quales venerant, sed quales redibant videre debuit peccatores. Certe Paulum, quem persecutorem miserant, prædicatorem viderunt mox rediisse. Sed jam Deus gaudium suum de reditu peccatoris comparatione qua, qua similitudine insinuet, audiamus. *Et ait ad illos parabolam: Quis ex vobis homo qui habet centum oves, et si perdiderit ex eis unam, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam? Et cum invenerit eam, imponit super humeros suos gaudens; et veniens domum convocat amicos et vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat. Ita, dico vobis, gaudium erit in cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia.* Semper quidem cum perdita reperimus, novum capimus cumulum gaudiorum, et est jucundius nobis invenisse perdita quam non perdidisse servata. Sed hæc parabola plus divinæ pietatis quam consuetudinis humanæ loquitur, et exprimit veritatem. Magna relinquere, amare minora, Dei potestatis est, non est cupiditatis humanæ: quia Deus et quæ non sunt facit esse; et perdita sic sequitur, ut teneat quæ reliquit; et amissa sic invenit, ut quæ servata sunt non amittat. Ergo non terrenus pastor iste est, sed cœlestis, et parabola hæc tota non figurata est laboribus humanis, sed divinis est obumbrata mysteriis; sicut ex ipso numero mox lucescit cum dicit: *Quis ex vobis homo qui habet centum oves, et si perdiderit ex eis unam?* Quare non quinquaginta, quare non ducentas, sed centum? quare non quatuor, quare non quinque, sed unam? Ut ostenderet non ex damno fuisse, sed ex numero [d] plus dolorem. Namque amissio unius totum dissipaverat centenarium numerum; et totum de dextera [e] redegerat ad sinistram, ut dispendio

autem hæret hic aqua eruditioribus. Animal intelligendum suadet vocis acceptio, et Talmudicorum proverbium, a Caninco pridem usurpatum de eo qui arduam rem aggreditur : *Forte ex urbe Pombodítha es, ubi immittunt elephantem per foramen acus?* Christus vero pro *elephante*, *camelum* usurpavit, animal Judæis magis cognitum. At agi de rudente suadet analogia major inter rudentem et filum, quod solet per foramen acus induci. Certe Syri et Arabes pro rudente intelligunt. Et Talmudicos ne quis objiciat, habent et ipsi adagium de rudente per foramen angustum, quale est foramen acus. Vide Suicerum.

[a] Ex his liquet credidisse Chrysologum locustas, ἀκρίδας, de quibus pastum Joannem testatur evangelista, vere locustas fuisse, non *laganas in melle fictas*, sicut Ebionei, teste Epiphanio, lib. contra hæres. tom. II hæres. 30 pag. 65; non *arborum et herbarum extremitates*, ut Theophylactus in Matth. XI, Nicephorus Callixtus Histor. lib. I cap. 14 pag. 79, et Paulinus Nolanus carm. de Joanne Bapt. :

> Præbebant facilem victum silvestria mella,
> Pomaque, et incultis enatæ cautibus herbæ.

nec aliud quoddam herbæ genus quod *melagram* vocant, ut refert Theophylactus loco cit., et Jacobus de Vitriaco Histor. Orient. lib. I cap. 53; nec *aviculas*, nec *pisces marinos*, quod perridiculum est. Consonat Chrysologo communior sententia auctorum : nam Orientalibus, ut ait Hieronymus in Jovinian. lib. II cap. 7 *locustis vesci moris est.* Hinc, teste Eusthatio, Odyss. θ, ἀκριδοφάγοι, *locustivoræ* dicti sunt. Merito adeundus cl. Bochartus de Anim. p. II lib. IV.

[b] Alias, *peccati veniam.*

[c] Hoc est, Pharisæi minime considerantes, quod Christus Dominus nostrorum non indigens, sola misericordia et pietate nos ipsos quærit, dicunt: Peccatores recipit, hoc est peccatores, veluti rem sibi utilem recuperat amissam; quasi dicere velint divinitatem ex perditione nostra aliquid damni passam fuisse. Bene dixissent : Peccatores suscipit, hoc est, peccatores in suam gratiam libere et gratis admittit, ut infra serm. 170. MITA.

[d] Alias, *plus doloris.*

[e] Irenæus, adversus Valentinianum lib. I cap. 13, ait : *A numero nonagesimo nono, qui est in læva, per unius additionem transferri in dexteram, et ibi centena constitui.* Quem locum laudat Pierius Valerianus: et fuse docet hanc numerandi methodum ab antiquis

unius et sinistra clauderet omnes, et dextera nil haberet. Nonagesimus et nonus numerus in sinistra latet clausus, constrictus hæret, tenetur oppressus : qui tamen ubi unus perceperit et senserit augmentum, mox dexteræ transit ad palmam, mox centenarii numeri pervenit ad coronam; et si non habuisse centenarium numerum doloris est, cujus doloris est perdidisse? Videtis quia per unius ovis amissionem pastor iste totum gregem cecidisse de dextera, et totum in sinistram doluerat recidisse; et ideo relictis nonaginta novem, unam sequitur, unam quærit, ut inveniret in una omnes, redintegraret [a] omnes in una. Sed jam cœlestis parabolæ pandamus secretum. Homo habens oves centum Christus est. Pastor bonus, pastor pius, qui in una ove, hoc est in Adam, posuerat totum gregem generis humani, hanc inter B amœna paradisi, hanc in regione vitalis pascuæ collocarat : sed illa vocem pastoris oblita est, dum lupinis ululatibus credit, et caulas perdidit salutares, et tota lethalibus sauciata vulneribus. Hanc ergo Christus veniens quærere in mundum, in utero virgineæ regionis invenit. Venit suæ nativitatis in carne, et in crucem levans humeris suæ imposuit Passionis, et gaudens toto resurrectionis gaudio per ascensum ad cœlestem tulit et pertulit mansionem. *Et vocavit amicos et vicinos.* Hoc est angelos. *Dicens illis : Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat.* Congratulantur et congaudent Christo angeli super ovis Dominicæ reditu, nec indignantur in toto sibi præsidere solio majestatis, quia [b] de cœlestibus invidia cum diabolo fuerat jam fugata : nec poterat per C Agnum qui peccatum mundi tulerat, in superna [c] amplius invidiæ penetrare peccatum. Fratres, ille nos quæsivit in terra, nos illum quæramus in cœlis; ille nos portavit suæ divinitatis ad gloriam, nos illum sanctitate tota nostro portemus in corpore : *Glorificate*, inquit Apostolus, *et portate Deum in corpore vestro* (I *Cor.* VI). Ille Deum in corpore suo portat, qui nullum portat in suæ carnis operatione peccatum.

SERMO CLXIX.

De parabola drachmæ perditæ.

Per omnes evangelicas lectiones latere mysticos sensus et cœlestis intelligentiæ manere secreta, norunt soli quicumque divini Spiritus gratiam percepere. Ecce posteaquam pastor Supernus perditam D centenarii gregis ovem perquisivit, invenit et angelorum lætitiam totam cœleste jam retulit ad ovile, mulier evangelica producitur in figuram : quæ lumine accenso de decem drachmis unam drachmam perditam sic requirit, ut inventa hac de lucro suo, de suo gaudio, causam pariat cœlestium gaudiorum. Sic enim dicit : *Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, non accendit lucernam et everrit domum, et quærit diligenter, donec inveniat? Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas, dicens : Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* XV). Putasne mulier ista communis est, aut habuisse eam decem drachmas humano putatur ex sensu, aut unam casu creditur perdidisse mundano, aut simpliciter contingit quod eam nocturno requirit in tempore, aut lucernam de nostri usus more succendit, aut consuetum quod eam perdidit et invenit intra domum, aut familiare quod amicas ad lætitiam convocat et vicinas, quas perdens convocasse non legitur ad mœrorem? Novum damni genus, et quod drachmam [d] non ablatam patefaciat, sed dilapsam : et quod eam domesticis absconditam tenebris et non defossam dolis loquatur extraneis. Videtis quam singulare sit totum, quam morem transeat et supergrediatur humanum, quam divinum spiret et redoleat sensum, quam attollat ad cœlum mentis intellectum, quam collocet in supernis, quam cogat superni cordis accendere lucernam, et instar evangelicæ mulieris, per Dominicæ lectionis obscura, drachmam quærere scientiæ salutaris. Antequam Christus ad ovem veniret errantem, et miserandis discursibus attritam misericordibus humeris sublevaret ad cœlum, et onustus pecore pio inaccessas lupis perveniret ad caulas; mulier habens decem drachmas tenebras diutinas sustinebat, et non solum drachmam perditam deflebat unam, sed ipsas novem drachmas sibi residuas non videbat. Nox ei erat jugis, erat ei profunda et perseverans caligo; cui lucerna sine divino igne ad noctis solatium non lucebat. Sed posteaquam supernus ignis, ignis Spiritus sancti flammeo se super apostolos imbre diffudit, et non minus frigida quam tetra mortalium corda toto ignis sui calore succendit, mulier, id est Ecclesia, accendit lucernam suam, id est, internum illum sui cordis obtutum, hoc est, *illuminatos*, ut inquit Apostolus, *oculos cordis vestri* (*Ephes.* I). Accendit ergo lucernam suam, et illam

usitatam fuisse, et quomodo. Unde Auctor noster hunc morem respiciens, inquit : *nonagesimum nonum numerum in sinistra latere clausum.* Quoniam, cum læva manus, digitis complicatis, et pollice super medium digitum compresso, ostenderetur, nonagesimus nonus numerus indicabatur : cui numero si unum tantum addamus, mox centenarius numerus evadit; qui non per lævam, ut supra compressam, ostenditur, sed per dexteram compresso versus palmam auriculari digito. Unde numerus ille nonagesimus nonus, si per additionem unitatis fiat centenarius, de sinistra transit ad dexteram. Ex Mita.

[a] Nonaginta novem oves humanum genus est perditum, una ovis Adam. Hac una recepta clauditur centenarius numerus, et omnes recipiuntur.

[b] Favet Auctor opinioni aliquorum theologorum asserentium Lucifero revelatam fuisse unionem hypostaticam humanæ naturæ cum Verbo divino, et inde sumptam occasionem superbiæ et invidiæ quæ diabolum et asseclas ejus dejecit. Vide Suarium tom. I disp. 42 sect. 1. MITA.

[c] Hoc est per gratiam bonis angelis concessum; vel, quia invidia fugata fuerat e cœlo per sempiternam diaboli et sectatorum expulsionem; vel quia Agnus propria morte cœlitibus pacem reddiderat. MITA.

[d] Mulier quæ perdiderat drachmam, Ecclesia gentium erat, quæ verum Deum perdiderat, non quidem ablatum, seu ereptum, sed dilapsum, hoc est negligentius custoditum. Ex Mita.

Judaicam domum ignorantiæ [a] cæcam tenebris evertit apostolicum post laborem, donec jam de decem drachmis, hoc est, Decalogo legis, drachmam perditam reperiret in Christo. Christus est plenum deitatis numisma, Christus est drachma nostræ redemptionis et pretii, Christus est qui et erat in legis Decalogo et latebat, Christus est quem habebat et Synagoga, et tenebris impugnantibus non videbat. Decem drachmas, decem legis diximus verba, ex quibus Verbum perdiderat et Synagoga unum. Quod unum? Illud quod in Ecclesia primus quia lucerna ardens erat, Joannes invenit, dicente Domino : *Ille erat lucerna ardens* (*Joan.* v), dicente evangelista : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* i). Hoc fuisse in Decalogo jam patescat. *Audi*, inquit, *Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est* (*Deut.* vi; *Marc*, xii). Hoc Synagoga dum non videt in Filio, amittit in Patre; dum non credit in Christo, Christum lethaliter crucifigit; cui merito per Decalogum consequenter dicitur : *Non occides* (*Exod.* xx). Siquidem dum Judæus ipsam mandatorum seriem capite detruncat, [b] ante Christi quam legis exstitit homicida; unde et totum corpus Decalogi retorsit in Christum. *Non occides, non mœchaberis* : damnata est Synagoga, quæ juncta diis gentium repulit Christum, qui seposita potestate dominantis, conjugis ad eam descendit affectus. *Non furtum facies*. Furata est Dominicam resurrectionem, quæ pretium militibus dedit, ut resurrectionis infoderet et occuleret veritatem (*Matth.* xxviii). *Non falsum testimonium*. Hæc est quæ conquisivit falsos testes (*Matt.* xxvi), ut impleret illud : *Exsurgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me* (*Psal.* xxxiv). Et revera aliter tradere non poterat veritatis auctorem, quia semper sola impugnat falsitas veritatem. Sic ruit, sic per gradus cadit, qui de scalis labitur et corruit præceptorum. Nam si Dominum Deum credidisset unum, ad hoc ruinarum barathrum non venisset. Sed nos lucernam matris Ecclesiæ jam sequamur, et ambulantes in lumine Dominici vultus, Christi perveniamus ad drachmam; atque amicas et vicinas, id est, Ecclesias gentium convocemus, ne matrem nostram, drachmam suam, nesciant invenisse; et dicamus cum propheta : *Paravi lucernam Christo meo* (*Ps.* cxxxi). Et quid lucerna profuerit audiamus : *Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ. Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus* (*Ibid.*). Ecce quod per distensos campos et nemora diffusa A quærebamus, hoc in Domino, hoc matris inveniamus ad lucernam. Super hoc lætetur et cœlum, quia in uno peccatore pœnitentiam agente totius Christiani populi claruit plenitudo, et tota deitatis forma Christi nostra refulsit in drachma.

SERMO CLXX.

De Christo pro nobis varias formas suscipiente, apostolos vocante, morbos curatum mittente, et paupertatem præcipiente.

Beatus Marcus hodie cum Galilææ Dominum retulit circumisse castella, ineffabilem circa nos prodidit ejus pietatem. *Et circuibat*, inquit, *Jesus castella in circuitu docens* (*Marc.* vi). Audistis quemadmodum circuit, quemadmodum te et propter te ubique pietas indefessa perquirit. Et ille qui capit ipse B omnia, nec ab ulla capitur ipse creatura, intrat, et tuo angustatur in corpore, tuis in habitaculis se coarctat. Et ille cujus majestatem vox fidelium quotidiana testatur clamans : *Pleni sunt cœli et terra gloria tua* (*Eccl. in fine præfat. Miss.*), tuis propter te circuit, apparet, videtur, et tenetur in locis. Quo se movet immobilis plenitudo; quo accedit, vel unde recedit, quo sunt plena omnia? Et tamen vadit, redit, descendit, ascendit, et totum te, et propter te homo Deus patitur, [c] quia te nimis diligit, nimis amat. Habitus suscipit, formas variat, commutat officia : et nunc igneus tibi resplendet in rubo (*Exod.* iii), ut perfidia te frigidum fidei calore succendat; nunc elucescit cœlesti flammeus in columna (*Exod.* xiii), ut remotis ignorantiæ tuæ tenebris, per solitudines mundi hujus, viam possis scientiæ percurrere C salutaris; nunc idem tibi nubis vertitur in columnam, ut ardentes tuorum temperet æstus animorum; nunc te ut aquila protegit pennis sapientiæ, et cœlestem provocet ad volatum, dicente Moyse : *Sicut aquila protegit nidum suum, et super pullos suos confidit, extendens alas suas accepit eos, et suscepit eos super scapulas suas, Dominus solus lucebat eos, et non erat cum eis Deus alienus* (*Deut.* xxxii, *juxta LXX*). Nunc sicut gallina educit, ducit, vocat, recipit, protegit, portat, fovet, ambit, amplectitur (*Matth.* xxiii), et sui volatus oblita, suæ temporaliter immemor libertatis, tuis in penetralibus, tuo versatur in pulvere, ut te vernaculis, familiaribus, domesticis alat, erudiat, instituat nutrimentis; nunc ut pastor bonus altissimis errantem solus requirit in montibus, solus invenit, D solus suis humeris imponit, et ne amplius in terrenis pascuis luporum morsibus pervadaris, cœlestes evehit et perducit ad caulas (*Luc.* xv). Sic, sicut dixi

[a] Ita editiones nonnullæ, Colon. 1627, Venet. 1636, Lugdun. 1636, Lugdun. Raynaudi 1633. In nonnullis aliis, *everrit*. Evertit autem legunt in sacro textu veteres Latinorum libri, et mss., et editio Sixti V 1590. At mendose. Legendum enim est ut habet Græcus, *everrit*. Exemplaria olim quædam, ætate Gregorii Magni ferebant *emandat*. Quibus assentitur Ambrosius epist. 11, initio. La Haye spretis emendationibus legi vult *evertit*.

[b] Ms. Cæsenæ oppositum habet : *Legis antequam Christi exstitit homicida : unde et totum corpus Decalogi retorsit in Christum*. Utra sit germanior lectio, lectori dijudicandum relinquo. Mihi probatur impressa. Hoc est, cum Synagoga juncta diis gentium adulterium commisit, et Christum verum sponsum repulit, tunc caput decem præceptorum Dei detruncavit; quod est illud : *Ego sum Dominus Deus tuus*, etc. Unde prius Christum mente occidit quam legem; et totum corpus Decalogi a se retorsit et rejecit; vel rejecit in Christum, id est Christo, et ejus Ecclesiæ, observantiam Decalogi remisit, quam a se abdicavit. MITA.

[c] Ms. Cæsen., *qui te*.

mus, habitus suscipit, formas variat, et ut te mutet in melius, ipse sua toties mutat et commutat officia. Et quia diu circuierat ut diriperet et devoraret inimicus, nunc necessario circuit ut te vindicet, ut eripiat Christus, dicente Scriptura : *Adversarius vester sicut leo rugiens circuit quærens quem devoret* (I *Petr.* v). *Et convocavit*, inquit, *duodecim*. Post diuturna tempora tetræ noctis, auroræ suæ desiderato splendore æternus dies Christus noster reluxit in lucem, qui duodecim suas horas in apostolis suis duodecim signanter aptaret. Hunc diem beatus Psalmista prophetali vidit spiritu, cum canebat : *Hæc est dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea* (*Psal.* CXVII). Unde et Apostolus lucis ac diei filios appellat credentes : *Vos filii lucis estis et diei* (I *Tim.* v). *Et convocavit duodecim.* Duodenarius numerus iste per quaternarium tripartitam nobis monstrat et format quadrigam : per quam Trinitas tota toto orbe apostolicis vehitur et fertur excursibus, ut diabolum mitis bellator expugnet, ut mundi superbiam mansuetus victor inclinet, ut discordias gentium pacificus auferat præliator, ut destructo inferno, hoc est, peccati fovea, diuturno carcere animarum humani generis captivitatem liberam triumphi sui perducat ad gloriam. Hunc Trinitatis currum beatus Psalmista vidit prophetali spiritu, cum dicebat : *Ascendisti in altum, captivam duxisti captivitatem, accepisti dona in hominibus* (*Psal.* LXVII). Hunc currum sibi, suo Patri et Spiritui sancto, Dominus cum diceret, præparabat : *Tollite jugum meum super vos, quia jugum meum suave est, et onus meum leve est* (*Matth.* XI). Nescit lassescere bajulus misericordiæ, pietatis evector. Duodecim patriarchas, duodecim distinctos in tribubus (*Gen.* XLIX), duodecim fontes eremi (*Exod.* XV), duodecim Jordanis lapides elevatos ex alveo (*Josue* IV), in figuram formamque apostolici numeri fuisse descriptos scrutatori legis relinquimus altius ad probandum, quia nobis cur binos ad prædicandum discipulos miserit, propositæ lectionis series conatur aperire. *Et cœpit eos mittere binos et binos.* [a] Binos mittebat ne destituta singularitas aut negaret, ut Petrus; aut fugeret, ut Joannes (*Marc.* XIV). Cito cadit fragilitas humana, quæ de se superbe confisa socios despicit, non vult habere collegam, dicente Scriptura : *Et væ uni cum ceciderit, et non est secundus qui erigat eum* (*Eccl.* IV). Quantum autem alter alterius roboretur auxilio, eadem Scriptura testatur, cum dicit : *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas munita* (*Prov.* XVIII). *Et cœpit eos mittere binos et binos.* Nec mirum, fratres, si Trinitas, quæ ex duodenario numero tripartitam conscendit quadrigam, nunc ascendit et bigam; ut duobus nuntiis duorum vocatio monstretur, et clareat populorum, dicente Apostolo : *Numquid Judæorum Deus tantum? Nonne et gentium? immo et gentium* (*Rom.* III); et impleatur Isaiæ vaticinium, qui se ascensorem bigæ vidisse testatur, ubi audit sibi dici : *Quid tu vides? et respondit, video assessorem bigæ* (*Isai* XXI), unde mox cecidisse Babylonem clamat, et omnia sculptilia. Quis dubitat, fratres, per has bigas Christum salutares inequitasse discursus, cum videat apostolica prædicatione corruisse templa, idola deperiisse, cessasse pecudum mugitus, et victimas, ipsas aras cum thuris sic fumo jam tota evanuisse per sæcula? Has bigas Habacuc viderat cum clamaret : *Qui ascendis super equos tuos, et equitatus tuus sanitas* (*Habac.* III). *Et dedit*, inquit, *eis potestatem spirituum immundorum.* Hoc est, divinæ virtutis insigne; hoc tropæum singularis triumphi, ut prædæ suæ prædo ipse, ipsis captivis suis ipse captivus, vinctis quondam suis vinctus ipse diabolus nunc tradatur, quatenus eorum subjiciatur imperio, quorum ante fuerat magnificus servitute. Merito dolet, gemit merito, merito stridet, qui se videt hominum sententia, hominum potestate percelli, qui se Deum hominibus longa diu fuerat persuasione mentitus. *Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum, non peram, non panem, non in zonis æs.* Homo cum operarios invitat ad opera, non necessaria victus solum, sed etiam largo fundit epulas apparatu, ut convivium humanitatis effusæ pondus operis superet et laborem. [b] Deum quantum credit inhumanum, qui ad opera ejus invitatus, pera, pane, pretio onustus incedit, et anxius; ut aut lassus aut tardior ad opus operarius infidelis occurrat, aut occurrere fortassis non possit! præmia promittit ille copiosa, tot chirographis, tot testibus, largam spondet ille mercedem, tu eum neque panem, neque vestimentum impio spiritu æstimas præbiturum? Teipsum cum non esses, dedit esse; et quidquid, homo, habes dedit ipse; et cum tibi ac tuis voluptatibus vives, victus necessaria non negavit : hunc suis virtutibus, suis operibus servienti, non panem, non vestimentum æstimas largiturum? Hoc ipsum quod in pera, quod in zona portas, quis dedit tibi? Quid illi de suo insultaturus occurris? Novit quia dives es. [c] Cede, homo, opibus tuis : sufficit tibi divina paupertas, depone sarcinas divitiarum tuarum, onustus non potest per angustam viam ad opus Dominicæ messis pervenire, veni expeditus, veni liber ad opera, antequam nudus et exspoliatus, infidelis omnibus operarius rapiaris ad pœnam; quia, sicut scriptum est, *Morientem divitiæ non sequuntur* (*Psal.* XLVIII). Sit tibi pera conscientia tua, sit tibi panis vita tua; ut sit verus panis Christus in vita, qui dixit : *Ego sum panis* (*Joan.* VI). Sit tibi in pretium merces tua, quia ille præmium exigit securus a Christo, qui ut sequeretur Christum, nudus despexit respuens fideliter quod habebat.

[a] Missos fuisse binos tacet Matthæus. Misit autem, ut collata opera se mutuo juvarent, ut ait Brugensis; tum ad plenam testimonii fidem, ut vult Grotius.

[b] Voluisse Dominum in hac prima legatione manifestum dare apostolis divinæ providentiæ documentum, communis est cum Chrysologo sanctorum Patrum opinio.

[c] Locus ex Mita correctior. Aliæ editiones, *Cessa, homo, operibus tuis.*

SERMO CLXXI.

De discipulis illotis manibus prandentibus.

Sicut fulgura cum saxa, montes, arbores, ipsa domorum culmina, terribili collisione dissolvunt, sensus hominum mentesque corripiunt : ita Dominus quoties in Pharisæos intonat, suos timore salutari corrigit et emendat, sicut hodie evangelicus sermo perdocuit, Pharisæos et Scribas vituperasse aliquos discipulorum Domini, eo quod non lotis manibus manducarent. Nemo cum hæc audit, existimet discipulos Domini sub specie contemptus incultis et lutulentis manibus edere, nec mensæ Domini, nec convivii communis servare et colere honestatem : quando istud neque natura patitur, neque hospitalitatis admittit affectio. Quis aquam manibus non offerat mox ad venientis obsequium, quis ad offerentis tristitiam mox recuset? præsertim cum Dominus ipse arguat Simonem invitatus ad mensam? *Pedibus meis*, inquit, *aquam non dedisti* (*Luc.* VII). Vult itaque fieri, quod sic exigere perdocetur. Sed Pharisæi non diligentiam corporis in discipulis Domini, sed superstitionis suæ baptismata perquirebant; nescientes unum baptisma, quod Dominus non lavandis solum, sed in novandis animabus et corporibus invenisset; quod non corpus ad cultum vitæ, sed conscientiam dilueret ad salutem. Hoc propheta precabatur, cum diceret : *Amplius lava me ab injustitia mea* (*Psal.* L). Id est, quousque me legaliter lavas, et me non lavas? lava me per gratiam semel, quem lavacra legis innumera non laverunt. Sed hoc aperiat nobis ipse qui sequitur evangelicus sermo : *Pharisæi*, inquit, *et omnes Judæi nisi crebro laverunt manus non manducant, tenentes traditionem seniorum, et cum de foro veniunt nisi baptizati fuerint non manducant, servantes baptisma calicum et urceorum ac æramentorum et lectorum* (*Marc.* VII). Pharisæe, qui te mundum credis, cum tua omnia tuo sint [a] polluta convivio? In foro tu de innocentis sanguine disputasti, de rapienda substantia pauperis perquisisti, perscrutatus es qualiter libertatem addiceres servituti, et cum interiora tua tanto sint confecta crimine, quemadmodum te exterior lavare et mundare sufficiat aqua? corda et corpora nostra mundare hæc poterit, cum fuerit et ipsa Spiritus sancti purificata commercio, ut visibili ministerio invisibile purificationis nostræ perficiat sacramentum. Sed tu, Judæe, calices, urceos, æramenta baptizas, quæ motu sensuque carentia per naturam, ut reatum nesciunt, ita non sentiunt; hæc honoras, et te per quem contaminata sunt omnia, non emundas; tuis usibus, tuis obsequiis hæc mancipata purificas, et te divinis officiis, divinis ministeriis non purificas mancipatum. Sed nos, fratres, non quid Judæis, sed quid discipulis suis Dominus responderit, audiamus : *Dicebat autem, quod quæ de homine exeunt, illa contaminant hominem. Abintus enim de corde hominum procedunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, avaritiæ, nequitiæ; dolus, impudicitia, oculus malus, blasphemiæ, superbia, stultitia : omnia hæc mala abintus procedunt et contaminant hominem.* Quæ spatia terrarum, quæ magnitudo urbium, quæ latitudo regionum, tot hostes ferre, tot inimicos capere, tantas sustinere prævalet nationes, quot vitia, quot delicta, quot crimina rapiunt humanos sensus, hominum corda patiuntur? Vidistis, fratres, quod ad unam ovem genera tota, tota feritas bestiarum accedant, quæ magis eo sæviunt, quo se explere nequeunt, satiari non possunt unius captione voraci dente prædones; qui plus hinc æstuant et tabescunt, quod capere nequeunt et vorare; quod ad unam columbam tot milvi, tot aquilæ, vultures tot voraces, tantarum currat congeries avium sordidarum. Hanc numerositatem, hanc multitudinem senserat propheta cum caneret : *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus : comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem* (*Psal.* XXXIX). *Abintus de corde hominum procedunt.* Tolerabilis est hostis cum muros arietat extrinsecus, cum foris positus cedit aliquando conflictui; cui vero est intus inimicus, cujus adversarius in ipsis penetralibus jam desævit, iste se intelligit, et sentit oppressum, iste se et captivum pervidet et deplorat, iste suus expugnator esse non potest, [b] suis esse non potest liberator, alienum requirit auxilium, quærit alterum defensorem. *Abintus exeunt de corde.* Novus est hic ordo bellandi : de homine contra hominem gentes exeunt bellaturæ : non contentæ in occulto vincere, prosternere in abdito; quasi quæ tamam quærant hominis de ruina. Judæi, qui foris sunt, se et sua forinsecus lavent; nos, fratres, ab istis vitiorum sordibus emundemur intrinsecus : has nequitiarum gentes in nostris mentibus Christo propugnante vincamus, has delictorum bestias de nostris cordibus terrore Dominici nominis effugemus, has criminum rabies et voracissimas aves a nostris sensibus crucis hasta fortiter propellamus; ut civitatis nostræ splendor, templi nostri sanctitas, domus nostræ integer et singularis ornatus, ad habitandum semper in nobis nostrum provocet et invitet auctorem. Illuc vitia redire nequeunt, ubi Christus cum suis virtutibus commoratur.

SERMO CLXXII.

De invidia et hypocrisi.

Audistis hodie, fratres, quemadmodum, dum seclusit alios, seipsum janitor invidiosus exclusit. *Væ vobis*, inquit, *legis peritis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis* (*Luc.* XI). Audistis ergo quemadmodum dum seclusit alios, seipsum janitor invidiosus exclusit. Acceperat claves Pharisæus non ut clauderet, sed ut intrare desiderantibus aperiret; sed ne intraret alter, ipse permanere foris maluit per livorem. Omnia quidem vitia ad suo-

[a] Ob Pharisaicam conscientiam peccatis deturpatam, ut infra. MITA.

[b] Ms. Cæsen. *Iste suus expugnator esse potest; sed suus esse non potest liberator* : hoc est, potest quidem per se pugnando vincere, sed ab molestiis, damnis, periculis se eripere, aut penitus liberare, non valet. Expugno signat pugnando vinco : Liberator vero dicitur periculi, et molestiæ ereptor. MITA.

rum semper tendunt et prosiliunt læsionem ; sed suos semper amplius invidia consumit : invidia suorum carnifex semper exstitit, extendit sensus, torquet animos, discruciat mentes, corda corrumpit. Et quid plura? Hanc qui receperit, sua sustinet sine fine supplicia, quia in se domesticum semper diligit habere tortorem. Quis ibi malorum finis, ubi alterius [a] bonum pœna est alterius? ubi cruciatus alienus est aliena felicitas? malum multiplex : quot sunt prosperitates hominum, tot tormenta sunt invidorum. Cum aliis vitiis animus poterit confligere Christianus, invidiam quisquis antequam sentiat non fugerit, non evadit. Hæc peritis legis legem suasit non aperire, sed claudere ; et salutaris præcepti non commodare doctrinam, sed negare ; obserare scientiæ fontem et vitalis fluenti, originis suæ secreto [b] divitias obstruere. Iste velociter fugiendus est morbus, quia quos contigerit non patitur jam sanari. Invidia cœlum tentavit ; ibi enim diabolum fecit ex angelo ; ussit terras, quæ utique paradisi nobis amœna flammeo custode seclusit. Reges urget, quia hæc Herodem in coævos Christi sic compulit desævire, ut ante lac quam sanguis teneris funderetur ex membris (*Matth.* II). Charitatem violat, nam hæc Cain reddidit fratricidam, et innocuam adhuc terram [c] novi sanguinis cruore perfudit (*Gen.* IV). Vastat populos, namque Judæos hæc, si dici fas est, si capit sermo, fecit esse deicidas : deicidas diximus, non quo pervenit, sed quo facinus hoc tetendit. In Christo enim Judæi non hominem tantum, [d] sed Deum Filium Dei conati sunt opprimere, necare virtutes, cum dicunt : *Hic est hæres, venite, occidamus eum, et nostra erit hæreditas ejus* (*Marc.* XII). Sed quid valet diabolus ad Deum ? Invidia quid valet ad Dominicam charitatem ? Invidit diabolus nobis terram, sed donavit cœlum Deus ; claves scientiæ legisperitus sustulit, sed claves cœlestis regni per Petrum largitus est Christus (*Matth.* XXVI). Ac sic invidia suis commodis est nudata, et homo ditatus est ipsa [e] necessitate damnorum. Bene ergo in sequentibus Dominus adjecit, dicens : *Attendite vobis a fermento Pharisæorum* (*Luc.* XII). Quia in fermento non est moles magnitudinis, sed tumoris ; et conspersio tali specie inflata est, non ditata : quantum enim efferbuerit ferventius, tantum farris massa turgescit, et totam formam levitatis implet, et tumoris. Congrue ergo a Domino dictum est : *Attendite vobis a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Quid est hypocrisis, nisi species arte composita ; quæ aliud in re agit, aliud promittit in vultu ? Hæc penes Pharisæos per scientiam tumescebat, Apostolo sic dicente : *Scientia inflat* (I *Cor.* VIII). Illos namque scientia inflabat ad superbiam, non instruebat ad vitam ; et corrumpebat ad malitiam, non ad prudentiam promovebat. Erat in eorum facie hypocrisis, erat in eorum mente invidiæ hydrops, erat in pectore siticulosus fons, erat ardens unda, quæ suis magis ac magis inflammabatur fluentis, ut bibentis non exstingueret sitim, sed augeret incendium. Sic, sic hypocrisi ministrante, suis semper invidia propinat. Ab hoc nos morbo subtrahit Apostolus : *Cum nos non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis* (I *Cor.* V), sanctum Pascha Domini celebrare compellit. Veritas nescit tumorem, simplicitas hypocrisim prorsus ignorat. In azymis sinceritatis et veritatis. [f] Hæc sunt cordis azyma, hæc cœlesti dulcedine confecta, hæc gratiæ saporata pinguedine, hæc sancti Spiritus igne decocta ; hæc nos manducantes Agnum Dei, Agnum qui tollit peccatum mundi, ad nostrum Pascha solemniter immolamus, quibus Christus ad lætitiam totam, totam est natus et immutatus ad gloriam.

SERMO CLXXIII.

De D. Joanne Baptista et Herode.

Pastor bonus pervigiles noctes, dies anxios ducit, ne quid callidus latro, ne quid luporum feritas astuta perniciosum charo gregi, ne quid noxium moliatur. Pastor bonus, sicut Dominus dixit : *Animam suam ponit pro ovibus suis* (*Joan.* X). Sed et oves bonæ pastoris sui audiunt attentis auribus vocem, pastoris sui semper sequuntur arbitrium, pastoris sui totam faciunt voluntatem. Ascendunt colles, petunt ardua, mutant tradebant : alteram æternam et hominibus ignotam ; temporariam alteram, certoque tempori, loco, familiæve addictam. Unde turbæ in vulgi animis excitabantur. In allatis autem Christi verbis innui humanam generationem sentiunt multi, quibus apte Christus respondit : *Unde sim scitis*, et ex Patre dumtaxat me agnoscitis ; alia vero mihi est origo, quæ vos latet. Locum diversimode interpretantur Patres Græci, et ex mente Chrysologi juxta Mitam : Nostis quid ego sum, nedum ex hominum natura, verum etiam me scitis esse Messiam et Dei Filium, quamquam per summam malitiam dissimuletis. Arrisit explicatio hæc Maldonato. Cæterum Judæos Christum cognovisse tenent Origenes tract. 19 in Matth. ; auctor Oper. Imperfecti, homil. 40 ; Hieronymus in comm. ; Beda, lib. III in Matth. ; D. Thomas Aquinas III p. quæst. 47 art. 5 in corp. ; aliique a Mita laudati.

[a] Ms. Cæsen. et Vallicel., *honor*. At revera *invidia*, ut ait Damascenus lib. XI Orthod. fid. cap. 4 pag. 128, *est tristitia ex alterius proveniens bonis*. Et Basilius M., orat. de Invid., statim post initium, pag. 445 : *Invidia est dolor de proximi prosperitate ac rerum successu conceptus.*

[b] Ibidem : *Vitalis fluenti originem, per suam invidiam obturare.*

[c] Novus, id est recens per homines in mundum immissus. Ms. Cæsen., fortasse melius, *innocentis cruore perfudit*. His similia Chrysostomus hom. 40 in Matth. pag. 269 : *Hæc sævum fecit dæmonem, hac ratione prima cædes patrata, sic natura fuit ignorata, sic terra fuit contaminata.* Homilia Basilii M. de Invidia digna est quæ integra legatur.

[d] Contendit hic pluribus Mita Judæos in lege doctos cognovisse Christum esse Messiam et Dei Filium ; attamen invidia et malitia excæcatos ipsum morti adjudicasse : aitque his terminis sententiam Chrysologi esse explicandam, licet in ea non omnes Patres et scholastici conveniant. Quam ut firmius stabiliat, innititur præcipue Christi testimonio, in illis verbis Joan. VII, 28 : *Et me scitis, et unde sim scitis.* Hebræorum Scripturæ duplicem Christi generationem

[e] Hoc est, quia homo ex invidia diaboli necessario incidit in temporalia damna, propterea a Christo Domino ditatus est bonis spiritualibus, quæ altioris sunt gradus. MITA.

[f] Ms. Cæs. : *Veritas est cordis azyma, cœlesti dulcedine confecta, gratiæ saporata pinguedine*, etc.

sæpe regiones : ac sic apta pascuis, irrigua fluentis, umbrosa, accommoda, secreta quietis loca penetrant, reperiunt amœnitates, et deliciis perfruuntur. Et vos, filioli, Dominici gregis portio copiosa, niveo et divino vestita jam vellere, molli fetu, cœlesti germine perfecunda, si per nostræ vocis auditum ad loca sæpe salutaria, ad salutaria pascua pervenistis; si per nostri sermonis fluenta animi vestri æstus, vestræ sitis temperastis ardorem; si sub doctrinæ nostræ tegmine aliquanta commoditate recubastis, quæ ordinamus attendite, quæ dicimus audite, quæ facimus approbate; nec pro voluntate vestra, sed pro dispositione nostra prædicationis nostræ percipite rationem : et sive cum dicimus [a] de gradu isto, sive cum de [b] sacerdotali sede pro temporis ratione tractamus, ut oves bonæ, ut chari greges, dilecta pignora, sine fastu impigræ, ac toto fidei cursu convenite, concurrite. Nec vos locorum mutatio tam propinqua, et spatia sic arctata, aut reddant desides, aut faciant murmurantes : quia nec ovis ad caulas pervenit, si pro suo libito pervagetur; nec scientiam discipulus poterit obtinere, si doceri pro sua voluntate contenderit; ægrotus quoque numquam poterit recipere sanitatem, si pro suo fuerit curatus arbitrio. Sed quia nobis hodie contra lupum furentem sermo est, arrepto pastorali baculo transeamus ad evangelicam lectionem. *Audivit*, inquit, *Herodes rex* (*manifestum enim factum erat nomen Jesu*), *et dicebat : Quia Joannes Baptista resurrexit a mortuis, propterea virtutes operantur in illo* (*Marc.* VI). Stultus de mortuo pie credit, quem feraliter persecutus est vivum. *Joannes resurrexit*, ait, et tamen confitetur ignorans, quia in Christo pro Christo resurgit occisus. Herodes, quid egit gladius tuus? crudelitas tua quid profecit? quo processit impietas tua? si ut ipse dicis, rediit ad virtutes, resurrexit ad opera divina, qui furore tuo putabatur exstinctus? Joannes resurrexit sicut fateris ipse : non hic persona, sed infirmitas perit; non hic Joannes, sed mors magis tali morte succubuit : illusa est pœna, carnifex habetur irrisus, ipsa est cognitoris miseri decepta sententia, quæ interemptum non perdidit, sed promovit. *Joannes resurrexit a mortuis, propterea virtutes operantur in illo.* Et si hostis legis, per legem tamen ille [c] resurrectionem promissam didicerat mortuorum. Et si resurrecturum Joannem noverat, cur insanus occidit? Si ad totius divinæ virtutis culmen, si ad totum quidquid est potestatis insigne tali morte sciebat elevandum, [d] cur se tantæ mortis esse fecit auctorem? Semper febrit impietas, a phrenesi semper crudelitas [e] obtinetur, carere dementia furor nescit; in se namque sævit, quoties in alterum tendit; se punit, dum percellit insontem; sibi lethalis est totus, cum erga justum crudelis existit. Ecce Joannes, ut ipse dicis, jam vivit in Christo : ad tuam pœnam redit, qui venit ad omnium cœlesti munere medicinam. *Alii autem dicebant quia Elias est; alii vero dicebant quia propheta est, aut quasi unus ex prophetis. Quo audito, Herodes ait : Ipse est Joannes, quem ego decollavi; hic resurrexit a mortuis.* Malevolo quidem at veraci sensu testis ipse criminis sui, assertor sceleris sui, sui facinoris accusator existit. *Joannes, quem ego decollavi, ipse est; hic resurrexit a mortuis.* Verum dicit : nam sicut in Christo sui resurgunt, ita in suis ipse patitur Christus; et sicut honor capitis ad membra pertendit, ita membrorum pœna ad dolorem capitis, ad capitis redundat injuriam. *Joannes, quem ego decollavi, ipse est.* Iste [f] rex sapiens, egregius judex, censor morum, disciplinæ custos, vindex innocentiæ, criminum pœna, quod decollaverit Joannem dicit, quare decollaverit tacet, ne potestatem regiam tanti facti confunderet turpitudo : sed evangelista prodit, ut interfectoris dedecus interfecti producat ad gloriam. *Nam ipse Herodes*, inquit, *misit, ac tenuit Joannem, et vinxit eum in carcere propter Herodiadem, uxorem Philippi, fratris sui, quia duxerat eam uxorem. Dicebat enim Joannes Herodi : Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Herodias, quæ uxor esse duorum fratrum sceleris amore contendit, [g] ut affectione violaret affectum, et sociaretur Herodi Herodias, ne essent vel nomine dissimiles, qui erant scelere, moribus vitaque consimiles, et jungerentur vocabulo, quos criminum junxerat turpitudo; hæc ergo Herodias insidiabatur Joanni. Herodes adulteræ [h] non vincebat animum, nefas tamen adulteræ differebat. Illa, ne esset arguens, arguentis tendebat ad mortem; ille, ut placeret incestæ, captivus ipse justum tantum tenuit, et vinxit inclusum, quia in innocentem reus facile non poterat dictare sententiam. *Cum accidisset*, inquit, *opportunus dies, Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, tribunis et primis Galilææ; cumque intrasset filia ipsius Herodiadis, et saltasset, et placuisset*

[a] Ferrarius, de Concion., ut astruat e gradibus altaris habitas fuisse conciones, hæc eadem verba Chrysologi laudat lib. III cap. 7 pag. 547. Sidonius, carm. Euchar. ad Faustum Reiensem, sub fin.:

Seu te conspicuis gradibus venerabilis aræ
Concionaturum, plebs sedula circumsistit.

Ex exedra pontificali item verba faciebant antistites. Vide laud. Ferrarium, lib. III cap. 5 pag. 558. Aurelius Prudentius B. Hippolyti basilicam describens :

Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal
Tollitur, antistes prædicat unde Deum.

[b] Vel potius quoddam metempsychoseos genus credidisse videtur Herodes : quod et Judæis persuasum fuisse edocemur, præcipue a Philone, de Somniis. Hebræorum autem rabbini, de quibus Grotius ad Matth. XIV, 2, tradunt quidquid Plato, et Pythagoras, aliique disputavere, haustum esse a prophetis.

[c] Ms. Cæs., *cur ejus mortis auctor esse sustinuit?*

[d] Ibid., *possidetur*.

[e] Omnia per ironiam dicta.

[f] Amando Herodem violarat affectum activum passivumque Philippi sui legitimi viri : et affectione in Herodem violarat Herodis et Philippi fratrum mutuum affectum. MITA.

[g] Quia Herodias in aviditate incestus Herodem superabat : attamen illam non ejiciebat Herodes; vel cum ms. Cæs. : *Herodes adulteræ non vinciebat animum;* hoc est, Herodes non tenebat animum Herodiadis sibi per vim subjectum, vel ad proprium usum paratum, ita ut ab illa recedere non valeret. MITA. — Fortasse Herodes non vincebat animum Herodiadis, satagendo ut eam a proposito dimoveret, sed tantum quæsitam ab ea Baptistæ necem differebat.

Herodi, simulque recumbentibus, Rex ait puellæ : Pete a me quod vis, et dabo tibi. Et juravit illi, Quidquid petieris, dabo tibi, etiam si dimidium regni mei. Ingratus, inhumanus rex, qui virtuti tantæ, tam glorioso labori, tam memorabili facto, non totum regnum suum, sed dimidium dedit. Et quare sibi vel pro parte servavit, qui post tantam domus suæ gloriam, post tantam familiæ sanctitatem, post tale castitatis exemplum, esse, videri, vivere, non debebat? Illa ergo criminis filia, non naturæ, non tam ad matrem, quam ad ipsam sentinam sui sceleris mox cucurrit; ut quæ fluida tota, tota ierat resoluta, sæva, et truculenta revolaret, et, ut de ipsis artibus loquar, ut tragœdiam nefandam caneret, quæ impleverat turpissime comœdiam. *At illa egressa dixit matri suæ : Quid petam? Illa vero dixit : Caput Joannis Baptistæ. Et ingressa statim cum festinatione ad regem, petivit dicens : Volo, ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ. Et contristatus est rex propter jusjurandum, et propter simul recumbentes, noluit eam contristare; et statim rex misso spiculatore, jussit afferri caput ejus. Ille autem abiit, et decollavit eum in carcere, et attulit caput ejus in disco, et dedit illud puellæ, et puella dedit illud matri suæ.* Sic judicat [a] mens oppressa crapulis, soluta vino, et toto quodammodo ebrietatis demersa naufragio. *Volo, ut protinus des mihi in disco caput Joannis.* Serpentis germen caput hominis petit, cui suum caput sententia principali sciebat addictum, dicente Deo : [b] *Ipse servabit caput tuum, et tu illius observabis calcaneum* (*Gen.* III). In longum nos trahit prolixitas lectionis, et satis in altum promovet loci ipsius immensa profunditas. Differamus hodie quæ sequuntur, ne dum sermo festinat ad finem, quæ sunt prolixe dicenda transmittat. Id in clausula nostri commendamus eloquii, quod sine causa cucurrerit serpens : nam tota germina serpentis antiqui iste Joannes noster interemit, et effusione sui sanguinis exstinxit occisus.

SERMO CLXXIV.

De decollatione D. Joannis Baptistæ.

Herodianæ cœnæ cruentas epulas, convivium sic ferale, tunc terra, tunc cœlum, hodie mecum vester horruit et expavit auditus. *Herodes*, inquit, *natalis sui cœnam fecit* (*Marc.* VI). Bene cœnam, quia non luci, sed tenebris addictus est hic natalis, in quo noctis filius natus est, non dici. *Natalis sui*, inquit, *cœnam fecit principibus, tribunis et primis Galilææ* (*Marc.* VI). Quid egit incauta et cæca semper impietas? Omnes evocat potestates, ut non tam multos convivii sui socios, quam innumeros criminis sibi testes assumat, et tot habeat facinoris sui arbitros, quot habuit præsides disciplinæ. *Cumque intrasset filia ipsius Herodiadis et saltasset*, inquit, *et placuisset Herodi.* Respondit suo turpis generi, dum patri complacet turpiori; de adulterio namque non nisi turpis debuit procreari : quæ fractis gressibus, corpore dissoluto, disjuncta compage membrorum, fluentibus ex arte visceribus, tota patri fieret deformitate formosior. [c] Et revera suam credidit tunc Herodes cum talem vidit; nam putasset alienam, si pudicam vel aliquantulum pervidisset. Serpens tunc latebat in femina, quæ reptans gressibus flexuosis lethale toto corpore virus effudit, ut discumbentium mentes furor, venenum corpora sauciaret, homines verterentur in bestias; nec vino jam tales, sed sanguine potarentur; [d] nec pane rabidi, sed carnibus vescerentur humanis. Tales utique tales reddidit, quibus adhuc fumante sanguine caput intulit tunc Joannis; ut illud Psalmistæ canticum probaretur : *Dederunt carnes sanctorum tuorum bestiis terræ, effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam* (*Psal.* LXXVIII). Ecce quidquid pariunt totis noctibus protracta convivia; ecce quid generat quod cum mensura emitur, et sine mensura bibitur vinum. Ecce quo præcipitatur caro, cum ad luxuriæ facinus voluptatis inflammatur incendiis. Rogo quid tantis cuneis arctatur? Sufficit infelix caro sibi suis casibus ad ruinam, attestante propheta cum dicit : *Ut quid irruitis in hominem, interficitis universi vos tamquam parieti inclinato et maceriæ impulsæ* (*Psal.* LXI)? Jacebat in Herode caro oppressa crapulis, ebrietate captiva, quæ, titillante luxuria, et non tam ludente quam illudente lascivia, promitteret quidquid turpitudo peteret se daturam. *Pete a me quod vis*, inquit, *et dabo tibi; et juravit illi.* Jurat miser, dum quidquid honestatis est et virtutis abjurat. *Pete a me quod vis.* Quid peteret luxuria, nisi castitatis interitum, pudicitiæ necem, mortem sibi semper contrariæ sanctitatis? *Volo ut des mihi in disco caput Joannis.* Si caput viri est, juxta Apostolum (I *Cor.* XI), Christus, jam tunc novello ore antiquissimus serpens Christi Domini tendebat ad mortem. *Volo ut des mihi in disco caput Joannis.* Jam tunc avidus draco in servi capite Domini degustabat sitiens passionem. *Volo ut des mihi in disco.* Cur in disco, cur pretiose gestas, quem [e] viliter occidis, nisi quia *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* CXV)? Hoc ipsum quod vis non agis quomodo ipsa vis, quia agit te superna ratio aliter quam vis. In illo quidem tunc ferali antro, non aula regis, rabies tunc fera pastum suum credidit, cum caput martyris vidit; totum suum sensit, fovebis.

[a] Chrysostomus, tom. I homil. 84 : *Ebrietas nihil aliud est, nisi mentis commotio, eversio rationis, destitutio intellectus, absentia intelligentiæ.*

[b] Exemplaria quædam Latina legunt *Ipse*, cum Chrysologo; Hieronymo, in Quæst. Hebr.; Irenæo, lib. IV adv. hæres. cap. 78; Leone PP., serm. 2 de Nat. Dom. Onkelos apud Calmetum hic : *Recordaberis, quod sibi feceris ab initio, et in fine illum observabis;* nempe qui e femina illa nascetur filius, exiget injuriæ a te acceptæ ultionem; tu vero conceptam in illum, seu in mulierem, jam inde ab initio, rabiem

[c] Jure Mita ait hallucinatum fuisse Chrysologum. Non enim Herodias ex hoc Herode Salomem filiam saltatricem, sed ex Herode Philippo tetrarcha, susceperat.

[d] Alludit ad canes rabidos, qui panem non edunt, neque edere possunt; ob rabiem tamen homines et cuncta animantia mordere satagunt ac rabie inficere. De quibus S. Augustinus, de Civit. Dei lib. XXII cap. 22 in medio. MITA.

[e] Emendat Latinius. Editi omnes, *viriliter*.

cum liquorem sacri sanguinis sitiens aspexit; ferculum crudelitatis suæ toto ore, totis faucibus contendit et conatur absorbere. Sed Joannes venit in sublimi positus, ut lucerna super candelabrum, tenebras ut fugaret, dicente Domino : *Ille erat lucerna ardens et lucens* (*Joan.* v). Venit Joannes, ut judex in tribunali resplendens, ut qui arguit adulterium, exponeret et damnaret homicidam; et qui pie vivens incestum vocarat ad pœnitentiam, reservaverat ad veniam, homicidium etiam damnaret occisus. Quam quæso meretur veniam, qui in morte Joannis ipsam pœnitentiam tam creduliter interemit? Gratis cucurristis Herodes et Herodias, nomina non affectione sociata, sed crimine, [a] quæ vocem intercipi posse stultissime credidisti. *Ego sum*, inquit, *vox clamantis in deserto* (*Joan.* i). Vox occidi non potest, sed magis clamat angustiis corporis absoluta. Sic vox Abel in suo jam effusa sanguine magis sonat, magis penetrat, magis pertendit ad cœlum (*Gen.* iv). Sic nunc, Joannes toto orbe clamat, totis sæculis facinus vestrum cunctis refert, et ostentat in gentibus. Ecce Joannes Christi capite gloriatur, qui capiti putabatur addictus. Ecce eo die quo tu finisti tuum, ille sibi natalem cœli conquisivit : quia quando tuus ortus mersit in finem, tunc illius finis ortus est in natalem. Justus enim tunc inchoat vivere, cum pro Christo meretur occidi; transfertur ista morte vita martyris, non aufertur; morte magis claruit, qui ob hoc mortuus est, ut viveret in æternum. Ecce tu jaces in morte, Joannes vivit occisus. Tu fucatam murice purpuram perdidisti, Joannes cruore suo fulgenti purpura semper gloriatur indutus. Tui convivæ nunc participes efficiuntur in pœnis, Joannes cœlesti mensa cum choris vescitur angelorum. Ille audit cœlestem jugiter symphoniam, tu audis inferni semper gemitum et stridorem. Ille meretricis tuæ, saltatricis tuæ addictus in pretium, nunc regno, nunc præmiis cœlestibus honoratur, tu mercedem sententiæ tuæ cum tua filia in tartaro percepisti. Vestimentum Joseph, cum adulteram fugeret, derelinquit (*Gen.* xxxix); Joannes ne videret adulteram, ipsum projecit et corpus. Joseph, ne adulterium faceret, libens carcerem suscepit; Joannes ut argueret adulterium, eremum carcere commutavit. Joseph somnia dum revelat, evasit ex morte; Joannes, ut Dei Filium revelaret, suscepit et mortem. Joseph dum panem præparat temporalem, ex auro torquem meruit, et honorem; Joannes, ut ostenderet (*Matth.* xi) cœlestem credentibus panem, martyrii torquem meruit ex cruore. Merito in natis mulierum cunctis major est hic Joannes, qui non solum adulteras arguit, sed et licita mulierum consortia virginitatis amore calcavit. Et si Joannes tantus, Joannes talis, tanta eremo separatus a feminis [b] feminarum pericula non evasit, quis est qui inter feminas vivens evasurum se sine labore maximo, maxima sine cautione confidit, nisi is qui sancto alitur Spiritu? Qui cum genitore natoque una cuncta disponit sæcula per ævi omnia spatia.

SERMO CLXXV.

[c] *De Marcellino episcopo Vicohaventino, et D. Mariæ, Virginis partu.*

Omnium quidem rerum primordia sunt dura, sed duriora sunt omnibus primordia generantis. Sancta Ecclesia Ravennas, ut primum pareret, viam fecit, angores pertulit, sensit dolores. Et hoc egit, fratres, ut ordinem partus divini toto veritatis tramite custodiret : nam posteaquam primogenitum totius creaturæ Virgo mater ut pareret, viam totius patriæ percucurrit; sic virgineus partus, sic primitivorum est dedicata nativitas. Et necessario, fratres, Via generatur in via. *Ego sum*, inquit, *Via* (*Joan.* xiv); ut omnis aditus excluderetur erroris, et viator tandem cœlum peteret, qui terreni itineris incassum diu sudores pertulerat et labores. *Et factum est in diebus illis*, inquit evangelista, *exiit edictum a Cæsare Augusto, ut scriberetur universus orbis. Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam ad civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Et factum est in diebus illis, impleti sunt dies ut pareret, et peperit filium suum primogenitum* (*Luc.* ii). Libet hic aliquid de dolore dicere. Edicto Cæsaris et pagani universorum Dominus obtemperaturus occurrit, et decreto beati Petri, decreto principis Christiani, servus adhuc aliquis irreverenter obsistit? Verum, quia neque prospera adversis, neque gaudiis miscenda sunt tristia, his omissis hodierni germinis lætitiam proloquamur. [d] Habeat modo nalia lege veniam obtinuit quam ut Mauri nomen expungeret e diptychis. Interim factum videtur Henschenio, ut Vicohaventinus episcopus, archiepiscopi sui exsecratus superbiam, Romam se contulerit, ubi sedis suæ Ferrariam transferendæ petierit, et obtinuerit facultatem. Hæc ille.

[a] Alias, *qui vocem.*

[b] Ms. Vallicell., *feminarum insidias.*

[c] Hæc inscriptio in mss. Cæsen. et Vallicell. Hunc autem sermonem Mita et Tillemontius habitum credunt Ravennæ, in die Dominicæ nativitatis, occasione ordinationis Marcellini episcopi Vicohaventini; qui primus ab antistite Ravennati, uti metropolitano, fuit consecratus. *Vicohaventiæ* cathedra, quæ sæculo xiii invenitur dicta *Ferrariola*, nunc *parochia S. Georgii*, ad septentrionalem ripam minoris Padi, non diu post Lateranense concilium mansit; translationisque auctorem fuisse volunt Ferrarienses Vitalianum papam anno 657. Causam suspicatur Henschenius, tom. II Maii pag. 154, fuisse Mauri, Ravennatis archiepiscopi superbiam, qui a Romana sede deficiens, eo insolentiæ progressus fuit, ut Romano pontifici a suo tribunali judicando, diem dicere præsumpserit. Throni et delicti successorem habuit Reparatum; qui, cum cito resipuisset, a Deodato PP. Vitaliani successore, non

[d] Hic Auctor de S. Apollinari martyre loqui videtur, qui uti primus partus Ecclesiæ Ravennæ, de quo supra, reverentiam meretur. Quod si de Marcellino loqui placet, sciendum est quod Vicohaventia in primum suæ Ecclesiæ episcopum habuit Oltradum, exterum a sancto Sylvestro PP. immediate electum et consecratum anno Christi Domini 330. Exinde alterum habuit episcopum, pariter alienigenam, cui tertio loco suffectus est Marcellinus iste, qui non advena, ut cæteri supra memorati, sed Vicohaventinus origine educationeque fuit. Itaque Auctoris sensus videtur : Ille episcopus, qui fuit primogenitus Ecclesiæ Vicohaventinæ, habeat reverentiam primogeniti,

tus, qui primum natus est, primogeniti reverentiam, teneat et honorem : Marcellinus hodie vernaculi partus totum rapuit et conquisivit affectum. Circumstant filii, adsunt propinqui, cognatio tota concurrit, familia exsultat omnis, et ipsa penetralia domus tripudiant et lætantur : quia videre oculis, suscipere manibus, hodie primum sanctæ genitricis partum, sobolemque meruerunt. Ipsa quoque genitrix sponsa mater et virgo, in ipso conjunctionis suæ cubiculo, genuisse nova gratulatione miratur. [a] Sed neminem turbet, nullum moveat, quod in thalamo ipso sponsa ipsa cernitur peperisse : talis non est de crimine, sed de virginitate conceptus, quando in tali germine cœlestis partus est, non humanus : nec ullus hic est sinistræ suspicionis locus, ubi ipse sponsus sponsæ suæ testis habetur et custos. Quicumque sollicitus es de facto, esto de exemplo maximo persecurus, et præcedentis trepidatio ad tuam cautelam proficiat, et munimen. Joseph ille maritus solo nomine, conscientia sponsus, prægnantem sponsam fluctuans et anxius intuetur, quia neque accusare innocentem, neque prægnantem poterat accusare; tacere tutum non erat, erat loqui periculum. Admittit, non prodit crimina accusator insontis. Erat ipse testimonium castitatis, erat custos pudoris : aliud noverat, aliud intuebatur; confundebat visus quem non confundebat [b] Virginis fides : actus et vita in bivio; mens justa et sanctus animus ancipiti cogitatione torquetur; sentit, sed tantum non potest penetrare sacramentum, quia nec accusare poterat, et defensare penes homines non valebat. Merito mox occurrit angelus, merito responsum subvenit mox divinum, cui humano deficiente consilio justitia non defecit. Et quid dicit? *Joseph fili David, noli timere.* Qui nihil fecerat, quid timebat? Timebat, quia etsi nullus in facto reatus erat, erat in causa maximus pavor. Sanctus animus quidquid non assequitur, expavescit. Cave ergo, homo, de partu nostræ matris taliter disputare, [c] cum angelum respondisse sufficiat : *Noli limere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in illa natum est, de Spiritu sancto est.* Feliciter parturit, quæ virginitatis coronam magis magisque pariendo conquisivit et gloriam. Hic vero qui nobis hodie natus est, semper retia [d] tetendit in mare. Nemo ergo miretur, si piscatorem Petrus gestivit habere collegam. Orate ergo, fratres, ut piscari mereatur homines qui hactenus pisces capere hominum laboravit ad vitam [e].

quia peregrinus vim fecit, et more primogenitorum angores pertulit. At Marcellinus hodie, non quidem uti primogenitus, atque angoris, sed uti filius domi natus et domesticus partus, itineris expers (erat enim jam in fide catholica firmata illa Ecclesia), totum suorum sibi acquirit amorem. Forte etiam intellexit Auctor de Christo ipso primogenito Mariæ sacratissimo qui modo natus dicitur ante Marcellinum, quoniam erat annua dies Natalis ejus jam cœpta, fereque mediata, cum Marcellinus episcopus consecratus est. MITA.

[a] Fortasse populum turbaverat hujusmodi electio, nempe quod exterus non fuerat, aut alias a summo pontifice immediate electus et consecratus; sed civis, a civibus electus, arte piscatoria ignobilis, fortassis uxoratus, ac filiis dicatus, nec litteris satis eruditus : propterea suspicio esse poterat, maxime apud invidos, qui numquam moriuntur, et apud plebem seductam, aliquam criminis intercessisse labem. At Chrysologus noster rationibus et exemplis S. Joseph ac beatissimæ Virginis, hoc neutiquam suspicandum suadet, cum præsertim ipse Marcellinus sponsus sit testis et custos integritatis Ecclesiæ suæ sponsæ. Etenim quam optime novit in ejusmodi electione divinum adfuisse consilium, cui contraire nefas est. Quomodo autem distinctius facta sit Marcellini electio, non est meum divinare, et ex pervetustis Ferrariæ memoriis aliud habere nequivi. Unum id notum, quinque fuisse Vicohaventiæ episcopos ab anno Christi 330 ad annum 657, quo tempore translata sedes Ferrariæ dicitur a Rubeo Histor. Ravennat. lib. XI pag. 109 edit. 2. Addentes ad Martyrologium Usuardi hunc Marcellinum in numerum sanctorum Dei locant : sed an hoc fuerit communiter ab Ecclesia Dei receptum, non satis constat. MITA. — Et revera altum de Marcellino in aliis ecclesiasticis tabulis silentium.

[b] Fœde corruptus in multis editionibus locus restituitur ex Mita et ms. Vallicellano.

[c] Ms. Cæsenæ, *cum sibi angelum.*

[d] Vel piscator Marcellinus, seu ut opinatur Tillemontius, aliquam publicæ piscationis præfecturam gerens.

[e] Non inanis nunc operæ pretium erit subdere, quæ de hujus sermonis explicatione scripsit *Pastritius* in suo Opusculo de *Patena Chrysologi*. Ea autem hæc sunt.

Expositio obscuri sermonis CLXXV D. Petri Chrysologi, *ut veritas pateat, eumdem primum metropoliticam dignitatem et auctoritatem exercuisse.*

« Aliam moram, et quidem diuturniorem, considerare nos monet Chrysologi sermo 175, qui est de Marcellino episcopo Vicohaventino a se consecrato. Ostendit enim ibi resistentiam factam contra decretum B. Petri apostoli, et imperatoris edictum. Quis autem hic fuit? Audiamus verba sermonis. Præmittit ea fuisse primordia et generationem primam quæ non fit sine dolore. *Omnium quidem rerum primordia sunt dura, sed duriora sunt omnibus primordia generantis.* Assumit Evangelium sibi exponendum, cum Deipara Virgo genuit primogenitum, incipiens ab illis dictionibus : *Exiit edictum a Cæsare Augusto*, et more suo in Evangelii processu præsentes res contemplatur, iis et verba et res Evangelii accommodans; ideoque exigens acutam legentis vel audientis intentionem. Post igitur procœmium circa duritiem, difficultatem et dolorem primum generantis, quod auditores non percepissent quorsum tenderet, dubium omne tollit prosequendo : *Sancta Ecclesia Ravennas, ut primum pareret, viam fecit, angores pertulit, sensit dolores.* Ergo de Ravennatensi Ecclesia in ordinatione Vicohaventini explicanda sunt Evangelii et Deiparæ Genitricis verba et res; proindeque sicut Deipara nullum antea genuerat vel pepererat, sed primogenitum edidit Christum Jesum; ita Ravennas Ecclesia nullum antea consecraverat antistitem, neque matris officium exercuerat, sed tunc primum in consecratione Vicohaventini episcopi matrem se demonstravit, cum primum genuit et primogenitum. Dolores quidem Deipara in pariendo non pertulit, quia sacra Virgo Spiritus sancti obumbratione concepit, et virgo peperit, nisi dicamus difficultatem et dolorem fuisse itineris suscepti e Nazarena domo ad Bethlehemiticam speluncam. Sed Ravennas Ecclesia quæ etiam mater sacra et virgo illibata est, ut quælibet alia Christi Ecclesia, dolores veros pertulit, et angores antequam pareret. Quia scilicet dum mater effecta est per decretum sedis apostolicæ et imperatoris Va-

lentiniani III edictum, metropolitanus qui subjectas per hujusmodi decreta civitates Ecclesiæ Ravennati regebat, restitit, sua jura producens, et nolens potestate metropolitica circa easdem privari. Inde Ravennati Ecclesiæ necessitas orta fuit privilegium novum tuendi contra priorem metropolitanum, quanto studio, quot difficultatibus satis innuunt illa verba : *Angores pertulit, sensit dolores.* Ad quid? Ut primum pareret.

« Vicohaventinus episcopus spectabat antea ad Mediolanensem archiepiscopum, nam S. Ambrosius Mediolanensis scripsit epistolam 19 in aliis editionibus 44, et in novissima editione 2 ad Constantium Vicohaventinum episcopum, commendans illi Ecclesiam Forocorneliensem, tamquam sui juris, sibique subjectam. Hæc vero Ecclesia sicut et Vicohaventina una cum aliis civitatibus in edicto Valentiniani III subjecta est Ravennati episcopo, ut ibi videre est, proindeque illæ civitates ad Mediolanensem pertinebant. Vicohaventia, nunc Ferraria nuncupatur. Cum enim multi vici ibi essent ad Padum, civitas dicta Vicohabentia, quasi vicos habens, corrupto deinde vocabulo in varias desiit appellationes : quia et ipsa penitus periit a Gothis destructa, et ad alteram Padi Ripam translatis habitatoribus atque Ferrariam condentibus, jus episcopale per Vitalianum papam illius translatum est.

« Habemus metropolitanum qui cum Ravennate pugnabat, et illi Ecclesiæ constitutæ jam matri et metropolitanæ, angores, doloresque ingerebat antequam pareret primogenitum. Propterea Chrysologus sermonem suum prosequens ait : *Et hoc egit, fratres, ut ordinem partus divini toto veritatis tramite custodiret. Nam posteaquam primogenitum totius creaturæ Virgo mater ut pareret, viam totius patriæ percucurrit : sic Virgineus partus, sic primitivorum est dedicata nativitas.* Similitudinem inculcat partus primogeniti Ecclesiæ Ravennatis cum partu primogeniti Deiparæ, tum in eo quod ante partum opus fuit currere, ac percurrere plures vias, et laborare percurrendo Æmiliam viam et Flaminiam, quæ Romæ jungitur, immo quæ inde proficiscitur, apostolicam sedem obsecrando, ejusque opem atque auctoritatem implorando, ad privilegium firmiter tuendum, quod semel datum fuerat et recenter, sicuti Deiparæ opus fuit percurrere viam usque ad Hierosolymæ confinia seu Bethlehem usque; tum in eo quod Deipara primogenitum peperit in via, vel secus viam, Ravennas vero Ecclesia primogenitum suum peperit in via Æmilia, in qua ditio Ravennatis Metropolitani est : *Et necessario, fratres* (pergit Chrysologus) *Via generatur in via. Ego sum*, inquit, *Via, ut omnis aditus excluderetur erroris, et viator laudem cœlum peteret, qui terreni itineris incassum diu sudores pertulerat et labores.* Non modo in via generatur, seu paritur Christus, sed ipse est via, et proinde cum in via errare nemo possit, quisquis enim viator errat, ideo errat quia exit e via, et sudores multos subit, ut in viam reducatur. Ravennas Ecclesia erat quidem in via Æmilia, sed non habebat Æmiliam sibi subjectam, cum hæc agnosceret Mediolanensem Ecclesiam pro matre. Sed postquam privilegium habuit matris et Metropolis cum potestate generandi, viam habuit, et *viam fecit*, ut initio sermonis dixerat Chrysologus : adeo ut episcopatus qui in via Æmilia erant, non errarent si obedirent Ravennati, quia validum erat et legitimum privilegium, nec per rapinam Mediolanensi subtractum, utpote via ordinaria, auctoritate scilicet apostolica et imperiali concessum.

« Necdum similitudo absoluta est in hoc partu Vicohaventini episcopi consecrati per metropolitanum Ravennatem cum partu Christi Domini ex Deipara. Nam in hoc intercessit edictum Cæsaris : *Et factum est in diebus illis*, inquit evangelista, *exiit edictum a Cæsare Augusto, ut profiteretur universus orbis. Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam ad civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Et factum est in diebus illis impleti sunt dies ut pareret, et peperit filium suum primogenitum.* Et hoc quidem in partu Deiparæ. Quid vero in partu Ravennatis matris? *Libet hic aliquid de dolore dicere : edicto Cæsaris et pagani Dominus obtemperaturus occurrit; et decreto beati Petri, decreto principis Christiani, servus adhuc aliquis irreverenter obsistit?* In utroque igitur partu edictum Cæsaris, et decretum promulgatum fuit : ibi Cæsaris Augusti, hic Valentiniani III Augusti; ibi hujusmodi decreto, et *edicto imperatoris pagani universorum Dominus* obedienter ac sine ulla mora, sine ulla resistentia, est obsecutus; hic imperatoris Christiani et edicto, non Dominus, sed servus et subditus episcopus Mediolanensis audet sine ulla reverentia resistere, et diu resistere; ita ut Ravennati Ecclesiæ angores gignat et dolores, ut non pariat. Dolendum plane et maxime dolendum; eo magis quod non intercessit solius imperatoris edictum in hoc privilegio matris seu metropolis concedendo; sed etiam decretum B. Petri, et quidem primo loco nominandum, cum ex eo tamquam ex prima radice firmitatem habeat hujusmodi prærogativa.

« Hinc sane Ravennates archiepiscopi Chrysologi successores discere poterant reverentiam erga sedem apostolicam, et non buccinare autocephaliam, seu independentiam a Romano pontifice, privilegio Valentiniani se munientes : cum in hoc Chrysologi sermone non Cæsaris decretum tantummodo, sed B. Petri decretum, tum vero decretum Cæsaris animadvertendum fuisset. Hinc etiam refellendi sunt qui Valentiniani III edictum irrident tamquam spurium et abjiciendum, auctoritas enim Chrysologi cogit quemlibet sanæ mentis ad fatendum promulgatum fuisse privilegium imp. Valentiniani, sicut etiam decretum summi pontificis, ubi talis facultas dabatur Ravennati. Sed cum perierit hoc secundum, periit et primum fortasse vel additione aliqua corruptum legitur; sed negari nequit fuisse edictum Cæsaris, quo Ravennas episcopus constitutus fuerit archiepiscopus et metropolitanus cum subjectione civitatum quæ in via Æmilia erant, et antea spectaverant ad Mediolanensem antistitem, qui non sine labore et dolore Chrysologi diu pro hac re certavit; obsistens tum decreto B. Petri, tum edicto imperatoris Valentiniani; sed tandem parta victoria post tot angores, Chrysologus primus fuit, qui episcopum Vicohabentium consecrando tamquam primogenitum et Filium doloris (siquidem major dolor a matre percipitur, cum parit primogenitum, quam cum cæteros parit, *sic virgineis partus, sic primitivorum est consecrata nativitas*), metropolitani munus primarium exercuit, videlicet suæ provinciæ episcopos consecrando.

« Videtur præterea colligendum quod Joanni Ravennati, cognomento Angeloptæ antecessori Chrysologi, circa finem sui præsulatus Valentiniani privilegium fuerit concessum; ita ut in ista concertatione Mediolanensis diem suum obierit : quandoquidem post electionem suam Chrysologus in sede metropolitana sermonem habens conqueritur iis verbis, quæ prætulimus, et quidem in præsenti, *servus adhuc aliquis irreverenter obsistit;* quod plane innuit, post victoriam adeo feliciter obtentam, ut ad consecrationem episcopi Vicohaventini Ravennas procederet, adhuc Mediolanensem invitum obmurmurasse, quasi non cederet; sicut post judicis sententiam in causa aliqua diu agitata solet adversarius victus adhuc conqueri et mussitare.

« *Verum quia neque prospera adversis, neque gaudiis miscenda sunt tristia, his omissis*, pergit Chrysologus, *hodierni germinis lætitiam proloquamur. Habeat modo natus, qui primus natus est, primogeniti reverentiam, teneat et honorem.* Profecto habuit sedes Ferrariensis, quod non modo ejus episcopus cum Vicohaventinus dicebatur, primus inter consecratos a Chrysologo fuerit; verum etiam quod pri-

mogenitus Ecclesiæ metropolitanæ Ravennatensis : unde ab hominibus hanc reverentiam et hunc honorem tamquam primogenitus possit exigere. *Marcellinus hodie vernaculi partus totum rapuit et conquisivit affectum.* Partus Deiparæ, cum ea peperit Christum, fuit Dominicus partus : quia Dominus universorum natus erat : partus Marcellini episcopi in sua consecratione est vernæ et servi partus. Rapuit primus partus totum plebis Christianæ affectum, et conquisivit; affectum, inquam, qui Domino debetur adoratione quoque latriæ colendo ; rapuit Marcellini partus totum plebis affectum, qui vernaculo partui et humano potest competere : neque enim unus affectus alterum excutit, utpote in diverso ordine constitutum diversimode colens, sicuti neque affectus in Creatorem affectum in creaturas excludit. Rapere autem violentiam et efficaciam ostendit ; sed conquirere, ex omnibus plane cordibus affectum educere commonstrat. Vernaculi partus vocabulum, sorte etiam servilem conditionem atque humilem ortu familiam Marcellini dixit, ut videtur colligi ex sequentibus. Sed cum in ecclesiasticis gradibus et dignitatibus non splendor natalium domusque inclytæ imagines fumosæ respiciantur, sed pietatis fulgor, virtutis atque religionis ardor; idcirco Marcellini quantumvis vernaculi partus, ut a consecratione eum non repulit, ita nec a gaudiis et plena populi jubilatione prohibuit.

« *Circumstant filii, adsunt propinqui, cognatio tota concurrit, familia exsultat omnis, et ipsa penetralia Domus exsultant et lætantur, quia videre oculis, suscipere manibus hodie primum sanctæ Genitricis partum sobolemque meruerunt.* Quoniam mentis oculus et loquentis intentio duos respicit partus primogeniti, hæc verba de Marcellini potius partu, quam de Dominico sunt intelligenda; cum nec filii, nec propinqui concurrerint ad Deiparæ partum, ut viderent oculis manibusque susciperent. Quapropter filiorum nomine intelligi possunt episcopi suffraganei, qui sunt quasi filii matris et metropolis ; propinquorum vero nomine episcopi alterius provinciæ, Romano metropolitano subjecti, vel alteri. Concurrebant enim Ravennam, ubi erat imperator et Augusta, præsules non pauci, et cum viderent hanc primam solemnitatem, et exercitium metropolitæ nuper facti, magis confertim, majorique lætitia, et exsultatione consecrationi Marcellini plaudebant. Cives itidem et exteri signa gaudii edebant, et Marcellino congratulabantur. Sed filios quoque revera genitos a Marcellino, antea uxorato, et propinquos carnaliter possimus explicare; non enim desunt exempla illis quoque temporibus, mortua uxore vel separata, vitæque dedita religiosæ, virorum qui pietate præstantes, vel doctrina, vel meritis, ad episcopales infulas sint promoti. Salvianus unus sufficeret in Gallia ; sed in Æmilia præcesserat Severus Ravennatum antistes. Concursus filiorum, propinquorum, totiusque domus et familiæ facile fuit in metropolim ipsam Ravennæ; non enim mater ad filium, sed filius ad matrem debet convolare ; itaque sancta Genitrix est sancta Ecclesia Ravennas, mater aliarum sibi subjectarum.

« *Ipsa quoque Genitrix, et sponsa, mater, et Virgo in ipso sponsi sui thalamo, in ipso conjunctionis suæ cubiculo, genuisse nova gratulatione miratur.* Neque hæc verba de Deipara, ejusque partu virgineo possunt accipi; proinde hæc etiam de Ravennati Ecclesia sunt explicanda quæ non solum sancta genitrix est, sed et virgo, habens sponsum Christum Dominum, ut Deipara sponsum habuit; cum hoc tamen discrimine, quod Deipara cum sponso conjuncta non est, ut pareret suum primogenitum, aliter virgo non permansisset, sed ut sibi esset virginitatis testis et custos; Ecclesia vero, quia non carnaliter parit, sed spiritualiter, ut pariat primogenitum suum indiget sponso, ejusque thalamo, immo et conjunctione, in qua et per quam gignens filios semper virgo perseverat, utpote spiritualia dona in consecratione communicans ex Spiritus sancti gratia, quæ in omni Ecclesiæ operatione imploratur. Non obscure thalamus sponsi est major Ecclesia, et Metropolitana ; atque adeo hinc etiam constare potest peractam Ravennæ Marcellini consecrationem, et hanc prærogativam, quod Vicohaventinus in metropolitana sit consecratus, novam gratulationis esse materiem Chrysologus deprehendit.

« At quia thalami et conjunctionis nomina primo aspectu videntur virginitati opponi, solvit sanctus orator et pastor hoc pacto nodum : *Sed neminem turbet, nullum moveat, quod in thalamo ipso, sponsa ipsa cernitur peperisse : talis non est de crimine, sed de virginitate conceptus; quando in tali germine cœlestis partus est non humanus, nec ullus est hic sinistræ suspicionis locus, ubi ipse sponsus sponsæ suæ testis habetur et custos : quicumque sollicitus es de facto, esto de exemplo maximo persecurus, et præcedentis trepidatio ad tuam cautelam proficiat et munimen.* Nempe partus hic in consecratione episcopi, carnalis non est, neque conjunctio carnalis est, sed spiritualis : virginitas vero carnalem conjunctionem excludit, et propterea in ipsa generatione vel partu, sponsus qui conjungitur spiritaliter, nempe Christus, testis est virginitatis et custos ; sicut exemplo maximo docemur in partu Deiparæ virgineo, sponsum Josephum testem fuisse virginitatis suæ sponsæ, atque custodem. Quamobrem securus quisque debet esse, nullam hic labem, nullam turpem notam intercessisse; nec in hoc defuisse Marcellini primogeniti partui virgineo similitudinem cum partu virgineo primogeniti Deiparæ.

« *Joseph ille maritus solo nomine, conscientia sponsus, prægnantem sponsam fluctuans et anxius intuetur, quia neque accusare innocentem, neque prægnantem poterat excusare : tacere tutum non erat, erat loqui periculum. Admittit, non prodit crimina accusator insontis. Erat ipse testimonium castitatis, erat custos pudoris; actus et vita in bivio ; mens justa et sanctus animus ancipiti cogitatione torquetur ; sentit, sed tantum non potest penetrare sacramentum, quia nec accusare poterat, et defensare penes homines non valebat. Merito mox occurrit angelus, merito responsum subvenit mox divinum, cui humano deficiente consilio, justitia non defecit. Et quid dicit? Joseph, fili David, noli timere. Qui nihil defecerat quid timebat? Timebat, quia et si nullus in facto reatus erat, erat in causa maximus pavor. Sanctus animus quidquid non exsequitur, expavescit.* Quoniam Evangelium in ea parte qua Marcellini consecrationi congruebat expositum erat pluribus, ne videretur Chrysologus plus justo in causam suam pronus, et id quod præcipuum in evangelicis oraculis deseruisse, in perpendendis mysteriis ibi contentis modo moratur, transitumque facit a consecratione Marcellini ad Josephum sanctissimum Deiparæ sponsum : commemoratione sponsi Christi, in partu primogeniti Marcellini virgineo, studens excutere suspicionem de carnali complexu, et non virgineo partu, ex eo quod sponsus Christus erat virginitatis et custos et testis, quemadmodum Joseph virginitatis Deiparæ testis et custos fuerat. Describit ergo ejus suspicionem, non amittendo justitiam, eumque timorem divinitus excussum. Modo revertitur et concludit cum Vicohaventini episcopi consecratione.

« *Cave ergo, homo, de partu nostræ matris taliter disputare, cum angelum respondisse sufficiat : Noli timere accipere Mariam in conjugem tuam ; quod enim in illa natum est, de Spiritu sancto est. Feliciter peperit, quæ virginitatis coronam magis magisque pariendo conquisivit et gloriam. Hic vero, qui nobis hodie natus est, semper retia tetendit in mare. Nemo ergo miretur si piscatorem Petrus gestivit habere collegam. Orate ergo, fratres, ut piscari mereatur homines, qui hactenus pisces capere hominum laboravit ad vitam.* Rediens ad consecrationem, de ipsa tantum ostendit curam, innuitque fortassis aliquos non defuturos, qui talem partum suspicentur non virgineum, quandoquidem adhuc

SERMO CLXXVI.

De cæco.[1]

Deus quoties desperatas humanorum curat corporum passiones, deitatis suæ toties potentiam pandit : sed in una eademque infirmitate, quando ordinem suæ curationis immutat, causas propter quas hoc faciat, facit nos altius perscrutari. Nam juxta viam sedenti cæco visum sola restituit jussione ; alii a nativitate cæco nato, non lumini, sed tenebris, et cui natura visum inviderat, atque ipsa, quæ parat et aperit oculos, oculos clauserat et negarat, Christus imponit lutum, et collyrio materiali fingit, facit, procurat oculos, [a] non recurat (*Joan.* IX), ut creante, non medicante manu inde homini suppleret lumina, unde hominem fecerat totum. Iste vero cæcus, cujus nobis evangelista Marcus retulit curam, sic novo sanatur modo, ut omnes compellat exquirere cur contumax cæcitas moram facere sic præsumit auctori, cujus nutu, visu, jussu infirmitates pereunt, redeunt sanitates, vita oritur, mors finitur, stant omnia, cuncta dilabuntur. *Venit*, inquit, *Jesus Bethsaida, et adducunt ei cæcum, et rogabant eum ut eum tangeret ; et apprehensa manu cæci, eduxit eum foras extra vicum* (*Marc.* VIII). Quasi eum curare non potuerit in loco, aut beneficio loci indiguerit, universis qui contulit visum. Hæc est Bethsaida cujus perfidiam Dominus exprobrat, dicens : *Væ tibi, Chorozaim, væ tibi, Bethsaida : quia si in Tyro et Sidone virtutes factæ fuissent quæ in te factæ sunt, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent* (*Matth.* XI). Ergo apprehensa manu ejus de domo infidelitatis educit, levat eum de perfidiæ sessione, ut ante fidem quam oculos daret, ante menti quam corpori redderet sanitatem, ante præberet [b] humani ducatus obsequium quam divinæ virtutis operaretur insigne. Illi rogabant ut vel tangeret eum : sed Christus, qui horrere nescit pauperem, pauperem scit amare, totam dedit pauperi manum, et debilitati Deus publicam præbuit servitutem, ut homo non horreat hominem, et videns non videntem videat, et duce manu cæcum lucis faciat nescire orbitatem : ne dicat homo : Non habet manus mea quod det pauperi, det ipsam manum pauperi, et plus erit manum pauperi dedisse quam nummum, iter præbuisse pauperi quam pauperi panis dedisse fragmentum. *Et eduxit eum foras extra vicum, et exspuit in oculos ejus.* Dominico sputo vacuas oculorum replet lacunas, divino ore luciferam dat salivam, ut sancti roris gutta baptizaret oculos peccatoris, ut aperiret venia, quos clauserat culpa. Nemo ergo dubitet divino imbre tota arefacta mortalia membra posse reviviscere, cum videat parva Dominici sputi gutta arentes cæcitate oculos subito sic suscitatos in lucem : *Exsurgent*, inquit Isaias, *mortui, et resurgent qui in monumentis sunt, et lætabuntur qui sunt in terra.* Quomodo ? Ros enim qui abs te est sanitas est illis ; quod est pluvia semini, hoc resurrecturis Dominicus imber. *Et imposuit illi manus.* In faciendo, in reparando, in componendo hominem Dominicæ manus curatrices hominibus semper adsunt. *Manus tuæ*, inquit, *fecerunt me et plasmaverunt me. Et interrogavit eum si aliquid videret.* Interrogat ut homo, operatur ut Deus. Qui videt abdita terrarum, qui cordis intuetur occulta, cui omnia sunt nuda quæ sunt tecta omnibus, in opere suo, in oculis suis videre quærit, laborat scire, alio referente cognoscit ? Absit. Sed interrogat ut præsentes scirent, futuri cognoscerent, cæcitatis hujus non esse simplicem, sed mysticam curam. Denique non lumen, sed auroram quamdam, lucemque erumpentem datam sibi adhuc qui curabatur, Domino interrogante, respondit : *Video*, inquit, *homines ut arbores ambulantes.* [c] Imperfectis oculis

mussitabat, adhuc resistebat Mediolanensis decreto pontificio et Cæsareo. Propterea, non sine causa timorem divi Josephi amplifice pertractat, exponitque late modum quo repulsus cœlitus per angelum fuit ille timor ; quasi diceret : Matris nostræ partus Ecclesiæ Ravennatis constitutæ in munere genitricis et metropoleos legitimus est : adeoque noli, quisquis es, suspicari quidquam mali ; noli timere, Ecclesia quæcumque sis ex suffraganeis, matrem ipsam non esse veram, vel vim aliquam intercessisse imperatoriæ majestatis, vel dolum : coronam conquisivit et gloriam Ecclesia Ravennas, vicit causam jam agitatam reclamante adversario, et feliciter peperit hunc partum primogenitum Marcellini hodie nobis nati, qui piscatoriam artem exercuit. Non ideo tamen episcopalibus infulis indignum se præbuit : immo B. Petrus apostolorum princeps, qui Romæ sedes habet, per suum successorem Sixtum III, admisit ad episcopatum hunc piscatorem ; nec dedignatus est, qui ex piscatione piscium vocatus est ad piscationem hominum, habere collegam Marcellinum piscatorem, ut eum faceret similiter hominum piscatorem. Quid aio non dedignatus est ? Immo gestivit, lætatusque admodum est, cum similitudinem vocationis in ipso repererit, quæ solet gaudium gignere. Hinc videtur colligi hanc primam consecrationem post victoriam in contentione cum Mediolanensi fuisse peractam, cum consensu summi pontificis, et sic magis tutam securamque fuisse redditam, ne quisquam auderet male aliquid suspicari. Potest etiam exponi, quod Chrysologus ipse de se loquatur, quod, cum metropolitanus esset et nomine Petrus, gestiebat in piscatoris consecratione, sortem apostoli cujus nomen deferebat in eo contemplatus.

« En totus plane sermo Chrysologi, neque ulla vox omissa, ut per totum contextum sermonis veritas proposita elucescat, quod B. Petrus Ravennas archiepiscopus non fuit quidem primus qui hac fulserit dignitate, sed primus qui eam exercuerit in præcipuo metropolitani munere, suæ provinciæ episcopos consecrandi.

Habemus quoque alterum sermonem 165 in consecratione episcopi Projecti Corneliensis, ubi tamen nil habet simile, nec unquam aut dolorem aut angorem innuit in pariendo, vel antequam pareret mater Ecclesia Ravennas, sicuti nec tam ingentem lætitiam cum peperit. Quod argumentum plane evidens videtur tunc temporis quievisse a querelis et turbis excitandis Mediolanensem antistitem, fuisseque Chrysologum in pacifica possessione consecrandi et exercendi munia archiepiscopalia. Quamobrem præcedit proculdubio tempore sermo habitus in Vicohaventini consecratione, quamvis numero posterior. »

[a] Hoc est pristino lumini oculos haud restituit quia numquam lumen habuit, sed cæcus natus est. MITA.

[b] In nos ante Deum naturæ quam gratiæ experimur : siquidem prius creatur homo naturalis, et exinde per gratiam baptismatis Christi regeneratur atque renascitur spiritualis. MITA.

[c] Ex abundantia humoris chrystallii, inquit Mita,

grandescunt formæ, turbantur species, res falluntur ipsæ, quia non jam visionem capiunt, sed adhuc umbram sustinent visionis. Et quare tamen sicut arbores, non ut columnæ, aut aliud quid, neque stantes, sed ambulantes? Quia post curam Christi viderat, quod homines velut arbores transirent in hoc sæculo, non manerent; temporalem plantationem germinis humani esse in hac vita mox videt quem curaverit Christus. Iteranda est ergo cura Christi, ut perfecti oculi futura certa, manentia videant et æterna. *Iterum*, inquit, *posuit manus super oculos ejus, et cœpit videre : et restitutus est, ita ut clare videret omnia, et misit illum in domum suam, dicens : Vade in domum tuam, et si in vicum introieris, nemini dixeris.* Aperiatur jam spiritualis intelligentia, ut qui sit iste cæcus cognoscamus, et quare non sponte venit, sed ab aliis adducitur, et ducitur manu Christi, et educitur extra vicum, et alibi recipit visum, qui diu apud suos longam sui pertulerat orbitatem : et exspuit in oculos ejus, et iteratur divinæ manus impositio, et cui videre extra domum datur, quid viderit, quomodo viderit, per quem viderit, suis dicere non donatur. Fratres, cæcus iste est Judæus, qui in Synagoga, hoc est, in perfidiæ domo et in vico, hoc est, in conventu malignantium ignorantiæ cæcitate tenebatur, et sedebat oppressus. Hinc est quod non veniebat ad Christum, sed venit ad eum Christus, et apprehendit manum ejus, ut dono vocantis, non beneficio legis, non proprio curatum se gloriaretur arbitrio. Educit eum foras, ut in Ecclesia lucem fidei videat per libertatem gratiæ, qui sub legis velamine nil videbat. Imponit ei primum manum, ut videat transire umbram legis; ut sacerdotes, scribas, pharisæos, et figuram totam Judaicæ observantiæ videat velut arbores præterire, quæ ut in tempore, sic cum tempore senescunt, nascuntur, virescunt, florescunt, fructificant, pereunt, evanescunt. Iterum imponit ei manum, ut resurgens non jam caduca videat, sed æterna, et videat quidquid est divini luminis, honoris et gloriæ : sicut ille magnus ex ipsis Paulus, qui extra vicum et in via Judæus cecidit, ut resurgeret Christianus; et cæcatus est in lege (*Act.* IX), ut videret in gratia, sicut ab ipso perhibetur : *Nunc videmus in speculo et in ænigmate; tunc autem videbimus facie ad faciem* (I *Cor.* XIII). Tunc quando quod sepultum est in morte, surget in vita, et quidquid satum est in contumelia, surget in gloria.

APPENDIX.

S. PETRI CHRYSOLOGI

RAVENNATENSIS ARCHIEPISCOPI

SERMONES VII,

A S. PATRE QUONDAM ABJUDICATI [a].

SERMO I.

De oratione Dominica.

Accepistis auditum fidei, fratres charissimi, formam Dominicæ orationis audite. Christus breviter orare docet, qui cito vult postulata præstare : aut quid petentibus se non dabit, qui seipsum non petentibus dedit? aut in respondendo quam faciet moram, qui in dictandis precibus vota supplicum sic prævenit? Hodie quod audituri estis stupent angeli, miratur cœlum, pavet terra, caro non fert, auditus non capit, non attingit mens, tota sustinere non potest creatura, ego dicere non audeo, tacere non possum. Deus det ut vos audire possitis et ego dicere. Quid est magis tremendum quod se dedit terris Deus, aut quod vos dat cœlo; quod societatem carnis intrat ipse, aut quod vos facit divinitatis consortium intrare; quod mortem sumpsit ipse, aut quod vos resumit ex morte; quod ipse in vestra nascitur servitute, aut quod vos sibi gignit in liberos; quod suscipit paupertatem vestram, aut quod vos facit hæredes suos, sui unici cohæredes? Est utique terribilius quod terra transfertur in cœlum, homo deitate mutatur, servitutis sors dominationis jura sortitur. Sed hoc quamvis metuendum sit, tamen, quia causa non dicentem respicit, sed jubentem, accedamus, filioli quo vocat charitas, trahit amor, invitat affectio, Deum Patrem viscera sentiant, vox personet, loquatur lingua, spiritus clamet. Totum quod in vobis est respondeat gratiæ, non timori; quia judicem mutavit in Patrem; amari voluit, non timeri.

Pater noster qui es in cœlis (*Matth.* V, 9; *Luc.* XI, 2). Hoc cum dicis, non sic habeas quasi non sit in terris; non sic accipias, quasi sit loco clausus qui claudit omnia : sed intellige esse sibi genus e cœlo, cujus Pater habetur in cœlo. Et age ut vivendo sancte sancto respondeas Patri. Dei Filium ille se probat qui vitiis non obscuratur humanis, qui divinis virtutibus elucescit.

Sanctificetur nomen tuum. Cujus genus sumus ejus censemur et nomine. Rogamus ergo ut nomen quod in se et per se sanctum est, sanctificetur in nobis; nomen enim Dei aut honoratur ex nostro actu, aut

[a] Vide, supra col. 179, censuram omnium sermonum.

ex nostris actibus blasphematur. Audi Apostolum dicentem : *Nomen Dei per vos blasphematur in gentibus* (*Rom.* II, 24).

Veniat regnum tuum. Et quando non regnavit Deus? Petimus ergo ut qui sibi regnavit, semper regnet in nobis, ut et nos in illo regnare possimus. Regnavit diabolus, regnavit peccatum, regnavit mors, et fuit diu captiva mortalitas. Petimus ergo ut regnante Deo pereat diabolus, deficiat peccatum, moriatur mors, captivitas captivetur, ut nos liberi perpetuam regnemus in vitam.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. Hoc est regnum Dei quando in cœlo et in terra Dei voluntas est sola, quando omnibus hominibus [a] Deus vivit, Deus agit, Deus regnat, Deus est totus, juxta illud Apostoli, *ut sit Deus omnia et in omnibus nobis* (I *Cor.* XV).

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Qui Patrem se nobis dedit, qui sibi nos adoptavit in filios, qui secum nos fecit hæredes, qui nos..... nomine sublimavit, qui nos suo et honore donavit et regno, ipse nos ut panem quotidianum postulemus addixit. In regno cœli inter munera divina quid quærit paupertas humana? tam bonus, tam pius, tam largus Pater panem filiis non tamen postulatus indulget? Et ubi est illud : *Nolite solliciti esse, quid manducetis, aut quid bibatis, aut vestiamini* (*Matth.* VI, 31)? Hoc Pater jubet, quod prohibet cogitare; quid tenemus? Cœlestis Pater cœlestem panem cœlestis Filii ut postulemus hortatur; ipse dixit : *Ego sum panis qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 51). Ipse est panis, qui satus in virgine, fermentatus in carne, in passione confectus, fornace coctus sepulcri, in Ecclesiis conditus, illatus altaribus cœlestem cibum quotidie subministrat fidelibus.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Homo, sine peccato esse non potes; et vis semper dimitti tibi, totum dimitte semper; quantum vis dimitti tibi, dimitte tantum. Quoties vis dimitti, toties tu dimitte; immo quia vis totum dimitti tibi, totum dimitte. Homo, intellige quia remittendo aliis tibi veniam tu dedisti.

Et ne nos inducas in tentationem. Quia in hoc sæculo est ipsa vita tentatio. *Tentatio*, inquit, *est vita hominis* (*Joan.* VII, 1), rogamus ut nos nostro arbitrio non relinquat, sed in omni actu paterna nos pietate constringat, et in vitæ tramite cœlesti moderatione confirmet.

Sed libera nos a malo. A quo malo? A diabolo, quippe ex quo est omne malum. Rogamus nos liberari a malo, quia malo qui non caruerit, frui non potest bono. Si adhuc non nati, si adhuc in utero constituti panem petunt, expetunt regnum, quare fit quæstio quod semper Dei Filius in Dei Patris mysterium, et quod in Patre Deo Dei Filius fuerit? Quomodo humana ratione tractatur? Non est, non est humano modo divinitas æstimanda. Audisti Deum, nihil terrenum cogites, nihil humanum. Audisti Patrem Christi, hoc per substantiam crede; audisti Patrem tuum, hoc crede per gratiam. Ille esse Filius habuit semper, se esse Filium dedit modo. Sic ergo te filium scito, et servum te esse non nescias. Sic audi ad Christi similitudinem te reductum, ut semper Christo te cognoscas esse subjectum.

SERMO II.

De eadem.

Conditio mortalis, terrena compago, limosa substantia ad vitæ pensa ac mortis incerto labore attrita, consumpta pœnis, putredini pulveris subjecta natura capere non valet, credere pertimescit, quod hodie cogitur confiteri. Tantam donorum gratiam, [b] proximorum magnitudinem, munerum largitatem, fragilitas humana non potest invenire. Hoc reor ambiguum prophetam mentis intuitu prævidisse, dum tanto pavore concussus, et hujus audito taliter exagitatus tremore dixit : *Domine, audivi auditum tuum, et timui; consideravi opera tua et expavi* (*Habac.* III, 2). Auditum timuit, non quia tunc propheta tantus audierat Dominum, sed quia tunc servus Dominum suum sibi conservum reperit, et audivit in partem : vel quia mundi hujus fabricam elementis ita sibi dissonis consonantem contemplatus expavit; sed quia pietatis erga se tanta considerans, tunc opera admirationis tremore concussus est et pavore. *Consideravi*, inquit, *opera tua et expavi.* Adoptatum se tunc expavit in filium, quando perdiderat ipsius fiduciam servitutis. Denique ut sciatis hujus orationis, quam vobis hodie divinitas insinuat et infundit affectum, prophetam tunc auditu cœlitus percepisse, hujus muneris quodammodo pavore solutum, quid iterum dixerit pervidete : *Custodivi me*, inquit, *et expavit venter meus, a voce obsecrationis labiorum meorum* (*Ibid.* 16).

Posteaquam divini muneris tantam senserat largitatem, custodivit se, ne se hostem, ne inimicum, ne latronem se iterum in paradiso sustineret; fit vigilantior, fit sollicitior sui custos, qui se post tantæ rei jacturam cœlestem thesaurum senserat reperisse, dicente Paulo : *Portamus hunc thesaurum in vasis fictilibus* (II *Cor.* VII). Custodivi me et expavit venter meus. Ventrem cordis interna nominat hæc propheta, quia sicut [c] [venter] cibis, ita cor sensibus pascitur

[a] Hoc in loco delevimus vocem *est*, quæ sententiam turbabat ante vocem *Deus*. Infra, ubi *qui nos nomine*, cum nonnihil deesse intelligeremus, puncta adjecimus, quibus lector id nos non fugisse perspiceret.

[b] Tot mendis scatent hæ homiliæ, quot ne perspicacissimus quidem unus ex conjectura tollere potest; quamobrem nihil hic nisi castigatum omnino lector exspectet, nolim. Haud pauca quidem loca fœde corrupta restituimus, sed de omnibus restituendis nec cogitavimus quidem; sunt enim nonnulla, quæ nisi ope ms. codicis emendari non possunt. Hic lego : *tantam gratiam Dei, donorum promissorum magn.* Infra edidimus *auditu*, ubi erat *auditus* : mox *conservum*, ubi legebatur *conversum*. Cætera mihi legenda videntur : *reperit et audivit Deum Patrem. Nec quia.*

[c] Priorem vocem recte additam esse, nemo sanus negaverit. Mox ubi legitur : *ex hoc est exhortaturus* fœdissimus librarii error ita emendari posse videtur : *exhorret obsecrationem?*

et repletur : *et expavit venter meus à voce obsecrationis labiorum meorum.* Si intellectus cordis fuderat ori vocem, labiis dederat verba, cur vota sua, cur desideria sua, cur..... ex hoc est exhortaturus? Expavit quia non suggestione sui cordis, sed divini Spiritus loquebatur affatu. Audi Paulum dicentem : *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem, Abba Pater* (*Gal.* IV, 6); quod cum auditum ad interna transmitteret, tantum se meruisse mirabatur, et interna tota hominis pavebant, merito adjecit : *Et intravit tremor in ossa mea*, quia ipsius prophetæ viscera vexabantur, *et subtus me*, inquit, *commota est virtus mea.* Quid subtus me? quia unus ipse idemque homo rursus per gratiam jam levatus, jacebat subtus pristinam per naturam; nec virtutem cœlestem virtus poterat sustinere terrena. Jam [a] fumavit mons Sion cum laturus legem Deus descendit in montem : quid caro faceret, cum descendit Deus in carnem? Carnis gratiam collaturus venit Pater, quia homo Deum, servus Dominum non ferebat. Et quia in verbis suis fidelis est qui dixit, *aperi os tuum, et implebo illud* (*Ps.* LXXX, 11); aperite nunc ora vestra, ut ipse ea tali prece, tali repleat et clamore. Ubi sunt, qui de Dei promissione diffidunt? Ecce quam cito est fidei remunerata confessio; mox ut Deum unici Filii confessus es Patrem, tu ipse es Dei Patris adoptatus in filium, ut esses cœli hæres, qui paradisi exsul habebaris et terræ. Et ideo nunc vocas : *Pater noster qui es in cœlis.* Quia fuit tibi quondam Pater, qui te resolvit in limum, qui te ad claustra duxit et pertraxit inferni. Terram nesciat, amorem carnis ignoret, patrem pulveris non requirat, nihil in se vitii licere permittat, qui a Deo Patre cœlestem repetit ad naturam, ut qui se Dei filium credit actu, vita, moribus, honestate tanto generi respondeat, ne iterum ad terrena descendens, ad ipsam tanti genitoris tendat injuriam.

Sanctificetur nomen tuum. Si nomen Christi cæcis visum, cursum claudis, defessis vario languore sanitatem, mortuis vitam, teque ipsum, homo, totamque sanctificat creaturam, quemadmodum tu ipsius nominis oras et expostulas sanctitatem? Quia ab Christo vocatus es Christianus, et ideo supplicas ut prærogativa tanti nominis meritis in te subsequentibus roboretur.

Adveniat regnum tuum. Devotionem mandat; exigit desideria, vota perquirit ipse, qui [b] adventus sui vitam in sua continet potestate. Fidelis est ille miles, qui regis sui præsentiam sitit, et tot regni expetit et concupiscit triumphos. Sed hic petis ut tibi et in te adveniat regnaturus, in quo diabolus arcem, mors imperium, diu infernus gessit et tenuit potestatem. Oremus ergo, charissimi, ut Christus semper suo regnet in milite, ut miles semper suo triumphet in rege.

A *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.* Beatus dies ille qui terrenorum jungit, sociat et exæquat cœlestibus voluntatem, ut inter disparas substantias una eademque fiat voluntas. Hæc est fida pax, inconcussa concordia, gratia perseverans, quia unius Domini ordinem naturam, familia per diversa voluntatum sita, una eademque reperitur et sensu.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Post cœleste regnum panem quis postulet temporalem? sed quotidianum. Et inde vult nos in sacramento sui corporis panis viaticum postulare : unde ex hoc ad perpetuum diem, et ipsam Christi perveniamus ad mensam, ut unde hic gustum sumpsimus, inde plenitudinem cibi totasque satietates capiamus.

Et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus B *debitoribus nostris.* Qui sic petit (et) debita non relaxat, ille se etiam per quod orat accusat; qui sibi tantum donari postulat, remitti tantum, quantum ipse remittit, et donat ad placitum, Deum taliter invitat ad pactum; quantum ipse præstiterit alteri, tantum sibi exigat et ipse præstari. Dimittenda sunt autem, fratres, debita, non pecuniæ solum, sed omnium causarum, culparum, criminum quidquid homo incurrere potest. In his tibi cum incurrerit alter, ignosce; fidus peccati sui petit veniam, qui peccanti libenter ignoscit.

Et ne nos inducas in tentationem. Hoc petere multis modis cogimur, fratres, ne fragilitas plus ausa, et de se temere præsumens, nihil virium suarum colligens in conflictu male cauta succumbat; deinde C offensus Deus tradat tentationibus quos relinquit.

Sed libera nos à malo. Satis de se humiliter sentit, qui ut a malo per Deum liberetur implorat. Signate vos. Intelligite, filioli, quanta perfectorum, quanta fortium gloria sit et potestas, quando tanta virtus in ipso conceptu, tanta majestas aperitur in partu. Nondum natus Patrem vocat, sanctitatem postulat, regnum petit. Dat jura terris, terrenas cœlestibus exæquat voluntates, et laboribus pro futuris exigit jam devotus annonam. *Panem*, inquit, *quotidianum da nobis hodie.* Beati estis qui cœpistis ante pugnam vincere, ante triumphare quam vivere, ante ad Patris gremium, ante ad Patris promptuarium quam matris ad gremium pervenire; ante pastum gregis quam succum lactis invadere totum; ante victoriam D sonare jubilo; (ante) vagitu respondere, quam cunarum (....) vere ut dixit Apostolus *infirmum Dei fortius est hominibus* (I *Cor.* I, 15). At quis poterit tanti conceptus referre sacramentum, ubi virgo mater parit orbem quotidie, nec relinquit posteros ad laborem, sed a terreno germine præmittit ad gloriam?

SERMO III.

De eadem.

Omnia quæ divinitus dicta factaque referuntur,

[a] In editis *firmavit*, quo nihil est ineptius. Infra ubi : *repetit ad naturam*, præpositionem delendam censeo, nisi forte quis malit suspicari nonnihil hic deesse ac legi oportere : *Cœlestem originem repetit ac naturam.*

[b] Quin legi oporteat *viam*, haud valde dubio. Statim : *Decus regni expetit*, aut aliud quid simile malo, quam quod e veteri editione servatum est, *et tot regni exp.* Mox edi curavimus *infernus gessit*, ubi erat : *infernus cessit.* Quæ sequuntur in versu : *Fiat voluntas tua*, aliis castiganda relinquimus. In reliqua homilia quid additum sit, lector ex solita nota intelliget.

sunt miraculo, sunt stupori, sunt pavenda mortalibus, ipsis etiam sunt cœlestibus tremenda. Sed nihil ita stupet cœlum, pavet terra, expavescit universa creatura, quam quod vos estis hodie nobis dicentibus audituri. Servus Dominum Patrem vocare audet, judicem suum reus nuncupat genitorem, conditio terrena sua se voce adoptat in filium, qui terrena perdidit existimat se Divinitatis hæredem. Sed audemus, quia præsumptio dicentis non est, ubi auctoritas est jubentis. Ipse enim vos hodie dicere voluit, qui nos hodie docuit sic orare. Et quid mirum, si tunc homines Dei consecravit in filios, quando se hominibus dedit et aptavit in filium? Carnis tunc naturam transtulit in divinam, quando deitatem humanam detulit ad naturam. Tunc hominem sibi in cœlestibus præstitit cohæredem, quando se participem reddidit terrenorum : aut homini negare quid amoris potuit, quid muneris, quid honoris, qui totum quod erat hominis et peccatum suscepit, et mortem? Aut quomodo hominem in suis prosperis non habebit, qui in adversis homini se fecit esse consortem? Homo, redi ad Deum sic amatus a Deo; et ad ipsius gloriam da totum te, qui se totum propter te ad tuam deduxit injuriam; et voca Patrem fidens, quem tanto amore [a] tuum probas, sentis, intelligis esse genitorem.

Pater noster qui es in cœlis. Quod nondum natus Patrem vocat, nemo miretur. Deo nata sunt nascitura, futura facta sunt Deo. *Fecit*, inquit, *quæ futura sunt* (*Eccl.* VI, 10). Hinc est quod in utero suum Joannes sensit auctorem et exstat nuntius matri qui erat nescius vitæ. Hinc est quod Jacob ante legitur bellasse quam nasci, cœpit ante triumphare quam vivere. Hinc est quod jam sunt Deo qui sibi adhuc non sunt, quoniam electi estis ante constitutionem mundi. *Pater noster qui es in cœlis.* Non quod ille non sit in terra, sed ut tu per hoc germen esse noveris te cœleste. Et si te filium Dei tu fateris, vive quasi Dei filius, ut actu, vita, virtutibus, tanto possis respondere genitori.

Sanctificetur nomen tuum. Quia a Christo vocatus es Christianus, petis ut prærogativa tanti nominis sanctificetur in te, quia nomen Dei quod per se et sanctum sibi est, aut sanctificetur in nobis nostro actu, aut nostro actu blasphemetur in gentibus.

Adveniat regnum tuum. Ipse dicit : *Regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII, 21). Si intra nos est, veniat quid oramus? est in fide, est in spe, est in exspectatione, sed ut veniat jam precamur. Veniat autem nobis, non illi qui semper conregnat Patri suo, semper regnat in Patre, sed veniat nobis : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV, 34). Dicimus *veniat regnum tuum*, ut sic Deus regnet in nobis, quatenus in nobis desinat mors regnare, desinat regnare peccatum. *Regnavit*, inquit, *mors ab Adam usque ad Moysem* (*Rom.* V, 14). Et alibi : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore* (*Ibid.*, 15).

Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. Nunc in terra multa sunt pro diaboli voluntate, pro sæculi nequitia, pro voluntate carnis. In cœlo vero fit nihil præter Domini voluntatem. Petimus ergo ut interempto diabolo, ut novo sæculo, ut mutato corpore, destructo mortis imperio, ut abolita dominatione peccati, in cœlo et in terra, in Deo et hominibus, una Dei et eadem sit voluntas.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Post regnum cœleste, terrenum panem petere non jubemur, prohibente ipso cum dixit : *Nolite solliciti esse quid manducetis, aut quid bibatis* (*Matth.* VI, 13). Sed quia *ipse est panis qui de cœlo descendit* (*Joan.* XLI, 50), petimus et precamur ut ipsum panem, quem quotidie, id est, jugiter sumimus, in æternitate ad victum corporis mentisque capiamus.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Sic dicendo, homo, indulgentiæ modum, mensuram veniæ statuisti : et tu tibi dedisti, qui a Domino tantum tibi petis, quantum dimiseris ipse conservo. Dimitte ergo delinquenti in te totum, si vis ipse de tuis nihil Domino debere delictis. In altero dimitte tibi, si vis ipse vindicem vitare sententiam.

Et ne nos inducas in tentationem. Deus neminem tentat, sicut scriptum est; sed tentare dicitur, cum contumaciter euntes ad tentationum laqueos delinquit. Sic Adam tentatoris incurrit insidias, dum sui præcepta deserit creatoris. Unde autem et a quo tentatur homo prodidit sic dicendo : *Sed libera nos a malo;* hoc est a diabolo, qui totius mali et auctor est et origo. Diabolus natura fuit cœlestis, nunc est nequitia spiritualis, ætate major sæculo, nocendi usu tritus, lædendi arte peritissimus. Unde non tam malus, sed malum dicitur, a quo est omne quod malum est. Hinc est quod propriis viribus homo liberari non potest carnalibus vinculis illigatus. Petendum est ergo nobis ut Deus nos a diabolo liberet, qui Christum terris, ut diabolum vinceret, commodavit. Clamet, clamet homo ad Deum, clamet : *Libera nos a malo*, ut a tanto malo, solo Christo vincente, liberemur.

Pater noster, qui es in cœlis. Orandi thema, materiam petendi, supplicandi normam paucissimis in verbis ipse sibi, qui tibi est exorandus, indulsit; ut ex hoc tu petendi sumas sensum, ut intellectum postulandi capias, mensuram colligas impetrandi, et brevi magisterio orandi latissimam capias disciplinam; simul quia ad amoris judicium rex ipse officio functus est advocati, ut preces quibus responsurus erat ipse dictaret. Cunctatio ablata est tota promerendi, quando ipsum se legit in precibus qui

[a] Editum erat *tum probas.* Infra, in versu *et dimitte*, edidimus *si vis ipse*, ubi legebatur *suis ipse.* Sub finem etiam scripsimus : *ut preces quibus*, cum editum antea esset : *ut precibus quibus.* Statim auctorem suum non intellexerat Acherius, cum *interpres* legendum esse conjecit, ubi legitur : *a Patre Filius interprete.*

rogatur. Metus locum non habet, ubi a Patre filius interprete desiderat quæ sancta sunt impetrare.

SERMO IV.

De eadem.

Fratres charissimi, qui vos donavit credere, ipse vos docuit et orare, et totam petendi formam paucis aptavit in verbis, quia cum Patrem postulat, multa preces filius non laborat. Sicut enim petere cogit necessitas genitum, ita urget charitas dare genitorem. Pater ergo qui sponte præstat, non tam ut petatur, quantum quod petatur ostendit; ut Filius petendo justa placeat, qui potest stulta postulans displicere. Audite Patrem, et vos filios esse jam credite, ut quæ petieritis incunctanter impetrare possitis. Quid valeat fides, credulitas quid possit, sit quanta confessio, hodie monstratur in nobis. Ecce Trinitatis trina confessio in cœlestem sobolem de terrena vos sustulit servitute : ecce fides quæ Deum locuta est Patrem, Patrem vobis Deum hodie conquisivit; ecce vox quæ confessa est Dei Filium, vos Dei adoptavit in filios; ecce credulitas quæ Deum Spiritum proclamavit, de carnis substantia mortali in vitalem Spiritus substantiam vos mutavit. Quis pietatis tantæ dignus invenitur assertor? Deus Pater homines dignatur hæredes; Deus Filius non dedignatur servulos cohæredes; Deus Spiritus carnem consortem divinitati juris ditione suscipit in supernis, Apostolo probante cum dicit : *Aut nescitis quia angelos judicabimus* (I *Cor.* VI, 3)? [a] Vocate ergo Dominum Patrem, vosque, et si nondum natos, jam tamen designatos filios esse jam credite, et date operam quatenus sit vobis cœlestis vita, sint vobis divini mores, et forma deitatis tota vestra præferatur in Filium : quia cœlestis Pater respondentes generi filios muneribus ditat divinis, degenerantes ad pœnalem revocat servitutem.

Pater noster qui es in cœlis. Succumberet conscientia servulis, terrena conditio solveretur, nisi nos ad hunc clamorem ipsius Patris auctoritas, ipsius Filii Spiritus excitaret. *Misit*, ait, *Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem Abba Pater* (*Gal.* IV, 6). Lassescit mens, caro delicit ad divina, nisi Deus quæ fieret jubet, impleat ipse qui jubet. Quando ausa est mortalitas vocare Patrem, nisi modo quando superna virtute homines animantur in terra? *Pater noster qui es in cœlis.* Homo, quid commune cum terris tibi, qui confiteris tibi genus esse in cœlis? Ergo cœlestem vitam monstra in habitatione terrena, quia si quid in se gesserit terrena cogitatio, cœlo maculam, cœlesti generi intulisti injuriam.

Sanctificetur nomen tuum. Non petimus ut sanctificet nomen suum Deus, quod sanctitate sua totam salvat et sanctificat creaturam. Fratres, hoc nomen est quod supernæ potestates pavent, quod tremenda suscipiunt servitute; hoc nomen est quod fugat dæmones; hoc solum nomen est quod absolvit animas diaboli feritate captivas; hoc nomen est quod mundo perdito dat salutem. Sed petimus ut nomen Dei actu sanctificetur in nobis. Nobis enim bene agentibus benedicitur nomen Dei, nobis male agentibus blasphematur. Audi Apostolum dicentem : *Nomen Dei blasphematur in gentibus* (*Rom.* II, 24). Petimus ergo, petimus, ut quantum nomen Dei sanctum est, tantum nos ejus mereamur in nostris moribus sanctitatem.

Veniat regnum tuum. Quasi non semper fuerit [b], sic regnum Christi ut veniat, nunc rogamus. Et ubi est illud regnum Dei? *Intra nos est.* Intra nos est fide, sed ut re veniat supplicamus. Fratres, quando diabolus vario nequitiarum genere multimoda arte fallendi rerum faciem turbat, sensus hominum moresque confundit, sævit, idolis sacrilegis furit, fallit auguriis, divinatione mentitur, signis decipit, illudit artibus, spectaculis occupat, obsidet vitiis, peccatis vulnerat, criminibus sauciat, desperatione prosternit, Christi regnum prolongat, et absentat a nobis. Petimus ergo ut veniat tempus quo, mali tanti auctore pereunte, mundus totus, creatura tota, totam solius Christi regnet, triumphet ad gloriam, et fiat quod sequitur,

Ut *sicut in cœlo, ita et in terra.* Una Domini *voluntas* sit terra, cœlum, vita Deus, tempus æternitas, patria requies, census innocentia, honos immortalitas, [c] furia castitas, Deus totum.

Addidit : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Post paternitatem Dei, post divini nominis sanctitatem, post cœli regnum, quotidianum panem jubemur exposcere. Christus oblivioni non subjacet, Christus mandatis suis contraria non demandat. Ipse dicit : *Nolite solliciti esse quid manducetis, aut quid bibatis* (*Matth.* VI, 31). Sed quia est panis qui de cœlo descendit, qui legis et gratiæ molatus est in forma, qui crucis confectus est in farina, qui crucis confectus passione, qui magno pietatis fermentatus est sacramento, qui conspersionis levamentum sustulit de sepulcro, qui cum divinitatis suæ calore conqueretur, ipse clibanum decoxit inferni, qui ad cœlestem cibum [d] quotidianus Ecclesiæ defertur ad mensam, qui in remissione frangitur peccatorum, qui edentes se perpetuam pascit et enutrit ad vitam; hunc panem quotidie nobis dari petimus, donec illo in die perpetuo perfruamur.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Homo, penes te est potestas veniæ, in te est indulgentia ejus, tu tibi remissionis auctor es constitutus; gratis petis veniam, qui tibi in alio indulgere contemnis. Homo, tu tibi misericordiæ factus es ipse mensura; quantum quæris misericordiam fac tantum.

[a] Sic edidimus, ubi erat *vocat ergo*. Mox in priori ditione *qui cœlestis*.

[b] Hic vocem *accessit*, quæ omnino supervacanea st, delevimus ante voculam *sic*. Infra *intra nos est de* edidimus, ubi erat *fides*. Mox Acherius conjecit egendum *artibus*, ubi editum, *illudit arcis*.

[c] Quid hoc sit, *furia castitas*, non satis intelligo; nec huic loco satis consultum arbitror, si legatur *luxuria castitas*.

[d] In priori editione, *quotidianis*. Infra *ergo unum*, lego *ergo nunc*.

Et ne nos inducas in tentationem. Tentatio est, fratres, specie fallens, quæ prosperat in adversis, adversa occultat in prosperis, humanamque ignorantiam dolosos deducit in lapsus. Petimus ergo ne peccatis impellentibus in tentationum foveas incidamus. Inducere autem Dominus dicitur currentes ad crimina cum relinquit.

Sed libera nos a malo. Hic malum mali designat auctorem, hoc est diabolum. Petimus ergo unum, ut munere hoc a malis omnibus cum malo careamus auctore.

Pater noster qui es in cœlis. Nemo cum se filium clamat, manere se miretur in habitu servitutis. Ad divinum germen hodie designatus es, [a] non promptus spem, non rem, noveris consecutum. Audi apostolum : *Spe salvi estis : spes autem quæ videtur non est spes; quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 24). Hodie adoptionis est dies, hodie promissionis tempus est. Audi, crede, exspecta : crede creditori tuo, qui tibi credidit debitori; exspecta parumper ut veniat, qui te diu sustinuit ut venires ; da illi inducias, sed promissori qui tibi quidquid erat debiti jam donavit. Ut qui tu [b] fatigaris spe Dei? fide vivas. Agricola numquam sereret anhelus, si fructum laboris sui de tempore non speraret; viator laborem prolixi itineris non subiret, nisi se ad destinata crederet pervenire; nauta maris non intraret incerta, si lucris sequentibus compensaturum discrimina non pensaret; miles tota juventutis tempora non ageret in periculis, si senectutis honores copiosissimos non speraret; filius paternæ dominationis tempora non duraret, si se substantiæ paternæ non speraret hæredem. Et tu si jam filium Dei credis, juxta prophetam : *Exspecta, viriliter age, et confortetur cor tuum, sustine Dominum* (*Psal.* XVI, 20). Exspecta ut hæredem Dei exspectationis fide, et de virtute patientiæ consequaris. Audi apostolum : *Filii Dei sumus, sed nondum paret quid sumus. Cum apparuerit, similes ei erimus* (I *Joan.* III, 2). Et iterum : *Vita nostra absconsa est cum Christo : cum apparuerit Christus vita vestra, et vos apparebitis in gloria* (*Col.* III, 3). Fratres, beati sunt filii Dei, quia et hæreditatem omnium rerum possidebunt, et de excessu Patris luctus tempora non videbunt.

SERMO V.

De eadem.

Quod ego modo cum magno tremore dicturus sum, quod vos estis nunc terribiliter audituri, immo terribiliter vocaturi, stupent angeli, pavescunt supernæ virtutes, cœlum non capit, sol non videt, terra non sustinet, tota non assequitur creatura. Quid ad hæc mortale pectus? quid ad hæc mens hominis imbecilla? quid ad istud humani sensus angustiæ? quid ad hæc humanæ vocis aura? quid ad istud humana lingua cito tacitura? Hoc Paulus invisibiliter cum vidisset, prodidit non prodendo dicens : *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (I *Cor.* II, 9). Hoc Isaias cum suo vix cœpisset auditu, adhuc hominem pervenire [c] posse debet, ad auditum dicens : *Domine, quis credit auditui nostro* (*Isa.* LIII, 1)? Hoc Jeremias cum divino concepisset auditu, partus supernorum sensuum sustinebat clamans : *Ventrem meum doleo, et sensus cordis mei perturbati sunt* (*Jerem.* IV, 19). Hoc Habacuc divino Spiritus perorabat afflatu cum dicit : *Custodivit me, et expavit venter meus a voce obsecrationis labiorum meorum, et intravit tremor in ossa mea; et subtus me commota est virtus mea* (*Habac.* III, 16). Elevatus virtute Dei, sensit suam sub se succubuisse virtutem. Longum est super hoc sacramentum pavores prosequi et dinumerare sanctorum; tempus non sinit me dici in hoc timore dinumerari, cœlestis partus impetus non potest tardare nascentium. Dico ergo, et vos in utero adhuc penetrali voce compello, provida exhortatione præmoneo, ut antequam videatis matrem, vocetis istius Patrem; ante blandimenta matris, Patris tendatis et festinetis ad regnum ; ante Patris perveniatis ad panem, quam matris ad ubera pendeatis. Nec in vos quidquam sibi aut matris necessitas, aut ætatis tempora vindicent, sed in vobis [d] totum divino, Patris totum cœlestis respondeat et occurrat auctorem.

Pater noster qui es in cœlis. Hoc est, quod tremebam proferre, hoc est, quod neque cœlestium, neque terrestrium quemquam sinebat servitutis propriæ conditio suspicari, cœli et terræ, carnis et Dei repente tantum posse provenire commercium, ut Deus in hominem, homo in Deum, Dominus in servum, servus verteretur in filium, fieretque Divinitatis e humanitatis ineffabili modo una et sempiterna cognatio. Ac Divinitatis erga nos dignatio tanta est, u scire nequeat quid potissimum mirari debeat crea tura, utrum quod se Deus ad nostram deposuit ser vitutem, an quod nos ad suæ divinitatis rapuit digni tatem. Hinc est quod homo, quod et divinitus ad oratus tanto nunc suo amore flammatur, quod adhu in utero voce tua se adoptat in filium..... O vo beatos quibus dominari datum est antequam nasci ante regnare quam vivere, ante ad Dei Patris glo riam pervenire quam prosapiam propriæ vilitati agnoscere. Ecclesia felix mater, quæ vos tales re spicit, quæ cum virgo permanet, genuisse tantos vo et taliter se miratur.

Olim partus iste præcedentibus designabatur exem

[a] An *non assumptus?* mihi quidem ita videtur; et infra, ubi *sed promissori* legitur, nullo sensu legi oportere opinor *se promittenti.*

[b] Hoc etiam corruptum est, sed ita, ut sine codicis ope restitui non possit. Infra, *ut hæredem*, Acherius recte conjecit *ut hæreditatem.*

[c] Legendum est profecto *posse dubitat.* Infra ubi *dinumerari*, Acherius in margine habet : forte *immorari.* Sed malim *dinumerando immorari.*

[d] Loco huic, quem fœdum in modum corruptum esse facile quivis intelliget, sic medemur : *totum divin. Patri, totum cœlesti respondeat, et occurrat auctori* In sequentibus : *Hinc est quod*, etc. ; nonnihil est vitii, quod alii fortasse castigabunt.

plis. Hinc est quod Jacob et Esau gemini in utero A de primatus honore præliantur, retardant partus, nec ante lucem cupiunt videre quam vincere. Hinc est quod [a] Joannes exsultat, et ante suo occurrit auctori, genitricis ex utero quam procedat. Et humana pignora sic ante Deo militant quam noscantur parentibus, quam vivant sæculo. Quid mirum, si Ecclesia divina germina, si Deus sua sobole in utero adhuc, quod sit superni germinis jam fatetur : *Pater noster qui es in cœlis.* Stupor insurgit; Christus Dei Patris de pectore matrem vocat, et fatetur in terra; et homo de matris utero Patrem vocat, et confitetur in cœlis : *Pater noster qui es in cœlis.* Quo te, homo, repente provexit gratia, quo te rapuit cœlestis gratia, quo te rapuit cœlestis natura, ut in carne et in terra positus adhuc et carnem jam nescires et terram B dicendo : *Pater noster qui es in cœlis.* Qui ergo tanti Patris filium confitetur et credit, respondeat vita generi, moribus Patri, et mente atque actu asserat quod cœlestem consecutus est per naturam.

Sanctificetur nomen tuum. Cujus utique genus esse cœpimus, ejus utique censemur et nomine. Et ideo petimus ut in nobis illius nominis sanctificatio perseveret honor et prærogativa nominis, quod sublimavit sic tanti genitoris celsitudo.

Adveniat regnum tuum. Nos illi petimus cui numquam deest nec defuit regnum, immo qui est sibi ipse regnum, totamque in se regni continet potestatem. Sed quis nos vult ad promissam regni sui gloriam pervenire, monet nos expetere omnibus hoc votis, in hoc vult nos totis mentibus inhiare. Quantum namque est temerarius [b] qui discutit, de genere ignarus est qui non audet, æstuat, anhelat, cum promissum intendit et pertendit ad regnum.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. Tunc jam totum est cœlum, tunc autem Dei mens una omnibus; tunc in Christo omnes et in omnibus Christus, quando omnes solius Dei sapiunt et faciunt voluntates; tunc omnes unum, immo unus omnes, quando Dei spiritus in omnibus vivit unus.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Sicut in psalmo : *Benedictus Dominus die quotidie* (*Psal.* LXVII, 22), ita hic *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, quotidianum jugem dicimus. Jugis panis ille est, qui de cœlo descendit : *Ego sum panis qui de cœlo descendi.* Perfectæ ergo beatitudinis est ille panis. *Hodie*, hoc est in præsenti illius panis jam cibo vivere, cujus perpetuitate, quod est quotidie, saginabimur in futurum.

Et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. De supplicantis pectore veniæ fons manat, et ad veniam refluet quidquid pietatis [c] exuberat, et effundet in alterum, quando indulget sibi tantum, quantum alteri condonavit. *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Satis potest homo misericors, qui cum Deo de pietate confligit, cum tantum sibi dari quantum dederit, quantum donaverit, tantum desiderat et donari. Homo, semper in pectore tuo venia, si vis crimina non timere.

Et ne nos inducas in tentationem. Hæc interpretatione non indigent, quia tentatio diaboli prævia et amara ministra est. Quamdiu vero hoc fragili continetur in corpore, necessario precatur ut in nos nec tentationi pateat aditus, nec diabolo tribuatur accessus. *Sed libera nos a malo :* ipse autem Dominus noster Jesus Christus liberet nos a malo et perducat ad omne bonum, qui vivit et regnat Deus modo et semper per infinita sæcula sæculorum. Amen.

[d] SERMO VI.

De verbis Evangelii Matth. XVII : *Hoc genus in nullo ejicitur, nisi oratione et jejunio.*

Adversus dæmonum nequitiam quæ nobis Dominus arma ostendit, debemus utique retinere. *Hoc*, ait, *genus in nullo ejicitur, nisi in oratione et jejunio* (*Matth.* XVII, 20). Hæc cum plena fide exercentur, pietas est. Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ præsentis et futuræ (I *Tim.* IV, 8). Inspiciamus ergo utiliter orationis fructus et jejunii, quia ipsa sunt arma adversus improbas cogitationes. Jejunium purgat mentem, subleval sensum, carnem spiritui subjicit. Jejunium cor facit contribulatum et humiliatum, quod Deus non spernit. Jejunium concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum C ardores exstinguit, castitatis verum lumen accendit. Jejunium verbositatem non amat, divitiarum superfluitatem judicat, superbiam spernit, humilitatem commendat, præstat homini seipsum intelligere quod est, infirmum et fragilem, atque dum ita se intelligit imbecillem, aptius virtute Dei adjutorium quærit et accipit, quærit autem per frequentes orationes et obsecrationes. Oratio quidem refectio est jejuniorum, et advocat gratiam Spiritus sancti. Oratio duritiam cordis mollit, austeritatem temperat, jejunium dulcificat. Sicut enim sine potu non est plena refectio, sic et jejunium sine oratione non potest animam perfecte nutrire. Quid est autem oratio nisi ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium? Abeat dissensio sæcularium D morum quibus premitur mens humana quotidie. Oratio conjunctio est Spiritui sancto : si tamen in oratione intentus sit animus, sicut clamat propheta : *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea* (*Ps.* LXII, 2). Quid autem sitiendum sit, sequitur, *ut videat virtutem tuam* (*Ibid.*, 3). Credite mihi : si ad videndam plenam virtutem Dei plene sitiat anima humanæ substantiæ, nec fastidio victa dissimulet, replebitur adipe et pinguedine spirituali : et sitiens il-

[a] In priori editione, *Joanne exsultante*, male. Statim, ubi *Deus sua sobole*, lego *Deo destinata soboles.*

[b] Totum hunc locum sic restituo : *qui disputat de genere, ignis est qui non ardet, æstuat.* Infra, *tunc autem Dei*, lego *cœlum, cum Dei.*

[c] An *exhibebit?* si quis verbo *exuberandi* usum esse hunc auctorem contendat, non equidem reluctabor, sed velim saltem legat *exuberabit.* Infra : *prævia et amara;* malim : *prævia mali*, vel *malorum.*

[d] Exstat num. LXXIII in appendice operum D. Augustini, tom. V.

lam Dei visitationem sensu proprio cum fide clamabit : *Adhæsit anima mea post te, suscepit me dextera tua* (*Ibid.*, 9). Jejunium tollit inertiam, de animo impedimenta carnalia aufert. Oratio vero perseverans jungit Deo, atque ita gaudens assistere se Domino gloriatur. Adhærens autem anima Domino, incipit securitatem habere, et libertatem ; nec pavores sustinet, nec timores. Suscepto autem tanto patrocinio dexteræ Dei, quomodo poterit noceri ab aliqua potestate, sicut scriptum est, quod nemo illud rapit de manu Patris (*Joan.* x, 19)? Hoc præstat jejunium, hoc præstat oratio.

[a] SERMO VII.

De verbis Evangelii Joann. XIV : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.*

Domini vox est, fratres charissimi : *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV, 27). De pace dicturi, prius quæ pacis sint commoda videamus. Est pax serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis. Hæc est quæ simultates tollit, bella compescit, comprimit iras, superbos calcat, humiles amat, discordes A sedat, inimicos concordat, cunctis est placita. Non quærit alienum, nihil deputat suum; docet amare quæ odisse non novit. Nescit extolli, nescit inflari. Hanc ergo, qui accepit, teneat; qui perdidit, repetat; qui amisit, exquirat : quoniam qui in eadem non fuerit inventus, abdicatur a Patre, exhæredatur a Filio, nihilominus a Spiritu sancto alienus efficitur. Respuit enim munus oblatum, qui datæ legis contempserit bonum; nec poterit ad hæreditatem Domini pervenire, qui testamentum noluerit observare. Non potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. Contumaciæ ergo crimen est quod jubetur contemnere, quod præcipitur nolle, quod imperatur declinare. Quid tibi commune cum discordia, Christiane? quid simultates amas, B quod auctori pacis placere non potuit? quid exerces inimicitias, quas evadere non potuit nec ille, qui eas primus invenit? Initio namque inimicitias in protoplastum dum serpens exerit, interficitur; dum homini invidet, ipse prosternitur; dum Adam cupit decipere, ipse primitus jugulatur. Quare aut Christi charitatem amplectere, Christiane, aut discordiæ auctori de similitudine operum [b] parem te esse cognosce.

[a] Exstat num. XCVII in appendice Operum D. Augustini ad calcem tom. V, ubi etiam repetitur fusior ex ms. Regio, et ex Colbertino. Eumdem in lectoris commodum, ne huic novissimæ editioni aliquid deesse videatur, hoc loco apponere, bibliopolis placuit. *Domini est ista vox* : Pacem meam do vobis, pacem dimitto vobis (*Joan.* XIV, 27). *De pace dicturi, prius quæ sint pacis commoda, audiamus. Est enim pax serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis. Hæc est enim, quæ simultates tollit, bella compescit, comprimit iram, superbos calcat, humiles amat, discordias sedat, inimicos concordat, placita cunctis. Non quærit alienum,* C *nihil deputat suum. Docet amare, quæ odisse non novit. Nescit extolli, nescit inflari : humilis omnibus, mitis est omnibus. In ipsa requies, in ipsa tranquillitas. Pax quæ exercetur in Christiano, consummatur in Christo. Hanc qui amaverit, Dei hæres est; qui contempserit, Christo rebellis est. Dominus enim Christus ad Patrem remeans hæreditarium bonum, id est, pacem suam, suis cultoribus dereliquit, dicens :* Pacem meam do vobis, pacem dimitto vobis. *Hanc pacem qui acceperit, teneat; qui perdiderit, repetat; qui amiserit, exquirat. Quoniam qui in eadem pace inventus non fuerit, abdicatur a Patre, exhæredatur a Filio; et exutus et nudus, invenietur ab eodem Domino alienus. Respuet munus oblatum, qui datæ legis contempserit bonum : nec poterit ad hæreditatem Domini pervenire, qui testamento noluerit inservire. Pacem quam Christus dimisit, Christiane, amplectere; hæreditati Dei ut cultor adhære, voluntatem Domini in te transfusam ostende.* Beati, *inquit*, pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur (*Matth.* v, 9). *Scriptum est discordibus, scriptum est inimicis, filius esse nisi pacificus non potest; inimicos abdicavit, qui pacificos filios fecit. Aut enim datam pacem. Christiane, conserva, aut gloriam tibi salutis ablatam, si non amaveris pacem, cognosce. Non potest promissa Christi percipere, qui cum fratre noluerit concordari; non potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. Si de nobis a Christo vicaria passio peteretur, et Filii Dei sanguis, qui pro nobis effusus est, ad pensandum nostro sanguine quæreretur; quanta instantia vel officio fuerat festinandum, ut et jussa tantæ Majestatis expleres, et vicaria passione dependere gauderes, et pro morte vitam acquirere, et passione reciproca compensare? At nunc quomodo poteris pro Christo animam ponere, qui pacem ab eodem delegatam nolueris conservare? Contumaciæ crimen est, quod jubetur contemnere, quod præcipitur nolle, quod imperatur declinare. Pax enim Christi est bonum; discordia diaboli malum; auctori respondet, qui de utroque alterutrum eligit. Quid tibi cum discordia, Christiane, quæ principem suum diabolum interemit? Quid amas simultatem, quæ placere auctori non potuit? Quid exerces inimicitias, quas evadere non potuit nec ille qui eas primus invenit? Inimicitias in protoplasto dum serpens exercet, interficitur; dum homini invidet, ipse prosternitur; dum Adam decipit, jugulatur. At contra Christus tantum homini charitate adhæsit, tantum eum unica benignitate amavit, ut eum commendaret Patri, sociaret sibi, dum carnem propter ipsum descendens induit. Scriptum est :* Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum (*Sap.* II, 24). *Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Non cadat in Christianum quæ cadit in diabolum, quia Christianum condecet conservare quod eum constat a Domino didicisse. Qua de re autem Christi charitatem amplecti debemus, ut cum* D *illo in æterna beatitudine vivere possimus. Amen.*

[b] Mss. omnes addunt vocem *ipsius*, sed alii post verbum *operum*, alii post particulam *te*.

SANCTUS VALERIANUS,

CEMELIENSIS EPISCOPUS.

J. SIRMONDI [a] EPISTOLA

AD FRANCISCUM CARDINALEM BARBERINUM.

DE HAC S. VALERIANI EDITIONE.

EMINENTISSIME DOMINE!

Quod ne sæpius facere audeam pudor et reverentia prohibent, nunc ut Eminentiam Tuam litteris appellem, officii mei ratio, atque eadem, ni fallor, in ipsam observantia persuadet. Existimavi enim, cum Valeriani episcopi famam in discrimen iterum vocari audirem, non mearum tantum esse partium, susceptam alias ejus causam non deserere, sed Sancti quoque Officii ac Romani nominis interesse, ut pristinum de illo judicium suum sententiamque non evertat. Meminisse autem opinor E. T., nec enim ignorare potuit, tametsi ab Urbe tunc aberas, cum ante annos sex Homiliarum istarum censuram delator idem urgeret, sacrum tribunal, audita et probata Auctoris defensione, quam litteræ nostræ continebant, aliud nihil decernendum censuisse, quam ut notas in novam editionem compararem, in quibus de utroque accusationis capite satisfieret, hoc est, de Sancti *prænomine, quod imputabatur, et de Semipelagianismi suspicione, cujus insimulabatur. Præstitit utrumque Lugduni nuper edito ad Valeriani purgationem libello P. Theophilus Raynaudus, Societatis nostræ theologus, copiose adeo et accurate, ut præclare ad causam actum putem, quod operam hac in re meam, a qua exspectari tale nihil poterat, studio suo diligentiaque præverterit. Quod si nihil novi postea prolatum est, quod severiorem sententiam requirat, non indignum opinor singulari E. T. pietate fuerit, providere, ut immotum maneat Sancti Officii decretum, atque innoxio et utili alias Scriptori fama integra conservetur. In quo quidem eo minus, ne importunus videar intercessor, verendum confido, quod præter commune doctorum suffragium, qui Valerianum hactenus cum approbatione legunt, ipsum etiam E. T., cui placere nisi recta non solent, illius gustu aliquando et sapore delectatam intelligo. Parisiis* XVI *Augusti* M. DC. XXXII.

Ad duo capita quæ objiciuntur circa Homilias VALERIANI

I. Unum est de *Sancti* nomine quod negant huic auctori convenire. Constat autem id a me profectum non esse, quia multis ante annis, cum prima ejus homilia *de bono disciplinæ*, cæteris nondum repertis, in Germania ederetur, idem titulus præfixus est, juxta vetus exemplar, ut monuerunt, monasterii S. Galli, in quo inscriptio est hujusmodi : *Liber S. Valeriani Cemeliensis episcopi*. Unde cum animadverterem non temere ab aliis sic esse appellatum, nec certi quidquam haberem in contrarium, non existimavi debere me, aut posse sine nota hunc illi titulum adimere.

Utrum autem Valeriano tributum olim hoc nomen fuerit ob peculiaris opinionem sanctitatis, an propter dignitatem tantum episcopi, quemadmodum difficile foret statuere, cum Cimelæ civitatis post ejus eversionem vix ulla restent monimenta, ita vicissim ad hoc illi abrogandum, si jure competat, satis non esset suspicio quæ obtenditur doctrinæ Semipelagianæ, eo nimirum tempore quo Ecclesiæ auctoritate damnata nondum erat, cum videamus Cassianum et Hilarium Arelatensem, qui hanc præ cæteris profitebantur, sanctos nihilominus, alterum a S. Gregorio in epistola 12 libri VI, alterum in Martyrologio Romano appellari, et utrumque apud suos usitato sanctorum cultu honorari.

II. Alterum ad doctrinæ istius criminationem spectat, quam volunt in nonnullis harumce Homiliarum locis deprehendi. In quo quidem præterquam quod nullus videtur esse locus ejusmodi, quem defendere non liceat, melioremque in sensum interpretari, prout in hoc ipso genere Chrysostomum et alios Patres tum Græcos tum Latinos explicare mos est, et quod P. Theophilus in libello quem pro Valeriani defensione scripsit, ab omni eum labe liberum esse docet, hoc insuper observandum est, licet concederemus Valerianum cum aliis præsulibus Gallicanis qui eodem sæculo eademque in provincia vivebant, doctrinam eamdem amplexum fuisse, non potuisse illos tamen hæreticos hoc nomine censeri ante synodum Arausicanam II, quæ doctrinam illam damnavit, et a sede apostolica confirmata est annis post Valerianum amplius sexaginta.

De Valeriano rursus, ut de *Sancti* nomine ac titulo sit controversia, negari non potest

(a) Hæc epistola, et quod instar dissertatiunculæ subnexum est, ex autographo SIRMONDI desumpta sunt.

stetisse illum semper, dum vixit, in pace et communione Ecclesiæ catholicæ. Cujus rei fidem facit epistola 52 S. Leonis papæ ad ipsum et alios episcopos Galliæ scripta, et horumce altera ad S. Leonem. Concilium item Reiense, cui adfuit, et cum cæteris subscripsit. Tum etiam quod ejus quocumque honorifica fit mentio in epistola evocatoria (*a*) synodi Arelatensis III, in qua transactum est de concordia inter Faustum abbatem insulæ Lirinensis et vicinos tres episcopos, quorum unus fuit Valerianus.

Homiliæ præterea istæ ab annis XX, cum excusæ Parisiis primum fuere, recusæ postea in Germania fuerunt, et Lugduni non semel, lectæque ab omnibus sine offensione et cum fructu, ac piam revera et religiosam doctrinam continent, utilemque imprimis ad stabiliendam invocationem sanctorum, et cultum sacrarum reliquiarum. Adeo ut non defuerit vir magni nominis, qui diceret scriberetque, quando in Germaniam allatæ sunt, divina factum providentia videri, ut hoc potissimum tempore ad confutandos hæreticos repertæ sint. Neque hactenus apud nos auditum est quempiam præter Denuntiatorem exstitisse, qui earum lectionem non probaret.

(*a*) Tom. I Concil. Galliæ, p. 120.

NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA
IN S. VALERIANUM.

(Ex Bibl. Max. Vet. Patr. Gallandii t. X, et Bibl. hist. litt. Lat. Patr. Schœnemanni t. II.)

§ I. *Vita* (Galland.).

Apud Gennadium, Isidorum aliosque scriptorum ecclesiasticorum nomenclatores altum de VALERIANO silentium. Ex aliis itaque veterum monimentis repetenda, si qua sunt, quibus auctor noster utcumque noscatur. Et primum quidem de ipsius episcopali sede inquirendum : hinc enim simul compertum fiet, qua tempestate claruerit sanctus antistes. *Oppidum Vediantiorum Cemelion*, ait Plinius (*a*), illudque cum Ptolemæo Italiæ tribuit, quia uterque *Varo* flumine Italiam terminat, non *Alpe summa*, uti rectius Antonini Itinerarium, ubi Galliæ assignatur : ad quem locum Wesselingium adi sis (*b*). « Et vero, inquit Sirmondus (*c*), ad Galliam pertinuisse Cemelium, præter modo citatum Itinerarium, fidem sine controversia facit vetus Notitia civitatum Galliæ, quæ inter Alpium maritimarum civitates quæ sub Ebreduno metropoli censentur, sexto loco numerat civitatem Cemelenensium : et Usuardus in Martyrologio pridie idus Maias ; quo die sancti Pontii martyris natalem *in Galliis civitate Cymela* solemnem fuisse notat (*d*) : ejus nimirum quem auctor noster sæpius triplici homilia *de bono martyrii*, sed tacito semper nomine commemorat (*e*). » Quibus addenda ejusdem sancti Pontii Acta, Baluzii studio evulgata, ubi ad rem nostram hæc habentur (*f*) : *Fines Italiæ transiens* (Pontius) *urbem sub jugo Alpium procul sitam petiit nomine Cymelam.* Porro hæc urbs, ut scribit Sammarthanus (*g*), quæ olim celeberrima fuit, tot cladibus a Vandalis, Longobardis et Saracenis attrita est, ut A primævæ suæ magnitudinis ne umbram quidem servaverit : (*h*) cujus hodieque prisca tantum ruderum vestigia, nomenque haud procul Nicæa restat in colle quem Cemelam vocant.

Semel igitur Valeriani cathedra episcopali constituta, reliquum est ut quo tempore vixerit cum Sirmondo inquiramus. (*i*) « Mihi vero, inquit, ex cathedra ipsa Cemelensi deprehendere videor, illum sub annum Christi 450, hoc est, Leonis Magni temporibus floruisse. Post Leonem enim, Leonis ipsius decreto, ut Hilari papæ verbis epistola 4 docemur, Cemeliensis civitatis et Nicæensis castelli episcopi diversi non fuerunt : sed iidem Cemelienses simul, quamdiu Cemela stetit, et Nicæenses. Quod videre est in synodo V Aurelianensi, cui Aëtius presbyter directus a Magno episcopo Ecclesiæ Cemelensis et B Nicæensis, subscripsisse legitur in antiquis exemplaribus quæ integras ejus concilii subscriptiones habent : nam mutilæ sunt in excusis. Quare Valerianum qui Cemelensis tantum episcopus nuncupetur, ante Leonis decretum sedem illam rexisse oportuit. Atque ut quod sentio dicam, omnino Valerianum hunc illum esse conjicio, ad quem et alios vicinarum Galliæ provinciarum episcopos, scripta exstat Leonis ejusdem epistola de Vasensis episcopi ordinatione (*j*), quam æternæ memoriæ cardinalis Baronius ex Arelatensi codice divulgavit (*k*). Confirmorque in sententia, quod in illo episcoporum numero Ingenuum video, Ebredunensem, id est Valeriani Cemelensis metropolitanum antistitem. Sed et aliæ duæ sunt epistolæ. Leonis una

(*a*) *Plin.* Hist. nat. lib. III, cap. 5.
(*b*) *Wessel.* Vett. Rom. Itiner. pag. 296.
(*c*) *Sirmond.* præfat. ad Valerian. homil.
(*d*) *Usuard.* Martyrol. sinc. pag. 81, edit. Paris. 1718.
(*e*) *Valerian.* homm. 15-18.
(*f*) Act. Pont. cap. 15 apud *Baluz.* Miscell. tom. II, pag. 154.

C (*g*) *Sammarth.* Gall. Christ. nov. tom. III, pag. 1268.
(*h*) *Sirmond.* l. c.
(*i*) *Id.* ibid.
(*j*) *Leon.* epist. 66 opp. tom. I, pag. 998, noviss. edit. Ballerin.
(*k*) *Baron.* ad ann. 450, § 57.

ad XLIV episcopos Galliæ, altera episcoporum eorumdem ad Leonem (*a*), in quibus Ingenuus et Valerianus pariter conjunguntur. » Hactenus Sirmondus : cui accedunt Tillemontius (*b*) atque Historiæ litterariæ Gallicæ auctores (*c*).

De Valeriani gestis hæc Sammarthanus (*d*) : « Anno 439 adfuit Reiensi concilio, in quo de negotio Armentarii actum est. Accepta sancti Leonis epistola ad Flavianum (anno 451) cum aliis plurimis ad ipsum scripsit, illam summis laudibus extollens, eique se in omnibus assentiri professus est (*e*). Fuit etiam unus ex iis quibus respondit sanctus pontifex (anno 452) gratulatus ipsorum orthodoxam fidem, et Eutychen ac Dioscorum in concilio Chalcedonensi damnatos significans (*f*). Orta gravi controversia Theodorum Forojuliensem episcopum inter et Faustum abbatem Lerinæ quæ tunc ab ea diœcesi pendebat,..... cum Valerianus noster et Maximus Reiensis, episcopi, partes in eo jurgio, et quidem Lerinensium, amplexi fuissent ; Ravennius Arelatensis episcopus, tanto malo remedium allaturus, in sua urbe concilium coegit ad 30 Decembris (*g*). Adfuere cum eo et Rustico Narbonensi undecim antistites : convenerunt quoque cum Lerinensibus monachis Maximus et Valerianus : non nominantur tamen inter judices, forte quia ut partes aderant. Lis tamen amice composita fuit. Quo præcise anno habitum fuerit concilium istud, incompertum : certe inter annos 449, quo ad episcopatum evectus est Ravennius, et 451, quo ad immortalem vitam migravit. Annum assignat 455 Sirmondus, antea Tillemontius (*h*). Rivierius Carthusianus notat mentionem fieri anno 451 Valeriani Nicæensis episcopi. » Hactenus Sammarthanus. Benedictini autem ob hanc Lirinensem causam una cum Maximo Reiensi a Valeriano susceptam, non dubitant quin idem ille fuerit cum Valerio Lirinensi monacho, qui pro episcopo apud Nicæam cultus fuit ad diem 24 Julii (*i*). Quando obierit, incertum est.

§ II. *Scripta.* (Schœn.)

Tribuuntur Valeriano huic *Sermones* XX et *Epistola ad Monachos, de virtutibus et ordine doctrinæ Apostolicæ.* Sermones inscribuntur : I, *De bono disciplinæ;* II, III, *De arcta et angusta via ;* IV, *De promissis et non redditis ;* V, *De oris insolentia ;* VI, *De otiosis verbis ;* VII, VIII, IX, *De misericordia ;* X, *De parasitis;* XI, *Qui gloriatur, in Domino glorietur ;* XII, XIII, *De bono pacis conservandæ ;* XIV, *De bono humilitatis ;* XV, XVI, XVII, *De bono Martyrii ;* XVIII, *De Machabæis ;* XIX, *De Quadragesima ;* XX, *De avaritia.*

§ III. *Editiones.* (Schœn.)

Valeriani nomen reparavit *Melchior Goldastus ab Haiminsfeld*, asserto ei ex mss. exemplarium fide *Sermone de bono disciplinæ*, qui antea incerto nomine inter Augustini Opera ferebatur, ab eo vero cum notis et emendationibus peculiari volumine editus est an. 1601. Huic decem annos post alias *undeviginti homilias* cum *epistola* in codice quodam Corbeiensi non admodum castigate scripto a se repertas adjecit *Jacobus Sirmondus*, non quod nomen Valeriani i. mss. præferrent, sed ob styli similitudinem et facundiam in utrisque parem. Ac huic quidem judicio quamvis lubrico continuo ab omnibus assensum est, indeque tam in Bibliothecis Patrum, quam cum Leonis M. Operibus aliquoties, itemque cum accessione aliqua in Operum Sirmondianorum collectione et postremo a *Gallandio* hæc *Valeriani Opera* recusa sunt. Vixdum autem lucem aspexerant Valeriani Homiliæ, cum orthodoxia earum in dubium vocari cœpit et Romæ apud sacrum tribunal delatæ fuerunt tamquam hæresi Pelagianæ affines. Simul Sirmondo quoque de *Sancti* prænomine, quod Valeriano indidisset, lis intendebatur. At ille ad utramque accusationem brevi scripto ad Sacrum Officium transmisso respondit. Quo lecto ac probato nihil aliud decernendum censuerunt, quam ut notas in novam editionem compararet, in quibus de utroque accusationis capite satisfieret. Suscepit autem seu rogatu Sirmondi, sive sponte sua uberiorem hanc defensionem *Theophilus Raynaudus* ejusdem Societatis theologus. Certe Sirmondus cum iterum Valeriani famam in discrimen vocari audiret, in litteris hac de causa ad Franciscum cardinalem Barberinum scriptis ad Raynaudum provocat, eumque adeo copiose et accurate utrumque præstitisse ait, ut præclare ad causam actum putet, quod operam hac in re suam, a qua exspectari tale nihil potuerit, studio suo diligentiaque prævertisset, et si nihil novi postea prolatum fuerit, quod severiorem sententiam requireret, postulat ut immotum maneat Sacri Officii decretum. Num vero Raynaudianum illud scriptum seorsim primum, an cum ipsius Valeriani quadam editione Lugduni proditum fuerit, non satis mihi liquere fateor (*j*). Attamen insertum est editioni Lugdunensi a. 1633 et sequentibus usque ad a. 1671, nec non in

(*a*) *Leon.* epistt. 99 et 102, pag. 1107 et 1136 edit. citat.

(*b*) *Tillem.* Mem. eccl. tom. XV, pag. 125.

(*c*) *Hist. littér. de la France*, tom. II, pag. 329.

(*d*) *Sammarth.* l. c. pag. 1270 seq.

(*e*) Inter *Leon.* epistt. num. 99, pag. 1107 edit. citat.

(*f*) *Leon.* epist. 102, pag. 1136 edit. cit.

(*g*) Conc. tom. V, pag. 23 edit. Ven-Labb.

(*h*) *Tillem.* Mem. eccl. tom. XV, pag. 125.

(*i*) *Histoire litt. de la France*, T. II, p. 329. De Valerio isto adeundus *Vicentius Barralis* in Chronologia Lirinensi part. I, p. 205, ubi ex monacho Lirinensi ad episcopatum Niciensem in provincia assumptus dicitur. Sed de epistola ejus, quam appellant *Historiæ litterariæ Galliæ* auctores, alium cum apud Barralim, tum alios, silentium.

(*j*) Ejusmodi editio, nisi prius locum habet, facta esse debet intra annos 1626 et 1632. Nam Epistola Sirmondi ad card. Barberinum data est *Parisiis* 16 *Augusti M. DC. XXXII.* In ea vero scribit, delatum esse Valerianum apud judices Romanos *ante annos sex.* Certe in editione a. 1623 non inest, et ipse Sirmondus in subjectis laudatæ epistolæ defensionis suæ gratia brevibus capitulis *non semel Lugduni ab annis* XX (i. e. ab a. 1612, quo primum excusæ fuere Parisiis istæ Homiliæ, ad a. 1632) *Valerianum esse typis descriptum* affirmat.

Veneta a. 1742, a bibliopola est additum. Sed jam de *singulis* videamus *Valeriani editionibus*.

SÆCULO XVII.

1601. (*Genevæ*) *Excudebat Petrus de la Rouiere; in*-8°. S. Valeriani Cimelensis episcopi de bono disciplinæ Sermo. S. Isidori Hispalensis episcopi de prælatis Fragmentum. *Melchior Hamenuetto Goldastus* dedit cum collectaneis, in queis multa pariter multorum auctorum, Patrum quam maxime, loca vel ante edita explicantur, vel noviter eduntur.

In duobus præfationibus ad lectorem, tum ea quæ textum antecedit, tum collectaneis præmissa Goldastus de momento horum librorum, disciplina nempe ecclesiastica disserit, partim veteris disciplinæ rationem declarans, partim servandæ aut amissæ recuperandæ præcepta tradens. Idem argumentum est epistolæ collectaneis pariter præfixæ ad Theodorum Bezam (datæ *in ædibus Lectii a. d.* IV *id. Quinctil. a.* ∞. IↃ. C. *stylo Juliano*). In principio vero Collectaneorum ea exponit, quæ ipsum impulerint, ut Valeriani nomen huic sermoni præfigeret. Scilicet jam Erasmus intellexit, Augustinum auctorem ejus non esse. Sed Goldastus demum hanc sententiam explanavit et argumentis roboravit. Probat quippe orationem utriusque auctoris longissime inter se discrepare. Nec vero ingenio doctrinæve Augustini aptum esse contendit, nec verisimile arbitratur, eum de una re unoque argumento variis et diversis libris (exstat enim opus ejusdem uberius *de Disciplina Christiana*) tracturum fuisse. Denique nec veteres agnovisse hunc partum, nec expositum sustulisse clarere ac manifestari ait vel ex uno Possidonii vel Possidii indiculo, in quo nulla de eo mentio, et quod nusquam in Sententiis a Prospero collectis, aut in Excerptis Eugyppii, aut P. Lombardi Sententiis, nusquam denique in Confessione Augustiniana Hieronymi Tortensis acerrimi operum Augustini et conspicui propugnatoris laudetur. Quibus expositis sic ille pergit : *Itaque mea virtute nunc et comitate satis factum arbitror, ut auctorem ad Augustinum sermonem istum attinere numquam porro sis dicturus, de cujus vero patre et legitimo facile queas ad conjecturam evadere, si quinctum admittas γνώρισμα, quo veluti gnomone quodam libros veros et nativos a suppositiis decernamus. Hoc enim nec utile, nec tutum minus, ut ego quidem rationem capio, quam mihi ita dixere viri complures doctissimi*, si codicum scriptorum fides bona, eorumque auctoritas digna. *Nactus sum hujus sermonis vetustissimum et antiquissimum exemplar in scrinio nobilissimi viri, Bartholomæi Schobingeri IC. festive parato cum a scriptis, tum a cæsis libris. Ejus hæc est inscriptio.* INCIP. LIB. S. VALERIANI CIMELENSIS EP. DE BONO DISCIPLINÆ. *Simul ac primum legi titulum nomenque libelli, adeo ad Bibliothecas Conradi Gesneri, Josuæ Simleri, Jacobi Frisii. Dicas Neptuni pecudes, ita mutent. In archivio monasterii S. Galli, e cujus peculio hic olim codex, vetustissimi sunt librorum Indices, qui de hoc scriptore meminere. Catalogus S. Othmari primi sub Pipino Karoli M. patre abbatis :* S. Valerii Cymelensis episcopi, *etc. In concilio Constantiensi optimam et præclarissimam librorum scriptorum partem Poggius Florentinus Romam et Florentiam, Æneas Silvius, qui pontifex post illa destinatus, Basiliam vi fraudibus distraxerant. Eo facinore commoniti et commoti fratres, reliquos a direptione codices signo monasterii obsignarunt, et Catalogo recensuerunt. In eo legitur :* S. Valerii liber de Bono Disciplinæ, *etc. Eamdem simul epigraphem cernas in cortice ipsius libri. Error, aut fallor, aut natus ex affinitate nominum. Fuit Valerius episcopus Hipponensis, Augustini prædecessor, cujus hodieque exstat liber* de Vita Monachorum, *Volaterrano teste. Fuerunt et alii eodem nomine, quos nihil attinet recensere.* Significat deinceps, de Valeriani hujus ætate deque Cimeliensi episcopatu ejusve situ haud quidquam se habere explorati. Usus est in contendendo hoc sermone Goldastus editione posteriori Basileensi Operum Augustini. Sed principio statim auctoritate manuscripti codicis sustulit distinctiones capitum, veluti inconcinnas et sensum scriptoris sæpiuscule perturbantes. Quod quidem jam Erasmus viderat, et rejectis eorum indicibus, notas numerorum satis habuit margini adjecisse. Sed Lugdunensis sive Genevensis potius editio postea recepit. Emendasse deinde se fatetur plurima in ipsa orationis serie atque contextu, quæ vel certissima ipsi viderentur, vel leviora magisque frivola, quam ut notarentur. Attamen plerarumque rationem exposuit. Notæ ejus sunt lectissimæ et rara eruditione refertæ.

1604. *Insulæ ad Lacum Acronium, ex off. Joannis Ludovici Brem; in*-4°. S. Valeriani Cimeliensis episcopi de bono disciplinæ Sermo; inter *Paræneticos Veteres* cum notis *Melchioris Haiminsfeldii Goldasti*, ex bibliotheca et sumptibus Bartholomæi Schobingeri I. C. *pagg.* 7-39.

1612. *Lutetiæ Parisiorum, ex officina Nivelliana; in*-8°. Sancti Valeriani episcopi Cemeliensis Homiliæ XX. Item Epistola ad Monachos, de virtutibus et ordine doctrinæ Apostolicæ. Omnia primum, præter unicam homiliam, post annos plus minus mille ducentos in lucem edita a *Jacobo Sirmondo* Societatis Jesu presbytero anno MDCXII. « Valeriani episcopi præter homiliam de bono disciplinæ, inquit Sirmondus, quæ incerto antea nomine jactabatur, paucisque abhinc annis auctori suo restituta est, nihil hactenus in lucem prolatum accepimus. Quas nunc damus reliquas undeviginti, celeberrimo antiquæ Corbeiæ monasterio debemus. Cujus unicum quo usi sumus, pervetustæ, sed parum castigatæ manus exemplar, etsi homiliam de bono disciplinæ non habebat, et civitatis nomen, in qua Valerianus episcopus sedit, non indicabat : facilis tamen ex styli argumentique similitudine conjectura fuit, has illius germanas sorores esse, omnesque ab uno et eodem Valeriano editas, episcopo Cemelenensi. Neque hac in re quisquam, ni fallor, repugnabit . . . Stylus quippe, optimus judicandi magister, characterque dictionis Valerianæ; gravis, inquam, ac splendida, et dignitatis succiqua plena facundia, quæ in his Homiliis elucet, satis hanc

ejus quam dixi, ætatem prodit; illam scilicet, qua Eucherius Lugdunensis, Hilarius Arelatensis episcopi, Vincentius Lirinensis, Prosper et Salvianus presbyteri, Galliam nostram non dissimili eloquentiæ laude et gloria decorabant. Vellem modo emendatiores nobis, et quales disertissimus episcopus pronuntiarat, edere licuisset. Sed in tanta depravati codices labe optandum id mage fuit, quam sperandum. Fortasse autem quod prima hæc editio non potuit, altera præstabit. » Cæterum de Cemeliensi episcopatu accuratissime, deque Valeriani persona, quantum licuit, disseruit. Inscripsit Henrico Ludovico Castaneo Rupisæo Pictavorum episcopo.

1618. *Coloniæ Agr., apud Anton. Hierat; in-fol.* Valeriani Cemeliensis episcopi Homiliæ XX, ex editione *Jac. Sirmondi;* Ejusdem Epistola ad Monachos; in *M. Bibl. PP.* tom. V, part. III.

1623. *Lugduni, sumptibus Claudii Landry; in-fol.* Sancti Valeriani episcopi Cemeliensis (ad Nicæam Galliæ) Homiliæ XX, cum Epistola ad Monachos, de virtutibus et ordine doctrinæ Apostolicæ; cum *Leone M., Maximo Taurinensi, Petro Chrysologo, Fulgentio* et *Asterio episcopo Amaseæ.* Præmittitur præfatio Sirmondi, sed absque nomine ejus. Perperam autem Fabricius tradit hanc editionem ipsum Sirmondum curasse.

1633. *Lugduni . . . . . in-fol.* Valeriani . . . . . Homiliæ XX, cum Epistola ad Monachos, etc. *Theophilus Raynaudus* Valerianum accurata defensione texit adversus *Parcum Charitatis* criminatorem; in *Heptade Præsulum Christiana Sapientia et Facundia Clarissimorum.* Cf. *Leonis M. Opera.*

1661. *Parisiis, apud Simeonem Piget; in-fol.* Valeriani. . . . Homiliæ XX, etc., cum Raynaudi defensione; in eadem Collectione.

1671. *Parisiis, sumpt. Petri Variguet; in-fol.* Eædem; inter eosdem Scriptores.

1677. *Lugduni, apud Anissonios; in-fol.* S. Valeriani. . . . Homiliæ XX, ex ed. Jac. Sirmondi; Ejusdem Epistola ad Monachos; in *Bibl. Max. PP.* tomo VIII, pagg. 498-523.

1685. *Parisiis, apud Franc. Muguet; in-fol.* S. Valeriani. . . . Sermo de bono disciplinæ; in *App. tomi VI Opp. S. Augustini* ed. *Benedd.* in exemplari *Antuerp.* col. 775-777.

1696. *Parisiis, ex Typographia Regia; in-fol.* S. Valeriani. . . . Homiliæ XX, etc.; inter *Opera Jac. Sirmondi* tomo I, pagg. 604-702. Addita sunt ex schedis defuncti: *Epistola* ejus *ad card. Barberinum* cum notationibus quibusdam ad duo illa objectionum capita; item *Testimonia* quædam *Patrum* ad calcem exemplaris sui ab eodem descripta, *quibus palam fieri vellet, Valerianum in homilia* 11, *ubi cum Semipelagianis sentire visus est quibusdam, haud aliter tamen locutum esse, quam sanctos illos Patres haud dubie catholicos.*

SÆCULO XVIII.

1742. *Venetiis, apud Augustinum Savioli; in-fol.* Sancti Valeriani Cemeliensis episcopi scriptoris dignissimi Homiliæ quotquot exstant. Accedit *Epistola ad Monachos* et defensio *Theophili Raynaudi;* cum *Operibus Petri Chrysologi* juxta editionem *Dominici Mitæ* ab hoc bibliopola recusis, pagg. 213-291. Abest tamen Raynaudi nomen, non fraude aliqua sed ignorantia forte bibliopolæ. Quippe nonnisi in titulo generali editionum Lugdunensium et Parisiensium a Raynaudo esse scriptum fuit, quem advertere ille, sive is cui describendi operam mandarat, non operæ suæ esse duxit. Fefellit tamen hoc Oelrichsium, ut editori Veneto a. 1742 illam tribueret.

1774. *Venetiis, ex typogr. Jo. Bapt. Albritii; in-fol.* Sancti Valeriani episcopi Cemeliensis Homiliæ XX. Item Epistola ad Monachos de virtutibus et ordine doctrinæ Apostolicæ. Ex præclara editione Sirmondiana recensita et aliquot in locis emendata: in *Bibl. PP. et SS. Eccl. Vet. Andreæ Gallandii* tomo X, pagg. 123-158. Expressa est editio a. 1696. Accessere igitur Epistola *Sirmondi ad Barberinum card.* et alia, et inspersæ sunt Baunæi (de la Baune) emendationes cum nonnullis *Casp. Barthii* ex Adversariis et *Cotelerii* ex Monumentis Eccl. Gr. et Constitutionibus Apostolicis, nec non aliquot Gallandii conjecturis. In *Prolegomenis caput* III Valeriano dicatum est.

TESTIMONIA DE S. VALERIANO.

In exemplari VALERIANI editi a SIRMONDO, reperimus ad calcem descripta postea ipsius Sirmondi manu hæc Patrum testimonia, quibus palam fieri vellet Valerianum in homilia 11, ubi cum Semipelagianis sentire visus est quibusdam, haud aliter tamen locutum esse quam sanctos illos Patres haud dubie catholicos.

METHODIUS *Patarensis apud* Damascenus *in Parallelis.*

Πάντης ἀγαθῆς πράξεως ἡ καταρχὴ ἐν τῇ ἡμετέρᾳ βουλῇ κέκτηται· τὸ δὲ συμπέρασμα ἐν τῷ Θεῷ.

Omnis bonæ actionis initium in nostra voluntate positum est: complementum vero in Deo.

CHRYSOSTOMUS *hom.* 12 *in Epistolam ad Hebræos.*

Δεῖ γὰρ ἡμᾶς πρῶτον ἑλέσθαι τὰ ἀγαθά, καὶ ὅτε ἑλώμεθα ἡμεῖς, τότε καὶ αὐτὸς τὰ παρ' ἑαυτοῦ εἰσάγει. Οὐ προφθάνει τὰς ἡμετέρας βουλήσεις, ἵνα μὴ λυμήνηται τὸ αὐτεξούσιον ἡμῶν.

Oportet enim nos primum bona eligere, et postquam elegerimus, tunc affert quæ sua sunt. Non prævenit nostras voluntates, ne perdat nostrum liberum arbitrium.

IDEM *in hom.* 2 *in Epist. ad Corinth.*

Ἀπὸ τούτου τοίνυν μανθάνομεν, ὅτι κἂν ἐλεεῖσθαι μέλλωμεν, ἀξίους πρότερον παρέχειν ἡμᾶς ἑαυτοὺς χρή· κἂν

γὰρ ἕλκος ᾖ, τοὺς ἀξίους ἐπιζητεῖ· οὐ γὰρ ἁπλῶς ἔπεισιν ἅπασι καὶ τοῖς ἀναισθήτως διακειμένοις.

Ex quo nimirum intelligimus, quamvis Deus misericordiam erga nos adhibiturus sit, nobis tamen istud prius faciendum esse, ut misericordia dignos nos ipsos præstemus : quamvis enim misericordia sit, dignos requirit : non etenim temere quibusvis obtingit, etiam stupore laborantibus, etc.

HILARIUS *in psalm.* CXVIII, *in Nun.*

Voluntas nostra proprium ex se habere debet ut velit. Deus incipienti incrementum dabit, quia consummationem per se infirmitas nostra non obtinet, meritum tamen adipiscendæ consummationis est ex initio voluntatis.

OPTATUS *lib.* II.

Est enim Christiani hominis quod bonum est velle; et in eo quod bene voluerit currere : sed homini non est datum perficere : ut post spatia quæ debet homo implere, restet aliquid Deo ubi deficienti succurrat : quia ipse solus est perfectio : et perfectus solus Dei filius Christus. Cæteri omnes semiperfecti sumus : quia nostrum est velle, nostrum est currere : Dei perficere. Unde et beatus apostolus Paulus ait : Ne-

A que volentis, neque currentis, sed ad Dei gratiam pertinentis.

HIERONYMUS *lib.* III *contra* Pelagianos *pene initio.*

Scito baptismum præterita donare peccata, non futuram servare justitiam, quæ labore et industria ac diligentia, et semper super omnia Dei clementia custoditur : ut nostrum sit rogare, illius tribuere quod rogatur; nostrum incipere, illius perficere; nostrum offerre quod possumus, illius implere quod non possumus.

AUGUSTINUS *Enchirid. cap.* 32.

Totum Deo dandum est qui hominis voluntatem bonam et præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia : quæ autem non procedit ipsa,
B in eis est et ipsa.

Ex veteri codice Floriacensi in quo varia antiquorum Patrum opuscula vel fragmenta.

Valerianus quoque Cemeliensis episcopus in libro de Bono Disciplinæ : *Bene*, inquit, *in omnibus causis timor obtemperat disciplinæ : qui pro hoc ipso quod imminentes periculorum casus aut iras judicum cavere novit, potestatem conservandæ salutis* obtinuit, et quæ sequuntur in homilia 1, n. 2.

S. VALERIANI

EPISCOPI CEMELIENSIS

HOMILIÆ XX.

1 HOMILIA I.

De bono disciplinæ.

1. Multi qui sanæ doctrinæ adversantur, justitiam culpant, et disciplinam imperium esse judicant, ac rationabilem castigationem superbiæ assignant : cum non sit imperium, nisi ubi aliquid jubetur injustum ; nec sit superbia, nisi ubi negligitur disciplina. Disciplina igitur magistra est religionis, magistra veræ pietatis, quæ nec ideo increpat ut lædat, nec ideo castigat ut noceat. Denique mores hominum irata corrigit, inflammata custodit, ita Salomone dicente : *Fili, ne deficias a disciplina Domini, neque fatigeris cum ab eo increparis. Quem enim diligit Dominus, increpat; flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Prov.* III, 11). Nihil profecto est, quod non disciplina aut emendet, aut salvum faciat. Quam si quis sapiens apprehenderit, nec gratiam amicitiarum perdit, nec periculum damnationis incurrit. Nemo disciplinam irrationabilem putet, sub qua videt, universis quæ in cœlo et sub cœlo sunt verbo operante compositis, omnipotentis Dei stare consilium. In principio enim operis sui Deus nihil prius quam disciplinam fecit. Nam cum assistente Sapientia cœlum suspenderet, terram pararet, maria concluderet, et suis locis suis-

C que temporibus cursum solis lunæque globum disponeret, omnia sub disciplina constituit. Quid autem non esset tenebrosum, quid non incompositum, quid non haberetur absurdum, nisi constitutis legibus cuncta starent elementa? Numquid sine disciplina agitur solis cursus? qui quamvis diurni itineris necessitatem infatigatus impleverit, ad officium tamen suum matutinus occurrit, et se in parte cœli quotidie terrarum spatia lustraturus ostendit. Tanta est disciplinæ ratio, ut intra temporum metas lege conscriptas ita indefessi itineris alternis vicibus siderum cursus agitetur, ut nec luna defectionis suæ, [a] ac damna effugiat, nec solem diurni luminis flamma destituat. Numquid sine disciplina est, quod tanti maris fluctus humili terrarum littore continentur, et in
D suo sinu frequenter incitata ventis altior aggere unda concluditur? Omnia profecto insipiens natura confunderet, nisi mundum disciplinæ ratio gubernaret.

2. Hæc ideo proposuimus dicere, ut disceretis obedire evangelicis præceptis et cœlestibus obtemperare mandatis. Quid autem rationalem animam et ad Dei imaginem factam expediat, facile potest homo intelligere, cum videt sacratis per voluntatem Dei constitutionibus disciplinæ etiam elementa servire. Audite

[a] Illud *ac* importunum videtur.

prophetam dicentem : *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa* (*Ps.* II, 11, 12). Bene in omnibus causis timor obtemperat disciplinæ : qui ne hoc ipso quod imminentes periculorum casus auctoras judicum cavere novit, potestatem conservandæ salutis obtinuit. Quid igitur adultero castum? quid furi esset tutum? quid latroni non pervium? quis non expavesceret concava littorum, secreta silvarum? quid non præsumptio possideret, nisi furorem animorum sub metu pœnæ disciplina compesceret? Ac nisi constitutus esset ordo vivendi, numquam profecto finem poneret natura peccandi. Nihil est quod non gula suadeat, si gulæ disciplina consentiat. Nihil est quod non perdat luxuria, si amore vitiorum a te disciplina discedat. Nihil est quod non habendi ac possidendi cupiditate animus occupet, nisi avaritiæ vitium disciplina condemnet. Omnia sub metu disciplinæ vitia jacent. Jam non est in quo fides umquam erubescat, si homo futurum Dei judicium respiciat et causam reddendæ rationis intendat; nec est in quo vindex scelerum flamma desæviat, si intuitu disciplinæ aut quæ sunt honesta cogites, aut quæ sunt pudenda castiges. Multi ibi nomen crudelitatis imponunt, ubi pro amore disciplinæ crimen admissi sceleris supplicio vindicatur latronis, cum sententia judicantis justis legibus serviat; et non solum præsentibus, sed etiam futuris manum porrigat.

3. Quis igitur non licito crederet se debere peccare, si impudicis et impiis actibus judex non præscriberet disciplinam? Videamus quid lex loquatur : *Non occides, non adulterabis, non furaberis, non falsum testimonium dices* (*Exod.* XX, 13, 16). [a] Hæc sunt disciplinæ legis, quibus etiam districtio sententiæ sæcularis obsequitur; impugnando turpia, resecando criminosa. Nam adjicit Scriptura : *Judex non est vindex positus boni* **2** *operis, sed mali* (*Rom.* XIII, 3). Ita ut etiam vicarium pœnæ genus exigat, cum dicit : *Oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Lev.* XXIV, 20). Sed istam antiquæ sententiæ severitatem facile vitare possumus, si flammas futuri judicii cogitemus. Absolute autem docet Paulus apostolus posse contemni sæcularis arma judicii, qui dicit : *Si vis non timere potestatem, quod bonum est fac* (*Rom.* XIII, 3). Sed hæc non otiose tractanda sunt. Nam cum de his terrenis potestatibus Apostoli doctrina commemorat, sensibus nostris cœlestis judicii partes insinuat. Nam cum docet serviendum sæculi legibus, admonet necessario hominem futuris cavere temporibus. *Si vis*, inquit, *non timere potestatem, quod bonum est fac.* Hoc est dicere. Vis non futurum timere judicium, *declina a malo, et fac bonum* (*Ps.* XXXVI, 27). Ergo hanc primam constitutionis formam quæ sæculi legibus caret, cavere debemus et vincere, ut possimus a nobis illud præjudicium futuræ mortis excludere : quia quos ista temporalis non affligit pœna, hos illa in æternum insatiabili tormentorum persequitur dolore. Nemo autem illum homicidii crimen evasisse æstimet, quem excusatum sæcularis judicii corrupti sententia absolverit. Nec ille adulterii facinus prætermissum putet, qui indulgentiæ lege deprehensus evasit. Nemo cum sanam dexteram videt falsitatis reo debita jure supplicia judicet fuisse concessa. Defunctis corporibus salva sunt crimina, nisi fuerint prius apud Deum lacrymarum intercessione purgata; exspectat enim reum suum gehenna debitis armata suppliciis. Ad confusionem magis præsentis vitæ, non ad absolutionem criminis, pertinet auctoritas sententiæ sæcularis. Illa ergo nobis sunt ante omnia cogitanda supplicia, ubi homo vivit durante pœna, ubi nec tormenta corpori, nec desunt membra tortori. Quæ tamen facile vitare possumus, si habenas disciplinæ teneamus, ita dicente Apostolo : *Si vis non timere potestatem, bonum fac, et habebis laudem ex ea* (*Rom.* XIII, 3).

4. Quis sapiens non ad hæc disciplinæ bona animum lætus apponat, ubi potest homo non solum criminis pœnam vitare, sed et gratiam laudationis acquirere? Audite prophetam dicentem : *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa* (*Ps.* II, 12). In hoc loco ad illos, puto, pertinet ista sententia, ad quos nondum disciplina pervenit; qui adhuc in deviis morantur, capti antiquo superstitionis errore. Probantur enim sub lege numquam vixisse, qui admonentur ut apprehendant studium disciplinæ. Sequitur in hoc psalmo : *Ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa.* Igitur si illos propheta statuit reos, ad quos disciplina numquam pervenit, quid de illis judicandum putamus, quos disciplina destituit? Inter utrorumque actus auctoritas propheticæ lectionis incusat minorem plane culpam non pervenisse ad disciplinam, quam legem disciplinæ respuisse. Ecce dicit propheta : *Qui spernit disciplinam, odit animam suam* (*Prov.* XV, 32). Et vere, ut dixit, ita est. Nam hostis est et inimicus animæ suæ, qui spretis disciplinæ monitis [b] diabolicis occupatur officiis.

5. Dicunt aliquanti disciplinam satis duris legibus constitutam. Loquantur ista satis miseri, quos ad omne facinus ille diabolus auctor mortis invitat, quorum mentes insatiabilis gula possidet, super quos regnat ebrietas, quos turpis luxuria captivos tenet, et a quibus numquam superbia ingrata discedit. Illis autem quibus est studium honestæ fidem servare continentiæ, humilitati pietatique servire, dulce disciplinæ onus est et leve jugum Domini, quod non gravat nisi aut perditos aut perituros. Erubesco dicere in confusionem humanæ negligentiæ, quare apud aliquantos parum proficiat disciplina, cum videamus pastorale magisterium etiam apud muta animalia non perire. Doceant nos ecce servare ordinem disciplinæ tam dociles equorum animi, cum in gyrum ducti flexuosis gressibus membra componunt, et sub unius habenæ retinaculo ita laxari se consentiunt, ut et currendi et stanti modus sub quadam legum disposi-

[a] Lego *hæ s.*

[b] Ego in eo sum ut suspicer *offuciis* a Valeriano scriptum, pro nugis videlicet et obstantibus veritati vanitatibus. BARTHIUS in *Advers.* p. 898.

tione servetur. Ita quos natura numero dividit, studio disciplinæ conjungit. Videte quam fortia boum corpora plaustro subjaceant : quæ in tantum imperio animum parant, ut tumentia naturaliter levi jugo colla supponant. Ita disciplinæ constitutionibus serviunt, etiam quæ in feritate nascuntur. Unde miror aliquoties hominem cui inest sapientia et intellectus prudentiæ, passim præcepta disciplinæ negligere, cum videamus mutum animal vitia cavere, jussis obtemperare, imperio deservire, atque ita ad omnem obedientiam animum aptare, ut cum opus fuerit armatis legionibus occurrat, et hostilibus se telis jussum objiciat. Audite in hoc loco prophetam dicentem : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cognovit* (*Isa.* I, 3). Vereor dicere, ne nostram negligentiam pulset ista sententia : non autem cognoscit Dominum, qui conditionis suæ non cognoscit officium.

6. Ostendam sane quomodo Dominus possit aut inveniri aut cognosci, si tamen est animus videndi. Si vis videre Dominum, require mendicum, suscipe peregrinum, visita infirmum, curre ad carcerem. Si vis videre Deum, vincula captivitatis absolve, nodos iniquitatis incide. Audi de hoc Dominum dicentem : *Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes fui, et suscepistis me; nudus fui, et cooperuistis me; infirmus fui, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me* (*Matth.* XXV, 35, 36). Monco itaque ne despicias nudum, ne cæco manum subtrahas, ne involutum pannis contemnas. In hac enim veste primum Dominus cum a magis quæreretur, inventus est. Et quia de disciplina fecimus mentionem sub qua fides Christiana viget, necesse est ut omnia in aures vestras vitæ ornamenta deferantur, ut intelligat unusquisque parum sibi prodesse conversionis famam, nisi in contemptu mundi amaverit disciplinam. Ergo cui studium est Christum colere, prius cordis [a] sic corporis indumenta suscipiat. Omnis igitur vita religionis professæ, integritatis debet famam sentire, ne quem exspectat corona virtutis, pudoris damno feriat. Corporis integritas vitam muniat, integritatem fides incontaminata custodiat, ut manente utriusque partis beneficio, immaculatum hominem faciat regnare cum Christo.

7. Sed in hoc solo constat conversionis nostræ ratio, ut boni simus. Laborandum igitur illi ante omnia est, ut qui bonitatem sequitur, bonus esse judicetur. Nam quamvis homo purum corpus immaculatumque custodiat, laceratam vitam ad Deum portat, cujus actus vultum infamat, licet sciamus conscientiam solam bonis actibus posse sufficere. Sed quanto melius est ut semper de te bene sentiat, qui circa januam tuam vanis suspicionibus frequenter ægrotat? Insitum est enim naturaliter vulgo, ut de bonis male semper **3** judicet. Sed tu qui curam bonæ famæ colis, studio tuo gratiam integræ opinionis acquire. Vita ergo nostra ita sit lucida, ut sit omnibus nota. Integritas religioni, pudor serviat humilitati. Quem amor tenet servandæ integritatis, ante omnia falsi ad se famam non admittat erroris. Magnum est quidem et gloriosum et usque ad cœlum omnium ore proferendum, numquam malis actibus locum dedisse; sed *multo* fortius est numquam falsis suspicionibus laborasse. Quid enim tibi prodest sobrietas, si vitia ebrietatis exerceas? Quis te non ebrium judicet, si inter effluentes vino calices saltantium gyros imiteris? Quis te castum putabit, si te viderit meretricum fabulis mixtum scenico sermone compositis, aut loquentem turpia, aut inhonesta resonantem? Laudo quidem conscientiam castitatis in te, sed odi colloquium meretricis.

8. In quo loco fortasse dicat aliquis, Sufficit mihi pura conscientia. Quantum ad innocentiam pertinet, tibi soli sufficit. Sed providendum est ne facilitate tua alter peccet, et alienum peccatum in te redundet, juxta illud quod dicit Scriptura : *Væ illi per quem scandalum venit* (*Matth.* XVIII, 7). Quamvis autem pretioso serico corpus vestias, et niveo vellere membra componas, non sine macula diem transigis, si camini ardentis ora contigeris. In omni igitur actu tuo vitam tuam disciplina comitetur. Si vis placere Christo, elabora ut professionem tuam fides adjuvet, fama commendet. Præcedat vos patientia humilitatis socia, assistat pudicitia integritatis magistra : fugiat cupiditas, erubescat ebrietas, luxuria actus suos lugeat, superbia confusa discedat. Quicumque igitur est qui festinat Deum agnoscere, sub hoc disciplinæ ordine Christum nostrum poterit invenire. Multa quidem suberabant adhuc, dilectissimi, quæ disciplinæ ratio suadebat aperire : quæ interim putavimus differenda, ne otiosis auribus fastidium pareret longa narratio. Sane ne quid in hoc opere subtraxisse videamur, elaborabimus ut ea quæ religiosis actibus competunt, sequenti tempore disseramus.

HOMILIA II.

De arcta et angusta via.

1. Multis atque innumeris disciplinæ legibus, dilectissimi, sicut audistis evangelistam dicentem, vivendi rationem Christus noster instituit; et diversis modis renascenti populo viam salutis ostendit : nihilque occultum esse voluit, quod animam aut salvaret aut perderet; ne res tanto pretio comparata diabolicis superstitionibus ignorantiæ vitio decepta serviret. Sed quod pejus est, parum prodest medicina morituris : et ideo difficilis est via salutis, quia facilior est semper exitus mortis, ita Scriptura dicente : *Quam ampla et spatiosa via est quæ ducit ad mortem, et multi sunt qui intrant per eam! Quam arcta et angusta via quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam* (*Matth.* VII, 13, 14)! Mirantur fortasse aliqui quare evangelista amplam et facilem dicat esse viam mortis, cum iter vitæ toto arctetur accessu. Cui autem umquam difficilis fuit ad inferiora descensus, ubi homo onere suo trahitur, et fascis sui victus mole portatur? Multa sunt autem quæ viam prosperæ salutis impediunt. In

[a] Forte, *sicut*.

quo loco illos specialiter mortis injuria persequitur, quibus vanitas et crudelitas dominatur. Concurrunt præterea in præjudicium vitæ dissensiones, æmulationes, lites, rixæ, sacrilegia, adulteria, homicidia, fraterna odia, parricidalia consilia, falsitatibus armata perjuria, quæ non solum ascendentem impediunt, sed etiam in profundum tartari mergunt. Quando ergo fieri potest ut ille homo facile ad superiora perveniat, quem tanta vitia impediunt? *Arcta et angusta via est quæ ducit ad vitam.* Hæc est illa via, dilectissimi, per quam justi pergunt, et sancti immaculatique gradiuntur; per quam illis iter est, qui humilitate, integritate, sanctitate prædíti indefessi Christum nostrum prosequuntur.

2. Hujus ergo viæ et eligendus nobis et muniendus accessus est, quia sicut est arduus, ita et pervius : facilem autem se volentibus præstat, si non aut vanitas impediat, aut fallax h jus mundi ornatus obsistat. Liberum autem et exutum omnibus impedimentis illum esse convenit, qui iter ardui montis aggreditur. Sicut autem videmus injusto fasce vacillare vestigia; ita multis lapsibus subjacet anima, si fuerit iniquis actibus occupata. Unde exonerandum corpus est sæcularibus desideriis impeditum, ne per ardua et excelsa tendentibus, aut periculum mortis incumbat, aut desperatio laboris accrescat. Quis igitur sapiens animal suum impeditum sarcina per angustum iter dirigat, cujus unum latus excelsi montis moles premat, aliud rupes præceps astituat? ubi si temeritas prævaluerit, aut revertendum est, aut evadendum. Simílis est et hominis illius causa qui viam religionis ingressus est. Opus est ergo ut semper resecet quæcumque aut inhonesta videantur aut turpia, qui animam suam ad cœlestem gloriam desiderat pervenire. Non sine causa autem dicit Dominus : *Relinque bona tua, et sequere me* (*Matth.* XIX, 21). Bona ista, dilectissimi, mala nostra sunt, terrenis actibus enutrita : quibus dum aliquanti nimium attente serviunt, cœlestia perdiderunt.

3. Si vultis itaque ut vobis pateat cœlestis janua, removenda sunt omnia, et pœnitentiæ deputanda sunt quæcumque in excidium vitæ negligenter et inconvenienter usitata sunt. Difficile autem est ut ad ea quæ præparavit Dominus credentibus in se, tibi perveniendi sit aditus, nisi onustum vitiis pectus exoneres, atque omnes injustitiæ culpas religiosæ disciplinæ auctoritate compescas. Superflue autem te putas ardui itineris et viæ asperæ semitas tenere, si animæ impediaris errore. Ponite vobis denique, si videtur, ante oculos duos ad superiora tendentes; quorum unus gravi pondere onustus pergat, alter levi tantum baculo nixus incedat; et videbitis quis facilius ad superiora perveniat. Respicite prius ad illum qui gravatur onere; et videbitis hominis illius pendentia retrorsum festinare vestigia, atque ita flexo genu incedere, ut putetur redire. Modo descendenti, modo cadenti similis, ita in diversam partem penduli itineris toto corpore per singula momenta jactatur, ut ipsa necessitas ambulandi pene plus desperationis habeat quam laboris. Convertite modo oculos vestros ad illum, cujus cervicibus nihil ponderis imminet; et videtis quam liber incedit, quam facile illi est per ardua exutis ire plantis, et in locis scrupeis pendulis hærere vestigiis. Nunc levi cursu procerus attollitur, nunc per [a] diversa tota animi alacritate portatur; ut ostendat difficultatem locorum liberis non impedire corporibus nec laboriosa esse cuiquam itinera, quamvis sint ardua, si exoneretur mens injustis ponderibus occupata. Similis est, dilectissimi, ratio sive his quos iniqui actus onerant, sive illis quos veteri exutos culpa pœnitentiæ lacrymæ commendant. Debet itaque quæ sunt onerosa deponere, qui vult ad judicium securus venire : et terrena contemnere, cui est animus cœlestia possidere.

4. Sane, dilectissimi, quo facilius illius ardui itineris exsuperemus angustias, sinceræ mentis adhibenda sunt studia : et removendum si quid litium aut infelix sermo servit, aut in opprobrium domus alienæ injuriæ forte veneni lingua commovit. Æstimari autem non potest quantum impediant viam vitæ vitia indisciplinatæ linguæ : quæ dum nimium loquendo organum sui oris exercet, odia adversum se etiam de otiosis sermonibus excitavit. Nam dicit Dominus etiam de otiosis sermonibus rationem esse reddendam (*Matth.* XII, 36). Videte ergo quid illi futurum sit quem causa culpæ principalis impugnat, cum non sit sine periculo animæ ad judicium etiam levia quæcumque portare. *Arcta et angusta est via, quæ ducit ad vitam.* Quicumque ergo est sapiens, primo loco jactet a se impedimenta mundi, et muniat iter suum studio disciplinæ; removeat intercedente pœnitentia quæcumque per negligentiam videntur imposita; nec secum portandum putet quidquid gloria sæcularis imposuit : quia licet sint per se gravia, fiunt tamen itineris difficultate graviora. Forte aliquantis in hoc sæculo nimium delicatis angusti et ardui itineris necessitas desperationem parit. Et vere habet hoc ratio, ut aspera quæque et difficilia rudis animus expavescat. Sed quid facimus, quod nulla deliciosis militibus virtutum patet janua? Quis autem fructus laboris esset, si per plana discurreres? aut quando te ad locum paratum venisse gauderes, si sine injuria corporis pervenires? Quis umquam otiosus tropæa composuit? aut quis circumstantibus undique hostium legionibus ad victoriam dormitando pervenit? [b] Parum laudis habet virtutum corona, quæ ex labore non descendit. Potest quidem habere palmam, sed non habet gloriam. Quando fuit ut agricola horrea sua otiosus impleret? aut quis umquam legitimo tempore agri sui fructum recepit, nisi prius multiplicato rudem terram sulco confecerit? Hæc est autem magnorum ratio virtutum, ut quanto plus homo laborat, tanto plus mercedis acquirat.

5. Videamus tamen, qualis ista via mortis sit

[a] Scribe *demersa*. BARTH.

[b] Videtur abundare vox *virtutum*. Contra sententiam auctoris est, virtutes agnoscere in aliquo sine labore. BARTH.

quam evangelista dicit amplam et spatiosam, et fluctibus plenam : quæ quamvis referta sit mortibus, numquam tamen desinit suscipere criminosos. Est enim hujus naturæ, ut cito ad se perituros invitet : facilem autem se illis præbet, quos disciplina destituit. In comparatione autem plani et angusti itineris, nihil viatori periculosius spatiosis itineribus : quia sine disciplina curritur, ubi equorum habenæ laxantur : atque ita fit ut multos porta mortis recipiat; quia ubi liberius pergitur, facilius pervenitur. Audite Dominum dicentem : *Tolle crucem tuam, et sequere me* (*Matth.* XVI, 24). Facilem profecto homo illius ardui itineris non expavescit accessum. Quare autem illum labor conturbet, cui alter manum porrigit? Quisque igitur per ardua alterius latere regitur, necessitatem cœptæ rei diviso itineris labore hortatur. Et ideo potest fieri ut ad promissa regni præmia non dubie perveniat, qui ad superiora Domino comitante festinat. Sed deponendum est prius, dilectissimi, sicut superius diximus, quidquid humanis corporibus infelix sæculi error imposuit : ne forte nos peccatorum mole objecta ad illa remunerationis tempora aut non patiatur pervenire; aut si pervenerimus, cœlestis regni portas non permittat intrare.

6. Sed dicis, Non possumus pervenire : certis experimentis agitur; videmus enim frequenter multos insalutato patrefamilias janua teste discedere; quos tamen nequitia, aut malitia, aut perfidia, aut luxuria, aut superbia facit exosos. Contempletur unusquisque vestrum diabolicæ præsumptionis offensam; et intelliget quantum superbia gravet hominem ad superiora tendentem; vel in quo statu sit positus, cui elationis spiritus dominatur. Audite de hoc Dominum dicentem: *Humilibus Deus dat gratiam, superbis resistit* (*Jac.* IV, 6). Sed nec minus impeditur necessitas hujus itineris vitio cupiditatis : quæ dum vult nimia pecuniæ mole gaudere, divitem in regnum cœlorum non permittit intrare, ita Domino dicente : *Amen dico vobis, quia difficile est divitem intrare in regnum cœlorum* (*Matth.* XIX, 23). Hinc ebrietas, luxuriæ malis conscia, non parum humanis corporibus oneris indicit : quæ dum impudicis actibus servit, infelicem hominem a consortio regni cœlestis exclusit. Obsidet etiam angusti itineris secretum crudelitas cum impietate conjuncta : quæ [a] dum cruentis legibus mortis [b] instituit, cœlestis gloriæ clausit viam, ita Apostolo dicente : *Non fures, non avari, non ebriosi, non maledici, non rapaces regnum Dei possidebunt* (I *Cor.* VI, 10). Ad hæc ergo quæ diximus, pugnandum nobis est studio disciplinæ, ut perveniamus ad locum vitæ. Adhibenda magis est itineri nostro pietas, misericordia, humilitas, integritas, castitas, sobrietas, pax, fides, charitas. Non autem prius ad locum promissæ hæreditatis pervenies, nisi sub hoc vitæ studio onustum prius vitiis corpus exueris.

[a] Attentius inspice quæ sunt illæ leges mortis, et quæ harum institutio. Omnino assentieris nobis, *Martis* legendum. Ut in avaros, libidinosos et ebriosos invectus est hactenus, ita jam sub titulo crudelitatis ad militares viros venit. BARTH.

[b] An *instituit?*

HOMILIA III.

Item de arcta et angusta via.

1. Omnis homo cui est cura Deum videre et cœlestia regna contingere, facile potest intelligere, angusti et ardui itineris necessitates ad vitæ compendium pertinere, et spem obtinendæ gloriæ in labore consistere. Nihil est enim quod non labor exsuperet; si tamen in alteram partem, ut assolet, animus non declinet. Constat autem illi omnes difficultates occurrere, qui illius spatiosæ viæ delectatur errore. Audite evangelistam dicentem : *Quam ampla via et spatiosa est quæ ducit ad mortem, et multi sunt qui intrant per eam! Quam arcta et angusta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam* (*Matth.* VII, 13, 14)! Non dubito quod aliquantis in ordine cœlestis militiæ constitutis desperationem faciat, quod cœlestis militiæ ardui itineris arctatur accessus. Et vere, dilectissimi, non solum arduum, sed etiam difficile et plus quam laboriosum est ad celsiora tendentibus. Sed invitis desidiosis, et occupatis negligentibus, sine dubio etiam per plana necessitas laboris accrescit. Quamvis autem sint aspera et difficilia quæcumque sunt in excelsis posita, non dubie fit ut in apertum campum veniant, si itinerantibus nihil desperationis occurrat. Omne igitur opus, dilectissimi, in quo studium humanæ conversationis invigilat, voluntarium requirit officium. Nam inæstimabile est quantum difficultatis accrescat, si hominem voluntas in maxima rerum necessitate decipiat. Numquam ille bene iter ardui montis aggreditur, cui 5 desperatio dominatur. Quando autem potest fieri ut corpus assuescat labori, nisi voluntas obtemperet laboranti? Respice et vide quam cito ad terram resilit, qui equum trepidus ascendit : vel quantis laboret angustiis, qui invitus altum mare navigaturus ingreditur.

2. Religio Christiani nominis in qua vocati sumus, liberi arbitrii suscepit officium, ad quam si quis invitus venerit, oneri onus addit, et exutis antiqua lege corporibus, desperatæ vitæ pondus imponit. Inde est quod multos porta mortis recipit, quia perituris semper vitæ difficultas occurrit. Necessarium itaque ut qui ad libertatis viam pervenit, si quid in se est infidelitatis, resecet, et cœleste testimonium studio voluntariæ servitutis accumulet : ne homo tantis Deo beneficiis obnoxius, in parvis officiis inveniatur ingratus. A negligentibus et imperitis servitium Deo debitum forte judicetur onerosum, ex hoc quod nullum tempus vacationis excipiat. Omnem hominem Deus, non solum ad libertatem vocavit, sed etiam in summa rerum dignitate constituit. Ipse autem sibi servitium indicit, qui invitus servit. Nam si voluntati servitium accommodes, non te famulum Dei invenies esse, sed filium. Nam ita dicit propheta voce Domini : *Ego ero vobis in patrem, et vos eritis*

mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens (*Jerem.* XXXI, 9; II *Cor.* VI, 18).

3. Conditionis nostræ, dilectissimi, talis est servitus, ut laudemus semper Dominum nostrum in operibus suis, et extollamus eum in claritate majestatis suæ voce continua. Quid autem præter hoc humanum indiget invisibilis, incomprehensibilis, inæstimabilis gloriæ potestas? aut in quo corporale requirat officium, cui chorus obsequitur angelorum? Illa est servitus intolerabilis, quam indicit tyrannicæ, hoc est diabolicæ, dominationis superbia, impiæ captivitatis injuria: ad officium vero, non ad servitium pertinet voluntarie superiori personæ exhibere famulatum. Audite prophetam dicentem: *Voluntarie sacrificabo tibi, Domine* (*Ps.* LIII, 8). Discite quantum distet inter addictam et voluntariam servitutem. Numquam potest fieri ut sine offensa diem transigat, quem negligentia addictæ servitutis accusat. Qui ex voto Domino suo paret, acquirit gratiam invitus, accumulavit injuriam, ita propheta dicente: *Maledictus homo, qui facit opera Domini negligenter* (*Jerem.* XLVIII, 10). Si consideret unusquisque vestrum gratiam adhibitæ libertatis, quam Christus noster fidelibus populis per regenerationem vitalis lavacri et Spiritus sancti effusionem concessit, intelligit non otiose Domino serviendum; cui quamvis quodlibet quotidie honoris aut muneris exhibeamus, numquam tamen persolvimus quod debemus. Quando autem est ut ille persolvat debitum, quem constat vicario pœnæ munere comparatum, nisi forte pro amore redemptoris se simili sententia aut mortis aut damnationis excipiat? Sed dum ista fortissimis quibusque proveniunt, nos vel quod solum possumus, Christo nostro quotidie gratiarum hostias immolemus; ut si alios commendant virtutum merita, nobis saltem locum gratiæ faciant voluntariæ servitutis officia.

4. Exoneremus ante omnia corda nostra impia contagione, ut fructus possimus nutrire justitiæ: debet enim ex integro terrenis actibus abrenuntiare, qui vult cœlestibus mandatis satisfacere. Nam sicut homo numquam invitus bene servit, ita nec occupatus bene commendata custodit. *Voluntarie sacrificabo tibi.* Non sine causa propheta hac se Domino voce commendat. Sciebat necessario multos dubio corde servire; et aliud ore promittere, aliud pectorum secreto disponere. *Voluntarie sacrificabo tibi.* Quamvis parva, ex voto offerentis magna fiunt munera: consumunt vero auctorem suum beneficia quæ constiterint extorta: sic denique semper plangit quod erogavit, qui convivium invitus instituit. *Voluntarie sacrificabo tibi:* hoc est voluntario sacrificio. Ut auctori tuo oris munuscula quotidie lætus exhibeas, ejus sacrificium laudis verborum suavitate componas; atque ad officium operis deputati devotus occurras. Audite prophetam dicentem: *Voluntaria oris mei fac beneplacita, Domine* (*Ps.* CXVIII, 108).

5. Cum ergo convenimus ad ecclesiam, dilectissimi, ante omnia secreta pectoris nostri fides veritatis auxilio munita possideat: [a] ut enim purum et immaculatum Deus diligit, non falsitate obsessum, non perjuriis occupatum, non fictum, non dubium; levitatis enim perfectæ hæc sunt indicia, aut sanctitatis amor, aut studia disciplinæ, hoc est immaculatam hostiam sacrificiis exhibere, tota Domino fideliter mente servisse. Servitii autem nostri hæc est ratio, ut beneficia Christi nostri semper recolas, et in quo religiose fidei labore profeceris, auctori tuæ libertatis assignes. Inter omnia custodias præcepta justitiæ, uni Deo servias, Trinitatis tamen honore servato. Unam fidem, unum baptisma credas, Patris, Filii, [b] vel Spiritus sancti unam claritatis confitearis essentiam; nec divisa voluntate cujusquam aut præcedere aut regnare personam; sed Patrem et Filium et Spiritum sanctum unius potestatis, unius credas esse virtutis. Ita igitur fit ut illud arduum et angustum iter in æternum victurus exsuperes; atque ea quæ justis laboribus in cœlesti parte promissa sunt, non dubie consequaris, si per hos disciplinæ gradus excurras, et vitæ tuæ tempora sub hac vivendi lege disponas.

HOMILIA IV.

De promissis et non redditis.

1. Si homo obnoxius beneficiis, dilectissimi, promissioni suæ satisfaceret, et studio devotionis implendæ fidem placitis exhiberet; neminem umquam repetitio debiti ingrata confunderet: nec esset cuiquam imputandi locus, si mox promissi muneris votum sequeretur effectus. Sed inde est quod interdum amicitiarum fides læsa suspirat, quia necesse est aliquoties homini aut redhibitionis increpare moram, aut debitoris exprobare perfidiam. Inimicitias enim [c] dixisse est promissa denegasse: quia ad litem pertinet, si quid aut hic invitus reddit, aut ille per moras exacerbatus exigit. Audistis prophetam dicentem: *Sic psallam nomini tuo, Deus, in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem* (*Ps.* LX, 9). Infinitum est, dilectissimi, quid beneficia gratiæ capiant, si ante diem creditorem suum debitor solutione præveniat. Quicumque autem commodatam pecuniam ultro reddiderit, sibi reponit. Non difficile enim homo cum opus fuerit quodlibet impetrat, si feneratori suo celeri satisfactione respondeat. Ille vero quem perfidia arguit, semper creditoris sui januam clausam invenit; et quamvis frequenter, pulset ac supplicet, tristis et vacuus cum increpatione recedit. Si ergo homo homini mentiendo adversum se odia excitat; quando magis si Deo fallat, et cœlestis majestatis Dominum lubrica promissione decipiat?

2. Ideo hæc proposuimus, dilectissimi, quia so-

[a] Mallem equidem *unum*, aut *unum enim*: alioqui textus abruptus videtur.

[b] Displicet istud *vel*. Rescribendum videtur *et*, ut paulo post.

[c] Forte, *indixisse*.

lent aliquanti imminentibus periculis ita animorum vota componere, ut accedente tempore obliviscantur se aliquid Domino promisisse. Hic hostiam corporis sui offert; ille pœnitentiæ lacrymas repromittit: alius in amore ecclesiarum, alius in honore sanctorum voti reus exstitit. Sed ista tam facile est promittere quam negare, circa quos tam diu durat spes devotionis implendæ quam diu dolor sentitur in capite. Ita paulatim consuescit promissa denegare, postquam mortem cœperit non timere. Et miramur quare aliquoties Dominus undantibus lacrymis tam tarde respondeat, nec exaudiat supplicantium voces justis doloribus servientes! Miramur quare non sollicito agricolæ lætior se solito cultura componat, quare non fecundo cespite multiplex spica parturiat, quare non pingues oleæ exhibeant pretiosa commercia, quare non plenis torcularibus sudet copiosa vindemia! Nemo hic terræ imputet, nemo intemperiem aeris accuset: manus arida nihil colligit; aut si collegerit, mox amittit. Infructuosi agricolæ semper vacua et otiosa sunt horrea. Nam et inde descendit, quod aliquoties non invenit medicina quos sanet. Difficile est ut medicus manum fideliter accommodet, quem frequenter languentis promissio vana destituit.

3. Ecce hic filii sui infirmitate suspirat, et sanctorum januas die noctuque precibus inquietat. Hæc mariti, ille uxoris suæ valetudine afflictus, secretum pectoris sui pulsat, et flebili oratione auxilium cœlestis miserationis implorat, se suumque munus Deo offerens. Sed ista succedentibus votis videmus aliquoties universa subito animum excedere, ut æstimes miseros oblivionis magis bibisse poculum, non salutis. Ita non semper fallacibus votis profutura respondent. Quando autem est ut beneficium inveniat, qui debitum non reportat? Non potest fieri ne aliquando suæ perfidiæ pœnas luat, qui inanibus verbis patientiam judicis frequenter illuserit. Inde est quod otiosis Dei auribus hominum preces evanescunt, nec habet effectum intercessio lacrymarum, quia difficile est ut exaudiantur, qui Deo suo frequenter vana promissione blandiuntur.

4. Beati apud quos manet fides placiti, et nullum studium mentiendi. Melius est profecto non promittere quam promissa fraudare: ubi quamvis homo inhumanitatis notetur culpa, nulla tamen subdolæ circumventionis gravatur injuria. Recurrite denique ad Actus Apostolorum, et invenietis ad damnum animæ pertinere promissis fidem frangere. Legimus igitur Ananiam et Sapphiram uxorem suam vendito patrimonio suo partem dispensandæ pecuniæ ad apostolos detulisse, partem domi reconditam reservasse; quibus ait sanctus Petrus: *Implevit, Anania, iniquitas cor vestrum mentiri Spiritui sancto, cum esset fundus in vestra potestate; non hominibus mentiti estis, sed Deo* (*Act.* v, 3, 4). Ita dum operantur fraudem, mercati sunt mortem; et dum cupiditati serviunt, æterna munera perdiderunt. Ecce dicit propheta: *Vota mea Domino reddam, in atriis domus Domini* (*Ps.* cxv, 18). Obligatus legitima debiti est sine dubio pactione, qui convincitur Domino aliquid promisisse; qui autem redditurum se loquitur, necessario debitum confitetur. Tam diu enim juris tui est patrimonium tuum, quam diu chirographi fide alteri non fuerit obligatum. In omni itaque placito, sive quod amicitia obtulerit, sive quod voluntas ascripserit, non lentanda redhibitio. Nam omnis oblati muneris gratia perit, ubi causa repetitionis incumbit. Ita nihil votis suis præstitit, cui necesse est invito reddere quod promisit. Nam legimus in Salomone: *Si voveris votum Domino tuo, ne moram feceris reddere illud: quærens enim quæret illud Dominus tuus a te, et erunt in peccatum quæ egrediuntur per labia tua, nisi reddideris illud* (*Deut.* xxiii, 21).

5. Ergo, dilectissimi, moneo ut quicumque se Domino votum promisisse novit, statim reddat. Certe qui solvendo non sufficit, non promittat. Non hic, ut aliquanti putant, inhumanitatis vitia exaggeramus; sed de fide dicimus, quam videmus apud aliquantos periclitari pestilentia vanitatis. Nam multi sunt, quod pejus est, qui subtracto libertatis suæ pretio, non integram pecuniam, hoc est, semiplenam religionis fidem ad Dominum detulerunt. Audite prophetam dicentem: *Vovete et reddite Deo vestro munera* (*Ps.* lxxv, 12). *Vovete*, his dat consilium conversionis. *Reddite*, ab istis debitum promissæ repetit sanctitatis. Parum autem ille habet de religione, quem studere vides sæculo, et plus præsenti vitæ favere quam æternæ gloriæ. Tunc probas nihil te Domino tua oblatione fraudasse, si justitiæ partes colas, integritatem diligas, sanctitatem quam promisisti exhibeas. Debet autem expavescere Ananiæ vel uxoris ejus exitum, qui intelligit se Domino fuisse mentitum. *Vovete et reddite Deo vestro munera.* In hoc loco causam munificentiæ non importune prosequitur, quia testimoniis competentibus admonemur. Siquidem infructuosis hominibus acquiescamus, ut ista vox affectum indicet postulantis. Numquid a te Deus aliquid requirit, quia illi desit? quid autem non habet, qui totum possidet? Numquid quia in tribulationibus tuis promittis aurum, aut in doloribus polliceris argentum, Dei usibus necessarium est? aut ideo aliquis pretiosos lapides aut vestes offert, quia his Deus indiget? Ob hoc a te tuum munus quæritur, ut ipse fulgeas tuo auro, ipse tuo niteas argento, ipse tuis gemmis orneris, ipse tuo serico vestiaris. Tuis donis tuam vult Dominus animam componi, quam videt aut superbiæ, aut nequitiæ, aut avaritiæ, aut luxuriæ vitio depravatam *Vovete et reddite Domino Deo vestro munera.*

6. Sed dicis forte, Non indiget Deus nostra munera. Non quidem munera indiget: sed fructum requirit, quem propter redemptionem animæ tuæ misericordiæ deputavit. Nam præter illam hostiam corporis tui quam incorruptam et inviolatam altaribus convenit exhibere, nec non vocis officia quæ nostro debemus artifici, hoc est apud Dominum acceptabile sacrificium, ut bonitati et misericordiæ studeas, ut justitiæ partes foveas, et fide intemerata jugiter

Domino placere contendas; ut nudum non invitus vestias, ut inopem non invitus pascas, ut captivos voluntarie redimas, ut in vinculo constitutum memor tuæ redemptionis absolvas. Ad hæc forte respondeas, Quid pauperi faciam, quid filio derelinquo? Audi Dominum dicentem : *Qui plus amaverit filium aut filiam, quam me, non est me dignus* (*Matth.* x, 37). Videtis ergo nihil præferendum Deo, nec plus filium cogitandum esse quam Deum. Dicis, Quid filio derelinquo? Si cum unum filium habeas, alium tibi desperanti uxoris partus exhibeat, nonne utrumque tibi uno successionis 7 gradu pietas paterna commendat, et ut supervenienti locum facias, etiam testamenti jura rescindis? Ita hæreditatem cui solet unus inhæreditare, frequenter videmus inter multos numero accrescente sufficere. Qui ergo habet unicum filium, cogitet Christum sibi natum; atque inter duos aut tres vel plures ita opes suas dividat, ne Christus noster exhæredatus abscedat. Quod si tantum gaudes numero filiorum, moneo ut admisso ad consortium hæreditatis redemptore tuo, ita patrimonii tui divisionem temperes, quasi aut unum minus natum tibi judices, aut unum plus accrevisse gratuleris. Fac ergo locum Christo tuo inter filios [a] sibi dilectos. Quare autem illos non una patrimonii in terra divisio maneat, quos in cœlo eadem portio promissæ hæreditatis exspectat? Quicumque autem indigentibus et miseris quæ sunt vitæ necessaria subtraxerit, primogenito et quidem meliori inter omnes filios portionem subditam denegavit. Audite in hoc loco Scripturam dicentem : *Qui pauperi miseretur, Deo fenerat* (*Prov.* xix, 17).

7. Multi sunt qui miserorum necessitatem ita illudendam putant, ut in dies promittendo decipiant; et hoc ad illa vota pertinet, quæ superius diximus oblivione consumi. Quid juvat differri miserum, si abundantia suppetit facultatum? Ubi vides hominem statim posse benefacere, et eleemosynam procrastinata humanitate differre, solam ibi voluntatem intelligis defuisse. Audite ad hunc locum Psalmistam dicentem : *Sic psallam nomini tuo, Deus, in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem* (*Ps.* lx, 9). Numquid dixit de anno in annum? Sed dixit de die in diem. Omni ergo die operandum nobis est, dilectissimi : debitum autem Deo et promissum munus non est tempore prolongandum. Nihil futuro judicio debet, qui quotidie vota persolverit : nec est unde rationem in posterum præstet, qui de die in diem Domino bonorum operum fructus justo labore ditatus obtulerit. Ecce dicit : *Quæcumque feceritis uni ex minimis istis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv, 40). Sive ergo bonum, sive malum quis fecerit, ad Domini majestatem noverit pertinere; utriusque enim partis retributio hominem exspectat. Unde studendum nobis est misericordiæ et eleemosynis : ne cum venerit Dominus cœli et terræ, inter cæteros animæ errores pauperum nobis nuditates opponat, et oculis nostris infelicitates ingerat miserorum. Nemo ergo despiciat nudum, nemo conturbet aspero ore mendicum. Hæc est inter omnia placita Deo hostia, hic ordo salutarium sacrificiorum, ut miseris in necessitate subvenias : et ne in infidelitatis notam incidas, compos voti fidem tuæ promissionis absolvas.

[a] Forte, *tibi*.

HOMILIA V.

De oris insolentia.

1. Non otiosum est, dilectissimi, quod inter omnia vitia quæ vitam humanæ conditionis impugnant, specialiter linguæ insolentiam propheta castigat. Sciebat necessario amari oris studio aliquoties venena componi, et nimia facilitate labiorum frequenter odia comparari. Et vere, dilectissimi, ita est. Nam inquieta naturaliter lingua non parvum mortalibus affert vitæ detrimentum, ut cum bene composita, dissipat, aut diu pacata conturbat. Quando autem est ut se rixa moveat, si se lingua compescat? aut quis ibi locus est inimicitiarum, ubi cessant venena verborum? Nam hoc habet semper lingua malitiosa commercium, ut lites serat, odia moveat, mortes acquirat, ita in hoc loco Salomone dicente : *Lingua multos conturbavit pacem habentes; civitates destruxit, et domos effodit* (*Eccli.* xxviii, 16, 17). Falluntur profecto, qui putant nihil esse ferro fortius, nihil veneno violentius : quamvis autem ista in perficiendis mortibus habeant peculiare naturæ beneficium, cedunt tamen in contentione verborum. Nihil enim est tam noxium aut malitiosum, quod non viribus suis minus sit, si se incitata semel lingua commoverit. Multa sunt quidem humani corporis vitia, et satis gravia; sed parum possunt consiliis virtutibusque suis, nisi sceleribus armentur alienis : sicut est crudelitas, quæ impietati servit, et portas inferi cruenta mortis lege custodit. Quid autem falsitas posset, si cupiditas otiosa dormiret? nam et ipse mortis exitus minor esset, si aut ferrum deficeret aut venena cessarent.

2. Singulare autem malum est lingua, in qua tantum malitiæ robur exsultat, ut in perficiendo opere suo alterius auxilium non requirat. Cohibenda ergo nobis est, sicut propheta admonet : ne forte cum proruperit, aut excitata lædat, aut incitata percutiat. Solet enim non impune recedere, cum se in verborum procacitate jactaverit. Nam commota flammas evomit; et cum alium nocere quærit, totum intrinsecus male conscium pectus incendit. Audite prophetam dicentem : *De multiloquio non effugies peccatum* (*Prov.* x, 19). Facilius, si necesse est, quilibet potest ferre armatas ferro acies, et instructas rebus bellicis legiones; quis autem sustineat labiorum tela infixa pectoribus? Facilius sine dubio recipiunt sanitatem corpora ferro lacerata : aut quare aliquis tantum gladio occisorum morti crudelitatis pondus imponat, cum aliquoties minora ibi sint pericula, ubi major est cruoris invidia? Difficilius autem semper sanatur, quidquid extrinsecus collisionis includitur. Non difficile est profecto medico ulcera quamvis tumentia in

oculis posita herbarum beneficio castigata mollire. Habet et vis veneni remedium suum; quod haustum quamvis in ultima viscerum sede dominetur, salutaris tamen poculi unda perquiritur : in tantum ut miretur aliquoties artifex scelerum, superveniente medicina nihil oris sui incantationem valuisse; linguæ vero insanabilis plaga est, quæ quamvis leviter percutiat, alta tamen semper movet pectoris dolore suspiria. Sciebat sine dubio propheta quantum malum esset linguæ, cum clamaret : *Pone, Domine, custodiam ori meo et ostium circumstantiæ labiis meis, ut non declinet cor meum in verba mala* (*Ps.* CXL, 3, 4). Si quis ergo est sapiens, ponat custodiam ori suo, et det labia vinculo taciturnitatis.

3. Sed nec unius tantum partis studia procacis linguæ pulsat invidia. Agendum quidem est huic, ne aliquid injuriosum proferat; sed nec minus illi providendum, ut insanientis hominis dicta rationabili verborum responsione supplodat. Magnum autem studium est servandæ pacis, si amaritudinem alienæ linguæ blando prosequaris alloquio, cito autem iniquorum labia amicus sermo confundit. Sed, quod pejus est, facilius invenies qui aut male semper dicere, aut libenter mala velit audire. Nihil est sævius, nihil violentius amaris asperisque sermonibus : quorum vulnera tanto difficilius curantur, quanto facilius proferuntur. Ferri spicula per cœlum volantis facile scuti objectione contemnis; verborum vero jactus nec revocari potest, nec prohiberi, multo enim velociores sagittis sunt. Quæ autem ibi propugnacula subveniant, aut quæ munitio tam parata succurrat, ubi emissum telum pene ante percutit quam procedit? Enumerari non potest quantis sit lingua jaculis accincta verborum, quibus satis promptum est etiam quæ sunt animæ secretiora percutere. Quamcumque autem aures injuriam suscipiunt, illico ad cordis secreta transmittunt : ubi si semel introierit, sine mortis exitu non recedit. Res autem quæ nullis medicinæ beneficiis indagata excluditur, in perpetuo dolores operatur. Unde castigandus est linguæ sonus, ne de facilitate verborum faciat venenum.

4. Si respiciamus, dilectissimi, ad omnes qui corporibus dominantur dolores, nihil invenies quod non possit aut ferro sanari, aut blanda medicaminis confectione molliri. Latere autem neminem potest quam graves sint luporum morsus, quam periculosum serpentium virus : sed his facile obsisti potest aut herbarum succo, aut arte medicorum. Verborum vero intolerabile vulnus est : difficile autem sanare potest alius doloris causam, quæ semel pectori infixa sedem animæ latenter invaserit. Audite prophetam dicentem : *Mors et vita in manibus linguæ* (*Prov.* XVIII, 21). Vere, dilectissime, si ad interiora respicias, et tumorem exasperati cordis diligenter inquiras, invenies verborum vulnera mortes operari. Quid mihi autem aliquis in comparatione malitiosæ linguæ artificium veneficii increpet, et noxias poculorum compositiones accuset? Excessit illa res omne genus veneni, quæ non potest nisi morte compesci. Omnis quidem malitia ex corde descendit : sed hæc ipsa, quamvis sit noxia, facile potest tolerari, si res iniquo nutrita consilio non provocetur in litem; sed aut tacita doleat, aut in suis volutata sedibus conquiescat. Tam diu enim sanari potest iniquarum valitudo cogitationum, quam diu id quod corde concipitur, ore tacito continetur. Verum ubi semel lingua rotante proruperit, frustra medicum quærit; sine remedio est enim culpa verborum; quia deleri non potest quidquid lacrymarum inserta per aures propagavit injuria. Audite Dominum dicentem : *Facito ori tuo ostia et seras, et verbis tuis facito stateram* (*Eccli.* XXVIII, 28).

5. Ad hæc forte respondeas, Quis possit in tantum oris sui labia continere, ut tacitus diem transeat? Non hæc sententia honestæ linguæ vinculum taciturnitatis indicit. Vult plane loqui hominem; sed honesta proferentem, ac pacifica cogitantem. Multum autem verbis honoris accrescit, si dulcisonos organi cantus nulla mentis amaritudo confundat. Hæc ideo proposuimus, dilectissimi, quia invenimus multos aliquoties uno atque eodem sermone dulcibus verbis venena miscere; et fictis pacis blanditiis litium pugnas introire. Quid istis infelicius, quid periculosius esse potest, qui fallacis linguæ studio vitæ insidiantur alienæ? Quare isti non respiciunt ad illum propheticum psalmum, qui dicit : *Disperdat Dominus labia dolosa* (*Ps.* XI, 4)? Videtis sub quali maledictione vivit, qui aliud in corde serit, aliud in lingua disponit? Bene profecto noverat Dominus cœli ac terræ, aliquoties malos sanctorum studia ficta humilitate decipere; qui ore evangelico dicit : *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, ab intus autem sunt lupi rapaces* (*Matth.* VII, 17). Inextricabile profecto malum est, dolosa consilia miscere blanditiis. Nolo suspectas munerum suavitates. Quis autem libenter habeat acidos lactes, et tristi herbarum sapore conditos? Difficile igitur potest fieri ut ille cuiquam placere possit, qui simul dulcem et falsam aquam profert. Quando autem est ut gustus non offendat, si favo mellis quæcumque amaritudo se misceat? Cor ipsum hominis, quamvis sit vivum et sapiens, integra prudentia caret, quod amaritudo fellis infecerit. Omnia itaque subdolæ mentis compescenda sunt vitia : ne dum cœperint aliqua extrinsecus amara conficere, etiam ea quæ sunt in ore nostro dulcia incipiant displicere.

6. Audite prophetam dicentem, *Pone, Domine, custodiam ori meo*: Hæc est utilis custodia oris nostri, ut non facile declinet cor nostrum in verba, quæcumque ad expugnanda pacis studia aut turpis sermo profert, aut vilis actus personæ confingit. Inter confusos autem linguæ sonos neminem pœnituit tacuisse. Nam videmus frequenter etiam verborum facta in crimen venire, et nimia facilitate verborum amicitiis odia succedere. Quando autem potest fieri ut homo aut magniloquus, aut maliloquus non habeatur ingratus? Quod tamen vitium si requiras, superabundat in aliquantis feminis : quæ sicut non dubitant quæ sunt turpia dicere, ita nec ea quæ sunt pudenda confundun-

tur audire. Sed nec nos ista dicimus, ut aliquis semper vocem suam presso ore contineat, et linguæ sonum obductis labiis perpetua taciturnitas includat. Ut nimium malos loqui ingratum est, ita inutile est bonos semper tacere. Cum opus ergo fuerit, proferamus verba justitiæ : sit os nostrum conditum.

7. Sed dicis forte, Non potest non aliquando respondere provocatus. Tacendum est plane, cum improbus sermo labia quieta sollicitat; et loquendum, cum os amicum pacis studia commendat. Ita et loqui et tacere perfectio est. Est autem utriusque partis causa verborum tenuisse mensuram. Magnum est tacere, magnum est loqui; sed sapientis est utrumque moderari. Nam aliquoties nimia taciturnitas stultitiæ ascribitur, sicut et verborum nimietas ad furorem refertur. De qua re si nostri sententiam requiras arbitrii, jam malo aliquis tacendo stultus, quam nimium loquendo judicetur insanus. Loquamur ergo, sed cum timore et tremore, cogitantes de omnibus verbis rationem esse reddendam (*Matth.* XII, 36) : ita ut nihil de corde nostro iniquum exeat, nihil de ore blasphemum procedat, nihil resideat in cogitatione quod lædat. Nam præter illa quibus auditus offenditur, quorumdam interiorem conscientiam propheta castigat : *Labia dolosa in ore et corde locuti sunt mala* (*Ps.* XI, 3). Inter illas ergo insolentis linguæ culpas, cogitationes. Nam quidquid in corde loqueris, Domino confiteris; quia Deus scrutator est cordis. Videte ergo si possit fieri ut illi occultum aut excusatum possit esse quod clamas, quem non potest latere quod cogitas. Omni itaque studio, dilectissimi, æquali vinculo ora nostra moderentur. Nihil ingratum lingua proferat, nihil injuriosum improbus sermo confingat, nihil subdolum, nihil dolosum in corde nostro sit, nihil asperum, nihil otiosum. Nam Dominus dixit etiam de verbis otiosis rationem esse reddendam (*Matth.* XII, 36). Quamvis autem aliquis vitam fide muniat, scientia regat, castitate et sobrietate componat; nihil est quod in homine placeat, si in toto corpore sola lingua displiceat.

9 HOMILIA VI.

De otiosis verbis.

1. Quotiescumque, dilectissimi, pro studio necessitatis nobis creditæ causam tractavimus disciplinæ, dum graviora persequi voluimus, aliquanta neglexi- D mus : quæ licet aliquantis videantur facilia, si diligentius requiras, multis criminibus inveniuntur obnoxia. Quibus nunc porrigenda manus est, et elaborandum studio medicinæ, ut unaquæque res culpas suæ infirmitatis agnoscat. Currite ergo per singula, si videtur, quæ aut pœnæ serviunt, aut lætitiæ blandiuntur; et invenietis non solum in sævis draconibus regnare noxium virus, sed etiam in exiguis apum venena latere corporibus. Frequenter diximus, dilectissimi, ebrietatem et cupiditatem quosdam fontes esse vitiorum, ex quibus quidam torrentes præcipitati peccatorum nascuntur, qui secum maximam partem humani generis in profundum trahunt : cum hinc ebrietas gulæ gurgitem fovet, inde cupiditas furorem A improbæ pervasionis accendit Hæc enim mater est superbiæ, illa luxuriæ; quarum una falsitatis, altera deformitatis est socia : quibus studii est homicidia exercere, adulteria fabricare, amicitiarum fundamenta destruere; cum quodam commercio fœditatis furtivo amori mercedem suggerit cupiditas, occasionem præstat ebrietas.

2. Sed hæc, dilectissime, sicut aliquoties diximus, parvo poteris labore cohibere, si illa prius quæ peccandi fomitem præstant, volueris resecare : nec plane difficile tibi erit compescere quæ sequuntur, si ea quæ sunt in capite vitia castigata damnentur. Cito enim universa corporis junctura deficiet, si non sit qui ventri improbo pabulum subministret. Unde ante omnia ebrietatis sive cupiditatis castiganda sunt vitia, B quæ sibi inter cætera vindicant principatum; ut illa quæ his obsequuntur, suo periclitentur officio. Facile est enim quamvis profundi gurgitis undam siccari, si ortus aquæ possit excludi. Multa quidem, dilectissimi, adhuc de his quæ recolimus, memoriæ suggeruntur : sed quia aliquoties in earumdem castigatione satisfecimus disciplinæ, putamus pro commemoratione rerum hodie dicta posse sufficere. Unde ex his quæ præsenti materiæ videntur inserta, interim temperamus, donec illarum partium crimina quæ aliquantis facilia videntur, exponamus.

3. Audistis, dilectissimi, evangelistam dicentem de otiosis verbis Domino rationem reddendam (*Ibid.*). Si respiciatis, dilectissimi, ad hæc quæ proposuimus, et illa quæ in castigatione indisciplinatæ linguæ aliC quoties diximus; intelligitis hanc sententiam ad oris insolentiam pertinere : cujus dicta quamvis otiosa dicantur, non tamen otiose tractanda sunt. Nemo autem credat levem esse culpam, quam tantopere cœlestis sententia districtionis impugnat. Hinc denique exsequitur quidquid fama mentitur : otiosa sunt enim semper infructuosa colloquia ficti rumoris exposita. Qui autem putandus est otiosus esse sermo, nisi ignarus rationis et nuntius falsitatis; cui id studii est, aut ridenda confingere, aut de incertis quasi certa sentire? Est autem hoc genus hominum, quod dum fabulas pascit, nescit cavere mendacium. Audiant isti Dominum dicentem : *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I, 11). Otiosa verba sunt figurata convicia, stulta fatigatione composita, dulcibus ut aliqui putant, sed multis accincta plagis ac mortiferis insuper armata suppliciis. Nam quamvis lætitiam excitent, odia tamen frequenter incidunt. Multa sunt, dilectissimi, his similia, quæ forte non sint prætermittenda, licet inter omnia verborum vitia videantur extrema. Si, verbi gratia, hominem fusci coloris appellas argenteum, otiosum verbum injuriam facis quia si verum dixeris, accusasti; si falsum detuleris, irrisisti. Cum hominem proceræ staturæ et antiquæ infantem vocas, nonne injuriam facis, si veritate suppressa puerili studio mentiaris? Ad contumeliam enim pertinet, si verbis tuis humano corpori aut aliquid addas aut detrahas.

4. Sed dicis forte, satis levia esse ista, et facile portanda. Verum est. Nam talia sunt ista genera vo-

cabulorum, ac si alienis crinibus leves plumas inseras; vel si per totum verticem juventutis primæ honore fulgentem, liquentes cineres aut pulverulenti aliquid candoris asperseris : non quidem caput oneras, sed deformas. Similiter et detracta per jocos coma, quamvis nihil operetur doloris, multum tamen exhibet fœditatis. Cavendum est ergo, dilectissimi, ne scenico sermone alter alterum lædat, et theatralibus verbis verecundiam fratri læsæ æstimationis incutiat. Solet igitur nimia oris facetia excitare motus animorum, et sermo lætitia accinctus reciprocum parare convicium. Sic denique scintilla quamvis parva flammas evomit, et ex nihilo exorta magna frequenter movet incendia. Otiosus sermo satis otioso nutritur auctore. Unde quia theatralium verborum fecimus mentionem, forte pro studio disciplinæ nec illa debeam reticere, quæ otiosis verbis curiosas aures capiunt, atque alti pectoris secreta concutiunt, dum plagis modulantibus blandiuntur. Hæc sunt illa vitia, quæ superius commemoravimus quadam mellis suavitate componi : hoc illud opus, quo diximus admixta dulcedine tristes vulnerum dolores institui.

5. In hoc loco forte aliquis pro amore disciplinæ interrogandum putet quæ sint istæ otiosæ voces, quæ injuriam excitent et periculum audientibus parent. Bene requiris, ne per ignorantiam periclitetur auditus. Invenimus igitur frequenter, ita impudicitiæ viam muniri, atque ex hoc fomenta adulteriis ministrari : cum hic agili plectro tinnientis citharæ sonos expedit, ille docili digito laborantis organi blandimenta componit. Isti sunt laquei, quibus famulantibus inter cætera vulnera diabolus hominum mortes operatur. Nam quotiescumque dulci voce mulcetur auditus, ad turpe facinus invitatur aspectus. Nemo insidiosis cantibus credat, nec ad illa libidinosæ vocis incitamenta respiciat : quæ cum oblectant, sæviunt; cum blandiuntur, occidunt. Sic frequenter videmus blandis sibilis aves decipi, et hebetes feras in laqueum mortis dulcedine vocis impelli. Similis est, dilectissimi, causa mortalium quos dulcisoni cantus cura sollicitat. In hoc autem proficiunt varietates vocum, et producta sine syllabis verba, ut homo aut capiatur aut capiat. Explicari non potest, dilectissimi, quam periculosos laqueos exhibeant mimicæ studia voluptatis. Nam si aliquis posset humani pectoris secreta perquirere, inveniret ad singulos sonos fistulæ corda infelicium suspirare. Intelligite ergo quid inter viros ac mulieres nimium familiaris ac secretus sermo faciat, 10 quid juncta vicinia, quid jocis mixta colloquia, quid gula deliciis invitata, quid auri fames ad omne facinus prostitutionis exposita; si alienum furorem etiam mutæ vocis blandimenta decipiant.

6. Refugiendus est ergo error iste vocis sonus, qui humanis pectoribus dulcedine sua amaritudinem fecit, et persuasione quadam melliflui cantus frequenter mortifera ægris venena commiscuit. In quo loco primum obturandæ aures sunt, opponentes scutum fidei, quo facilius omnis lenocinantis vocis excludatur auditus. Adhibenda etiam disciplina, quæ oculorum desideria repellat, et tabescentis cordis incitamenta compescat. Nam ita docet evangelista dicens : *Si te scandalizat oculus, erue eum* (*Matth.* v, 29). Nemo, dilectissimi, in hoc credat hujus sententiæ stare rationem, quasi Dominus humanum corpus deformare velit, quod ad similitudinem suam plasmavit et ad speciem suæ dignationis instituit : hoc est oculos eruere, quæ sunt in homine turpia resecare, et viles actus emendatione compescere, castigatis illecebris truncare luxuriam, et bono conscientiæ manus improbæ cupiditatis abscindere. Ille autem manus suas incidit, qui in se infidelitatis tela confregerit, et justo judicio infidelitatis calamos amputarit. Ad salutem igitur animæ pertinet, si debilitentur vitia iniquis actibus enutrita, et radicitus vellatur impiorum aspectus oculorum : quibus cito mortis stimulus acquiescit, si hæc quæ superius dixi, integra et illæsa permiseris dominari. Sed quo facilius ista operemur, audiendus est Christus, qui dicit : *Relinque omnia bona tua, et sequere me* (*Matth.* xix, 21).

7. Scio quidem, dilectissimi, quod laboriose suscipiunt ista, qui sæculi actibus occupantur : quibus dulcis est istius vitæ usus. Sed si diligenter requiras, vanitate plenus, et quodammodo tenui umbra vestitus, ad tempus mundus obsequitur, et hæc quam videtis fallax divitiarum pompa blanditur. Bene ista noverat sanctus David, qui dicit : *Averte, Domine, oculos meos, ne videant vanitatem* (*Ps.* cxviii, 37). Quæ est ista vanitas, nisi cultus divitiarum et sæcularium studia voluptatum? Confirmat hoc in Salomone qui dicit : *Vanitas vanitatum, omnis homo dives* (*Eccle.* i, 2). Nemo ergo, dilectissimi, in hujus mundi vanitate confidat, quam videt infirmis stare vestigiis; cujus cultus temporalis atque inanis est, et ornatus fumo ventoque similis. Talis est autem decor vultus ejus, ac si speciem illius vitis aspicias, quæ solstitiani flore composita, promissæ fructum nescit exhibere vindemiæ; quæ dum nimium parturit, maculam perpetuæ sterilitatis incurrit.

8. Longe alium nobis, dilectissimi, æternæ vitæ tempus promittit ornatum, si tamen homo peccatis pauper incedat. Ille autem ad Christum dives vadit, qui misericordiæ fructus congregat, et stultæ studia cupiditatis impugnat. Ille ad cœlos opulentissimus pergit, qui a se pompam temporariæ vanitatis excludit. Ille secum magnas opes ad paradisum portat, qui onustum vitiis pectus studio religionis exonerat. Ille postremo omnem penuriam mendicitatis evasit, qui quotidie in corde suo Christi nostri mandata serit, et pervigili fide horrea pectoris sui seminibus divinæ institutionis impleverit. Ita ut ante omnia illius otiosi sermonis compescas libertatem, quæ si inter illa religiosæ vitæ studia mixta consederit, non dubie in examinatione futuri judicii præjudicat sanctitati. Cito autem quæ sunt in homine optima revilescunt, nisi inter cætera quæ emendationem requirunt, studiose ea quæ superius commemoravimus linguæ vitia resecentur.

HOMILIA VII.

De misericordia.

1. Si respiciamus, dilectissimi, omnes justitiæ gradus per quos opus religionis instruitur, non invenies cui non apud Dominum gratiosa servitus locum comparet dignitatis. Sed hæc ipsa, fides quæ in nobis operatur, quamvis humano labore proficiant, ad Dominum referenda sunt, per quem et in quo, si qua sunt bene gesta, consistunt, et in posterum quibusque profutura servantur. Unde nemo sapiens Dei beneficia suis virtutibus æstimet applicanda, ne audiat illam Apostoli sententiam dicentis : *Quid habes quod non accepisti? aut si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor.* IV, 7)? Scimus quidem, dilectissimi, quod juxta Evangeliorum fidem quæ beatitudinis promissa commemorat, homini justitia in cœlestibus locum fecit : id est promissionem paradisi et terram repromissionis gratia mansuetudinis et humilitatis obtinuit; cordis puritas Christum videre meruit; misericordia consimilem mercedem retributionis accepit; pacis jucunditas multis inter filios Dei locum paravit; pœna sanctorum victoriæ coronam et cœlestis regni gloriam ex virtutis meritis acquisivit. Sed hæc omnia una atque eadem Patris et Filii et Spiritus sancti in nobis virtus operatur, quæ perfectionem justis laboribus præstat, ac bonæ voluntati quæcumque sunt optima subministrat. Unum est sane et pernimium, quod ex illa misericordiæ sede descendit, in quo sibi quotidie juste possit mortalis homo gloriari : hoc est, refectio pauperum et redemptio captivorum; si tamen ipsam non aut jactantia dissipet, aut tristitia ingrata conturbet.

2. Auditis ecce evangelistam dicentem : *Venite, benedicti Patris mei, possidete mecum regnum cœlorum promissum vobis a constitutione mundi. Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; nudus eram, et vestistis me* (*Matth.* XXV, 34-36). Videtis ergo quod si gloriari cuiquam oportet, non nisi in hoc opere convenit gloriari, in quo pasci ac vestiri se Dominus præcipit; et in dies famem suam portiuncula panis fracti postulat saturari. Si vultis ergo ut non sit inanis gloriatio, primo loco abundantibus eleemosynis summi regis redimamus amicitias : et ut nobis pateat cœleste regnum, omne misericordiæ studium convertamus ad Dominum. In cujus amore non otiose aut negligenter pauperum tractandæ sunt lacrymæ : ne ille qui totum orbem solet pascere, ad nostram confusionem inter mendicos videatur esurire. Contemplare denique singulorum necessitates, et nostri erga miseros sollicitudinem Salvatoris; et intelliges ibi esse Christum nostrum, ubi abundantiam videris lacrymarum. Nec enim longe tibi quærendus est Dominus, si non sis avarus. Exspectat nos ecce foris, cum illa suorum turba famulorum. Non enim tibi errandum est oculo, ut dubites circa quem potissimum opus miserandæ erogationis impendas. Ipsum scias esse Christum nostrum, quem videris nudum, quem aspexeris cæcum, quem offenderis claudicantem, quem pannis involutum, quem videris sordida veste contectum. In hac denique veste, cum a magis quæreretur, inventus est; et cum in præsepi positus jaceret, sub hoc habitu apertis thesauris munera oblata suscepit. Ad hæc respondet illa evangelica sententia, quæ dicit : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque tinea corrumpit, neque fures effodiunt* (*Matth.* VI, 20). 11 Hi sunt illi thesauri qui cœlestibus meritis deputantur, quos nulla res adversa contaminat; hoc est, facultatum per miseros dispensata substantia.

3. Audi itaque primo in hoc loco consilium meum, quicumque divitiarum abundantia gloriaris. Si times tineam, commenda; si furem metuis, in superiore parte commenda. Ecce habes idoneum custodem, qui opes tuas servet tibi, in æternum et in sæculum sæculi profuturas. Addit ad hæc : *Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra* (*Ibid.*, 19). Non ab re est, dilectissimi, quod admonet Dominus, ne quis thesaurum suum terræ commendet. Frequenter enim videmus congesta terræ vitio periclitari; et opes nimium defossas quadam limi tabe consumi. Unde utilius judico esse commodare quam abscondere, et fenore magis credere quam terræ deputare. Stultitiæ autem genus est, clausum tenere quod potest multiplici labore proficere, et ad usum æternæ vitæ fructum exhibere justitiæ. Moneo ergo ne quis in terra abscondat thesaurum suum, hoc est, ne quis terrenis actibus cœlestis animæ dignitatem deputandam putet. Illius autem thesauros tinea comedit, qui vanitati servit, et vitam suam in hujus mundi pompa constituit. Tinea igitur, dilectissimi, vermis est invidiæ et avaritiæ, qui secreta cordis solus possidet, solus quæ sunt in abditis congesta consumit. Furem vero diabolum credite : qui ut bonis operibus insidietur, objecta sæculi pompa blanditur; et ut hominem a consortio regni cœlestis excludat, aurum manibus ingerit, argentum oculis opponit, gemmas collo inserit. Ita superbiam nutrit, et desideria carnis stimulo cupiditatis accendit; quæ sicut Scriptura dicit, mergunt hominem in interitum (I *Tim.* VI, 19). Non dubie autem ille pœnis exonerat profundum, qui thesauros suos præmittit ad cœlum. Audite quid Dominus offerat : *Venite, benedicti Patris mei, possidete mecum regnum promissum vobis a constitutione mundi. Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; nudus eram, et vestistis me* (*Matth.* XXV, 34, 36). Quis dubitet post hanc vocem, de hoc sæculo cum tota patrimonii sui pompa migrare? Stultitiæ profecto vanitas est, vitium in electione meritorum, plus mundum eligere, quam cœleste regnum, magis sæculo placere, quam Christo. Si quis itaque vult locum invenire in cœlesti sede non desinat indigentibus necessaria ministrare.

4. Sed forte dicat aliquis, Tenues sunt facultates meæ, non patiuntur tantas erogationis expensas. Si tibi aliquis domum præclaram hujus temporariæ possessionis offerret, nonne pretio collato undique nummos aggereres; et si forte sacculi tui pondus non sufficeret, rem tibi necessariam mutuata pecunia

comparares, donec ampliata novo cespite possessione gauderes? Ecce possessio tibi regni cœlestis offertur, et quidem parva pretii mercede taxata, quæ possit etiam ab illo facile emi, qui non solet de paupertate causari. Videamus tamen quid sit quod a te nomine pretii postulatur, cibus, potus et vestitus. Ad hæc non invenio cui erogatio non quotidiana suppetat. Si requiras, forte horreis tuis annonæ species exuberat, et novas vini cellulas antiqui gustus fama commendat. Quid tibi prodest servare ista, si nescias lucrativis studere commerciis? Sed dicis, Pauper sum. Numquid sub hac voce illis excusare te poteris, quibus pretia specierum pro temporum sterilitate deponis? Sine causa exiguitatem tuæ facultatis accusas : potes habere quod vendas, non potes habere quod dones? Non sine causa dictum est : *Frange esurienti panem tuum* (*Isa.* LVIII, 7). Ad inhumanos puto pertinere istam sententiam, quorum panes reconditos et incontaminatos solet caries exesa consumere. Frange ergo esurienti panem tuum, ne pereat, et te a consortio regni cœlestis excludat. Addit ad hæc, *Et domesticos seminis tui ne despexeris* (*Ibid.*). Qui sunt domestici nostri? Necessario omnes qui nobis sunt nascendi lege conjuncti. Quid est quod in faciendis eleemosynis non est cujusquam excipienda persona, nec habendum electionis judicium? Quia res quæ necessitati servit, erogationis ordinem non requirit. Quid autem tibi est opus quærere utrum Christianus an Judæus, utrum hæreticus an gentilis, utrum Romanus an barbarus, utrum liber an servus sit ille qui postulat? Ubi incumbit necessitas, non opus est ut personam discutias : ne cum indignos misericordia segregas, Dei Filium pariter amittas. Unde autem scire possumus in qua parte terrarum habitet Christus? Ubique credendus est esse, qui totum noscitur possidere.

5. Sequitur superiora : *Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, et vestimenta tua ante orientur, et præibit te justitia, et claritas Dei circumdabit te. Tunc clamabis ad Dominum, et Dominus exaudiet te. Adhuc te loquente dicet, Ecce adsum* (*Ibid.*, 8, 9). Et hoc propter fracti panis particulam. Quam plus putas acquires, si majora præstaveris? Audite evangelistam dicentem : *Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus* (*Matth.* v, 7). Multi quidem gradus sunt misericordiæ; sed requirendum est qui potissimum existant. Principatus misericordiæ est quidem lapso manum porrigere, erranti viam salutis ostendere, infirmos visitare, in tribulatione positos solatiis inhærere; sed illa est præcipue exspectanda, esurientem pascere, nudum vestire, captivum redimere, ad tempus non habenti necessaria commodare. Invenimus aliquoties præterea multa genera misericordiæ, quibus se vulgo studia humana commendant : quæ cum nullum exhibeant misericordiæ fructum, misericordiæ tamen mentiuntur affectum. De his enim dicit Jacobus in Epistola sua : *Si frater aut soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, dicat aliquis vestrum : Ite in pace, calefacimini et saturamini, non dederitis eis quæ* A *necessaria sunt corpori, nihil vobis proderit* (*Jac.* II, 15, 16). Quis non oderit tale genus misericordiæ, ubi oris elegantia infirmo pietas otiosa blanditur, et infructuosæ cœlo lacrymæ porriguntur? Quid juvat alienum flere naufragium, si negligas corpus expositum; aut prodest animum excruciare dolore alieni vulneris, si deneges poculum sanitatis? Non pascunt esurientem blanda colloquia, nec vestiunt alienam nuditatem infructuosa consilia. Quid juvat fomentis mollibus palpasse mendicum, si non reficias fame moriturum? Quod istud genus est misericordiæ, ut hominem velis vivere, et nolis in necessitate servare? Crudelis est profecto pietas, quæ scit dolere miseris, et nescit subvenire perituris.

6. Quid amplius quæritis, dilectissimi, pro erogatione fracti panis? etiamsi non fuisset vobis cœlestis regni portio repromissa, sufficere peccatoribus deberet illa sententia, quæ mortalibus spem futuræ salutis et lætitiam perpetuæ detulit securitatis. Nam si respiciatis ad vestri **12** laboris fructus et cœlestis indulgentiam pietatis, multo plus recipitis quam datis. Ecce pro pastu pauperis in Evangeliis cœlorum vobis regnum promittitur; pro erogatione fracti panis, et hospitii receptaculo, vel nudati corporis vestimento, opem suam vobis invocantibus per prophetas Dominus pollicetur (*Isa.* LVIII, 9) : in psalmis justitia misericordiæ vestræ in sæculum sæculi collocatur (*Ps.* CXI, 9). Si comparemus terrenis cœlestia, satis parvo constat res tam pretiosa commercio; aut quanta pars est eleemosynæ vestræ ad illa quæ videtur mortalibus Dominus præstitisse? Ecce nos damus terrena, ille cœlestia; a nobis temporanea offeruntur, ille sempiterna largitur. Vultis scire quantum distent a cœlestibus donis vestri census? In comparatione beneficiorum, non est eadem ratio, divitias accipere perpetuas, et dare quæ erant peritura. Ante omnia illis lacrymis consulendum est, quas nuper furor cruentæ hostilitatis indixit. Nec enim deest in quo se opere bona voluntas exerceat. Nam, quod pejus est, multos videmus de sua suorumque redemptione sollicitos, quibus manus porrigenda est. Sed dicis, pauper sum. Nec nos quemquam suademus dare quod non habet : sed cujus facultas tam tenuis est, ut non possit redimere captivum, saltem illud quod est minimum addat ad pretium, ut vel parvo nummo videatur satisfecisse mandato.

HOMILIA VIII.

Item de misericordia.

1. Multæ causæ, dilectissimi, ex evangelica lectione venientes in diversam partem animum trahunt : quas si voluerimus sub unius materiæ propositione disponere, necesse est ut causa causæ impediat, alterius negotii intellectum alter excludat. Quando autem potest fieri ut non confusione multarum rerum aut dicentis, aut audientis impediatur ingenium? Inter cætera ergo, dilectissimi, quibus pro meritis suis, beatitudinis gratiam evangelista commemorat fuisse collatam, interim causam misericordiæ

apud vos putavimus exponendam, quæ quotidiani operis fructum requirit : cætera temporibus suis, cum usus fuerit, exsequemur; ut unaquæque res cum propriis viribus fixa constiterit, alterius causæ materiam non requirat. Ecce dicit Dominus : *Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus* (*Matth.* v, 7). Miror, si post hanc vocem dubitet aliquis nummum suum expendere, cum viderit justis lucra respondere beneficii. Quid autem prodest congestam auri massam sacculo custodire, cum possis quotidie et bene facere, et expensæ fenus pecuniæ reportare? *Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus.* Gaudete, dilectissimi, et securi donate, atque indubitanter expendite. Quis autem non certatim opes suas larga per miseros erogatione dispenset, cum multiplices fructus et duplicia dona se intelligat recepturum? Ecce denique beatos illos Dominus in hac vita judicavit, quibus in futuro misericordiam repromisit.

2. Audite in alio loco Dominum dicentem : *Omni petenti te tribue* (*Luc.* vi, 30). Non est otiosum, dilectissimi, quod omnibus petentibus eleemosynam Dominus dare jubet. Sciebat necessario aliquoties inter malos etiam bonos latere; atque ideo bonos malosque commiscuit, ne cum indignos erogatio nimium cauta præteriret, etiam dignus misericordia indonatus abscederet. Nulla est discretio postulantis; nec est necessitas exploranda pauperis; dantis, non accipientis fructus quæruntur. Non interest cui petenti eroges; non enim requirit Dominus utrum meretur ille qui postulat; sed quærit quantum præstet qui donat. Audite ad hunc locum Apostolum dicentem : *Qui parce seminat, parce et metet* (I *Cor.* ix, 6). Profecto nobis præstamus, quotiescumque miseris subvenimus, lucrum nostrum est, nostrarum erogatio facultatum. Nam si respicias ad spem futuræ retributionis, fenori traditur quidquid esurientibus ministratur, ita dicente propheta : *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus* (*Ps.* xl, 1). His omnibus fidejussor est Christus, qui dicit : Ego vobis in centuplum reddam (*Matth.* xix, 29). Insuper et vita æterna promittitur; impietati et avaritiæ judicii districtio reservatur, ita evangelista dicente : *Cum venerit Filius Hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc segregabit omnes ab invicem, oves a dextris, et hœdos a sinistris; dicens illis qui a dextris sunt : Venite, filii mei, possidete mecum regnum cœlorum. Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus eram, et vestistis me. Dicet illis qui a sinistris sunt : Recedite a me, maledicti, in ignem æternum. Esurivi, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere* (*Matth.* xxv, 31, 32, 34-36, 41, 42). Cogitemus ergo, dilectissimi, et provideamus ne nos retributæ impietatis inveniat. Nam sicut in pascendis vestiendisque pauperibus placatur Dominus, ita læditur in contemptu miserorum; cui tanta est cura infelicium, ut sibi datum judicet quidquid inopem aut vestit aut reficit.

3. Audite Salomonem dicentem : *Fili, benefac tecum, conclude eleemosynam in sinu pauperis* (*Eccli.* xxix, 15). Quisque ergo utilitatibus suis consulere desiderat, non invitus pauperem pascat. Non deest autem in quo quotidie possis lucrum facere, si ad necessitatem respicias paupertatis alienæ. Nam dicit Scriptura : *Eleemosyna et fide peccata purgantur.* (*Proverb.* xv, 27). Ecce hic jejunis faucibus pastum requirit, ille miserabile vestimentum deesse sibi in nuditate testatur. Satis crudelis est et nimium durus quem non tangit dolor, cum partem corporis sui aut debilitas, aut nuditas, aut paupertas stimulat. Parum profecto sibi prospicit, qui non causæ alienæ necessitatis intendit. Nil tibi prosunt divitiæ tuæ, si divitiarum beneficiis non utaris. Nam pars mendicitatis est, congestam secreto pecuniam possidere. Nescis quod non recipit fructum quicumque non seminat, juxta illam sententiam, quam superius commemoravimus, *Qui parce seminat, parce et metet* (II *Cor.* ix, 6)? Hæc est igitur exercendæ culturæ ratio, ut quanto plus homo seminum terræ commendat, tanto futuris messibus spes major accrescat. Qui non seminat, otiosis manibus alios metentes spectat. Nam qui inter cæteros agricolas plus laboraverit, plus reponet. Quando autem potest fieri ut horrea sua vacua despiciat, qui semina multiplicato jugiter sulco terræ commiserit? Quid tibi prodest congestis incubare divitiis, si de his nullum lucrum capias? Videmus denique frequenter inveteratam frugum massam vetustate consumi, et vitiata temporibus vina nullis in posterum usibus profutura jactari. Illud solum aliquoties Domino magis intelligimus profuisse, quod renovandi gratia solet agricola indigentibus commodare. Quidquid autem avaritia servaverit, aut æstas nimia decipit, aut vetustas ingrata consumit, aut tinea damnosa corrumpit. Hoc solum sibi homo reponit, quidquid causa miserationis expenderit. Nam ita dicit **13** Dominus : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque tinea consumit, nec fures effodiunt et furantur* (*Matth.* vi, 20).

4. Provideamus ergo, dilectissimi, ne facultates nostras vermis avaritiæ exterminet. Præmittamus illuc opes nostras, ubi nullus fur irruat, nullus insidiator incendat. Commendemus divitias nostras Domino dicenti : *Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra* (*Ibid.*, 19). Quisquis enim facultates suas in opere Dei fideliter erogaverit, in parte cœli reconditas ac repositas sub justo fidejussore custodit. Nemo sapiens ad hujus sæculi ornamenta respiciat : quæ dum temporaliter voluntatibus hominum serviunt, animis possidentis illudunt. Duo sunt genera divitiarum : unum quod suadet ad mortem, aliud quod ducit ad vitam. Divitiæ mortis sunt, incubare facultatibus alienis, et coacervatam pecuniam infelicium lacrymis comparatam in diem annumerare sæculi hæreditatibus profuturam. Illæ integræ et incorruptæ divitiæ, quibus animæ redimuntur, quibus peccata purgantur. Illius divitiæ acceptabiles Deo sunt, cujus largitate pauper alitur, nudus vestitur, captivus redimitur, vinctus

absolvitur, cœlestis regni hæreditas comparatur. Nolo illas divitias, quæ quotidie augmento suo famem faciunt, et in posterum dignitatis suæ flore nudatæ, amatores suos esurire patiuntur.

5. Recurramus denique ad Scripturas, et intelligetis in comparatione divitiarum sub meliore sorte stare pauperiem. In castigatione enim avaritiæ Dominus quemdam divitem apud inferos Abrahæ patri nostro ita supplicasse assignat, ut mendicum Lazarum in sublimiori loco residentem mitteret, qui refrigeraret os ejus, et æstuantia siti labia restingueret. Cui ita traditur fuisse responsum : *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris* (*Luc.* XVI, 25). Videtis quod quædam vices studia bonorum ac malorum hominum manent, quas studio misericordiæ convenit præveniri; ne infructuosæ divitiæ adversum se ultrices criminum flammas accendant? Paremus itaque nobis, dilectissimi, apud Dominum locum gratiæ, et viam vitæ nostræ munificentia et largitate muniamus. Affectuum nostrorum labem apud Dominum præmissa satisfactione purgemus, respicientes ad illam propheticam sententiam quæ dicit : *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent* (*Ps.* CXXV, 5). Si quis ergo conscientiam suam diligenter interrogat, non otiosis auribus ista suscipienda putet. Non enim poteris in illa die futuri judicii aliter invenire refrigerium, nisi vulnera tua aut curaveris refectione pauperum, aut laveris inundatione lacrymarum. Profusius autem ipsi flete, et facultates vestras flentibus erogate, ut futuris temporibus inter cæteros gaudia metentes, fructus misericordiæ colligatis.

HOMILIA IX.

De eadem misericordia.

1. Quotiescumque, dilectissimi, charitatem vestram pro studio religionis admonere opus est, toties nobis illa sententia evangelicæ lectionis occurrit, quæ futuro judicio inter bonos malosque discernit : quam si quis neglexerit, lacrymas metet; si quis excoluerit, abundantissimos lætitiæ fructus acquiret, ita evangelista dicente : *Cum venerit Dominus in majestate sua, et segregaverit malos a bonis, dicet ad illos qui a dextris sunt : Venite, possidete mecum regnum cœlorum. Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere. Dicet et ad illos qui a sinistris sunt : Recedite a me, maledicti, in ignem æternum. Esurivi, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis bibere* (*Matth.* XXV, 31 *seq.*). Quicumque ergo, dilectissimi, vestrum ad illud cœlestis regni consortium venire desiderat, primo loco paupertati manum porrigat, nec alienas lacrymas otiose respiciat; quia unumquemque sive boni operis, sive mali sententia retributionis exspectat, ita Domino dicente : *Quæcumque seminaverit homo, illa et metet* (*Galat.* VI, 8). Inter cætera ergo, dilectissimi, quibus religiosæ vitæ studio opera apponimus, non prætermittamus necessitatem pauperum, ne perdamus infelicium commercia lacrymarum. In hoc enim stat apud Dominum ratio pecuniæ per miseros dispensata, ut quanto plus homo erogat, tanto fenoris plus reponat. Sic multis seminibus multa parturiunt, ac multis parturientibus multiplicata consurgunt. Audite de hoc quoque Dominum dicentem : *Qui parce seminat, parce et metet* (II *Cor.* IX, 6). Si ergo videtis quod qui parum serit parum metet, ita et qui parum erogaverit, parum recipiet; qui nihil serit, nihil reponit; ita fit ut qui parum recondit, invitus sæpe jejunet. Quando autem potest fieri ut homo horrea sua plena magnis frugibus videat, qui nihil seminis terræ commendat? Si vultis ergo, ut fructus lætitiæ colligamus, largius in lacrymis seminemus : *Qui parce seminat, parce et metet.*

2. Invenimus frequenter hominem, qui cum esurienti semel eleemosynam dederit, mandatum se persolvisse credit. Non igitur deficientes fame artus unius diei pastu refecisse sufficiet : sine causa autem una die bonus est, qui altera descendit ingratus. Nam præcedentis misericordiæ beneficium perdidit, qui putat esurienti semel sufficere quod donavit. Ille autem ad Dominum integros misericordiæ fructus præmittit, a quo pauper numquam tristis abscedit. Jugi medicamine opus est medico, ut gemitus alieni doloris excludat : quia infirmitas quæ in diem crescit, medicinam in diem requirit. Sed nec minore cura nobis providendum est, ut abundantibus eleemosynis curemus, si quid in nobis cruentum, si quid est sordidum. Non enim statim sanantur vulnera quæ semel laveris. Sæpe excisi corporis medicina repetenda est. Si vultis itaque, dilectissimi, ut dies vitæ nostræ nulla avaritiæ culpa contaminet, non claudamus aures nostras ad clamorem infelicium, nec avertamus oculos nostros a nuditate miserorum. Nemo autem sibi putet perire, quod pauperibus donaverit. Nam sicut mendicitas inhumanitatem sequitur, ita opulentia humanitatis studio comparatur; ita propheta dicente : *Qui dat pauperibus, numquam egebit; qui vero avertit faciem suam, in maxima penuria erit* (*Prov.* XXVIII, 27). Ecce aures vestras clamor esurientis increpat, et jejunis faucibus januam tuam sonus vocis deficientis accusat. Quare tibi non occurrit illa sententia : *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem; in die mala liberabit eum Dominus* (*Ps.* XL, 1)? Satis illum negotiatorem constat stultum, qui reconditum sacculo tenet nummum, de quo inde potest habere commercium.

3. Sed quod pejus est, avaritiæ multa consentiunt. Hic ne misereatur pauperi, obstrepit vocem postulantium conturbatione sermonum : ille, ne audiat, aliud audisse simulat. Satis misera est ista vivendi conditio, ut homo dum studet avaritiæ, auribus suis gravitatem conetur imponere. Respice ad illam sententiam quæ dicit : *Qui pauperi miseretur, Deo fenerat* (*Prov.* XIX, 16). Quare ergo dubitet 14 aliquis indigentem pascere, cum videat se ista Christo nostro in pauperis refectione conferre? Sunt aliqui, qui miserabilem mendicitatem spe procrastinatæ humanitatis illudunt; qui cum excusare postulantibus erubescunt, miseros promittendo decipiunt. Ecce hic

dicit, Clavis deest, custos absentat; cum primum fueris reversus, accipies. Non cogitas illam sententiam Salomonis, quæ dicit : *Ne dixeris, Abi et revertere, cras ego dabo, cum possis statim benefacere* (*Prov.* III, 28). Unde scis quid contingat sequenti die? Dicis, Cum primum fuerit reversus, accipies : quando est illud, esurienti ut villicus tuus redeat, qui forte te volente frequenter absentat? quando est, ut ad clamantem illa fastidiosa secretorum tuorum claustra dissiliant, quæ dum tuæ serviunt voluntati, nesciunt aperiri? Dicis, Cum fueris reversus, accipies. Quid si nudum gravior solito tempestas cædat? quid si deficientes fame artus exitus vicinæ mortis excipiat? Quis non judicet tuo judicio deputatum morti, quem videt tuo beneficio potuisse servari? Cum fueris reversus, accipies. Cujus fide redit, quem virtus tota destituit? aut qua spe domum repetit, qui pridie confusus abscessit?

4. Deponamus quod promissioni tuæ redeundo satisfaciat, forte sub hac qua pridie conditione venturus. Satis justius plane est, eleemosynam statim negasse, quam esurientem spe promissa decipere. Audite Dominum dicentem : *Frange esurienti panem tuum* (*Isa.* LVIII, 7-9). Requiramus si vultis, dilectissimi, qua fractus panis mercede pensetur. Ecce dicit Dominus : *Frange esurienti panem; si videris nudum, vesti eum; et domesticos seminis tui ne despexeris. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, et vestimenta tua cito orientur, et præibit ante te justitia, et claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis, et Deus exaudiet te; et dum adhuc loqueris dicet, Ecce adsum.* Videte, dilectissimi, quantum nobis constet erogatio tenuis expensæ, ut ad petitionem nostram tantæ majestatis Dominus dignetur occurrere. Nam et alibi dicit : *Qui dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, amen dico vobis, quia non peribit merces ejus* (*Matth.* x, 42). In hoc loco voluntas requiritur, non facultas. In maximis enim affectum integræ devotionis ostendit, qui in minimis votum miserationis exhibuit. Unusquisque ergo, dilectissimi, prout habet, ut potest, eroget, largiatur, expendat. Nemo claudum refugiat, nemo surdum non audisse se fingat, nemo debili manus subtrahat, quia omnia ista in retributione consistunt. Vestire enim pauperem, corporis sui est operuisse nuditatem; lucrum autem magnum est refecisse mendicum. Sic enim dicit Dominus : *Quæcumque feceritis uni ex minimis istis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 10). Tanta est enim apud Dominum nostrum cura miserorum, ut sibi præstitum putet quidquid egentibus erogatio miseranda contulerit. Videmus igitur aliquoties inter abundantis vini frumentique commercia egentes viduas, quas sexus et senectus decepit, quibus nec laborandi, nec providendi virtus suppetit. Satis ille impius est, quem non ad misericordiam provocat aut infelicitas desolationis, aut infirmitas senectutis. Videmus, et quod pejus est, frequenter multitudinem captivorum nudis errare corporibus. Quid tibi prodest abundantia divitiarum tuarum, si in conspectu tuo unus algeat, alter esuriat?

5. Ecce imminet tempus, dilectissimi, justæ retributionis et promissæ in cœlestibus munus hæreditatis. Erogemus ergo et expendamus in hoc sæculo, si vultis partem divitiarum obtineamus in cœlo. Audite Dominum dicentem : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo* (*Matth.* VI, 20); et alibi : *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt* (*Luc.* XII, 33). Bene, dilectissimi, Christus noster boni operis fructum pensata facultatum qualitate disposuit; ut in faciendis eleemosynis nec dives, nec pauper excusare se possit : ita ut huic qui plurimum possidebat, thesauros juberet erogare; illum quem noverat paupertatis squalore sordere, esurienti panem juberet frangere. Quæ autem tam vacua horrea, quæ sustinere non possint tam tenuem erogationis expensam? aut qui tam miseri census, quos possit conturbare mendicus? Facile sane et sine difficultate potest implere mandatum, cui ultra possibilitatem nihil constat impositum. Scio quidem census tenues frequenter bonæ voluntati obsistere, ita ut non sit in quo se opera pretiosæ cogitationis extendant. Sed si illa quæ majora sunt implere non possumus, vel hæc quæ parva et facilia sunt non prætermittamus. *Frange esurienti panem.* Ad hæc quis non devota mente respondeat, quamvis paupertate oppressus sit, et tota victus mendicitate suspiret? Alioquin aut nimium mendicus, aut satis vanus est, qui in facienda eleemosyna non est fracti panis erogatione contentus. Sed dicis : Multa minutatim dispensata massam faciunt. Verum est : sed quantum est istud ad illud quod dicit Dominus : *Ego vobis reddam in centuplum, insuper et vitam æternam* (*Matth.* XIX, 29)? Tu tamen, qui tam invitus fracti panis portiunculam porrigis, quid faceres, si a te auri pondus, si argenti pretiosum talentum, aut aliquid integrum peteretur? Nescio, si tu aliquando dato magno pretio captivum redimas, qui de re tam parva suspiras. *Qui pauperi miseretur, Deo feneratur* (*Prov.* XIX, 16). Unde, dilectissimi, moneo ut nemo partem divitiarum Deo subtrahat, qui justis laboribus non difficilem boni operis fructum reportat, cum misericordiæ mercedem multiplici miseratione compensat. Non dubitemus itaque erogare, non dissimulemus expendere. Maxima enim semper fuit apud cultores terræ spes alendæ vitæ, ex abundantia seminasse.

HOMILIA X.

De parasitis.

1. Quotiescumque, dilectissimi, pro studio disciplinæ, ad confusionem malorum, opus fuit bonarum partium virtutes exponere, multum amicitiis honoris exhibuimus, cum singula quæque pro suis meritis laudaremus : præferendo fraternæ conjunctionis studia, quæ pacis et charitatis juncta consortio, vitam perfectæ religionis instituunt. Sed dum assidue singularum rerum causas curiosus inquiro, et honestis actibus officium sermonis accommodo, multum in ipsis amicitiis quod mihi displiceret inveni. Unde ne quid in adulatione bonarum partium subtraxisse videar disciplinæ, ausus sum inter illas inimicitiarum culpas

etiam amicitias castigare, si tamen amicitiæ dicendæ sunt, ubi operatur injuria multis acta vulneribus. In quo loco ad excusandam exsecrabilis erroris invidiam, aliquanti forte lusum prætendant, et pœnalibus causis lætitiæ nomen imponant. Ferat hoc quo libet animo, qui hujusmodi contumeliis subjacere consuevit. Ego ibi amicitias excessisse omne genus captivitatis puto, ubi nec læso irasci, nec irato, convenit vindicari. In quo loco, dilectissimi, quem ex 15 duobus infeliciorem judicem, nescio : utrum illum qui aliena deformatione vivit, an istum qui corpus suum ludibrio prostituit et illusionibus tradidit. Nemo mihi in talibus causis patientiæ nomen imponat : ad luxuriam profecto pertinet pœna, quam irascentis inimici non extorquet injuria. Sed forte istis danda venia sit, quos ad omnem contumeliam paupertas trahit, et infelix penuria luxuriantibus plagis subjacere compellit; qui dum necessitati serviunt, contumeliis acquiescunt. Esto ut his patientiam causa improbæ paupertatis indicat; quid de illis judicamus, quos aliena pascit contumelia? Qualis iste gradus est amicitiarum, quem vinxit pœna, asperavit injuria? aut quæ illi potest esse gratia familiaritatis, ubi est quotidie pœna venalis?

2. Erubesco quidem, dilectissimi, in confusione miserorum quos fames improbæ cupiditatis illexit; sed multo plus illorum actu et conversatione suspiro, apud quos pœnalis amicitia tristitiam removit, et lætitiam cruentus amor familiaritatis exegit. Infelices quidem illos judico, quos ad jugem contumeliam venter invitat, et ad omnem injuriam gula numquam poculis exsatiatura sollicitat. Sed istos multo infeliciores puto, qui amica instigatione pugnas instituunt, et inter fluentes mero calices alieno sanguine satiantur. Ecce hic convivium instituit, et votivo quodam apparatu undique greges adulantium congregavit. Inter quos procedit parasitorum gula : cui consuetudinis est injuriam mero vendere, et poculis scissa plagis vestimenta sarcire. Videte ergo, quomodo isti ferant odiorum causas, apud quos cruentas esse placet amicitias. Quid non invenit infelix ac damnosa luxuria? Ecce fit spectaculo homo homini : et ad excitandam lætitiam aut sermo turpis, aut vultus exigitur fœditatis. Huic denique manducanti barba vellitur, illi bibenti sedilia subtrahuntur; hic ligno scissili, ille fragili vitro pascitur. Tanta est igitur libido ridendi, ut putent miseri nullum sine lætitia transire convivium, nisi in cibos verterint aut vestimenta corporum, aut ministeria poculorum. Quantis autem putatis miseriis ista constare? Ecce quidquid detrimenti mensa fecerit, insatiabilis venter acquirit. Nam qui hujusmodi voluptatibus servit, etiam mercedem laboris sui aut bibendo conterit, aut vapulando consumit.

3. Sed hæc ante omnia illis imputanda sunt, quæ lætitiæ causa ad tam fœdum ministerium gradum amicitiæ et familiaritatis inclinant. In meliore profecto statu est apud Dominum servitus, quæ standi lege deputato paret officio. Est illi inter accumbentes locus ridendi, et nulla tamen inter exspectantes tenetur culpa peccati. Ecce instruitur acies poculorum telis armata. Exspectatur primum in contentione verborum victoria : nec finis ponitur, donec abundantibus lacrymis aspera quæque poculorum temperentur. Polluere est magis quam exornare convivium, exspectare infelicium pugnas amicorum : si tamen amici dicendi sunt, qui captivorum lege serviunt, et gladiatorum more pascuntur. Datur misero inter ciborum novitates, vini liquores, quidquid vilius, quidquid asperius, ut in tanta rerum abundantia incertum sit utrum esurire aut sitire sit melius. Minus plane ludibrio subjacet tenebrosis sedibus deputata captivitas; ubi quamvis sustineat homo durum dominationis imperium, accipit tamen ex ipsa rerum necessitate solatia. Non enim habet, in quo possit erubescere, cui necesse est invito servire. Velim tamen scire, dilectissimi, in quo reficiat exspectantis animum injuria deformitatis alienæ. Asserant forte hujus rei amatores jocis ista præstari : quasi re vera desit unde homo non requirat.

4. Ostendam vobis, si placet, oblectamenta non incommoda, quæ facile omnem tabescentis animi possint mœstitiam removere. Ecce infantibus quam sunt verborum admiranda principia : ubi primum informis littera vocabulum matris operatur, et distantis syllabæ gemitus patris nomen orditur? Quis autem ibi lætus non sit, cum inter illa sermonum dura rudimenta, luctantes labiorum sonos rudis lingua decipit, et os trepidum stillantia verba destituit? Quod si forte spectaculis delectaris, habes equorum, licet aliquoties periculosa, satis tamen grata certamina, cum plagis gradu concito ventos aut timeant aut rapiunt. Nec parum lætitiæ conferunt illa studia venationum, et canibus acta certamina, quæ nec periculis, nec damnis constat exposita : cum hic in conflictu æmulis cursibus aurito lepori imminet, ille argutis naribus cervi vestigia latentis inquirit. Quæ tamen dimittenda sunt sæculo, in quo antiquo æstuat errore luxuria. Nos vero aliter decet, quos Christus noster suis legibus vinxit, et ab illa superstitiosæ gentilitatis stultitia segregavit. Licet nec nobis desint spectacula, quæ tristitiam relevent, et anxium curis animum sufficienter oblectent.

5. Ponamus nobis ante oculos illas pugnas martyrum, et intueamur admirabilium exempla virtutum; et videbitis subito accrescente lætitia cedere omnes infelicium æstus animorum. Cui autem non lætitiam paret pugna, justis partibus succedente victoria, quam ferus hostis admotis tormentorum stimulis in sanctorum persecutione composuit? Quis igitur non rideat, quis non lætus sit, cum videat militem Christi nostri suppliciis exsultantem? erubescente persecutionis auctore, victum plagis cessisse tortorem? Si quis forte dulcisoni cantus delectatur auditu, ad psallentium prophetarum choros sollicita latius corda convertat. Impleatur os nostrum cœlestium exsultatione psalmorum, referente Christo nostro gratias, qui spe reddiæ salutis in honore nominis sui jugiter exsultare nos voluit. Hæc sit exsul-

tatio cordis nostri, ut die noctuque lætemur in Domino. Hoc est autem exsultare, mandatis Domini tota mente servisse. Mandatis autem Domini servit, qui vitam suam ab omni vitiorum contagione custodit. Ille vitam suam custodit, qui fidem proximis suis exhibet, pacem diligit, amicitias colit. Hoc est igitur amicitias colere, alienam iracundiam moderationis studio sustinere, et ferventes fratris animos patientia temperare. Ita est, ut futuro judicio inter cæteros inculpatus incedas, si de Christo nostro in his omnibus quæ diximus, te probatum castigatus exhibeas.

HOMILIA XI.

Qui gloriatur, in Domino glorietur.

1. Non recte sentiunt, dilectissimi, qui putant vitæ ornamenta proprio labore componi, et sine adjutorio omnipotentis Dei virtutum posse merita comparari. Si ergo nostrum est tantum quod boni sumus, quare vitiis subjacemus? aut si ex nobis descendit omne quidquid potest hominem aut ornare aut salvum facere, **16** quare pereundi lege concludimur? Omnem profecto modum sacrilegæ superstitionis excessit, qui in laboribus justis partem Deo subtrahit, a quo sapientiæ spiritum accepimus, qui totum hominem regit, et ad omne opus bonum mortalium mentes accendit, cujus est quidquid ex illa justitiæ sede descendit. Omnia itaque laborum insignia ad Deum referenda sunt, ne sancti Spiritus dona rescindat. Nimiæ autem præsumptionis est vitium, imperatore pugnante militem solum palmam velle reportare victoriæ. Sane si vultis potestis agnoscere cui mala, cui bona debeant imputari, propheta dicente: *Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine* (*Ps.* CXVIII, 65). Item alibi: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus* (*Ps.* XIII, 1). Videtis ergo, quod bona nostra Divinitati debemus ascribere; mala autem humanis moribus imputare; quia ut bona procurante Domino creantur, ita mala diabolo auctore nascuntur.

2. Sed ut intelligatis vitam Dei munus esse, mortem diabolo subjacere, audite evangelistam dicentem: *Venite, filii, possidete mecum regnum promissum vobis a constitutione mundi. Esurivi, et dedistis mihi manducare* (*Matth.* XXV, 34, 35). Aliis vero dicit: *Recedite a me, maledicti, in ignem æternum, quia non dedistis mihi manducare* (*Ibid.*, 41). Videte ergo quod boni actus cœlo serviunt, mali inferni sedibus deputantur. Divisio autem actuum nostrorum est: cum bene facimus, Christi sumus; cum mala operamur, in diaboli potestate transimus. Numquam enim deserit Dominus voluntatem religionis studio florentem: nec desunt solatia divinitatis, ubi sunt actus bonæ conversationis. Tunc sane nos bona deserunt, cum deteriora succedunt: quia non dubie divino auxilio destituimur, postquam iniquitatis desideriis occupamur. Assistente igitur Deo ac Salvatore nostro, sine dubio dominatio diabolicæ potestatis absentat. Ubi autem virtutum Dominus discesserit, facile hostis aulam vacuæ possessionis invadit. Una est itaque spes salutis nostræ, ut malorum actuum ordinem nobis imputemus, bonorum Dei virtutibus ascribamus. Cito autem ille ad se imperium diabolicæ potestatis admittit, qui divinæ majestatis solatia non meruerit obtinere.

3. Sperandum ergo in Domino, ut boni simus: et cum boni fuerimus, in Domino gloriandum. Audite Apostolum dicentem: *Quid habes quod non accepisti? Si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* (I *Cor.* IV, 7)? Hæc actuum nostrorum perfecta gloriatio est, si gloriemur in Domino, apud quem victoribus virtutum corona componitur. Ibi sane de se hominem gloriari oportet, ubi pro nomine Domini voluntaria crucis pœna succedit: quæ tamen gloriatio hunc habet fructum, si auxiliante Christo mereatur effectum; nam propheta in hoc loco dicit: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam, in vanum vigilant qui custodiunt eam* (*Ps.* CXXVI, 1). Videtis ergo quod nec sine Domino quod bonum est ædificari, nec ædificatum sine Domino poterit custodiri. Ædificatio divinæ hujus domus ædificatio est vitæ nostræ, quam oportet divinæ majestatis auxilio communiri. Rogandus itaque semper est Christus noster ut in nobis bona nutriat, et exorandus ut nutrita custodiat; atque ita intelligentiæ nostræ corda componat, ut omnia quæ bona sunt, gloriæ cœlestis potestati assignet.

4. Stultitiæ vero genus est, ut homo suum esse judicet quod laboravit, qui in alterius potestate consistit. Ecce hic modo divitiis exsultat, modo paupertate suspirat: si in manus nostras sunt bona nostra, quare non cum volumus aut penuria cessat, aut divitiæ perseverant? Hic modo sanitatis vigore attollitur, modo infirmitatis dolore vexatur: si in potestate hominis esset vitæ nostræ salus, numquam periclitaretur mendicus, nec moreretur infirmus. Requirat denique unusquisque initia vitæ suæ, et auctorem quærat generis humani, quis corpus formaverit, quis membra composuerit, quis terrenam materiam in humanum usum fecerit vegetare. Nonne hæc omnia Dominus Sapientia procurante constituit? Cum ergo non sit nostrum quod sumus, quomodo nostrum est quod habemus? Stultitiæ genus est, ut cum alii debeas vitæ beneficium, tibi ascribas ornamenta virtutum. Ecce hic honore extollitur, ille sibi de corporis integritate blanditur; hic divitias labori suo imputat, ille scientiam doctrinæ vigiliis assignat. Nec nos negare possumus ornamenta religiosæ vitæ vigilantiæ studio comparari. Sed ibi Deus est, ubi integræ religionis est animus, ita Apostolo dicente: *Exemplum ejus quæritis qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII, 3)? Satis ibi vacillat humanum studium, ubi non requiritur Dei auxilium. Nam non dubie periclitatur fides, si non muniatur patrocinio divinitatis. [a] Nostrum est igitur bonum velle, Christi vero perficere. Nam ita Apostolus loquitur: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* (*Rom.* VII, 18). Vides

[a] Vide infra his Valeriani homiliis subjectam Sirmondi epistolam § 2 ac Patrum antiquiorum sententias eidem appositas.

ergo boni operis voluntatem ex nobis debere descendere, perfectionem vero in Dei potestate pendere. Quare autem aliquis mortalium fieri bona suo tantum studio assignet, cum dicat propheta : *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Ps.* XIII, 3) : et Evangelista itidem doceat non esse bonum, nisi solum Deum (*Matth.* XIX, 17)? Ergo videtis, quod si quando boni videmur, bonitatem Dei operamur. Audite Apostolum dicentem : *Vos estis templum Dei, si tamen Spiritus Dei habitet in vobis* (I *Cor.* III, 16). Templum profecto Dei sumus, sed cum bene facimus. Si ergo templum Dei est homo, necessario Dei est quod habemus in templo.

5. Sed hæc bonis diximus. Verum non est Dei templum, ubi convenit multitudo vitiorum. Nam ubicumque crimina porriguntur, ibi diabolus dominatur. Ad illum scilicet respicit pompa divitiarum, qui sibi in magna domo vindicat principatum. Nos procuratoris loco fungimur, si aliquid lucri fecerimus, referetur ad Dominum; si damni, referetur ad procuratoris exitium. Quidquid enim servus in domini positus potestate laboraverit, necessario domini est. Habet quidem servus gratiam laboris sui, sed domino debet fructum operis impleti. Denique utili servo ad hoc pecunia creditur, ut domino duplicati fenoris lucra numerentur.

6. Respicite itaque ad consuetudinem conversationis humanæ, et intelligetis utili servo ad hoc pecuniam credi, ut domino duplicati fenoris lucra numerentur. Nam ita in hoc loco evangelista dicit, ad eum qui lucrum [a] quadruplicatæ pecuniæ reverso de peregre domino portavit : *Euge, serve bone, quia in pauca fuisti fidelis, in multa te constituam, intra in gaudium domini tui* (*Matth.* XXV, 23). Ita dominus laudatur in servo bono, servus bonus prædicatur in domino. Unde cavendum est ne quando quod ad gloriam boni operis pertinet, nostris virtutibus ascribamus, scientes quod non per jactantiam victoriæ corona componitur, sed per fidem et confessionem Dominicæ Passionis, quibus respondent bonorum operum studia. Hæc est illa pecunia, cui diximus **17** cœlestis regni respondere beneficia. Hoc illud negotium justo fenore duplicatum. Hæc est illa retributio meritis debita ac beatis laboribus repromissa.

7. Multiplicetur ergo in nobis pietas, fides, misericordia, bonitas; ut cum venerit Dominus facere rationem cum servis suis, intremus in gaudium Domini Dei nostri. Quod facile obtinere possumus, si usque in finem cœlestia mandata servemus. Sed non otiose nobis laborandum est, ut mercede digni judicemur. Justis autem actibus facile honesta succedunt, si tamen non occupent animum pravæ voluptates, quæ non difficile in ventos evanescunt, si non divinæ majestatis solatia requirantur. Quisquis ergo est in hoc quo stat salus homini, religionis ordine constitutus, non extollatur gloria sanctitatis : sed magis fructum laboris sui Domino reservet, qui unicuique pro meritis cœlestia dona componit. *Qui gloriatur* itaque, *in Domino glorietur* (I *Cor.* I, 31). Omni ergo studio agendum est, dilectissimi, ut vitam nostram Domino ita fides pura commendet, ne quid extollentia humana sibi vindicet, aut suis laboribus donet. Totum autem perdidit quod laboravit, qui propriis virtutibus fructum sanctitatis ascripserit.

HOMILIA XII.

De bono conservandæ pacis.

1. Solliciti sint forte aliqui malivolis exprobrare verbis studium bonæ voluntatis, et timori aut ignaviæ ascribere, si quando homo litibus cedit, et exulceratus injuriis ad omnem patientiam quietis amore confugerit. Ad confutanda tam pravæ mentis judicia, sufficere quidem deberet evangelicæ lectionis admonitio. Sed quod ex nobis est, fidem rerum etsi exiguo sermone prosequimur; atque ea quæ plenitudo religionis postulat, pro affectu quo charitati studemus, votis competentibus adjuvamus : licet sciam antiquis legibus ita multos devicto amore servire, ut odiis semper impugnent quidquid servandæ pacis cura suggesserit. Siquidem id ipsum quod dicturi sumus, multis divinarum Scripturarum testimoniis approbemus, ita in hoc loco Domino dicente : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt* (*Matth.* V, 44). Non dubito quod aliquantis satis otiosum et impossibile videatur pro inimicitiis amorem deferre, pro contumeliis gratiam retulisse. Et vere, dilectissimi, difficile est, ut accepta injuria dolor non in quacumque parte corporis desæviat. Sed sapientis est supervenientem dolorem aut patienter ferre, aut fomentis mollioribus temperare. Infinita autem virtus est, odia vicisse beneficiis. Nam ille inter cæteros palmam perfectæ virtutis obtinet, qui ad vicem veneni pocula dulci melle componit.

2. Primus itaque dilectionis gradus est charitatis affectum amicitiis nutrire; integræ autem dilectionis est cumulus, odium amore repensare. Illud beneficiis ascribitur, hoc virtutibus deputatur. Additur præterea ad cumulum perfectæ dilectionis illa sententia, quæ ait : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi; hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus* (*Rom.* XII, 20). Quicumque ergo tu es, quem alienæ insolentiæ inquietat injuria, et dolor contumeliis excitatus stimulat; si vis perfectus esse, animorum iracundiam moderatione compesce, et a te patientiæ bono odia improbæ indignationis exclude : aut certe, si tantum vindicare desideras, miserere ab his qui ignorant salutem animæ in hac dilectionis perfectione pendere. Forte odiis odia compensentur, et ad compensandum facinus vicaria injuria. Provocasse quidem ad iracundiam fratrem, crimen est; sed provocatum non cessasse, deforme est. Ita enim odiorum semina abundantissimos iniquitatis fructus reddunt, et scelerum pœnas operantur, et cum auctor

[a] Emendabis mecum et leges, *duplicatæ*, ex ipso Scripturæ textu. COTELER. Monum. Eccl. Gr. tom. II pag. 545, b. — Restitutionem confirmant quæ mox subjicit auctor : *Hoc illud negotium justo fenore* DUPLICATUM.

litis erubescit fratri satisfacere, et læsus justo, quantum ipse putat, judicio vindictam illatæ requirit injuriæ.

3. Audistis ecce, dilectissimi, quibus pacis studia fructibus gratulentur, nunc discite quantis odia criminibus incusentur. Sic enim proponit evangelista, Domino dicente : *Qui odit fratrem suum, homicida est* (I *Joan.* III, 51). Videte utriusque partis retributionem. Huic pro odio fratris homicidii macula ascribitur, illi vindicta pro parva eleemosyna præparatur. Respice denique et vide quanto te amicitia quietis et pacis honore circumdet, quantum tibi favoris exhibeat, si adversus inimicitias amore contendas. *Diligite inimicos vestros* (*Matth.* V, 44). Longe autem minor fructus est, si amantem te diligas. Alienis enim moribus servit, qui non amantem diligit; suis autem moribus servit, qui amantem diligit. Ad illum necessario charitatis gratia pertinet, qui inter duos prior affectum amoris exhibuit; qui amantem diligit, debitum reddit. Nam non est novum meritum, ubi alterius præcedit officium : nec perfectioni ascribendum est, ubi muneribus munera, præmissis officiis redduntur officia. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum* (*Rom.* XII, 20). Numquid dixit, Si esurierit amicus tuus, ciba illum? Tu inimicum tuum pasce; nam amicus ipse sibi præstat ut non esuriat : quid autem ibi operatur tua eleemosyna, ubi amicum pascit amicitia.

4. Videamus tamen quid intersit inter eum qui indigentem amicum pascit et eum qui esurientem inimicum reficit. Ille gratiæ reddit debitum, hic exhibet miserationis et virtutis exemplum. Gloriosum est quidem indigentem fratrem pascere, sed fortius est inimico in necessitate posito subvenire. *Diligite inimicos vestros.* Forte illi quem recens pulsat injuria, videantur ista non convenire rationi. Sed respiciat, quicumque est, ad vitæ suæ quietem; et intelliget quia inimicum dilexisse, vicisse est. Infinitum autem est, quantum periculi homini incumbat, cum duos æmulo furore consimiles ad pugnam ille diabolus magister litis armaverit, cujus est consuetudinis ad instiganda odia amaros portare ac reportare sermones. Quando est autem ut ille diem sine tribulatione transigat, vel quando est ut ab illo nox sine impia cogitatione discedat, quem ira indignatione stimulat? Numquam profecto sine suspicione vitam ducet, cui est semper necesse cogitare et timere quem læserit. Summa itaque cura sunt dolores asperi blando verborum medicamine temperandi, quatenus et duritia cordis pacis studio castigata mollescat. In quo loco beatos illos judico, qui verba labiorum suorum tacito ore custodiunt, et memores cœlestium mandatorum alienæ vocis contumeliam non requirunt. Cessant enim odia, ubi non reputatur injuria; nec habet ullam virtutem iracundia, si desit unius in contentione persona. Ita duplex patientiam manet victoria : hominem vicisse proprios animorum motus, et temperasse mores alienos.

5. Scimus quidem, dilectissimi, quod aliquoties in contentione verborum laceratis auribus corda suspirant. Sed ipse sibi injuriam facit, qui litigiosi hominis **18** verba custodit : ipse se maculat, qui alterius dicta queritur in se fuisse collata. Plena victoria est, ad clamantem tacere, et non respondere provocanti. Habes enim mercedem et de tua patientia, et de fratris medela, si oblivioni deputetur injuria; ubi enim verbis verba succedunt, incendio fomenta præstantur. Sicut nihil est deformius respondere furiosis, ita nihil utilius tacere provocatis. Nam sic accrescunt inimicitiæ, si cum alter se verbis defendit, alterius dicta alter accuset : nullus autem est finis inimicitiis, nisi ad tempus obtemperemus iratis. Dicis forte, Non est culpa, si illud quod dicit propheta feceris : *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis* (*Psal.* CXL, 3). Si non vis injuriam pati, religa plectrum oris tui, et obtura aures tuas, ne ad te irascentis fratris verba perveniant; aut certe si pervenerint, silentio deputentur. Sic fit ut conceptus furor virtutem perdat, si uno tacente alter solus insaniat.

6. Audite Apostolum dicentem : *Dilectio proximi malum non operatur* (*Rom.* XIII, 10). Vultis scire quod sit istud malum, quod gratiam fraternæ dilectionis excludit? odia, rixæ, simultates, lites, æmulationes, quæ omnem cursum vitæ præsentis infamant. Hoc ergo malo absolutus est, qui charitati servit : nec habet in eo locum ruina vitiorum, qui calcatis odiis integrum charitatis custodit affectum. Addit ecce dilectionis augmentum evangelista, dicens : *Dilige proximum tuum, sicut temetipsum* (*Matth.* XXII, 39). Videamus qui sit iste proximus, quem tanto studio evangelista commendat. Non ita propheta gradum parentelæ aut necessitudinem consanguinitatis exposuit, ut extraneos a gratia fraternæ dilectionis excluderet. Proximus tuus est omnis homo, qui eadem tibi est Christianitatis lege conjunctus; proximus tibi est, qui ab Ecclesiæ consortio non videtur alienus; proximus tibi, quicumque est proximus Christi. Qui ergo proximum diligit, Deum diligit. Ita qui Deum diligit, oportet ut Christi sui proximum veneretur. Propheta laudans conjunctionem fraternam dicit : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII, 1)! Quid in vita hominis est bonum, nisi pax, sub qua omnia quæ sunt honesta proficiunt ac religiosa nutriuntur? Quid est jucundius quam ut omnes gentes uni Deo in pace serviant, atque in unius Domini laudem omnium populorum vota conveniant? Habitare in unum hoc est, in unum Deum credere, et in uno Dei Filio fideliter permanere. Hæc est mortalibus utilis et jucunda conjunctio, ut non dividamus, sicut hæretici faciunt, Patrem a Filio, nec Filium a Patre, nec Spiritum sanctum ab utroque; sed credamus hæc tria nomina per personas divisa, unius deitatis gaudere consortio. Ita fit ut cum in unum convenerit, nullum sit in Ecclesia dissidium charitatis.

7. Vitemus ergo semper, dilectissimi, odia : sed ut odia vitare possimus, ante omnia causas vitemus odiorum. Primo loco cesset invidia, quæ ad omnem

litem animos humanæ mentis accendit. Nemo in comparatione personæ alterius natales infamet; et non est quem insolentia sui oris accuset. Cavendum ante omnia est, ne quid per concertationem simultatis accrescat. Solet enim insanabilis inimicitia ex contentione descendere. In quo loco patientia opus est, cui non sine fructu propriæ salutis obsequeris. Nam sicut illum qui injuriam fratri infert gravis peccati manet culpa; ita te maxima protegit virtutis corona, si accepta non irasceris injuria. Ille enim dilectionis plenus affectus est, si oblitteratis contumeliis, infirmitatibus miserearis alienis. Scimus quod gloriosum est aliquantis, exspectare benignis oculis pœnas corporum aut damna miserabilium facultatum. Sed si qui sunt isti, audiant Dominum dicentem : *Orate pro calumniantibus vobis* (*Matth.* v, 44). Multi accepta injuria vicariam contumeliam parant, et vindictæ locum animo latrocinanti exspectant. Et ubi est illud quod Dominus dicit : *Nemini malum pro malo reddentes* (*Rom.* XII, 17)? Ac ne aliquid sibi vindicaret iracundia, potestatis etiam spem abstulit ultionis, cum dicit : *Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus* (*Ibid.*, 19). Dimittat ergo unusquisque fratri suo ex toto corde. Nullus recolat injuriam, nemo quærat ira perseverante vindictam. Sint tibi cum inimico tuo semper blanda, sed pura colloquia : cessent obtrectationes, et cessant lites. Sic est ut a te diligatur inimicus, si non addas causas quibus semper inflammetur iratus.

HOMILIA XIII.

Item de bono pacis conservandæ.

1. Aliquanti forte æstimant, dilectissimi, ab antiquis legis justitiam quam criminosi satis duram judicant, nimiæ bonitatis præjudicio fuisse calcatam ; ex hoc quod dicat Dominus in Evangelio : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, et orate pro calumniantibus vobis* (*Matth.* v, 44). Satis crudelis est, dilectissimi, qui putat justitiæ non convenire bonitatem, cum una atque eadem sit ratio Providentiæ, malos bonitate compescere, bonos legis vinculo custodisse. Denique currite ad sanctum David, et invenietis fontem justitiæ ac bonitatis unius esse virtutis, qui ita in parte psalmorum loquitur : *Bonus es tu, Domine, et in bonitate tua doce me justificationes tuas* (*Ps.* CXVIII, 68). Nemo ergo dilectissimi, legis descriptionem aliud putet esse quam bonitatis pietatisque consortium : quæ cum disciplinæ studet, honestis actibus mores instituit, et concitata iniquis cogitationibus corda severitate compescit. Nam ut sciatis nihil de antiquo jure fuisse subtractum, audite Dominum dicentem : *Non veni legem solvere, sed adimplere* (*Matth.* v, 17).

2. Non sine causa, dilectissimi, Christus noster præsentis ac veteris Testamenti præcepta unum corpus esse voluit. Sciebat alteram partem sine alterius adjutorio stare non posse : et vere ita est. Nam ubi est districtio judicantis, temperamentum semper opus est bonitatis. Omne denique poculum, dilectissimi, cujus auxilio medicina spem humanæ salutis operatur, ex amaris speciebus et dulcibus constat. Quod si quis medicus rationis ignarus nequeat temperare, dum remedium quærit, mortifera ægris venena componit, quæ ita omnes extrinsecus dolores accendit, si tristes herbarum succos æquis nesciat miscere ponderibus. Ita et lex, dilectissimi, quæ Christiana jura moderatur, ex amaris et dulcibus, hoc est, ex antiquis et præsentibus institutis est condita. Nam ut est peccatoribus ingrata, ita et justis tota est verborum suavitate composita : in tantum, ut his cœleste promittat regnum, illis gehennæ minetur incendium. In qua si quis sapiens noverit humilitatis et pacis adjectione confectionis servare mensuram, nullam exinde districtionis juris patietur injuriam. Nam ut est facile aspera quæque pocula mellis suavitate mollire, ita non est difficile honestis actibus antiqui juris amaritudinem temperasse.

3. Si quis itaque **19** vestram justitiam amat, utriusque Testamenti mandata [a] studeat, atque ita novellis legibus serviat, ut illa quæ sunt antiquitus constituta non prætermittat. Sic ergo implebis legem Christi, si nihil de antiquis aut præsentibus institutis subtraxeris veritati. Quis autem sapiens opus justitiæ fructum neget esse bonitatis, cum audiat prophetam dicentem : *Bonum mihi quod humiliasti me, ut discerem justificationes tuas* (*Ps.* CXVIII, 71)? Non dubito esse aliquos, dilectissimi, qui sub hac sententia perfectam putent stare justitiam, quæ dicit : *Oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Levit.* XXIV, 20). Dominabatur quidem ista dudum apud sæculi homines : sed ideo, quia necdum auctor venerat bonitatis. Qualem autem illam putatis fuisse justitiam, quæ solam mortis operabatur injuriam? Et nullus profecto adhuc pœnæ finis esset, nisi Christus noster cruentis legibus oleum misericordiæ miscuisset, hoc est, vere sine dolo implesset justitiam, bonitatis exhibuisset doctrinam. His ergo, dilectissimi, eruditionibus instituti, antiquæ legis amaritudinem dilectionis studio temperemus; ne videatur ille perfectæ modum excessisse justitiæ, qui illatæ vicem reportat injuriæ.

4. Ecce dicit evangelista : *Diligite inimicos vestros* (*Matth.* v, 44). Forte aliquantis videtur absurdum, contumeliam amore repensare. Non est impossibile inimicum diligere, si partium tuarum utilitatem cogites. *Diligite inimicos vestros.* Nemo sub hoc mandati titulo æstimet se aliquod inimico præstare beneficium. Qui inimicum diligit, se diligit. Sibi enim pepercit, qui latrocinantis dexteram magni muneris præda compescuit; et suum corpus texit, qui armato hosti precibus obviavit, negotio quodam conatus servare reverentiam pugnatori. Nam partem constat esse victoriæ, prælium oblato auri pondere redemisse. *Diligite inimicos vestros.* Hoc est inimicos diligere, odiis non respondere, accepta contumelia

[a] Post hanc vocem forte addendum *servare.*

patienter ferre, donare injuriam aut manu factam aut verborum stimulis excitatam. Nam ita dicit Dominus: *Qui te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et sinistram* (*Matth.* v, 19). Istud *præbere* scio quod aliquantis ingratum est qui nesciunt lites cavere, et imminentes suppliciorum pœnas moderatione compescere.

5. Infinitum est autem quantum uni patientia sua præstet, si alter solus insaniat. Nam sicut duplicatas in se plagas excitat, qui repugnat; ita majoris rixæ lucrum facit, qui manus suas alio feriente continuit. *Benefacite his qui vos oderunt* (*Matth.* v, 44). Primus gradus est ille quem diximus, ut inimicum tuum diligas, secundus vero ut inimico benefacias; nam ibi affectus docetur, hic opus miserationis exigitur. Aliud est enim inimicum diligere, aliud misero subvenisse. Parum igitur apud inimicum tuum proficit gratia dilectionis tuæ, si eum quem diligere te asseris, esurire patiaris. Audite Paulum dicentem: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi; hoc enim faciendo, carbones ignis congeres super caput ejus* (*Rom.* xii, 20). Hic, quantum video, misericordia crudelitati famulatur. Quare ergo non ille circa inimicos suos pecuniam securus expendat, quem promissæ tempus ultionis exspectat? Nescit sine dubio irasci, qui dubitat misereri. Ultra felicitatem autem constat esse victoriæ, inimicum salvum fecisse, et injuriam vindicasse. Sequitur in hoc ipso loco: *Orate pro calumniantibus vobis* (*Matth.* v, 44). Sine dubio hic Dominus conscientiam ficti cordis admonuit. Sciebat enim dilectionem verbis compositam, ac licet largam erogationis expensam, fieri frequenter ingratam. Ita ergo te ostendis non invitum illam vindicem tui eleemosynam fecisse, si inimici tui plagas cœlesti medico supplici oratione commendes, et profusis lacrymis auxilium salutis implores. *Diligite inimicos vestros.* Si inimicos diligere jubemur; in quo statu putatis esse illum qui fratrem, nullis excitatus injuriis, impia infestatione insequitur? De hoc mihi videtur Apostolus dixisse: *Qui odit fratrem suum sine causa, homicida est* (I *Joan.* iii, 15). Et vere ita est ac si occiderit hominem, qui odiis persequitur innocentem.

6. Sed videamus tamen qui sunt isti quos propter odia fraterna sanctus Joannes damnandos credidit. Puto illos esse de quibus propheta dicit: *Invidia percussum est cor eorum.* Isti sunt qui adversus se pugnas instituunt, et domos suas proprio igne incendunt, in quorum sinu clauso flamma tenetur incendio. Nam non est hic quod alteri debeat imputari, ubi nullus est cum adversa parte conflictus, cum omnes pene causæ et omnia odia inter personas in acie provocatas desæviant. Si credibile est, ecce invenimus reum qui adversarium non habet: habemus itaque qui possit puniri, et non invenimus qui debeat vindicari. Felicem plane illum judico, cujus gloriosam vitam torvis oculis alter aspexit. Nam satis bono loco est illius causa, qui aliena laborat invidia, quia non livet homo nisi melioribus; nec invidiæ subjacet, nisi quem ad celsiora melior vitæ profectus evexerit. Illos vero plus quam miseros puto, quos lucra alienæ felicitatis exagitant; et iracundia impia æmulatione concepta occultis cordis jaculis inquietat. Bene istos sua tela puniunt; ut videatur mihi ipsa invidia aliquid habere discretionis, cum auctoris sui cor repercutit, et male conscium pectus cruento jugiter livore consumit.

7. Primo ergo castiganda invidia est, quæ semel animo concepta dolores operatur. Sane ubi occurrit oculis nostris alienæ gloria felicitatis, æmulationis nos magis studium teneat, non livoris; juxta illud quod dicit Apostolus: *Æmulamini meliora* (I *Cor.* xii, 31). Ille profecto nihil subtrahit veris amicitiis, qui sine invidia bonis æmulatur alienis; nec alteri injuriam facit, qui exemplis ad meliora contendit. Si quis ergo est sapiens, imitetur fructus justitiæ, sequatur actus continentiæ, apprehendat humilitatis gratiam, et cum bonis æmulo amore currat, ut ad meliora perveniat, respicientes ad illam apostolicam sententiam quæ dicit: *Sic currite ut apprehendatis* (I *Cor.* ix, 24). Quicumque ergo movetur aliena gloria, currat post bonos, et elaboret ut apprehendat: et acquiesco ut præcedat, tantum ut sine animi livore contendat. Hoc est vere immaculatam exercuisse virtutem, sine injuria vicisse meliorem. Superbis sane locum demus, tantum ut nos in humilitate vincamus. Non nos ad æmulationem provocet lucrum militiæ sæcularis. Maneat illos pompa divitiarum quos admonet cura filiorum, licet multo plus lucri faciat ac sibi reponat qui culturam miserationis exercet. Nihil est autem tutius quam in ore pauperum partem recondere facultatum. Nam ita dicit Scriptura, Domino dicente: *Qui parce seminat, parce et metet* (II *Cor.* ix, 6). Tibi fraudas quidquid reservas. Erogemus ergo, dilectissimi, multum, ut multiplices colligamus fructus misericordiæ. Sine lucro est autem pecunia quæ sacculo tenetur inclusa: quæ si negotio deputata fuerit, non multo post tempore **20** quadruplicata respondet. Quidquid pauperibus dederitis, sine dubio fenori deputatis, reddituro vobis in posterum, cum uniuscujusque labores multiplicato honore censentur. Exspectat enim singulos retributio operis sui, sive quos religiosa fides ornat, sive quos manus larga commendat. Nam ita Evangelista dicit: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* v, 7, 9). Sit ergo nobis, dilectissimi, primo loco cura pacis, secundo miserationis. Nihil fictum labiis corda nostra suggerant; nihil dubii ora respondeant, respicientes ante omnia ad illam sententiam quæ dicit: *Quod tibi non vis,* [a] *alio ne facias* (*Tob.* iv, 16). Hæc illa quam diximus, perfecta dilectio, quæ affectum integri amoris instituit. Ita est

[a] Pro *alii*, ut advertit Cotelerius ad Const. Apost. lib. i cap. 1

ergo ut in te antiqui juris districtio nihil habeat potestatis, si ea quæ legis plenitudo postulat obedienter observes.

HOMILIA XIV.

De bono humilitatis.

1. Non sine injuria partis alterius, dilectissimi, est, quotiescumque opus est, vocis præconia virtutum meritis exhibere, quia cum homo meliora laudat, deteriora castigat. Non enim dubie stultus notari se æstimat, si bonorum judicio sapiens laudatus abscedat. Sed quid facturi sumus, qui non possumus nec bona sine malorum increpatione disponere, nec mala sine bonorum commemoratione damnare? Dabit ergo veniam, qui se in hoc opere injuriam æstimat accepisse. Melius est enim ut mala conscio pudore confusa discedant, tantum ut ea quæ sunt laudatione digna non lateant. Duæ igitur causæ in unum veniunt, humilitas et superbia, quarum exponi alteram sine alterius verecundia rerum natura non patitur, quia una suis actibus, altera erubescit alienis. Dicendum igitur est quantum humilitas utilitatis habeat, ut possitis intelligere quantum superbiæ infelicitatis incumbat; et exponendum quantum superbia odiorum pariat, ut discatis quantum amoris gratia humilitatis acquirat; quo facilius unusquisque agnoscat vestrum quid in se debeat emendare, vel quid possit eligere. Non ita superbiæ castiganda dominatio est, ut humilitatis prætermittenda sit gratia; nec in tantum humilitas præferenda, ut superbiæ tacenda sint vitia. Quid enim prodest scire valetudinis causam, si nescias medicinam? aut quid juvat nosse auxilium sanitatis, si nulla sit compescendi cura languoris?

2. Audite de his Scripturam dicentem : *Humilibus Deus dat gratiam, superbis autem resistit* (*Jac.* IV, 6). Discite nunc, dilectissimi, utriusque partis retributionem; et intelligetis quid diligere, quid odisse debeatis. Ecce hic pro amore humilitatis invitatur ad gratiam, ille pro superbiæ crimine deputatur ad pœnam. Castiget ergo unusquisque in se, si cui accreverit tumor animorum, ne adversum se cœlestis justitiæ arma commoveat. Difficile autem sine periculo vitæ suæ transigit, cui adversus sublimiorem potestatem causa dimicationis incumbit. Inclinandus est itaque ad omnem humilitatem animus, ut sit apud Dominum obtinendæ locus gratiæ. Potestis autem intelligere quam gravis sit culpa tumentis supercilii, quam necesse est tanto Divinitatis labore compesci. Bene humilitas semper illæsa est; nescit enim vinci, cui non est causa pugnandi. Superbia vero non solum odiis, sed etiam periculis subjacet. Difficile enim potest fieri ut non sustineat pugnam, qui injuriam indicit. Sed facile a nobis omne periculum hujus necessitatis excludimus, si adversus superbiæ vitia humilitate pugnemus. *Humilibus Deus dat gratiam, superbis autem resistit.*

3. Si diligenter requiritis, dilectissimi, universa quibus ab initio mundi Domino cœpimus displicere, invenietis omnium vitiorum principem fuisse superbiam, et cognoscetis facile in quo aut humilitas meruerit cœlestem gratiam, aut superbia inciderit Divinitatis offensam. Periclitari denique superbia hominem diaboli exitus docuit : qui in sublimiori constitutus loco, humiliora despexit; ac propter vitium præsumptuosæ mentis angelica dignitate depulsus, tyrannicæ sententiam damnationis excepit. Videtis itaque quod superbiæ partes agit qui superbiæ studet. Quid autem superest illi, nisi damnationis sententia, cui arrogantia dominatur? Comparemus, si placet, bonis mala, et deteriora melioribus, et intelligetis quanta homo in diem superbiæ vitio laboret invidia. Sed nec longe quærenda persona est. Tu assume officium libertatis, et statim animum superbientis agnosces. Quæ, rogo, illis est vita, quibus quotidiana sunt odia? Numquam profecto ille aut sine suo aut sine alterius peccato diem transigit, qui supercilio elatus incedit, quia inter superiores inferioresque personas semper aut despicitur aut timetur. Superbia vilitatis est vitium, et indicium ignobilitatis; nescit autem extolli nobilitas mentis. Semper accrescit apud indignos mores cum potestate supercilium; verum ubi est vitæ splendor, humilitas otiosa blanditur.

4. Humilitatem illam veram et sanctam dico, quam religionis et Dei amor suadet, non timor dominationis extorquet. Illius humilitatis facimus mentionem quæ charitatis est juncta consortio; quæ non auctoritate extorquetur imperii, sed nutritur lege vivendi. Nemo profecto mores naturæ tantum vitiis æstimet imputandos, cum facultate nutritur supercilium, cum potestate crescit imperium. Quando igitur infirmis corporibus sufficeret medicina, si cum homine nascerentur et vulnera? Nutritur superbia, dum hic se verbis sapientiorem, natalibus judicat ille meliorem; hic dum non vult loco moveri, ille dum putat se posse contemni. Ita videmus vitio superbiæ odia crescere in comparatione personæ : dum hic adulantium oculis auri argentique pondus ingerit, ille ambitum honoris opponit; hic dum in se præfert abundantiam opum, ille sermonum; hic dum se vult propter consilium expeti, ille propter convivium desiderat salutari. Enumerari vix possunt vitia superbiæ! quæ si homo vincere aut cavere posset, nullum laqueum diabolicæ damnationis incurreret. Ecce hic ut semper novus esse videatur, excusationem salutatoribus mandat; ille ut quotidie salutetur, ægrotat; hic ut inveniat imputandi locum, fingit se de omnibus esse sollicitum, non quod absentem desideret, sed ut reum inofficiositatis accuset. Quærit enim quam ex matutinis horis januam salutator obsederit, ut imputet quare amicorum pompa defuerit. Ita cum ad salutationem non admittatur ille qui præsto est, reus statuitur ille qui deest; ac si cum huic qui occurrit clauditur janua, illi qui deest paratur offensa. Nolo illos dicere fastus animorum, cum egreditur diu meditato supercilio, 21 ac suis locis suisque meritis ordinationes instituit; ita ut cum hic oscula porrigat, ille pectus opponat. Nullus illi sermo gratus, nullus confabulationis servatur affectus : alios oculis præterit,

alios sermone despicit : [a] alteram, ut alteri se ostendat iratum. Quæ rogo ibi est spes vivendi, ubi unus sub specie amicitiarum præsumit dominationem; alter, dum nimium obsequitur, sustinet servitutem?

5. Videamus autem qualis sit hic superbus, cum inter æquales in judicio sententiam daturus forte consederit. Videor mihi videre pugnas verborum eructatione compositas, cum unus misericordiæ studeat, alter justitiæ favere se fingat; non ut recto judicio fidem servet, sed ut studia personæ superioris exspectet. Aliud enim sensisse se simulat, ut alterius disceptatione dissentiat. Non putat in consiliis rectum, nisi quod solus senserit; non putat justum, nisi quod sibi ipse persuaserit. Vult solus audiri, ac solus omnium ore laudari; nec deest, quod pejus est, ex hac parte qui faveat. Cito enim superbia adulationi dat locum, dum aut hic quærit gratiam, aut ille veretur offensam. Nec parva est in ipsis conviviis superbia, cum altior toro locus paratur, atque in tantum sublimior lectus sternitur, ut magis pendere quam jacere videatur. Ita superbia acquiescit injuriæ, ne pati videatur injuriam. Quæritur quis assurgenti manum porrigat, quis humerum regat; quis latus fulciat. Nemo mihi excusare potest hoc vitium non esse tyrannicæ dominationis. Officium enim quod homo homini exhibet, si non ad hoc solum deferatur ut tueatur infirmum, constat esse servitium. In quo loco laudo paupertatis patientiam, quæ cum propriis virtutibus deseritur, alienis moribus famulatur. Sed quid solis divitibus tantum superbiæ pondus imponimus; cum videamus frequenter homines in summa penuria constitutos simili animorum infelicitate sordere? De quibus dicit ille sapientissimus Salomon : *Tres odit anima mea... pauperem superbum*, et cætera quæ sequuntur (*Eccli.* xxv, 3, 4). Excedit sine dubio ille superbiæ modum, cui nulla est conscientia facultatum. In maximis et in sublimioribus humilitas præferenda est, humilem vero pauperem nemo miratur; invitus enim se humiliat, quem necessitas paupertatis inclinat. Humilitas in paupere grata est, in divite gloriosa; humilitas inter inimicos blanda, superbia vero etiam inter amicos ingrata.

6. Requiramus e contrario, dilectissimi, quæ sint bona humilitatis. Blanda est et officiosa semper humilitas, in amicitiis grata, in contumeliis otiosa : non extollitur prosperis, non mutatur adversis; non indicit servitium, non extorquet; officio prior ad salutandum, tardior ad sedendum; non se adulantium grege exspectat deduci; non se ambitiose desiderat salutari; non laudis studia postulat, non favorem vocis exspectat : odit acclamantium choros, quia non sine verecundia laudatur bona conscientia. Non requirit voces adulantium, nisi qui se laudatione novit indignum; verecundius autem semper laudatur amicorum studiis, qui meretur. Verum ubi indignitas dominatur, notari actus suos æstimat, si illaudatus abscedat. Circumsepta est humilitas bonitate. Ut facere injuriam nescit, ita a contumelia non requirit. Vir humilis in contentionibus magis vult tacere quam vincere, in judiciis acquiescit imperitus videri quam impudens judicari; non in verbis promptus, non ad respondendum paratus. Citatus vero et facilis est superborum sermo, plenus contumeliis et refertus injuriis, numquam sine vulnere missus, numquam sine dolore jaculatus; cujus insanabilis plaga est, et irremediabilis macula. Ubi autem pervenerit verborum culpa, mox per satisfactionem sequitur medicina.

7. Hanc ergo amare, dilectissimi, hanc quærere, hanc eligere, hanc tenere nos convenit, ut non perdamus gratiam mercedis munere promissam. Audite evangelistam dicentem : *Qui se humiliat, exaltabitur; et qui se exaltat, humiliabitur* (*Luc.* xiv, 11; xviii, 14). Exaltatio ista damnatio est, quæ circa arrogantes et superbos futuri judicii exserit potestatem. Inclinandus itaque nobis est animus, quatenus supplosa omni nota superbiæ, odiorum studia conquiescant. Sic erit ut homo de humiliori loco ad celsiora perveniat, et remuneratus honore condigno cœlestis gratiam potestatis acquirat.

HOMILIA XV.

De bono martyrii.

1. Multa mihi loquendi apud vos fiducia est, dilectissimi, quotiescumque opus est in amore beati martyris ad memoriam præconia revocare martyrii, quæ animosa fides peperit lucrativis incitata suppliciis, licet non tantum lingua sufficiat quantum martyria postulant. Quando autem omnia humani oris officium poterit expedire quæcumque in paratum belli cœlitus virtus operata est? Itaque, quod solum possumus, favorem labiorum meritis exhibemus, siquidem nullius sensum latere possent facta certaminis quod nobis per annos singulos reparat documenta virtutum. Audistis Psalmistam dicentem : *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Ps.* cxv, 15). Quid pretiosius esse potest illa morte quæ in conflictu pugnæ hostilibus telis nescit cedere? Maximam profecto illam animam constat palmam reportare victoriæ, quæ non acquiescit impiis legibus decepta servire. Hoc est vere eximiæ virtutis indicium, persecutionis tempore plus morti favere quam vitæ. Licet æternæ vitæ locum faciat, quem in confessione Christi nostri voluntaria crucis pœna commendat, ita Domino dicente : *Qui amat animam suam, perdet illam; et qui odit animam suam, in vita æterna inveniet eam* (*Joan.* xii, 25). Quis non sapiens, contempta hujus lucis usura, si ita usus venerit, ad martyrium ambitiose festinet, cum videat ad lucrum vitæ pertinere morti animam deputasse? Quare autem non homo ad tam pretiosum opus devotus occurrat, ac se impiorum manus audacter objiciat, quem cœlestis gratia remunerationis exspectat, juxta illud quod Dominus in illa beatitudinis descriptione commemorat : *Beati qui persecutionem patiuntur*

[a] Forte, *alterum amat, ut alteri se ostendat iratum.* Baun.

propter justitiam, quia ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* v, 10).

2. Videtis quantos fructus humanis fides suppliciis probata contulerit, vel in quo loco sit posita contemptu corporis acquisita victoria. Quis autem posset de hac quam commemoravimus mercede dubitare, cum videat ecce in amore sanctorum totius orbis studia convenire, et passim undique ad devotionem annuæ solemnitatis occurrere? Facile profecto intelligimus quis illis in cœlesti sede locus paretur, quorum memoriam tanta officiorum **22** cura prosequitur. Aptemus itaque animos ad futuram gloriam quæ reposita est nobis, et præponamus terrenis cœlestia, ut possimus illa æternæ vitæ promissa contingere. Nemo autem sibi de hujus mundi ambitione blandiatur, quem videt in diem deficere accessu ætatis et temporis. Si comparemus denique æternis præsentia, satis vilia et inutilia constat esse quæ temporaliter possidemus. Require denique gratiam debitæ hæreditatis, et intelligis hujus mundi divitias displicere, ac judicas nihil auro obscurius, nihil argenti splendore sordidius. In comparatione autem paradisi, vitro similis est gemma pretiosior. Ita est enim hujus lucis et futuri temporis dignitas, ac si stante in cœlo luna oculis hominum radius se matutinalis infuderit. Tamdiu enim placet lunare commercium, quamdiu tenebrosæ nocti constitutis legibus præstat officium : quæ quamvis placeat candore nocturni luminis, obscuratur tamen supervenientis sideris claritate melioris.

3. Hoc est solum quod tempora præsentis vitæ commendet, si ea agimus quæ futuro judicio non subjaceant accusationi, nec possint accusata convinci. Sed ut nulla in posterum anima apud Deum injustitiæ laboret invidia, amplectendus est ille profecto psalmus qui dicit : *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent* (*Ps.* cxxv, 5). Hoc est in lacrymis seminare et gaudia metere, præcedentes vitæ actus proprio confutare judicio, et lascivientem animam justo subdidisse supplicio. Cito enim tristitia lætitiam consequitur, si districtionem judicis satisfactione prævenias, et admissi criminis culpas assidua castigatione confundas. Sed ne minorem ex hoc gratiam comparasse puteris, afflictis et mœrore confectis subvenias, et causam tuam apud pauperes larga erogatione componas. Nam ita dicit Dominus : *Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* v, 7, 5). Si quis itaque vestrum, dilectissimi, studiose Christi consolationem requirit, alienos dolores eleemosynis resecet, ac studiose lacrymas suas huic in cujus honore convenimus, patrono commendet; ac se frequentibus patrociniis insinuet, quo facilius possit impetrare quæcumque Domino pro sua utilitate suggesserit. Occurrendum est semper Dei amicis, ac serviendum est proximis, et incessabiliter supplicandum ut sanctæ intercessionis possimus obtinere suffragium. Quis autem apud justum judicem locus erit veniæ, si amicis regis nescias supplicare?

4. Denique respicite ad sæcularis ordinem disciplinæ, et intelligetis quæ circa sanctorum obsequia cura manere vos debeat. Sine dubio nisi prius placatus fuerit illius animus qui secreta domus prætoriæ observat, non facile pervenitur ad sublimioris amicitiam potestatis. Studiose profecto expetenda sunt suffragia patronorum, quibus solis datum est irascentis Domini animos nosse mollire, et iracundiam temperare. In magna igitur domo post dominum secundus est semper gradus amicorum. Soli sunt per quos apud dominum et suggerendi liber locus, et impetrandi facilis præbeatur accessus. Peculiari itaque veneratione excolenda nobis est memoria sanctorum, ut januam salutis aperiant, et in notitiam Domini desideria nostræ pervenire faciant servitutis. Magna enim securitatis est portio, in rebus asperis de domo regis habuisse suffragium. Nam decrescit quodammodo invidia criminis, ubi reus ad amicitias regalis familiæ cœperit pertinere. Ita sine periculo homo vitam transigit, si sit qui apud Dominum negligentiam peccatoris excuset. Nemo autem est cui non opus sit potentioris etiam in maxima securitate suffragium. Nam quamvis aliquantos in hoc numero fides probata sanctificet, opus tamen est ut sit qui ipsam fidem Domino supplici intercessione commendet. Nec enim tam fortem invenias, ut non egeat auxilium fortioris. Sicut bene sub scuto militatur, ita tuto testibus sub patrono res agitur; ubi quamvis immineat pœna, si sit qui intercedat, non dubie obnoxia legibus donatur injuria. Quis autem modus esse potest mortis, si cum judex sententia feriat, non sit qui reo supplici intercessione subveniat.

5. Si cogitaremus, dilectissimi, quantum nobis civis martyris virtus præstitit, a laudibus Dei nostri numquam linguæ studium, numquam oris cessaret officium. Respicite ad illorum studia qui peregrinas aquas bibunt, et fontes longe positos sitientes inquirunt, et videtis quantum gratiæ habeat suis aquis inundata possessio. Æstimari autem non potest quantum patrimonio utilitatis accrescat, si quando quod alibi ambitiose quæritur, in propria possessione nascatur. Vobis ecce Dominus virtutum, de quo quotidie præsumeretis, dedit fontem vivum habere, non deficientem, non asperum, non amarum : de quo si quis voluerit bibere, semper justitiam sitiet, nec umquam ab illa cœlestium mandatorum lege discedet. Si vultis ergo, dilectissimi, ut sit nobis in cœlesti sede portio, quam victoribus Dominus repromisit, imitemur primo loco sancti martyris fidem in confessione, et sequamur viam ejus in virtute, nec dubitemus in amore Domini cruentis lictoris manibus pectus opponere. Voluntarium autem militem in conflictu pugnæ cito protegit corona victoriæ. Sed dum ista beatis superveniunt, et felicium meritis conferuntur, nos interim, quod ad præsentem animæ salutem pertinet, resistamus adversis. Non deest autem in quo possis quotidie vincere, si volueris carnis desideriis repugnare. Respice et vide quanta circa te sæviant certamina criminum, vel quam multa sit acies instructa vitiorum. Hinc superbia, inde fidem nostram impugnat

invidia; modo ebrietas luxuriæ materiam suggerit, modo cupiditas animum ad omne genus falsitatis incendit; cujus studium est inter cætera rixas serere, lites movere, odia comparare. Adversus istas ergo legiones nobis est armis spiritalibus dimicandum, et die noctuque in acie standum, donec aut vitia cedant, aut ad pœnitentiam inclinata confugiant. Quibus superatis, non dubie etiam illum qui summam martyrii palmam requirit, possumus inire conflictum. Quis autem ibi nollet pugnare, aut quis non conetur vincere, ubi non solum homo præcedentibus laborum meritis, sed etiam præsentibus virtutum docetur exemplis?

HOMILIA XVI.

Item de bono martyrii.

1. Satis necessaria fuit, dilectissimi, huic mundo, quantum res docet, ad excitandam virtutum gloriam victoriæ tam præclaræ cognitio. Qui adhuc sine dubio jaceret in tenebrosis vinculis, si non inclytis sanctorum illuminaretur exemplis; et circa devia et incerta pugnaret, **23** nisi incredulas hominum mentes diffusa per totum orbem martyrii corona confunderet. Ob quam rem Deo agendæ sunt gratiæ, qui ad tantam patientiam mortalium mentes armavit, nec otiosus operis magni labores aspexit; ita ut cum amatoribus suis indiceret pugnæ necessitatem, victoribus pararet justa retributione mercedem, ita evangelista dicente: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Ibid.*, 10). Quisque ergo sapiens studio religionis ad superiora contendit, discat prius unde magis veniat corona virtutibus. Nec enim longe nobis quærendus quem sequamur. Ecce ante oculos nostros est, qui quotidie exemplis salutaribus provocat, et paterna affectione ad consortium sanctitatis invitat. Facile ergo, si vultis, ea quæ sunt cœlesti regno digna apprehenditis, cum habeatis quotidie quem possitis sequi, et quem debeatis imitari. Respicite, dilectissimi, ad aliarum regionum studia, quæ videmus in amore sanctorum peregrinis latius florere commerciis; et intelligetis quantum nobis Dominus præstiterit, vel quantum circa nos sollicitudinis aut amoris impenderit, qui inter cæteras nationes quas salvandi studio respexit, etiam loca nostra martyrii cruore perfudit. Requirite, et invenietis quam ambitiose totus pene orbis expetat patrocinia sanctitatis: ita ut tantarum virtutum merita certantibus votis ac frequentibus jugiter prosequantur officiis. Facile ergo agnoscitis quam specialis circa vicem martyrum officiorum cura nos maneat, cum videatis huc etiam extraneas nationes devotæ mentis amore concurrere, et, prout causa exigit, sancti martyris solatia postulare. Habetis plane quod peculiarius gratulari. [e] Nam ex vestro fonte oritur quidquid religionis ubique bibitur, et ex vobis nascitur quidquid alibi sitientibus ministratur. Discite ergo ex hoc, dilectissimi, Deum diligere, qui se quotidie cœlesti imperio sanguinis sui effusione commendat: et agnoscite quantum amatoribus Christi nostri patientia, quantum religionis actibus conferat in persecutione tristitia.

2. Ecce, sicut lectio docet, victorem possessio regni cœlestis excipit. Tanti est plane sustinuisse carnificem, cui paret pœna mercedem. Quis igitur sapiens, si ita usus venerit, tantæ virtutis operam bene sibi conscius non requirat, ac se hostibus audaciter objiciat? Quare autem ille flammas non securus aspiciat, aut quare tortoris ungulas expavescat, quem tam pretiosa gratia remunerationis exspectat? Perfectæ fidei est lucrativis locum dare suppliciis, præsertim cum tantis præcedentium virtutum docearis exemplis. Perfacile profecto potestis intelligere quid prosit fortissimis quibusque in persecutione vicisse, cum videatis quotidie adversus nequitiam diabolicæ præsumptionis per singula sanctorum loca spiritalis judicii sævire sententiam. Non autem otiosa res est, dilectissimi, quod videmus frequenter in castigatione immundi spiritus corpora humana vexari, et invocatis sanctorum nominibus actus suos auctorem scelerum confiteri. Quando incredulis mentibus lectio sola sufficeret? quando humanis sensibus antiqua cognitio integram fidem veritatis insereret? aut quando ad credulitatem tantarum rerum descenderet animus, si ad assertionem præteritorum solus exspectaretur auditus? Satis igitur infelix est, et alienus a Christo, cujus corda adhuc obsidentur stultæ incredulitatis errore, cum videat merita sanctorum tantis stare virtutibus. Ad hos enim respicit, quod videmus frequenter aereum spiritum sub alterius persona psallentem, et alieno ore trepidæ confessionis proferre sermonem. In quo cum operetur flamma, non videtur injuria; alter cæditur, et alius confitetur.

3. Tantum igitur Dominus per sanctos suos virtutis operatur, ut diabolicæ nequitiæ actus per occultas vulnerum plagas et invisibiles lacrymas judicii auctoritate confundat; et latentia scelerum blandimenta sub quodam tortore castigata compescat. Quis sapiens hæc exspectet, et non statim quidquid illud est in se infidelitatis accuset, et memor conditionis suæ jugi officio sanctorum memoriæ condigne honorem paret? Facile videlicet potest intelligere quis illis apud Dominum locus sit, vel quo honore a nobis habendi sint, quibus examinatione palmarum commissum videt esse judicium. Horum ergo, dilectissimi, exempla sectanda sunt, horum fides sequenda, horum virtus imitanda. Nec difficile est cuiquam ista perficere: nam si cogitetis promissæ remunerationis coronam, facile vobis erit vincere persecutionis injuriam. Ecce dicit Dominus: *Qui perseveraverit, dabo illi victoriæ coronam* (*Apoc.* II, 26). Nemo ergo diffugiat, si ita usus fuerit, sonitus catenarum et tenebrosis sedibus otiosa supplicia, in usum impiorum parata, nervorum. Sine dubio universus apparatus mortis cedit, si tamen

[a] In Bibliotheca maxima Patrum de anno 1677, tom. VIII, legitur: *Habetis plane quæ peculiarius gratulari vossitis.*

pugnandi voluntas accrescat. Omnis igitur spes obtinendæ victoriæ in fide et voluntate consistit. Si enim voluntas sequatur fidem, numquam deserit voluntatem. Difficile autem est ut ille sentiat pœnam corporis, qui susceperit injuriam voluntariæ passionis. Sane quo facilius in acie positus securus incedas, ante oculos ponenda sunt semper facta sanctorum. Nam in maximis prœliis non desunt pugnatori solatia, si fortissimorum virorum requirantur exempla. Ecce dicit Dominus : *Tolle crucem tuam, et sequere me* (*Matth.* XVI, 24). Sed forte non omnibus ista conveniant, quia frequenter delectatum corpus cedit injuriæ. Qui de corporis sui fragilitate desperat, ad arma justitiæ confugiat, quæ voluntario deputatur officio. Facile autem supervenientis hostis impetum sustinet, quem ad pugnam voluntas armaverit; nec expavescit cruenti lictoris gladium, quem munit virtus animarum.

4. Sed cui ista laboriosa videntur, dilectissimi, faciliora suscipiant. Unum quidem est et arduum iter, sicut evangelista dicit, quod ducit ad vitam (*Matth.* VII, 14). Sed si requiramus, multæ viæ sunt per quas venitur ad gloriam. Ecce incumbit luxuria, dominatur superbia, sævit avaritia : adversus istas pugnandum est nobis studio disciplinæ, cui omnis cœlestis gloria virtutis obsequitur. Inclina denique superbiam, et statim consequeris gratiarum coronam ; compesce avaritiam, et non dubie de omnibus vitiis poteris obtinere victoriam. Vince ergo prius desideria carnis, et non difficile tibi erit vincere tormenta carnificis. Nostis quantis malis invidia subjaceat ; quæ dum aliis livet, ipsa se percutit, vel quantum anima cupiditatis periclitetur incendio. Scitis quam gravis aspectus ad excitanda desideria, quam sint veloces jactus oculorum, quam turpis ebrietas, quam periculosæ verborum sagittæ, quæ non sine dolore percutiunt, non sine fatigatione discedunt. Adversus hæc ergo paranda nobis est crucis pugna. Toties denique in die tolles præmium, quoties desideria vinces animorum.

24 5. Multa sunt præterea, dilectissimi, quæ nobis necessitatem pugnæ frequenter indicunt : quibus devictis ac superatis, non minimam palmam justo victor labore consequeris. Nam sicut quanta sunt in homine vitia, tanta sunt et vulnera, ita quanta sunt certamina, tanta sunt præmia ; quot sunt victoriæ, tot sunt coronæ. Non enim ille sine triumpho parvo diem transigit, qui castigatis vitiis animo purificatus incedit. Ecce dicit Dominus : *Tolle crucem tuam, et sequere me* (*Matth.* XVI, 24). Scio quidem paucis deberi martyrii coronam, ipso Domino dicente : *Multi vocati, pauci electi* (*Matth.* XX, 16). Sed dum ista felicibus superveniunt, in his quæ superius exposuimus excitanda fides est, ut nos, cum opus fuerit, impugnatione religiosæ vitæ hostilis impetus paratos inveniat. Virtus enim magna in minoribus semper experimentum capit. Sic rudis miles, priusquam ad pugnam veniat, adversus arborem truncatam robur exercet, et inductæ manus vulnera ludendo componit. Nunc pedes attollitur, nunc rapido equorum cursu ventos imitatur ; in tantum denique proficit studium, ut pene minor labor sit vicisse hostem, quam exercuisse virtutem. In similibus ergo, dilectissimi, præludendum nobis est, et aptandus est studiis animus ad fortiora venturus. Virtus enim quæ in parvis promittitur, facilius in maximis exhibetur. Sic dum consuescimus minora vincere, majora discimus tolerare.

HOMILIA XVII.

Item III de bono martyrii.

1. Asserunt, dilectissimi, solliciti agricolæ rudem terram et nullis umquam examinatam sulcis, non statim justis respondere seminibus ; nec bene conceptum sulco germen nutrire, nisi prius scissa ac sæpius repetita mollescat. Jam tunc necesse est ut dominus agelli sui fructus securus exspectet, cum antiqui cespitis amaritudo cessaverit : ubi si arandi studium subito cultura destituit, prope est ut pristino colore terra sordescat. Hæc est enim boni malique discretio, quod diligentia naturam vincit, negligentia revocat ad naturam. Sub hac, dilectissimi, vivendi ratione Christianæ religionis cultura aut crescit, aut deficit ; nec minore in hoc opere cura suspirat, cui necesse est duritiam humani cordis assidua castigatione mollire, et exposita frequentius fide obsessum vitiis pectus excolere. Non autem dubie apud negligentes periclitatur religiosæ studium professionis ; præsertim si cœlestium verborum semina mens amara suscipiat, et indociles animi nesciant fructus nutrire justitiæ. Nam sicut cessante studio solent spinis arva sordescere : ita ubi religionis cultura negligitur, vitium naturæ renovatur.

2. Apud illas forte nationes, dilectissimi, laboriosum sit viam salutis justo sermone disponere, quibus tantum verbo fides Christianæ religionis innotuit. Inveniant isti forte, etsi vanum, excusationis ingenium, qui dicant nulla sibi umquam quæ sequerentur exempla admirabilium credita fuisse. Quorum vocem propheta convincit dicens : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Ps.* XVIII, 5). Nos ad hæc, dilectissimi, quem gradum excusationis opponimus, si quid in nobis Dominus aut negligentiæ deprehenderit, aut infidelitatis invenerit, apud quos Christianum nomen a virtutibus cœpit? quorum non solum auribus, sed etiam oculis quotidie sub præsentia tanti martyris fides religionis inseritur? Et cujus tandem martyris? Illius necessario qui in hoc loco pugnam inclytæ virtutis primus exercuit, et quo ordine cœlestis regni possessionem obtineremus ostendit, qui in dies quid agendum nobis sit exemplo docet, quid proficiamus inquirit. Nemo autem dubitet illum pro actibus suis esse sollicitum, quem videt sibi parentelæ affinitate conjunctum.

3. Oportet itaque, primo loco, ut nos huic patrono frequentibus insinuemus officiis ; quatenus pro nobis apud Dominum peculiaris intercessor invigilet, et vitam nostram dignationis suæ favore commendet. Nihil autem est quod non possit homo in qualibet necessitate positus obtinere, si amicis summi imperatoris

non desinat supplicare. Respicite illorum studia, dilectissimi, qui sitientes aquas a peregrinis fontibus petunt : hoc est, qui sanctas ac venerabiles martyrum reliquias per extensa spatia terrarum studio religionis inquirunt, et diffusa per totum orbem virtutum merita peculiaribus officiis prosequuntur ; et intelligetis quo honore nobis ille habendus est qui hujus urbis locum in conflictu cœlestis pugnæ suo victor cruore perfudit. Vidimus enim per diversas et longe positas regiones scissi corporis plagas passim dividi, et pretiosa vulnerum documenta toto cominus orbe portari ; ita ut non minor sit illis sanctorum cura, quibus sola martyrii creduntur indicia. Patrocinium ergo quod aliis fides præstitit, nobis ultro Dominus majestatis exhibuit. Non itaque longe quærendus est quem sequamur. Hic habemus patientiæ magistrum, hic exempla præmiorum, hic formam virtutum, hic documenta meritorum. Aptemus itaque, si ita usus venerit, ad omnem patientiam animam ; et memores annuæ solemnitatis quem veneramur meritis, sequamur et exemplis.

4. Videte quæ sunt ornamenta pectoris, quæ pretioso serico quasi opus Dei tegitis, et fulvo auro sidereum vultum oneratis ; et discite quæ sit pompa vulnerum, quæ corona lacrymarum, in quo stet sustinuisse carnificem, vel quanti constet vicisse tortorem ; vel in qua descendat exsultatione victoria suppliciis comparata, ita propheta dicente : *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent* (*Ps.* CXXV, 5). Quis sapiens his rebus edoctus non judicet temporalis vitæ usum in comparatione martyrii debere contemni? Si autem respiciatis ad hæc quæ quotidie sanctis exhibentur officia, agnoscetis persecutionis tempore melius esse perire quam vivere. Sed quare dicimus perire, cum propheta dicat : *Justus vita vivet in æternum* (*Ezech.* XVIII, 9)? Huic ergo, dilectissimi, virtutum magistro profusis in diem lacrymis supplicemus, ut nos profuturis doceat servire vulneribus : ostendat adversum bellis pectus opponere atque omnem conflictum injuriæ sustinere. Neque enim difficile est ibi inire pugnam, ubi videas præcessisse victoriam. Cito autem sedet animis, quod docetur exemplis. Sed, quod pejus est, propter vanitatem hujus mundi difficile est cuiquam ad cœlestia pervenire. Non autem obtinet regnum promissum corporis delicata custodia ; nec ad coronam virtutum facile pervenit, qui non legitimo agone certaverit. Necesse est igitur ut ad omnem injuriam corpus inclinet, qui ad locum victoriæ pervenire disponit. In hoc autem stat obtinendæ locus gloriæ, ut discat prius displicere sæculo, qui placere vult Christo.

5. Audite in hoc loco Dominum dicentem : *Qui amat animam suam, perdet illam ; et qui odit animam suam, in vitam æternam inveniet eam* (*Joan.* XII, 25). Multa sunt genera passionum, quæ Deo nostro mortalem hominem vivendi lege commendent : in quibus etsi non est corona martyrum, est tamen non minima palma virtutum. Sane, dilectissimi, quia reposita est hæc de qua diximus, corona victoribus, nos interim vel quod possumus, peccatis circumstantibus repugnemus. Cui ergo illa prima martyrii pompa non creditur, elaboret saltem, ut inter fortissimos quosque honestæ ac religiosæ vitæ præmia consequatur. Non igitur ignoratis quantis naufragiis mens humana subjaceat. Ecce cupiditas oculorum nostrorum portas jugiter pulsat, et corda hominum divitiarum stimulis inquietat. Hinc hominem ad omne facinus animus, inde invitat aspectus. Non deest ergo in quo vincas, si pugnare non desinas, et quasi in acie positus hostilibus telis per momenta confligas.

6. Ad hæc sane expugnanda evangelica institutione opus est, quæ dicit : *Si te scandalizat oculus tuus, erue eum* (*Matth.* V, 29). Hoc est oculum eruere, vitia castigare, desideria carnis extinguere, et disciplinæ studio vitæ lasciviam deprimere. Paratus tibi est ecce campus, luxuriæ provocaris illecebris ; et ut solet fieri, specie cultuque deciperis. Si vis ut ista superes, pugnandum est studio castitatis. Occurrat tibi Theclæ inter flammas et rabidas bestias custodita pudicitia ; quæ in tantum mundi hujus ornamenta despexit, ut amore servandæ pudicitiæ conjugales thalamos desponsata contemneret, et integritatem professæ virginitatis pugnando nutriret, vincendo servaret. Frequenter nos ad pugnam provocat iracundia, et furor animorum : instigamur injuriis, contumeliis lacessimur. Discite quo studio ista vincamus ; armemus ad patientiam animos, et quod oratione obtinere non possumus, doceat nos ad hæc evangelicus sermo qui dicit : *Qui te percusserit in dextera maxilla, præbe illi et alteram* (*Matth.* V, 39). Videtis quod injuriæ acquievisse, vicisse est. Nam non minimam coronam illum constat reportare victoriæ, qui, juxta hæc quæ præmisimus verba mandati, læsus nescit irasci. Suggerunt nobis aliquoties oculi quod animus non requirit, frequenter etiam ipsa suos lingua prodit errores, erumpit in vocem turpia et inhonesta resonantem. In hoc loco hæc est ratio adhibenda virtutum, ut taciturnitatis studio amoris verba claudantur. Ubi in altercatione sermonum loquendi modus est virtutis cumulus. Audite de hoc prophetam dicentem : *Pone, Domine, custodiam ori meo, ut non declinet cor meum in verba mala* (*Ps.* CXL, 3). Vincenda ergo est avaritia, confutanda iracundia, castiganda luxuria, et circumstantiæ vinculo ora refrenanda. His gradibus ad paradisum tenditur, his virtutum meritis ad sanctorum consortium pervenitur.

HOMILIA XVIII.

De Machabæis.

1. Multa quidem spe, dilectissimi, ad æternam salutem animus accenditur, si quando singulorum martyrum facta recoluntur : sed multiplicato quodammodo anima gaudio in amorem Domini favoremque se commovet, quotiescumque memoriæ Machabæorum mater occurrit, quæ adhortatione sua una die septenarium numerum martyrii corona vestivit, tanto fide fortior, quanto partu videtur fuisse fecundior. In qua tanta virtutum documenta, quanta fuerunt pignora. Nam tot una die omnipotenti Deo martyres tradidit,

quot filios mater diversis temporum vicibus acquisivit. Beata inter omnes matres, et ipsa orbitate felicior, cui tantum fides contulit, ut sub una die ad cœlestis regni gloriam cum tota ventris fecunditate migraret. Hinc respicite illam evangelicam sententiam, quæ dicit Christo nostro nec parentes præferendos esse nec filios (*Matth.* x, 37). Apud aliquantos forte gloriosum sit, et exemplis salutaribus proferendum, unum filium Deo hostiam obtulisse. Hæc omnem animarum virtutem et vota præcessit : ita ut in dolore sævientis pœnæ nullum filiorum affectus maternæ pietatis exceperit. Videte autem per quot virtutum gradus pretiosa fides creverit : cum acquievisse semel satis sit, hæc septies in amorem Domini pietatem maternam voluntaria orbitate mulctavit; bene sibi conscia, quæ sciret omnem fructum ventris sui in illa vitæ æternitate consistere, juxta illam sententiam quæ dicit : *Qui amat animam suam, perdet illam; et qui odit animam suam, in vitam æternam inveniet eam* (*Joan.* xxii, 11).

2. Docet lectio veteris Testamenti Abraham patrem nostrum unicum filium suum Isaac immolandum Deo sacrificium obtulisse. Quod per totum orbem memorabile fidei constat esse documentum. Ac licet nullus perfuderit sanguis altaria, fuit tamen in voluntate victoria, quia apud Dominum hoc est velle, quod facere; cui ita angelum legimus acclamasse : *Abraham, Abraham, ne injicias manus in puerum, sufficit quod agnovi quod diligis Dominum Deum tuum* (*Gen.* xxii, 11, 12). Si ergo pater noster Abraham unum filium sacrificium obtulit, et placuit; quanto magis hæc, quæ uno tempore septem votis consentientibus immolavit, se ipsam octavo loco hostiam Deo offerens; ut quæ fuerat ad incitamentum cœlestis gloriæ magistra tot fortissimorum virorum, fieret etiam ipsa eximiæ virtutis exemplum? Sed si placet, dilectissimi, ipsius pugnæ ordinem recolamus, ut discant parentes amare filios, et filii obtemperare parentibus : Christi nostri amore prælato, qui victoribus legitimo agone certantibus coronam vitæ cœlesti flore componit, ita Domino dicente : *Qui vicerit, dabo illi coronam vitæ* (*Apoc.* xi, 11). Ecce, dilectissimi, quantum rei gestæ fides eloquitur, instituitur pugna pro patriis legibus inter omnipotentis Dei et diaboli ministros, multis atque innumeris instructa suppliciis; quibus armatus auctor iniquitatis venena nequitiæ suæ consuevit exercere. Sed quamvis adversus justitiæ ministros multis sæviat hostilis ira terroribus, fit sine trepidatione conflictus. In quo loco artifex scelerum et inimicus bonorum altiori interpellat corda consilio. Molitur igitur adversus singulos impietatis suæ tela, et pœnali quodam argumento, ut mos est, certamen singulare disponit, dum credit in adversis divisam per partes fraternitatem facile posse turbari, nec difficile vinci, si singulos in quæstione positos pœna confecerit.

3. Producitur itaque primo loco natu primus, circumstantibus ac frementibus undique cum toto mortis apparatu impietatis officiis, non otiose persecutore tractante, qui putaret, sublato conjuratæ virtutis capite, omne bellum posse finiri. Sed fefellerunt eum misero crudelitatis magisterio nimium edocta consilia. Nam tanto fœdius hostis vincitur, quanto adversus unum justum virum major tyranno satellitum turba famulatur. Maximum autem est indicium ignaviæ, inter consertos hostium globos unum palmam victoriæ retulisse. Sauciato itaque hostis **26** furore cui diversa tormentorum genera serviebant, currit per singulos manus cruenta carnificis : et ad incutiendum mortis timorem, unicuique fraternum sanguinem portat, explorans metu mortis testimonia crudelitatis. Sed dum apud alterum victoriæ locum molitur, victum se ab alio confitetur. Stetit autem apud omnes inconcussa fides, vis suorum animata suppliciis. Succedit in aciem secundus; nec longo intervallo procedit et tertius; quibus coronatis, pugnam quartus aggreditur; nec quintum, aut sextum mors funesta deterruit. Est denique in omnibus una fides, una virtus, una conscientia; ut omnes unum putares, atque omnes unum esse crederes, cum tamen singulos per partes laceraret injuria. Ita fraternitas victoriæ animata consortio, dum paternis legibus servit, multiplicis virtutis insignia reportavit.

4. Inter tot igitur pompas funerum discurrit mater attonita, et curis anxia, ac metu et pavore conterrita. Sed neminem ista res decipiat; trepidat quidem, sed de victoriæ eventu, non de morte filiorum. Ad singulas interrogationes mater stat sollicita, ne quem fides deciperet, ne quem a collegio sanctitatis fragilitas humana segregaret. Nam adversus cruentas hostis minas unumquemque sedula adhortatione prosequitur, ne vellet aliud esse quam frater. Singuli quidem patiuntur : sed ista cum singulis patitur, et cum singulis animo sola torquetur. Tollit ergo palmam propriæ virtutis in amore omnipotentis Dei. Sed si respiciatis ad singula quæ sedulitas materna sustinuit, cum omnibus filiis partem est sortita martyrii. Post tam innumeras virtutum palmas, venitur ecce ad illum, cujus ætas hosti obtinendæ victoriæ spem fecerat, et qui viderat circa fortiores ætate viros parum profecisse minacis inquisitionem sermonis, pueriles animos lactandos blandæ adhortationis alloquio, omni denique via subdolæ persuasionis aggreditur. Hunc divitiis et honore dignum judicat, illam unius filii absolutione æstimat esse palpandam. Sed animus jam totus directus ad cœlum non facile recipit de terrena parte consilium : accenditur magis ad virtutis culmen intrepidæ animus infantiæ adhortante matre.

5. O novum et mirabile virtutis exemplum! orbitate sua mater exsultat : et unde pietas damnum patitur, lucrum reportat. Præmisso etiam hoc quem delicatius amabat filio, ipsa quoque viam gloriosæ mortis ingreditur : nec longe innumeris vexata suppliciis, cum triumpho persecuta filios, ad cœlestia et æterna contempta hac temporali luce properavit. Cui ergo, dilectissimi, curæ sunt ventris sui pignora, hujus matris imitetur exempla, tam numerosa, tam fortia. In quam si quis vincendi studio intenderit, non dubie multiplicis gloriæ honore mune-

ratus incedit. Quæcumque itaque mater est, filios suos hoc honore dignos judicet : ac sub ista quam didicistis adhortatione doceat, ut discant cœlestium legum instituta servare. Qui autem Christo nostro serviunt, fortissimorum virorum pugnas imitentur. Illa mater probat se amare filios suos, quæ hoc quo mundus nititur errore depulso, de fructu ventris sui hostiam Deo tradiderit, ac se suosque Domino quotidie immolatura libenter obtulerit. Sed quo facilius illius cœlestis virtutis insignia obtinere possimus, contemnenda sunt munera et honores hujus sæculi, quæ humanos oculos vanitate suadente decipiunt. Hoc autem apud Dominum acceptabile constat esse sacrificium, si prælato cœlesti honore sæculum cœperis despicere.

HOMILIA XIX.

De Quadragesima.

1. Si respiciamus, dilectissimi, causam præsentis solemnitatis, quæ nobis spem salutis æternæ futuræ resurrectionis lege commendat, non ab re est, si omnes hos in lætitia dies ducamus, atque illa districtioris vitæ studia temperemus. Sed in hoc mihi aliquoties displicet lætantium chorus, quod putat homo totum sibi licere, quidquid Quadragesimæ tempore illi religiosæ deputaverat disciplinæ. Unde nulli dubium est, præcedentia officia in confusionem venire, si nescias custodire quæcumque ad purificationem animæ jejuniorum et vigiliarum labore te constiterit comparasse. Cito autem ille quæ sunt comparata rescindit, qui immemor spiritalium munerum carnalibus desideriis acquiescit. Oportet enim inter quæ diximus gaudia, illam religiosæ disciplinæ viam teneri, quæ non dubie Domino hominem bonæ voluntatis insinuat. Cui si sciremus condignam legibus servare reverentiam, nullum gehenna susciperet, nullum perpetuæ mortis pœna damnaret. Omni ergo studio nobis agendum est, dilectissimi, ne purificati corporis conscientiam indulgentia nimiæ remissionis impugnet : non tantum dierum illorum observatione contenti, quos annuatim jejuniorum cura commendat. Licet hanc ipsam aliquantis ob inutilem somnum et insatiabilem gulam constet ingratam. Qui dum ad sanctæ Paschæ dies desiderio instigante festinant, accusando vigiliarum studia continentiæ bona [a] Pascha convivia et jejunia copiosa. Quasi re vera quod Quadragesimæ dies prohibeant, licito fieri solemnitas votiva permittat, et in absolutione jejunii data sit licentia peccandi.

2. Ideo nemo putet ex eo omnia sibi licere, quia videt districtioris vitæ tempora præterisse. Solet enim omnem honestæ vitæ statum remissio inauta decipere. Non æstimet ille ebrietati aliquid ilisse permissum, qui videt constituto tempore cesare jejunium. Non credat mentes hominum somnoentiæ deputatas, qui videt juges vigilias superveniente solemnitate fuisse suspensas. Non est utilis servus, qui feriatos dies ad hoc exspectat ut dormiat. Major sollicitudo agricolæ manet, postquam diutino terram labore contigerit. Vigilandum igitur est primum, ne forte commendata sulcis semina, aut fera præsumptuosa sibi vindicet, aut avis insidiosa contemnat. Sequitur ut ex otio in usum aquæ bibula fossa deducatur, ne superveniens tempestas pullulantia germina aut occidat aut rapiat. Opus est etiam herbas velli, et aridum cespitem sarculo operante molliri : ac per illos quos sibi agricolæ vindicant feriatos **27** dies, improbum animal circumducta sepe prohibere. Tantus est enim amor alendæ vitæ, tanta providentiæ cura, tantum culturæ studium, ut nec tunc quemquam otiosum esse conveniat, cum agricolæ arista fructus perfecto flore commendat. Nam solent adultæ messes spinis accrescentibus impediri : atque illa quæ in spe maturitatis constituta sunt, alieno semine suffocari. Ita intelligendum et multa agricolæ studio crescere, maxima quæque per negligentiam deperire.

3. Sed dicis forte, Omnes negligentias solemnitatis excusant. Omnibus sine dubio periculis subjacet, qui vitam suam quolibet tempore negligentiæ tradiderit. Numquam denique equis otio deputatis bene frena laxantur. Ita et post hiemis rigorem cito inebriata aquis terra luxuriat. Videmus etiam frequenter navigia maris portu proximo, quiescentibus remis, subita vi incurrisse naufragiis. Ad hæc ergo respicientes, fratres dilectissimi, ita vitæ nostræ ordinem disponamus, ut primo loco castigemus illum conviviorum luxum, quatenus a nobis desideria carnis fugitiva discedant. Non igitur ideo dico, quasi adeo sit abstinendum a cibis, aut in totum parcendum poculis : quia licet sint ad crucem parata, tamen semper sustinenda sunt corpora. Displicet mihi solum in his diebus insatiabilis gula, atque illa ventris infructuosa commercia : displicet profusum ebrietate convivium, ac per totam noctem ludibrio expositum. Excedit profecto disciplinæ modum, si quis plus bibat quam sitiat. Quid igitur apud illos exosum, ubi præter ebrietatis vitium, etiam detrimenta conveniunt facultatum? Quis autem ferat illa damna vinolentiæ, ubi plus vergitur ebrietatis causa quam bibitur? aut quis apparatum illius triclinii libenter aspiciat, in quo omnia pereuntis vini odore sordescunt? Nam ubi supercurrit merum, horret necessario turpi squalore convivium, perit profecto quidquid hydria plena susceperit.

4. Videat ergo quid futurum sit cui ebrietas placet, atque ad hæc quæ dicturi sumus animum sapienter accommodet, et non difficile causam suæ infelicitatis agnoscet. Si oleo nimio vas compleveris, ad os patulum recurrit fervens unda vendemiæ, et cum fœditate revomet quidquid ex nimietate susceperit. Videmus etiam frequenter exundante vino caprini generis

[a] Totam hanc sententiam faciunt perobscuram tum missæ interpunctiones, tum vox una corrupta, quam in hunc modum nunc emendamus : *Accusando vigiliarum studia : continentiæ bona, parca convivia, et jejunia copiosa*, etc., mutata voce *Pascha* in istam *parca*, suus orationi nitor restituitur. Baun.

vasa corrumpi, et undis luctantibus cuppas figuli rimas aperire. Nihil profecto liceret morti, si scirent miseri causas vitare pereundi. Debilitatis autem viam munit, qui infirmis corporibus plus aliquid oneris imponit. Ita est ut dubie cœptum iter peragat, quem injusti fascis pondus accusat. Moneo itaque, dilectissimi, ut si quis Christo nostro placere disponit, primo loco desideria gulæ castiget, quæ ebrietate famulante magistra solet esse damnorum. Denique hinc nuditas, hinc mendicitas, hinc solet aliquantis venire egestuosa paupertas, ita Salomone dicente : *Omnis ebriosus pannis vestietur* (*Prov.* XXIII, 21). Perseverent magis in bonis illi fructus continentiæ, quibus videmur Domino Quadragesimæ diebus devota jugiter mente servire : ne cum forte nos possidendos negligentiæ dederimus, videamur studium honestæ vitæ temporibus solum præstitisse, non moribus. Quid prodest, si te Domino quadraginta diebus bonum exhibeas, et una die furore impiæ crudelitatis offendas? Quid juvat per multa temporum spatia pudicitiæ servasse reverentiam, si postmodum ad turpe facinus luxuria instigante rapiaris ? Quid prodest cupiditati ad tempus fraudem fecisse, si post tantos misericordiæ fructus quos tibi manus larga contulit, alienis damnis et lacrymis delecteris ? Perit profecto quidquid gratiæ homo per multos annos justis operibus acquisivit, si sub unius horæ spatio quocumque turpis vitæ depravetur errore.

5. Hæc est igitur servandæ disciplinæ ratio, ut integritatem in te nutrias, castitatem diligas, pacem colas, atque omnia quæ iniquitati serviunt, sub metu disciplinæ confundas : ita ut superiori non superbiat mediocritas, nec despiciatur in personarum comparatione paupertas. Sicut autem magnum est semper servisse melioribus : ita utile est et gloriosum humiliori personæ reverentiam præstitisse : quia in quantum homo dignitate præditus humiliatur, attollitur, ita Domino dicente : *Qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur* (*Matth.* XXIII, 11). Humilitatis itaque ante omnia via eligenda nobis est, quæ nec odiis subjacet, et multum semper amoris acquirit, ita Apostolo dicente : *Humilibus Deus dat gratiam, superbis autem resistit* (*Jac.* IV, 6). Cogitet ergo quis hujusmodi labore iniquo de pœna dubitare futuri judicii, qui videt adversus sese pœnam cœlestis iracundiæ commoveri. Quam si quis humilitate prævenerit, non difficile erit ut in cœlesti sede locum æternæ possessionis inveniat, de quo ille diabolus superbia operante depulsus, sententiam perpetuæ damnationis excepit. Sectemur ergo humilitatem, sobrietatem, continentiam, pudicitiam ; elaboremus obtinendo studio sanctitatis ; ut vita nostra nullis damnis animæ concutiatur, nullis umquam apud Dominum odiis addicta suspiret.

HOMILIA XX.

De avaritia.

1. Asserunt, dilectissimi, auctores omnium curationum diversis doloribus medicinæ beneficia diversa competere, et singulis infirmitatibus singula quæque beneficium peculiare præstare ; ita ut doceant tumentia aut ferro debere compesci, aut medicaminis confectione molliri : latentia melius esse poculis indagari, frigida corporum ferventibus pasci, calidiora frigidioribus temperari. Ego vero in opere divinæ institutionis aliter sentio. Nam si illam Epistolam ad Timotheum factam recenseatis, invenietis sub uno medicamine, et unius vulneris resecatione multas valetudines posse curari. Quod autem istud vulnus sit, in quo infirmitates diversæ conveniunt et morti-feros dolores operantur, sanctus apostolus Paulus evidenter exposuit dicens : *Radix omnium malorum est cupiditas : quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis* (I *Tim.* VI, 10). Tractandum est ergo, dilectissimi, quo opere, quo labore debeat tanta criminum silva succidi. Sed prius concurrentium undique in unum omnium vitiorum causas debetis agnoscere, et singula quæque unde descendant, quo vadant, quid deformitatis, quid doloris exhibeant, diligenter inquirere. Maxima enim spes est recuperandæ salutis, fontem nosse languoris.

2. *Radix omnium malorum est cupiditas.* Et vere, dilectissimi, si respiciamus ad singula quibus ab initio vitam suam habendi studio conditio humana prostituit, nihil est malorum, quod non cupiditas aut concipiat, aut parturiat, aut pascat, **28** aut nutriat. Ex hoc enim fomite videmus pullulare odiorum causas, hinc evenire criminum pugnas, hinc fraternas acies instrui, hinc amicitiarum fœdera dissipari. Nemo ergo singulis infirmitatibus proprii doloris crimen assignet. Nam cum omnia vitia constent nominibus suis, pendent tamen sceleribus alienis. Videmus igitur superbiam vanitatis tumore componi, et humillimum quemque arrogantiæ contagione moveri. Quem si inter æquales positum subito forte respicias, alium judicas esse quam fuerit, ita elatum verbis incedere, et tumenti aspectu aspicias ad cœlum collum portare, ac paupertatis beneficio diu clausum iter linguæ verborum munire ponderibus ; atque in tantum fastidiosi oris verba disponere, ut cum ipse velit loqui, alium nolit audire. Sed hæc quamvis sin per se gravia, constat illecebris cupiditatis animari. Cessat denique divitiarum pompa, et non tam facil invenies, qui superbiæ laboret invidia.

3. *Radix omnium malorum est cupiditas.* Curramu per singula, si videtur, et invenietis quantis mali pullulet vitium cupiditatis. Ecce armatur vicinita frequenter ad litem : unde est, nisi quod hic fort terminos transcendere, et cespitem juris alieni cogi tat occupare ? Quare non occurit oculis illa sententia *Ne transeatis terminos quos posuerunt patres vesti* (*Prov.* XII, 28) ? Ecce fit primum in hoc loco de pro prietate contentio : et dum suam quisque cupiditate verbis fovet, stimulum litis accendit. Crescit postmo dum de contentione causatio : atque utinam hoc so lum sufficeret cupiditati ! Illud gravius est, quo dum nemo vult inchoatæ calumniæ facere jacturan pervenitur ad rixam. Armantur servi, incitantur pro

pinqui, et in alterius lucrum pectus opponitur alienum. Animatur vino furor conductus, et effusus sanguis fit pretium possessionis. Aperitur postmodum legibus forum; et dum ultionis locus quæritur, congeminatur homicidium. Videmus etiam frequenter acies cupiditate componi, dum aut hic vult videri ditior, aut ille erubescit esse pauperior. Quibus inter se æmulantibus periclitatur interim vicina possessione consortium, dum quærit quis primus invadat, et cogitat ut immune possideat. Ita fit ut dum cupiditas quærit augmentum, patrimonium vacillet alienum.

4. Quare non cogitant isti illam sententiam, quæ dicit: *Stulte, hac nocte requiretur a te anima tua; hæc quæ parasti cujus erunt* (*Luc.* XII, 20)? Et vere nihil est stultius quærere dubia et acquirere peritura. Quid enim prosunt homini opes, quæ ad hoc solum congregantur ut pereant? Certe te moriente remanet cespes avaritia propagatus: relinquitur ampliata possessio; et quamvis sit in alterius potestatem transfusa, testimonium tamen tui sceleris servatura. In quo loco cogitandus semper ille propheticus sermo: *Væ illi qui jungit villam ad villam* (*Isa.* V, 8). Sed dicis, Lego *parentes filiis thesaurizare debere* (II *Cor.* I, 24). Ex hac ipsa sententia potes agnoscere quid profecerit pietas tua. Ecce ad alium transeunt divitiarum tuarum ornamenta, et tecum remanet persuasionis invidia. Apud alium facultatum tuarum pompa resedit, et tecum pœna migravit. Stultitiæ genus est, aliis fecisse lucrum, et sibi parasse supplicium. Nam ita dicit Apostolus: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli* (I *Tim.* VI, 9).

5. Sed nec longo intervallo cœlestis sententia districtionis suæ exserit potestatem. Nam quodam modo per gradus ad ultionem quamdam præteritorum actuum vitiorum incrementa succedunt. Denique hic parricidali animo aut patris vitam increpat, aut matris mortem exspectat. Tueatur illum forte ab hoc crimine causa debitæ hæreditatis. Verum est: sed quamquam legitimus hæres sit, non tamen sine cupiditatis vitio successionis vota componit. Vellet denique unicus esse, si posset; modo de patris morte cogitat, modo de fratris vita suspirat. Non est hoc sine grandi scelere impietatis. Nam quisque hominum parentivæ mortis exspectatione animam pascit, parricidali crimine in hæreditate succedit. In quo loco cupiditatis impulsu nutriuntur inter cohæredes odia. Necdum funus effertur, et jam testamenti fides juris interpretatione vacuatur. Alter de subscriptione patris disputat, alter de fratris persona desperat. Hic astruit scripturam non stare testibus, ille assignat testamentum non convenire temporibus. Ita vacillat prædium in collisione causarum; et quod acquisivit avaritia parentum, perdit cupiditas filiorum. Audite Scripturam dicentem: *Ne concupiscas rem proximi tui* (*Exod.* XX, 17). Enumerari non potest quantis modis cupiditas sæviat. Ecce ubi testamentum profertur, statim de falsitate cogitatur. Quæritur quis mutum audierit loquentem, quis mortuum hæredes noverit ordinantem. Nec difficile est, quod pejus est, cuiquam invenire personas, aut scelere conjunctas, aut pretio comparatas. Imitatur hic infelix subscriptionem manus alienæ. Ita scripturam quam testator non instituit, cupiditas calamo sæpius repetente componit.

6. *Radix omnium malorum est cupiditas.* Hic ad confirmandam fraudem armat perjurio falsitatem, ille alienis litibus corruptum nonnumquam pectus opponit. Ita sub unius cupiditatis vitio facultas et acquiritur, et laceratur. Ubi est quod dicit Scriptura: *Falsus testis non erit impunitus* (*Prov.* V, 19)? Cui hoc imputandum putamus, quod inter illos quos audimus aliquoties criminibus interfuisse, etiam innocentes in crimen vocantur? Venit enim frequenter in quæstione suspicio; et cum apud alterum resideat furti culpa, ad alium transit pervasionis invidia. Ita dum augmentum facultatum quæritur, etiam bene acquisita lacerantur. Sic fit ut aliquoties descendat ex cupiditate falsitas, et ex falsitate paupertas. *Radix omnium malorum est cupiditas.* Unde est quod videmus inter se frequenter armatas stare legiones? Quid autem aliud est, nisi quod aut ille aliena occupare quærit, aut ille occupata custodit? Inde descendit quod aliquoties de imperii potestate contenditur, et de primatus ambitione certatur. Omnia profecto in pace consisterent, si hominem imperandi cupiditas non removeret.

7. *Radix omnium malorum est avaritia.* Requiramus cujus sit vitium quod tenui tabulato hominis vita committitur, et dubiis casibus pelagi incerta tentatur. Nonne cupiditati ascribendum est, cum superveniente procella altum mare nauticus clamor incusat? Nonne ad cupiditatis recurrit invidiam, cum scrupeis rupibus naufragum corpus illiditur, et tumentia aquis membra ignotis littoribus pelagi unda jactantur? Numquam se profecto nauta navigio credidisset, nisi navigandi desiderium negotiandi cupiditas incitasset. Fertur denique homo undis voto quadruplicandæ pecuniæ, portatur aurum ut reportetur cum falsitate perjurium. Numquam enim negotium sine fraude agitur, ubi ad hoc solum vilius emitur, ut charius distrahatur. In qua re etiam si votis hominum **29** navigatio quieta successerit, non sine naufragio est, cum inter vendentem et ementem iniquis aut ponderibus, aut mensuris, quis aut operatur aut patitur. Quare isti non cogitant illam sententiam quæ dicit: *Sicut mensus fueris, metietur tibi* (*Matth.* VII, 2)?

8. Erubescimus illa dicere, dilectissimi, quæ luxuria agente deferuntur cui descendit ex cupiditate commercium. Frequenter igitur conjugalis pudor pecuniæ taxatione vilescit, et diu incontaminata virginitas sub parvo auri pondere prostituta fidem integritatis amisit. Tanta est apud aliquantos cupiditas, ut venalis pudor pretium fœditatis inveniat. Nam ita ad corruptionem corporis pecunia studiose pensatur, quasi dignum aliquid comparetur. Infelix profecto est, qui plus cupiditati consulit quam pudori. Damnasse est promissæ hæreditatis gratiam, integritatis feeisse jacturam. Videte sub uno crimine quam dissimile

commercium cupiditatis. Hic pecuniam dedit, ut corruptionem emeret; illa pudorem perdidit, ut pecuniam compararet. Nihil enim sine cupiditate agitur, quotiescumque peccatur. Nam si removeas ornamentorum cultum, nullum patieris in corporis contaminatione naufragium. Cesset denique auri desiderium, et nec conjugalis fides perit, nec virginalis integritas erubescit.

9. *Radix omnium malorum est avaritia.* Hic proditionis arguitur, ille delator alieni criminis accusatur. Quis dubitet quod secretum pectoris oblatæ pecuniæ pondus irruperit? Nihil clausum constat, quod auro argentoque non pateat; nihil occultum, quod non pecunia indagante sit cognitum. Unde periculose illis conscientiæ fides creditur, quibus cupiditas dominatur. Haberet profecto integritas totum secretum, si in aliena domo proditrix pecunia non haberet ingressum. *Radix omnium malorum est cupiditas.* Ecce ille Dominus ac Salvator noster exitum voluntariæ Passionis vitio alienæ cupiditatis implevit. Legimus damnationem Redemptoris nostri triginta argenteis comparatam. Sed sicut vidistis proditionem ex cupiditate venire, ita debetis agnoscere damnationem ex proditione descendere. Proditus quidem ductus ad supplicium, sed proditor currit ad laqueum. Ecce quid fructus habet cupiditas : pecunia damnationis ad comparationem sepulturæ reposita, hoc est funeribus deputata. Intelligite ergo, in quo statu sit culpa cupiditatis, cum in damnationem venerit pretium proditionis. Nam et apostolus Petrus dicit : *Pecunia tua tecum sit in perditionem* (*Act.* VIII, 2). Forte sit aliquis de stultis et avaris qui sibi de hac sententia blandiatur, et præferat quod audit secum suam pecuniam migraturam. Nihil votis istius ex hac parte subtrahimus. Ventura quidem tecum est, non ut putas ad ornamentum corporis, sed ad testimonium falsitatis. Non tamen ad illos est ratio, quos misericordia comitatur. Alia illos manet causa, quos pecunia sua circa pauperes expensanda Domino larga erogatione commendat, alia illos quos reconditæ per scelus facultates accusant. Istis denique annumeratur ad supplicium, illis vero paratur ad regnum, ita Domino dicente : *Venite, filii, possidete mecum regnum paratum vobis a constitutione mundi. Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; nudus eram, et vestistis me* (*Matth.* XXV, 34-36).

10. Sit ergo, dilectissimi, unusquisque vestrum illa pecuniæ qualitate contentus, quæ gratiam salutis acquirat, non quæ causam damnationis accendat. Castigemus itaque primo loco cupiditatem, si volumus ut omnium vitiorum vincamus errorem. Nemo appetat aliena, et non est qui inimicitiarum laboret invidia; nemo impetat consortium, et nullum est de pervasione certamen. Sit unusquisque contentus propria, et nulla est de occupata possessione causatio. Contemne aurum, et paratum evanescit homicidium; nec parricidalia odia seruntur, si cupiditatis oculus castigetur. Non est in quo hæres erubescat, si quis ad mediocritatem portionis suæ contentus accedat. Non sit qui pecuniæ augmentum quærat, et neminem culpa proditionis accusat. Si non requiras lucrum, nullum patieris in tempestate naufragium; et cum agelli tui otiosus secreta custodis, alienum periculum securus aspicies. Vitare ista, dilectissimi, per singulos gradus forte difficile est, et laboriosum multis simul hostibus per diversos errores occurrere. Quærendum est ergo compendium belli, et auctor litis requirendus; ut cum illo nobis sit pugna, a quo processit injuria. Non enim dubie legiones armis instructas poteris vincere, si tyrannum potueris obtinere. Totam autem causam belli finivit, qui auctorem pugnæ superavit. Instruamus ergo virtutum acies adversus paratas scelerum legiones. Sed ante omnia adversus ipsam quæ caput belli est, hoc est cupiditatem, fide auxiliante pugnemus. Ita non difficilis erit de illa quam diximus vitiorum labe victoria, matre captiva.

S. VALERIANI

EPISCOPI CEMELIENSIS

EPISTOLA AD MONACHOS.

De virtutibus et ordine doctrinæ apostolicæ.

30 Impositæ mihi votorum circa me vestrorum sarcinæ, etsi interim corpore, ut scriptum est, absens, præsens tamen spiritu ac mente succedo (I *Cor.* V, 3; *Coloss.* II, 5). Nec parum, ut reor, dilectioni vestræ officii atque amoris exhibeo, quia vos quoque in spiritu, non in carne, agere confido, dicente Apostolo : *Quicumque in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis* (*Rom.* VIII, 8, 9). Nec sane incognitam spiritalibus viam teneo, si ædificationis vestræ sollicitudinem sermonibus eloquii epistolaris expromo; præcipuum beatissimi Pauli exemplum præ manibus habens, quem sequi cupimus, etsi consequi non valemus. Etenim etsi nos comparatio illius in nullo recipit, vobis tamen obedientia eorum est coæquanda quos edocet. Ut doctrina ordine constituto, cum ROMANIS (*Rom.* I, 8) prædicari credulitatem vestram in toto orbe cupientes, [a] cum CORINTHIIS (II *Cor.* VI, 6) secunda emendatione correcti, pace integra, charitate non ficta invi-

[a] Has duas voces quæ in Sirmondi editione deerant, restituit Cotelerius in notis ad Canones Apostolorum, § 76 tom. I PP. Apost. pag. 453. edit. Cler.

cem vos, ut scriptum est (I *Cor.* XVI, 20; II, XIII, 12), sancto osculo salutetis. Cum GALATIS (*Gal.* IV, 10, 30, 31) mensium, temporum dierumque observatione rejecta, repudiantes mundum ac sequentes Deum, non ancillæ vos filios intelligatis, sed liberæ. Ut in verbo veritatis cum EPHESIIS (*Ephes.* I, 13; IV, 5) permanentes, unum Dominum, unam fidem, unum Deum patrem omnium, qui super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis est, noveritis. Cum PHILIPPENSIBUS (*Philipp.* II, 14, 15), irreprehensibiles et simplices, omnia sine murmuratione et hæsitationibus facientes, in medio gentis pravæ sicut luminaria luceatis. Cum COLOSSENSIBUS (*Coloss.* III, 16) verbo Christi in vobis abundanter habitante, invicem vos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus doceatis. Cum THESSALONICENSIBUS (I *Thess.* IV, 1, 3; V, 17) voluntatem Dei abstinentes a fornicatione sectemini, orantes sine intermissione, omnia probantes, quæ bona sunt retinentes. Dehinc præcepti ordinem cum omni labore sectantes : ut si quis operari non vult, nec manducet (II *Thess.* III, 10). Ipse enim est panis qui de cœlo descendit (*Joan.* VI, 51, 59); cui admisceri neminem decet, nisi opera quibus ille delectatur exerceat. Ut TIMOTHEUS vobis forma sit, etiam post diuturnam aquam vino modico uti præceptus, ad sustinendum stomachum (I *Tim.* V, 23), non ad opprimendum : quia quamvis geminis commonitionibus erudiatur, nisi quis sobrius fuerit, ministerium suum implere non poterit (II *Tim.* IV, 5). Ut TITI vos informet exemplum, non solum sobrios esse debere, sed etiam continentes; quia omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum (*Tit* I, 8, 15). Denique hæc apostolicæ conclusio tota doctrinæ mystici numeri summam abstersi corporis purificationem complevit, quia nihil est tam Deo proximum quam hominem non esse corruptum. Attendamus quippe post hæc circumspectius quid sequatur. Fugitivus quondam domino famulus redit, et conditio conversione mutatur (*Philem.*). Apostolicis vinculis genitus, ad utilitatem inutilis proficit; nec solum in fratrem, sed etiam in charissimum fratrem, gradum conjunctorum nominum fastigio transcendit animarum; nec tantum appellationis meretur vinculum, sed etiam amoris affectum. Ad hoc enim Domini dignatione perducitur pura castitas sobrietate nutrita, ut quod parcitas vini curavit in Timotheo, quod abstinentia et continentia purgavit in Tito, id ad indulgentissimam libertatem accrescat in ONESIMO. Hæc et exsequenda doctis, et agnoscenda sunt imperitis; quia sicut scriptum est, et ignorantia mors est (I *Cor.* XIV, 38), et fides sine operibus mortua est (*Jac.* II, 26). Gemina vobis ratio adhibendæ observationis incumbit, sciendi cura, cum labore complendi; quoniam ea quæ in divinis eloquiis præcipiuntur, non solum non facere, sed etiam ignorare peccatum est. HEBRÆOS denique in exemplum consummatæ perfectionis assumens, contemptum præsentium rerum ob amorem cœlestium insinuo præmiorum. Ut si forte quispiam vobis, aut persecutionis pondus intulerit, aut diripuerit universa quæ vestra sunt, vos quoque nobile illud ac singulare testimonium quod in eximia eorum laude venerando Paulus ore deprompsit, non dispari sanctæ imitationis prosequatur affectu, quo ait : *Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis* (*Hebr.* X, 34).

THEOPHILI RAYNAUDI S. J.

APOLOGIA PRO S. VALERIANO,

EPISCOPO CEMELIENSI,

ADVERSUS NIC. CHICHON.

PROLOQUIUM.

Agendi pro Valeriano causæ et modus.

33 Ad omnes æque cum se dat occasio, nec facultas deest, pertinere censendum est, illud sive monitum, sive præceptum parentis optimæ, ad dilectum uteri sui Samuelem in visione qua eum erudit Proverb. XXXI : *Aperi os tuum muto et causis omnium filiorum qui pertranseunt.* Si maxime genuinum loci, alioqui non perspicui, sensum quærimus; muto os aperit, quisquis innoxium, qui tamen pro se dicere, et causam suam tueri nequeat, indemnem præstat ab insultibus quibus appetitur : Quod ipsum est, causam filiorum pertranseuntium, hoc est imbellium, et ad sui defensionem inidoneorum (cujusmodi fere sunt pertranseuntes et advenæ) propugnandam suscipere, eique os aperire, quod tamquam insigne charitatis opus, mater amantissimo filio commendatum voluit, estque cuivis alteri imitatione exprimendum. Hoc consilio, cum e diuturnis tenebris nuper eductus Valerianus Cemeliensis episcopus, acri theologi cujusdam criminatione ac zelo incensissimo, quem ne ipsi quidem Alpini rigores temperare valuerunt, famæ discrimen adierit ac etiamnum adire pergat, eo quem dixi PARCO CHARITATIS criminatore [a], Valerianum tamquam Semipelagiani erroris compertum atque convictum, ubique proscindente, et quibus potest clamoribus annitente, ut Valeriani opus ac nomen pristino sepulcro ac tenebris redonetur; charitati consentaneum duxi, viro sin minus sancto (nam hoc etiam ei decus per accusatoris zelum periclitatur) aut muto saltem, nec jam pro se dicere idoneo, aperire os meum, et pertranseuntis causæ, laborantique Valeriani famæ, opitulari. Nam quamvis maculæ ei a criminatore insperæ non parvæ duntaxat sint, sed etiam minimæ; tamen etiam labeculæ exquisitum candorem infuscant, et muscæ (tantulæ licet) unguenti cui immoriuntur, suavitatem extermi-

[a] Is erat prædictus Nicolaus Chichon.

nant. Ad hoc porro officium præter communem hactenus propositam, ea me impulit privata causa, quod harum (ut de Eucherii lucubrationibus scite dixit Hilarius Arelatensis) florulentarum, omnique amœnitate vernantium homiliarum fragrantia viciniæ nostræ cui Valerianus episcopus præfuit, atque adeo etiam oris nostri, quamvis alterius et diœceseos et provinciæ, tamen non adeo dissitis, afflata sit tam multis ante sæculis, dignumque videatur omnem ab eis pudorem, ut suaviter afflare pergant, dispellere. Quod commode præstiturus videor, si præmissis iis quæ ad Valeriani personam spectant (quod ita necessarium videatur ad avertendam doctrinæ labem, ut ex dicendis liquebit), has ejus homilias, quas negata benigna interpretatione, PARCA CHARITATIS criminatio impetit, naviter diligenterque excutiam, prolatis iis omnibus, unde labes aliquas sinceræ et undecumque catholicæ scriptoris hujus doctrinæ aspergi videtur. Illis autem expositis, et ad sanæ doctrinæ amussim exquisite aptatis, alterum quoque criminationum caput attingat disquirens rectene Valerianus *sancti* titulum quo illum mss. perantiqui codices donant, retinere in posterum debeat.

CAPUT I.

Valeriani sedes. — De ejusdem ætate, natione, genere, statu privato, conjectanea.

1. Eleganter, ut omnia, Theodoretus orat. 9 de Provid., imitatus Chrysost. hom. 7 in Ep. ad Coloss. ad illud; *Vita vestra abscondita est*, plerosque sanctorum, etiamsi apud Deum illustres, jamque gloria cumulatos, tamen quamdiu sæculi fluctibus volvuntur, margarito conferri posse observat; quod velut in ostreo abditi, et quod homines inglorii delitescant: ut propterea concludat, providendum a Deo fuisse alterius sæculi statum, quo decus uniuscujusque ac pretium in aperto statuatur, appareatque quid fuerint etiam cum obscuri incognitique premerentur. Hoc cum in aliis sanctissimis viris innumeris, tum nominatim in Valeriano deprehendere licet: quem tametsi sanctitatis nomine superstes aliqua antiquitatis aurula illustrem ferat, magna tamen hactenus in plerisque obscuritas, et communis, ut ita dicam, livor ævi pressit; ita ut e capitibus propositis de sola sede constet; in cæteris, conjectura fere utendum sit. Conabimur nihilominus a sede quæ explorata est, reptare ad reliqua.

34. 2. Sedes itaque Valeriano Cemelii, sive Cellæ aut Cemelini. Totidem enim nominibus dictam invenio civitatem, cujus nunc vix aliqua rudera supersunt prope Nicænam Salyum, in colle cui etiamnum Cemelii appellatio, et florentis quondam civitatis fama rerum vacua, durat. Nam si Deiparæ ædem sacram, et S. Pontii abbatiam demas, cætera campi tantum sunt, et vineta, ubi Cemelium fuit. Nimirum ut est apud Senecam, epist. 91 : *Nihil privatim, nihil publice stabile est. Tam hominum quam urbium fata volvuntur.* Et quod idem scite dixit epist. 71 : *Certis eunt cuncta temporibus, nasci debent, crescere, exstingui. Nulli non senectus sua est. Omne humanum genus quodque est, quodque erit, morte damnatum est. Omnes quæ usquam rerum potiuntur urbes, quæque alienorum imperiorum magna sunt decora, ubi fuerint aliquando quæretur.* Sapienter etiam de morte Antonius lib. IV de vita sua num. 38 : *Quot urbes mortuæ, ut ita dicam, sunt? Helice, Pompeii, Herculanum, et aliæ innumeræ.* Nec dissimiliter S. Ambrosius epist. 8, quæ est ad Faustinum, memorat *semirutarum urbium cadavera, terrarumque sub eodem conspectu exposita funera.* Ad has Cemelium adjungo, quam vixisse aliquando, nec ingloriam, rudera indicant, et Plinii ac veterum geographorum testimonia non obscure produnt.

3. Ex constituta Valeriani sede non invalida de ævo conjectura ducitur. Nam ex epistola Hilarii papæ ad quosdam Galliæ episcopos habetur, decreto sancti Leonis magni, episcopatum Cemeliensem conjunctum fuisse episcopatui castri (ita enim appellat) Nicæensis, haud dubie ob tantam utriusque loci viciniam et diœceseon angustiam. Ab eo itaque tempore, idem Cemeliensis, qui Nicæensis episcopus fuit. Nec Cemeliensis tantum, vel tantum Nicæensis; sed conjuncta utriusque civitatis nomenclatione nuncupatus est, ut liquet ex V Synodo Aurelianensi, cui Aetius presbyter subscripsit, nomine Magni episcopi Cemeliensis et Nicæensis. Quamquam in excusis synodi illius exemplaribus, mutila est ea subscriptio, ut notavit R. P. Jacobus Sirmondus, qui Valerianum eduxit. Subinfert autem ex proposita observatione, quandoquidem Valerianus absolute Cemeliensis episcopus nuncupatus legitur, oportuisse eum ante factam a sancto Leone utriusque sedis conjunctionem, Cemeliensi Ecclesiæ præfuisse, atque adeo posteriorem non esse sancto Leone Magno. Hoc non gravate concesserim. Addit præterea Valerianum sub annum Christi 450, hoc est sancto Leoni æqualem statuendum, argumento inde ducto, quod exstet ad Valerianum et Ingenuum Ebredunensem, Valeriani Metropolitanum, cæterosque vicinarum Galliæ provinciarum episcopos, ejusdem sancti Leonis epistola de Vasensis episcopi ordinatione, ex cod. ms. Arelatensi a card. Baronio evulgata; et alia, inter sancti Leonis epistolas num. quadragesima secunda, ad omnes Galliæ episcopos, qua Valerianus et Ingenuus, inter Galliæ episcopos, quorum ad sanctum Leonem epistola proxime præcesserat, referuntur. Item quod concilio per eadem tempora Rhegii in Gallia celebrato, subscripsisse legatur Valerianus, cum aliis illius tractus episcopis. Tandem quod habeatur Valeriani episcopi cum laude mentio, in recens reperto concilio Arelatensi sub Ravennio sancti Leonis æquali in hæc verba : *Causam quæ inter sanctum episcopum Theodorum, et sanctum Valerianum, vel sanctum Maximum, item episcopos, atque Abraham Faustum, necnon et reliquos fratres insulæ Lirinensis acciderat, absque dubio, omnes nos qui in Christo unum sumus, differre non possumus, nisi id agamus qualiter curetur et abstergatur.* Erat Theodorus episcopus Forojuliensis, Maximus vero Rhegiensis, cui postea Faustus successor, *bis successor*, ut ad eum canit Sidonius. Itaque suborta inter Theod. Lerino vicinum et Faustum Lerini abbatem controversia, Maximus Lerini olim abbas, tunc Rhegiensis episcopus, pro Fausto et Lirinensibus stetit. Et tempora ac loca consentiunt, ut Valerianus ille episcopus, qui item a Fausti partibus stetit, fuerit hic noster Cemeliensis episcopus, quem olim in Lerinensi asceterio monachum egisse, postea attingam. Has conjecturas, ut non diffiteor esse admodum probabiles, video tamen conjecturas tantum esse et quæ indocilem animum ægre permoveant, præsertim quia in citatis epistolis et conciliis Valerianus nusquam appellatur Cemeliensis. Nec Ingenuus, qui post Valerianum ascribitur in citatis epistolis, dicitur fuisse metropolita Ebredunensis : idque ex ipsa posteriori loco posita Ingenui ascriptione, infirmari videtur, ut non urgeam quod ad concilii plenitudinem aut tituli postea appositi vitium referri posse video, nempe episcopos illos ad metropolim Arelatensem, et diversam ab Ebredunensi cui Cemelium subest, et ab Aquensi cui subjacet Rhegium, pertinere. Denique plures simul eodem tempore in illo Galliæ tractu floruisse Valerianos episcopos, docet Gallorum episcoporum epistola ad sanctum Leonem, et ejusdem pontificis ad eos rescriptum, quod est inter epistolas 52, ut plane incertum fieri necesse sit quis eorum hoc nostro recurrat. Quamquam cum pro Valeriano plures suppetant, et reliqua adjuncta consentiant, non injuria existimatur eorum aliquem esse hunc ipsum quem quærimus Valerianum Cemeliensem. Et ita omnino habeo persuasum. De Valeriani ævo satis.

4. Natio minus obscura est. Ex dictis enim perspicuum videtur Gallum fuisse, et sedes consentit. Nam

quamvis Cemelium a Plinio, Ptolomæo, Leandro, aliisque nonnullis greographis in Italia collocetur, tamen apparet id ab eis idcirco factum, quod Italiæ limitem statuant Varum fluvium, cum tamen olim Galliarum finibus ad Alpem summam porrectis, Cemelium Galliæ finibus conclusum fuerit, et ita ferant antiqua itineraria, ac notitia civitatum Galliæ, quæ Cemelium inter Alpium maritimarum civitates Ebredunensi metropoli subjectas numerat. Sed et in Romano martyrologio, pridie idus Maii, sanctus Pontius qui duos Philippos Cæsares ad Christum adduxerat, in Gallia sub Valeriano et Gallieno passus proditur. At passum Cemelii constat; et diserte utrumque, id est, et Cemelii, et in Gallia passum, affirmant Usuardus ad eam diem, et Petrus Exquilinus episcopus in Catalogo (qui eum etiam facit episcopum Cemeliensem) annuuntque antiqua Acta quæ Surius edidit. Hunc Pontium Cemelii pro Christo obtruncatum triplici homilia de Laude Martyrii celebravit Valerianus, tamquam peculiare Ecclesiæ suæ decus, ut docent illa ex homil. 17 trita de eo argumento : *Illius martyris qui in hoc loco pugnam inclytæ virtutis* **35** *primus exercuit.* Nam quamvis in eo tractu, immo Niciæ quæ Cemelio stanti prope continens erat, ante sanctum Pontium alii sanguinem pro Christo fudissent, ut S. Bassus sub Decio 5 Decembris, tamen Cemelii primus martyrii agonem consummavit Pontius. Igitur Galliæ finibus conclusum est Cemelium; quando Cemelii passum Pontium, in Gallia, ut vidisti, passim produnt Martyrologia et Acta, in quibus ex Italia egressus Cemelium adiisse scribitur. Nec aliud sane de Cemelio quam de Nicia, Cemelio, ut dixi prope continente, statui potest. Ac Niciam Galliæ finibus concludunt, Romanum Martyrologium XII kal. Junii, cum de S. Hospitio confessore; et ejusdem occasione Gregorius Turonensis lib. VI Hist. Franc. c. 6, Sigebertus anno Domini 581, aliique passim. Itaque Valerianus in Gallia episcopus, non absre Gallus conjicitur, cum nihil suppetat quod illum aliunde eo delatum, sedem Cemelii nactum suadeat; ut ex hoc proinde novo sidere, tot micantissimis illius quod dixi ævi Galliæ astris adjuncto, Eucherio Lugdunensi, Hilario Arelatensi, Solonio, Verano, Claudiano, aliisque præsulibus; Gennadio item, Vincentio, Salviano, Prospero, presbyteris, insignem plane Galliarum jam illis temporibus splendorem liceat agnoscere.

5. Et quando Eucherii facta mentio, non debeo inter alias de Valeriano conjecturas missam facere quam suggerit Heribertus Rosueidus in notis ad Eucherii Parænesim : eum videlicet Valerianum ipsius cognatum quem philosophiæ sæculari tunc addictum, Eucherius omni floridissimæ scriptionis vere ostentato ad mundi contemptum invitat, hunc ipsum esse Valerianum Cemeliensem. Quod si admittimus, lux affunditur Valeriani generi ac nobilitati. Nam Valerianum illum ad quem Eucherius scribit, fuisse ipsi sangui e junctum, frons ipsa Paræneseos Eucherii præfert. Et cum Eucherium constet splendidissimis natalibus insignem fuisse, idem decus ad Valerianum transfunditur; ipseque Eucherius illum ita affatur eo quem signavi loco : *Quamvis in maximos sæculi apices, patre, soceroque elevatus, illustribus ex utroque titulis ambiaris, ego tamen longe superioris in te honoris fastigia concupisco.* Vides genus illustrissimum. Sed et obiter *soceri* vocem adverte, quæ Valerianum illum conjugio illigatum prodit. Id vero videri posset omnem conjecturæ hujus vim elidere, cum Valerianus Cemeliensis et episcopus fuerit, et ante episcopatum monachus vixerit, ut aperte habetur ex initio epistolæ ad monachos qui illum sibi tametsi absentem in præfectum elegerant. Nihil tamen conjecturæ propositæ inde decedere perspicuum est ex ipsa Eucherii ad sanctum institutum invitatione; quæ docet vel Valeriani conjugium non fuisse nisi designatum, ideoque fas illi adhuc fuisse ad aliud vitæ genus convolare : vel quod aliis plerisque accidit, Valerianum, annuente conjuge, aut non ultra superstite, liberum fuisse ad sanctum institutum capessendum, et consecutam promotionem in præfecturam monasticam ac episcopatum.

6. Et hinc via utcumque aperitur ad agnoscendum Valeriani sanctum obitum et beatitatem. Nam quod per ea tempora, *altrix magnorum montium plana Lerinus*, ut eam Ennodius nominat, illustriorum virorum a sæculi fluctibus in Gallia secedentium frequentissimus portus esset, admodum verisimile est in ea insula monachum egisse Valerianum; indeque primo alicubi a monachis absentem in præfectum fuisse expetitum : tum vitæ sanctitate sanguinis splendori conjuncta illustrem ad sedem Cemeliensem in ea ora positam fuisse translatum, ubi sancto fine quieverit, juxta ea quæ de S. Valerii Lirinensis olim monachi depositione, Arnaudus in Martyrologio monastico his verbis tradit : *Nono kal. Augusti, Niciæ in provincia, depositio sancti Valerii episcopi, et confessoris, qui ex monacho Lirinensi ad episcopatum assumptus boni pastoris officium implere staduit, et in gaudium Domini sui introductus, audire meruit, Euge serve bone*, etc. Idem consignatur in tabulis Lirinensibus ea die. Hunc porro esse nostrum Valerianum existimant nonnulli Nicienses. Quos inter v. c. nec juris tantum utriusque consultissimus, sed omni quoque politiore litteratura excultissimus, D. Honoratus Leotardus, datis de eo argumento litteris, hunc esse sensum suum significavit. Nec vero refert quod sanctus ille ex Lirinensi monacho episcopus, Valerius dicatur, non Valerianus. Nam potuit in antiquioribus tabulis, unde illud Martyrologium confectum est, per festinationem amanuensium, notarum compendia (ut assolet) consectantium, scribi pro Valeriano, Valerius, adhibita nota, qua in alia exscriptione non adhibita, manserit Valerius. Hac sane vel simili alia ex causa, in concilii Arausicani subscriptionibus, Valerius cum Valeriano confunditur in plerisque codicibus. Minus etiam movet quod locus depositionis, non Cemelium, sed Nicia notetur in iisdem tabulis et Martyrologio. Nam juncto per illud tempus a S. Leone episcopatu Cemeliensi et Nicæensi, contingere facile potuit ut Valerianus utriusque sedis episcopus, Niciæ potius quam Cemelii corporis exuvias poneret : et in tanta Niciæ Cemelii propinquitate, mirum non esset etiam stante Cemelio Niciæ excessisse e vivis Valerianum, tametsi in gregis sui excubiis assiduum. Præterquam quod non ultra stante Cemelio cum illud Martyrologium confectum est, vel exscriptæ tabulæ antiquæ, e quibus fuit depromptum, facile potuit qui Valerianum iis inseruit, ut obscuritatem vitaret, abjecta Cemelii diruti mentione, civitatem continentem, in quam Cemelium, ejusque populus, et sedes episcopalis, aliaque jura concesserant, assignare pro loco in quo e vivis excesserit sanctus ille episcopus. Quid si vero ne locum quidem obitus signavit, sed locum quo ejus illa die e vita excedentis depositio recolitur, quod Cemelio everso, Niciæ fieri oportuit?

7. Sed me quidem conjectorem diutius agere in tam obscuris Valeriani rebus piget. Multoque etiam magis pigeret, nisi animadverterem criminatorem, longe tenuioribus indiciis, immo apertis hallucinationibus nixum, secure Valerianum harum homiliarum parentem longe aliis coloribus expingere quam prout a me expressus est. Statuit enim per se evidens, ac illustrissimi card. Baronii testimonio firmat, hunc esse nefandissimum hæreticum Pelagii et Cœlestii partiarium ex Occidente profectum Alexandriam, ut habetur ex epistola Eusebii cujusdam ad S. Cyrillum Alexandrinum, quam profert Baron. anno Christi 417, 11, 15. Ea Epistola is quem dixi Eusebius amice expostulat, cum S. Cyrillo, quod **36** truncati gladio sedis apostolicæ, Pelagius et Cœlestius, communione Alexandrinæ Ecclesiæ potientur, interventu ac opera hominis pestiferi, eorumdem hæreseos capitum fœderati Valeriani ventriloqui, gulæ ventrisque mancipii, genere humili, et conditione ipsa servi, Ariminensis

possessionis illustrissimi Valerii comitis. Additque Baronius conjectare se, hunc esse illum ipsum Valerianum, cujus apud S. Hieronymum est mentio epist. 79. Qui enim ibi in vulgatis codicibus dicitur Annianus pseudodiaconus Celedensis, cujus libros contra se editos S. Hieronymus testatur se per Eusebium presbyterum suscepisse, respondens S. Augustino et Alippio qui sciscitati erant eosne libros confutasset, hunc Baronius suspicatur corrupte legi Annianum, dicendum autem Valerianum. Quandoquidem verisimile est hunc esse illum Eusebium qui Valerianum apud Cyrillum insimulaverat, atque adeo non alium quoque esse Annianum illum, quam Valerianum Eusebio invisum. Qui item corrupte dicatur Celedensis diaconus, cum de Ecclesia Celedensi nusquam sit mentio, sed Cenetensis potius sit dicendus. Ita enim substituit Baronius, testatus aliam lectionem habere *Arelatensis*. Quid si *Avellanensis*, quæ Juliani aliquando Capuani episcopi, Pelagianorum acerrimi, agnominatio ex patria, teste Prospero? Quid si item *Celanensis?* Nam hunc Julianum, Beda lib. I in Cant., *in ipso initio*, vocat episcopum Celanensem, in Campania. Hic Valeriani nostri criminator, triumphum canit, et cardinalis Baronii auctoritate eum aperte gravari, immo opprimi, perspicuum existimat.

8. Verum hæc existimatio tam insulsa est, ut ne ingesto quidem salis modio defatuanda videatur. Tota enim vis argumenti quo nititur, eo universa revolvitur, quod cardinalis Baronius de Valeriano Cemeliensi, et his homiliis, earumque parente prorsus tacens, prodat Hieronymi et Augustini ætate vixisse Pelagianum quemdam nomine Valerianum, diaconum Cenetensem. Inde infert criminator, hunc esse Valerianum Cemeliensem episcopum, harum homiliarum parentem. Quæ cujusmodi sit consecutio, ineptiam ipse quoque, si demonstrare contendam. Quare obiter tantum dico, non si unus aliquis fuit hæreticus nomine Alexander, aut Joannes, aut Sergius, fas illico esse, omnia quæ perverse ab illo facta dictave sunt, transfundere in quemcumque ejusdem nominis ea ætate florentem, quamvis neque munus, neque alia personarum adjuncta diversa essent, ut hic sunt plane diversa. Periclitabitur sane per hanc inferendi et criminandi licentiam auctor catholicæ Epist. B. Judas argui proditionis et venditionis Christi Domini, patratæ a bipedum nequissimo, ejusdem nominis, muneris, ac ævi cum S. Apostolo. Desino calamum per se quassatum conterere.

Nihil porro præterea suppetere quod Valerianum nostrum gravet ex iis quæ sive ex Eusebio illo, sive ex Hieronymo adducta sunt, nullo negotio evinco. Nec urgeo quanta sit fides quorumdam sub Eusebii illius nomine vulgatorum scriptorum de vita S. Hieronymi, et aliorum ejusdem ingenii partuum ad S. Cyrillum et Augustinum, quæ hæresibus atque ineptiis farta, Lovanienses tom. II Augustin. observarunt, suffragante Baronio anno Christi 420, a num. 42, et in Rom. Martyr. ad 30 Sept. Hæc tametsi dissimulata velim, quis non videt eum Valerianum, quem Eusebius ille ἐγγαστρίμυτον nominat, fuisse Pelagii et Cœlestii discipulum ac fœderatum; hunc autem Valerianum, cujus homilias indemnes præstamus, fuisse eorumdem juratum hostem, ut et Semipelagianos reliquos, quibus ab adversario non satis memori postea adjungitur? Semipelagiani enim viri alias probi et docti, Pelagium et Cœlestium, quorum Valerianus ille ventriloquus partiarius proditur, abominabantur, ut infra referam. Nihil igitur nostro huic Valeriano cum Valeriano illo quem Eusebius apud Cyrillum est insectatus, commune revera est, præter nomen. Unde quo jure criminator Valeriano nostro infamiam Valeriani hæretici affricat, tantum quia ejusdem est nominis; eodem noster, si ineptire liberet, cumulari posset elogiis queis per eadem tempora Prudentius Valerianum episcopum celebrat hymno 10 peristeph., aut quibus Valerianus episcopus Aquileiensis sub eam ætatem florens exornatur a S. Hieronymo et Rufino aliisque.

9. Tametsi vero causæ præsenti nihil incommodat quod Valerianus ille ventriloquus idem sit cum Anniano Celedensi diacono, ut Baronius conjectabat; multa tamen sunt quæ suadeant fuisse longe diversum, et conjecturam scriptoris sapientissimi omnique superioris infirment. Omnes enim antiqui codices et Hieronymi et Augustini (nam hujus quoque tom. II ea Hieronymi epistola inserta legitur) constanter legunt Annianum; nec ulla lectionis varietas in manuscriptis quæ Marianus Victorius et Augustini emaculatores adhibuerunt notata est in eo nomine. Quod vero Eusebius aliquis (incertum an idem qui ad Cyrillum scripsit) ad Hieronymum Anniani scripta transmiserit, non sufficit ad transformandum Annianum in Valerianum. Immo quia potior est plurium codicum fides unius novi codicis testimonio si demus eumdem esse illum Eusebium qui ad Cyrillum de Valeriano scripsit, et ad Hieronymum scripta ejusdem erronis transmisit, colligendum potius erit mendum esse in ea Eusebii epistola quæ recens profertur, legendumque in ea esse, pro Valeriano, Annianum. Sed demus sane irrepsisse mendum in Hieronymi et Augustini codices, proque Valeriano corrupte in eis legi Annianum, quid Valeriano Celedensi diacono, cum Valeriano Cemeliensi episcopo? Quid blasphemo scriptori, post delusam cum Pelagio synodum Diospolitanam, calamum adversus S. Hieronymum stringenti, cum scriptore cujus omnes apices, pietatem, humilitatem, charitatem, et reliquas Christianas virtutes infigunt?

Altera prætensa in Hieronymi codice vitiato, ut maxime admitteretur, purgaret potius quam fœdaret Valerianum Cemeliensem, probri quod ei inspergebatur, derivatione in alium Valerianum ex suspicione Cenetensem, aut ut una lectio habet, Arelatensem. Nullam tamen exstare Celedensem Ecclesiam (quæ fuit unica mendum causandi ratio) scriptori diligentissimo excidit, cum Hieronymi epist. 77, quæ illi 79 prope continens est, scripta sit ad Marcum presbyterum Celedensem. Ex qua 37 constare videtur Celedensem Ecclesiam in Syria fuisse; quandoquidem S. Hieronymus Marcum illum qui in Celedensi Ecclesia plurimum poterat, exposcit auxiliatorem adversus eos qui e Syriæ eremo, quam tunc incolebat Hieronymus, ipsum extrudere nitebantur. Nec est quod data gratis identitate Valeriani illius de quo Eusebius scribebat ad Cyrillum, et Anniani de quo Hieronymus, novum videatur hominem forte in Occidente natum (quod Ariminensis illa servitus significat) ascriptum fuisse Celedensi Ecclesiæ in Syria. Frequentissimum enim per ea tempora erat ut qui in Occidente nati essent, commeantes in Orientem, ibi inaugurarentur. Ipseque S. Hieron. origine Dalmata, Antiochiæ initiatus est sacerdotio.

Video me tempus prodigere, et tam male subnixam Valeriani nostri ex ea Eusebii epistola denigrationem, jam satis superque obductam esse; planeque constare quanto jure Valeriani nostri criminator sibi ex ea epistola triumphum cecinerit; quam denique verisimiliores sint conjecturæ nostræ, si earum cum criminatoris argumentis fiat contentio. Qualiacumque vero fuerint quæ præmisi conjectanea, placuit ea non præterire, quod et sua probabilitate non vacent, et aliquid apud cordatos et affectu liberos conferre possint, ad suspendendum vel temperandum judicium de Valeriani recta fide, in ea criminatione ad quam progredior.

CAPUT II.

Quæ adversus Valerianum facere visa, aut videri potuerunt.

1. Duo in Valeriano suggillat criminator, doctrinam Semipelagianam et sancti prænomen. Auspicabor a priore criminationis parte cui etiam subnectam si quæ alia in doctrina Valeriani occurrerint vel mor-

bosa, vel suspicionem latentis mali movere apta. Qua in re nec criminatoris diligentia, nec mea insuper indignatione et scrutatione contentus fui; sed oculatissimorum præterea censorum judicia et emunctissimæ naris hominum sagacitatem studio meo adjunctam volui.

Semipelagianismi suspectum Valerianum, vel etiam (si accusatorem audimus) plane compertum, faciunt quæ variis harum homiliarum locis, sparsi habentur. Signabo quæcumque occurrerunt. Homilia prima, omnium judicio undecumque sana est: et idcirco apud Augustinum tomo IX, ubi jampridem habetur sub nomine libri *de Bono disciplinæ*, non modo Erasmi arrosionem effugit, sed etiam Lovaniensium theologorum censuram; qui quamvis recte libellum illum loco movendum pronuntiaverint, tamquam ab Augustino non conscriptum, nihil tamen in eo reprehenderunt; ut neque card. Bellarminus in censura tomi IX D. August. quamvis de parente libelli anceps sit, nec definire audeat, aliusne ab Augustino sit, an ipse Augustinus. Quæ dubitatio, postea quam ea scripsit Bellarminus, plane evanuit, prolatis posteriorum diligentia veteribus codicibus ex Floriacens. et S. Galli bibliotheca, in quibus diserte liber ille Valeriano Cemeliensi ascribitur. Et ut fides veterum codicum deesset, stylus plane clamat, auctorem non esse Augustinum, sed eumdem cui ascriptæ leguntur reliquæ undeviginti, hoc est Valerianum. Ex eo tamen quod tantus vir ausus non fuerit eum libellum D. August. abjudicare, perspicuum est nihil illum subolfecisse in eo minus sanum, olidumve. Itaque intacta sane abire posset ea prima homilia, nisi Valeriani criminator, qua est in deprehendendis aliorum erroribus odora vi, hac quoque primam homiliam suffixisset, quod prima ejus verba hausta sint a Pelagio, quem ait, *sæpius eo dicendi modo esse conquestum*.

2. Homilia secunda *sub initium* ita loquitur Valerianus de angusta via: *Hæc est illa via, dilectissimi, per quam justi pergunt et sancti immaculatique gradiuntur.* Liquet sermonem esse de via justa arcta, non philosophice tantum, sed etiam christiane. Et tamen hæc subit quæ Massiliense fermentum subolent, quo voluntas, Dei manum veluti prehendere et ad illam ex se surrigi dicitur: *Hujus ergo viæ et eligendus nobis et muniendus accessus est, quia sicut est arduus, ita est pervius; facilem autem se volentibus præstat, si non aut vanitas impediat, aut fallax hujus mundi ornatus obsistat.* Hoc illud ipsum esse videtur, quod Cassianus, et alii ejusdem furfuris toties ingeminant, damnaturque Can. 6 conc. II Arausicani, *misericordiam Dei conferri volentibus.*

In eamdem sententiam hom. 3: *Omne igitur opus, dilectissimi, in quo studium humanæ conservationis invigilat, voluntarium requirit officium.* Et mox: *Religio Christiani nominis in qua vocati sumus, liberi arbitrii suscepit officium.* Hæc voluntaria liberi arbitrii officia, Cassiani et Fausti, ut locutionem, ita et fuliginem referunt. Diserte sane Faustus epistola ad Lucidum, salutis initium, quod naturæ viribus tribuit, ait: *officii rem esse, non meritum.* Rursus inferius eadem homilia: *Christo nostro, quotidie gratiarum hostias immolemus, ut si alios commendant virtutum merita, nobis saltem locum gratiæ faciant voluntaria servitutis officia.* Quid clarius pro eorumdem Massiliensium errore, cum humana servitus gratiam devocare eique locum facere perhibeatur? Nomen porro *officii* designare opus honestum intra naturæ ordinem, atque adeo non nisi humanam servitutem Deo ab homine impensam denotare, docent Tullii, ut Lactantius non semel nominat, *Officiales libri;* itemque Panætii et filii ejus, ac etiam Aristotelis (referente S. Ambros. I Offic. c. 7) libri de Officiis. Item Nicolai Damasceni opus de eodem argumento ac cum eadem inscriptione, commendatum a Simplicio in c. 37 Enchir. Epicteti. Et denique Zenonis Stoici scriptio, prænotata voce quæ Latine *officium* vertitur, ut est apud Laertium lib. VII, in Zenone. At constat hos ethnicos supra honestatem mere naturalem non assurrexisse. Igitur qui gratiæ locum fieri per voluntaria, sive liberi arbitrii, officia affirmat, ut hic a Valeriano factum videtur tribuere humano labori advocationem gratiæ, qui est Massiliensium error.

3. Homilia 7 æque lubrice, post enumerata sancta pleraque opera, quibus cœlum virtutum meritis emercari licet, subjungit: *Sed hæc omnia una et eadem Patris, et Filii, et Spiritus sancti in nobis virtus operatur, quæ perfectionem justis laboribus præstat, ac bonæ voluntati, quæcumque sunt optima subministrat.* Agnoscat lector solemnia verba quibus Semipelagianismus apud indubitatos ejus assertores concipitur: *Deum esse qui perfectionem præstat, homine initium præbente.* Et subministrari quidem a Deo **38** optima omnia, nempe cœlestes suppetias, et gratiam, cum actualem tum sanctificantem; tamen præmissa ex homine per naturæ vires bona voluntate.

An non vero idem fuerunt illa ex homilia 9: *Videte, dilectissimi, quantum nobis constet erogatio tenuis expensæ, ut ad petitionem nostram, tantæ majestatis Dominus dignetur occurrere?* Dominum occurrere dicit, sed expetitum et humanis votis advocatum, quod nostrum quantulumcumque initium Massilienses dandum naturæ viribus in salutis negotio contendebant, ut esset unde Deum acceptionis personarum labe eximerent, qui aliquibus præsto esse, alios abjicere videatur. Eoque trahit Valerianus locum ex c. XV Isaiæ, quod item facit Cassianus collat 13, cap. 8 et 11.

4. Homilia 11, error, de quo agimus, traditur primum subobscurius, verbis illis: *Numquam deserit Deus voluntatem religionis studio florentem, nec desunt solatia Divinitatis ubi sunt actus bonæ conversationis.* En, voluntatem ex se studiosam Deus superinditis auxiliis communit ac promovet, et actibus nostris humanis solatia gratiæ asciscuntur. Mox vero apertissime, et ita ut ipsius solis radiis scriptus videatur Semipelagianismus. *Nec nos negare possumus ornamenta religiosa vitæ, vigilantiæ studio comparari: sed ibi Deus est ubi integræ religionis est animus, ita Apostolo dicente: Exemplum quæritis ejus qui in me loquitur Christus? Satis ibi vacillat humanum studium, ubi non requiritur Dei auxilium. Nam non dubie periclitatur fides; si non muniatur patrocinio Divinitatis. Nostrum est igitur bonum velle, Christi vero perficere. Nam ita Apostolus loquitur: Velle adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio. Vides ergo boni operis voluntatem ex nobis debere descendere, perfectionem Dei potestatem pendere.* Rursusque infra: *Habet quidem servus gratiam laboris sui, sed domino debet fructum laboris impleti.*

Conclamatus plane videri potest Valerianus, nec videtur tam morboso loco, Chiron ullus medicinam satis idoneam facturus. Quid enim aliud Pelagianorum reliquiæ obtruderat? Audi Cassianum collat. 13, cap. 9, in fine: *Ut evidentius clareat, etiam per naturæ bonum quod beneficio Creatoris indultum est, nonnumquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi a Domino dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possunt, Apostolus testis est dicens: Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* S. item Augustinus in expositione quarumdam propositionum ex Epist. ad Rom. num. 60, cum junior tunc sic scripsisset: *Quod credamus, nostrum est; quod autem bonum operemur, illius est qui credentibus in se dat Spiritum sanctum;* postea recensens illud opus I Retract. c. 23, et lib. de Prædest. SS. cap. 3, reprobat eam propositionem, quam tamquam Semipelagianismo fetam, commendabant Semipelagiani, et D. Augustino objiciebant, ut testatur Hilarius epist. ad August. Immo Julianus Capuanus, Pelagianorum signifer, cum quo S. Augustin. gemine certamine confligit, eo tandem adactus est, ut non aliud assereret quam quod proxime proposito loco Valerianus: *Volens intelligi*, verba sunt Augustini,

sententiam ejus referentis l. IV prioris respons. c. 3, *Hominem per se incipere sine gratia, quod perficit gratia.* Et ibid., lib. II cap. 8 : *Volunt*, Pelagii ex parte asseclæ de quibus ibi agit, *in homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni, et hujus cœpti meritum, etiam perficiendi gratia consequatur.* Ut jam Valerianus non tantum Semipelagianismi, hoc est Pelagianismi diluti, sed ipsius fæcis Pelagianæ propinator audire posse videatur.

5. Quid si et Ethnicismi? Hierocles sane, homo gentilissimus, ad vers. 47 Pytag. late confirmat, electionem bonorum in bonis esse, perfectionem autem eorum esse a Deo, et studium quidem nostrum, esse veluti extensionem manuum ad bonorum captationem; Deum autem esse, qui manum porrigentibus præsto est, et largitur volentibus ac petentibus. Itaque tamquam formam materiæ, preces operi et conatui nostro esse imprimendas docet, ut eo inter nos petentes et Deum largientem medio interposito, perficiamus juvante Numine, quod per nos ipsos non adduceremus ad perfectum. Vocatque Hierocles impiam virtutem (si ita dici potest) illius qui in suis dumtaxat operibus confidens, exprompta vi sua naturali perfectionem a Deo non exspectet. Seneca eodem sensu, epist. 73, in fine, negat deos fastidiosos esse; *admittunt, et ascendentibus manum porrigunt.* Quasi diceret : plane dii homines admittunt, sed venientes. Manum iisdem porrigunt, sed ascendentibus et ex se conantibus id præstare quod per naturam possunt. Unde ita subdit, nullam sine Deo mentem bonam esse, ut tamen naturalia boni semina, per culturam in fruges promovenda non sileat. Tantum non dicens, nostrum esse velle, Deo vero perficere. Plane gemina habet initio epistolæ 41, ubi bonum virum sine Deo nemini esse contestatur, nec posse quemquam nisi ab illo adjutum exsurgere; non posse item rem tantam sine adminiculo Numinis stare; a nobis tamen ducendum esse initium, eo quod Deus prout a nobis tractatus est, ipse nos tractet; esseque proinde a nobis ipsis impetrandam bonam mentem, sive bene volendi exordia, quibus Deus consummationem adjungat. Qui est Stoicus ille typus, quem S. Augustinus in gratiæ hostibus toties exarat; ac nominatim serm. 13 de Verb. Apost. et tract. de Stoicis et Epicureis.

Philo pulcherrime lib. de Sacrific. Abelis et Caini, ad illud, *et factum est post aliquot dies*, hoc ipso errore ait laborasse Cainum, et proinde liceat teterrimi hujus dogmatis assertores, pro Caini germanis habere. Distinguit enim Philo tres classes eorum qui Deo gratias non agunt. Primam leviter præ reliquis peccantium, eorum videlicet qui per beneficiorum oblivionem, gratiarum actionem, qua nihil pretiosius, missam faciunt. Alteram deterrimam hoc est eorum, qui per nimiam arrogantiam, seipsos habent pro auctoribus bonorum suorum. Tertiam malignitatem veluti mediam eorum qui bona sua referunt ad auctorem Deum; sed ita ut censeant se merito suo illa consequi, attracto ad se per bonum aliquod suum opus Deo, et per illud rati se dignos factos divina gratia. Diceres expressos a Philone, pluribus post sæculis nascituros Pelagianos et Semipelagianos. Nam Pelagianis perbelle congruit classis illa secunda, Semipelagianis vero tertia. Et utramque Philo manifestis veteris Instrumenti oraculis, quæ profert, convulsam docet, et Cainitarum esse confirmat. Annuitque de more S. Ambros. lib. de Cain et Abel. cap. 1, quamvis initio capitis secundi, aliam eorumdem duorum fratrum allegoriam magis approbet, hac non rejecta. En igitur quantum virus in prolatis Valeriani locis latet : si tamen latet, et non potius aperte se prodit; **39** cum tam diserte homini initium bonorum suorum arroget, solam vero perfectionem Deo tribuat, ut Semipelagiani reliqui.

6. Fides autem catholica hæc est, ait Chrysost. aut quivis alius auctor homiliæ de Adam et Eva, cujus hanc partem legere etiam licet apud Cœlestinum, epist. ad episcopos Galliæ : *Ut omnium bonorum effectuum atque operum, et omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, et non dubitemus ab ipsius gratia, omnia hominis merita provenire, per quem item fit ut aliquid boni et velle inveniamur et facere.* Ex hac plane catholica regula, malus cæteroqui auctor, nec prorsus abs re Eutychianismi insimulatus Joannes Maxentius, in calce professionis catholicæ, in hunc modum ferit eos quibus relata ex Valeriano verba placent. *Abominamur eos qui contra vocem Apostoli audent dicere*, nostrum est velle, Dei vero perficere : *idem doctor, et velle, et perficere donum testatur esse divinum, ipso dicente : Deus enim est qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate.* Ita ille, consentanee ad catholicum dogma de Deo salutis humanæ initiatore. Nimirum, qui filii Dei fiunt, imitatione filii naturalis, ut Fulgentius lib. de Incar. et Grat. Christi cap. 20 recte advertit, non ex voluntate carnis aut viri, sed ex Deo nascuntur. Et quamvis unusquisque, præeunte Deo, possit sibi pater effici, et matrem se vel feminam, hoc est sanctum vel improbum, efficere, ut pulcherrime tradit Nyssenus hom. 6 in Eccles. et l. de Vita Moysis, ac Bernardus serm. 57, ex parvis, tamen nisi Deus præcedit, jacendum est homini æternum in nihilo, multo magis quoad esse gratiæ (quippe sublimius) quam quoad esse naturale.

Ipse fidei et totius sanctitatis nostræ, ut Fulgentius supra ex Apostolo urget, non consummator tantum, sed etiam initiator et auctor. *Ipse*, juxta D. Augustinum, homil. 14, ex 50, *retribuendo bona pro malis, invenit quo modo retribueret bona pro bonis*, etc. *Cum ergo bona retribuit, prævenit se, dando bona quibus retribueret bona. Ipse*, ut est apud eumdem August. cap. 32 Enchir., *hominis voluntatem bonam et præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia. Quæ autem non præcedit ipsa, in eis est et ipsa.* Hæc e triplici in nos ad salutem diffusa benedictione, omnium suavissima, et animæ recogitantis palato maxime sapiens, eodem Bernardo judice serm. 39, ex parvis. Ubi misericordiam ac benedictionem Dei prævenientem nos, adjuvantemque et consummantem distinguens : *Verum*, inquit, *in his tribus, non immerito dulcius sapit, ea quæ non modo immeritos, sed male meritos prævenit; ut dum adhuc filii sumus iræ, et operamur opera mortis, ipse cogitet super nos cogitationes pacis; et ne petentibus quidem, immo et impetentibus; non invocantibus, sed provocantibus, non interpellantibus, sed etiam repellentibus, spiritum bonum, spiritum vitæ, spiritum adoptionis largitur. Quid illi animæ dulce sapiat, cui misericordia tanta non sapit? Merito proinde benedictio dulcedinis nominatur, ea quæ prævenit.* Admodum igitur corrupta, aut nulla, spiritualiter gustandi vi præditum oportuit Valerianum, cui ea benedictio dulcedinis, non modo dulce non sapuit, sed re ullo quidem pacto percepta est. Aliter sentimus, catholici. Non, inquam, quod Valerianus affirmabat, prævenimus ipsi Deum, ac veluti sollicitamus, ut operi per nos cœpto, opitulator et consummator accedat, sed ipse anteoccupat et prævenit nos. Videndus quoque Richardus Victorinus lib. de Gradibus charitatis cap. 3, initio.

Concludo hunc locum insigni plane disputatione Ecclesiæ Lugdunensis in opere contra Joannem Scotum, circa caput ejus quartum, in fine, ubi hæc ejus propositio refertur : *Semper naturam inchoare posse ac perficere non nisi per gratiam.* Hoc Lugdunensis Ecclesia his verbis rejicit : *Quod si ita dicit, quasi natura hominis per liberum arbitrium suum semper possit bonum inchoare, sed non nisi per gratiam Dei perficere, ut inchoatio totius boni semper homini deputetur, Deo autem tantummodo ejus perfectio; ut primam partem boni agendi sibi vendicet homo, secundam Deus; talis sensus omnino Pelagianus est, et contrarius Evangelicæ et apostolicæ veritati. Quia ipse Dominus,*

ut initium boni nostri ostendat non esse ex nobis, sed ex illo, ait : Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Et Apostolus dicit fidelibus : Quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. Et iterum : Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, verum etiam ut pro illo patiamini. Et beatus Joannes apostolus dicit : Non quasi nos dilexerimus Deum ; sed quia ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Et iterum beatus Paulus apostolus ait : Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem et consummatorem fidei nostræ, Jesum. Si ergo vere Catholici esse cupiamus, totum fideliter divinæ gratiæ deputare debemus, et initium videlicet boni operis nostri, et finem : quia sicut præmissis Scripturæ sanctæ testimoniis clarissime demonstratur, Dominus elegit sanctos suos, non illi eum. Deus in suis fidelibus et incipit bonum et perficit. Ab ipso donatur fidelibus qui pro eo patiuntur, et initium fidei et finis martyrii. Ipse prior dilexit sanctos suos, ut et illi eum possent diligere. Et fides nostra Dominum Jesum habet auctorem, eam in nobis inchoando ; et ipsam habet consummationem perficiendo. Hæc ergo fideliter teneamus, ut in vera fide fundati ab errore hæretico tuti simus. Non est quærenda fortior et dilucidior confutatio erroris Valeriani, quoad supernaturalis operis initium ex nobis, solam vero perfectionem ex Deo.

7. Aliorum contra sanam doctrinam errorum, notatum a criminatore Valerianum, non inaudivi. Amicus tamen homo, ingenio acri et perspicaci, quem ad scrutandum in lucernis Valerianum adhibui, significavit unum præterea et alterum locum, in alio negotio, posse lectori minus attento, aut æquo duriorem videri.

Quinetiam ne quid præteream quod gravando Valeriano conferre possit, moneo his semel ac iterum pridem vulgatis, incidisse me in opus Bernardi Vindingi, cui titulus : *Criticus Augustinianus castigatus.* Ibi in Observationibus ad Augustini tomum nonum, cui insertus est liber de Dono Disciplinæ, qui idem est cum prima Valeriani homilia, abjudicatur ea lucubratio Augustino, nec in ea aliud reprehenditur, quam quod cap. 1 dicatur : *Non est imperium, nisi ubi aliquid jubetur injustum.* Idemque cap. 8 obscure admodum dicatur, *cui studium est Christum colere, prius cordis et corporis suscipiat indumenta.* Sed non est quod ista nos moveant. Nam quod auctor illius lucubrationis quæ recte B. Aug. abjudicatur, dicat imperium 40 non esse, nisi cum jubetur injustum ; sumi debet juxta phrasim murmuratorum quos sibi suggillat Valerianus, qui sollicitudinem et accurationem præpositorum insimulabant tyrannidis ac superbiæ. Hoc perverse dici monstrat Valerianus contendens bene moratum et humilem subditum, quamdiu nihil ei injustum mandatur, non debere duri ac tyrannici jussi insimulare præceptum superioris. Locus ex cap. 8 optime habet. Agit enim ibi Valerianus de converso qui illius in sæculo calcibus factus sit monachus, ac proinde vestem mutarit. Eum ergo monet ut sicut aggrediens ad servitutem Dei et religiosum cultum iniens, mutavit vestem corporis, ita novam animæ vestem suscipiat proposito et voluntate. Quid ibi obscurum aut non nitens ? Quare his, quæ exordia sunt, prætermissis, excutiamus bina illa quæ ab amico, emunctissimæ naris homine, Joanne Garatio notata dixi.

Prior locus habetur hom. 3, ubi cæteros quidem Christianos negat persolvere umquam Deo posse quod debent, at martyres Deo debitum exacte persolvisse profitetur. *Non otiose*, inquit, *Domino serviendum, cui quamvis quilibet quotidie honoris aut muneris exhibeamus, numquam tamen persolvimus quod debemus. Quando autem est, ut ille persolvat debitum, quem constat vicario pœnæ munere comparatum, nisi forte pro amore Redemptoris se similis sententia aut mortis, aut damnationis excipiat?* Audacter plane sanguis hominis puri pro Deo fusus cum pretioso sanguine quasi Agni immaculati componitur, quandoquidem debitum quo Christus nobis sibi obstrinxit dicitur persolvi, ac velut exstingui ea sanguinis repensione. Sapientius Chrysostomus, aut quivis alius auctor homiliæ de Adam in creaturas reliquas prælatione, nominum quibus Deo obstringimur indissolubilitatem expendit. Suavissime de more S. Ambr. lib. de Virg. prope in fine : *Bonus servus in pretium studet præparare domino quod pro se solutum est. Noli aurum parare filia, noli argentum. Non divitiis istis te Christus redemit. Paratum habeto pretium, non semper exigeris, sed semper debes. Sanguinem solvit, sanguinem debes. Ille pro te solvit, tu pro te redde. Eramus oppignerati malo creditori peccatis. Contraximus chirographum culpæ, pœnam sanguinis debebamus. Venit Dominus Jesus, suum pro nobis sanguinem obtulit. Sed non potest sanguinem reddere,* ipsum inquam Christi sanguinem, nam de eo agit, negatque reddi vel compensari posse. *Bonus quidem servus debet pretium suum reparare Domino suo. Sed si non potest pretium reddere, vel hoc faciat, ne pretio videatur indignus. Ergo et tu dignum te gere tali pretio,* quasi diceret : Compensatio ejus desperanda tibi est ; saltem igitur connitere, ne tantum litrum frustra sit exhibitum. Disertissime item ac verissime Salvianus l. II ad Eccles. : *Quidquid libet, homo pro Deo perferat ; solvi omnino non potest, quod Deus pro homine perpessus est. Quia etiamsi passio ipsa non differat genere pœnarum, multum tamen distet necesse est diversitas patientium.*

Posterior suspectus Valeriani locus habetur homil. 5. Valerianus videtur asserere peccatum linguæ esse vulnus absque remedio. Sic enim loquitur : *Tamdiu sanari potest iniquarum valetudo cogitationum, quamdiu id quod corde concipitur, ore tacito continetur. Verum ubi semel lingua rotante proruperit, frustra medicum quærit. Sine remedio est enim culpa verborum, quia deleri non potest, quidquid lacrymarum inserta per aures propagavit injuria.*

8. Hæc sunt quæ, præter Semipelagianismum de quo Valerianus a criminatore traducitur, aiebam posse in eo dure dicta videri, quæ tamen nullo negotio molliuntur. Nam prior locus tantum continet decus illud martyrum quo mortem Salvatoris morti rependunt, et, ex divina concessione ac privilegio martyrii, abstergunt omnem reatum et maculam, usque ad novissimum quadrantem persolventes quod debent, juxta illud Tertulliani in calce Apologetici : *Quis non pati exoptat, ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? Omnia enim huic operi delicta donantur.* Et S. Cyprianus epist. 52, martyres omnia peccata passione purgasse ait, statimque ab obitu ad gloriam pervenire, ut proinde neque suffragiis, neque sacrificiis, per vivos absque injuria juvari queant, ut Innocentius papa dixit, qua necessitate adulti fere omnes qui aliter e vita excedunt obstringuntur. Rari enim sunt adulti quibus ad purum alia via, id est per baptismum, aut contritionem absolutissimam, vel satisfactionem perfectam, abstergantur sordes peccatorum, absque additione ignis emendatorii. Itaque non cogitavit Valerianus de contentione et æquiparatione sanguinis Christi et sanguinis martyrum. Quamquam si aliquid tale protulisset, non difficilius exponeretur quam sanctus Cyprianus, cujus sunt illa ad calcem libri de Laude Martyrii : *Cum ad exemplum Dominicæ passionis atque ad omne testimonium Christi animam tuam ponas, nec fundere sanguinem metuas, martyrio totum necesse est cedat. Martyrii inæstimabilis gloria, infinita mensura, immaculata victoria, nobilis virtus, inæstimabilis titulus, triumphus immensus, quippe quo et propria confitentis laude præfertur, velut socio Christi cruore decoratus.* Et mox : *O beati, et quibus vere dimissa sunt peccata! Si tamen qui Christi compares estis, aliquando peccastis.*

9. In posteriore loco, noluit Valerianus asserere linguæ peccatum esse immedicabile ; sed tantum ostendere intendit quantum sit nocumentum, quod verbo improvide emisso plerumque infertur, quamque sæpe ea plaga ægre obducatur, immo frequenter nullo

unquam tempore obducatur; eo qui transfixus est, spiculum cordi infixum, non tantum non revellente, sed etiam altius ac firmius adigente. *Sagitta enim infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti.* Præclare omnino in hanc rem disputat noster, hom. 5.

Quare his, quæ plane levia sunt, nec a criminatore objiciuntur, prætermissis, insistendum est depellendo Semipelagianismi probro, cujus Valerianus acriter vehementerque incusatur. Unde etiam a criminatore subinfertur ejus de Sancti gradu dejectio : cum enim sine fide recta impossibile sit placere Deo, temerarium omnino censet, homini cujus fides ambigua sit, vel potius aperte oblæsa, Sancti prænomen arrogare. Accedit altum de Valeriano silentium in tabulis ecclesiasticis et omnibus retro Sanctorum indicibus, in quibus verisimile non est prætermittendum tam universaliter tamque constanter fuisse Valerianum, si sanctitatis laude vivus claruisset, et Sancti nomine dignus excessisset e vita.

41 CAPUT III.

Quæ prima Valeriani quoad Semipelagianismum defensio, ejusque improbatio.

1. Priusquam relego vestigia adversus Valerianum pressa, et ostendo quam vana suspicio tetram ei Semipelagianismi labem affricuerit, referre juvat quid in ejus defensionem proponi posset, et revera ad aliorum gravissimorum Patrum purgationem est necessarium.

Erunt ergo qui existiment eam maculam esse in Valeriano adversariorum opinione minorem, quod Valerianus eo ævo vixerit quo Semipelagianismus nondum erat exploratus error, eaque in regione cujus plerique omnes præsules et viri sanctitate ac eruditione præstantes ad eumdem scopulum naufragantes, de initio fidei ex humanæ voluntatis aliquo per seipsam nisu, deque gratia Dei humanæ invocationi subjuncta, et omnibus quantum ex Deo est, divinæ gratiæ rore æque respersis, a D. Augustino impune dissentiebant : donec post annos circiter sexaginta, eoque amplius, concilii Arausicani II definitione, proscripto errore, veritas catholica constabilita est, quod juxta postremam (nam multoties in hoc puncto variavit) cardinalis Baronii sententiam, contigit anno Christi 529, sub consulatu Decii junioris, quæ est anni nota concilio ascripta, cum tanto ante floruisset Valerianus. Itaque videri posset ex hoc capite Valerianus, non nisi leviter, immo non nisi materialiter errasse, tametsi tota accusatio de Semipelagianismo homillis ejus insperso, veritate niteretur. Unde non esset quod quidquam de ejus sanctitate detractum censeretur, cum constet viros sanctissimos, salva sanctitate, in multo apertioribus impegisse, non communi errore, sed privata sua opinione ac sensu ductos. *Non enim error hæreticum, sed pervicax obstinatio facit*, inquit Petrus Damiani lib. I, epist. 13, *nec omnes hæretici dicendi sunt, qui opinantur errorem; sed qui pertinaciter et audacter prædicant falsitatem.*

2. Mitto reliquos cum in hac ipsa Semipelagianismi causa suppetant exempla luculenta Cassiani et Fausti Rhegiensis. Cassianus enim, etiam post scriptas et evulgatas collationes, S. Leone familiarissime usus est, ut docet epistola qua Cassianus S. Leoni opus de Incarnatione inscripsit. Quanta autem sanctitatis laude claruerit, docent non tantum ejus scripta, quæ christianæ perfectionis medullam jure dixeris, sed etiam memoria qua in benedictione est Massiliæ, ubi a tam multis sæculis, Sancti titulum retinet et cœlestium honoribus colitur. Ejus enim caput, argentea theca inclusum inter sacras reliquias abbatiæ S. Victoris, ubi Cassianus olim vixit, exhibetur venerandum, sacrum de eo, et quidem peculiare ac proprium, celebratur; die festo honoratur, omni denique cultu qui cœlitibus impendi solet religiose afficitur. Quæ videtur fuisse causa cur Petrus de Natalibus, lib. VII Catalogi sanctorum cap. 59, eum sanctis ascripserit. Varias diœceses in quibus Cassianus colitur ut sanctus, notavit Alenardus, in præludiis ad Concordiam regularum S. Benedicti Anianensis cum de Regularium auctoribus Paulinus Aquileiensis episcopus lib. I contra Felicem Urgelitanum, sub finem, et lib. II semel ac iterum, nec non lib. IV, initio, allegans Cassianum, appellat eum *beatum Cassianum*. Disertissime quoque Thomas Waldensis, lib. III Doctrin. artic. 3, cap. 28, num. 2, Cassianum adducens, vocat *sanctum Cassianum*, et a catholicis talem agnoscendum, luculento præconio ei exhibito, contendit. In Concordia Regularum per S. Benedictum Anianæ abbatem, frequentissime allegatur regula sancti Cassiani, et raro omittitur prænomen Sancti. Iidem honores Fausto Rhegii in Provincia habentur, ubi templum Deo, in Fausti tamquam sancti honorem, jam olim exstructum cernitur, et quotannis festum de eo, cum octava, tamquam de insigni sancto, celebratur. Primus eum Joannes Molanus, non ita pridem e Gallicano Martyrologio, cui illuc usque tamquam sanctus ascriptus fuerat, expunxit, exemplo nequaquam probando in doctore privato. Quamvis igitur et Cassianus et Faustus hujusmodi fuerint, tamen utrumque errori patrocinatum et materialiter fuisse hæreticum ita exploratum est, ut non sit effugio locus.

3. Nam Cassianus, ut postea apertissime demonstrabo, quibusdam eorum qui salutem capessunt, salutis initium ex naturæ viribus concessit. Nec audiendi sunt, sive Henricus Cuychius, sive Petrus Ciaconius, suis ad Cassianum annotationibus : quorum ille collationem 13, ob Prosperi impugnationes et Gelasii decretum, esse hæreticam fatetur, sed absque Cassiani labe, quem ait retulisse tantum, non etiam approbasse, sententiam abbatis Chæremonis : alios autem Cassiani libros errore liberos contendit; et sicubi Cassianus contrarium videtur tradere, interpretatur id Cuychius de bona voluntate per gratiam excitata et præcedente uberiora auxilia, eaque utcumque promerente. Ciaconius vero, propositione 2 et 10 ex Cassiano excepta, et passim in cæteris propositionibus ad quæstionem de gratia pertinentibus, etiam collationem 13 purgat a crimine, eo quod Cassianus et ea collatione, et multo magis alibi, astruat tantum naturale aliquod meritum remotum, sive naturalem dispositionem remotam ad gratiam sanctificantem, non autem proximam dispositionem, quam solam Ciaconius cum errore admitti censet.

4. Sed neutra Cassiani excusatio est idonea. Nam mens Chæremonis non est alia quam ipsius Cassiani, qui, ut cum Prospero loquar, in proœmio libri contra Collatorem, *Chæremonis se ostendit per omnia probasse ac suscepisse sententiam*. Et sane, nisi hanc admittamus fuisse Cassiani mentem, fatendum erit omnia quæ in Collationibus habentur, ad eos tantum spectare, qui inducuntur loquentes : quod non minus extra rem esset, quam si quis Platonis Dialogos Platonis mentem continere negaret; aut si quis diceret in Dialogis S. Hieronymi contra Pelagianos non haberi quid revera de gratia senserit S. Hieronymus. Itaque perspicue Cassianus revincitur erroris quoad collationem 13, Ecclesiæ auctoritate suffixam. Dicere autem quod in ea collatione asseritur morbidum esse, quæ vero alibi iisdem prope verbis ab eodem auctore traduntur esse alio sensu accipienda, divinare est, vel potius tenebras gratis effundere. Evanescit ergo omnis illa prior Cassiani excusatio.

5. Nec posterior est magis idonea. Nam **42** admittere naturale aliquod meritum remotum, et naturalem dispositionem etiam remotam, ad gratiam sanctificantem, reprobum est et maledicto proximum. Ea siquidem dispositio, quamvis esset remota respectu gratiæ sanctificantis, esset tamen proxima respectu alicujus gratiæ auxiliantis, per quam gradus fit ad sanctificationem. At concedere auxilium gratiæ posse naturaliter acquiri, et sub meritum cadere, est Semipelagianus error, quem proinde sibi affricat, qui ea

ratione Cassianum purgat. Quod si nomen dispositionis remotæ acciperetur improprie, quo pacto usurpatur a plerisque scholasticis, admittentibus naturalem dispositionem remotam, id est meram obicis remotionem absque inductione ullius proportionis, et quacumque moraliter idonea, sive Dei attractiva, et qualitercumque meritoria, aut etiam imperatoria, aptatione subjecti ad formam supernaturalem; sic vitio vacaret ea Ciaconii doctrina, sed ad rem non faceret: quia Cassianus perspicue agit de naturali dispositione, tenui quidem, sed tamen proprie accepta, et aliquali gratiæ merito feta. Quare fatendum est Cassianum errasse circa initium salutis. Eumque errorem, iis quæ exstant ejus operibus contineri docent quæ in Cassiano reprehendit Prosper, habenturque etiamnum apud Cassianum. Ut propterea displiceat quod card. Baronius anno Christi 455 affirmat, nempe nunc quidem sanum esse Cassianum; olim tamen, priusquam Eucherii Lugdunensis et Victoris Martyritani, ac Cassiodori labore purgaretur, iis resectis quæ cum Ecclesiæ catholicæ doctrina non cohærebant, morbosum exstitisse. Hoc rejicio, cum exstent, ut dixi etiamnum apud Cassianum, quæ Prosper ex eo verbatim retulit atque confixit.

6. Faustum quoque laborasse errore Semipelagianorum quoad salutis initium, diserte asserit Petrus Diaconus lib. de Incarn. et Grat. Christi cap. ult., et non posse eum nota illa eximi, quamvis subobscure plerumque errorem prodat; at ita ut ægre teneatur, mihi videtur indubitatum, ex tam multorum illius ævi catholicorum doctorum concitatione in Faustum. Nam S. Avitus Viennensis episcopus, *in quo* (ait Ennodius in Vita Epiphanii) *se peritia velut in diversorio lucidæ domus inclusit;* S. Fulgentius, S. Cæsarius et in Oriente Joannes presbyter Antiochenus, adversus Faustum, partim adhuc superstitem, partim non ita multo ante defunctum, insurrexerunt, ut docemur ex Isidoro, lib. de Viris Illustr. cap. 14; Gennadio, cap. 86 Catalogi; auctore Vitæ S. Fulgentii, cap. 28; Adone Viennensi, in Chronico, ad Christi annum 492; Joanne Maxentio, in responsione ad Hormisdæ epistolam: ut proinde operam ludant recentiores, qui pro Fausto pugnant, et eum usquequaque catholicum fuisse, tanto post tempore persuadere nituntur, decepti exilitate meriti naturalis quod respectu gratiæ admittit, et interdum vix nomine meriti dignatur, ob tenuitatem; ita ut non obstante aliquali illo merito, gratiam agnoscendam inculcans, eamdem sincere asserere videatur.

7. Cassianus ergo et Faustus, pii et sancti viri, nec in vita dumtaxat pietatis laude clari, sed etiam post mortem, iis in locis in quibus ævum exegerunt, sanctitate commendati, et cœlitum honoribus illustres, humanum aliquid passi, re nondum per Ecclesiam perspicue definita, aliter de salutis initio scripserunt quam sana doctrina ferat, nec tamen idcirco omnino proscribuntur. Quin potius quæ utiliter scripserunt, cum fructu leguntur, eorum memoria in benedictione est. Erit igitur qui non aliter de Valeriano statuat.

Mihi tamen hujusmodi excusatio, perparum reipsa vel nihil a vera accusatione, quod punctum de quo agimus, abesse videtur. Sic enim non homiliæ, de quarum sinceritate et sana doctrina quærimus, errore liberæ demonstrantur, sed probabilis ignorantia auctoris ejusque involuntaria cespitatio allegatur. Quod unicum est pro Cassiano perfugium, interclusis, propter auctoritatem Prosperi, cui Romana Ecclesia suffragata est, omnibus benignis Cassiani in sensum catholicum interpretandi viis quas inire aliqui antehac infeliciter tentarunt, ut monstravi; nec desunt qui idem etiamnum cogitent, eventu, ut auguror, non dissimili, consilioque parum probabili. Quid enim attinet collaudatam a Gelasio, cum cæteris Prosperi opusculis, impugnationem Cassiani retractare, ipsumque etiam Cassianum eodem decreto in plenis ac non corruptis editionibus suffixum velle indemnem præstare, iis quæ adversus eum constituta sunt, labefactandis, aut potius male tentandis? Eo sane devenire videntur qui Cassianum purgant, ut Prosperum Cœlestini et Gelasii elogiis illustrem, vel calumniæ in detorquenda Cassiani mente, vel inscitiæ in ea perspicienda insimulent: quod quam sit intutum et injustum, nihil attinet dicere. Ipseque Cassianus, quamvis Prosperi impugnationem moleste tulerit, ut Prosper sub initium epistolæ ad Rufinum refert, tamen non est calumniam causatus, quod fuisset avertendo Prospero accommodatissimum. Fausti vero, quamvis non adeo explorata videri posset allucinatio; et nonnihil anceps causa, quod complures pro eo catholici scriptores steterint (sane Sinodius Faustum habuit pro *viro doctrinæ salutaris ac singularis;* Ruricius vocavit *doctorem eximium, pastorem egregium;* Hilarius Arelatensis, adhuc abbatem ita honoravit, ut medium locaret inter se ac Theodorum et Maximum episcopos; Hilarius pontifex dignum duxit qui in synodo Romana secum una præsideret); tamen eadem mihi videtur esse ratio; et illum æque rejecit Gelasius pontifex.

8. Non igitur e re et existimatione Valeriani esse videtur, si Cassiano et Fausto, ut erroris, sic excusationis similitudine accenseatur. Et quod communis eo ævo eaque in regione fuisse Semipelagianus error obtenditur, pertinet ad potentiorem labis illius diffusionem, non autem ad Valeriani ab ea immunitatem. Nam sicut bonum, juxta Senecam epist. 73, Dionem, Chrysostomum, orat. 40, et Tyrium, dissert. 33, quo communius et diffusius, eo etiam auctius est; ita et malum, quod idem Dio eleganter de more prosequitur orat. 32, quoad plures permanat, eo est tetrius et gravius. *Quæ paria sunt merito*, ait Prosper, contra Collat. cap. 9, de malis agens, *non minuuntur coeundo, sed crescunt.* Pulcherrime item S. Hilarius, initio sexti libri de Trinit., demonstrat quanta sit gravitas erroris, ex quo pervulgatus et communis efficitur. Quare alia via ineunda est purgando solide ac vere Valeriano; ita ut non commiserationem erga eum 43 movere velle, aut deprecari justam censuram, sed innoxium ostendere, et justo judicio interposito, causaque discussa evincere, judicemur

CAPUT IV.

Germana Semipelagianismi expositione tradenda, proluditur ad legitimam Valeriani ab ea labe exemptionem.

1. Quia criminator dicam Semipelagianismi Valeriano maxime impingit, minus de reliqua accusatione sollicitus, operæ pretium est præmittere quis fuerit Semipelagianorum germanus error, quod discrepantes de eo sententiæ sint, et verendum videam ne Valeriani criminator aliter fortassis Semipelagianismum quam par sit et veritas ferat interpretetur, et idcirco fucus fiat imperitis. Idque excutere in errore non adeo pervio magis necessarium videtur: quandoquidem idem Valeriano mastix, qua est antiquitatis Ecclesiasticæ et hæreseon peritia ac sagacitate in pervadendo ad ipsa errorum cubilia, Arianismum, quo vix ullus fuit in Ecclesia error minus ambiguus, non esse de divino Verbo in natura tantum divina subsistente, sed de Christo ex Divinitate et humanitate compacto, accipiendum contendit; quasi idcirco erraverit Arius, et tot synodorum fulminibus contritus sit, quod dixerit Christum esse Patre minorem. Quæ quanta sit, ut quam mitissime dicam, cespitatio, nihil attinet exaggerare.

2. Ut igitur vera Semipelagianismi notitia habeatur, adeundi sunt Prosper et Hilarius, qui de eo errore ad D. Augustinum adhuc superstitem litteras dederunt, quæ exstant præfixæ libro D. Augustini de Prædestinatione Sanctorum. Ex quibus, ut hoc præmittam quod usum aliquem in hoc negotio habere potest, constare puto Hilarium illum non modo non esse S. Hilarium Pictaviensem, ut senserunt aliqui relati a Baronio ad Rom. Martyrol. 5 Maii, littera I, et idem per calami vel typographi exerrationem ha-

betur apud Cassiani glossatorem, ad l. XII de Inst. c. 13 (allucinatione plane gemina ei qua impegit Erasmus in notis ad Eucherii Parænesim), sed etiam non esse Hilarium Arelatensem episcopum, ut passim affirmatur. Nam Hilarius episcopus Arelatensis unus fuit eorum qui adversus D. Augustinum querelas moverunt. Audi Prosperum in calce epistolæ ad Augustinum: *Speramus non solum tenuitatem nostram disputationum tuarum præsidio roborandam, sed etiam ipsos quos meritis atque honoribus claros caligo istius opinionis obscurat, defæcatissimum lumen gratiæ recepturos. Nam unum eorum præcipuæ auctoritatis et spiritalium studiorum virum, sanctum Hilarium Arelatensem episcopum sciat beatitudo tua admiratorem sectatoremque in aliis omnibus tuæ esse doctrinæ, et de hoc quod in querelam trahit, jampridem apud sanctitatem tuam, sensum suum per litteras velle conferre. Sed quia utrum hoc facturus, aut quo fine sit facturus, incertum est*, etc. Expende particulas illas, *unum eorum*, utique adversus Augustinum agentium, de quibus sermo erat; et *in aliis omnibus*, nam quoad negotium, de quo Prosper tota epistola, atque adeo quoad errorem Semipelagianum, non erat Augustinianæ doctrinæ admirator, immo eam *in querelam habebat*. Et Prosper liquido testatur, se eum habuisse suspectum, cum dubitet quo fine esset cum Augustino per litteras acturus, quod se præstiturum receperat; ut propter ea plane videatur Hilarius Arelatensis is fuisse *et vitæ meritis antecedens, et adepto nuper summo sacerdotii honore supereminens, ad cujus auctoritatem se parem non esse*, agnoscit Prosper eadem epistola. Numerus enim pluralis, quem eo item loco adhibet, facile referri potest ad communem loquendi modum de aliquo, cum ejus nomen ex causa premitur.

Is vero Hilarius cujus epistola ad Augustinum exstat, non modo non erat episcopus, cum Prosper ad Augustinum de hoc negotio deque Hilario Arelatensi episcopo scriberet, sed etiam laicus fuisse videtur; quandoquidem suæ ad D. Augustinum scriptionis rationem reddit, quod D. Augustini *contradictores essent ex parte tales, quibus consuetudine ecclesiastica* laicos summam reverentiam necesse sit exhibere: quod ita se servatum subdit, ut tamen modeste pro Augustino egerit quæ liquet cadere in laicum. Quid quod Hilarius Arelatensis episcopus vir fuit et doctissimus, et quod ejus superstites lucubrationes aliquæ produnt, eloquentissimus. Hic vero Hilarius, haudquaquam se stylo similem Hilario Arelatensi exhibet in epist. citata, in cujus etiam calce fatetur se tenuitatis suæ conscientia adactum agere *cum viro*, inquit, *tum moribus, tum eloquio, tum studio claro, ut quanta posset collecta suis litteris intimaret, quas conjunctas his destinare curavi. Est enim talis, qui etiam præter hanc necessitatem dignus tuæ sanctitatis notitia judicetur*. Quæ aperte cadunt in Prosperum, qui se Augustino de facie ignotum testatur initio epistolæ, et cum Hilario pro Augustino apud Cœlestinum papam postea stetit. A quo cum uterque vocetur filius, ea ipsa epistola qua alii Galli episcopi, ad quos scripta est, vocantur fratres; cum item uterque a divo August. vocetur filius, initio libri de Prædest. Sanct., perspicue haberi videtur ne Prosperum quidem eo tempore episcopum fuisse, ac fortassis etiam neque postea, cum a Gelasio, Fulgentio, Marcellino Comite et aliis cum subsecutis, numquam vocetur episcopus, ut passim alii in Gelasii de reto, sed tantum *vir religiosus, eruditus et sanctus*. Ac ut episc. Rhegiensis fuisset, num tamen videtur fuisse præmittendus Hilario Arelatensi, longe sublimioris sedis antistiti, *et ex plenissima mundanæ potestatis sede*, ut in Parænesi loquitur Eucherius, ad religionem primum, tum ad Arelatenses insulas evecto, quæ aperta est confirmatio discriminis quod statuimus inter Hilarium Arelatensem præsulem, et istum qui pro Augustino stetit cum Prospero.

Emendandum vero est in scriptore, cæteroquin diligentissimo, quod Hilarium istum Augustini studiosum, non tunc quidem cum Augustinum interpellavit, sed postea, fuisse Arelatensem episcopum statuit, illum ipsum Hilarium qui non minus eruditione et eloquentia quam nobilitate claruit ac etiam sanctitate; cum vero Augustinum interpellaret, ait fuisse dumtaxat presbyterum. Ita habet anno 44 Christi 426, num. 20, et anno 450, num. 89, et anno 441, num. 3, pleneque in Rom. Martyrolog. ad 5 Maii, littera I. Hæc ex dictis per se conciliant. Ostensum enim est, cum Augustinus ab Hilario et Prospero interpellaretur, celebrem illum Hilarium Arelatensem jam fuisse adeptum eam sedem, et ab iis ipsis Augustini interpellatoribus vocatum in suspicionem. Item monstratum est Hilarium cujus est epistola ad Augustinum adversus Semipelagianos, cum eam scriberet, non nisi laicum fuisse, ac proinde non fuit tunc presbyter.

Ex quo obiter præterea deprehenditur ambigi posse an hic Hilarius diversus sit statuendus ab illo Hilario Syracusano qui longe anterius in causa Pelagii tunc in Sicilia versantis Augustinum pulsavit iis quæstionibus quæ apud Augustinum epist. 88 leguntur, et enodantur epist. 89, ubi Augustinus eum semper vocat filium. Eo enim gustu Augustinianæ doctrinæ percepto, potuit hic Hilarius ad Augustinum in Africam pergere, salubribus ejus uberibus præsens nutriendus; quo beneficio excidisse magnopere dolet sub finem epistolæ adversus Semipelagianos, addens id sibi maxime accidisse fratris causa, quem cum matrona sua continentiam professum renuntiat, ex Galliæ ora maritima, unde dici posset ad Augustinum scripsisse, sive in transitu, sive aliqua ex causa eo divertens.

Cum vero hoc ambiguum videri possit, exploratum tamen arbitror illum alium Hilarium quem D. Augustinus epist. 94 de recenti errore Pelagii admonet, ab Hilario Semipelagianorum delatore diversum esse. Ille enim alius Hilarius consacerdos et pastor a D. Augustino vocatur ea epist. 94, cum tamen Hilarius Augustini familiaris, laicus (ut dixi) fuerit, extrema ætate D. Augustini. Videtur ergo fuisse Hilarius Narbonensis primæ episcopus, qui tunc florebat. Nam quominus concedam esse Hilarium Arelatensem episcopum ratio temporis non patitur. Data enim est ea Augustini epistola sub Innocentio primo, anno Christi 461, ut ibi, n. 5, observat Baronius, quo tempore Hilarius sedi Arelatensi nondum fuerat præfectus. Nam successit S. Honorato, qui sedit post Patroclum. At hic, teste Prospero in Chronico, cæsus est Arelatis, anno Christi 426, sedente Romæ Cœlestino, cui præiverat Innocentius, eumque ante Cœlestinum subsecuti Zozimus et Bonifacius; ut perspicuum sit nondum per ea tempora Hilarium titulo consacerdotis et pastoris potuisse affici ab Augustino. At de his satis.

3. Ex horum igitur Augustini æqualium et studiosissimorum epistolis liquet sub extremam D. Augustini senectutem, in Gallia Narbonensi, maxime Massiliæ, plerosque, et inter eos non neminem *et vita et meritis summi sacerdotii honore supereminentem*, id est, episcopum, ægre tulisse quod S. Augustinus, revocata priore sua doctrina de initio gratiæ et justificationis ex naturali conatu, quam juvenis et negotii gratiæ minus sciens tradiderat, primum plane salutis nostræ exordium divinæ prævention i concedendum doceret, quas eorum querelas S. Prosper in responsione ad tria prima Genuensium excepta late refert. Et quamquam initio, fere tantum susurrando, et clanculum, Augustino adversabantur, ut idem Prosper epist. ad Rufinum testatur, tamen sensim, quod idem in præfatione libri contra Collatorem diserte tradit, magnis motibus in eam posteriorem D. Augustini doctrinam efferbuerunt, quod putarent ea ratione ruinam peccatoris refundi in Deum, et hominis salutem non statui in ejus manu, contra quam antiquus Ecclesiæ sensus ad ea usque tempora tule-

rat. Alii ex iisdem Augustini æmulis alia apponebant. *Augustinum*, inquit Prosper epist. ad Rufinum, post præmissum illustrissimum ejus elogium, *quidam nostrorum infamant, dicentes eum liberum arbitrium penitus submovere, et sub gratiæ nomine necessitatem prædicare fatalem; adjicientes etiam duas illum humani generis massas et duas credi velle naturas, ut scilicet tantæ pietatis viro paganorum et Manichæorum ascribatur impietas.* Alia item addebant dura et dira, quæ in capitulis ipsorum, apud Prosperum exstantibus, videre licet. Quantis item et quam portentosis calumniis ipsum Prosperum Augustini defensorem onerarent, habetur in præfatione ad objectiones Vincentianas, apud eumdem Prosperum.

4. Existimarim autem primam horum omnium in Augustinum et asseclas motuum originem fuisse gliscentem in ingeniis plerisque infirmis errorem, ex male intellecta D. Augustini doctrina de electorum vocatione secundum propositum, ac non uniformi electione omnium ad eadem gratiæ auxilia, atque ideo neque ad gloriam. Aliquos enim monachos inde admodum fuisse turbatos constat ex D. Aug. epist. 46 et 47, et ex libris de Gratia et Lib. Arbitrio, ac de Correptione et Gratia. Eodemque etiam pertinuisse videtur desperatio illius monachi in ipso D. Augustini monasterio, quam describit lib de Dono Persev. cap. 15. Nam quamvis D. Augustinus eam solam præscientiam causarum refert, tamen sunt duo illa satis conjuncta, et fere infirma ingenia ad utrumque illum scopulum alliduntur; ac cur præsciantur tales futuri, causam referunt in non suppeditata largiora illa et secretiora beneficia quæ electis obtingunt. Hi ergo, aliique infirmi, scandalum passi sunt in proposita D. Augustini doctrina. Resque eo devenit, si Sigebertum audimus, anno Christi 415, et idem habetur in Chronico Prosperi per Pithorum edito, anno Honorii 23, ut hæresis inde conflaretur *Prædestinatorum*, qui subnervabant corda servorum Dei, negabantque habendam esse salutis sollicitudinem; quod nisi quis esset e felici illo pusillo grege electorum, quibus Deus gloriam antecedenter decrevit, et auxilia specialia, altamque et secretam vocationem præparavit, necessario perdendi essent; salvandi autem necessario forent, si ad eum numerum et beatum Dei peculium pertinerent.

Alii tamen hæresim Prædestinatianorum longe posteriorem faciunt, et magnam partem aliter explicant. Tribuunt quippe eam auctori Gotescalco, monacho Suessionensi, qui sub annum Christi 800 vivebat. Ejus autem error his verbis refertur ab Ecclesia Lugdunensi, contra Joannem Scotum, ex ipsius Scoti libro, in quarti capitis examine. *Tertiam ponit hæresim,* **45** *prædestinationibus necessitatem et vim inferentem. Cujus, ut sibi videtur, auctorem non tacet, vocans eam Gotescalcanam, a quodam videlicet miserrimo et infelicissimo monacho, jamdudum illic (nescimus quo ordine) damnato, et annis jam plurimis carcerali ergastulo retruso, nomine Gotescalco.* Hunc et alios ejusdem Gotescalci errores, eadem Ecclesia libro de Tribus Epistolis, initio, ex cujusdam (credo Hincmari) epistola refert: illud item addens, cum Gotescalcus e Gallia ad extremas Germaniæ oras ob Evangelii prædicationem profectus esset, inde cœpisse prædicationis exordium, quod Deus quos voluit, ab æterno, sive ad gloriam, sive ad supplicia prædestinaverit, et ita quidem, ut nec electi perire, nec reprobi salvari possint; nec velit Deus omnes salvari, sed eos dumtaxat qui salutem reipsa consequuntur, pro quibus item solis venerit et passus sit Christus. Ob hæc et similia in quibus obfirmate hærebat, adjudicatum flagris Gotescalcum a monachis et abbatibus, et pene usque ad obitum sine miseratione dilaceratum, traditur eodem libro, post medium, adactumque suis manibus in flammam projicere librum quem pro prædictis propositionibus scripserat. Videsis de Gotescalco Pithæum in Annalibus, Trithemium in Chronico Hirsaugiensi, Frodoardum lib. III Hist. Eccles. Remens. cap. 14, et omnium maxime Hincmarum qui aderat, epistola de eo ad Nicolaum I, ubi bene advertit Gotescalcum non fuisse revera auctorem primum, sed instauratorem dumtaxat hæreseos Prædestinatianorum, quam a prima origine repetimus. Multa quoque de Gotescalci nequitia et pœnis ei inflictis leguntur apud Rabanum, epistola ad ipsum Hincmarum, et alia ad Heberardum comitem. Nam in alia quæ est ad Noringum ita errorem Gotescalci repellit, ut de eo prorsus sileat. Similiter qui nunc lucem aspexit auctor operis contra hæresim Prædestinatianorum, et confictum Augustini nomine librum adducit integrum ad hujus hæresis penetralia educenda in publicam lucem, Gotescalci nusquam meminit, et næresim Prædestinatianorum exortam ipsis D. Augustini temporibus agnoscit, proximeque a Nestoriana eam collocat ante exortam Eutychianam, de qua silet.

5. Ab hac ergo hæresi, tunc per eam quam dixi occasionem gliscente, quam maxime recessuri nonnulli, *ut semper erroris est abrupta dementia*, juxta Novatianum de Trinit. c. 20, in alterum extremum deflexerunt, negantes specialem beneficentiam Dei in electos et vocationem eorum secundum propositum. Item divinam electionem ad gloriam, nulla meritorum per gratiam comparatorum ratione habita factam repudiabant; et qui inter eos erant turbulentiores, antecedentem illam electionem, ad augendam infamiam, magna mendaciorum accessione cumulabant. Antecedentem quoque gratiæ excitantis præparationem, et omnem voluntatis humanæ prævention nem, a Deo gratiæ auctore factam aversabantur, tamquam libertati humanæ infestam. Eoque consilio, Deum communem omnium Patrem, et nullius personam accipientem, probaturi salutis item humanæ potestatem in uniuscujusque manu reposituri, auxilia gratiæ voluntati naturaliter exsertæ, et auxilium per naturales vires imploranti ac se ad salutem conanti subjungebant. Cordatiores tamen ac sedatiores, ac etiam religiosiores nonnulli, ut de Cassiano dicam, subjunctionem illam gratiæ excitantis ad humanam voluntatem, non fundabant in secutura libertatis temeratione per gratiam prævenientem, aut in defutura homini salutis suæ potestate, si præveniatur, præsertim ut propositi divini assectantis electionem antecedentem ad gloriam (hæc enim omnia videntur agnovisse non sequi revera, sive ex electione æterna ad gloriam et specialem gratiam, sive ex temporali præventione vi æterni decreti facta, proptereaque in quibusdam libere salvandis agnoscebant prævention nem gratuitam), sed fundabant subjectionem illam gratiæ ad voluntatem in quibusdam Scripturæ locis male detortis, ad gratiam subsequentem pertinentibus, quibus Deus dicitur peccatorem exspectare, et in maturitate præveniri.

6. Ut perspicuum testatumque fiat hæc ita se habuisse (nec enim desunt qui refragentur, et errorem Massiliensium aliter referant), itemque ut ea quam diximus sententiarum et fundamentorum inter Massilienses varietas perspiciatur, adeundi et audiendi sunt qui nascentem eorum errorem Augustino primum, tum Cœlestino pontifici renuntiarunt Prosper et Hilarius. Ita igitur Prosper, epistola ad Augustinum, post late expositas Massiliensium querelas adversus specialem quorumpiam electionem ab Augustino assertam, eorumque vocationem secundum propositum, non communem aliis: *Aiunt, quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam; quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi qui Deo sponte crediderint, et auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint. In istam vero talis gratiæ prædicationem, hi quorum contradictione offenditur, cum prius meliora sentirent, ideo se vel maxime contulerunt, quia si profiterentur ab ea omnia bona merita præveniri, et ab ipsa ut possint esse donari, necessitate concederent Deum, secundum propositum et consilium voluntatis suæ, occulto judicio et opere manifesto,*

aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam, quia nemo nisi per gratiam justificetur, et nemo nisi in prævaricatione nascatur. Sed refugiunt istud fateri, divinoque ascribere operi sanctorum merita formidant, nec acquiescunt prædestinatum electorum numerum nec augeri posse nec minui, ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant, ac superflua sit industriæ ac laboris indictio, cujus studium cessante electione frustrandum sit. Ita demum enim posse unumquemque ad correctionem aut profectum vocari, si se sciat sui diligentia bonum esse posse, et libertatem suam ob hoc Dei auxilio juvandam, si quod Deus mandat, elegerit. Ac sic cum in his qui tempus acceperunt liberæ voluntatis duo sint quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia, et hominis obedientia, priorem volunt obedientiam esse quam gratiam, ut initium salutis ex eo qui salvatur, non ex eo credendum sit stare qui salvat; et voluntas hominis, divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem. Vides initium ac progressum erroris, ad metam usque barathro et voragine conclusam.

7. Similia Hilarius initio epistolæ ad Augustinum, brevius quidem quoad erroris originem, distinctius tamen quoad progressum et varia adjuncta erroris. *Aiunt*, inquit de Massiliensibus, *novum et inutile esse prædicationis, quod quidem secundum propositum eligi dicantur, ut id nec* 46 *arripere valeant nec tenere, nisi credendi voluntate donata. Excludi putant omnem prædicandi vigorem, si nihil quod per eam excitetur in hominibus remansisse dicatur. Consentiunt omnem hominem in Adam perisse, nec inde quemquam posse proprio arbitrio liberari; sed id conveniens asserunt veritati, vel congruum prædicationi, ut cum prostratis et numquam suis viribus surrecturis annuntiatur obtinendæ salutis occasio, eo merito quo voluerint et crediderint a suo morbo se posse sanari, et ipsius fidei augmentum, et totus sanitatis suæ consequatur effectus. Cæterum ad nullum opus, vel incipiendum, nedum deficiendum, quemquam sufficere sibi posse consentiunt. Neque enim alicui operi curationis eorum, annumerandum putant exterrita et supplici voluntate unumquemque ægrotum velle sanari. Quod enim dicitur, crede et salvus eris: unum horum exigi asserunt, aliud offerri, ut propter id quod exigitur, si redditum fuerit id quod offertur deinceps tribuatur.* Et mox : *Non putant negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas quæ tantum medicum quærat, non autem quidquam ipsa jam valeat. Nam illa testimonia, ut est illud, sicut unicuique partitus est mensuram fidei, ad id volunt valere, ut adjuvetur qui cœperit velle, non ut etiam donetur ut velit; rejectis ab hoc dono aliis pariter reis, et qui possint similiter liberari, si ea quæ pariter indignis præstatur credendi voluntas, etiam ipsis similiter præstaretur. Si autem, aiunt, dicatur voluntatem omnibus remansisse, qua vel contemnere quis valeat, vel obedire, de compendio putant rationem reddi electorum vel rejectorum, in eo quod unicuique meritum propriæ voluntatis adjungitur.* Rursusque infra : *Quod autem dixit sanctitas tua neminem perseverare nisi perseverandi virtute percepta, eatenus accipitur, ut quibus datur, inerti licet, præcedenti tamen proprio arbitrio tribuatur : quod ad hoc tantum liberum asserunt, ut velit vel nolit admittere medicinam. Cæterum et ipsos abominari se et damnare testantur, si quis quidquam virium in aliquo remansisse quoad sanitatem progredi possit existimet. Nolunt autem ita hanc perseverantiam prædicari, ut non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit. Nec ad incertum voluntatis Dei deduci se volunt, ubi eis, quantum putant, ad obtinendum vel amittendum evidens est, qualecumque sit, initium voluntatis.* In prædictis Hilarii verbis, ad plenam erroris de quo agimus introspectionem, desideratur lux aliqua quoad duo : nempe et quoad *initium* illud *qualecumque*, quod Semipeliagiani arbitrio ex se exspectato dabant; et quoad *opus* ad quod necessariam gratiam esse fatebantur.

8. Et quidem *initii* nomine in ipsis erroris sui cunabulis cujusvis boni operis exordia designabant, ita ut non primi dumtaxat boni actus liberi, sive fidei, sed quorumvis bonorum operum ad perseverantiam necessariorum exordia nudo libero arbitrio ascriberent. Postea tamen convicti, ut D. Augustinus refert lib. de Prædest. SS. c. 2, et in ejusdem libri calce, et lib. de Bono Persever. c. 17, palinodiam cecinerunt, seque restrinxerunt ad solum salutis initium, et perseverantiam in ea, ut bis cap. illo 17 testatur D. Augustinus. Placet ipsa verba appendere; quod recentiores aliqui secure pronuntient, Semipelagianos circa solum salutis initium, non item circa perseverantiam, aberrasse. Ita ergo loquitur Augustinus, referens Semipelagianorum sententiam : *Sed ii, qui solum initium fidei et usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent, neque ad hæc habenda atque continenda Deum operari nostras cogitationes et voluntates, cætera vero ipsum dare concedunt, cum ab illo impetrantur credentis fide.* Et mox : *Hæc ergo ex Deo dona sunt, id est, ut de aliis taceam, sapientia et continentia. Acquiescunt et isti*, Semipelagiani. *Neque enim Pelagiani sunt, ut adversus istam perspicuam veritatem dura et hæretica perversitate contendant. Sed hæc, inquiunt, ut a Deo dentur nobis, fides impetrat, quæ incipit a nobis. Quam fidem et incipere habere, et in ea usque in finem permanere, tamquam id non a Domino incipiamus, nostrum esse contendunt.* Vides in quas tandem angustias devenerint Semipelagiani, coacti solum fidei initium, et perseverantiam in ea nudæ voluntati tribuere; eoque confugientes, ut Deum labe, hominem necessitate in salutis negotio eximerent.

Sed intutum plane fuisse perfugium illud, clamant Scripturæ infinities quoad perseverantiam. Non minus item luculenta pro fidei initio ex supernaturalibus tantum suppetiis concipiendo exstant testimonia, quam pro initio reliquorum supernaturalium operum, ut videre est in longa et insigni disputatione quam instituunt S. Augustinus lib. de Prædest. SS., et insigniter serm. 15 de Verbis Apostoli, Prosper l. de Vocat. Gent. c. 23, et Fulgent. lib. 1 de Verit. Prædest., ut probent fidem esse donum Dei. Nec tantum *fidei supplementum*, ut D. Augustinus eo libro c. 2 loquitur, sed etiam *fidei cœptum*, de quo solo Semipelagiani ibi impugnati refragabantur. Et quamvis consilium Arausicanum quod Semipelagianismi fœces siccavit, damnet, non eos tantum qui fidei initium sibi arrogabant, sed etiam eos qui cæterorum bonorum exordia eodem modo vindicabant nudo arbitrio et naturæ viribus; tamen hoc non eo pertinet, quasi Semipelagiani ita philosophati sint de cujusvis extra fidem bonæ actionis initio, sed cum principio ita sensissent, ne qua superesset erroris scintilla, id quoque reprobavit. Quamquam cum fides sit prima radix in salutis negotio, sitque de ea multo potior ratio quam de subsequentibus actibus, ac sic evictum fuerit initium ejus a Deo esse, de aliis quoque omnibus multo potiori jure idem evictum videri debeat; mirum non esset, etiamsi admitteretur Semipelagianos in eodem semper errore de cujusvis operis initio perstitisse, divum tamen Augustinum incubuisse præsertim in eam curam, ut demonstraret fidei initium a Deo esse, non autem a nudo libero arbitrio.

9. Cum autem ejusdem D. Augustini testificatione, lib. de Prædest. SS. c. 2, compertum sit Semipelagianos non potuisse obsistere manifestissimis Scripturæ locis, quibus fides donum Dei esse monstratur, perspicuum videtur, eos nomine *initii fidei*, non intellexisse fidem rudem adhuc et modicam, sed nomine *initii fidei* intellexisse eam credendi volitionem fidei præviam quam concilium Arausic. II can. 5 vocat *credulitatis affectum*, aperteque S. Fulgentius l. de Incar. et Grat. Christi c. 18, Semipelagianos refellens circa voluntatem credendi, quam ab homine esse

contendebant, eam nominat *initium credulitatis*. Ex quo sequitur *quod fidem cœptam*, cui Semipelagiani, ut D. Augustinus, c. illo 2 loquitur, rependi aiebant *fidem auctam*, non esse fidem essentialiter constitutam, tametsi intensive imperfectam, sed esse affectum anteriorem, qui sit fidei veluti præludium; quamvis moraliter unus cum 47 ea actus computetur, et idcirco donetur plerumque eodem nomine. Similiterque sequitur fidem auctam quæ ibidem appellatur *incrementum fidei*, non esse auctarium et accessionem aliquam ad fidem ante inchoatam in eodem genere, sed esse fidem ordinis superioris, succedentem imperfecto illi initio, spectanti ad laborem humanum. Provocari autem aiebant, fide illa cœpta, fidem auctam, quia existimabant hominem, exhibito initio, qualitercumque emereri internum gratiæ auxilium necessarium ad credendum. Et ipsum quidem hominem ex parte sua primum conferre volitionem, eam autem cum primum emicuisset, foveri et promoveri a Deo. Quod ipsum aliter efferebant dicentes *homines initium præbere, Dei vero esse perficere*. Itemque ut Prosper epistola citata refert, iis conferri sanctitatem qui bono naturæ, quod vocabant *gratiam initialem*, bene usi essent, eoque aliquali merito divinam in se supernaturalem beneficentiam provocassent.

10. Eo credulitatis naturali affectu ex nobis supposito, quo prolici asserebant divinæ gratiæ adjutorium, quodque aiebant a divina vocatione exspectari, addebant Semipelagiani reliqua omnia quibus nomen *operum* dabant, ipsumque etiam fidei assensum esse a divina gratia. Idque affirmabant, cum aiebant ad quodcumque opus humanæ curationis, et incipiendum, et perficiendum, necessariam esse gratiam. Tantum quippe excludebant ab operum syllabo eum quem dixi naturalem credendi affectum, disponentem utcumque ad gratiam. Hoc enim dumtaxat voluntati nudæ salvum volebant in negotio salutis, quod ita necessarium censerent, ut salus in cujusvis adulti potestate locaretur, et Deus liberaretur ab acceptatione personarum, quibus duobus incommodis posteriorem D. Augustini doctrinam premi calumniabantur : a se autem declinari existimabant, admittendo ex parte hominis qualecumque initium, seu tribuendo bono usui liberi solius arbitrii meritum aliquod quantumcumque exile ac tenue, ut in eo initio tota gratiæ substrictio fundamentum haberet. Idque initium pure naturale, nostroque nudo arbitrio expromptum, aiebant a Deo exspectari; tamquam ansulam qua voluntatem divina auxilia prehensantem acciperet.

11. Ridiculi vero prorsusque insulsi sunt, qui aliter eam exspectationem interpretantur, affirmantes hoc errore sordere, qui dixerunt consensum, prout libere a voluntate præstitum gratiæ vocanti præmissæ, exspectari a Deo tamquam rationem cur ipse quoque eum consensum velit a se prodire. Ita ut cum duæ hæ causæ concurrant ad illius consensus productionem, prior ratione sit voluntas ante præventa. Eam vero præstoletur Deus, et ad ejus nutum, atque adeo posterius ratione, se applicet ad cooperandum et dandum consensum. Quam censores prædicti censent esse reprobam illam doctrinam de Deo voluntatem nostram exspectante, a Cassiano collat. 13 cap. 12 male fundatam in illis Isaiæ verbis cap. xxx : *Exspectat Dominus ut misereatur vestri*, damnatamque in concilio Arausic. II can. 4, et a Prospero, Fulgentio, aliisque gratiæ contra Semipelagianos defensoribus, confutatam.

Hoc vero est in erroribus antiquis referendis, et in conciliorum contra eos definitionibus interpretandis locari, cum exploratissimum sit Semipelagianos divinam gratiam excitantem et primum initium a Deo positum exclusisse, timentes humanæ libertati ex præventione, et divinam immunitatem a vitio acceptionis personarum prætexentes. Eo itaque sensu damnantur, quod voluntatem a Deo exspectari affirmarent; cum tamen Deus non exspectet voluntatem ut eam vocet, etiamsi jam vocantem vere exspectet quoad consensus liberi productionem. Id est nolit eam inconsultam abripere ad cooperandum, vel adigere ad credendum consensum : sed id libertati ejus permittat nec nisi ab ea jam præventa advocatus accurrat ad cooperandum. Advocatus, inquam, non per actum divina cooperatione anteriorem, quem constat esse impassibilem, sed per exigentiam naturæ tunc operabundæ, et in talibus circumstantiis, ac præmissa divina fecundatione præveniente, expromptura actionem, si posset absque Deo se ad cooperandum adjungente eam expromere. Eam enim suam exigentiam voluntas contuendam Deo objiciens, et objective, non formaliter, exhibens, advocat Deum ad cooperandum, et cum ipsa producendum consensum liberum. Itaque illa per Deum exspectatio humanæ voluntatis, quam concilium Arausicanum reprobavit, alia non est quam quæ ab ipsis Semipelagianis posita fuerat, hoc est exspectatio voluntatis ut vocetur, ita ut prius homo ex se et suis viribus, Deo nihil adhuc circa salutem hominis moliente, expromat suum qualemcumque nisum, ejusque interventu utcumque mereatur ut Deus, qui eum dumtaxat nisum, languidum licet et enervem, exspectabat, illico accurrat, promotor et consummator initii nostri, cui tamquam aliquali merito, et causæ moraliter moventi, exhibet supernaturales suppetias.

12. Semper dico juxta Semipelagianos initium illud salutis quod esse a nobis affirmabant, tenue aliquid et exile fuisse, nec nisi aliquale meritum auxiliorum gratiæ continuisse. Perspicuum namque videtur illos non affirmasse competere tali initio meritum de condigno, respectu salutis ad quam aiebant illud disponere. Ita disertissime tradit Cassianus collat. 13 c. 9, et 13, et 16, lib. XII de Instit. c. 11, 13, 14. Idemque sonant verba illa Semipelagianorum, quos supra ex Hilario retulimus dixisse, initium istud seu voluntatem qua quæritur medicus, *non valere quidquam*, id est, perexigui esse momenti ac meriti. In quo Semipelagiani a Pelagio dissidebant, qui naturali salutis negotiationi meritum ejus condignum concessit.

Nec placent qui Semipelagianos quoad hoc Pelagio adhæsisse et meritum condignum invexisse affirmant; ut Vega lib. VIII in conc. 5; Toletus in c. VIII ad Rom. annot. 31, et in c. XI, ad illud : *Si autem gratia, jam non ex operibus*. Non placent, inquam; nam sanctus Augustinus qui locis allegatis hoc Semipelagianum meritum improbat, tamen ibidem et epist. 105, 48 ac sæpe alibi, concedit peccatori divinitus præmoto meritum congruum remissionis peccatorum, negatque simile meritum naturalibus viribus posse concedi respectu primæ gratiæ. Ergo agnovit gratiam non tantum everti concessione meriti naturalis condigni (quamquam eo maxime), sed etiam concessione meriti naturalis congrui, et aliqualis tantum ac perexigui, quale invexerunt Semipelagiani; qui exiguitatem hujus meriti considerantes eo devenerunt, ut profiterentur quod ei nostro qualicumque initio rependitur, esse gratiæ donum, et initium illud non esse meritum, nempe perfectum et simpliciter dictum. Quod minus pervadentes nonnulli, inconstantiæ damnant Cassianum et Faustum apud quos locutiones illæ frequentes sunt, quasi erroris sui ea in parte immemores. Revera tamen perstabant in errore, nec nisi meritum simpliciter dictum inficiabantur, cum tamen omnis plane naturalis ad salutem dispositio, et vis qualitercumque meritoria, quam illi admittebant, neganda sit tamquam gratiæ eversiva, quod Toletus supra male diffitetur.

13. Neque vero recte Semipelagiani per hunc errorem prospici a se putabant humanæ libertati in negotio salutis, et divinæ exemptioni a labe acceptionis personarum, quem fuisse illis geminum erroris scopulum præmisi; male, inquam, errorem errore declinabant. Nam quamvis verissimum sit salutem esse in cujusvis adulti potestate, et Deum longe abesse a personarum acceptione, est tamen falsissimum quod Deus præveniatur ab homine, sive quod homo salutis

suæ negotium per bonum usum nudi liberi arbitrii auspicetur : sed ad locandam in manu cujusvis adulti salutem suam, satis superque est quod præventus a Deo possit vocanti consentire aut dissentire, ut plane luculenter tradit Fulgent., lib. de Prædest. et Gratia cap. 9, post Augustinum, lib. de Spir. et Lit. c. 34. Et quamvis ea prævention non sit æquale beneficium omnibus quibus impenditur, sed in quibusdam talis sit, ut faciat facere (tametsi luctabiliter), eo quod fit victrix suavitas atque delectatio, prout vocatur a D. Augustino lib. de Peccat. Merit. c. 27; tamen semper est sufficiens ad operandum, et talis ut per solam hominis negligentiam ac culpam non sortiatur effectum. Quæ autem est selecta et specialis, non infert Deo labem acceptionis personarum, quæ locum non habet in mere gratuitis, etiamsi distributio fiat inæqualis, nulla prorsus interposita causa ex parte recipientium.

Est tamen ibi ingeniis omnibus fixa crux, hærendumque est in divino, justo, sed occulto judicio, juxta illud Augustini de Spir. et Littera c. 34 : *Si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadetur ut persuadeatur, illi autem non ita, duo sola occurrunt interim quæ respondere mihi placeat. O altitudo divitiarum, et : Numquid iniquitas apud Deum? Cui responsio ista displicet, quærat doctiores; sed caveat ne inveniat præsumptores.* Cavendum item esse in ea quæstione præcipitium movet serm. 20 de Verbis Apost. et pulchre serm. 11 : *Movet me*, inquit, *quod ille perit, non ille. Movet tamquam hominem, si verum vis audire, et me movet, quia homo sum. Sed etsi tu homo, et ego homo, audiamus dicentem : O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Si posset loqui pecus, et dicere Deo, Quare istum hominem fecisti, et me pecudem, non juste succenseres, et diceres : O pecus, tu quis es qui respondeas Deo? Et tu homo es, sed a Deo pecus es, et utinam sis pecus ejus, et ovis pascuæ ejus!* Videndus in eamdem sententiam epist. 105, et Prosper II de Vocat. Gent. c. 30, in fine, et S. Chrysost. hom. 26, in Epist. ad Rom., in mor. Itaque admotæ a Semipelagianis machinæ nullo negotio subvertuntur. Alta ratione eas machinas disjicere se putant alii, sed quæ revera non est solida, nec erroris pura. Nam non video quam commode a Semipelagianismi labe liberari possit auctor operis contra Prædestinatianos, sæpe concedens toto libro tertio gratiam prævenire voluntatem, sed hoc accipiens de præmissa incarnatione, et Christo fonte gratiæ ad salutem nostram a Patre dato, qua ratione argumenta contra Semipelagianos ex necessaria gratiæ prævention elidere poterat. Sed non sufficit ad illud initium quod contra Semipelagianos agnoscendum est, tamquam proprium gratiæ prævenientis; intelligi enim debet de gratia actuali, quæ est actus nobis receptus, ac excitans nos ad operandum : qualem gratiam præire ex parte Dei, et antevertere nostram operationem hic auctor non videtur agnoscere. Et idem videtur innuere Arnobius junior in psalmum CXLVII. Itaque sola catholica et solida ratione evertendi Semipelagianorum machinas, ea est quam proposui.

14. Illæ autem aliæ calumniæ in Augustinum, quas præterea memorabam Massiliæ et per eam Galliæ oram disseminatas, quoad electionem ad gloriam partim per se evanescunt, ut Prosper eas referens l. ad objectiones Vincentianas recte demonstrat; partim commodissime mihi videntur depellendæ, si dicamus D. Augustinum admisisse quidem in Deo formalem gloriæ electorum intentionem, meritis prævisis anteriorem, a qua originem ducat præparatio vocationis congruæ, et secundum propositum (ita enim aperte ferunt quæ disputat lib. de Corrept. et Gratia cap. 7 et 12, et lib. de Prædest. SS. cap. 3, et l. de Bono Persever. cap. 9, aliisque locis; et id quoque suadet specialis illa cura et amor Dei in electos, in Scripturis ab Augustino expensis, tam sæpe celebratus); eam tamen intentionem juxta eumdem D. Augustinum, non aliter statuendam esse efficacem, quam per ordinem ad auxilia congrua per eam procuranda. Nam electio mediorum congruorum, et eatenus efficacium, ita connectitur cum divina illa electione et intentione, ut non debeat hæc intentio concipi efficax, priusquam hæc media, et ordo ad ea cogitetur. Cum autem ea media non sint ineluctabilia, sed absolute loquendo possint non habere effectum, ut alibi demonstratur, et splendidissime tradit S. Macar. hom. 37, agens de gratia tradita apostolis jam confirmatis in gratia, ne graviter delinquerent, quæ utique efficax fuit, recte ex his mediis conjectamus efficacitatem intentionis a D. Augustino invectam non esse firmiorem. Atque ita concidunt omnes machinæ quæ ex eo admovebantur, quod salus electi, juxta D. Augustinum, 49 sit plane necessaria et eversu impossibilis. Aliud enim est certo et infallibiliter non fore evertendam, aliud non posse everti, etiamsi homo vellet. Primum est verissimum, posterius vero falsissimum.

Quamquam nihil quoque versatili libertatis humanæ conditioni timendum censerem, etiamsi admitterem electionem ad gloriam juxta D. Augustinum esse plane efficacem, sed tantum intra ordinem intentionis, eo quod Deus ob prævisam conditionaliter cooperationem voluntatis humanæ, si his vel illis suavibus mediis juvetur, noluerit de voluntate abripienda per auxilia ineluctabilia quidquam decernere, consequenter ad suam illam robustam planeque antecedentem electionem, quam ex seipso concepit, decreturus, si humanæ voluntatis indocilitatem et obfirmationem adversus illa mitiora et molliora media prænovisset. Sic enim libertas humana ejusque circa salutem vertibilitas salva perstat, non obstante ferreo illo decreto prorsus immanente, et voluntatem qualis ex se erat, atque adeo plane exsolutam, relinquente. Salus tamen fit indefectibilis, quia quamvis intentio divina sit pura intentio ob præcognitam inflexionem liberam voluntatis per gratiam reludiabilem, tamen si voluntas aliter se habere vellet, adigeretur ad capessendam hanc vel illam viam, divino decreto antecedenti quod supponitur consentaneam. Quia vero ea salutis indefectibilitas, quamvis cum præsenti libertate cohærens, mihi alias ob causas non probatur, idcirco propositam D. Augustini sententiam eo quem retuli modo exponere præstat, ut cavillis et calumniis minus obnoxia statuatur. Hæc alibi plene discussa nunc tetigisse sat est, ad aperiendam inanitatem querelarum a Massiliensibus jactatarum, de quibus hactenus.

15. Vidit Cassianus reliquorum Massiliensium errorem hactenus expositum, quo prima gratia statuitur semper voluntati et invocationi humanæ subjuncta, cohærere non posse cum plerisque Scripturis quibus docemur Deum palam fieri nescientibus ipsum, et apparere iis qui illum non interrogabant. Itaque aliud aliquid commentus est. Nempe quod interdum quidem homo præveniat Deum, et bono liberii arbitrii usu promereatur utcumque gratiam Dei, petitioni ac studio naturali superinductam, qui fuit error Semipelagianorum, seu vulgi Massiliensium; interdum tamen Deus præveniat nos, et a nobis nondum vocatus pulset ad ostium; ac voluntatem præoccupet. Quod esse Cassiani placitum notarunt Cuychius annot. 20 in Cassianum, et Ciaconius in observationibus ad eumdem, aperteque habetur ex Prospero lib. contra Collat., præsertim c. 5, 9 et 38. *Nec cum hæreticis*, ait c. illo 5, *tibi nec cum catholicis plena concordia est. Illi in omnibus justis hominum operibus liberæ voluntatis tuentur exordia, nos bonarum cogitationum ex Deo semper credimus prodire principia. Tu informe nescio quid tertium et utique parti inconveniens reperisti, quo nec inimicorum consensum acquireres, nec in nostrorum intelligentia permaneres.*

Sed quid aliunde Cassiani mentem venamur, cum exstent perspicua ipsius Cassiani loca, quibus ea quam dixi Cassiani opinatio liquido deprehenditur? Illustrissime collat. 13 c. 7 : *Dei benignitas cum bonæ voluntatis in nobis quantulamcumque scintillam emicuisse*

perspexerit; vel quam ipse tamquam de dura silice nostri cordis excusserit, consovet eam et exsuscitat, suaque inspiratione confirmat. Et cap. sequenti : *Cum in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim atque confortat, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantaverit, vel nostro conatu viderit emersisse.* Similibus disjunctionibus scatet tota illa collatio, et propterea concilium II Arausic. can. 8, peculiariter ac seorsim, suppresso licet Cassiani nomine, damnat ejus errorem, quo aliqui ad Deum accedere dicuntur per liberum arbitrium prævenientes Deum, alii vero per divinam misericordiam a Deo præventi idem præstare dicuntur. Quod concilium ait exscindi universali illo oraculo : *Nemo enim potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Et effato apostolico omnes æque comprehendente : *Nemo*, plane nemo, ut concilium expendit, non aliqui dumtaxat, *potest dicere Dominus Jesus nisi in Spiritu sancto.*

Quare cum Cassianus alicubi tantum memorat prævention**em** Dei per voluntatem creatam cujus motum præstoletur; alibi autem, ac nominatim collat. 3, non semel memorat tantum prævention**em** divinam qua omnis voluntatis motus antevertitur, non est inconstantiæ insimulandus, ut aliqui hic quoque faciunt : sed cum specialis ejus error ferat aliquando Deum, aliquando voluntatem ponere initium justificationis, consequenter quandoque unam prævention**em**, quandoque aliam pro instituto et subjecta materia proponit, ut Prosper etiam notavit lib. contra Collat. c. 38.

16. Hæc licet ita se habeant, nihilominus passim Cassiani error Semipelagianismi nota suffigitur, ipseque Cassianus Semipelagianis accensetur, quia qua ex parte voluntatem aliquando Deo præire statuit in salutis negotio, ea ex parte Semipelagianismum sectatus est : sicut ipsi Semipelagiani, quia qua ex parte statuebant prævention**em** humanam auxilium Dei antecedere, Pelagio adhærebant, Pelagianismi sæpe notantur, et Pelagiani dicuntur apud Augustinum, Prosperum, Fulgentium, aliosque antiquos. Non laboravit tamen Cassianus aliis erroribus qui in aliis ejusdem furfuris notati sunt. Et quamvis divo Augustino occulte obloqueretur, ut Prosper late memorat epist. ad Rufinum, tamen quæ supra retulimus portenta calumniarum de D. Augustino, non confixit, aut disseminavit, ut indicant illa ejusdem Prosperi lib. contra Collat. c. 2 : *Ne, ad obscurandam scientiam doctorum, ea exagitare videamur quæ vulgus ignobile et procax ineptorum loquacitas intemperanter effundit, unius potissimum definitiones, quem non dubium est illis omnibus in sanctarum studio Scripturarum præstare, referemus.* Hoc est Cassiani, quem rursus paulo post vocat *virum sacerdotalis ordinis, qui disputandi usu, inter eos quibuscum degit excellit;* et, ut vides, liberat eum nota procacitatis in Augustinum; moxque toto opere refellit tantum in Cassiano errorem de divina per hominem prævention**e**, tacitis omnibus aliis supra memoratis, quibus gravatum ab aliquibus ea ætate et regione D. Augustinum præmisimus.

17. Habemus igitur quis vere fuerit error **50** Semipelagianorum, tum quatenus maxime parti Massiliensium communis, tum quatenus Cassiano peculiaris ac quorsum Semipelagianismus dicatur. Quia enim assertores erroris propositi non omnino adhærebant Pelagio, sed ex parte tantum, nempe negando primum justificationis initium esse ex divina gratia, quam alioqui agnoscebant, idcirco Semipelagiani appellantur. Et aptius vocarentur reliquiæ Pelagianorum, qua etiam ratione interdum nominantur; quia revera non amplexabantur dimidium erroris Pelagii, sed in uno dumtaxat puncto, tam multis in quibus Pelagius præterea erraverat rejectis, cum eo consentiebant, *ea una parte superbæ prædicationis* (id est Pelagianæ) *cæteris abdicatis retenta*, ut loquitur Prosper epist. ad Demetriadem. Quin etiam in illo unico puncto, non omnino Pelagium sectabantur, sed veluti dimidia ex parte. Nam cum Pelagius meritum condignum in naturalibus operibus respectu humanæ salutis agnosceret, ipsi, longe temperantius philosophati, aliquale dumtaxat meritum naturale admittebant, quod esset salutis nostræ fundamentum et gratiam homini conciliaret; quamvis illud adeo exile censerent, ut vix nomine meriti illud dignarentur. Quia tamen hic eorum error erat veluti portio plenitudinis illius errorum a Pelagio invectæ, et illa gratiæ, ut cum Fausto loquar, *voluntatis ansulam prehendentis* advocatio per humanum laborem sterneb**at** viam ad renovandum præcipuum Pelagii errorem, quo divinam gratiam per naturalia merita dari contendebat, propterea dicti sunt Pelagianorum reliquiæ; *In quorum detruncationibus* (verba sunt Prosperi epist. ad Rufinum) *hæresis Pelagiana palpitaret.* Et in epist. ad Aug. : *In istis Pelagianæ pravitatis reliquiis, non mediocrem virulentiæ fibram nutritam* queritur. Et lib. contra Collat. cap. 11 hujus erroris assertores, refovendo cineres Pelagiani dogmatis jam exstincti, deficientem fumi nidorem in redivivam flammam conatos accendere.

18. A plerisque vocantur Massilienses; quia revera Prosper initio epistolæ ad Augustinum, eos quorum errorem tota epistola refert, ait in Massiliensi urbe fuisse constitutos, quos *claros et egregios in omni virtutum studio viros* fuisse testatur; nimirum ea tunc urbe e Cassiani disciplina exc**u**ltissimis in re ascetica et virtute monachis instructissima, quos inter ipse Cassianus, velut inter ignes luna minores, *insignis et clarus*, ut Prosper Tiro in Chronico loquitur ad Christi annum 436, splendebat, et eruditione et sanctimonia. Ut propterea S. Prosper epist. ad Rufinum, de hoc in Massiliensibus *virtutum studio, exortum periculum, et de morum probitate discrimen*, ingemiscat; secuturis facile populis quod illud tam illustrem gregis Christi portionem probasse perspicerent. Hilarius tamen initio epistolæ ad Augustinum, eadem cum Prospero ad Augustinum ventilata referens, ait *Massiliæ, vel aliis etiam in locis in Gallia*, fuisse ventilata. Nec id Prosperum latuit, qui etiam Hilarii Arelatensis querelas, ut supra vidimus, ac etiam Genuensium dubia non tacuit; ex quo patet luem illam Massiliensem, omnem illum tractum et Galliæ oram pervasisse, ac Genuam etiam et Italiæ fauces tentasse.

Si tamen Massiliensis lues dicenda est, quæ primum in Africa videtur exorta, non modo quoad rixas *de vocatione secundum propositum*, quibus sedandis S. August. librum de Corrept. et Gratia scribere adactus est, ut ejus libri initio et epist. 47 docet, ac etiam Prosper initio epist. ad Augustinum, sed etiam quoad enatum ex eo circa specialem vocationem dissidio placitum Semipelagianum de prima gratia humanæ invocationi subjuncta. Aperte enim S. Augustin. ante delatos a Prospero et Hilario Gallos, epist. 107 et lib. II contra duas epist. cap. 8, contrito jam Pelagio, refert subnatos, qui errorem de prima gratia humano labori expensa tuerentur, dimissis reliquis Pelagii erroribus, qui est Pelagianismus ille dilutus, quem sero sapientibus Afris Massilienses, aliique vicini Galli fere omnes, aliquamdiu admiserunt, nec sine obfirmatione aliqua. Ita ut quamvis D. Augustini a Prospero et Hilario admoniti, divinis plane libris de Prædestinatione Sanctorum et Dono Perseverantiæ (quos D. Augustini cygneas voces et testamentum jure quis dixerit) videri posset error ille plane contritus, necesse tamen postea fuerit Cœlestinum Romanum pontificem ab iisdem Prospero et Hilario interpellatum, gravi increpatione, Augustino superstites in Galliani Semipelagianismi professores, et conniventes ad eorum errorem, vel etiam ei stipulantes episcopos coercere, non magno quoad hunc errorem pretio operæ. Nam per annos insuper non paucos in eo tractu viguit, quod Galli D. Augustini auctoritate non admo-

dum moverentur hac in parte in qua ipse alias sensisset aliter, ejus vero posteriorem sententiam, duram et immitem esse calumniarentur. At Cœlestini auctoritatem declinare se satis existimarent, cum libros de Prædestinatione Sanctorum et Dono Perseverantiæ quibus Semipelagianismus convellitur, non fuisse a Cœlestino approbatos, sed tantum doctrinam anteriorum Augustini Operum, quibus Pelagium cineraverat, fuisse a Cœlestino commendatam. Id enim Gallos obtendisse late refert Prosper in fine lib. contra Collatorem.

19. Nec prius fumans adhuc hæc Pelagii favilla plane exstincta est, quam sedes apostolica, transmissis ad tractus illius episcopos capitulis, quæ Arausicæ in Liberianæ basilicæ dedicatione publice proposita, et a Patribus congregatis firmata ac denuntiata sunt, omnem incendii illius velut scintillam, doloso cineri tuendæ humanæ libertatis ac divinæ justitiæ suppositam, feliciter compressit anno Christi juxta novissimam card. Baronii subductionem 529, sedente Felice IV, longe post S. Leonem Cassiani æqualem, cui titulus a collectore gratis appositus, eam capitulorum apostolicorum transmissionem ascribit. Et accessit insignis eorumdem capitulorum confirmatio, per Bonifacium II datis ad S. Cæsarium litteris quæ leguntur tom. I Conciliorum Galliæ pag. mihi 223.

Consideratione porro dignum est, in illis capitulis sive canonibus, ea tantum definiri, quæ ad excludendam subjectionem divinæ gratiæ ad humanam voluntatem pertinerent, et ad gratiæ necessitatem pro toto justificationis progressu; intactis iis quæ ad electionem ad gloriam spectant, et plerisque quæ in D. Augustini doctrina displicuerant. Similiterque Cœlestinus in fine epistolæ, post constitutam fidem catholicam de veritate noxæ parentalis **51** et gratiæ necessitate ac primatu, profitetur reliquas quæstiones de quibus D. Augustino negotium facessebatur, neque a se negligi, neque decidi, sed liberæ doctorum disputationi permitti, intra eos fines quos Christiana charitas et modestia præfigit. Quod ego ad quæstionem de electione absoluta ad gloriam, ante vel post prævisa merita per gratiam procreata, pertinere existimarim. Quia enim in eo puncto D. Augustinus multos et graves contradictores sustinebat, nec antiquiores Patres ea in parte perspicue prodiderant aliquid tamquam ex fide tenendum; aliunde autem fatalitas quædam, sub nomine electionis et prædestinationis ad gloriam, prorsus antecedentis consensum humanum, induci meticulosis videretur; satius duxerunt pontifices in quæstiones non necessarias non excurrere, contenti tradidisse quæ sine fidei violatione negari non poterant; quoad illas autem non necessarias quæstiones, indixisse modestiam; et D. Augustini suggillatione, tanti viri merita exantlato que pro Ecclesia labores dedecente, interdixisse. Quinetiam S. Prosper, quamvis Augustini placitorum tenacissimus, tamen in epistola ad Augustinum, post relatas Semipelagianorum querelas in varia doctrinæ a D. Augustino traditæ capita, cum extremam veluti lineam vitiati, quod isti e contrario statuebant, esse docuisset subjectionem gratiæ ad nudam voluntatem humanam, hoc dumtaxat videtur reprobare tamquam Pelagii virulentia imbutum, intactis cæteris : *Si principium salutis male in homine collocatur, si divinæ voluntati impie voluntas humana præfertur, ut ideo quis adjuvetur quia voluit, non ideo quia adjuvatur velit, si originaliter malus receptionem boni non a summo bono, sed a semetipso inchoare male creditur, si aliunde Deo placetur, nisi ex eo quod ipse donaverit.* Quæ liquet ad solum gratiæ primatum ac necessitatem pertinere.

20. Non video autem unde aliqui incumbentes parieti inclinato et maceriæ depulsæ, plures contra fidem aperte pugnantes errores in Semipelagianis tanto post tempore subodorati sint, quam pontifices, et concilia, et illorum temporum Patres perspexerint. Affingunt enim Semipelagianis quod interna gratiæ auxilia veramque spiritus subministrationem sustulerint; itemque quod dixerint hominem naturæ viribus immediate sustolli ad gratiam sanctificantem, nullis interpositis disputationibus liberis. Addunt alii negatam ab eis fuisse gratiam sanctificantem, et divinam cooperationem ad actiones liberas. Quæ omnia quo jure Semipelagianis affingantur, equidem non video.

Nam quod attinet ad gratiam sanctificantem, ne ipse quidem Pelagius eam aperte sustulit, ut ex eo liquere videtur, quod concilia et Patres Pelagium impugnantes omnino silent de gratia habituali : et exaggerationes virium naturæ, quas Pelagius epistola ad Demetriadem, et iis qui supersunt Commentariis in Paulum inserit, prætensa item ab eo libertatis læsio per gratiam, ut habetur ex D. Augustino l. IV contra Julian. cap. 8, et ex lib. II contra duas Epistol. c. 5, ad solam gratiam actualem spectabant, non autem ad habitualem. Quanto magis igitur Semipelagiani, viri et docti et probi, gratiam sanctificantem non sustulisse censendi sunt.

Quod vero attinet ad gratiam actualem internam revelationis ac externæ propositionis objecto contradistinctam, certum est eam negasse Pelagium, primo quidem absolute et simpliciter, postea vero tamquam necessariam. Contendebat enim ad summum esse utilem, et juvare ad facilius operandum quod absolute posset per nudas naturæ vires effici, ut memorat D. Augustinus epist. 106, et luculenter lib. de Gestis Pelagii cap. 14, habeturque ex ipso Pelagio epist. ad Demetriad. Nisi si, quod Augustinus eodem lib. de Gestis Pelagii cap. 31 satis innuit, de hæreticorum more Pelagius cum res tulit, mendaciter admisit quod alioqui inficiebatur. Pelagianos certe, de magistri posteriore placito minus sollicitos, internam gratiam excitantem inficiatos esse, multis confirmat Bellarminus in Recognit. cap. 13 lib. primi de Grat. et Lib. Arbit., aperteque tradit S. August. lib. I contra duas Epist. cap. 19, et in secunda respons. contra Julian. lib. I cap. 93, ubi refert eos gratiam internam vocasse *necessitatem*. Sic igitur de internis gratiæ auxiliis sentiebant Pelagius et Pelagiani, quocumque verborum colore hæresim obtegerent : Semipelagiani autem non sic; idcirco enim S. Augustinus lib. de Prædest SS. cap. 1, laudat eos quod gratiam simpliciter dictam atque adeo internam admittentes, recederent a Pelagio. Quorsum ergo eis affingamus contrarium, et non jam Semipelagianos, sed pure Pelagianos quoad gratiæ negotium eos statuamus?

Idem dico de impacta iisdem negatione divinæ nobiscum cooperationis in actibus liberis. Nam quamvis de Pelagio problema sit expunxeritne divinam cum causis secundis cooperationem, et nominatim cum voluntate libera, et non pauci partem affirmantem, plerique etiam negantem tradant, ut videre est apud Salam. 1, 2, tract. 5, d. 3, n. 9, et al os quos adduxi in Natur. Theo. dist. 8, n. 338, de Semipelagianis tamen nusquam apud antiquos legitur quod divinæ cooperationi sint adversati. Nec id sane ad ipsorum causam referebat, ut videtur ex dictis perspicuum.

21. Sileo de ea insulsitate quam nuperi quidam in Semipelagianis damnant, quod admiserint actus mere naturales circa objecta illa materialia quibus supernaturales actus distinentur; v. g., quod admiserint dari posse naturalem aliquem assensum objectorum queis intellectus supernaturali fide roboratus præstat assensum, et naturalem aliquem amorem, charitati theologicæ in suo ordine proportionalem, absque ullo tamen ordine ad gratiam et justificationem. Hoc Semipelagianis vitio vertere ac sufflgere, ineptire est; nec vacat injuria in gravissimos theologos veteres juxta ac novos qui ita senserunt.

Satis de Semipelagianorum errore, si rei apud plerosque implexitatem et argumenti fecunditatem spectes, omnino paucis; si institutum hoc loco nostrum, plane multis. Nunc an hic ipse error Valeriano jure impingatur consideremus, repetitis et ad examen

vocatis locis illis quæ offensionem ingenerasse supra vidimus.

CAPUT V.

Demonstratur directe Valerianum a Semipelagianismo proxime exposito abhorruisse.

1. Alienum omnino ab errore proposito fuisse Valerianum duplici via pandam. Nempe **52** primo directe, hoc est ostendendo quam ille gratiæ divinæ studiosus assertor fuerit, primasque ei semper detulerit; secundo indirecte, iis nimirum quæ Semipelagianismum sapere visa apte conditis, et ad catholicum saporem idonea expositione aptatis.

Plane catholicam apud Valerianum gratiæ divinæ assertionem ferunt varia loca. Sic enim loquitur homil. 3, extrema : *Servitii nostri hæc est ratio, ut beneficia Christi nostri semper recolas; et in quo religiosæ fidei labore profeceris, auctori tuæ libertatis assignes.* Et homil. 7, initio : *Hæc ipsa quæ fides in nobis operatur, quamvis humano labore proficiant, ad Dominum referenda sunt, per quem et in quo, si qua sunt bene gesta, consistunt, et in posterum quibusque profutura servantur. Unde nemo sapiens Dei beneficia suis virtutibus æstimet applicanda, ne audiat illam Apostoli sententiam dicentis : Quid habes quod non accepisti? Aut si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ex hoc Apostoli loco, Venantius Fortunatus, expositione orat. Dom., circa tertiam petitionem, in insigni digressione contra Semipelagianos, contendit perspicue et aperte everti eorum errorem : ita ut quisquis hoc cum Apostolo, quem *Ecclesiæ oculum* scite nominat, humiliter profitetur, eo ipso profiteatur bonam quoque voluntatem et salutis initium a Deo esse : æque ac prima incensio lampadis ab intrinseco est, quo ille exemplo egregie aperit a Deo præveniri hominem, imitatus Augustinum tract. 23 in Joan. Non dissimiliter ergo sensit, qui locum illum in eam rem æque adhibuit Valerianus. Qui mox ibidem, enumeratis variis bonis operibus supernaturalibus, addit : *Sed hæc omnia, una atque eadem Patris, et Filii, et Spiritus sancti in nobis virtus operatur, quæ perfectionem justis laboribus præstat, ac bonæ voluntati, quæcumque sunt optima, subministrat.* Alludit aperte ad illa Apostoli verba, quæ totius de gratia doctrinæ breviculum jure quis dixerit : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.*

2. Splendidissime homil. 11, prope tota. Nominatim vero in ipsa homiliæ fronte, verbis illis : *Omnem profecto modum sacrilegæ superstitionis excedit qui in laboribus justis partem Deo subtrahit, a quo sapientiæ spiritum accepimus, qui totum hominem regit, et ad omne opus bonum mortalium mentes accendit. Omnia itaque laborum insignia ad Deum referenda sunt, ne S. Spiritus dona rescindat.* Et mox prolatis aliquot Scripturæ testimoniis : *Videtis ergo quod bona nostra Divinitati debemus ascribere, mala autem humanis moribus imputare : quia ut bona procurante Deo creantur, ita mala diabolo auctore nascuntur.* Partem laboris justi et ad justitiam promoventis, non esse Deo subtrahendam; accipi a Deo spiritum sapientiæ ac veluti primum halitum vitæ supernaturalis; accendi a Deo mentes nostras ad omne opus bonum, et quidquid hujusmodi est, Deo procurante creari, ideoque hæc omnia esse illi ascribenda; quantum abest a Semipelagianismo, quo prima radix boni operis homo statuitur, et boni procuratio eidem ascribitur!

Specialiter vero quod ait bona creari in nobis procurante Deo, mala autem nasci auctore diabolo, argumentum continet in rem nostram efficacissimum, ex eo ductum quod quemadmodum fetus non potest sibi ipsi dare primum esse, sed necessario supponit patrem; ita spiritualis fetus, ille, inquam, absconditus cordis homo qui in nobis formatur, quamvis ad suum augmentum et conservationem possit aliquid conferre, tamen quoad primum initium necessario aliunde prodit, hoc est a Deo, qui voluntarie generat nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus. Hoc ipso sensu Semipelagianismum plane exscindente, locutum Valerianum, liquet ex illis aliis ejusdem homiliæ verbis : *Requirat unusquisque initia vitæ suæ, et auctorem quærat generis humani : quis corpus formaverit, quis membra composuerit, quis terrenam materiam in humanum usum fecerit vegetare. Nonne hæc omnia, Dominus, sapientia procurante, constituit? Cum ergo non sit nostrum quod sumus, quomodo nostrum est quod habemus? Stultitiæ genus est, ut cum alii debeas vitæ beneficium, tibi ascribas ornamenta virtutum.* En apertissimam Semipelagianismi profligationem, eo quod dicebam argumento subnixam, usurpatam quoque a D. Aug. in psal. CXLIV, ad illud, *Et justitia tua exsultabunt.*

Nec dimitto indiscussam vim verbi quo ut mala auctore diabolo in nobis nasci, ita bona procurante Deo creari aiebat Valerianus. Nam sive verbum *creandi* presse ac stricte, sive laxius usurpemus, suppetet quod huic rei referat nonnihil. Et stricta quidem acceptatio qua vox *creandi* signat productionem ex nihilo, recta impetit Semipelagianismum et quodcumque salutis initium ex naturæ viribus, ut propterea S. August. ad veritatem catholicam ea in parte confirmandam usurpare passim soleat verba illa ps. : *Pro nihilo salvos facies eos;* ita luculenter in psal. LV, itemque illud Apostoli : *Ipsius factura sumus, creati in Christo Jesu, in operibus bonis,* et similia quæ ad hoc institutum urget lib. de Grat. et Lib. Arbit. cap. 8. Eodem sensu S. Basil. in ps. XXXII, tractans illud : *Ipse dixit, et facta sunt; mandavit, et creata sunt,* proferens varias Scripturas in quibus creatio, quia est productio ex nihilo, spiritualem nostram procreationem ex nullo nostro initio factam signat, addit posse eum psalmi versum, quoad priorem partem de effectione naturali accipi, qua dicente Deo factus est mundus; quoad posteriorem vero partem, intelligi posse de generatione in Christo, quæ est moralis creatio, excluso in ea morali quocumque influxu subjecti, quoad primam gratiam auxiliantem. Nec dissimiliter Anastas. Sinaita l. VII Hexaem., initio, ait in II capite Geneseos iterari narrationem creationis rerum, quæ posset superflua videri, nisi instituta denuo esset ad designandam secundam creationem longe sublimiorem, quæ est in Christo et per Christum. Hoc denique voluisse oportuit antiquos illos scholasticos, qui vel in 1, dist. 26, vel in 4, dist. 1, censuerunt gratiam fieri in nobis per creationem. Hoc enim in rigore physico loquendo, si de gratia habituali sit sermo, improbabile est : nam accidenti valde praeternaturale est produci absque subjecto, atque adeo ex nihilo physico. Et multo etiam improbabilius est agendo de gratia actuali, quæ forte nulla vi potest sic effici. Sensus ergo scholasticorum illorum esse debet quem S. Thomas 1-2, q. 110, art. 2, ad 2, perspicue expressit : nempe gratiam sanctificantem moraliter creari; quia spectata prima radice ex mera Dei prævenientis liberalitate obtingit, quod similiter dicendum est de gratia actuali. Atque ita primus hic sensus creationis nostræ per emissum Dei spiritum, ac Deo procurante factæ, aperte evertit Semipelagianismum.

53 3. Si autem verbum *creandi* sumatur paulo latius, ita ut dicantur procurante Deo creari bona, mala autem nasci auctore diabolo, quia bene supernaturaliter operantes, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nascimur, tamquam ex patre fecundante, et primum initium totius procreationis indente, æque concidet per ea verba Semipelagianismus. In quam rem juvat afferre perelegantem doctrinam cui Gulielmus Parisiensis l. de Sacram. Matrimonii cap. 5, inædificat animæ humanæ cum Deo nuptias, ad concipiendam et pariendam prolem bonorum operum, non absque universo apparatu illis nuptiis comitante, per analogiam ad nostrates nuptias. Est autem ea doctrina Richardi Victorini in Psal. XXVIII, ad illud : *Dilectus quemadmodum filius unicornium*, et Bernardi, lib. de Inter. Domo cap. 68, qui aperte ex

Richardo profecit. Observant hi doctores, quamvis possimus patres esse Christi, cooperantes ad alienam salutem, eumque gignentes in alieno corde, tamen unumquemque nostrum in quo Christus formatur et generatur, non se habere ad Christum sic genitum ut patrem, sed ut matrem dumtaxat, quæ ex alieno seminio concipit. Propterea que expendunt, interminatam in Scriptura maledictionem sterili et quæ non parit; nec similiter dictum, maledictus qui non gignit : quia non æque in potestate nostra est prævenire sancta cogitatione qua veritas perspiciatur, ac est in nostra potestate adhærere veritati intellectæ et interius gustatæ, Domino dante suavitatem. Ea enim præventio, conferens primum salutis initium, mere ex Deo est, qui proinde jure dicitur habere rationem Patris in hac spirituali nativitate, contra quam sentiebant Semipelagiani, qui sibi ipsis absque gratia nativitatis illius initium arrogabant. Liquet ergo quantum ab eis abfuerit Valerianus.

Inferius quoque, eadem homilia 11, allegato initio ps. CXXVI : *Nisi Dominus ædificaverit*, etc., ita infra : *Videtis ergo, quod nec sine Domino quod bonum est ædificari, nec ædificatum sine Domino poterit custodiri. Ædificatio divinæ hujus domus, ædificatio est vitæ nostræ, quam oportet divinæ majestatis auxilio communiri. Rogandus itaque semper est Christus noster, ut in nobis bona nutriat, et exorandus ut nutrita custodiat, atque ita intelligentiæ nostræ corda componat, ut omnia quæ bona sunt, gloriæ cœlestis potestatis assignet.* Expendo ædificationem divinæ domus, id est exordium et initium justificationis, Deo tribui æque ac ejusdem jam ædificatæ custodiam. Ex eo enim quod Dei sit domum nostram internam ædificare, inferri ipsum quoque justificationis exordium a gratia esse repetendum, tradit egregie Naz. orat. 31, num. 8, et Nazianzeni auditor S. Hieronymus, Jerem. XVIII. Itemque Joannes episcopus Hierosolymitanus adductus et commendatus a S. Augustino lib. de Gestis Pelagii cap. 14, ac etiam Prosper ad excerpta Genuens. dub. 8. Adverto insuper gratiæ divinæ prævenientis auxilia, iisdem a Valeriano verbis expressa, quibus designantur in ecclesiastica oratione Dominicæ 6 post Pentecosten, qua petitur a Deo, *ut quæ sunt nutriat, ac pietatis studio quæ sunt nutrita custodiat.* Præterea observo eodem loco Valerianum, non aliqua, sed plane omnia quæ Christiana bona sunt, cujusmodi etiam est primum justificationis initium, assignare Deo gratiæ auctori, et monere rogandum Deum, ut ita intelligentiæ nostræ corda componat, id ut agnoscamus et facto præstemus. Quæ omnia sunt a Pelagii reliquiis alienissima. Valet enim ex ejusmodi dicto ea D. Augustini illatio quam conficit I retract. cap. 9, ubi expendens quod dixerat lib. III de Lib. Arbitr., omnia bona ex Deo esse, sic concludit : *Quia omnia bona ex Deo sunt, sequitur ut ex Deo sit et bonus usus liberæ voluntatis quæ virtus est, et in magnis numeratur bonis.*

4. Infra quoque Valerianus ex illis Scripturæ locis : *Non est qui faciat bonum, et nemo bonus nisi solus Deus*, argumentatione ei gemina quam Prosper cap. 20 contra Collat. ex iisdem locis conficit ad probandum nostræ ex Deo salutis initium, concludit in hunc modum : *Ergo videtis quod si quando boni videmur, bonitatem Dei operamur.* Item addit, cum bene facimus in ordine ad salutem, Deum in nobis ut in templo habitare, et scilicet operari in nobis illud ipsum bonum, quod tametsi nostrum sit, tamen quia radicaliter et principaliter a Deo pendet, *bonum Dei* a Valeriano appellatur; eo ipso sensu quem egregie expressit S. Greg. lib. XXXIII Mor. cap. 25 et 26, tractans illud : *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei;* et homil. 9 in Ezech., ad illud : *Ingressus est in me spiritus, postquam locutus est mihi, et statuit me super pedes meos.* Appono partem loci illustrissimi, tamquam radium quo vera et catholica Valeriani hoc loco doctrina, colliustrari potest. *Sciendum est quia mala nostra solummodo nostra sunt, bona autem nostra, et omnipotentis Dei sunt, et nostra : quia ipse aspirando nos prævenit ut velimus, qui adjuvando subsequitur, ne inaniter velimus, sed possimus implere quæ volumus. Præveniente ergo gratia, et bona voluntate subsequente, hoc quod omnipotentis Dei donum est, fit meritum nostrum. Quod bene Paulus brevi sententia explicat dicens : Plus illis omnibus laboravi. Qui ne suæ videretur virtuti tribuisse quod fecerat, adjunxit : Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Quia enim cœlesti dono præventus est, quasi alienum se a bono suo opere agnovit, non autem ego : sed quia præveniens gratia liberum in eo arbitrium fecerat in bono, quod libero arbitrio eamdem gratiam est subsecutus in opere, adjunxit : sed gratia Dei mecum. Ac si diceret, in bono opere laboravi, non ego, sed et ego. In hoc enim quod solo Domini dono præventus sum, non ego. In eo autem quod donum voluntate subsecutus, et ego.* En S. Greg. gratiam prævenientem et salutis ex Deo initium colligit et probat ex eo quod bonum opus nostrum dicatur *bonum Dei*, nosque dicamur alienum bonum operari, quo ipso modo loquitur, ut vidistis, Valerianus. Quæ mihi videntur idonea argumenta bonæ cujusvis voluntatis etiam primæ, ab eo ascriptæ auxilio gratiæ, in salutis negotio.

5. In calce denique ejusdem homiliæ 11, hæc verba habet : *Qui gloriatur ergo in Domino glorietur; omni ergo studio agendum est, dilectissimi, ut vitam nostram Domino ita fides pura commendet, ne quid extollentia humana sibi vindicet aut suis laboribus donet. Totum autem perdidit quod laboravit, qui propriis virtutibus fructum sanctitatis ascripserit.* Hæc plane gemina effato S. Cypriani *in nullo gloriandum esse, quando nostrum nihil sit.* Ex quo testimonio S. Augustinus lib. de Prædest. SS. c. 3, et lib. de Dono Persever. c. 14, fatetur se adductum ut sententiam suam priorem circa salutis initium retractaret. Quomodo ergo Valerianus, eodem modo locutus, salutis initium homini arrogaret? Et vero quod negat **54** fas esse extollentiam humanam aliquid suis laboribus vindicare, videtur intortum in errorem Semipelagianorum, qui humano labori subjungebant gratiam, eamque ascribebant ei labori quo voluntas petendo, pulsando, quærendo, Deum advocat. Ut suspicio esse possit universam hanc homiliam qua Valerianus ex instituto rejicit eos qui Deum gratiæ auctorem ab aliquo laboris sui consortio in bonis operibus excludunt, non tantum in Pelagium intorqueri, qui absolute gratiam inficiabatur; sed etiam, et quidem multo magis in Semipelagianos, quorum post Pelagii cineres, favillæ fumabant.

6. Tandem alienissimum est a sensu et modo loquendi Semipelagianorum, quod habetur hom. 16, verbis illis : *Omnis igitur spes obtinendæ victoriæ, in fide et voluntate consistit. Si enim voluntas sequatur fidem, numquam deserit voluntatem.* Utique fides. Sane Semipelagiani erroris flos, vel potius fæx, est subsecutio et subjunctio fidei ad voluntatem bonam. At Valerianus, diserte voluntatem bonam subjungit fidei; ita ut etiam prima credendi voluntas, non sit ex nuda facultate voluntatis, sed divinum fidei seminium, sive gratiam voluntati prævium subsequatur. Quæ est catholica doctrina contra Semipelagianos. Idcirco enim eos sugillans S. Petrus Chrysologus, serm. 135, post commendatam S. Laurentii in vivicomburio constantiam, monet auditores ut mirantes S. Laurentii fidem et patientiam, donum Dei mirentur; Dei enim donum fuisse, tantam fidem, tantum in tantis cruciatibus animi robur. Tandemque concludit : *Ergo martyrum merita, velut Dei dona laudemus; amemus, oremus, subinferamus voluntatem nostram. Voluntas enim sequitur, non prævenit. Sed tamen non deest charitas, si non desit voluntas. Ipsa enim ardens voluntas, vocatur charitas.*

CAPUT VI.

Quæ prioribus locis Semipelagianismum subolere in Valeriano visa, demonstrantur catholica.

1. Pergo ad indirectam Valeriani expurgationem,

quæ in locorum superius propositorum expositione consistit. Tractabo singula eo ordine quo adducta sunt; qui idem est cum ordine ac serie homiliarum de quarum morbositate aut ulcere suspicio fuit.

Præmittendum tamen est unum, quod non ad Valeriani tantum, sed etiam ad plurimorum Patrum indemnitatem observare operæ pretium est : nempe, non si aliquando Patres auxilium gratiæ in opere talis auxilii indigo reticent, censeri illico posse exclusum, cum sæpe subintelligatur, nec semper necesse sit omnia exprimi. Id quod etiam in ipsis Scripturis servatum a Spiritu sancto gravissimi Patres notarunt. Ut S. Basilius in cap. VI Isaiæ, tractans illud : *Ecce ego mitto;* et S. Ambrosius, ad Lucæ proœmium, expendens illa verba : *Visum est et mihi;* et observans evangelistam, etiam si tacuit loquentem in se Spiritum sanctum, non idcirco tamen id negasse, similiterque Christianum si in opere ad salutem pertinente, eodem modo loquatur, et de divina cooperatione taceat, non idcirco eam diffiteri. Descripsit eum D. Ambrosii locum S. Augustinus lib. de Grat. Christi c. 46, et lib. de Dono Persever. c. 19.

Sed insigniter idem tradit S. Anselmus, in Concor. II p., c. 15, his præter cætera : *Cum aliquid dicit Scriptura sacra pro gratia, non amovet omnino liberum arbitrium; neque cum loquitur pro libero arbitrio, excludit gratiam : quasi sola gratia aut liberum arbitrium solum sufficiat ad salvandum hominem*, etc. *Ita quippe intelligenda sunt dicta divina, ut hoc excepto quod dixi de infantibus, nec sola gratia, nec solum liberum arbitrium, salutem hominis operetur.* Illustrat hoc nonnullis Scripturis adductis; tum profert insignem similitudinem : *Sicut ergo quamvis naturalis usus non procreet prolem sine patre, nec nisi per matrem; non tamen removet ullus intellectus aut patrem aut matrem a generatione prolis; ita gratia et liberum arbitrium non discordant, sed conveniunt ad justificandum et salvandum hominem.* Appositissime. Quid enim familiarius quam ut simpliciter dicamus : *Hic homo est filius illius mulieris*, tacito, nec tamen idcirco excluso patre? Similiter ergo, quamvis voluntas nostra de Spiritu Dei concipiat, nec nisi cœlesti semine fecundata, ac divinæ illuminationis prægnata conceptu (ut S. Fulg. loquitur initio secundi ad Trasim.) eniti possit partum salutis; tamen plerumque, solius liberæ voluntatis opus illud fundantis fit mentio, non expresso, nec tamen negato divino seminio per quod fecundata est voluntas; sine quo non plus posset concipere aut parere fetum salutis, quam possit naturaliter mulier effici mater absque viri opera.

Itaque qui voluntatis solius meminerunt, exprimunt dumtaxat quid hæc causa in suo genere et ordine ad effectum et ipsi et gratiæ communem contribuat, non negato (quamvis non expresso) gratiæ concursu. Quod, ut dicebam, in Scripturis ipsis servatum videmus. Et longe æquissimum est eodem modo accipere similia Patrum dicta, in longioribus præsertim disputationibus, aut cum ad populum agunt : quia illa diligens et anxia utriusque cooperariæ causæ expressio, vel nauseam et fastidium pareret, vel offensionem ex ingenerata suspicione hominis de auditoris aut lectoris ingenio aut securitate diffidentis. Ita plane, sua quædam de libertatis humanæ viribus duriuscule in speciem dicta lib. III de Lib. Arbit. emollit ipse D. Augustinus I Retract. c. 9, ostendens tacitam tunc a se, sed non exclusam gratiam. Quam (ut vocat) *regulam*, Augustino allegato, commendat Faustus Rheg. lib. I de Grat. c. 6 : *Apud regeneratos*, inquit, *quando gratia sine labore, vel labor sine gratia, in Scripturis ponitur, supprimitur, non separatur. Cum unum sine alio dicitur, tacetur alterum non negatur, secundum illam regulam quam antistes Augustinus insinuat : Non omnia quæ tacentur, neganur.* Non me latet, Pelagianos hoc ipsum studiose inculcasse; sic enim Critobulus, partes Pelagii sustinens apud Hieronymum, lib. I contra Pelag., fere initio, objicienti Attico catholico quod gratiæ non meminisset, ideoque eam inficiatus videretur, reponit : *Ex eo quod non negavi, dixisse existimandus sum, neque enim quidquid non dicimus, negare arbitrandi sumus.* Et apud Paulum Orosium in Apolog. pro arbitrar. libert. hæc adversus ipsummet Pelagium scripta habentur : *Quamlibet crebro dicas de gratia Dei, Non ideo negavi, quia non dixi; sed ideo dixisse accipiendus sum, quia non negavi : quasi vero et Susanna* **55** *ideo de adulterio confessa credenda sit, quia arguentibus aliis non negavit; aut testimonium falsorum testium, Dominus Jesus quia tacuit, approbaverit.* Hæc, inquam, a Pelagianis dicta non inficio. Neque tamen idcirco vacillat regula proposita, quia non omni quod hæretici proferunt, illico adversandum est. Poterit enim quod dicunt (ut sane hic contingit) non esse fetus eorum; sed ab Ecclesia et probatis doctoribus mutuo sumptum. Itaque cum PP. hoc statuant quasi pro canone, jure ratum est habendum. Accedit quod plerumque Patres, ut sanctus Augustinus etiam notavit lib. de Prædestinat. SS. cap. 14, intenti in rem quam tractant, non sunt adeo solliciti de exprimendis ac distincte et explicite proponendis omnibus quæ fide certum est ad aliquid intervenire, sed secure loquentes agunt quod agunt. Atque ita statim et obiter gratiæ auxilia plerumque supponunt, aut attingunt potius quam tractent; quamvis non idcirco ea diffiteantur, vel divinam voluntatis nostræ præventionem inficientur; sed quod muneris nostri est, et in potestate nostra locatur, potius urgeant.

2. Hoc quod generatim de Patrum scribendi et loquendi modo in hac re præmisi, locum omnino habere potuit in Valeriano; ut non sit quod rigidius austeriusve cum eo agamus, si aliquando e duabus causis ad salutis nostræ negotium intervenientibus, alterutrius tantum meminerit, non expressa altera, quam non idcirco inficiatur. Hujusmodi cautione præmissa, quæ ad pleraque Patrum dicta in aliis materiis commodare æque potest, ut ad suppressionem alicujus e divinis personis, in opere universis communi (quo eam adhibet Paschal. Diacon. l. II de Spiritu sancto c. 4, in fine) accedamus ad expendenda sigillatim suspecta apud Valerianum loca superius proposita.

Primam homiliam ex ea causa suffigebat criminato, quod ipsa prima ejus verba hausta sint a Pelagio, quem ait : *Sæpius eo dicendi modo esse conquestum.* Non possum non suspicere tantam sagacitatem in Pelagii vestigiis subolfaciendis. Nam hic est frons primæ illius homiliæ : *Multi qui sanæ doctrinæ adversantur, justitiam culpant, et disciplinam imperium esse judicant; ac rationabilem castigationem superbiæ assignant, cum non sit imperium, nisi ubi aliquid jubetur injustum, nec sit superbia, nisi ubi negligitur disciplina.* Subjiciturque continenter, longum disciplinæ encomium. Quid hic Pelagianum fermentum subolet? Vel quæ, saltem in speciem, hujus principii cum Pelagiana impietate communitas? Exstat indiculus errorum Pelagii apud Augustinum, hær. 88 et lib. de Gestis Pelagii cap. 11, 14 et 35. Quid inter eos errores affine commendationi huic disciplinæ regularis? Nam de ea sermo est auctori cum monachis agenti, ut satis liquet ex inutilitate famæ conversionis, quam religioni professæ denuntiat, nisi disciplinæ studium accesserit. An vero S. Cyprianum initio libri de Disciplina et Habitu Virginum, Chrysostomum homilia de Eruditione disciplinæ, Hugonem Victorinum libro de Institutione Novitiorum a cap. 10, S. Bonaventuram in Speculo disciplinæ propter Novitios, Laurentium Justinianum lib. de Discipl. Monast., et alios qui disciplinam non seeus celebrant quam hic Valerianus, et grave a discolis haberi jugum ejus expostulant, Pelagianæ fuliginis insimulabimus ea ex causa?

Quam vere autem subdatur a criminatore, *Pelagium sæpius eo dicendi modo esse conquestum;* intelliget qui adverterit ex Pelagii scriptis præter plagulas apud Augustinum, superesse dumtaxat epistolam

ad Demetriadem, male a quibusdam, jam a Bedæ temporibus, D. Hieronymo inscriptam, et ab eodem Beda lib. I in Cant. Juliano Celanensi episcopo, qui cum Augustino conflixit, attributam; item Commentarios breves in Paulum, Hieronymo quoque inscriptos, diserte autem a D. Augustino lib. de Gestis Pelagii cap. 16, et lib. III de Pecc. Merit. cap. 1 et 11, Pelagio ascriptos; ac denique symbolum secundum, quod habetur tomo IX Hieronym., incipitque : *Credimus in Deum Patrem*, definit autem per ea verba, *hæreticum comprobavit*. Nam hanc fidei professionem S. August. l. de Grat. Christi cap. 52 et 53, et lib. de Peccato Orig. cap. 1 et 21, a Pelagio ad Innocentium transmissam monstrat. Nuspiam vero in illis lucubrationibus comparent querelæ illæ Pelagii, de neglectu aut duritia regularis disciplinæ, apud aliquos effrenes et jugi impatientes. Et ut exstarent alicubi ex Pelagio illæ querelæ, parum omnino id referret; cum non quæcumque ab hæreticis dicta sunt, resecanda videri debeant, nisi eadem falce omnia prope fidei dogmata recisa velimus, ut Rusticus cardin. Diaconus Dial. contra Aceph. probe monuit.

3. Homil. 2 illud notabatur, quod agens de via Christiana Valerianus dicat, accessum Christianæ viæ facilem se præstare volentibus, quæ videbantur subolere Semipelagianam gratiæ subjunctionem ad voluntatis conatum. Sed hæc est plane inanis criminatio. Quid enim apud Patres et morum magistros decantatius, quam volenti nihil difficile? et si velimus divinæ gratiæ qua prævenimur cooperari, fore ut consensus ad virtutem, quantumcumque præruptus et horridus, non mitescat modo, sed etiam cum suavitate superetur? At hoc unum est quod affirmat Valerianus.

Nec minus perspicue, absque nota vel erroris suspicione idem tradiderunt, ut alios nunc præteream, Clem. Alex. II Strom. cap. 7, et S. August. l. I de Lib. Arbit. cap. 13, et variis locis S. Chrysostom. Et Clemens quidem disputans de adoptione filiorum Dei hæc verba habet : *Velle ergo omnia antecedit. Rationales enim facultates sunt ejus quod est velle ministræ. Velis*, inquit, *et poteris*. Idem quod Valerianus conceptis verbis tradidit S. Maximi de Scopo Incarnat., et qui hoc ipsum mellitissime sic expressit Eucher. in Paræn. ad Valer. n. 7 : *Si hominum quispiam clarus ac locuples in locum liberorum te adoptaturus accineret, ires per oppositas rerum difficultates, et per quodvis longi recessus iter vectatus accurreres. Deus, universitatis rerumque Dominus, te in adoptionem vocat; illud, si velis, tibi blandum filii nomen impertiet, quo Deum nostrum unicum suum nuncupat. Et non accensus raperis? non properus urgeris? ne conditionem tantam celeri occursu mors festina præripiat? Atque ad hanc obtinendam, tu non invias terræ solitudines, nec longinqui maris incerta penetrabis. Cum volueris, hæc adoptio tui tecum est.* Sed et Laurentius Novanensis homil. de Pœnitent. idem explicate sic tradit : *Homo*, **56** *noli differre, res in promptu est, vita in manu est, victoria in arbitrio est. Si voluisti, vicisti; si nolueris, victus relinqueris. Qui vult vincere, conatur ut vincat; qui desperat, amisit victoriam.* Itaque perspicue statuit cuique in manu sua vincere peccata, quæ victoria infert sanctitatem. Neque tamen quisquam idcirco notavit Laurentium, vel Semipelagianismi insimulavit, quia suppressit divinam præventionem.

Sanctus vero Augustinus, loco allegato, longam de voluntatis vi ad christiane vivendum disputationem concludit his verbis : *Ex quo conficitur ut quisquis honeste recteque vult vivere, si id se velle præ fugacibus bonis velit, assequatur tantam rem tanta facilitate, ut nihil aliud ei quam ipsum velle sit habere quod voluit.* Quem locum recognoscens I Retract. cap. 9, agnoscit catholicum et usquequaque sanum esse, tametsi solius voluntatis facta in eo sit mentio, dimissa nec tamen exclusa gratia quod id loci illius non interesset, et nondum tunc exortis Pelagianis non videtur necessarium diligentius ac sollicitius loqui. Non dissimiliter serm. 31, ex 40 novis, hortatus ad tenendam justitiam et libertatem a secunda morte, subdit : *Quæ si nolis ideo non erit, quia illud unde te ab ista morte redimes, si volueris, erit. Justitiam voluntas impetrat a Domino, et bibit illam tamquam de fonte suo, ad quem fontem nullus prohibetur accedere, si dignus accedit.* Et mox : *Sanguis Domini tui, si vis, datus et pro te; si nolueris, non est datus pro te.* Rursusque paulo post : *Sanguis Christi volenti est salus, nolenti supplicium.* Tandem in psalm. CII, ad illud : *Qui sanat omnes languores tuos*, multa præfatus de Deo medico et animorum sanatione, subdit : *Sanabit te? opus est ut sanari velis. Sanat omnino ille quemlibet languidum, sed non sanat invitum. Quid autem te beatius, quam ut tamquam in manu tua vitam, sic habeas in voluntate sanitatem tuam? Si velles esse in aliquo sublimi honore in hac terra, ducatum, proconsulatum, præfecturam si concupisceres, numquid continuo posses quod velles? Numquid voluntatem tuam potestas sequeretur?* Hæc et alia hujusmodi apud Augustinum frequentia nemo umquam insimulavit erroris, vel affinitatis cum Semipelagianorum fuligine. S. Chrysostomus eodem fere modo loquitur homil. 5 in I ad Thessalon., in ipso fine, inculcans, ut boni fiamus et Christianas virtutes adipiscamur, sat esse ita velle, juxta illud Isaiæ quod allegat, *Si volueritis et audieritis me.* Alibi item multus est hac in parte; sed disertissime hom. 18 in Epist. ad Rom., paulo ante partem moralem, ubi proposita salvatione reliquiarum per electionem gratiæ, cujus (ut ait) sunt in hominis salute potiores partes, opponit sibi : Cur igitur non omnes salventur, si ex gratia salus est? Respondet autem in hunc modum : *Quia noluistis. Gratia siquidem, licet gratuita sit, volentes tamen tantummodo salvat, non eos qui nolunt, qui continuo aversantur, qui contradicunt.* Nimirum, ut ait initio homiliæ 19, *potior quidem pars gratiæ est, non tamen totum.* Longum et pulchrum in eam rem locum legere licet apud Theodorum Studitam, catechesi 45, sub finem.

4. Itaque recte omnino ac catholice dicitur, viam salutis patere volentibus, esseque eis facilem : non enim excluditur gratiæ adjutorium voluntatem vegetans, sed subintelligitur æque ac in illa D. Ambrosii locutione, sub finem libri de Viduis, *Unicuique voluntas suæ prosperitatis est auctor. Ex voluntate enim sapientia nascitur.* Et perspicue agit de supernaturali sapientia. Itemque æque ac in aliis illis locutionibus, *Propria voluntas est unicuique causa suæ salvationis :* et, *Bona voluntas Deum ad nos deducit, et nos in Deum dirigit. Per bonam voluntatem Deum diligimus, Deum eligimus, ad Deum currimus, ad Deum pervenimus, et eum possidemus. Per eam ad Dei similitudinem reformamur, et ei similes efficimur.* Habentur hæc omnia in Manuali quod nomine D. Augustini circumfertur cap. 23. Et plane similia habentur apud D. Bernardum lib. de Interiori Domo c. 8. Nec dissimiliter ac durius etiam Nazianzenus, ob additam particulam exclusivam, et tamen simili subintellectione adhibita condiendus verbis illis orationis 40 : *Ite et emite, ac vinum nullo persoluto pretio bibite? o ingentem benignitatis celeritatem! o facilem contrahendi rationem! Hoc bonum sola voluntate venale tibi proponitur, cupiditatem ipsam Deus ingentis pretii loco habet. Sitit sitiri.* Particula exclusiva intelligenda tantum est cadere in ea quæ ex parte voluntatis conferri debent.

Eodem denique modo accipienda sunt illa S. Justini in Apolog. ad Antonin., ubi recolens locum Isaiæ de peccatoris justificatione et secunda nativitate jam antea adductum ab ipso, *si volueritis et audieritis me*, ac secundam istam nativitatem cum ea quæ fit adulti baptismo contraponens, subdit apostolos docuisse primam quidem hominis nativitatem fuisse necessitatis opus, quod homine neque sciente, neque volente, peracta sit; providisse tamen Deum, ut non maneremus necessitatis et ignorantiæ filii, quales ex prima nativitate eramus, sed efficeremur filii voluntatis et scientiæ, adipiscentes remissionem

peccatorum et sanctitate volentes renasci. Ubi certum est ita exprimi nativitatem ex liberi arbitrii delectu quo homo volens sciensque formatur, et nascitur denuo, ut tamen non excludatur divina gratia volitionem et prævenies et promovens.

Indubieque eadem mens fuit Nysseni homil. 6 in Eccles. ad illud: *Tempus pariendi et tempus moriendi*, juxta quem: *Nobis ipsis quodammodo patres sumus, quando per bonum animi institutum liberumque arbitrium, nos ipsos formaverimus, et genuerimus, et in lucem ediderimus. Hoc autem facimus ex eo quod Deum in nos ipsos admittamus effecti filii Dei, et filii virtutis, et filii Altissimi.* Idem optime, lib. de Vita Moysis, exponens nativitatem ad gratiam : *Est vita humana mutationi semper supposita. Quare oportet cum non sit æterna et immobilis, semper nasci. Sic autem nasci, non aliena fit appetitione, nec extrinsecus ut in corporali nativitate, sed electione propria unusquisque nascitur. Unde fit ut nos ipsi patres simus nostri, qualescumque nos volumus electione gignentes et aut marem aut feminam, vitii ac virtutis ratione fingentes.* Non poterat magnificentius bonæ voluntatis interventum in salutis nostræ negotio proponere : meritoque posset hoc ejus dictum salebrosius videri quam quod Valerianus dixit, viam salutis patere volentibus. Hactenus tamen Nyssenus, calumnia negatæ prævention is gratuitæ oneratus non est, et merito. Nam ut cætera loca taceam, in orat. catech., cap. 30, disertissime asserit gratiam prævenientem. Et cum ibid. cap. 39 accurate tradat quod ex eo aliis locis allegatis protuli, nempe hominem liberæ suæ voluntatis electione gigni ex Deo et filium Altissimi effici, perspicuum esse videtur, non pugnare duo illa, nativitatem secundam obtingere volentibus, et a Deo vocante et præparante esse quod voluntas velit ut obtingat. **57** Quod attendentes nonnulli Patres adducti c. 5, n. 3, dixerunt neminem in spirituali nativitate esse sibi patrem, sed matrem dumtaxat, quia hæc ex aliena tantum anteriori operatione fecundatur.

5. In homilia tertia suspectus primum erat locus quo asserebatur deposci a Christiano *voluntarium officium.* Sed perperam trepidatur timore ubi non erat timor. Vel enim suspecta est vox *voluntarii* in negotio salutis, vel vox *officii.* Neutra vero jure insimulatur. Nam David, qui voluntarie se sacrificaturum spondebat, non habetur erroris suspectus. Ejusque non insimulatur princeps apostolorum, qui Christianos ad servitutem voluntariam cohortatur. Non item S. Ambrosius. qui lib. I de Jacob, c. 3, studium nostrum commendans, et in eo dicens esse omnia, ita ut aut culpam adjungat, aut gratiam, subdit : *Quid in alios derivamus? Voluntarium sibi militem legit Christus, voluntarium servum sibi diabolus auctionatur.* Nec denique S. Paulinus, cujus illa sunt in epistola 2 ad Severum : *Quæ nobis gratia, si in alieno tantum fideles fuerimus, nisi de proprio serviamus, id est, de libero voluntatis arbitrio, ex toto corde nostro, et ex totis animæ nostræ viribus diligentes Deum? In quem nos affectum lacessit propheta qui dicit, Voluntarie sacrificabo tibi? Hoc enim acceptum et placitum coram Deo, ut bonum nostrum sit voluntarium.* Sane omne obsequium nostrum Deo exhibitum esse debere voluntarium, notio ipsa obsequii fert, etiamsi divina prævention supernaturale obsequium exigatur. Immo quia prævention illa ad voluntarium obsequium sollicitat, scite Isidor. Pelus., l. IV, epist. 51, tractans illud : *Iis qui secundum propositum vocati sunt*, ait vocationem *non esse violentam et coactam, sed voluntariam ac spontaneam;* ab effectu eam consequente, sive a proposito nostro voluntario, de quo verba illa Apostoli accipit, denominans eam *voluntariam.* Tantum abest ut humano consensui et obsequio negaturus esset rationem *voluntarii.*

6. Æque facile purgatur vox *officii;* quam tametsi in ecclesiasticis libris non tam usitatam, ut loquitur S. Augustinus epist. 19, et ab ethnicis usurpatam ad designandum naturale decus actionum intra naturæ fines honestarum, tamen S. Ambros. I Offic. c. 8, docet *non esse tantummodo philosophorum scholæ aptam,* sed Christiano quoque sensu usurpari posse, sive officium ab efficiendo dictum velimus, quasi *efficium,* una littera propter sermonis decorem immutata; sive ab eo quod ea agantur quæ nulli officiant, prosint omnibus. Utravis enim officii notatio et significatio ut probetur, monet æque eam vocem in Christianos et supernaturales actus honestos, ac in naturales cadere. Et idcirco idem S. Pater, lib. IV in Lucam, ad illa verba capitis quarti : *Nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus,* vocem officii intrepide adhibuit agens de obsequio supernaturali. *Evidenter,* inquit, *hic sermo nos Domini salutaris informat, et ad studium venerandæ divinitatis hortatur, quod nemo sanatus ostenditur, et maculosi morbo corporis absolutus, nisi qui religioso officio studuit sanitati; non enim dormientibus divina beneficia, sed observantibus deferuntur.* Neque vero quia Cassianus et Faustus voces *voluntarii officii* usurpaverunt, damnandæ confestim sunt tamquam reprobæ et Semipelagianismo gravidæ. *Non enim omnia quæ hæretici dicunt, figmenta sunt aut recusanda,* ait S. Cyrillus epist. 30, annuentibus Origene, homil. 9 in Num., et Hieronymo epist. 75 et 152.

7. Calumnia quæ alteri ejusdem homiliæ loco inædificabatur, non minus facile dispellitur. Quod enim ait Valerianus, quando *alios commendant virtutum merita, curandum esse ut nobis locum gratiæ faciant voluntariæ servitutis officia*, non eo pertinet quo detorquebatur. Sensus enim est : quando martyrii laurea, de qua agebat, non semper in promptu est (nec erat sane quo tempore has homilias habebat Valerianus in altissima tunc pace Ecclesiæ), enitendum esse ut voluntaria servitus suppleat quod supplicium extrinsecus irrogatum et patienter exceptum præstare posset, si inferretur, pateatque ea ratione aditus ad gratiam Dei. Quod perinde est ac si dicatur : satagendum esse ut per bona opera accessio fiat ad gratiam sanctificantem anterius partam, juxta illud S. Ambrosii serm. 14 in psalm. CXVIII, 4 : *Voluntarium organum uberiore spiritus sui gratia Christus implevit.* Vel ut per bona opera de sancti Spiritus inspiratione concepta, contritionem, inquam, perfectam, et amorem exquisitum, divinam gratiam sanctificantem advocemus, depulso peccato quo forte prius sordebat anima.

8. Homilia 7 notabatur locus quo divina virtus dicitur perfectionem justis laboribus præstare, et subministrare bonæ voluntati quæcumque sunt optima. Quod tantum abest ut notari debuerit, ut potius admodum pie et catholice a Valeriano dictum sit, ad humanum fastum (ut fert Valeriani eo loco institutum, et proxime antecedentia decent) deprimendum, agnoscendamque Dei in nos beneficentiam, a quo est omne donum perfectum et datum optimum, juxta Apostoli sententiam ad quam Valerianus aperte alludit. Itaque quod ait, perfectionem præstari a Deo laboribus justis, sensus non est hominem solum inchoare, Deum vero perficere; sed sensus est, ipsam totam perfectionem et dignitatem operum justorum ex Deo manare, eique decus justorum operum illibate esse ascribendum. Conformiter ad S. Macarium, cujus sunt illa plane insignia homil. 26 : *Oportet hominem dedita opera et consulto excolere terram cordis sui, et elaborare. Requirit enim Deus laborem, fatigationem, ac operationem ab homine. Verum nisi supernitus apparuerint nubes cœlestes ac pluviæ gratiæ, nihil proderit agricolæ labor. Hoc autem est indicium Christiani cultus, quantocumque quis labores sustineat, et quantascumque justitias peregerit, ac si nihil effecisset, ita se gerere,* omnia scilicet bene per nos ac juste facta ascribendo gratiæ. Nec dissimiliter S. Leo serm. 2. de Epiph. cap. 3, verbis illis : *De cordibus nostris quæ Deo sunt digna promamus. Quamvis enim omnium bonorum sit ipse largitor, etiam nostræ tamen fructum quærit industriæ. Non enim dormientibus provenit regnum cœlorum, sed in mandatis Dei laborantibus atque vigilantibus, ut si dona illius irrita non fecerimus, per*

ea quæ dedit, mereamur accipere quod promisit. Similia habet serm. 5 de Epiph. c. 3. Quod item ait Valerianus, subministrari bonæ voluntati quæcumque sunt optima, non est trahendum ad suppeditationem auxiliorum gratiæ ob præviam volitionem **58** naturaliter bonam, quod esset aperte contra scopum Valeriani, nec humanum tumorem comprimeret, sed augeret : accipiendum itaque est de ea, quam dixi, subministratione cujusvis dati optimi, facta a Deo voluntati ex se egentissimæ, nec umquam ad supernaturalia assurrecturæ, nisi erigeretur et præveniretur divinitus.

9. Ex homilia 9 arguebatur locus quo dicitur Dominum dignum occurrere ad petitionem nostram. At hæc est admodum insulsa criminatio, et quæ æque in Isaiam, ipsumque Spiritum sanctum posset cadere. Tractat enim ibi Valerianus illud Isaiæ : *Tunc invocabis, et Dominus exaudiet; clamabis, et dicet: Ecce adsum.* Inde vero infert ineffabilem esse Dei dignationem, qui ad clamorem nostrum ac petitionem dignetur occurrere, seque paratum ad opitulandum præstare, quod ipsum propheta eo loco, immo per prophetam Spiritus sanctus profitetur. Posset sane non suspectus modo, sed etiam compertus erroris eo loco haberi Valerianus, si clamorem illum ex meris naturæ viribus conceptum diceret, aut si petitionem cui Dominus occurrit ex naturæ nudo vigore profectam vellet, qui esset error gratiæ humanæ invocationi subjuncta in concilio II Arausicano confessus. Sed hujus perversi sensus non alia apud Valerianum indicia exstant, quam apud prophetam cujus verba adhibuit.

Concinunt plane alii Patres, ut S. Chrysostomus homil. 27 in Genes., tractans similem ejusdem prophetæ locum ex c. 65 : *Adhuc loquente te, dicam, Ecce adsum.* Hortatus enim ad innitendum divinæ gratiæ, et summam Dei in nos beneficentiam exaggerans quæ non, ut inter homines assolet, primum obsequia exigat, tum beneficia sua elargiatur : sed prius benefaciat, et prioribus beneficiis excitet nos ad exhibenda sancta obsequia, subjungit ad consequendam sanctitatem et remissionem peccatorum, non esse plurimo tempore opus; quod latronis exemplo confirmat, qui ne hora quidem eguit ad plenam emundationem. *Tanta est Dei erga nos misericordia. Nam ubi viderit voluntatis nostræ propositum firmum, et ferventi nos desiderio ad se accedere, non retardat, neque differt, sed accelerat, suamque solitam liberalitatem exhibens, dicit : Adhuc loquere, et dicam : Ecce adsum.* Id quod late confirmat exemplo servi illius qui rogatus rationem reddere, cum non esset solvendo, supplex domino factus, immensæ summæ remissionem exoravit, ac etiam supra quam petebat obtinuit.

Similia illa apud Ambrosium in calce sermonis 47 : *Multi diabolici fluctus sunt in hoc mundo, tentationum multa naufragia, a quibus ita liberari possumus, si clamantibus manum suam Salvator extenderit. Nos ergo clamare ad Dominum non cessemus, ille auxilium solitum non negabit.* Durius item lib. 3 de Virgin. *Didicisti*, inquit, *ubi Christum requiras, disce etiam quemadmodum possis mereri ut ille te quærat. Excitat Spiritum sanctum dicens : Exsurge, Aquilo, et veni, Auster : aspira hortum meum, et perfluant aromata mea. Descendat frater meus in hortum suum, et manducet fructum pomiferarum suarum. Hortus Verbi animæ vernantis affectus est, et in pomiferis virtutis est fructus. Veni ergo; et sive manduces, sive bibas, si Christum invocas, adest dicens : Venite, manducate panes meos, et bibite vinum meum; sive etiam dormias, pulsat ad januam.* Extrema hæc verba aperte ferunt præventionem divinam gratuitam, qua Deus ipse homines, necdum aperientes cordis ostium, sollicitat et illicit ad bonum. Et tamen in anterioribus verbis docet S. Ambrosius, peccatorem invocando mereri ut Deus illum quærat, item excitare Spiritum sanctum. Quæ si crude acciperentur, non modo cum veritate catholica toties alibi per S. Ambrosium tradita non cohærerent, sed neque cum extremis illis verbis quibus Deus pulsare ad januam cordis, hoc est prævenire hominem et præmovere ad bonum dicitur. Itaque restat ut S. Ambrosius dicatur tribuisse homini invocanti meritum ut a Deo quæratur, et excitet Spiritum sanctum; non agendo de invocatione humana qua primum gratiæ auxilium comparetur, sed agendo de invocatione facta ex anterioribus gratiæ auxiliis ad promerendam ulteriorem et uberiorem. Quo ipso modo accipi longe molliora Valeriani verba quæ nunc purgamus, est longe æquissimum.

Denique concinit S. Macarius cum alibi variis locis, nominatimque hom. 16 et 23, tum luculenter homil. 46, ubi longe etiam durius loquitur quam prædicti omnes, quamvis multus, immo plurimus variis locis sit in assertione gratiæ prævenientis, ut infra monstrabo. Locum ascribo, ut qui in Valeriani oculo festucam vident, hanc primum trabem ejiciant ex S. Macarii oculo. *Quemadmodum si quis morbo aut febri detineatur, licet in cubile corpus projectum sit, non valens perficere opus aliquod terrenum, non tamen quiescit animus, sed distractus et curans quæ superagenda, medicum requirit, missis ad eum amicis suis; eodem quoque modo anima post transgressionem mandati, in infirmitatem affectionum redacta, et languidior reddita, ubi accesserit ad Dominum, et crediderit, auxilium ab eo consequitur et abnegata priori pessima vita, licet antiqua ægritudine decumbat, et nequeat opera vitæ vere peragere; nihilominus curare quæ ad vitam pertinent, sedulo deprecari Dominum, et inquirere verum Medicum, et habet et potest. Et non, ut aiunt quidam perversa doctrina seducti, prorsus mortuus est homo, ut omnino non possit quidquam boni peragere. Etenim infans, licet nihil possit perficere, aut propriis pedibus accedere ad matrem nequeat, nihilominus volvitur, clamat, et plorat inquirens matrem, erga quem summa afficitur misericordia mater, et gaudet de infante quærente eam cum labore et clamore. Et cum non possit infans ad eam pervenire, nihilominus ob multam pueri inquisitionem ipsa mater abit ad illum, amore pueri capta, et amplectitur, circumfovet, atque alimentum profert summa cum dilectione. Hoc ipsum benignus quoque Deus facit in anima ad eum accedente, et ejus desiderio detenta.*

Sive de languore et ægritudine animæ ex casu primi parentis, sive de ægritudine et languore ex propria anteriori culpa loquatur S. Macarius, perinde est. Statuit enim animam in utrovis illorum statuum, clamare posse, et inquirere medicum, et id negantes perversa doctrina imbutos vocat : quia scilicet agit de anima clamante et inquirente, præmissa cœlesti præventione et sollicitatione, quamvis eam hic non exprimat. Adhibet porro, ut vides, illud ipsum ægri exemplum, quo postea usi sunt Semipelagiani ad declarandum suum errorem, ut ex Hilarii epistola ad Augustinum discimus. Propterea que dixi durius **59** aliis jam memoratis loqui S. Macarium, quamvis ei benigna interpretatio non negetur, quæ proinde neque aliis mitius locutis, ac inter eos Valeriano, neganda est.

10. Homilia 11 maxime morbosa visa est. Duo in ea notabantur loca. Prior quo dicitur : *Deum numquam deserere voluntatem religionis studio florentem, nec deesse solatia Divinitatis, ubi sunt actus bonæ conversationis.* Hic tamen locus usquequaque sanus est. Voluntatem enim religionis studio florentem a Deo deseri, quis nisi impius, et divinæ benignitatis prorsus rudis effutiat? Cui vero ignotum illud a Trident. sess. 6, cap. 11, traditum post D. August. lib de Nat. et Grat. cap. 26, ac Prosperum ad 7 et 13 objectionem Vicentianam, et lib. II de Vocat. c. 12, et ad 7 capit. Gallorum : *Deus neminem deserit, nisi prius ipse deseratur?* At non deserit Deum voluntas religionis studio florens. Itaque quam ei gratiam contulerat Deus, ut religionis studium conciperet, eoque floreret, eamdem lubens volens prorogat, cœlestiaque auxilia et solatia bonis actibus ex divina largitate procreandis intentio homini deesse non sinit. Prior ergo ille locus facilem, ut dixi, explicatum habet, vel po-

tius otiose opponebatur. De posteriore quia putatur desperandus, seorsim pronuntiandum est.

CAPUT VII.

Catholice omnino a Valeriano dictum esse, nostrum esse velle, Dei autem perficere, multipliciter ostenditur.

1. Tota adversus Valerianum belli moles, in posteriorem locum ex homil. 11 notatum incumbit, cum diserte tradat eo loco Valerianus, *nostrum esse bonum velle, Dei vero perficere; et boni operis voluntatem ex nobis debere descendere, perfectionem vero in Dei potestate pendere. Et habere quidem hominem gratiam laboris sui, sed Domino debere fructum laboris impleti.* Quod videtur esse ipsissimum virus Semipelagianum quo homo ita Deum admittit in subsequentibus cooperarium, ut tamen quod D. Augustinus lib. de Prædest. SS. cap. 2, egregie notavit, primas sibi partes in salutis suæ negotio vindicet, Deo secundas tantum concedat, et *quasi componat cum Deo, ut partem sibi vindicet, atque illi partem relinquat. Et quod est elatius, primam tollit ipse, sequentem dat illi, et in eo quod dicit esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum.* Tantum tamen abest, ut hic locus desperandus sit, ut potius commodissime, nec uno modo ostendere liceat nihil in eo affirmari cum sana doctrina minus consentiens.

Idque videtur agnovisse Ecclesia Lugdunensis libro contra Joannem Scotum, circa propositionem ejus quartam, in ipso fine. Post longam enim rejectionem propositionis illius, *nostrum est inchoare, Dei per gratiam perficere*, subdit Lugdunensis Ecclesia : *Si istius verba alium sensum habent, ostendit ipse qui scripsit.* Quæ verba aperte innuunt, præter sensum aperte hæreticum, qui verbis illis in extima crusta spectatis subesse potest, alium adinveniri posse catholicum et labis expertem. Eum nos (quidquid sit de Joanne Scoto, qui gratiam prævenientem inficiatus videri potest) circa Valerianum affinibus licet verbis usum, exhibere conabimur, nec difficile (ut spero) exhibebimus, et quidem multiplicem.

Et in primis spectandum est Valeriani institutum, et sententiæ quæ in invidiam vocatur cohæsio ac textura cum antecedentibus et consequentibus. Valet enim universe quod præclare circa Scripturæ loca annotatum est a D. Chrysostomo hom. in illud Jerem. : *Scio, Domine, quia non est hominis via ejus.* Nempe nullam esse periculosiorem, aut magis præposteram loci alicujus interpretationem, quam quæ datur uni alicujus loco, a corpore tractationis cui commissus erat avulso, neglecta antecedentium et consequentium cohæsione et ἀκολουθείᾳ scopoque auctoris. Scopus ergo Valeriani eo loco erat infigere, *stultitiæ*, ut ait, *genus esse, ut cum alii debeas vitæ beneficium, tibi ascribas ornamenta virtutum.* Cum, inquam, agnoscas te a Deo habere quod sis secundum naturam, inficieris tamen te ab eodem habere ut tibi bene sit supra naturam, et quoad virtutes infusas, aliaque supernaturalia animæ decora. Hoc ita confirmat Valerianus, ut tamen negatum nolit ornamenta religiosæ vitæ vigilantiæ studio comparari; nosque ad eam animæ exornationem et mundum supernaturalem aliquid conferre : nimirum assensum liberum quo admonenti Deo annuimus, cum in potestate nostra situm esset refragari, et divinam sollicitationem ac motionem nos prævenientem abjicere, ut Tridentinum diserte tradit sess. 6, cap. 4. Ne vero inde animus humanus intumescat, addit Valerianus, neque ex assensu illo et volitione boni adhibita per voluntatem, præberi vanæ gloriationis occasionem, cum ea studii nostri exhibitio etiamsi per gratiam exprompta, ac de voluntatis silice velut excusa, imprimis Dei auxilio eguerit ut excuderetur. Deinde jam excusa tota non sit et periclitetur, nisi divinitus firmetur, muniaturque adversus supervenientes difficultates, quæ plurimæ semper et graves impendent in supernaturalium operum exercitio.

2. Primum illud humilitatis motivum a Valeriano propositum, ex eo quod consensus non fuerit per nos exhibitus, nisi per gratiæ auxilium et prævenians et coadjuvans, continetur verbis illis quæ in invidiam a criminatore vocantur, cum tamen sint catholicissima et usquequaque sana. *Nec nos negare possumus ornamenta religiosæ vitæ vigilantiæ studio comparari. Sed ibi Deus est, ubi integræ religionis est animus, ita Apostolo dicente : Exemplum ejus quæritis, qui in me loquitur Christus?* Hæc in invidiam vocantur, et morbosa a criminatore censentur, qui putat sensum esse, studium humanæ vigilantiæ, excluso Dei auxilio, parare ornamenta religiosæ vitæ, eo quod Deus adveniat quo eum vocat animi religio integra, et naturæ viribus concepta. Sed hic sensus est aperte contra scopum Valeriani, et pugnat cum ratione ex loco Apostoli proxime adducto petita.

Germanus itaque Valeriani sensus est ex immediate **60** præmissis repetendus. Dixerat, stultitiæ genus esse prima sua initia naturalia Deo ascribere, non item supernaturalia. Inde tacite occurrens objectioni quæ proferri a superbo poterat, ex eo quod ornamenta virtutum comparentur hominis studio, subdit se quidem negare non posse quin humanum studium conferat ad ea ornamenta comparanda; sed hoc studium non esse a nobis, sed a Deo præveniente et cooperante. *Ubi enim est integræ religionis animus, ibi Deus est;* non consequenter, sed antecedenter. Quasi diceret : Vere, quisquis es qui id tacite tractas, vigili studio aliquid fecisti, sed cujus ope? et unde illud studium? An non a Deo, ut de suo in bonum animarum studio pronuntiavit Apostolus, cum dixit : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* Itaque vigilantia quidem laudanda est, commendandusque conatus ad boni operis exercitium expromptus; sed nisi antecessisset divina prævention, conatus ille ac nisus voluntatis, non modo languidus plane et cassus fuisset, sed prorsus nullus. Hunc ipsum sensum de hominis vigilantia ac justificatione produnt illa Augustini serm. 15, de Verb. Apost. c. 11 : *Justificationem et habeamus in quantum habemus, et augeamus in quantum minores sumus, et perficiamus*, etc. *Sed totum ex Deo, non tamen quasi dormientes, non quasi ut non conemur, non quasi ut non velimus. Sine voluntate tua, non erit in te justitia Dei. Voluntas quidem non est nisi tua; justitia non est nisi Dei. Esse potest justitia Dei sine voluntate tua; sed in te esse non potest, nisi per voluntatem tuam.* Et mox : *Sine te fecit te Deus; non enim adhibuisti aliquem consensum ut te faceret Deus. Quomodo consentiebas, qui non eras? Qui ergo fecit te sine te, non te justificat sine te. Ergo fecit nescientem, justificat volentem.* Satis de primo humilitatis motivo per Valerianum proposito.

Addit etiam secundum jam tactum humilitatis motivum, ad deprimendum tumorem, ex ea studii humani libera collatione in comparationem ornamentorum animæ. Nempe quod præter divinum auxilium prævenians atque cooperans, egemus divino auxilio subsequente, quo firmemur et muniamur in bono ex divina inspiratione concepto. *Satis ibi vacillat humanum studium, ubi non requiritur Dei auxilium. Nam non dubie periclitatur fides, si non muniatur patrocinio divinitatis. Nostrum est igitur bonum velle, Christi vero perficere. Nam ita Apostolus loquitur : Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Denuntiat Valerianus nos nobis non sufficere, ne ad bonum quidem aspirante Deo jam conceptum, eo quod facile ob infirmitatem simus vacillaturi, in tantis fluctibus et turbinibus, tantaque nostra imbecillitate. Itaque requirendum sive implorandum humillime esse Dei auxilium subsequens ac muniens in tot discriminibus. Quod sane ad cohibendam inflationem ex bono opere, et collato libere assensu voluntatis divinitus sollicitatæ est appositissimum, cum inde liqueat nos quidem jam prævent os tantulum quid contulisse, consensum scilicet liberum quo Deo vocanti adhæsimus; tamen nisi Deus beneficia anteriora prævention is et cooperationis novo ac speciali subsequentis gratiæ et perseve-

rantis beneficio cumulet, cassum fore laborem nostrum et minime diuturnum. In quem sensum illud Apostoli accipit : *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.*

3. Quo ipso modo eumdem locum accepit Prosper lib. contra Collat. cap. 8. *Cum donatum*, inquit, *nobis fuerit bonum velle, non statim invenimus et facere, nisi quærentibus, petentibus, atque pulsantibus, qui dedit desiderium, præstet effectum. Vox namque ista dicentis : Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio, vocati est, sub gratia constituti, qui condelectatur quidem legi Dei secundum interiorem hominem; sed videt aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, et captivantem se in lege peccati. Et quamvis acceperit scientiam recte volendi, virtutem tamen in se non invenit eorum quæ optat operandi, donec pro bona voluntate quam sumpsit mereatur invenire quid faciat.* Eodem modo illum Apostoli locum accepit S. Gregor. XXIX Moral. cap. 25, tractans illud: *De cujus utero egressa est glacies, et gelu de cœlo qui genuit.* Ostendit enim plerosque post sancta desideria turbari in exsecutione, nec posse concepta virtutum semina in fruges operum promovere, eo quod intervenientibus tentationibus reverberentur, ne de proposito bono divinitus indito extollantur, immemores inanitatis suæ et egestatis : idque censet voluisse Apostolum eo quem dixi loco. *Quid aliud*, inquit, *quam de Dei vero utero glacies producitur, quando de interno secreto dispensatio egreditur, et voluntates nostræ, etiam in bonis desideriis frenantur? Videamus paulo (infusa videlicet terra) quanta disciplinæ glacie premantur, dum ait : Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Qui enim velle habere se asserit, jam per infusionem gratiæ quæ in se lateant semina ostendit. Sed dum perficere bonum non invenit, profecto indicat quanta illum dispensationis supernæ glacies premat.* In eumdem sensum interpretatus est Apostolum S. Thomas Rom VII, lect. 7, improbata illa ejusdem loci interpretatione quam refert, ut eam etiam minus probavit D. Augustinus I Retract. 25.

4. Ad eum ergo modum, locum Apostoli usurpavit Valerianus, eoque sensu cum Apostolo loquens dixit, *nostrum esse velle, Dei autem perficere.* Id est consensum quidem per nos præstari Deo vocanti (consensum enim, prævenienti et divinitus adjuti, contribuimus de nostro), ut tamen consensus ille sollicitanti Deo præstitus, irritus non sit, nec in auras abeat, vel etiam ante exsecutionem concepti desiderii evanescat; necessarium insuper esse ut divina protectione, jugique subsequentis auxilii munimine firmetur. Quod item ferunt illa alia verba sub homiliæ finem : *Habet quidem servus gratiam laboris sui, sed domino debet fructum operis impleti.* Itaque nulla hic in Valeriano labes se prodit, sed nitela et puritas undecumque.

5. Id ut distinctius appareat, quandoquidem hic est potentissimus adversarii aries, quo dejecto reliqua pessum ibunt, secernenda sunt duo in præsenti Valeriani sententia. Primum quod dicat *nostrum esse velle*, id est in salutis negotio hominis partes esse Deo prævenienti assensum præstare; alterum quod dicat, *Dei esse perficere*, et difficultates supervenientes dispellere. De hoc secundo, negotium Valeriano non facessitur : quia rata est inter omnes **61** subsequentis gratiæ et Dei confirmantis quæ operatus est in nobis, non utilitas tantum, sed etiam necessitas. Idque ut cætera nunc extra locum taceam, perbelle expressit S. Ephrem, laudum gratiæ frequens buccinator, tract. de Fuga pravarum consuetudinum, qui habetur tom. I. *Audiamus*, inquit, *ipsum Apostolum dicentem : Cum metu et tremore vestram salutem operemini. Et neque si quis adhuc juvenis sit hoc parvi pendat, neque senes negligat. Utriusque enim incertus est finis. Contemplemur ergo agricolas. Hi enim terram adæquantes seminant; et virescentibus terris, solerter eas servant, volucres et quadrupedia inde arcentes, ne dum adhuc semen est tenerum ac molle, a talibus evellatur et nullius bonæ fragis reddatur. Et quando jam ad messem excreverit, ne tunc quidem cura et sollicitudine vacant; sed anxii hærent, ne forte grandine fruges concutiantur, aut locustæ messem devorent, aut ventus æstuans fructum corrumpat. Unde et assidue vota Deo nuncupant, supplicibusque Deum votis interpellant, ut salvos et innocuos ipsis Dominus suos fructus concedere dignetur. Tunc vero fructus in sua recondentes horrea, magno cum gaudio festum celebrant. Sic quoque et eos qui spiritualem vitam aggrediuntur, vigilare et sobrios esse, ac divini verbi semen custodire oportet*, etc. Non poterat familiarius necessitatem divini auxilii perficientis quod aspirante Deo cœptum est, declarare. Proptereaque passim alii Patres ad exponendum salutis negotium, eam comparationem usurpant, et cor nostrum agro ac solo, gratiam cœlesti semini ac divinis nubibus, Scripturas ligoni, ardorem sancti Spiritus stercorationi, studium nostrum culturæ per agricolam impensæ, denique curæ ad messem usque et illationem frugum in horreum divinam gratiam subsequentem componunt. Videsis nominatim eumdem Ephremum in decade capitum de virtute, cap. 10; Macarium, homil. 26, interrogat. ult. et penult.; Paulinum optime epist. 30, sive 2, ad Aprum et Amandam, et epist. 55, sub finem; Prudentium lib. III contra Symmachum, sub finem. Prius autem illud dictum, seu quod *nostrum sit velle*, castum plane est in sensu quem Valeriano dedi : esse autem sensum illum vere germanum, declarato et prolato insigni loco ex homilia in illud Isaiæ : *Si volueritis et audieritis me*, etc., quæ Chrysostomo tribuitur, tametsi fortassis alium et quidem Latinum auctorem habeat. Ita loquitur in homiliæ initio : *Si velle aut nolle nostrum non esset, hoc est si vivendi recte, an secus, libertas adempta nobis fuisset, nec bonus umquam cœleste munus digne perciperet, nec malus supplicium competens inveniret, sed totum Deo deputaretur auctori.* Quæ fusius mox explicat, declarat eatenus dici *nostrum esse velle*, quatenus *liberæ quis voluntatis arbitrio præcepta aut implet aut contemnit : unde sibi quisque quod meretur instituit, nec potest aliud mereri quam velit; quippe cui legis propositus tenor sit, ex quo quid velit eligat, et quod nolit contemnat, ut judicio hominis Dei judicium celebretur; et qui libertatem concessam in obsequium dederit, muneretur; qui in contemptum duxerit, condemnetur.* Quod hic auctor tam explicate dicit, eatenus nostrum esse velle in negotio salutis, quatenus libere præstamus assensum, quem negaremus si liberet, omnino catholicum ac certum est, quia non idcirco excluditur gratia præveniens, sed potius non obscure insinuatur in voce *assensus*, quæ connotat antecedentium invitationem et sollicitationem, cum qua eumdem sensum et animum induit qui consentit.

Igitur omnino catholicus sensus subest propositis ex Valeriano verbis, quæ tantum fuerunt *nostrum esse velle*, id est, ut Auctor adductus sua hæc verba exposuit, nostrum esse consentire, et exsequi, vel etrectare divinum imperium. *In nobis namque manet*, ait Bernardus lib. de Inter. Domo cap. 68, *ad quærendam salutem, arbitrii libertas; sed admonente prius Deo et invitante ad salutem, ut vel eligamus, vel sequamur. Potestatis nostræ est divinæ inspirationi acquiescere, et quæ ad salutem nostram pertinent, eligere, et sequi; divini vero muneris est ut possimus adipisci quod sequendo cupimus consequi.* Verba sunt iis quæ apud Valerianum suspecta habebantur, plane gemina. Descripsit Bernardus locum ex c. 21 de Eccles. Dogmat. Gennadii (si tamen Gennadii, et non alicujus qui Gennadii librum ea additione interserit; cum ipse quidem Gennadius ex Cassiani et Fausti laudibus, Prosperi autem rejectione, non obscure se prodat Semipelagianum). Ut ut sit, probavit et descripsit eum locum Bernardus, itemque Rabanus lib. IV de Universo, cap. 10, et auctor libri de Spiritu et Anima cap. 48. Hanc primam interpretationem dicti, toto Valeriani opere in speciem difficillimi, existimo planam et commodissimam, maximeque cum anterioribus et tota homiliæ textura cohærentem; nec dubito

talem habendam ei qui animo in solam veritatem intento et docili ac non præoccupato, Valeriani mentem eo loco inquisierit.

6. Subjicio secundam interpretationem æque catholicam, juxta quam id unum voluit Valerianus, volitionem liberam qua Deo vocanti consensum præstamus, ita simul a nobis et a Deo esse, ut tamen prius ratione a nobis profundatur quam a Deo; et rationem cur Deus ad illam per nos libere formandam cooperarius accedat, ex eo petendam, quod nos bene utentes divina præventione, operari velimus, cum possemus adversus stimulum calcitrare. Et nihilominus totam supernaturalitatem sive perfectionem ordinis superioris quæ cernitur in illo libero consensu cui nostra determinatio et applicatio libera initium dedit, esse a Deo. Qua ratione, *perfectio*, non sonat consummationem rei jam inchoatæ, et eatenus imperfectæ, sed dignitatem et eminentiam ordinis superioris, quæ in actu est, secundum quam actus habet proportionem cum ulteriore gratia et gloria. Ut hæc responsio perspiciatur, duo sunt præmittenda.

7. In primis præmitto non debere mirum videri quod noster conversus in actum liberum, statuatur ratione anterior concursu divino ad eumdem actum, sive divina cooperatione nobiscum : neque enim hic sermo est de divina excitatione quam Deus in nobis absque libera nostra cooperatione et eatenus sine nobis producit, quæ excitatio perspicue antecedit consensum nostrum supernaturalem; sed sermo est de eo concursu quo Deus actionem liberam nobiscum cudit. Eam enim actionem, sive consensum liberum, ponere vel omittere, est in potestate voluntatis, divino anteriori rore respersæ, et divino adjutorio gratiaque adjuvante suffultæ. Deus autem pro ea magna reverentia qua creatam voluntatem disponit, quoad hoc eam non prævenit, ut sæpe loquitur sanctus Chrysostomus; id est, non adigit illam, neque vim infert, ut in hanc potius **62** partem quam in aliam flectatur, quod faceret præoperando, et ut ita dicam præagendo ac præcurrendo, sed voluntati gratia sua roboratæ, permittit delectum hujus vel oppositæ actionis, sive actionis et omissionis. Ratio autem cur ipse Deus se applicet ad concurrendum nobiscum, et coefficiendam hanc vel illam actionem, est quia videt determinationem nostram ferre ut hic et nunc non sit justitium in voluntate, sed exercitium alicujus actionis, itemque ut hæc specie, non alia, actio exerceatur, quomodocumque tandem videat id ferre determinationem nostram, quod explicare alterius est instituti. Hac ipsa ratione concursum divinum ad nostras operationes liberas subsequi ratione determinationem nostram, late alibi expositum est, recteque tradunt Scotus in 4, d. 1, q. 1, littera Ss., et in 2, d. 37, quæst. unica, litt. V; Ocham in 1, d. 42, q. unica, litt. F.; Gregor. in 2, dist. 34, q. 1, art. 3, ad 8; Gabr. in 2 dist., q. 2, litt. F. et M.; Capreol. in 4, dist. 12, quæst. unica, ad 1; Scoti contra 2; Major in 2, dist. 37, dub. ultimo; Almain. tract. 2 Moral. cap. 10, in fine; Ruardus, artic. 7, propos. 10, sub finem; aliique adducti cum de divino concursu, et libertatis humanæ cohæsione cum divinis decretis, et primæ causæ cooperatione nobiscum. Et specialiter in supernaturali cooperatione, idem non obscure colligitur, ex eo quod Deus nostrum se adjutorem et cooperatorem profitetur. At qui adjuvatur, quatenus adjuvatur, prius saltem ratione supponitur se accinxisse ad operandum, idemque est de eo cui Deus cooperatur, juxta illud D. Augustini serm. 15 de Verbis Apostol.: *Si non esses operator, ille non esset cooperator.* Tametsi, quæst. 15 in Deuteron., rationem habens gratiæ prævenientis, ait Deum operari, hominem vero cooperari.

8. Præmitto, præterea, *perfectionem* posse duobus modis usurpari. Nempe primo prout connotat anteriorem imperfectionem, quæ adjectione vel appositione aliqua consummetur. Qua ratione parvulus cum crescit, adeptione novæ molis supra anteriorem dicitur perfici; et gratia habitualis quoties novo aliquo auctario cumulatur, perfici dicitur. Hoc sensu, D. Thomas 1 p., q. 4, art. 1, ad 2, ait Deum spectata vocis notione non posse dici *perfectum*. Sumitur deinde *perfectio* secundo, prout denotat nobilitatem et dignitatem rei quæ perfecta affirmatur. Quo pacto minimus gradus gratiæ dicitur esse maximæ perfectionis præ bonis omnibus naturalibus. Et hoc modo Deus, cui nihil accedere aut decedere potest, dicitur *perfectus*, quamvis nulla in eo præjacuerit inchoatio boni, quæ superventu alterius complenda et consummanda sit. Hoc item sensu S. Jacobus dixit omne donum perfectum desursum esse. Neque enim mens Apostoli erat, ea tantum dona cœlitus dimitti, quibus nulla ulterius fieri debeat accessio : qua ratione omnis gratia quam hic adipiscimur, quamdiu crescere licet, expungenda esset ex albo donorum perfectorum descendentium a Patre luminum. Mens ergo Apostoli erat, omne donum ordinis superioris a Deo gratiæ auctore proficisci, in quibus donis magna omnino perfectio, id est dignitas entitativa atque nobilitas elucet.

9. His ita præmissis, perspicua secunda illa Valeriani interpretatio quam proponebam. Cum enim ait in negotio salutis *nostrum esse velle, Dei vero perficere*, quasi eo ordine formetur consensus liber ut primum nos velimus, Deus vero perfectionem apponat, sensus esse potest : in consensu libero qui a voluntate divinitus præventa et adjuta profunditur, duo esse; nempe et quod sit consensus liber, et quod sit talis perfectionis ac dignitatis, habeatque proportionem cum gratia sanctificante, ad quam per eum consensum fit progressio; ac etiam cum gloria quæ est meta totius supernaturalis progressus. Quod ergo ille consensus liber ponatur in rerum natura, habet et a nostra voluntate divinitus præventa per gratiam excitantem, et Deo nobiscum cooperante. Prius tamen ratione est quod nos velimus agere, quam quod Deus velit coagere. Nec Deus vult ad illum actum liberum nobiscum procreandum se applicare, nisi quia divinus intellectus qua est perspicacia, videt voluntatem in his circumstantiis operabundam : id est, eruptam in hunc illumve certæ speciei actum, si se sola posset in eum erumpere. Hoc ferunt verba illa, *nostrum esse velle*. Quod tamen consensus ille noster sit illius dignitatis ac perfectionis cujus revera est; hoc est quod sit supernaturalis, id habet a Deo gratiæ auctore, qui hunc actum principiat, cum ratione auxilii præinmissi et coadjuvantis, tum etiam ratione coefficientiæ et applicationis supernaturalis, qua divina potentia exsequens, humanæ voluntati supra connaturalem ejus exigentiam cooperatur. Hoc exprimunt verba illa : *Dei vero est perficere*. Sicut enim determinatio ad exercitium actus liberi tribuitur voluntati creatæ divinitus prævenæ, tamquam directæ et proximæ causæ talis exercitii in manu ejusdem divinitus fecundatæ constituti; ita supernaturaliter et perfectio ordinis superioris, ob quam iste consensus habet proportionem cum sanctitate et gloria hominis, respondet Deo ut causæ directæ ac proximæ. Non quod gradus quoque supernaturalitatis non sit conjunctim a voluntate simul et a Deo; sed quod si spectetur ratio et causa a qua habet quod sit supernaturalis, ea non sit alia quam Deus. Sicut intellectio supernaturalis, v. g. assensus fidei; quod sit objecti expressio, habet ab intellectu; quod sit talis expressio, habet a specie impressa determinante universalitatem et indifferentiam potentiæ; quamvis entitative tota intellectio et ab intellectu sit, et a specie impressa armante, ut Philosophus loquitur, ac determinante potentiam ad actum talis essentiæ, sive ad exhibitionem talis objecti.

Quare ut in pauca contraham hanc secundam Valeriani interpretationem : *Nostrum est velle*, id est quod operatio libera exerceatur, id a nobis divinitus prævenitis, tamquam a causa directa proficiscitur. Quod autem ea operatio, quæ ad nutum voluntatis divinitus prævenæ exercetur, habeat supernaturalem perfectionem, a Deo est, tamquam a causa directa.

10. Possumus hanc doctrinam Patrum auctoritate communire. Luculenter eam tradit S. Macarius homil. 37, diserte tradens a voluntate hominis esse ut opus supernaturale exerceatur, nec Deum in eo genere quidquam operari, nisi ad voluntatis præventæ exigentiam. Locum infra dabo cap. 9, num. 3.

Auctor Operis Imperfecti in Matth., homil. 32, expendens verba illa capitis XIX : *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est,* **63** hæc verba habet: *Quod dicit*, quibus datum est, *non hoc significat, quoniam quibusdam datur, quibusdam non datur ; sed illud ostendit quia nisi auxilium gratiæ acceperimus, nihil ex nobis valeamus. Quoniam autem volentibus gratia non denegatur, in Evangelio Dominus dicit : Petite et dabitur vobis ; quærite et invenietis; pulsate et aperietur vobis : omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. Debet autem voluntas præcedere, et sic sequitur gratia. Nam nec gratia sine voluntate aliquid operatur, nec voluntas sine gratia potest. Nam et terra non germinat nisi pluvias susceperit, nec pluvia fructificat sine terra.* Tradit diserte hic Auctor individuam gratiæ et voluntatis in edendo supernaturali opere societatem, quamvis necesse sit gratiam prævenientem, priusquam de facto opus illud coefficiat, antecedere, ac veluti rigare voluntatis ariditatem, ut in exemplo pluviæ ac terræ contingit. Itaque quod ait : *Debere voluntatem præcedere*, ne intra unam et alteram lineam admittatur manifesta repugnantia, ac ut ratio quæ subjicitur cohæreat, exponendum necessario est de antecessione illa rationis, qua ostendimus voluntatem et gratiam ita simul coefficere actum liberum, ut præmisso tactu voluntatis per gratiam prævenientem, quod ad coeffectionem de facto expromptam attinet, prius ratione agat voluntas libera : eo quod causa cur Deus ad illud opus cum voluntate coefficiendum se applicet, sit determinatio voluntatis conditionaliter prævisa. Atque ita locus ille auctoris Operis Imperfecti disertissime continet traditam Valeriani interpretationem.

Video excipi posse, opus illud mendosum esse, et fartum erroribus. Verum ea exceptio hoc loco non valet. Nam S. Bonav. lib. II Pharet. cap. 26, et S. Thom. in Catena, Matth. XIX verba proposita describentes, nihil in eis corruptum aut putens subolfecerunt. Constat quidem Arianos opus illud interpolasse, et admisto hæreseos suæ fermento vitiasse. At res de qua agimus nihil ad Arianam impietatem fecit.

11. Nec desunt affinia loca ex indubitatis et, ut ita dicam, azymis Chrysostomi operibus. Nam homil. 23, in Matth., Operis Perfecti, investigans causam mundationis Manassis, respondet id factum pœnitentiæ fletu et studio voluntatis, subditque : *Non est quippe, non est aliquod omnino peccatum quod non cedat pœnitentiæ virtuti, immo gratiæ Dei. Cum ad meliora convertimur, nobis continuo cooperator efficitur. Si enim bonus esse malueris, qui prohibeat nullus omnino est. Immo est quidem diabolus prohibens, sed profecto nihil poterit te eligente meliora; magis autem, hoc Deum tibi in adjutorium copulante.* Perperam Latina interpretatio habet *Deo copulante*, cum legendum sit *Deum copulante*, ut Græca ferunt et sensus exigit. *Quod si tu certe nolueris, retroque recesseris quinam ille te tutabitur? Non enim necessitate ac violentia, sed cum tua te vult voluntate salvare.* Subjicit in eam sententiam quamplurima quibus confirmat Deum quidem non velle nos violenter astringere : *Si tamen solam ad placendum ei ostenderimus voluntatem*, nullo modo nos destituturum, sed accessurum ad compugnandum, ut fert Græca vox, seque nobis poscentibus adjuncturum cooperarium et protectorem. *Utinam*, inquit post multa, *nos ita erga illum servaremus affectum, ut illius viscera nostra charitate flammentur. Sed tantummodo occasionem Deus istius ignis requirit, et si modicam scintillam ipse præbueris, ingentem omnino flammam beneficiorum in te ejus accendes.* Et mox præcludens vanum metum timentium Deo veluti obstrepere, negat metuendam esse in eo ad Deum accessu inurbanam importunitatem. *Sicut enim respirare importune omnino numquam est, ita etiam non quidem petere, sed non petere potius, importunum est. Sicut enim respirare, hoc jugiter indigemus, ita etiam eo quod a Deo præstatur auxilio. Quod si voluerimus, facile illum ad nos poterimus inflectere. Et hoc profecto declarans, atque ostendens, Deum promptum esse semper ad beneficia largienda dicebat;* sicut diluculum paratum inveniemus eum. *Quotiescumque enim venire et ad illum voluerimus accedere, exspectatas ab illo esse preces nostras continuo sentiemus.* Vides quam perspicue Chrysostomus præcessionem illam applicationis voluntatis divinitus præventæ exposcat, ut Deus illi adjungatur cooperarius in pugna cum Satana, et liberi consensus formatione, quam hostis noster intercipere satagit.

In eumdem sensum sumenda sunt illa ex homil. 15 ejusdem operis : *Si modo initium rei ipse præstiteris, habebis supra omnia opitulantem tibi pacis Deum, flammamque illam, primum ipso cooperante, discuties.* Et illa ex homil. 16 : *Facilem facit Deus esse virtutem cooperando nobis, nosque semper in bonis actibus adjuvando. Ubi enim volueris exiguum quid devotionis afferre, reliqua omnia celeriter subsequentur. Propterea enim vult et te aliquid laborare, ut tua quoque possit esse victoria.* Et denique illa ex lib. I de Compunct. Cordis, quæ male aliqui habent pro immedicabiliter ægris : *Non sola Dei gratia facit unumquemque perfectum. Requiritur enim ut et nos quod in proposito nostro et viribus nostris est expleamus. Idcirco venit quidem ad unumquemque gratia Dei, sed apud eos qui digne explent ea quæ mandata sunt, in ipsis permanet. Ab his vero qui minus digne agunt, cito discedit. Ad eos autem qui nec initium faciunt convertendi ad Dominum, omnino non venit. Rectas enim mentes diligit, et sine fuco propositum.* Sunt sane hæc immedicabilia, si sensus sit primum gratiæ auxilium non venire ad hominem, nisi is operatione honesta ex naturæ viribus elicita, naturali, inquam, conversione ad Deum, tamquam initio salutis ex parte sua posito, illam proliciat. At hic sensus est a Chrysostomo et a veritate alienissimus. Sensus igitur germanus est gratiam compugnantem et cooperantem, quæ efficit hominem perfectum, omnino non venire ad eos qui nec initium faciunt convertendi ad Dominum. Ut enim gratia cooperans et compugnans accedat, et nobiscum eliciat consensum quo dispositive ultimo perficimur, necesse est ut prius ratione faciamus conversionis initium. Idque abunde sufficit ad obstruendum os loquentium iniqua. Hæreticorum, inquam, adversus quos postremo illo loco obiter agit Chrysostomus, et ignavorum Christianorum, qui culpam non adeptæ perfectionis referebant in gratiam aliquos velut aspernantem, et ad eos non venientem. Hoc perperam obtendi ait Chrysostomus, quod gratia compugnans et perfectioni adipiscendæ coadjuvans, quantum est ex se, ad omnes veniat. Et his quidem qui ea uti assidue voluerint, prompta semper subserviat atque constanter. Utentibus vero primum, sed mox resilientibus, et aliorsum studia sua vertentibus, ipsa quoque desistat adesse, donec ipsi denuo illius coefficientiam exigant; eaque exigentia voluntatis operabundæ advocent divinam illam gratiam ad compugnandum et **64** cooperandum. Illis denique, qui inertes prorsus, ac otio marcentes, primum actum liberum conversionis ad Deum elicere renuerint, prorsus se neget : eo quod divina Sapientia ut tumori nostro simul et honori consuleret, ut sapientissime ponderat hic ipse S. P. homil. 83 in Matth., et 60 ad pop., in ipso initio, voluerit nec totum libertatis esse, ne superbiremus; nec totum gratiæ, ut virtus esset aliqua ex parte bonum nostrum, quatenus scilicet voluntas prævenita admisit libere et advocavit gratiam, prout actu cooperantem et coefficientem : quia voluntas prius ratione, præmisso cœlesti afflatu, determinavit se ad agendum.

12. Addo postremo loco insignem S. Bernardi locum, tract. de Gratia et Lib. Arbit., aliquantulum

principio, ubi late confirmat velle inesse nobis ex libero arbitrio, atque adeo nostrum esse velle, quamvis ut velimus bene in Christiana significatione, id non sit nostrum, sed gratiæ. *Velle*, inquit, *inest nobis ex libero arbitrio, non etiam posse quod volumus. Non dico velle bonum, aut velle malum, sed tantum velle. Velle enim bonum profectus est; velle malum, defectus. Velle vero simpliciter, ipsum est quod vel proficit vel deficit. Porro ipsum ut esset, creans gratia fecit; ut proficiat, salvans gratia facit; ut deficiat, ipsum se dejicit. Itaque liberum arbitrium nos facit volentes, gratia benevolos; ex ipso nobis est velle, ex ipsa bonum velle.* Declarat hæc multo pluribus, et inter alia accipit in hunc sensum illud Apostoli : *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*, docens Apostolum agnovisse, velle quidem sibi inesse ex libero arbitrio, tamen ut illud velle sit velle supernaturaliter bonum, id habere a gratia faciente Christiane benevolum, sive bene volentem in ordine ad salutem. Agnoscit ergo Bernardus *nostrum esse velle*, et quidem prius ratione, quam gratia cooperans assensum liberum nobiscum coefficiat. Nam ratione saltem, prius est velle quod nostrum est, quam bene velle quod est a gratia, Deoque ejus auctore, supra naturæ debitum operante.

Obsigno hanc secundam Valeriani interpretationem verbis Prosperi, l. de Vocat. Gent. cap. 26, alias 9, quibus doctrina hactenus proposita continetur et egregie illustratur: *Gratia Dei*, inquit, *in omnibus justificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, ei fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas hominis subjungitur ei atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis, ut divino in se cooperetur operi, et incipiat exercere ad meritum quod superno semine concepit ad studium; de sua habens mutabilitate si deficit, de gratiæ opitulatione si proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos, sive occultos, sive manifestos, omnibus adhibetur : et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitiæ; quod autem a multis suscipitur, et gratiæ est divinæ, et voluntatis humanæ.* Quod autem supposita excitatione hominis non libera, consensus liber gratiæ illi non liberæ subjunctus prius ratione sit ab homine, juxta Prosperum, quam a gratia, prout actu coefficiente, declarant quæ subdit in calce capitis : hoc in primis agere gratiam, *ut in eo quem vocat, primam sibi receptricem et famulam donorum suorum præparat voluntatem. Nam virtus nolentium nulla est.* Annititur, inquam, gratia præveniens, ut voluntatem exhibito consensu libero ad gratiæ cooperantis admissionem et dona ulteriora deducat; quod sine eo consensu reliquus progressus in salutis negotio plane intercludatur, ac proinde ratione primus sit post gratiam prævenientem. Non dissimilia petere licet ex Richardo Victorino, lib. III de Contempl. c. 16.

13. Subjicio tertiam Valeriani interpretationem catholicam, simulque duas hactenus traditas illustro ex Anselmo, seu potius Hervæo in c. I ad Philipp., ad illud, *Qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet.* Quem locum exponit hac ecphrasi : *Deprecor Deum pro vobis, confidens hoc ipsum de bonitate ejus, quia ipse qui per prævenientem gratiam cœpit in vobis opus bonum, per subsequentem et cooperantem perficiet illud, dans perseverantiam usque in diem Jesu Christi; id est usque ad extremum diem vitæ uniuscujusque, quando anima de corpore egrediens, præsentatur ante tribunal Christi judicanda. Cooperando in nobis, Deus perficit quod operando incipit, quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Nam ut velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur.* His verbis, et duæ jam propositæ Valeriani interpretationes continentur, et tertia subindicatur. Nunc prima quidem traditur, cum dicitur, Dei esse perficere quod ex ejus præventione bene voluimus; perficere, inquam, dando perseverantiam. Secunda vero, cum dicitur, Deum cum volumus, cooperari, atque adeo quia volumus, operando nobiscum in nobis actum quo summopere perficimur, quia est datum optimum et donum perfectum, superans omnia ex naturæ feracitate enasci apta. Tertiam eruo ex eo quod dicitur Deus cooperans perficere quod operando incipit. Ubi verbum *perficiendi* usurpandum est cum connotatione anterioris imperfectionis, expletæ et consummatæ per adjunctionem perfectionis supervenientis.

Quia ergo cooperatio divina, et noster liber consensus supernaturalis, si comparentur cum divina prævention, se habent ut imperfectum et perfectum, sive ut semen ac fructus, ut pulchre declarat S. Anselmus in Concor. II p. c. 16, idcirco quatenus Deus nos invitat et excitat ad bonum, recte dicitur opus ejus esse in nobis imperfectum. Hominis autem sic prævenit est volendo efficere, ut Deus quod se solo cœpit operando, perficiat cooperando. Nostrum enim est velle ac uti immisso divinitus gratiæ semine : quo ipso Deus agnita voluntatis determinatione, adjungit se illi, non jam excitatorem, sed cooperarium, perficitque quod inspirando cœperat, et terra nostra fructum suum non dante, imperfectum manebat. Descripsit verbatim Hervæus Augustinum lib. de Grat. et Lib. Arb. cap. 17, cui proinde hæc tertia Valeriani interpretatio innititur potius quam Hervæo. Et potest etiam fundari in illis Fulgentii verbis lib. de Prædest. et Grat. cap. 11, quibus docet Deum esse qui dicitur in nobis perficere quod vocatio inchoaverat, *quia ad nos pertinet conari bona, quæ et velle donavit; ostendens sine se non posse compleri, quod et vult ad conatus hominum pertinere.*

65 14. Quartam Valeriani interpretationem subnecto, conformem ei expositioni quam DD. plerique catholici tribuunt ei loco Apostoli quo Valerianus nititur, *velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Non pauci enim, nec ignobiles, ea verba accipiunt de velleitate peccatoris ex nuda natura operantis, quæ *illi adjacet*, id est, juxta eum languida et prostrata jacet, quasi infirma, nisi gratia accedat, et voluntati efficaciam ad perficiendum conferat. Aiunt ergo DD. prædicti Apostolum in se transfigurasse personam peccatoris gratiæ robore destituti atque gementis : quod naturaliter ad bonum suspiret, illudque inefficaciter velit sub ea ratione sub qua objicitur illi, et spiculo naturæ lumini et voluntati appetenti commensum est : sed illud velle langueat, et jaceat, nec valeat ad bonum Christianum assurgere, nisi gratia perficiens accedat, qua indebitus vigor voluntati immittatur, sicque bonum perducatur ad effectum. Quam interpretationem Apostoli eleganter persequitur Nicol. Gorram, Rom. VII. Dici ergo similiter potest, Valerianum in eo deprimere factum humanum, ac conari persuadere ut qui gloriatur in Domino glorietur, quod quamvis ex naturæ viribus habeamus imperfectam aliquam et inefficacem boni volitionem, et eatenus nostrum sit velle, tamen Dei solius sit perficere, id est, efficere in nobis aliquid sicut oportet. Nam illud siquidem velle quod ex nobis habemus, plane nihili ducendum est in negotio salutis, ac ne remote quidem disponit ad gratiam et justificationem. Divinum autem munus sive prima gratia excitans, ac deinde cooperans, perficit quod delineatum et utcumque inchoatum fuerat, per illam, naturalem et languidam boni volitionem. Non quod gratia et illa volitio pertineant ad eumdem ordinem; sed quod gratia habeat se ut formans ruditatem et potentialitatem illam naturalem, et eatenus dici possit perficere negotium salutis, quod imperfecta illa volitio non potuit consummare. Quo ipso sensu, gratia dicitur perficere naturam, quam sustollit ad ordinem diversum. Et S. Bernardus, sermone in Ramis Palmarum nuper addito, cujus initium est, *Redemptor noster*, fere in fine, ait bona naturæ inchoari ex gratia creatrice, augeri vero et perfici ex gratia salvatrice.

15. Facit ad rem præsentem distinctio quam proxime laudatus Gorram, II Cor. I, adhibuit, tractans

dubium circa illa verba ejusdem capitis : *Non sumus sufficientes*, etc. Opponit enim in contrarium Glossam Ezech. III, quæ ait initium bonæ voluntatis esse ex nobis, quod Glossæ dictum ita enodat : *Duplex est initium : quoddam naturale, scilicet inclinatio naturalis et actualis ab bonum, et hoc est ex nobis; quoddam formale, quod est pars boni operis, et hoc est a Deo.* Hoc posterius initium præ priori cui supervenit, vocat *formale*, tamquam perficiens et actuans potentialitatem prioris initii, quod *materiale* idcirco appellat. Hanc ipsam distinctionem et interpretationem facile est Valeriano accommodare, dicendo admitti ab eo volitionem naturalem ex nobis, tamquam materiale boni initium, quod nullo modo ad gratiam disponat, ac ne congrue quidem eam impetret; perfectionem tamen boni illius initii naturalis, quæ sola confert ad salutem, non homini, sed Deo auctori gratiæ assignari. Et multo sane crudius est dicere initium salutis esse ex nobis, perfectionem ex Deo, quod Glossa supra dixit, quam cum Valeriano dicere, nostrum esse velle, Dei vero perficere. Ergo quam interpretationem durioribus illis verbis damus, par est his mollioribus non negare.

16. Poterat quinta interpretatio addi, quæ insinuatur a S. Optato, lib. II contra Parmenianum, ubi ait nostrum esse velle et currere, Dei autem perficere, id est imperfectiones tollere, et homini in plerisque semper deficienti succurrere, quia ipse solus est perfectus, nos autem omnes semiperfecti sumus, quantumvis bene et sancte curramus. Verba Optati infra adducam, c. 9, ex quibus hæc interpretatio melius deprehendetur. Nec pauca etiam pro ea illustranda exstant apud S. Hieronymum lib. I contra Pelag., ubi late prosequitur, quamvis omnes velimus bonum plenum et justitiam apprehendere, proprium tamen esse Christi solius esse perfectum.

CAPUT VIII.

Valerianus modum loquendi Scripturarum æmulatus, atque adeo male notatus.

1. Satis superque, ut existimo, depulsa sunt quæ pro Semipelagiani nota Valeriano inurenda proferri vel suspiciosissimo poterant. Nunc ut nitela Valeriani magis prodatur, eo præsertim postremo loco qui maxime lubricus censebatur, juvat ostendere eum ipsum loquendi modum, qui in Valeriano offensionem criminatori movit, aliosque plane similes, in Scripturis receptos esse, ut proinde injuria notetur erroris, ob usurpatam locutionem quam Spiritus sanctus scriptori canonico suggessit, nisi aliunde constaret detorqueri ab eo germanum Scripturæ sensum, de more sectariorum omnium; quod in præsenti non habet locum, quandoquidem nihil Valeriano oppositum est quod commode depulsum atque enodatum non fuerit.

2. Militat ergo in primis pro Valeriano locus Apostoli Rom. VII, quem ipsemet allegavit : *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Hujus loci variæ interpretationes passim apud interpretes prostant : sed duæ quas ibi D. Thomas retulit sunt maxime accommodatæ. Alteram ita Apostolus accipit, ut sensus sit, volitionem boni, sicut oportet, esse liberam homini per gratiam adjuto, quamvis ulterior gratia exigatur ad perseverantiam a Deo exspectanda, qui idcirco perficere dicatur, quod nostra electio, tametsi per gratiam concepta, ad consummationem non perduceret, eo quod difficultas superveniret extrinsecus; et, ut illæ deessent, fastidium quod naturaliter obrepit ex jugi conflictu et nisu contra torrentem, disturbet plerumque consilia optima, et anterius voluntatis propositum frangat.

Expressit id egregie, usurpans hunc ipsum locum Apostoli, auctor Soliloquiorum perperam S. Augustino ascriptorum, cum sint **66** revera S. Anselmi, saltem maxima ex parte. Ita ergo loquitur c. 4 : *Domine, si vis potes me salvare, ego autem etsi vellem, non possem. Magna est multitudo miseriarum mearum A mecum; velle quippe mihi adjacet, perficere autem non invenio. Velle quod bonum est non possum, nisi tu velis; nec quod volo possum, nisi tua potentia me confortet : et quod possum aliquando nolo, nisi tua voluntas fiat sicut in cœlo et in terra. Et quod volo et possum, ignoro, nisi tua sapientia me illustret. Etsi etiam sciam quandoque volens, quandoque valens, imperfecta et vacua transit sapientia mea, nisi adjuvet vera sapientia tua.* Et mox : *Dicebam, Hoc faciam, illud perficiam; nec hoc, nec illud faciebam. Aderat voluntas, non facultas. Aderat facultas, non aderat voluntas; quoniam de meis viribus confidebam. Nunc autem confiteor tibi, Domine Deus meus, Pater cœli et terræ, quia non in fortitudine sua roborabitur vir, ut non glorietur ante te stulta præsumptio omnis carnis. Non est enim hominis velle quod possit, aut posse quod velit, vel scire quod velit et possit, sed potius arte gressus hominis diriguntur; illorum, inquam, non a se, sed a te, dirigi se confitentur.* Hæc et alia eo loco, quibus non modo infirmitas humana ad volendum bonum per nudas naturæ vires, sed etiam ad perseverandum cum gratiæ suppetiis, quæ ad volendum sufficerunt, perspicue exprimitur; alludendo ad propositum Apostoli locum, eo quem protuli sensu intellectum.

3. Posterior vero interpretatio eum locum ita accipit, ut sensus sit, volitionem boni naturalem a nobis esse; perfectionem autem boni, sive exsecutionem dispositionis illius qua perducendi sumus ad salutem, jam inde a prima volitione ad supernaturale bonum quomodolibet disponente ad verticem usque gloriæ adeptæ, esse a Deo iisque auxiliis quibus naturam ad hujusmodi bona ordinis superioris sustollit. Quæ interpretatio non caret fundamento aliquo in voce *perficiendi*, quæ in Scripturis, cum agitur de negotio salutis, idem sonat quod exsecutionem et operationem, ut notavit Adamus (vel potius ut ad Adami condiscipulum lego in præfatione ad librum Hesselii de facto Nectarii) Joannes Hesselius in c. II ad Philipp., ad illud : *Qui operatur*, ἐνεργῶν, *in nobis velle et perficere*, θέλειν καὶ ἐνεργεῖν, ubi verbum quod paulo ante interpres vulgatus vertit *operatur*, illico vertit *perficere*. Ut proinde idem sit juxta hanc interpretationem, ac si Apostolus dixisset eo loco quem versamus : Per naturam nudam et ex me habeo aliquam boni voluntatem prorsus inutilem ad salutem : ut autem bonum illud, ad quod intra inferiorem ordinem concipiendum et utcumque volendum ex me feror, exsequar de facto sicut ad salutem oportet, hoc non habeo nisi per gratiam.

4. Harum loci Apostoli interpretationum, prior mihi videtur aptior, eamque S. Thomas approbavit et Catharinus aliique recentiores; planeque videtur eam amplexus Valerianus, hunc Apostoli locum usurpans. Nihilominus ad Valeriani institutum perinde est utramvis Apostoli interpretationem amplectamur; et juxta utramvis Valerianus, qui locutionem Apostoli usurpavit, pronuntiandus est ab errore immunis. Propositum erat Valeriano ostendere hominem in salutis negotio debere tumorem ponere, et in Domino non in se gloriari, ad quod utervis ille sensus verborum Apostoli a Valeriano usurpatorum est accommodatissimus. Nam qui potest tumori esse reliquus locus, in tanta humanorum studiorum, quamvis recte et ex gratiæ auxilio initorum, vacillatione et fragilitate? Quæ item superbiæ materia illi suppetit, qui norit omnem fortitudinem suam esse favillam stupæ, et quidquid naturalibus suis viribus potest, nullius plane esse ad salutem momenti, atque adeo quidquid est in ordine gratiæ, a Deo esse? *Multum* sane *per omnem modum*, ait Richard. Victor. lib. III de Contempl. cap. 23, *animus tam ad dilectionem Dei, quam ad sui contemptum proficit, cum plane agnoscit quam per se nihil possit. Quam admiranda illius gratia, per quam ita operatur in nobis omnia opera nostra, ut sint tam sua quam nostra, dona sua et merita nostra.*

Urget insigniter hoc humilitatis incentivum S. Gre-

gor., XXII Moral. c. 10, tractans illud, *Si osculatus sum manum meam ore meo*, quod perinde esse ait, ac si dixisset Job : *Ego mea opera tamquam mea non profero, quia auctoris sui gratiam negare convincitur, quisquis sibi tribuit quod operatur.* Et idcirco præmiserat sanctos esse ab hujusmodi fastu alienissimos, quia probe norunt quid ex se, quid ex Deo habeant, et *quidquid in se boni inspiciunt, immortalis gratiæ cognoscunt donum; eique de accepto munere debitores fiunt, qui et præveniendo dedit eis bonum velle, quod noluerant, et subsequendo concessit bonum posse quod volunt. Unde bene per Joannem dicitur : Adoraverunt viventem in sæcula sæculorum, mittentes coronas suas ante thronum Domini, ut ad illum referant gloriam laudis, a quo se sciunt vires accepisse certaminis.* Idem infinities inculcat S. Augustinus; nominatimque lib. de Corrept. et Gratia c. 12, et in ps. LVIII, sub finem. Et hoc ipsum Apostolus verbis allegatis infigere voluit, nec aliud intendit aut dixit Valerianus. Proindeque quisquis ei negotium ex hac parte facessit, videat ne eodem ariete Apostolum appetat.

5. Geminum huic Scripturæ loco observat S. Thomas, Rom. VII lect., esse illum alium ex c. XVI Proverb. *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus.* Perinde enim esse censet D. Thomas dicere hominem viam suam disponere, et, ut paulo ante ibidem dicitur, præparare animam; ac dicere, hominis esse velle, Dei autem perficere. Sicut ergo locutio illa sapientis, *hominis est viam suam disponere, et animam suam præparare; Domini autem est gressus ejus dirigere* (sive ut legit D. Augustinus secutus Græcum textum, *a Deo autem responsio linguæ*, nempe internæ, sive consensus constans et perfectus ad finem usque) casta omnino est, quippe a Spiritu sancto suggesta, abest a Semipelagiano errore quam longissime; ita illa alia locutio quam Valerianus usurpavit, omnino sana est et catholica : quando quidem, judice D. Thoma, utraque sub dissimili vocum cortice, eodem sensu feta est. Abutebantur quidem Semipelagiani ea cordis dispositione et animæ præparatione homini per Salomonem concessa, indeque inferebant initium salutis, sive bonam voluntatem esse homini a seipso; perfectionem autem et consummationem negotii salutis, esse a Deo gratiæ auctore, ut refert S. August., lib. II contra duas epist. Pelag. cap. 8. Tamen si mens non læva fuisset, facile deprehendissent hominem quidem præparare cor, *non tamen sine adjutorio Dei qui tangit cor*, ut D. Augustinus loco allegato recte disserit.

67 6. Quod Salomon eo loco tradidit, non infirmavit Jeremias c. 10, verbis illis : *Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est, ut ambulet et dirigat gressus suos.* Quam Jeremiæ sententiam S. Chrysostomus, integra homilia de ea egregie discussit : præfatus eam suo tempore *ubique circumferri solitam in domibus, in foris, in pagis, in urbibus, in terra, in mari, in insulis, et quocumque te contuleris.* Nec paucos aconitum ex suavissimo flore legentes, intulisse ex ea nihil in nostra potestate situm esse. Quod S. Chrys. idcirco ab eis factum refert, quod non inspecta totius capitis textura ac serie, abreptis temere paucis verbis a reliquo contextu truncatis atque avulsis, in absurdos et a Scriptoris mente alienos sensus detorquerent prophetæ sententiam : quod esse plerisque inepti endi et errandi originem, graviter queritur. Itaque non infirmari a Jeremia quod a Salomone traditum retulimus, ex eo confirmat S. Chrysost. quod eo ipso loco propheta ipsi homini gressus suos tribuat, et esse ejus viam quam init agnoscat; quod non diceret si ipsa in ejus potestate non esset. Præterquam quod subdit illico propheta supplices ad Deum preces, ut dignetur modum adhibere supplicio : cui locus profecto non esset, nisi cor hominis disponeret viam suam, ut Sapiens affirmabat. Sic complanata difficultate ex eo loco nata, ejusdem loci germanum sensum profert S. Chrysostomus his verbis : *Quod dicit, hanc sententiam habet. Non totum est in nostra potestate : sed aliud quidem in nostra, aliud vero in Dei situm est potestate. Nam ut optima quæque eligamus, velimus, et agere contendamus, omnemque operam exantlemus, nostri est arbitrii. Ut autem ad exitum ea perducamus, neque intercidere sinamus, utque ad finem recte factorum perveniamus, id vero cœlestis est gratiæ. Partitus enim est nobiscum virtutem Deus; et neque rem totam in nostra sitam esse voluit potestate, ne in superbiam efferremur; neque totum sibi ipse sumpsit, ne nos inertiæ dedamus : sed exiguum quid laboribus nostris relinquens, majorem partem ipse conficit.* Et infra : *Hoc igitur est quod ait propheta, felicem exitum rerum in potestate nostra situm non esse, verum ab auxilio pendere divino; ut autem eligamus, in nobis et in arbitrio nostro situm est.* Hunc esse germanum prophetæ sensum, pluribus reliqua homilia confirmat : eam præsertim vanam excusationem præcludens, quæ ex eo a quibusdam duci posse videbatur, quod non sit homini vitio vertendum, si non agat; cum ejus tantum fuerit velle et eligere, Dei autem sit ad exitum perducere. Frivolam esse eam excusationem inde demonstrat S. Chrysostomus, *quod fieri non possit ut si nos voluerimus, elegerimus, ac statuerimus, Deus nos derelinquat. Si enim eos qui nolunt hortatur, et consulit eis ut velint et statuant, multo magis eos qui ultro eligent non derelinquet.* Ex his satis superque liquet quomodo locus Jeremiæ et ad purgandum Valerianum conferat, et cum proposito Sapientis loco, quem item e re præsenti esse ostendimus, non collidatur.

7. In eumdem sensum adducit ibidem S. Chrysostomus celebrem locum ex c. IX ad Rom., quo item abusos qui segnitiei suæ Scripturas obtendebant, initio memoraverat. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Revera tamen eum locum cum libertate cohærere, etiamsi prodat hominis esse velle et currere, Dei vero misereri atque perficere, ita demonstrat S. Chrysostomus post discussum Jeremiæ locum allegatum : *Simile illud est etiam : Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Et quam ob causam curro, inquis, vel quam ob causam volo, nisi tota res in meo sit arbitrio sita? Ut nimirum dum vis et dum curris, divinum auxilium et benevolentiam tibi concilies, sic ut te adjuvet, et manum porrigat, atque ad finem usque perducat. Si enim hoc sustuleris, et currere simul et velle desieris, neque manum porriget Deus, sed et ipse abscedet. Unde autem id constat? Audi quid dicat Jerusalem. Quoties volui congregare filios tuos et noluisti? Ecce relinquetur domus vestra deserta. Vides quoniam illi noluerunt, quo pacto etiam Deus abscessit? Propterea nobis quoque opus est ut velimus et curramus, quo Deum nobis etiam conciliemus.* Vult igitur homo et currit, auctore Apostolo, idque plane hominis est, tametsi divinitus antea tacti atque præventi. Nihilominus enim nisi luberet, neque vellet, neque curreret, et tamen negotii felix exitus atque perfectio exspectanda est a Deo miserente, cujus propterea esse dicitur perficere quod nos ex ejus inspiratione voluerimus et elegerimus. Ut ergo demonstret quod sola gratia opitulans exprimatur, ait hoc pertinere ad designandum quam nihil sit omne quod exhibemus ad salutem præ perfectione et consummatione cœlitus adveniente et promovente conatus nostros in irritum alioqui cessuros. *Non sufficit*, inquit, *ad perficiendum salutem sola voluntas humana, nec idoneus est mortalis cursus ad consequenda cœlestia et ad capiendam palmam supernæ vocationis Dei, nisi hæc ipsa voluntas nostra bona, promptumque propositum, et quæcumque illa in vobis esse potest industria, divino vel juvetur vel muniatur auxilio. Et ideo valde convenienter dicit apostolus, quia non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei; quemadmodum si dicamus de agricultura illud quod scriptum est : Ego plantavi; Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. Ita neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Sicut ergo cum bonos atque uberes fructus ad perfectam maturitatem protulit seges, nemo vie et convenienter dicet quia fructus istos agricola*

fecit, sed a Deo fatebitur præstitos; ita etiam nostra perfectio non quidem nobis cessantibus et otiosis efficitur, nec tamen consummatio ejus nobis, sed Deo, qui est prima et præcipua causa operis, ascribitur. Et post multa concludit : *In nostro vitæ cursu, a nobis quidem dependendus est labor, et studium atque industria adhibenda; laboris vero nostri fructus a Deo speranda est salus.* Sic expensus locus Apostoli belle consentit cum loco quem purgamus in Valeriano.

8. Attexo locum ex psalmo octogesimo, quem D. Augustinus, l. II contra duas Epistolas cap. 7, ait geminum esse illius quem ex cap. XVI Proverb. jam protulimus : *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus.* Nempe illum psalmi locum : *Dilata os tuum, et implebo illud.* Quæ verba existimat idem significare ac illa quæ ex Sapiente Proverb. XVI retulimus, et vidimus in ea recidere quæ ex Apostolo primum proposita et a Valeriano usurpata sunt : ut proinde quia quæ eadem sunt uni tertio, inter se quoque sunt eadem, fatendum sit omnia ista loca eodem recidere. Eo igitur psalmi octogesimi loco, tribuitur homini oris apertio et dilatatio, Deo autem ejus impletio. Non quod Deus ipse non aperiat os et labia cordis nostri (aperire enim dicitur Exodi IV, ut notavit S. August. q. 9 in Exod., et Fulgent. l. de Prædest. et Grat. c. 11), sed quod nos ipsi divinitus **68** præventi, ita inchoemus texturam negotii justificationis, ut Deus gratiam pro gratia reponens, et novo gratiæ beneficio anteriorem gratiam cumulans, accedat consummator boni quod nos pro fragilitate nostra, et tam multis remoris, ipsaque operis sublimitate præpediente, non adduxissemus ad perfectionem, nisi divinitus accessisset novæ gratiæ robur, necessarium ad implendum et perseverandum. Hoc sensu, nos sumus qui divinitus tacti et præventi cor lubentes Deo aperimus; ipse vero per consensum a nobis libere præstitum subintrans, nobisque ad ipsum appropinquantibus, appropinquans, ut dicitur Jacobi IV, implet os apertum, dirigit gressus hominis qui cor suum disposuit ac præparavit animam, perficit atque consummat quæ tenuitas nostra recte voluit, sed perficere nequivisset. Quod est illud plenum et perfectum gratiæ donum quod Deus dare dicitur applicato per consensum arbitrio, sicque aperto cordis sinu, ut eleganter in hunc modum tradit auctor Scalæ paradisi, c. 10, tom. IX August.: *Quid prodest homini, si per meditationes quæ agenda sunt videat, nisi orationis auxilio et Dei gratia ad ea obtinenda convalescat? Omne* (inquit) *datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Deo in hominem, sine quo nihil possumus facere, sed ipse in nobis facit opera, non tamen omnino sine nobis : cooperatores quidem Dei sumus, sicut dicit Apostolus; vult siquidem Deus ut eum oremus et ut ei advenienti et præsiolanti ad ostium aperiamus sinum voluntatis nostræ, et ei consentiamus. Hunc consensum exigebat a Samaritana, quando dicebat : Voca virum tuum. Volo tibi infundere gratiam, tu applica liberum arbitrium.* Sicut tamen eam applicationem arbitrii tamquam dispositionem subsequitur infusio gratiæ sanctificantis; ita cordis aperitionem per consensum liberum, et illam nostram supernaturalem additionem ad Deum, antecessit præventio mere gratuita, et pulsatio homini non libera : ita velle illud nostrum, quo veluti rudimento per nos posito Deus perficiens et consummator accedit, inde ortum habet unde perfectionem; quia nisi Deus non cogitantibus, multoque minus volentibus præsto fuisset, excitans et præmovens, non exsurrexisset velle nostrum, quod per Deum perfici posset.

9. Nec aliter accipiendus est ille alius locus apud Psaltem : *Accedite ad Deum, et illuminamini.* Et alius apud Jacobum : *Appropinquate Deo, et ipse appropinquabit vobis.* Appropinquare enim nobis dicitur Deus, cum præmisso hominis accessu, et dispositionibus liberis, subjungit quod suum est, et eatenus hominem in tenebris illuc usque versatum illuminat, homine illuminante sibi lumen scientiæ proprio arbitrio, ut est apud S. Hieronymum in cap. II Ecclesiastæ, ad illud : *Non est bonum homini*, etc. Quod aliter dicitur : Deum, quia homo voluit, consummationem et perfectionem apponere; et exspectasse Dominum ut misereretur nostri, quæ est Isaiæ locutio cap. XXX; aut hominem præparasse Domino cor suum, quod facere monemur I Reg. III; vel denique hominem prævenire in maturitate et clamare, ut dicitur ps. CXVIII. Sicut ergo has locutiones, a Spiritu sancto suggestas canonicis scriptoribus, nemo erroris notaverit, aut gratiæ divinæ illum hominis accessum et liberam appropinquationem prævenienti contrarias dixerit, cum certum sit præventionem divinam iis locis non expressam, non idcirco in eis negari, sed subintelligi; ita locutio quam in Valeriano purgamus, quandoquidem illis affinis aut etiam genuina est quoad sensum, eadem benigna interpretatione donari sine incommodo potuit, vel etiam debuit, non autem in invidiam vocari.

Hæc ad gustum aliquem ex Scripturis præbendum sufficere in præsentia existimo, ut constet quam infirma sit Valeriani criminatio; qua ex parte maxime fervet.

CAPUT IX.

Cum Valeriano gravissimi Patres æque causa caderent.

1. Nulla ratione potest liquidius deprehendi quam vana fuerit Valeriani quoad Semipelagianismum criminatio, quam si ostendero gravissimos Patres quorum doctrinæ sinceritas ambigua non sit, eodem plane modo citra querelam locutos esse quo locutus est Valerianus eo loco in quo maxime sit via ad impingendum ei Semipelagianismum : nempe quo dixit *nostrum esse velle, Dei vero perficere;* nam cætera nemo non videt quam sint inania. Non proferam quoscumque possem Patres, sed selectos quosdam : ac ne ex his quidem omnia ad hoc institutum facientia coacervabo, sed libabo dumtaxat quædam singularia, et ita similia iis quæ in Valeriano culpantur, ut non sit ovum ovo similius, aut gutta guttæ. Quanti autem apud prudentem quemcumque theologum in gratiæ negotio esse debeat Patrum sensus, quamque temperate agendum sit in iis improbandis quæ Patres usurparint circa illud, quantumvis nonnihil lubrica aut ambigua videantur, res ipsa loquitur, et docent illa S. Fulgentii lib. I de Verit. Prædest. c. 15 : *Dignum est ut in singulis quibusque sententiis in quibus nubilo cujusquam obscuritatis ambigimus, sanctorum Patrum definitionibus hæreamus, quos præveniens misericordia Dei gratis illuminavit ut crederent, et sequens instruxit spiritualiter ut docerent.*

2. Primus in aciem prodeat Origenes, cujus catholicissimam de gratia sententiam, cum ex aliis plerisque locis petere licet, tum disertissime ex l. VII contra Celsum pag. 414, col. 1, non secus ac Valerianus scripsit hom. 12 in Num., ad illud, *Profecti a puteo, veniunt in Mathaniam.* Nam præter cætera quæ in hanc sententiam luculenter disputat, ait : *A Mathaniam venimus in Nahaliel, quod interpretatur* EX DEO. *Quid* EX DEO ? *Posteaquam obtulerimus nos quæ ex nobis sunt, venimus ad hoc ut consequamur ea quæ ex Deo sunt. Cum enim fidem nostram et affectum obtulerimus ei, tunc et ipse largitur nobis diversa dona Spiritus sancti, de quibus dicit Apostolus, Omnia autem ex Deo sunt.* Fidem et affectum vocat ibi Origenes liberum voluntatis assensum, ad cooperandum Deo sollicitanti nos ad bonum, ut ex proxime antecedentibus liquet. Atque ita locus iste Origenis plane recidit in locum qui apud Valerianum visus est morbosus. Idem Orig., hom. 24 in eumdem librum, luculenter in eamdem sententiam disserit, circa illud, *Homo quicumque voverit;* et præter cætera, ait : *Vult ergo a nobis prius aliquid accipere Deus, et ita nobis aliquid ipse largiri; ut dona sua et munera, merentibus, et non immerito, largiri videatur.* Declarat autem id quod Deus per nos præmitti postulat. esse voluntariam **69** recensionem

cum gemitu ad Deum, et conversionem ad cor, quæ conversio ita per nos præmittitur ulterioribus Dei donis, ut tamen præveniamur anterius.

Multo gravioris auctoritatis est S. Hilarius, *Latinæ*, ut S. Hieronymus scite dixit, *eloquentiæ Rhodanus*, cujus doctrinæ sincerissimæ, et undecumque erroribus liberæ, locuples testimonium perhibet idem Hieronymus ad Lætam scribens. Hilarius igitur in psalm. CXVIII, litteræ nun, ad illud, *Hæreditate acquisivi*, etc., ita loquitur: *Ne quod a multis dici sæpe solet rationis aliquam habeat auctoritatem, cum asserunt proprium Dei munus esse ut quis in Dei rebus atque operibus versetur, excusantes infidelitatem suam quod, cessante erga se Dei voluntate, maneant infideles: est quidem in fide manendi a Deo munus, sed incipiendi a nobis origo est. Et voluntas nostra hoc proprium ex se habere debet, ut velit Deus incipienti crementum dare; quia consummationem per se infirmitas nostra non obtinet, meritum tamen adipiscendæ consummationis est ex initio voluntatis.* Corrupte editio ab Erasmo adornata, verba illa: *incipiendi a nobis origo est*, exhibet hoc modo, *impediendi a nobis origo est*, quod cum scopo Hilarii non cohærere per se liquet, et firmatur ex illis quæ post ea subjiciuntur, *ut velit Deus incipienti crementum dare;* et, *est ex initio voluntatis*, quæ aperte ferunt illam priorum verborum lectionem quam dixi. Ut vero leguntur priora illa verba, locus Hilarii æque Valeriano commodat ratione horum posteriorum, quæ ubivis leguntur eodem modo. Videntur autem exclusionem gratuitæ præventionis sonare: revera tamen eam prævention nem non excludunt; sed tantum aperiunt quid homo post divinam præmotionem debeat de suo ad salutem conferre, adjuvante Deo. Id quod egregie illustrant illa ejusdem Hilarii in eumdem psalmum littera he, ad illud: *Inclina cor meum in testimonia tua*, cum eamdem versat difficultatem, unde hominis culpa salutem non adipiscentis, si salus a Deo est. *Omnem*, inquit, *occasionem hujus impiæ excusationis propheta submovit. Primum enim cum orat, conveniens infirmitati suæ egit officium; dehinc Dei muneribus humanæ devotionis studia connexuit. Cum enim ait: Legem mihi statue, Domine, viam præceptorum tuorum, quid secundum orationis nostræ humilitatem Dei esset ostendit. Cum autem subjecit, Et exquiram eam semper, officium devotionis suæ promittit: et in cæteris quoque utrumque quodam complexu sibi invicem colligavit, cum deduci se in semita postulavit, et cum idipsum voluit. Prius enim quæ a Deo sunt cum honore præposuit, et tunc quæ a se pura confessione subjecit. Orat igitur ut Deus tribuat. Est ergo a nobis cum oramus exordium, ut munus ab eo sit. Dehinc quia de exordio nostro munus est ejus, ex nostro rursum est ut exquiratur, et obtineatur, et maneat.* En exordium a nobis, ut munus et consummatio a Deo sit. Sicut ergo S. Hilarius exordium illud nostrum agnoscens, non evertit quod immediate ante concesserat, dandas scilicet esse Deo primas in salutis negotio; ita neque quotquot similiter aut etiam mollius loquuntur (cujusmodi revera fuit Valerianus) insimulandi sunt negatæ divinæ præventionis, aut defensi Semipelagianismi.

Idem S. Hilar., can. 6 in Matth., ad illud: *Multi mihi dicent*, etc., reprehendit vanos ostentatores operum suorum, *quasi vero eorum aliquid proprium sit, quæ loquuntur aut faciunt, et non omnia virtus Dei invocata perficiat.* Et mox: *De nostro igitur est beata illa æternitas promerenda; præstandumque est aliquid ex proprio, ut bonum velimus, malum omne vitemus.* Diserte, *bonum velle ex nostro et proprio esse* ait, virtutem autem Dei invocatam perficere omnia affirmat, quæ est ipsissima sententia Semipelagianismi notata in Valeriano. Quam ergo glossam his Hilarii verbis aptabit criminator, eamdem Valeriano accommodabimus.

3. S. Macarius Ægyptius, S. Antonii discipulus, et æqualis S. Hilarii, hom. 57, diserte et perspicue initium salutis Deo tribuit. Ait enim post pleraque in eam sententiam: *Ne igitur existimes te in virtute prævenisse Dominum, secundum eum qui dicit, Ipse est qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate.* Statim vero subdit quæsitum et responsionem, qua res de qua agimus luculenter exponitur. Interrogatio hæc est: *Quid igitur præcipit Deus homini facere?* sequitur responsio: *Antea diximus promptitudinem animi hominem habere a natura, quam quoque Deus requirit. Præcipit igitur ut primum cognoscat, et cum cognovit diligat, et voluntate incumbat. Ut autem exerceatur mens, aut laborem toleret, aut opus aliquod perficiat, gratia Domini largitur volenti et credenti. Voluntas ergo hominis est velut adjutorium a natura insitum; absente vero voluntate, neque ipse Deus quidpiam operatur, quamvis possit, propter liberam nimirum arbitrii libertatem. Perfectio igitur operis spiritus in voluntate hominis sita est.* Et mox: *Ipse dicit: Quoties volui congregare filios tuos, et noluisti? Itaque ex hoc credamus quod ipse nos congregat, a nobis autem solam requirit voluntatem. Quæ vero voluntatis erit declaratio, nisi labor spontaneus?* Subdit illustrissimam comparationem instrumenti artis et hominis in salutis suæ negotio, quod sicut instrumentum nisi ab artifice citatur manet immotum; ita et anima, licet laboret operans quod bonum est, Deum in ipsa clam operantem exigat. Similia ex parte habet homil. 4, post medium. In his omnia continentur quæ Valeriano vitio vertebantur. Nam et *laboris spontanei* sive *voluntarii* meminit Macarius; et voluntatis quæ a nobis requiritur, ut Deus in nobis operetur consensum liberum: eo quod Deus tanta cum reverentia libertatem nostram disponat, ut quamvis possit, tamen ad ejus jura retinenda, nolit nisi volenti largiri gratiam qua opus spiritus perficiatur. Nempe non primam et prævenientem, quam disertissime ante paucas lineas astruxerat, et explicatissime etiam agnoscit hom. 1 pag. 6, hom. 11 pag. 143, hom. 15 pag. 180, hom. 26 pag. 345 et 347, et hom. 29 pag. 388; sed cooperantem ad excudendum consensum liberum, quem Deus nobiscum non facit nisi quia volumus. Itaque recte concludit S. Macarius quod quamvis nos quidem non præveniamus Deum in virtutis opere, *perfectio tamen operis spiritus* (sive quod opus spirituale, ad quod a Deo præventi et sollicitati sumus, ad perfectionem suam consummante et perficiente Deo pertingat) *in voluntate hominis sita est.* A Deo namque præstatur ea operis perfectio, juxta S. Macarium, sed ad voluntatis humanæ divinitus præventæ exigentiam, quamvis ad præventionem Deus non exspectaverit exigentiam voluntatis. Potuit sanctus Macarius a magistro suo Antonio Magno eam doctrinam hausisse. Siquidem, referente sancto Athanasio, c. 15 Vitæ n. 33, B. Antonius nostram tantummodo voluntatem in hoc negotio exspectari confirmabat. **70** Nihil illis, ut putabatur, apud Valerianum salebris accommodatius proferri potest.

4. S. Optatus Milevitanus lib. II adversus Parmenianum, post medium: *Vos ipsi qui sancti et innocentes videri ab hominibus vultis, dicite unde est ista sanctitas quam vobis licentius usurpatis. Quam Joannes apostolus profiteri non audet, qui ait: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est. Hoc qui dixit, sapienter se ad Dei gratiam reservavit. Est enim Christiani hominis quod bonum est velle, et in Deo quod bene voluerit currere; sed homini non est datum perficere, ut post spatia quæ debet homo implere, restet aliquid Deo, ubi deficienti succurrat, quia ipse solus est perfectio, et perfectus solus Dei Filius Christus; cæteri omnes semiperfecti sumus, quia nostrum est velle, nostrum est currere, Dei perficere. Unde B. Paulus apostolus ait: Neque volentis, neque currentis, sed ad Dei gratiam pertinentis. Nam et a Christo Salvatore nostro perfecta sanctitas non est data, sed promissa. Denique sic ait: Sancti eritis, quia et ego sanctus sum, qui solus est sanctus et perfectus. Non dixit: Sancti* ESTIS, *sed Sancti*

ERITIS *dixit. Unde est ergo quod vobis perfectam sanctitatem de superbia vindicatis?* Frustra anniteret demonstrare, quam hæc consentiant cum iis quæ in Valeriano suspecta habebantur. Nec vero potest S. Optati auctoritas declinari, admittendo ejus lapsum; nam S. August. lib. I contra Parmen. c. 3, et lib. III de Doctr. Christ. cap. 4, ac Fulgent. lib. II ad Monim., eum cum laude allegant, tamquam scriptorem usquequaque catholicum.

5. S. Cyrillus Hierosol. in calce præfationis ad Catecheses: *Meum est dicere, tuum vero agere, Dei autem perficere.* Et catech. 1, cum præmisisset apparuisse mysticarum plantarum flores, ac desiderium suum subjunxisset, ut et fructus perficiatur (utique a Deo) subdit: *Liberalis namque est Deus, et pronus ad beneficentiam; exspectat tantum cujuslibet propriam voluntatem. Propterea subjecit Apostolus, Secundum propositum vocatis sanctis. Propositum cum adest proprium, vocatum te facit.* Quod exspectari a Deo ait propositum nostrum, et voluntatem, illud ipsum est quod Valerianus dixit, *nostrum est velle.* Quod autem Cyrillus a Dei liberalitate et beneficentia, posito assensu nostro atque proposito, perfici desiderat initia nostra, et fructus ex floribus consequi, agnoscit quod Valerianus affirmavit. *Dei esse perficere.* Exspectari porro voluntatem ait Cyrillus, non nudam aut ex se initium dantem humanæ saluti, sed præventam, et cum gratia præoperante cooperantem. Ei enim sic subsequenti divinam præventionem, uberiora auxilia et perfectio, et omnia bona rependuntur a muneratore liberalissimo, a quo esse humanæ voluntatis præventionem splendidissime tradit idem Cyrillus, catech. 16, agens de Spiritu sancto, quem *Magnum Præsulem et gratiarum parochum* (appellatione illi gemina qua apud S. Ambr. lib. I de Spiritu sancto, vocatur *Præsul benedictionum Dei*) nostris voluntatibus afflantem, et ad omnia pietatis opera prævenientem elegantissime describit.

6. S. Basilius, in cap. VI Isaiæ, ad illud: *Quem mittam*, ita loquitur: *Observa et exactam disciplinam et circumspectam prudentiam dicendi, quæ veridicum prophetam addecet. Duobus enim propositis sermonibus, unica satisfacit responsione. Quem mittam, et quis ibit? Ecce ego sum, mitte me. Non jam adjecit,* ET EGO IBO. *Siquidem susceptio istius apostolicæ legationis penes nos sita est, et a nostro pendet arbitrio; confirmare autem ad perfectionem, ejus est qui infusione gratiæ nos corroborat Dei. Itaque Isaias per id quod liberæ et electivæ erat voluntatis, respondit: Ecce ego sum, mitte me. Quod autem erat gratiæ, reliquit Domino, ut qui propriæ conscius infirmitatis non est ausus polliceri se iturum.* Hoc quid aliud, quam quod Valerianus dixit, *nostrum est velle, Dei perficere?*

7. Gregorius Nyss., Basilii Magni frater, is *quem omnes Patrum patrem vocant* (ait Epiphan. diacon. in synodo, actio. 6, partit. 5), libello de scopo Christiani, liberæ voluntatis et gratiæ necessarium nexum egregie tradens, nostrum esse velle, Dei perficere, præclare docet. Multis enim adhortans ad crescendum in sanctitate, et collaborandum spiritui gratiæ adjuvanti, hæc habet præter cætera: *Corporis certe augmentum ad increscendum non in nobis situm est; haudquaquam natura ex hominis sententia et libidine staturam metitur, sed suo ipsiusmet impetu et necessitate: animi vero in ortus renovatione modus et decus, quæ spiritus gratia largitur, per ejus qui acceptus est studium, a consilio nostro pendent. Nam quanto magis labores pro pietate extendit, tanto etiam magis animi magnitudo simul extenditur; et sempiternam vitam atque ineffabilem quæ in cœlis est lætitiam, ejusdem spiritus gratia concedit: accipiendi vero munera et dignitatem gratia fruendi, amor per fidem laboribus obtinet. Jam vero ad idem progressæ, operum justitia et spiritus gratia, in qua anima concurrerunt, eam beata vita certatim complent, sed a se invicem disjuncta, nullum animæ emolumentum exhibent. Etenim Dei gratia in animis qui salutem fugiunt non potest A frequenter adesse: homines vero virtutis vis per se non sufficit ad vitæ formam absolutam extollendos. Nisi Dominus ædificaverit domum et custodierit civitatem, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Hic edocemur non esse in mentem inducendum, in humano studio totam sitam esse coronam; verum ad Dei voluntatem referendam spem de fine obtinendo.* Hæc Nyssenus, admodum consentanee Valeriano. Nam et a nobis præmotis pendere agnoscit advocationem Dei ad nos adjuvandos, et perfectionem a Deo esse, diserte statuit.

8. S. Gregorius Nazianzenus, *cujus ea est in doctrina Christiana auctoritas, ut nullus umquam ejus dictis calumniam inferre præsumpserit* (verba sunt D. Thomæ I p. q. 61 art. 3), et quem nominatim Semipelagianis quoad salutis initium opponit S. August., l. de Dono Persev. c. 19, ita scribit, orat. 31, tractans illud Christi, *sed quibus datum est*, multiplicemque hæreticum affectum verbis illis prave detortis subjacentem depellens: *Aptitudinem quidem alios aliis B vel majorem vel minorem habere ipse quoque concedo: cæterum ad perfectionem adipiscendam, aptitudinem solam minime sufficere contendo. Rationem enim esse quæ eam excitet, ut natura in opus prodeat; quemadmodum silex ferro pulsatus, atque ita ferrum fiat. Cum audieris Quibus datum est, adde Volentibus datum est, atque iis qui ea animi propensione sunt; etenim cum illud audis, non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei, idem tibi existimandum censeo.* Quod salutis adeptionem ait dari a Deo volentibus, idem est ac si diceret, nostrum esse velle, Dei autem perficere. Et tamen quam hæc non pugnent cum initio salutis ex Deo, liquet ex illis quæ statim subjungit, probans, et ex Apostolo Rom. IX, eruens ipsum quoque velle nostrum ex Deo esse.

9. S. Ambrosius cui in sincera gratiæ assertione **71** testimonium sæpe perhibet S. August. ut epist. 107. et l. de Grat. Christi c. 44, et l. de Dono Persev. cap. 8 et 13, et 19, et 23, accommodatissime in rem C nostram loquitur serm. 10 in psal. CXVIII, ad v. 4: *Moysi dicit Deus: Miserebor cujus misertus fuero, et misericordiam præstabo, cui misericordiam præstitero. Igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei est. Forte dicas, Ergo non debemus vel velle vel currere. Atqui negligentes Deus deserere consuevit. Non ergo hoc dicit, sed quid dicat consideremus. Non volentis, neque currentis hominis perseverantia est. Non est enim in hominis potestate, sed miserentis Dei est ut possit complere quæ cœperit.* Vides ab Ambrosio *velle* tribui potestati hominis, *complere* autem sive perficere et perseverare, ascribi Deo. Non plus, aut aliter dicit Valerianus. Est et alius apud S. Ambrosium egregius locus in calce epistolæ ad Justum (et est epist. 65, alias lib. I, epist. 10): *Incrementa*, inquit, *per naturam quæ divini habet gratiam muneris, consummationem et perfectionem Deus dat, id est illa præstantissima et divina Trinitatis natura et substantia.* Non sumit *incrementa* pro augmento aut profectu rei jam conditæ, sed pro initio et prima productione, D et in eum sensum usurpavit paulo ante illud Apostoli I Cor. III: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Hujusmodi ergo incrementa sanctorum operum fatetur S. Ambros. esse per naturam, divini habentem gratiam muneris. Ipsa enim libertas qua agere volumus, et Deum sequi, est magnum plane munus Dei, tametsi nobis compertum a natura; consummationem autem et perfectionem Deus dat. Quia supra illud *quod natura spontaneo ingenio operatur, ut surgant semina divinitus indita* (ut paulo ante dixerat Ambrosius) id est supra id quod potest de suo conferre natura exigitur Dei gratia prævenians, ratione cujus Deus consummat et perficit imperfectum nostrum: nos, inquam, promovet ad fruges operum supernaturalium, quas ne inchoaremus quidem per naturam nudam. Hoc ipsum est quod Valerianus dixit, nostrum est velle, Dei perficere. Non est ovum ovo similius.

10. S. Chrys., hom. 1 in Epist. ad Hebr., in mor., ita loquitur : *Oportet nos eligere primum quæ bona sunt, et tunc Deus quæ sua sunt introducit. Non antecedit nostras voluntates, ne nostrum lædatur arbitrium liberum. Cum autem nos elegerimus, multam tunc nobis affert auxiliationem.* Et mox : *Nostrum eligere tantum est et velle, Dei autem efficere, et ad perfectionem perducere.* Idem sonant quæ habet hom. 17 in Joan., ad illud, *Conversus Jesus et videns eos sequentes*, etc. Sic enim scribit : *Hinc admoneri possumus, Deum suis in nos beneficiis nostras non prævenire voluntates, sed a nobis incipiendum esse. At cum nos prompto paratoque animo ad suscipiendam gratiam exhibemus, tunc multas nobis offert salutis occasiones.* Et hom. 42 ad pop., tractans illud : *Ne des* (ita enim legit) *in commotionem pedem tuum. Non dixit, Ne commovearis, sed Ne des. Igitur in nobis est dare, non in ullo altero. Nam si stare velimus stabiles et immoti, non commovebimur. Quid igitur? In Deo nihil est? Omnia quidem in Deo, sed non ita ut liberum in nobis arbitrium violetur. Si igitur in Deo sunt iniqui, cur non accusat? Propterea dixi, ne liberum in nobis arbitrium violetur. In nobis igitur et in Deo sunt. Oportet enim nos prius eligere bona, et ille sua tunc inducit. Nostras non prævenit voluntates, ne nostram temeret libertatem. Cum vero nos elegerimus, tunc magnum nobis affert subsidium.* Et hinc extricat dubium ex istis Apostoli verbis Rom. IX : *Non est volentis*, etc., quæ videntur falsa, si et in nobis est salus nostra. Præter primam enim illorum verborum explicationem, quod scilicet Apostolus ea verba ex persona adversarii protulerit objiciendo ac interrogando, non asserendo, subdit hanc secundam : *Dici et illud potest, quod cujus est amplius, totum esse dicit. Nostrum enim est eligere et velle, Dei vero expedire et ad exitum adducere. Quoniam illius itaque plus est, totum illius esse testatur, secundum humanam locutus consuetudinem. Nam et nos ita faciamus. Quale quod dico. Domum ædificatam bene videmus, et dicimus totum est artificis, licet non totum ipsius sit, verum et operariorum et Domini qui materiam suppeditavit, aliorumque multorum. Attamen quoniam plus contulit, illius totum esse dicimus ; ita profecto et hic. Et rursum in multitudine, ubi multi sunt, omnes esse dicimus ; ubi pauci, neminem. Ita et Paulus ait : Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dei vero magna hic facit. Unum quidem ne extollamur. Sive curras, sive festines*, inquit, *ne tuum esse putes meritum. Nisi namque supernum assequaris favorem, omnia nequidquam. Tamen clarum est, quod optatum assequeris, quandiu curres, quandiu voles. Non hoc itaque dixit, quod in vanum currimus, sed quod in vanum currimus, si totum nostrum esse putemus, nisi Deo plus assignemus. Nec enim totum Deus suum esse voluit, ne sine causa nos coronare videatur ; neque rursus nostrum, ne in arrogantiam dilaberemur. Nam si minorem habentes partem altum sapimus, quid si totius auctores essemus?* Tandem post multa, tractans illud : *Lavamini, mundi estote, et si fuerint peccata vestra sicut purpura, sicut nivem dealbabo*, ita enim legit, subdit : *Vides quod priores nosipsos oportet mundare, et tum Deus emundat. Cum enim dixisset prius : Lavamini, mundi estote, tunc subdidit : Ego dealbabo.*

Locum ex hom. 32 Operis Imperfecti, a DD. Thoma et Bonavent. allegatum tamquam Chrysost., supra jam protuli c. 7. Est et alius pulcherrimus locus hom. de septem Machabæis ; est n. 44 tom. I Græcol. Ibi Deus ita loquens inducitur : *Non talis agonotheta ego sum, ut certaminis exitum in aliqua certantium virtute constituam, sed ipse assisto luctantibus, et auxilium præbeo, et manum præbeo athletis meis. Et quod est proprii arbitrii libertate suscipiunt de bonæ voluntatis affectu, ut pro legibus meis et nomine meo dimicent, id in victoriam ipsis procedere, mei est auxilii.* Similia alibi apud Chrysostomum non semel leguntur, quæ plane similia sunt iis quæ in Valeriano insimulantur erroris.

Vereor autem ne alicui minus provide fecisse videar, qui ad Valerianum expurgandum, ejusque doctrinam liberam Semipelagianismo præstandam, adducam Chrysostomum, quem tetra hac fuligine oblitum, immo Cassiano discipulo erroris auctorem fuisse, tentavit jam olim Thomas Braduardinus lib. II de Causa Dei cap. 11, et recentiorum non nemo, ut Anianus præfat. in homil. Chrysost. in Matth. quem refert et approbat Sixtus Senens. lib. V Bibl. annot. 101 (quamquam apud ipsum Anianum, ego quidem nihil tale lego, sed contrarium potius non obscure deprehendo) ; Mol. I p. q. 14 art. 13 d. 41 ; Tol. in cap. VI Joan. annot. 20 ; et qui ad omnes pro Chrysostomo excusationes obsurdescit Vasq. I p. d. 89 c. 4 et d. 91 c. 8 et 9.

Mirabile tamen mihi semper visum est, quod quam calumniam Chrysostomus ab ipsis **72** Pelagianis non est passus, eam a catholicis post tot sæcula sustineat ; ita ut cum Pelagiani loca Chrysostomi pro suo errore de peccato originis tam studiose colligerent, et catholicis opponerent, ut D. Augustinus contra Julianum testatur in hac tamen parte ita cæcutiverint, ut non agnoverint errorem, qui apud eum tam creber est, juxta doctores allegatos. Quid quod exstant apud Chrysostomum tam crebræ, tamque ingeminatæ ac perspicuæ assertiones initii salutis plane gratuiti, ut omnem plane hujus in eo erroris vel suspicionem abstergant ? Omitto homiliam de Adam et Eva, quæ explicatissime continet catholicam de gratia doctrinam, contra Pelagianos eorumque reliquias. Eam, inquam, homiliam omitto, quia est dubius Chrysostomi partus et (saltem quoad aliqua ex Cœlestini epistola ad episcopos Galliæ inserta) suppositicius.

Disertissime vero et conceptis verbis expressam apud Chrysostomum præventionem gratuitam, legere licet in plerisque indubitatis ejus fetibus, ac nominatim hom. 19, et 22, et 23, et 28, et 38, in Genes., quibus locis prævium et nostras preces antevertentem gratiam aperte admittit ; et pulchre hom. 12 in I Cor. ad illud : *Quid habes quod non accepisti?* et hom. 13 ac 44, et 71, in Joan., et hom. 4 de Laud. Pauli, et hom. 5 in II ad Thessal., ac hom. 1 et 8 in Epist. ad Philip. et luculenter in ps. CXLIII, ad illud : *Domine, quid est homo quia innotuisti ei?* et homil. 70 in Matth., ad illud : *Exi cito in plateas*, ubi ad diligentiam nostram pertinere statuit tantum quæ subsequuntur vocationem ex gratia factam et mere liberaliter collatam. Homilia quoque 24 in epist. ad Hebr., cum dixisset observationem mandatorum pluris esse debere Christiano quam miracula, rationem reddit, quod miracula quidem sint pura Dei munera, observatio autem mandatorum, *post Dei donum, etiam nostri sit studii.* En *post Dei donum*, id est post prærentionem divinam. Nam de gratia comitante, eo ipso quod comitans est, non diceretur proprie ac vere, quod post Dei donum nostri sit studii bene agere. Egregie item hom. 28 in Ep. ad Heb. ad illud : *Aspicientes in auctorem fidei.* Plane vero divinam prærentionem tradit illustrissime ac explicatissime, hom. 83 in Matth., ad illud : *Antequam gallus cantet.*

Quare merito pro Chrysostomo a calumnia hac in parte purgando certant Hierem. Constantinop. in Cens. Orient. Eccl. 18 ; Driedo c. 4 Concord., in medio ; Bellarm. lib. VI de Grat. et Lib. Arbit. c. 6 ; Fons. VI Metaph. c. 2, q. 5, sect. 10 ; Suar. l. II de Prædest. c. 8 ; Justin., in c. II ad Philip., ad illud : *Deus est qui operatur*, et alii plerique. Immo Dominicus Soto, in c. I ad Rom., ad illud, *Qui prædestinatus est*, Chrysostomi in hoc puncto criminatores, *impietatis*, Driedo autem, loco notato, *magnæ impudentiæ*, damnat. Itaque de sana hac in parte Chrysostomi doctrina, non videtur dubitandum. Ac proinde quam explicationem adductis ex eo locis concedimus, eamdem uni simili loco apud Valerianum negare non est æquum.

11. S. Isidorus Pelus. Chrysostomi discipulus, lib. IV, epist. 171, ita scribit : *Non solum ea quæ non*

sunt in nostra potestate, ut tu vir sapiens arbitraris; sed ea quoque quorum nos sumus domini, si non magna auxilii copia nobis a divina Providentia adveniat, non poterimus ad perfectum finem exitumque perducere. Aderit autem id præsto omnino iis hominibus qui absque tergiversatione ac prætextu ullo ea quæ penes se sunt inferunt, nihilque eorum quæ ad illud impetrandum conducere videntur prætermittunt. Priora verba aperte ferunt, Dei esse perficere; posteriora autem, nostrum esse velle. At ne hæc volitio viribus naturæ ab eo ascribi censeatur, audi quæ subjicit : *Nam divina Providentia quæ non volentes excitat, et hortatur ut velint; profecto eos qui volunt, omniaque faciunt et sollicite agunt, omnino in ipsum præclare factorum subvehet fastigium.* Et apertissime lib. II, epist. 72 : *Cognita præeuntis divini auxilii facultate quisquis vult, et laborat, atque omnia movet* (*neque enim nuda voluntas sufficit*), *tum addiscit, tum fructum edit, tum salutem assequitur.* Videsis præterea ibid., epist. 266, et l. III, epist. 271.

12. Hilarius diaconus, is quem S. Hieronymus dialog. adversus Lucifer. *orbis Deucalionem*, ob inductum anabaptismum nominavit, in Commentariis in Paulum (qui perperam Ambrosio ascribuntur, cum sint istius Hilarii, ut notavit vir eruditus in edit. Lovan. ad lib. IV divi Augustini contra duas epist. c. 4) perspicue præivit Valeriano ad illud Philip. II : *Deus est qui operatur in vobis velle et operari pro bona voluntate*, sic enim habet : *Apostolus Deum bonos conatus adjuvare testatur. Omnem enim gratiam semper reportat ad Deum, ut nostrum sit velle, perficere vero Dei.* Nec potest opponi schisma aut etiam hæresis hujus Hilarii. Nam quoad negotium gratiæ, et quæ ad Pelagianos spectant, catholice sensit; alioqui S. Augustinus, lib. IV contra duas Epist. c. item 4, non protulisset contra Pelagianos locum ex his Commentariis in c. V ad Rom., in explicatione verborum illorum : *In quo omnes peccaverunt.* Et cum alleget hos Commentarios nomine S. Hilarii, non inanis inde desumitur conjectura de Hilarii hujus resipiscentia et revocatione ad Ecclesiam et usquequaque veram fidem. Quod enim S. Augustinus communitate nominis deceptus, ascripserit Hilario Pictaviensi hos Commentarios, et idcirco eorum auctorem vocaverit sanctum Hilarium, nimis pingue est, et Augustini nare ac solertia indignum, in tanto styli et scriptionis discrimine, præsertimque cum S. Augustinus non ignoraret ipsummet Commentariorum illorum auctorem in cap. 3 prioris Epistolæ ad Timoth. se Damasi pontificis, hoc est ipsius prope Augustini æqualem prodere, quod belle cum Hilarii diaconi ætate consentit, non item cum ætate Hilarii Pictaviensis.

13. S. Hieronymus, cujus de gratia doctrinam contra Rufinum de Semipelagianismo suspectum, approbat Gelas. c. *Sancta Romana*, et epistola 7, quæ est ad episcopos Piceni; item qui dialog. 3 adversus Pelag. profitetur se doctrinæ divi Augustini de gratia adhærere, et vicissim a D. Augustino pro catholica doctrina contra Pelagianos profertur lib. I contra Jul. c. 2, et lib. II, sub finem, ubi de falsis rumoribus a Pelagio jactatis adversus S. Hieronymum, *quasi ei tamquam æmulo invidisset;* sanctus, inquam, Hieronymus ita scribit dialog. 3 contra Pelag. : *Hoc esto, baptismum præterita donare peccata, non futuram servare justitiam, quæ labore et industria ac diligentia, et semper super omnia Dei clementia custoditur, ut nostrum sit rogare, illius tribuere quod rogatur; nostrum incipere, illius perficere; nostrum offerre quod possumus, illius implere quod non possumus.* Rursus infra in eodem dialogo : *Ubi misericordia et gratia est, liberum ex parte cessat arbitrium, quod in eo tantum est, ut velimus atque cupiamus, et placitis tribuamus assensum. Jam in Domini potestate est, ut id quod cupimus,* **73** *quod laboramus, ac nitimur, illius ope et auxilio implere valeamus.* Idem in c. III Ezech. ad illud : *Et aperui os meum*, hæc habet : *Ego, inquit propheta, aperui os meum, quia mihi dictum est, Aperi os tuum et comede. Averto ore Dominus largitus est cibos, ut initia voluntatis in nobis sint, et perfectionem a Domino consequamur. Non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Attamen et velle et currere, nostri arbitrii est.* Et lib. II in Jovin. : *Sicut in bonis operibus perfector est Deus, non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis Dei et adjuvantis ut pervenire valeamus ad calcem; sic in malis atque peccatis, semina nostra sunt incentiva et perfectio diaboli.* Idem in epistola ad Theodosium et alios anachoretas, agens de studio evadendi e sæculi tenebris per supernaturales actus, ait : *Et ante dixeram præsens, et nunc per litteras votum indicare non cesso, quod mens mea omni ad id studium cupiditate rapiatur. Nunc vestrum est, ut voluntatem sequatur effectus : Meum est, velim; obsecrationum vestrarum est, ut quod velim et possim.* Nempe quia exorabitis mihi auxilium Dei, cujus est perficere. Quid loco Valeriani magis genuinum? Idem, epist. 8 : *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Et tamen velle et nolle nostrum est; ipsumque quod nostrum est, sine Dei miseratione nostrum non est.* Nemo umquam calumniatus est catholico dogmati de initio salutis plane gratuito adversari, cum tam constanter D. Hieronym. pro gratia pugnet adversus ejus hostes, perspicueque epist. 8, sub medium, Demetriadem doceat quomodo accipienda sint hæc quibus dicit nostrum esse velle, Dei vero perficere : *Velle*, inquit, *et nolle, nostrum est; ipsum quoque quod nostrum est, sine Dei miseratione nostrum non est.* Et in epist. ad Ctesiphon. : *Velle et currere meum est, sed ipsum meum, sine Dei semper auxilio, non erit meum. Dicit enim idem Apostolus, Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere.*

14. S. August., lib. I Retract. cap. 23, et lib. de Prædest. SS. cap. 3, utrobique, excutiens locum ex ea quam junior ediderat expositione quarumdam propositionum Epistolæ ad Romanos, diserte admittit vere et catholice dici *nostrum esse velle, Dei vero perficere;* quamvis corrigat quod insuper in illis propositionibus dixerat *nostrum esse credere;* quia, nondum (ut fatetur) bene discussis gratiæ arcanis, existimabat cum eas propositiones exponeret, actum fidei non esse ex gratia, sed esse naturæ fetum. Itaque absolute retractat quod in ea expositione dixerat prop. 61, *nostrum esse quod credimus; quod autem bonum operamur illius est qui credentibus dat Spiritum sanctum.* Admittit autem tamquam catholicum, quod ibidem addiderat : *Nostrum est credere et velle, Dei autem dare credentibus et volentibus facultatem bene operandi;* quia de volitione, tametsi supernaturali (qualis ea est quæ ad credendum intervenit) recte dicitur quod nostra sit, *propter arbitrium voluntatis,* ut ibidem addit : quamvis etiam Dei sit, ratione gratiæ divinæ voluntatem præparantis et roborantis. Quatenus autem credere, substernitur volitioni nostræ, per quam inducitur; sic etiam ipsum credere, nostrum est, quia non fit nisi volentibus nobis. Hoc sensu et, ut ait, hac regula servata, agnoscit Augustinus locis allegatis verissime dici nostrum esse velle, Dei vero facultatem perficiendi sive operandi tribuere.

Iisdem locis ratum habet valdeque commendat, quod in iisdem propositionibus in 62 dixerat : *Cum post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra et cursus noster, nisi et Deus vires currentibus præbeat, et perducat quo vocat. Ac deinde subjunxit : Manifestum est ergo non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei esse, quod bene operamur. Omnino verissimum est.* At hoc idem plane est cum sententia quæ apud Valerianum insimulabatur erroris. Nam et voluntatem nostram agnoscit Augustinus sive velle nostrum in negotio salutis, et huic volitioni accedere insuper vult perfectionem a Deo gratiæ auctore et consummatore; quod unum dixit Valerianus. Proindeque si Valeriani criminatio subsistat, D. Augustinus, si Deo placet, Semipelagianismi damnandus erit in eo suo judicio, in Retractationibus prodito, circa propositionem ei plane genuinam quæ apud Valerianum arguitur et confirmatur in lib. de Prædest. SS., ubi maxime fer-

vebat exagitatio Semipelagianorum, contra quos liber ille extrema D. August. ætate ex instituto scriptus est.

Ejusdem D. Augustini locus, in q. 68 et 83, luculentus admodum est. Si *quis*, inquit, *magno gemitu et dolore pœnitendi misericordia Dei dignus fuerit, non ipsius est, qui si relinqueretur, interiret; sed miserentis Dei, qui ejus precibus doloribusque subvenit. Parum est enim velle, nisi Deus misereatur; sed Deus non misereretur qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit ad pacem.* Hanc præcessionem voluntatis ad pacem Dei, non excludere misericordiam Dei prævenientem, declarat ipse S. Augustinus lib. 1 Retract. cap. 26, locum propositum recognoscens. Igitur cum voluntatem ad perfectam animæ pacem divinitus concedendam præcedere, pacem autem illam subsequi, idem plane sit ac dicere, nostrum esse velle, Dei vero perficere, intelligit omnino S. Augustinus, velle illi nostro præire divinum donum gratuitum, idque non negari, cum dicitur a nobis sumi exordium libere volendi, aut nostrum esse velle.

Suppetit præterea insignis locus ex D. Augustino quæst. 9 in Exod., ubi tractans illud Dei ad Moysem: *Sed nunc vade, tu, et ego aperiam os tuum, et instruam te quæ loquturus es*, eumque locum componens cum loco psalmi LXXX, quo Deus hominem invitat ut os dilatet et aperiat, Deo ipso os dilatatum impleturo, ita disserit: *Satis hic apparet, non tantum instructionem oris, sed ipsam etiam apertionem, ad Dei voluntatem et gratiam pertinere. Non enim ait : Tu aperi os tuum et ego instruam te, sed utrumque ipse promisit, aperiam et instruam. Alibi autem dicit in psalmo : Dilata os tuum, et adimplebo illud. Ubi significat in homine voluntatem accipiendi quod Deus donat volenti; at ad voluntatis exordium pertineat, Dilata os tuum, ad Dei autem gratiam, et adimplebo illud.* En diserte assignatum voluntati (utique antecedenter præventæ et concomitanter adjutæ) exordium consensus liberi, Deo autem adimpletionem. Quod enim ea præventio illudque adjutorium non proponatur expresse eo psalmi loco, sicut proponitur in aliis verbis ex IV Exodi, parum refert, quia quod subticetur, non idcirco negatur. Itaque voluntas, asserente per Psaltem Spiritu sancto, et interprete D. August., suppositis divinis auxiliis antecedentibus et comitantibus ad manum positis, præbet exordium cudendi liberi consensus, quo vult accipere quod Deus donat volenti. Eo sensus autem exordio posito, factaque per hominem ea apertione et dilatatione oris, Deus adimplens sive perficiens non deest. Videsis in eamdem sententiam, philosophantem egregie Augustinum **74** serm. 7 de Verb. Apost., sub initium, ubi, ad accipiendam gratiam divinæ bonitatis, vult aperiri ab homine sinum voluntatis, et hominem monet ut Deus velit ei quod petit dare, accommodandam ipsi homini esse voluntatem ad accipiendum. Et libro contra Epistolam Fundamenti, cap. 1, in ipso fine: *Nostrum fuit velle has partes expetere, Dei est volentibus et petentibus donare quod bonum est.* Hæc tam genuina sunt iis quæ apud Valerianum calumniæ patent, ut non videam sitne gutta guttæ similior.

15. Eucherius Lugdunensis, aut quisquis alius auctor homil. 11 de Paschate, perperam Eusebio Emisseno inscriptæ, respondens percontanti cur Deus salutem hominis, eo quo perficitur modo sanxerit exsequendam, non autem jure supremi dominii hominem liberando et obstipum jacentemque subvehendo ad gloriam, hæc habet præter cætera: *Iniquissimum videtur ut qui ciderat voluntarius erigeretur invitus. Vides quia dignantissimi medici studium infirmi sui requirit assensum? Per liberum arbitrium est excepta captivitas; per liberum rursus arbitrium erat restituenda libertas. Dominus enim qui januam reserat, etiam sollicitudinem pulsantis exspectat. Pulsantis, inquam; nam ubi labore studuerit reparare quod perdidit, nec damnum rei perditæ, nec fructum sentiet restitutæ. Beneficium non potest custodire qui nescit desiderare. Periclitatur munerantis donum, si non inveniat suscipientis effectum.* Et mox: *Hoc elaborat divina Providentia, ut quia consensus crimen intulit perdito, voluntas meritum conferat acquisito, et devotio reparati justitiam reparatoris ostendat;* utique dum homini pro bona sua voluntate benigne facit, perficitque et consummat quod homo adhibito dumtaxat affectu inchoaverat, conferens quod suum est. Ita enim ferunt quæ retulimus, suntque, sin minus verbis, at saltem sensu, eadem cum illis quæ apud Valerianum purgamus. Et utrorumque sensus est quem toties jam profero: nempe hominem divinitus invitatum, præbere prius ratione assensum, pulsare, et velle; idque contuentem Deum cooperari homini, et opus perficere ad quod voluntatem illexit, ac ne per ingruentia discrimina avertatur a recto, providere cœlestes suppetias, quibus voluntas roboretur atque fulciatur adversus hostiles impetus et intestinum dissidium.

Ne vero quis Eucherio (si is est homiliæ auctor), ob affinitatem cum Hilario Arelatensi, Semipelagianismum impingat, expendat illa ex hom. 9 quibus brevius eamdem doctrinam proponens, ait hominem non fuisse compellendum, sed ducendum ad salutem: ut sua voluntate repararetur, qui sua voluntate ceciderat, esseque locus et virtuti et remunerationi, et idcirco hominem a Deo non abripi per violentiam, sed per benevolentiam sollicitari et erudiri in vitam: *Quia benignitas provocantis etiam meritum desiderat acquiescentis, et dignantissimi medici studium infirmi sui requirit assensum.* Non poterat concinnius et apertius divinam præventionem testatam dare, seque Semipelagianismi tunc maxime vigentis labe eximere.

Alius ex Eucherio locus in hanc rem expensione dignus habetur homil. 3, ad Monachos, sub finem; sic enim scribit præter cætera: *Ubi viderit Deus devotionem animi, ardentiorem insinuabit affectum, et quantum nos addiderimus ad studium, tantum ille apponet ad adjutorium; quantum nos apposuerimus ad diligentiam, et tantum ille addet ad gloriam. Qui habet dabitur illi, et superabundabit. Et alio loco dicit: Posui adjutorium supra potentem.* Hæc eidem reprehensioni patere videri possunt, cui verba apud Valerianum suspecta. Nam Deum adjuvare potentem, et appetere adjutorium ad studium, et affectum insinuare, ubi devotionem viderit, idem sonare videtur quod illa Valeriani: *nostrum est velle, Dei perficere.* Sensus tamen Eucherii est omnino catholicus, et probe cohæret cum gratuita prævention e. Nam scopus ejus est, docere quo plus homo collaborat gratiæ Dei, eo ampliorem quæstum facere, magisque semper ac magis ditescere. Ita tamen, ut velit initium laboris a Deo præveniente factum, cui propterea totum laboris fructum ac quæstum hominis vult ascribi. Sic enim paulo ante verba proposita loquitur: *Sanctus adhuc sanctificetur, quotidie addamus ad merita, nec de nobis aliquid præsumamus, quia Dei est omne quod possumus.* Et statim post verba quæ antea retulimus tamquam suspecta, ita concludit, aperte eluens omnem in verbis illis suspicionem: *Gratia ergo de gratia nascitur, et profectus profectibus serviunt, lucra lucris, et merita meritis lucrum faciunt; ut quanto quis plus acquirere cœperit, tanto plus conetur et delectetur acquirere, ut acquisitionis lucrum acquirendi nutriat appetitum.* Quem ergo catholicum sensum posteriora et anteriora Eucherii verba, intermediis illis quæ Valeriani loco affinia diximus, aperte ferunt, quidni verbis quoque Valeriani, cum nihil apud eum obstet, aptare liceat?

16. S. Dorotheus divinæ gratiæ frequens assertor, cui S. Theodorus Studita, vir et sanctissimus et doctissimus, ac suo tempore fidei in Oriente columen, in Testamento, num. 4, testimonium perhibet sincerissimæ ac catholicissimæ doctrinæ in omnibus scriptis, ita loquitur doctr. 10 n. 2: *Deus illum respicit et libenter adjuvat, datque illi quietem, qui viriliter decertat, et sibi ipsi vim facit. Itaque nos ipsos, fratres, cogamus, compellamusque, ac stabile fundamentum jaciamus, velimusque tandem quod bonum est. Nam etsi perfecti*

nondum sumus, perfectionem tamen ipsam velle, et quod bonum est appetere, principium et fundamentum est nostræ salutis. Simul ac enim velle cœperimus, cœpimus auxiliante Deo et pugnare. Non deerit qui nos ad parandas virtutes adjuvet, modo ipsi decertemus. Proinde quidam ex Patribus frequenter dicere solebat : Da sanguinem et accipe spiritum. Hoc est, certa, contende, enitere, et habitum procul dubio virtutis acquires. In his verbis, sententia quæ in Valeriano male audiebat, multipliciter continetur. Ut enim Deus hominem respiciat, ut Dei adjutorium accedat, ut Deus quietem det, et ad perfectionem pertingere contingat; vult Dorotheus hominem fundamentum suæ salutis jacere, et velle ac appetere quod bonum est, cui volitioni spondet non defuturum Deum, et præstito per nos sanguine, hoc est sudore et conatu nostro, ut ipsemet interpretatur doctr. 11, contestatur non defore divinam gratiam ac spiritum, et subsecuturam perfectionem ad quam connitebamur. Similiterque doctr. 14: *Incipe*, inquit, *forti animo et fide constanti erga Deum. Ostende illi animi tui propositum ac studium, et adesse ibi procul dubio senties auxilium illius ad recte agendum et cum virtute.*

Hæc si apud S. Dorotheum eadem severitate acciperentur, qua criminator accipi vult apud Valerianum, et sensus esset, conatui ex mera libertatis vi naturali humanisque viribus concepto subjungi Deum opitulatorem, ea dispositione pellectum, adducentemque ad perfectum; male omnino S. Theodorus Studita **75** testatum Ecclesiæ moriens reliquisset, nihil in S. Dorothei doctrinis contineri contra rectam et sanam fidem. Est enim error exploratus et jam compertus S. Dorothei ævo (hoc est sub annum Christi 360), multoque magis tempore S. Theodori Studitæ (id est, anno Christi 800), asserere gratiam divinam subjungi humano labori tamquam dispositioni. Itaque sensus Dorothei is est quem Valeriano similiter loquenti dedimus : nempe homini ex gratia et per gratiam divinitus præmissam operanti, ac fundamentum ulteriorum et uberiorum auxiliorum per bonum usum priorum jacienti, rependi a Deo spiritum; et Deum accedere consummatorem operis suppeditatione gratiæ largioris ac concessione perseverantiæ, quæ homini a Deo exspectanda est ultra vocationem.

S. Gregorius papa, referente S. Zacharia Romano pontif., epistola 6, ad S. Bonifacium Moguntinum (exstat tomo II Decret. Epist. sum. pontif. et inter Epist. S. Bonifacii post 137), hæc verba habet : *Bonum opus sit in voluntate, et cum Dei adjutorio erit in perfectione.* Non alium S. Gregorium quam Romanum, allegari ibi a S. Zacharia, persuasissimum habeo. Neque enim Pont. Rom. scribens, alium Gregorium, sine addito aliquo discriminante adduceret. Præterquam quod fuit ille pontifex S. Gregorio addictissimus, ejusque Dialogos Græce vertit, ut refert Photius. Ubi is locus apud S. Gregorium Magnum legeretur, hæsi alias ambiguus. Nam loca duo S. Gregorii quibus ea verba contineri notat Serarius in scholiis ad S. Bonifacii Epistolas, nihil tale revera continent. Sed postea deprehendi eum locum haberi hom. 21 in Evang., sub initium. Et quamvis is locus nullibi apud S. Gregorium occurreret, indubie tamen habendus esset germanus S. Gregorii, quia de fide S. Zachariæ pontificis in allegando S. Gregorii loco, dubitare non licet. Et quamvis aliquis perfricte auderet diffiteri ea verba esse S. Gregorii, sola S. Zachariæ pontificis auctoritas ad plenam eorum indemnitatem satis superque esse posset. Itaque locus allegatus duorum sanctissimorum pontificum auctoritate communitur. Hinc quanta tutela accedat Valeriano, qui non aliud dixit quam hi fidei magistri, nihil attinet exponere. In epistola 40 Hormisdæ papæ, quæ est ad Anastasiam et Palmatiam (est 34 in tom. I Epist. Decretal.), in hujus Pontificis epistolarum serie, habentur verba, loco proxime citato valde affinia. Hæc nimirum : *Bonæ voluntatis studium divinæ semper comitatur prosperitatis effectus.*

S. Ildephonsus, serm. 1 de Assumpt. initio : *Sit nobis bona voluntas in affectu, erit pro certo Dei adjutorium in proventu.* Quid clarius? Quid Valeriani dicto similius?

Beda in negotio gratiæ versatissimus, et D. Augustini studiosissimus, tantum abest ut vitium ullum in Valeriani verbis quæ excutimus subolfecerit, ut potius q. 13, ex variis quæ habentur tom. VIII, ea proferat ex libro Sapientiæ. Sic enim scribit : *Deus hominem fecit perfectum, et talem scilicet qui posset velle bonum et non velle. Et hoc est liberum arbitrium, velle scilicet et nolle absolutum. Hoc est, velle suum hominis per naturam sic dicitur in Sapientia, Nostrum est velle, Dei autem perficere. Nostrum scilicet per naturam. Et Apostolus : Velle quidem adjacet mihi per naturam; sed hoc velle et hoc bonum depravavit homo peccando, et quasi exstinxit; non tamen omnino, quia semper remansit in eo aliqua scintilla boni. Et quando Apostolus dixit, Deus operatur velle, sic non intelligimus, quo modo primum ponat in eo velle, sed voluntatem, quæ in eo est per naturam depravatum et quasi exstinctam suscitet et reviviscere faciat. Sic facimus convenire ista duo, quod Scriptura dicit : Nostrum est velle, et quod Apostolus : Deus operatur velle cum libero arbitrio.* Horum quidem verborum cortex, *nostrum est velle, Dei autem perficere*, in libro Sapientiæ non comparet. Itaque expressum esse a Beda sensum necesse est; fortassis loci illius ex cap. XII, quo pronuntiatur Deum cum magna reverentia nos disponere. Nempe quatenus antecedenter prævent os atque pulsatos cogitatione et suavitate non libera dimittit nobis ipsis, nostrumque liberum velle, sive nostram ad actum elicitum consensus determinationem præstolatur, perfecturus quod illa tulerit. Fortassis expressit locum illustrissimum de Libero Arbitrio, ex cap. XV Ecclesiastici, qui liber cum sit sapientialis, interdum appellatur *Sapientia.* Quidquid vero sit de Scripturæ loco, quo Beda propositam sententiam expressam censuit, sufficit in præsentia eam Bedæ fuisse certam et plane catholicam, cum etiam a Spiritu sancto dictatam existimarit. Diserte enim quod prius dixerat haberi in Sapientia, mox subdit haberi in Scriptura; ut proinde non possit quis existimare Sapientiam a Beda primum memoratum esse librum sapientis alicujus scriptoris non canonici.

17. S. Damascenus, orat. 3 de Imag., tradens primum genus eorum, quibus potest adoratio deferri, ait eo contineri sanctos : *Qui pro virili conformes se reddiderunt Deo, suamet voluntate et destinato proposito per cohabitantem et cooperantem Deum; qui et vere dii nuncupantur, sed adoptione, non natura*, etc. *Hoc primum a libertate pendet propositi et voluntatis. Deinde omni qui certa deliberatione et animi destinatione proponit bonum, Deus cooperatur in bonum.* Idem, l. II Fid. Orthod. c. 29 : *Nosse oportet electionem agendorum in nostra esse potestate, finem autem bonum in Dei cooperationem juste cooperante iis qui recta conscientia bonum eligunt, secundum præscientiam ejus.* Quem interpres vertit *finem bonorum*, æque vertere poterat, aut etiam debebat *perfectionem.* Neque enim eo Damasc. loco potest sermo esse de causa finali, ut per se patet. Vox autem Græca τέλος quam ibi adhibet Damascenus, non causam tantum finalem, sed alia etiam multa significat; interque ea *perfectionem*, ut notavit, qui de vocis illius polyonymia agit, Stobæus in Eclogis ethicis capite 3, initio. Idcirco addens nuptias Dorice dici τέλος, vel quod juventutem perficiant, vel quod virum mulieri sociatum perficiant; qua ratione pronubam Junonem *perfectam* dictam observat. Itaque aperte Damascenus idipsum ait quod Valerianus, *nostrum esse velle et eligere, Dei perficere.*

Marcus eremita, tractatu de Paradiso, interrogatione ultima : *Jubet Deus ut homo imprimis cognoscat, et, cum cognoverit, amet ac voluntatem depromat. Ut autem mens exerceatur, laborem perferat, aut opus aliquod perficiat, gratia Domini largitur volenti et credenti. Quare voluntas hominis est velut auxilium a na-*

tura insitum, qua absente ne Deus quidem quidpiam operatur, tametsi facultate non careat, quod fit ob arbitrii humani libertatem. Igitur operis perfectio, Dei: voluntas autem, hominis. Non est opus Marci et Valeriani verba conferre, tam genuina sunt, immo tam eadem. Tantum opponi potest hunc quoque Marcum admodum morbosum censeri. Hoc ego quoad alia nunc non excutio. In hoc tamen puncto plane sanus est. Nam ubi S. Macarium homil. 37 fere exscripsit, in verbis quæ **76** ante postremam hanc interrogationem habentur, aperte tradidit gloriam prævenientem. *Numquam*, inquit, *existimes te prævenisse Dominum in virtute, ex ejus sententia qui dicit : Ipse est qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate.*

18. Strabus Fuldensis, in Glossa ordinaria in capite III Ezech. ad illud : *Et aperui os meum*, describens eo loco S. Hieronymum, ita scribit : *Aperto ore Dominus cibos largitur : ut initia voluntatis in nobis sint, et perfectionem beatitudinis a Domino consequamur. Non est enim volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Velle tamen et currere, nostri est arbitrii.* Hæc aperte sunt eadem cum illis quæ leguntur apud Valerianum; et cum Strabus ea apud Hieronymum lecta sua fecerit, satis monstravit nullum se in eis errorem subodoratum.

Theophylactus, qui, ut liquet ex præfatione in Evangelium Matthæi, et ex Comment. in caput XXII, ad illud : *Multi sunt vocati*, catholicissime de salutis initio et gratia præveniente sensit. Tamen in capite IX ad Romanos, ad illud : *Non est volentis*, hæc verba habet : *Videtur hic liberum arbitrium tollere Apostolus. At illud non agit : Non quemadmodum de domo dicimus : Totum est artificis, cum interim opus habeat materia, et cooperatoribus ipsum adjuvantibus; attamen quia rei consummatio ab illo pendet, dicimus : Totum hoc illius, nimirum fabri est, vel eam domum iste faber condidit. Non dissimili ratione et nostra voluntate indiget Deus. Attamen quia ille consummat et perficit, dicimus, Totum hoc Dei est.* En Deus, juxta Theophylactum, in negotio salutis consummat et perficit : non accedit tamen consummator quin interveniat nostra voluntas, qua non præsupposita, non cooperaretur nobis, neque consummaret aut perficeret salutem nostram. Quid aliud dicit Valerianus? Recolatur locus supra, num. 9, adductus ex Chrysostomi hom. 42, ad pop., quam Theophylactus aperte defloravit, et esse quam proposui ejus mentem erit extra dubium.

19. Philotheus Constantinopol., orat. in tertiam jejuniorum Dominicam, de crucis Adorat., expendens illud Christi : *Si quis vult venire*, satis fuse aperit divinum consilium in relinquenda homini potestate suæ voluntatis in negotio salutis suæ, tandemque concludit : summam dignitatem ac pretiositatem bonorum, quæ nobis Deo obaudientibus parata sunt, in causa esse cur vi trahendi non simus, præsertim cum ea quæ accipiuntur cum necessitate ac vi non diu perseverent. Tum subdit : *Hac de causa non cogit Christus, sed si quis vult sequi, eum vocat, eumque admittit. Si volueritis*, inquit, *et audieritis me. Prius est velle, et tum demum audire. Si non voluerimus, neque audire poterimus : omnes enim virtutis et vitii functiones in voluntate nostra sitæ sunt.* Nec aliter Joannes Xiphilinus item Constantinopol. patriarcha, orat. de eodem argumento, iisdem prope verbis locum illum Isaiæ adducens ad propositorum Christi consiliorum illustrationem : *Per Isaiam*, inquit, *dicit, Si volueritis et audieritis me. Prius enim velle oportet ac tum audire, ut pro nostra parte liberi simus. Ibi enim ex eo quod nolimus, fit ut non audiamus. Sic omnis beatitudo et pœna dolorumque perpessio a nostra libera potestate proficiscitur.* Uterque aperte profecit ex Chrysostomo, orat. de eodem argumento.

In horum auctorum dictis quæ retuli, non modo rimo loco statuitur velle liberum, quod in Valeriano ocatur in suspicionem, sed etiam, quod durius est, ocatio videtur subjungi liberæ volitioni, quatenus A auditio quæ vocationem assectari videtur postposita ab illis est volitioni. Quasi volitio vocationem advocet aut impetret, ut dixit etiam S. Ambros. lib. I de Cain cap. 8, agens de vocatione Zachæi, quem ait impetrasse ut vocaretur. Quæ multo duriora sunt iis ex parte aliqua similibus quæ tam severe accipiuntur apud Valerianum. In horum ergo auctorum locutionibus, *velle*, quod jacitur tamquam fundamentum primum totius substructionis ulterioris, non est ita primum, quin divinæ motioni anteriori ex qua productum est inædificetur; sed tantum dicitur prius respectu divinæ gratiæ cooperantis, et reliqui progressus consequentis : est autem plane posterius divina gratia excitante ad volendum, sive vocatione quæ non impetratur prout omnino prima, sed tantum prout expressior vel uberior; aut prout sollicitat ad ulteriora opera bona, connexa cum primo, ex divina gratia mere liberaliter concessa, et nullis bonis operibus impetrata, præelicito. Ei autem eatenus primæ volitioni Deus adjungit quod suum est, et perfectionem nostri illius initii, nempe gratiam cooperantem B ac subsequentem, quibus nostrum illud rudimentum ex divina præventione excitatum confovetur, et ad perfectum adducitur. Quidni longe mollius locutum Valerianum eodem modo accipere liceat, equidem non video.

20. S. Bernardus, lib. de Interiori Domo cap. 68 : *Potestatis nostræ est divinæ inspirationi acquiescere, et quæ ad salutem nostram pertinent, eligere et sequi. Divini vero muneris est ut possimus adipisci quod sequendo cupimus consequi.* Hæc cum sententia quam apud Valerianum male audire volunt tam genuina sunt, ut non sit facienda contentio. Nec refert quod eodem capite Bernardus tam diserte astruat necessitatem gratiæ prævenientis, doceatque *nullam esse humanam industriam sine Dei gratia; et esse in nobis libertatem ut vel eligamus vel sequamur, sed admonente prius Deo et invitante ad salutem.* Nam quod D. Bernardus explicite dixit, hoc alii Patres eodem modo lo- C cuti quoad posteriora illa verba non excluserunt, sed subintellexerunt, ut sæpe ostendimus.

Hugo Victorinus, l. de Spiritu et Anima (ipse enim censetur verus ejus operis parens), cap. 48, eadem verba quæ nunc ex Bernardo descripsimus adhibet ac proinde in eamdem rem urgeri potest. Ante utrumque eodem modo locutus est Rabanus lib. IV de Universo, c. 10. Omnes, ut supra etiam, cap. 7 num. 5, notabam, profecerunt ex lib. de Eccles. Dogmat. c. 21, cujus auctor fuit Gennadius, qui proinde æque potuisset adduci, si constaret illud caput non esse alicujus catholici scriptoris additamentum ad Gennadium, vel corrigendum (est enim de Semipelagiana fuligine suspectus), vel explendum. Video me a peritis ridendum, si admoneam hunc Gennadium esse illum Massiliensem qui sub annum Christi 490 floruit, non autem illum Gennadium Scholarium, qui Constantinopoli sedit ante annos plus minus ducentos, sub annum scilicet Christi 1440, et pro Ecclesiæ Romanæ ac Græcæ concordia strenue egit in concilio Florentino. Quominus tamen id obiter monere supervacuum D non sit, facit peritia criminatoris, apud quem mille anni tamquam **77** dies unus; et idcirco Gennadium libri de Ecclesiasticis Dogmatibus auctorem, vocat Gennadium Scholarium.

Rupertus, libro in Josue capite X, tractans exploratores a Josue missos, sic habet : *Non ergo quisquam ullo in negotio tantum de cœlestibus præsumat præsidiis, ut non etiam ipse sibi prior adsit vigilando pro facultate ingenii, laborando pro portione virili. Nam sicut minimæ fidei est de divinis dubitare promissis, sic nimiæ temeritatis vel præsumptionis est cœlestem per miracula præstolari opem, otiose sedendo manibus compositis. Hominis namque est incipere, Dei autem perficere.* Quid clarius? quid Valeriani dictis quæ in suspicionem vocantur affinius? Neque tamen Rupertus umquam Semipelagianismi notatus, vel utcumque insimulatus est. Immo explicatissime ac

creberrime catholicum dogma de perpetua gratiæ divinæ auxiliatricis præventione apud eum est reperire. Locum vero in hanc rem totam ipsis solis radiis scriptum legere est libro ejus x de Officiis c. 8, ubi quomodo et præventio Dei sit necessaria, et tamen nostrum sit velle, Dei perficere, egregie aperit.

21. Laurentius Justinianus, lib de Contemp. mundi c. 3, cum præmisisset noscendum esse tantum liberum arbitrium esse nostrum proprium, cætera autem sive naturalia, sive gratuita, esse Dei munera, concludit in hunc modum : *Virtutes et meritorum cumulo, et liberi arbitrii assensu creantur, Dei nihilominus cooperante virtute, quæ liberum arbitrium juvat.* En liberum arbitrium ejusque partum, electionem, beatus hic doctor ait esse *nostrum proprium;* Deo autem tribuit perfectionem per cooperationem gratiam adjuvantem, quod plane idem est ac si cum Valeriano dixisset, *nostrum esse velle, Dei vero perficere.* Et tamen fuisse Laurentium Justinianum in negotio gratiæ usquequaque sanum et catholicum, patet ex illo ipso capite quod adductum est. Et optime etiam ex Fasciculo Amoris c. 8, sub finem, et ex lib. de Discipl. et Perfect. cap. 23.

Non pigebit tot sanctis doctoribus sanctam virginem a Deo eruditam subtexere; cum apud Deum, ut non Judæus aut Græcus, servus aut liber, ita neque mas aut femina sit. B. Hildegardis, quam sanctus Bernardus, et multi magni præsules, ipsique etiam summi pontifices, propter cœlestem sapientiam, datis ad eam litteris coluerunt, respondens ad quæstiones Wiberti monachi Gemblacensis, aperte agnoscit Dei esse perficere bona opera quæ nos voluerimus. Sic enim habet ad quæstionem, Quid proprium, quid commune habeant gratia et liberum arbitrium : *Gratia Dei et liberum arbitrium hoc commune habent, quod homo in scientia boni et mali, utrumque et bonum et malum ad operandum eligere potest : et quod per proprietatem liberi arbitrii secundum gustum et desiderium carnis quæ numquam coactus dimittere potest, elegerit, hoc diabolo adjuvante perficit, et quod secundum voluntatem animæ elegerit, hoc gratia Spiritus sancti adjuvante perficit.* En, *liberum arbitrium potest eligere quæ Deo adjuvante perficit;* quod ipsum est a Valeriano dictum, *nostrum est velle, Dei perficere.*

Hæc quæ retulimus, et similia quæ apud Patres occurrunt, ita omnes accipiunt ut gravissimos Patres, hoc est florem ecclesiasticæ eruditionis, Semipelagianismi non damnent : sed pro argumento de quo agunt variis viis benigne exponant. V. g., ita ut voluerint *nostrum esse velle, Dei vero perficere*, quatenus divinitus vocati atque præventi libere assentimur, cum possemus non assentiri, eo quod etiam post vocationem, ut expresse dixit Chrysost. hom. 4 de Laud. Pauli, simus domini consensus nostri; quamvis ad perficiendum et exsecutioni plane mandandum bonum propositum, necessaria sit gratia divinitus conferenda. Vel certe ita ut noluerint hominem divinitus præventum præstare libere Deo consensum, et sic, ejus esse velle; Deum autem homini libere volenti cooperando perficere effectum primæ vocationis. Vel præterea ita ut tantum concedant homini ex se et ex nudis naturæ viribus operanti, imperfectam boni volitionem, quæ ne remote quidem disponat ad justitiam; et idcirco Dei sit egestatem nostram honestando perficere in nobis per gratiam, quod numquam ex se præstaret natura. Qui omnes sensus, et si qui sunt alii supra tacti, eximunt Patres e calumnia, quamvis semper non meminerint gratuitæ præventionis, eo quod non id agerent, ut de seipso dixit D. Augustinus I Retract. cap. 9, excusans suum silentium, aut certe parcitatem memorandi gratiam in libris de Libero Arbitrio, quos ante exortam hæresim Pelagianam conscripserat. Non, inquam, id agunt Patres, ut ubivis omnia dicant, sed pro subjecta materia quod ad lectoris vel auditoris ædificationem confert, hoc proponunt. Reliqua quamvis taceant, non tamen concludunt. Ad hanc normam exigenda sunt Patrum scripta, quoties Patres intenti in argumentum quod tractant, adjunctum aliquod minus explicare proponunt; quod esse illis admodum frequens, notavit S. Anselmus lib. de Sacram. altaris cap. 13. Nec potest sine gravissima in viros æque doctissimos et sanctissimos injuria et Ecclesiæ probro negari illis hæc sive reverentia sive benignitas.

22. Quod ergo in aliis Patribus necessario facimus, quidni in Valeriano æque fiat? Non enim adversus eum militat quod contra Cassianum et Faustum esse vidimus : ut scilicet reclamarint adversus eum Patres qui per ea tempora vivebant, erantque probe conscii mentis ac sensus quo dictum aliquatenus lubricum, et in bonam malamve partem flexile, fuerat prolatum. Itaque idem de Valeriano, quod de tam multis aliis Patribus, similiter vel etiam durius locutis, pronuntiandum est. Immo quamvis Valerianus non versaretur in eadem navi cum tam multis aliis Patribus, æquum foret sententiam quæ in verum æque ac falsum sensum potest accipi, interpretari in bonum ac catholicum sensum. Ita enim postulat Christiana charitas, et mititas. Et ut Nazianzenus, orat. 8, recte censuit : *Non facile de alio malum suspicatur, qui non facile ad malum impellitur.* Ita neque alienis dictis, præsertim quæ annositate incanuerint, subjacere falsitatem facile persuadebitur, qui veritatis et sinceritatis ipse sit amans, nec minus cum aliis agere, quam agi secum candide velit.

CAPUT X.

An Valerianus, Sancti titulo, quo jam olim in mss. potitur, exuendus.

1. Quod olim in sua causa Madaurensis philosophus, hoc in Valeriani negotio, unius et alterius voculæ immutatione dicere licet. *Ecquandone vidisti flammam, stipula exortam, claro crepitu, largo fulgore, cito incremento? Sed enim* **78** *materia levi, caduco incendio, nullis reliquiis. Hem tibi illa accusatio jurgiis inita, verbis aucta, argumentis defecta, rebus flaccens, strepitu vigens, nullis post æquorum arbitrorum sententiam reliquiis calumniæ permansura.* Nihil a me exaggeratum, nihil oratorie aut cum veritatis vel charitatis parcitate dictum, intelligunt qui criminationis Valeriano quoad doctrinam impactæ ortum et progressionem edocti, jus ejus et eventum, inanitatem, inquam, et infirmitatem, ex hac lucubratiuncula æstimabunt. Nunc tractandum superest alterum criminationis caput supra propositum, spectans ad *Sancti* prænomen. Quamquam poterimus hac in parte esse breviores, non modo quia criminator unicum ejus fundamentum profert, corruptam Valeriani doctrinam, quod satis hactenus disjecimus; sed etiam quia hæc criminationis pars, non tam ipsum impetit Valerianum, in quem tuendum et purgandum incumbimus, quam alios qui ei titulum illum detulerunt. Severitas tamen criminatoris, ejusque in re quam accipere benigne licuerat charitatis parcitas, hoc quoque criminationis caput obiter et in transcursu attingere suadet.

2. Inde ergo infert criminator, Valerianum perperam et cum fidei catholicæ injuria Sancti titulum præferre, quod Semipelagianus cum fuerit, veræ sanctitatis, quæ extra catholicam fidem nulla est, expertem fuisse fatendum sit. Quod enim de sui temporis hæreticis a sancto Irenæo scriptum est, lib. IV c. 60, æque in omnes quoad pietatem et sanctimoniam intorquere licet. *Putativum est, et non veritas, omne apud eos.* Notavit quidem Origen., homil. 7 in Ezech., nihil esse hæreticis familiarius quam ut *per umbram sanctitatis* simplicibus fucum faciant, idque Augustinus, l. II advers. Litter. Petil. c. 18, diaboli et electorum ejus organorum proprium esse confirmavit; tamen qui juxta veram definitionem datam ab Epicteto, c. 36 Enchiridii, *probitatis et sanctimoniæ simii dumtaxat sunt*, et reipsa eo nomine a Patribus insigniuntur, nominatimque a sancto Ignatio, epist. 9, et a sancto Cypriano epist. ad Jubaianum, facile pro-

dunt, quæ tandem sit illa sanctitas, cujus larvam deformosissimæ et omnibus modis fœdissimæ vitæ obtendunt. Non secus ac ille Alexandrinus simius, apud Nyss. lib. ad Harmonium de Christian. Nomine, objectis nucibus posuit personam, seque quod erat exhibuit. Quare cadit haud dubie hac causa Valerianus, si extra fidem catholicam, quæ unica est vera et Christiana fides, vitam et animam egit.

Qua ratione sanctus Maximus monachus et martyr, epistola ad Petrum Illustrem, contendit titulum *sancti* Pyrrho in hæresim prolapso esse denegandum. *A cuncta enim*, ut ait, *cecidit sanctitate, qui ab Ecclesia catholica sponte prosiliit.* Et addit : *Non nisi per piam confessionem et orthodoxam fidem, sanctificationem recipit, sanctumque vocabulum.* Liceat hic profecto dicere, quod Fredericus imperator, apud Tagemonem, in expeditione Asiatica legatis imperatoris Constantinopolitani ingessit. (Dominus vester *Sanctum* se appellat. Mirabilis est sanctitas quæ sanctos viros, honestos, religiosos, benigne, utpote fideles nuntios in osculo pacis exceptos, in quorum ore non est inventum mendacium nec iniquitas, subito consuevit incarcerare, et fame ac nuditate usque ad mortem macerare. Longe faciat a nobis Deus talem sanctitatem!) Dicere, inquam, similiter liceat, Valeriani Semipelagianismo supposito, Apage sanctitatem fœda hæresi contaminatam! apage sanctum hæreticum!

3. Non est tamen operosum demonstrare quantopere hæc accusatio frigeat. Absque vera enim fide nullum esse sanctitati locum, extra controversiam est, ut non sit opus in locum communem excurrere, quo sanctam Ecclesiam catholicam, unam et solam; hæreticorum autem spelæa, improbitatis et nequitiæ latibula esse, planum fiat. Illud ergo demonstrandum fuerat, abfuisse Valerianum a vera fide, quæ illi, ut evici, non nisi per calumniam et inanem plane suspicionem abrogata est. Et ut cum parcissimo charitatis criminatore Valeriani agam liberaliter, demus sane convictum ab eo fuisse Valerianum Semipelagianismi, ita ut labis illius indeclinabiliter et inexcusabiliter compertus habeatur. Equidem quod de Fausto et Cassiano quoad gratiæ negotium supra retuli; deque sancto Cypriano quoad hæreticorum anabaptismum; de sancto Chrysostomo quoad Deiparæ leves culpas; de sancto Irenæo quoad Millenarium; deque aliis plerisque viris sanctissimis quoad alias materias in confesso est; de Valeriano quoque dici queat errasse nimirum materialiter et absque pertinacia, nondum re tunc aperte per Ecclesiam definita; cum tamen hæreticum vereque fidei exsortem non faciat assertio falsa, sed contumacia et obfirmatio adversus Ecclesiam fidei magistram, juxta insignem Augustini doctrinam ad Vincentium Victorem, cujus multos et pingues errores retulerat l. III de Origine Animæ c. 15. *Absit*, inquit, *ut te arbitreris hæc opinando a fide catholica recessisse, quamvis ea fidei sint adversa catholicæ, si coram Deo, cujus in nullius corde oculus fallitur, veraciter te dixisse resipiscis, non te tibi ipsi esse credulum; probari ea quæ dixeris posse, ac studere te semper etiam propriam sententiam non tueri, si improbabilis detegatur : eo quod tibi sit cordi, proprio damnato judicio, meliora magis, et quæ sint veriora sectari. Iste quippe animus etiam in dictis per ignorantiam non catholicis, ipsa est correctionis præmeditatione ac præparatione catholicus.* Et l. de Dono Persev. c. 21, idem Augustinus rationem reddens consilii quo ad retractanda quæ ad illud usque tempus scripserat animum appulerat, sibique inter scribendum errores aliquos excidere potuisse professus, cujusmodi sane erat hic ipse, in quo versamur de actu fidei et salutis initio ex naturæ viribus, quem errorem junior et rerum gratiæ rudis docuerat; *Sed interest*, inquit, *quantum et in quibus rebus erretur; et quam facile quisque corrigat, vel quanta pertinacia suum defendere conetur errorem. Bonæ quippe spei est homo, si eum sic proficientem dies ultimus vitæ hujus invenerit, ut adjiciantur ei quæ proficienti defuerunt, et perficiendus A quam puniendus potius judicetur.* Hanc pro eo decore quod Valeriano salvum volumus, excusationem nemo inidoneam censuerit, qui æquus æstimator esse velit humanæ ad labendum fragilitatis, divinæque in nos benignitatis, cum abest obduratio animi in errore quem imprudens adieris, non etiam sciens volensque retineas.

4. At rigidum censorem canæ vetustatis, et qui parcus charitatis, summo jure cum ea agere obfirmaverit in re de qua agimus, monitum velim, consideret diligenter, ne cum ea benignitatis parcitate injuria, nec qualicumque, sed irreligiosa et ipsi cœlo infesta adjungatur. Quam in rem, recoli velim ex c. 1 quam non vanis conjecturis admodum verisimile effecerimus, **79** hunc esse Valerianum illum, qui ex abbate in episcopum promotus, ad omnem sanctimoniam (quod hæ homiliæ docent) commissum sibi populum informavit, et communicatoriis cum sancto Leone litteris frequenter usus, plerisque conciliis catholicis subscripsit, famamque suam ad posteros sin minus splen- B didam, et quod negari non potest aliquatenus obscuram, at nullo saltem sinistro rumore aspersam transmisit. Nec enim proditur, vel per conjecturam, qui ab omni retro ævo locutus sit de eo verbum malum. Quin etiam sancto fine quievisse, et tabulis lyrinensibus ac Martyrologio monastico stata die 24 Julii insertum tamquam cœlitem, iis indiciis astruximus, quibus potiora et clariora non sunt, quæ veterum plerisque pacificam servant possessionem tituli ac decoris, de quo recens Valeriano iis movetur. Sed quid perantiquum longeque firmissimum pro Valeriani sanctitate suffragium diutius premo? Veteres mss. codices, ex Sancti Galli aliisque illustribus bibliothecis deprompti, Valerianum Cemeliensem harum homiliarum auctorem, *Sanctum* diserte indigitant. An non igitur exemplo non bono, nec absque temeritatis periculo, tentatum videri potest a Valeriani criminatore, de antiqua possessione dejicere eum, cujus sanctitatem nullo firmo argumento, nulla C vel probabili ratione infirmaverit, sola caligine rerum illius, quam ævum aliis tam multis et sanctissimis et eruditissimis viris offudit, injurie prætenta?

5. Videt lector *quam nullo negotio*, ut Mamerti verbis utar, *veritatis calor frigentium verborum pruinas liquefaciat;* nec necessarium hoc loco esse ad illam aliam in Valerianum machinæ declinationem confugere, quæ videri cuipiam posset non intuta. Nempe antiquam prænominis hujus communicationem, non esse ad præsentem Ecclesiæ usum admittendam. Nunc enim non nisi plane *vindicati*, ut cum sancto Cypriano loquar, hoc titulo decorantur : ita ut ne illi ipsi quidem, quos Ecclesia cœlestibus honoribus cum aliqua restrictione prosequitur, *Sancti* nominentur, sed *Beati* dumtaxat, quamdiu ea restrictio non amovetur, eaque comperendinatione plenæ ac omnimodæ sanctitatis eorum illustrationi procluditur.

Alium vero olim ad usum eam appellationem impertiendi viguisse, nemo tam hospes est in Patrum libris aut in ecclesiastica historia ut ignoret. In ipsis D enim Ecclesiæ cunabulis, Christiani omnes hoc nomine condecorabantur, ut ex Apostolo sæpe liquet, et ex cap. IX Actorum, ac ex illius ævi scriptoribus, Ignatio præsertim, qui epist. ad Magnesianos gravissime adhortatus Christianos ut se dignos exhibeant cognomento quod acceperunt, adducit in eam rem illud Isaiæ LXII, quod de Christiano populo accipit, *Vocabitur nomine novo, quo Dominus nuncupabit eum, et erit populus sanctus.* Immo Philo Judæus apostolorum æqualis, communem *Sanctorum* nomenclaturam Christianis omnibus aptatam eo tempore vulgo fuisse, confirmare videtur, describens Christianorum instituta ac mores sub nomine Essenorum, lib. de Vita Supplicum, ut Eusebius, ac Hieronymus auctores, aliique permulti apud Baronium, anno Christi 64, contendunt. Atque Esseni nomen cum Sancti nomine idem esse, habetur ex ipsomet Philone lib. Quod omnis probus liber, et ex Chrysost. homil. 44 in Acta,

Itaque omnes olim Christiani, sancti audiebant; quippe institutis, professione, ac capite Christo, sancti, et ad omnem sanctitatem aspirare obstricti, et divino obsequio ac cultui tam multis nominibus mancipati; hoc enim proprie est sanctum esse, juxta modum loquendi in Scripturis frequentissimum, ut advertit Origenes homil. 11 in Levit., qui notat: *Eam ob rem, etiam muta animalia et vasa ministerii sancta vocitata, et vestimenta sancta dici, et loca item quæ in urbibus vel sub urbibus posita sunt, et sacerdotibus deputata. Ex multis quidem animalibus, primogenita boum vel pecorum sanctificari per legem Domino jubentur, et dicitur, Ne faciatis in eis opus ullum quia Domino sancta sunt. Super vasis vero, cum in tabernaculo testimonii, vasa ministerii thuribula, vel phialæ, vel cætera hujusmodi vasa, sancta appellantur. Super vestimentis etiam, stola pontificis Aaron, et tunica linea, et cætera hujusmodi vestimenta, sancta dicuntur.* Hæc et alia bene multa eo loco Origenes, late inferens, totidem modis Christianum posse dici *Sanctum*, et teneri ad sanctitatem aspirare, quot sunt genera rerum inanimatarum, quibus ob specialem aliquem nexum cum divino cultu, nomen *Sanctæ* tribuitur. Ut plane videas longe altius repetendam esse eam *Sanctorum* appellationem, omnibus olim Christianis tributam, quam unde eam duxit Pamelius ad lib. II Tertulliani ad Uxorem cap. 1 num. 3, qui censet eam primum petitam ex loco Apostoli I Corinth. VII, quo filii Christianorum dicuntur *Sancti*. Omnes ergo Christiani *Sancti* audiebant: quamvis certum sit, non omnes tunc vitam exegisse ad solidæ sanctitatis amussim. Neque tamen idcirco quisquam jure contendat nunc expungendam, quod severius in ea appellatione tribuenda agatur hoc tempore.

Quin etiam nemo sanctos Patres criminatur, aut inducta spongia delendam contendit delatam quandoque apud eos hæreticis aut suspectæ fidei hominibus Sancti appellationem, sive ratione muneris quod obibant, sive ob gloriam confessionis, tametsi labe subsequente velut infuscatam. Certe divus Augustinus Hilarium diaconum, Luciferianum, nominat *Sanctum Hilarium*, quamvis non constet resipuisse, et ad Ecclesiam revenisse. Frequentissime item *Sanctitatis* titulum, honoris ergo, impendit alloquens episcopos fidei oblæsæ, aut vitiatæ, quamdiu eorum causa desperata non erat. Sanctus Gregorius, libro VI Regist., epist. 6, Joannem Jejunatorem, quem Baron. anno 596, in peccatis suis mortuum opinatur, vocat *sanctæ memoriæ Joannem*. Titulus imperatoris apud Luitprandum, lib. I cap. 3, est δεσποτεία σοῦ ἁγία, *dominatio tua sancta*. S. Cyrillus, l. II in Nestorium cap. 4, agnoscit quod Nestorius ibi adductus dixerat Medos ac Persas Isaiæ XIII Sanctos appellari, tametsi impios et idololatras. Nihilominus enim agnoscit dici sanctos, quia sicut *segregatum Deo sacrificium, sive ille vitulus esset fortasse, sive ovis, sanctum appellabatur; ea ratione etiam prophetica voce, ipsi quoque sancti sunt vocati, quod divino numine segregati dicatique essent ad Babyloniam capiendam.* Constat etiam Alexandrum III, in rescripto ad regem Æthiopum hæreticum, quod refert Baron. anno Christi 1177, in inscriptione, impendisse ei titulum *Sanctissimi*, quo insigniri ab omnibus ex regionis usu solebat. In quibusdam manuscriptis codicibus sexti concilii Constantinopolitani testatur Alemanius ad Photii Historiam Arcanam, p. 73, legi Justinianum ἐν ἁγίοις. Sicut in præfatione ad Canones Trullanos **80** dicitur, τῆς θέως λήξεως: id quod etiam de Theodora Augusta habent PP. sexti conc. CP. Propudiosam tamen hujus Alectus vitam, et Justiniani enormia probra a vera sanctitate remotiora, quam cœlum a terra distet, Procopius prodidit in ea historia. Item concilium Romanum *Palmare* dictum, Theodorico Gothorum regi Ariano, titulum *Sancti* (quidam codices legunt *piissimi*) tribuisse, non adulandi studio, sed pro more honestandi eo magnifico titulo ævi illius principes. Auctius etiam Dionysius Alexandrinus, apud Euseb. l. VII Histor. cap. 10, Valerianum et Gallienum, ethnicos imperatores Christiano nomini infensissimos, nominavit *Sanctissimos*. Apostoli haud dubie exemplo, qui hominem pessimum quod præfectura fungeretur, vulgari titulo appellavit *Optimum*. Contra quam hæreticos jam olim factitasse habetur ex sancto Chrysostomo ad illud psalmi XIII: *Non est Deus*. Sic enim scribit. *Quilibet hæreticus vehementissimus in tempore persecutionis, loquens cum pontifice, nec eum vocat pontificem, nec archiepiscopum, nec religiosissimum, nec Sanctum. Sed quid? Reverentia tua, sapientia tua, prudentia tua, justitia tua, et nomina illi addicit communia, ejus negans auctoritatem.* Nimirum quia cum aliis, tum ea maxime quæ nunc ad episcopum episcoporum restricta est *Sanctitatis* appellatione, auctoritas ecclesiastica hæreticis invisa designabatur. Tandem defunctos quoque, *Sanctos* veteribus dictos, docet illud Martialis lib. XI, epigr. 30, alias 54:

Dic bene quod sancto peperit fecunda marito.

Ubi Raderus: sancti erant veteribus defuncti. Virgilius:

Salve, sancte parens, cineres salvete recepti.

Et duodecim. Tabulæ: *Hos letho datos, divos habento.*

6. Hanc igitur defensionem pro retinendo *Sancti* titulo, Valeriani nomini præfixo, ex usu antiquo qui fuit episcopos ea appellatione cohonestandi, qui usurparet, non esset profecto quod a spongia criminatoris metueret. Nam si criminator de præsenti Ecclesiæ usu rem æstimans, obduci omnes illos quos dixi titulos in Patrum scriptis, vel conciliorum actis contenderet, quoties non perspicue vindicatis hominibus tribuuntur; næ ille ridendum se ac exsibilandum prudentibus propinaret, non etiam intentum assequeretur. Atque ita non incommode aliquis tituli de quo agitur indemnitati a se prospectum arbitretur.

Non habent sane potiora pro titulis *Sanctorum* et *Beatorum* quibus plerosque non vindicatos condecorarunt, nomine obstrepente, Joannes abbas Cisterciensis, in compendio SS. sui instituti, Chrysostomus Vander Sterre in Natalibus SS. Præmonstratensium, Molanus in Indiculo SS. Belgii, et in ejus auctario Arnoldus de Raisse, Augustinus de Witte in Genealogia sancti Francisci, Hiacynthus Coquetus libro de SS. Belgii, ordinis prædicatorum, Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi.

Ego, ut præmisi, eam defensionem tamquam non necessariam dimitto: satis superque factum æquo cuivis ac prudenti existimans, si nulla novandi occasione suppetente, cum non agatur de eo in tabulas Ecclesiasticas referendo, nec de ullo novo honore eidem decernendo, sed de rebus eo quo jampridem sunt loco permittendis, qualem antiquiores voluerunt esse ac nominari, quam auctorem illum, quem nulla accusatio noxium probavit, et pro quo faciunt urgentes conjecturæ, quas initio dedi, frequens præsertim communicatio cum Ecclesiæ capite; in plerisque conciliis catholicis subscriptio; tabularum Lirinensium et monastici Martyrologii suffragium; inolita in codicum vetustissimorum epigraphis, tituli nunc recens controversi possessio; cui nullus longissimi temporis præscriptionem reveritus, negotium hactenus facessivit post tam multas, tam variis locis factas Valeriani editiones, præter unicum Valeriano in doctrina tam parum æquum, et charitatis in eum adeo parcum. Quare quamdiu per Ecclesiam et sapientes licebit: Qui tenet teneat, possessio valet.

SANCTUS NICETAS,

AQUILEIENSIS EPISCOPUS.

MONITUM EDITORIS.

Quamvis ex Veterum, quæ supersunt, de S. Niceta testimoniis certo certius eruatur divum episcopum scriptorum aliquot auctorem exstitisse, diu tamen illorum editionem quam sic appellari aliquatenus deceret incassum exoptaverat litteratorum respublica; nec aliud a tota retro antiquitate ad annum 1833, rimari potuerant eruditi præter brevissima quædam fragmenta necnon opusculum cui titulus *Expositio fidei* : libellus enim *ad virginem lapsam*, S. Nicetæ lipsanis litterariis accensitus a Petro Braida anno 1810, æquali immo et potiori jure ad S. Ambrosium pertinet, eaque de causa inter hujus Patris opera locum a nobis obtinuit (*a*). Tredecim vero circiter abhinc annis eminentissimo studiosissimoque cardinali Maii quod tamdiu eruditorum investigationes effugerat sese quasi sponte dedit obvium, siquidem doctissimo viro in nonnullos tractatus incidere contigerit, quos in bibliotheca Vaticana, cui felicissime præest, asservatos, non solum firmissima manuscripti fides, sed etiam ratio scribendi simul et thematis anologia S. Nicetæ apertissime vindicant. Maiano igitur textui in hujus Patris operibus edendis hærebimus, quem illustrabunt Braidæ aliunde elucidationes, præcedetque notitia in S. Nicetam ex Bibliotheca historico-litteraria Schœnemanni deprompta.

(*a*) Vide tom. XVII nostræ Patrologiæ col. 367.

PETRI BRAIDÆ PRÆFATIO

IN SUAM RECENSIONEM OPUSCULORUM S. NICETÆ.

Quinti Ecclesiæ sæculi scriptorem et Patrem, vix nomine tenus, immo ne nomine quidem satis hactenus exploratum, sistimus tibi, optime lector. Hic est Niceas seu Nicetas Ecclesiæ Aquileiensis episcopus, qui ab anno 454 usque ad annum 485, ut meliores ferunt notæ, celeberrimam illam Ecclesiam administravit, et qui pastoralis suæ sollicitudinis, pietatis simul atque ingenii monumenta reliquit, nonnullis scriptis opusculis, quorum scriptores ecclesiastici meminere; sed quorum nonnisi unum et alterum, quod sciamus, ad nos usque pervenit, paucis demptis Fragmentis, quæ veluti ex aliorum naufragio superfuerunt. Unum tantummodo ex his opusculis innotuerat eruditis superioris ævi, quod etiam simul præbuerat disputandi materiam de vero illius auctore, quodque propterea modo huic, modo alteri ex præcipuis Latinæ Ecclesiæ Patribus tributum fuit; licet Niceam seu Nicetam quemdam, de quo tamen dubii semper hærebant, auctorem illius esse suspicarentur. Nostra hac demum suprema ætate innotuit alterum sub Nicetæ Aquileiensis episcopi nomine, quod Romæ in Ghisiana bibliotheca delituerat, quodque opera eminentissimi Ecclesiæ principis atque litterarum omnium ornamenti, Stephani cardinalis Borgiæ (heu quam immature vita functi!), in vulgus elatum fuit : nec ita multo post fragmenta quoque deperditorum prodierunt, quæ in quodam vetusto codice Palatinæ Vindobonensis bibliothecæ continebantur, quæque studio clarissimi viri Michaelis Denis ejusdem bibliothecæ præfecti, atque itidem paulo pridem litteris omnibus erepti, edita fuerunt. Pergratum igitur tibi erit, hæc quæ supersunt omnia Niceæ seu Nicetæ hujus uno comprehensa volumine habere, ut series minorum, ut ita loquamur, veterum Patrum, hujus etiam nostri accessione augeatur; maxime vero cum sperandum nostra hac ætate haud sit, ut, post ultimam Venetam Andreæ Gallandii, novæ edantur *veterum Patrum Bibliothecæ*, aut ut jam editæ novis tam cito additionum voluminibus crescant.

Miraberis sane quicumque vel prima fronte volumen hoc nostrum inspexeris, non exiguæ molis librum a nobis conditum pro duobus tantummodo opusculis paucisque fragmentis, quæ veluti opera omnia Nicetæ hujus nostri exhibemus. Quid vero, inquies, si dare penitus omnia atque integra licuisset? Verum cum primum subiit animum cogitatio hujus edendi exornandique Nicetæ, rem comperimus non uno ex capite aleæ plenam; quæ propterea multum operis atque laboris exigeret. Nullus in primis Aquileiensis episcopus, Niceas seu Nicetas dictus, auctor operum quorumcumque ab eruditis admittebatur : et cum Baronius in suis ad Martyrologium Romanum notationibus Niceam seu Nicetam illum a Gennadio aliisque appellatum Romatianæ civitatis episcopum, et variorum opusculorum auctorem, habendum esse dixit pro Nicea seu Niceta episcopo Aquileiensi, eruditi pene omnes, paucis exceptis, veluti agmine facto, in eumdem Baronium insurrexerunt, atque cum eo expostularunt de vi aperte illata historicis monumentis. Opuscula deinde illa,

quæ Gennadius tribuit Niceæ seu Nicetæ episcopo civitatis Romatianæ, ab eruditis communi prope calculo tributa fuerunt Niceæ seu Nicetæ alteri, qui quarto desinente et quinto ineunte sæculo inter Dacorum barbaram gentem episcopus fuit, quique nobis præcipue ex Paulini Nolani, cujus erat amicissimus, testimoniis innotuit : et Romatiana Gennadii aliorumque civitas ab iis habita illa fuit, quæ in nova Dacia mediterranea cis Danubium sita ab antiquis geographis atque scriptoribus, voce parum ab ea dissimili quam Gennadius usurpavit, Remesiana, aut Romesiana, sive Remissiana appellatur. Quid plura? Ut prodiit Patavini seminarii typis anno 1799 noviter detectum Nicetæ opusculum, et ab ipso Gennadio in Romatiano suo episcopo memoratum, quod est *de Symbolo*, seu *Explanatio symboli habita ad Competentes;* ut prodiit, inquam, hoc opusculum sub nomine beati Nicetæ, episcopi Aquileiensis, prout Ghisianus ferebat codex, clarissimus Michael Denis, qui tunc Nicetæ fragmenta ex alio Vindobonensi codice eruebat, scribere non dubitavit se consentire non posse in τὸ *Aquileiensis*, illudque in Ghisiano, Codice certo σφάλμα esse, scribendumque fuisse aut *Daciæ*, aut *civitatis Romatianæ* cum Gennadio, aut *Romessianæ* cum Tabula Peutingeriana, aut Ρεμεσιάνης τῆς Δακίας cum actione prima concilii Chalcedonensis tomo IV Conciliorum Labbei editionis Venetæ col. 892, ut videre est vol. II, parte III, pag. 2041, operis illius, cui titulus: *Codices mss. theologici bibliothecæ Palatinæ Vindobonensis Latini, aliarumque Occidentis linguarum. Recensuit Michael Denis. Vindobonæ anno* 1802. Neque id satis. Paulo namque post vir præclarus inter nostrates Joannes Prosdocimus Zabeus sacræ theologiæ doctor, et in regio tunc Venetiarum gymnasio nunc vero in regio ibidem lyceo professor, quin adhuc quidquam rescivisset de judicio Michaelis Denis, sponte sua in ejusdem sententiam ivit, pro qua etiam dissertationem eruditissimam exaravit, ac Venetis typis Antonii Rosa anno 1803 publici juris fecit, hoc eidem apposito titulo : *Explanationem Symboli, quæ prodiit Patavii anno MDCCXCIX, tribuendam probabilius esse sancto Niceæ Dacorum episcopo, quam beato Nicetæ episcopo Aquileiensi, Dissertatio.* Vides igitur, optime lector, quantam rem aggressi fuerimus; vides quot qualesque adversarios, tum nostræ, tum superioris ætatis, impetere necessario opus fuerit, dum propositum esset pro Nicea seu Niceta nostro Aquileiensi scribere, et ita in eodem novum quodammodo statuere quinti sæculi scriptorem et Patrem ex operibus quæ alteri, longeque ab his regionibus posito, communiter tribuebantur. Multa propterea dicere necesse erat, sive quæ novam opinionem tuerentur, sive quæ veterem infirmarent, multis occurrere tenebamur difficultatibus veterum eruditorum, atque iis maxime, quæ nuperrime, una simul cum suis de novo excogitatis, veluti momenta solidissima opinionis quam tuebatur, congessit Zabeus in citata dissertatione paginarum LI in forma quarti, uti aiunt; neque interim peculiaris aliqua Michaelis Denis animadversio deserenda erat, quæ solidissima videri facile potuisset. Quid vero, si perpendamus, argumentum hoc, ex inopia veterum monumentorum, atque ex defectu enuntiationum quæ claræ sint atque dilucidæ, veluti suapte natura patere potissimum conjecturis; de quibus cum sermo est, prolixa oratio sit oportet? Atque hæc de causa præcipua cur opus hoc nostrum discretæ brevitatis modum quodammodo superaverit.

Sunt tamen et alia, quæ nos ad laxandas veluti habenas currenti calamo impulerunt. Nonnulla namque variæ eruditionis capita occurrebant, quæ etsi non penitus nova, novam tamen, ratione rei nostræ, non respuerent illustrationem, quam legentibus putaremus fortasse non injucundam. Nova etiam quædam sese obtulere, quæ merebantur ex integro pertractari, ut proposito fieret satis. Res ipsæ Aquileienses, tum quæ Ecclesiam respicerent, tum quæ civitatem et agrum, non uno in loco diligentiam nostram excitabant; utpote quæ aliæ ad rem nostram spectarent, aliæ eamdem proxime attingerent, aliæ demum aut novam aut uberiorem requirerent disquisitionem. Præterea Niceæ seu Nicetæ nostri opuscula atque fragmenta, locuples sunt Thesaurus Eruditionis Ecclesiasticæ, quo dogmata religionis præcipua asseruntur, quo morum præcepta traduntur atque inculcantur, quo pleraque disciplinæ capita illustrantur. Quis autem hæc in quinti sæculi scriptore ac Patre non perpendenda singillatim susciperet, dum de eo agere ex instituto deberet, atque ea edere quæ scripta reliquit? Neque minoris profecto habenda erant quæ Nicetam ipsum respiciunt, nomen, genus, patria, ætas, res gestæ, scripta quæ exstant, quæque desiderantur, et alia quæ ipsum attingunt; sanctitas quoque, ac cultus; necnon et Doctrinæ integritas in quibusdam dicendi modis, qui fortasse movere aliquem possent. Habes igitur, optime lector, unde voluminis molem, etiam in exiguo sacro penu quod exhibet, non molesto animo feras: habes etiam unde *Dissertationis* nostræ gravitatem simul et materiam veluti ex limine intuearis: nunc singula, pro humanitate tua, benigne lustrato.

NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA IN S. NICETAM,

AUCTORE SCHOENEMANNO.

(Ex Schœn. Biblioth. hist. litt. Patr. Lat. tom. II.)

§ I. *Vita.*

Ita recte scribi videtur nomen episcopi illius Romatiani, qui Niceas audit a Gennadio (*a*). Gente Dacus fuit et in patria Romatianæ civitatis episcopus.

(*a*) Variant quavis fere occasione et in omnibus pene mss. nomina, *Nicæas, Niceas, Nicetas, Nicc-*

Ex Paulino Nolano novimus, eum, cum in itinere in Italiam facto Romam transiisset, multorum in se ibi admirationem traxisse. Tum vero etiam (quod a. 398 accidit) Nolam accessit et ad sepulcrum S. Felicis se contulit, invisitque Paulinum et in ejus animum sane candidissimum adeo sese insinuavit, ut ille reditum ejus in Daciam singulari poemate nunc quoque superstite prosequeretur, quod late insignes mentis atque animi ipsius dotes explicat imprimisque eum ab ardore in prædicando per barbaras, quæ Daciam obtinebant, gentes Evangelio extollit. Neque poterat Nicetas non concedere amici precibus, quo minus in secundo suo ad istas terras accessu (a. 402) apud ipsum iterum subsisteret. Ex Innocentii I epistolis patet, eum a. 414 adhuc in vivis fuisse (*a*). Cæterum memoriam ejus valde conturbavit Baronius, diversum censens Nicetam Dacum, cujus mentio fit in Martyrologio Romano ad diem 7 Januarii, a Nicæa Gennadii Romatianæ civitatis episcopo, cujus depositio notatur ad diem 22 junii, hunc vero eumdem esse ratus cum Nicæa Hypodiacono Aquileiensi, qui a. 458 litteras a Leone M. accepit, per grande temporis intervallum scilicet ab isto officio ad episcopi dignitatem evecto. Quam in rem mirifice se torsit, ut Romatianæ civitatis nomine Aquileiam appellatam esse demonstraret. Sed hæc omnia vana esse dudum viri docti animadverterunt, quorum accurata exploratione tantum jam effectum est, ut Romatianam civitatem in Dacia Mediterranea seu Mœsia, inter Naissum et Sardicam quærendam, et Nicetam Romatianum in Dacia natum, non, quæ fuerat media Tillemontii sententia, ex Aquileiensi clero ad illius civitatis episcopatum evocatum fuisse, teneamus (*b*).

§ II. *Scripta.*

Composuit teste Gennadio simplici et nitido sermone *competentibus ad Baptismum instructionis libellos sex* et *ad lapsam virginem libellum*, *pene omnibus labentibus incentivum*. Illi deperditi sunt et solummodo ex argumentis a Gennadio indicatis noscuntur. Hunc superesse putant inter Ambrosii et Hieronymi opera. Nimirum inter epistolas Hieronymi una occurrit titulo *Objurgationis ad Susannam lapsam*, manifesto spuria; nam ab episcopo compositam esse apparet, quam dignitatem Hieronymus numquam assecutus est. Eadem vero inter Ambrosiana reperitur sub nomine *Tractatus ad virginem lapsam*, eique cum propter orationis discrepantiam, tum ob sensus, rigore suo prope ad Novatianam hæresim, quam ille in libris de Pœnitentia impugnavit, accedentes, non majori jure competere dudum inter eruditos operum ejus censores creditum est. His quoque Bellarminus, Possevinus, Riverus et sequiores hujus generis scriptores concinunt. Nicetæ primus, ni fallor, tribuit Joannes Baptista Cotelerius (*c*), a quo nemo deinceps præter laudatos Maurinos Patres dissensit. Hi vero, ut Ambrosio vindicarent, argumenta hæc in medium adduxerunt : scilicet, ut hæresis notam averterent, locutiones, quæ in illo occurrunt duriores, non alio consilio aiunt esse adhibitas, quam ut majorem commissi propudii horrorem incutientes, acrius ad pœnitentiæ opera fontem excitarent, efficerentque ne vel propria mollitie, vel remissioris cujuspiam doctoris indulgentia, quandoque ab austeritate semel suscepta revocaretur. Ita vero auctorem ipsam ad pœnitentiam publicam stimulasse, ut simul æternas pœnas evitandi spe sublevaret. Quibus addunt, fuisse quondam Ecclesiæ morem, ut atrocium quorumdam criminum reis ne in morte quidem veniam et reconciliationem concederent, proindeque Auctorem inter ea crimina et hoc Susannæ flagitium sine ulla erroris nota referre potuisse. Stylum concedunt non omnino Ambrosianum esse, nam sanctum præsulem etiam ubi orationem adhibeat maxime concitatam, minus densis ac brevibus incisis uti. Tum judicant sententiam quamdam, quam Rob. Cocus in *Censura* sua tamquam doctrinæ Christianæ e diametro adversam objecerat, iisdem pene verbis in libro I de Virginitate legi. Porro, quod Nicetæ tribuatur similis argumenti epistola, nihil referre putant; potuisse enim peræque Ambrosio occasionem illius scribendi nasci, sicut et Basilii exstet epistola ejusdem materiæ et epigraphes, et si apud ipsum Ambrosium virgo Indicia falsi criminis accusari potuerit, juxta epistolam ad Syagrium, potuisse et aliam veri : denique omnes in Ambrosii nomine convenire libros mss. præter unum recentiorem, qui Joanni Chrysostomo tribuerit. Hisce igitur rationibus inducti inter genuinos Ambrosii fetus reliquerunt, et licet improbaverint Tillemontius et Vallarsius, non video tamen, novi quidquam momenti ab iis contra allatum esse.

§ III. *Editiones.*

Dictum est a nobis, inter Hieronymiana æque ac Ambrosii opera hoc opusculum legi. Sed quoniam in diversis sæpe diversarum editionum tomis deprehenditur, lectoribus ejus curiosis indicio aliquo subvenire

tus et *Nicetius*. Interim Daci episcopi nomen frequentius *Nicetas* et *Nicetius* exhibent, sicut Hypodiaconus Aquileiæ constantissime *Niceas* appellatur. Apud Gennadium etiam *in admirando codice ad S. Andræam de Valle Nicetam non Niceam scribi* testatur Holstenius in Notis posthumis ad Martyrologium Romanum apud Florentinium et Bollandi continuatores, laudante Rubæo.

(*a*) Scilicet non solum in ep. ad Marcianum Naissitanum d. Ravennæ a. 409, ut Tillemontius judicat de eo tamquam vivente loquitur (ubi Cf. *Coustant*, apud quem exstat n. XVI, *pag.* 822), sed etiam inter episcopos Macedones recensetur in inscriptione epistolæ 17, a. 414, juxta *Coustantium* pag. 833.

(*b*) Inter hos numerandi sunt Holstenius in l. l., Quesnellus ad Leonis M. Epistolam 79, Tillemontius in Memoriis tomo X, pag. 621 seqq., et novissime Rubæus in Monum. Eccl. Aquilei. c. 17, pag. 151 seqq. Illis tamen insuper habitis Baronii sententiam amplexus est et in Commentarios suos nude transcripsit Oudinus tom. I, pag. 1249 seqq.

(*c*) In notis ad Constitutiones Apostolorum lib. II, c. 57. In novissima PP. Apostolicorum ed. Jo. Clerici Amstelod. 1724; tom. I, pag. 268, not. 14. Prima ed. prodierat Parisiis a. 1672.

studebimus. Id vero ante omnia animadverti velim, in Hieronymi editionibus initium esse a verbis *Puto levius esse crimen*, quæ cum sequentibus usque ad illa, *evaporans præstat refrigerium passioni*, in Ambrosianis deficiunt, ubi principium sonare solet, *Audite qui prope estis*. In editione HIERONYMI *Erasmiana Bas.* 1516 exstat *tomo* II, *fol.* 81-85. « Dictu mirum est, scribit Erasmus, quam hic liber diversus habebatur in exemplaribus. Nec idem erat initium, et alia in aliis supererant aut deerant, tum pleraque diversa habebantur. Stylus palam arguit non esse Hieronymi, etiamsi non indignum censeam, qui legatur. Gustus phrasis non abhorret ab oratione divi Augustini. » In editione *secunda Frobeniana* a. 1537 exst. *tomo* IV, *pagg.* 139-143; in edit. *Mariani Victorii Antuerpiensis impressionis* a. 1579, *tomo* IX, pagg. 104-107; *Parisini exemplaris*, a. 1609, *tomo* IV, *pagg.* 865-871; item a. 1643, *tomo* IX, *pagg.* 88-91; in his omissa est censura Erasmi. In ed. *Francofurtana* a. 1643 legitur *tomo* IV, *pagg.* 92-96; in ed. *Benedictinorum Parisiis* 1706, *tomo* V, *pagg.* 176-182; in ed. *Vallarsii, Veronæ* 1742, *tomo* XI, *pagg.* 178-192, et *Venetiis* 1771, *tomo* XI, *part.* II, *pagg.* 245-263. Vallarsius auctorem scribi jubet Nicæam et eumdem putat cum Hypodiacono Aquileiensi, qui cum familiaris Hieronymi fuerit, facile accidere potuisse ut liber ejus locum inter Hieronymianas scriptiones inveniret, sicuti Ambrosio ob argumenti similitudinem, quod sæpius de Virginitate et Virginum institutione disputet, videatur ascripta. Sed prior ratio, quam levis sit, nemo non intelligit, posterior æque in Hieronymum ac Ambrosium cadit. Cæterum in Vallarsiana editione diligentissime hic liber tractatus est, dijudicatis etiam Benedictinorum, Ambrosii editorum, variis lectionibus et observationibus.

In AMBROSII operum ed. *Basileensi*, a. 1527, exstat *tomo* I, *pagg.* 178-186. Typographi errore caput ultimum, quod *consolationem lapsæ* continet, quasi novus libellus singulari titulo exscriptus est. Erasmus in brevi ad lectorem admonitione in aversa tituli pagina impressa declamationem esse, inquit, qualis illa Hieronymi de matre et filia reconciliandis, et inter Hieronymiana scribæ dolo, ne scilicet deprehenderetur, ab initio, juxta quam in medio et fine esse interpolatam. In *Sixtinæ* editionis exemplari *Parisiensi* a. 1603 legitur *tomo* IV, *pagg.* 449-456; in *Benedictina, Parisiis* 1690, *tomo* II, *pagg.* 301-320, titulo *libri de Lapsu Virginis consecratæ.*

DE S. NICETA VETERUM TESTIMONIA.

S. LEONIS MAGNI *epistola ad Nicetam.*

Regressus ad nos, *etc.* (*Vide reliqua tomo nostro LIV, Epist.* 159.)

GENNADIUS MASSILIENSIS, *de Viris Illustribus* cap. 22.

Niceas, Romacianæ (*a*) civitatis episcopus, composuit simplici et nitido sermone competentibus ad baptismum instructionis libellos sex. In quibus continet primus, qualiter se debeant habere competentes qui ad baptismi gratiam cupiunt pervenire. Secundus est de gentilitatis erroribus : in quo dicit suo pene tempore Melodium (*b*) quemdam patremfamilias ob liberalitatem, et Gadarium rusticum ob fortitudinem ab ethnicis esse inter deos translatos. Tertius liber de fide unicæ Majestatis; quartus adversus Genethlologiam (*c*); quintus de Symbolo; sextus de agni Paschalis victima. Edidit et *ad lapsam virginem libellum* (*d*), pene omnibus labentibus emendationis incentivum.

HONORIUS AUGUSTODUNENSIS *de Scriptoribus Ecclesiasticis lib.* II, *cap.* 22.

Niceas, Romacianæ civitatis episcopus, composuit simplici et nitido sermone sex competentibus ad baptismum instructionis libellos. Ex quibus primus est de competentibus baptismi; secundus de gentilitatis erroribus; tertius de fide unicæ Majestatis; quartus adversus Genealogiam (*e*); quintus de Symbolo; sextus de agni Paschalis victima. Condidit et ad lapsam virginem libellum pene omnibus labentibus emendationis incentivum.

JOANNES TRITHEMIUS *de Scriptoribus Ecclesiasticis* § 118.

Niceas, Romacianæ urbis episcopus, vir in divinis Scripturis studiosus et eruditus, ingenio acutus, sermone apertus et nitidus, scripsit ad ædificationem legentium non contemnendæ lectionis opuscula, de quibus subjecta feruntur : *Ad Competentes qui ad Baptismum disponuntur Præparatorium*, lib. I; *de Erroribus Gentilitatis* lib. I; *de Fide unicæ Majestatis* lib. I; *adversus Genealogiam* (*f*) lib. I; *de Symbolo quoque* lib. I; *de victima Agni Paschalis* lib. I; *ad Virginem lapsam* lib. I (*g*).

CASSIODORIUS *de Institutione divinarum Scripturarum cap.* 16.

Si quis vero de Patre, et Filio, et Spiritu sancto aliquid summatim præoptat attingere, nec se mavult longa lectione fatigare, legat Niceti (*h*) episcopi li-

(*a*) Al., *Romanæ*, perperam. In aliis invenire se *Romaniciæ* testatus est Suffridus Petri.

(*b*) Corb. ms., *in quo pene tempus Meigidium quemdam patris familias... et Gadarium rusticum*, etc.

(*c*) Al., *Genethlogiam*. Nam in Corb. vitiose, *Genocliam*.

(*d*) Id., *librum humane labentibus incentivum.*

(*e*) *Genethliologiam.*

(*f*) Immo, *Genethlologiam*, sive adversus Astrologos Genethliacos.

(*g*) In volumine Operum Joannis Trithemii ex bibliotheca Marquardi Freheri, Francofurti typis Wechelianis 1601 in-fol., post ultimum opusculum *ad lapsam Virginem*, hæc habentur : *Et quædam alia. Claruit tempore Theodosii et Honorii principum anno* 420.

(*h*) Al., *Nicæi.*

brum quem *de Fide* conscripsit, et doctrinæ cœlestis claritate completus, in contemplationem divinam compendiosa brevitate perducetur. Qui voluminibus sancti Ambrosii sociatus est, quos ad Gratianum principem destinavit.

Ex Martyrologio ms. membranaceo, venerandæ antiquitatis, monasterii Sancti Galli Mosacensis, diœcesis olim Aquileiensis dein Utinensis, ex Notkero et Usuardo probabiliter conflato; cujus apographum, ex originali eductum et illustratum manu et studio clarissimi viri Josephi Binii archipresbyteri Glemonensis ac ejusdem monasterii et abbatiæ vicarii in Spiritualibus Generalis, exstat in Tabulario penitiori Metropolitani Capituli Utinensis. Ad. x *kal. Julii.*

Sancti Nicee Romane Civitatis episcopi.

Ex Martyrologio vetustissimo sancti Hieronymi presbyteri nomine insignito, quod ex codice ms. monasterii Corbeiensis sexcentorum circiter annorum Dacherius primum edidit Spicilegii tomo II, *pag.* 1, *editionis in-fol., deinde Vallarsius in sua divi Hieronymi Operum editione inseruit tomo* XI, *pag.* 457. — *Ad* x *kal. Julii.*

Depositio sanctæ memoriæ Niceti episcopi.

Ex vetustiori Occidentalis Ecclesiæ Martyrologio divo Hieronymo tributo, quod Franciscus Maria Florentinius Lucensis ex suo præsertim, ac Patriæ Majoris Ecclesiæ, pluribusque aliis probatæ fidei codicibus integre vulgavit; quodque nuncupandum esse Romanum a Magno Gregorio descriptum, ab Adone laudatum, proximioribus sæculis præteritum et expetitum, non leviora argumenta suadere in ipso voluminis titulo pronuntiavit. Lucæ 1668. — *Ad* x *kal. Julii.*

Depositio sanctæ memoriæ Nicei episcopi.

Ex Martyrologio Gellonensi, sive monasterii Sancti Guillelmi de Deserto, O. B. diœcesis Lutevensis; quod exstat in Spicilegio Dacherii tomo II, *pag.* 25, *præcitatæ editionis in-folio, et conscriptum creditur anno circiter* 804, *ut ex Monito præcedenti. — Ad* x *kal. Julii.*

Nicæ episcopi.

Ex antiquo Martyrologio Gallicano, quod ex ms. domini Chauvelin regiorum sigillorum custodis, publici juris fecerunt Martenius et Durandus Veterum Scriptorum et Monumentorum, etc. tomo VI, *col.* 658, *et ab annis circiter septingentis conscriptum ab eisdem dicitur in Observatione prævia. — Ad* x *kal. Julii.*

Sancti Niceti episcopi.

Ex Martyrologio insignis Ecclesiæ Antissiodorensis, quod ex ms. Colbertino publici juris fecerunt iidem Martenius et Durandus Veterum Scriptorum et Monumentorum, etc. tomo VI, *col.* 685. — *Ad* x *kal. Julii.*

Beati Nicei Romatianæ civitatis episcopi.

Ado *in Martyrologio, opera et studio Dominici Georgii. Romæ* 1745. — *Ad* x *kal. Julii.*

Depositio Beati Nicetæ Romatianæ civitatis episcopi.

Usuardus *in Martyrologio*, etc., *opera Joannis Molani. Lovanii. Anno* 1568. — *Ad* x *kal. Julii.*

Depositio sancti Niceæ, Romatianæ civitatis episcopi.

Usuardus *in Martyrologio apud Bollandianos, Socios tom.* VI. *Junii parte* I, *pag.* 353, *editionis Antuerpiensis. — Ad* x *kal. Julii.*

Depositio sancti Niceæ, Romatianæ civitatis episcopi.

Usuardus *in Martyrologio sincero, ad autographi, in San-Germanensi abbatia servati, fidem edito, etc.; opera et studio (D. Jacobi Bouillart) presbyteri et monachi Benedictini e congregatione Sancti Mauri. Parisiis.* 1718. — *Ad* x *kal. Julii.*

Depositio sancti Niceæ, Romatianæ civitatis episcopi.

Notkerus *in Martyrologio, apud Canisium Thesaurus Monumentorum, etc., seu Lectiones Antiquæ, etc., ex editione Antuerpiensi Jacobi Basnage, to.* II, *parte* III, *pag.* 89. — *Ad* x *kal. Julii.*

Depositio beati Nicetii, Romanæ urbis episcopi.

Ex Martyrologio ad usum Romanæ curiæ, Venetiis impresso per Fratres de Sabio, anno 1522. — *Ad* x *kal. Julii.*

Depositio sancti Niceæ, Romacianensis episcopi.

Ex Martyrologio, multo quam antea purgato et locupletato a Francisco Maurolyco, etc.; Venetiis, apud Juntas 1568. — *Ad* x *kal. Julii.*

Depositio sancti Niceæ, episcopi Romacianensis, doctrina et pietate conspicui.

Ex Martyrologio, sacræ Romanæ Ecclesiæ usui in singulos anni dies accommodato a Petro Galesinio. Mediolani, apud Pontium, 1578. — *Ad* x *kal. Julii.*

In Romatiana civitate sancti Niceæ episcopi et confessoris; qui multis libris conscriptis, ac vita religiose acta, sanctimoniæ et doctrinæ laude florens, abiit ad Dominum.

Ex Martyrologio Romano, ad novam Kalendarii rationem, et Ecclesiasticæ Historiæ veritatem restituto, et Gregorii XIII pontificis maximi jussu edito. Venetiis, apud Juntas, 1601. — *Ad* x *kal. Julii.*

Sancti Nicææ Romatianæ civitatis episcopi, doctrina sanctisque moribus clari.

Ex Martyrologio Romano, Gregorii XIII pontificis maximi jussu edito, et Urbani VIII auctoritate recognito, etc. Venetiis, apud Juntas, 1630. — *Ad* x *kal. Julii.*

Sancti Nicææ Romatianæ civitatis episcopi, doctrina sanctisque moribus clari.

Ex Martyrologio Romano, Innocentii XI pontificis maximi auctoritate recognito, etc. Romæ, 1681. *Typis reverendæ cameræ apostolicæ.* — *Ad* x *kal. Julii.*

Sancti Nicææ Romatianæ civitatis episcopi, doctrina sanctisque moribus clari.

Ex Martyrologii Romani Editione novissima, a Benedicto XIV pontifice maximo aucta et castigata, etc. — Ad x *kal. Julii.*

Sancti Nicææ Romatianæ civitatis episcopi, doctrina sanctisque moribus clari.

LECTIONES PROPRIÆ

Ad usum archiepiscopalis Utinensis diœcesis, a S. Rituum congregatione approbatæ die 23 *Augusti* 1794, *pro officio sancti Nicetæ Aquileiensis episcopi, ad diem* 22 *Junii.*

Lectio IV. — Niceas, seu Nicetas episcopus civitatis Romatianæ, quo nomine Aquileiam, aut non longe dissitum Portum Romatinum significari putant; idem ille perhibetur esse Aquileiensis Nicetas, ad

quem sancti Leonis Magni exstat epistola. Hic cum episcopatum cepisset, postquam Hunni, Attila duce, eam regionem vastaverant, vix statu rerum ad meliora converso, nonnulli cives a barbaris in captivitatem abducti, liberi ad patriam remearunt, illico deprehendit ex occasione hostilis incursus plura gregi suo illata fuisse vulnera, quæ magnam curationis difficultatem videbantur afferre. Aliorum enim, qui interempti putabantur, mulieres novis erant conjugiis irretitæ; alii immolatis cibis asserebantur esse polluti; aliis iterato, vel semel quidem, sed ab hæreticis fuerat baptisma collatum. Itaque hæc omnia, per Adeodatum Romanæ Ecclesiæ diaconum, ad sanctum Leonem Magnum retulit, ut auctoritate nutuque ejus quid facto opus esset doceretur : qua in re et eximiæ erga populum suum charitatis, et maturi judicii, et debiti in primam sedem obsequii præclarum exhibuit argumentum.

Lectio V. — Ad singulas solliciti præsulis consultationes respondit sanctus pontifex peculiari epistola Nicetæ Aquileiensi inscripta, quam et ad omnes fratres et comprovinciales episcopos ejus per ipsum voluit pervenire. Ac de feminis quidem, quæ aliis nupserant viris, legitimarum fœdera nuptiarum redintegranda constituit, et idolothitis usos pœnitentiæ satisfactione purgari; quæ tamen non tam temporis longitudine, quam cordis esset compunctione pensanda. Eos autem, qui ad iterandum baptisma vel metu coacti, vel errore traducti fuerant, per pœnitentiæ itidem remedium, habita moderatione, et judicio episcopi, communionis voluit recipere unitatem : ac demum vel semel tantum, sed ab hæreticis baptizatos, sola invocatione sancti Spiritus per impositionem manuum statuit confirmandos. Nicetas itaque hac instructus ex veteri more a Romana sede doctrina, pro suo, quo exarserat, instaurandæ disciplinæ studio, necnon et pro ea, qua erat affectus erga cathedram Petri reverentia, ad præteritorum errorum maculas abstergendas, quos bellica clades intulerat, totus incubuisse merito creditur, ut Ecclesiæ suæ faciem ad pristinæ observantiæ dignitatem restitueret.

Lectio VI. — Quæ vero magis magisque illius vigilantiam in cura commissi sibi gregis ostendunt, ac simul ipsius cum Evangelicæ prædicationis laude doctrinam commendant, ea sunt ingenii monumenta, quæ, Gennadio Massiliensi et Honorio Augustodunensi testibus, nitido ac simplici sermone exarata reliquit : quorum tamen vix unum aut alterum non interiit. Ediderat autem competentibus ad baptismum instructionis libellos, jam tum plurimi factos, et aliis hujusmodi præstantiorum Patrum lucubrationibus sociatos, in quibus et de competentium ratione, qui ad baptismi gratiam cupiunt pervenire, et de gentilitatis erroribus, et de fide unicæ Majestatis, et contra Genethlialogiam, et de Symbolo, et de agni Paschalis victima disserebat. Libellum insuper ad lapsam virginem condidit, qui pene omnibus lapsis emendationis incentivum ab iisdem scriptoribus vocatur. Has inter pastoralis officii sollicitudines, cum triginta circiter annos Aquileiensem episcopatum administrasset, doctrina sanctisque moribus clarus ad pastorum principem evolavit, anno quadringentesimo octogesimo quinto.

SANCTI NICETÆ
EPISCOPI AQUILEIENSIS
DE RATIONE FIDEI.

1. Renatis hominibus per fidem, et sanctificatis secundum Evangelii formam in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et per hanc confessionem regnum cœleste sperantibus, nihil magis utile esse dixit Apostolus, quam ut his bonorum sit operum cura. Sic enim scribit ad Titum : *Et de his volo te confirmare,* [a] *ut curam habeant bonorum qui credunt in Deo. Hæc sunt*, inquit, *bona et utilia hominibus. Stultas autem quæstiones et genealogias et rixas et pugnas legis devita ; sunt enim inutiles et vanæ* (*Tit.* III, 8). Hæc scribens beatus Apostolus, jam tunc prævidebat futuros homines qui per curiositatem et quæstiones inutiles curam bonorum operum prætermissuri erant ; et pacem, quam Dominus Ecclesiæ suæ reliquerat, perdituri. Namque homines, qui dum alta sapere conantur, nec humilia intelligere permittuntur, obliti dictum Apostoli, *Noli alta sapere sed time* (*Rom.* XI, 20), sic dum illicita præsumunt, etiam licita perdiderunt. Isti sunt qui cum nec fabricam cœli et terræ sensu colligere et capere valeant, ipsum conditorem et fabricatorem Deum capere et mensurare contendunt; et quem debent per operum magnitudinem et tantarum rerum immensitatem solummodo et simpliciter adorare, in quæstionem mittunt ; et de qualitate mysterii ejus ac de quantitate disputant, dicentes : Quantus Pater ? qualis Filius ? cujusmodi Spiritus sanctus ? O homo, nondum te ipsum cognoscens, audes divina metiri ?

[a] Vulgata novi Testamenti editio, *ut curent bonis operibus præesse.* Utitur ergo Nicetas (sicut etiam in Explanatione Symboli) antiquiore Bibliorum interpretatione, quæ a vulgata sæpe recedit ; qui autem ejus interpretationis reliquias studiose conquirunt, ad Nicetam quoque nostrum cum fructu jam respicient; cujus rei gratia locos editionis vulgatæ in margine demonstravi. [Nos intra parentheses in textu descripsimus. Edit.]

2. Et quidem taceo de Sabellio Patripassiano, qui stulta præsumptione ausus est dicere ipsum esse Patrem qui est Filius; ipsum etiam esse Spiritum sanctum : et nomine tantum esse Trinitatem, non etiam veritate; nec personis subsistere, sed sola nuncupatione : ac sic totum confundit, cum ipsum Patrem corpus suscepisse et passum esse confingit. Taceo de [a] Photino, qui audiens unigeniti Filii Dei incarnationem, humilitatem, passionem quoque illam salutiferam nobis, hominem tantum eum putavit; Deum autem, quem debuit ex ipsis operibus agnoscere, denegavit : oblitus dictum Apostoli dicentis : [b] *Quia cum in forma Dei esset Christus, formam servi accepit; ut nobis, uti servis peccati daret verissimam libertatem* (*Philip.* II, 6). Et ad Corinthios : *Scitis*, ait, *gratiam Domini nostri Jesu Christi, quia propter nos pauper factus est, cum esset dives, ut ejus paupertate divites essetis* (II *Cor.* VIII, 9). Taceo ergo tam de Sabellio quam de Photino, quia ab omnibus fere ecclesiis dignam errori suo sententiam detulerunt.

3. De hac hæresi, quæ nunc fidei catholicæ calumniatur, pauca dicere postulastis; de hac utique [c] hæresi, quæ ab Ario auctore exorta est. Hic namque non fuit contentus Evangelicis vocibus, apostolorum prædicationibus, quæ utique Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum sonant : nec dignatus est ita, ut dignum est, credere, quia Pater habet Filium, et Filius vere habet Patrem : sed cum se extendit infelix, et vult inquirere quomodo et qualiter Deus potuit generare, modum non apprehendens, [d] quia nec comprehendi potest, cecidit in errorem, ut et Patrem denegaret et Filium. Sic autem negat Patrem, quia dicit eum non potuisse de se proprium et verum Filium generare : Filium vero sic negat, dum eum aliunde et de nullis exstantibus dicit factum esse potius quam genitum; et creaturam esse quamdam, quæ meruit propter charitatem Filius appellari; non autem vere esse Filium qui de Patre sit genitus : et inde est quod alterius eum substantiæ commentatus est, ne omnino Patris verus Filius esse credatur. Contra hanc ergo ejus perversitatem et novam doctrinam facta est [e] Nicæna synodus, ubi omnibus collatis et decursis scripturis, veritas manifestata est, scripta est. Nam denique Filium, quem Arius dixerat aliunde esse et non de Patre, neque de substantia Patris, id est de eo ipso quod Deus est, sancti patres nostri professi sunt natum de Patre, hoc est de substantia Patris, [f] Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum, unius substantiæ cum Patre; ut nulla utique diversitas credatur in Filio. Revera utique si verus est Dei Filius, et vere de Deo Patre est genitus, non utique alterius substantiæ est credendus, nisi ejus cujus est filius : ut sicut Pater Deus est, ita Deus sit Filius : et sicut lumen Pater est, ita lumen sit Filius.

4. Sed offendit aliquantos hæc ipsa professio, qua creditur Filium ejusdem esse substantiæ, et per calumnias professio sancta torquetur. Nam sic interpretantur unius substantiæ dictum, quasi nos divisum dicamus Patrem; et pars Patris sit Filius; et Deus Pater sit imminutus in Filio : vel certe per fluxum et derivationem Filius paternæ substantiæ retineat unitatem. Quod absit non solum a sensibus, sed etiam ab auribus Christianis, ut tale aliquid in mentem nostram veniat. Nos autem sic unius substantiæ credimus Filium, ut Patrem credamus in sua æternitate perfetum, in sua quoque [g] impassibilitate manentem, ita Filium generasse, ut non passionem aliquam vel diminutionem senserit suæ naturæ suæque majestatis, sed perfectus ipse perfectum de se genuerit ante omnia sæcula verum Filium omnipotentem, per quem scilicet omnia facta sunt, sine quo factum est nihil : ut verus Pater unigeniti Filii sui, et verus Filius Patris esse credatur, non confusus, sed distinctus; omnia tamen habens in se Filius quæ sunt Patris, sicut ipse ait in Evangelio : *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt* (*Joan.* XVI, 15). Quæ illa omnia? utique virtutem, utique potentiam, bonitatem, incorruptelam, gloriam et æternitatem, sicut habet Pater. Cæterum si hæc non erunt in Filio, vereor dicere, Pater in Filio degenerasse videatur. Et si hoc ita est ut degener Filius æstimetur, quomodo idem honor ipso dicente Domino, *ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem* (*Joan.* V, 23)? Hoc exigit Dominus, hoc exhibent fideles : nec scandalizantur de humilitate Filii Salvatoris, nec de verbis ejus quæ secundum hominem locutus est; neque de passionibus, quas propter mundi salutem implere dignatus est : sed per hæc ipsa plus se gratiæ, plus honoris debere sentiunt Christo : ut et si non esset præceptum in Evangelio ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem, ultro hoc facerent fideliores : quia ille qui se humiliare dignatus est, exaltari debuerat, sicut scriptum est, *Qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV, 11).

5. At cum Pater dicat, *Hic est Filius meus*, [h] *hunc audite* (*Matth.* III, 17), Filius dicat, *Ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem* (*Joan.* V, 23); quæ cæcitas mentium est, intermissa honorificentia, contumelias concinnare? quæ oblivio spei est, infir-

[a] Cod. hoc loco mendose, *Fotiniano;* sed recte alibi.
[b] Ita cod., non *qui*.
[c] Cod. hoc loco *hærese*, at superius *hæresi*.
[d] Ambrosius contra Palladium lib. II, cap. 8 : *Hæc est causa erroris, hæc origo hæresis Arianæ, dum non intelligunt virtutem Dei, neque tanti sacramenti dispositionem agnoscunt, ut Deum humanis conditionibus comparent.* Quæ verba cuncta adamussim exscribit Phœbadius contra Ar. opusc. II, cap. 8. (Vid. Patrol. nostræ tom. XX.)
[e] Cod., *nicea*.
[f] Post hoc vocabulum scribitur in codice *id est de eo ipso quod Deus est;* tum huic commati linea subscribitur, quia scilicet expfingitur, utpote mendosa superioris commatis repetitio.
[g] Epithetum *impassibilis* additum fuisse vocabulo *Dei Patris* in symbolo Aquileiensi, notat Rufinus in sua explicatione. En igitur Nicetas Aquileiensis secundum suæ Ecclesiæ symbolum hic loquitur.
[h] Ad cæteros novi Testamenti codices, qui habent hoc additamentum *hunc audite*, nunc accedit Nicetas qui in suo ita legebat.

mum et minorem et contemptibilem [a] æstimare Christum, qui nobis fortitudinem et magnitudinem et gloriam secundum Patris sui contulit voluntatem ? Crede mihi ; Filii honor dignitas Patris est : quantum detuleris unigenito, tanto magis amplificabis gloriam Patris. Bonus Pater non invidet gloriam Filio ; quia omnis gloria Filii recurrit in Patrem. Hic est catholicus sensus, hæc devotio fidelium, hoc studium sanctorum. Secundum hæc, omnia dicta et facta Salvatoris intelligunt, et intelligentes loquuntur. Nec omnino impediuntur ad hanc devotionem per illa quæ Domini voluntatem videntur ostendere : ut puta, *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28) ; et, *Non veni facere voluntatem meam* (*Joan.* VI, 38) ; et, *Filius a se nihil potest facere* (*Joan.* V, 19) ; et alia multa hujuscemodi : quæ omnia non infirmant Filium, neque depretiant, sed a Patre [b] distinguunt. Siquidem et hæc ideo sunt posita, ut vera ejus divinitas non negetur : *Ego deDeo Patre exivi* (*Joan.* XVI, 28) ; et, *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* X, 38) ; *Ego et Pater unum sumus* (*Ibid.*, 30) ; et, *Qui me videt, [c] vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 9) ; et *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, ita et Filius quos vult vivificat* (*Joan.* V, 21).

6. Sed nec illa fidelem animam scandalizant, quibus Dominus esurisse, dormisse, lacrymasse refertur ; tunc, tristis usque ad mortem, crux, passio, sepultura : siquidem ad hoc sunt scripta et facta, ut et tolerantiæ exempla præberentur, et vera ejus incarnatio nosceretur. Nam in eo quod esurisse Dominus dicitur, veri corporis assumptionem intellige. In eo autem cum quinque panibus et piscibus duobus, quinque [d] millia hominum satiat, veram ejus divinitatem cognosce. Certe cum dicit : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 41), non cadit in sensum nostrum ut panis esurire credatur. Sic et de somno intelligendum est : quoniam sicut per [e] somnum corporis veritas cognoscitur, sic per illud quod statim ventis et fluctibus imperat, vera ejus divinitas approbatur. Nam quod lacrymas super Lazarum fudit, fantasmatis suspicio tollitur ; lacrymæ enim veri corporis sunt humores. Quod autem dicit, *Lazare, veni foras* (*Joan.* XI, 43), et statim ille qui jam fetebat, aperiente se terra, vivus emersit, magnum ejus divinitatis indicium est. Nam et illud quod ait, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38), ex hac ipsa Lazari resurrectione intelligi potest, qualiter debeat accipi : nec enim divinitas mortem metuebat, sed [f] humanum affectum per tristitiam animi indicabat. Crux æque, passio et sepultura, [g] uno vel altero dicto Domini discutiuntur, quominus ei impotentia vel infirmitas ascribatur. Cum dicit ad Judæos, *Solvite templum hoc*, utique corpus suum dicebat : *et ego in triduo suscitabo illud* (*Joan.* II, 19). Et iterum ait, *Potestatem habeo ponere animam meam, et potestatem habeo iterum sumere illam* (*Joan.* X, 18). [h] Si corporis sui suscitat templum, si potestas est ponendæ animæ per passionem et resumendæ per resurrectionem, cessat in Christo infirmitatis opinio, ubi tantæ potestatis sublimitas declaratur.

7. Omnia ergo pie intelligenda sunt ; omnia honorifice sunt tractanda ; utrumque in Domino [i] confitendum est ; et forma in qua semper fuit, et forma servi, quæ accepta est propter servos, credenda est ; et passio secundum carnem, et impassibilitas secundum divinitatem ; ne aut impii [j] aut ingrati judicemur. Nam qui Filium Dei, secundum id quod est, impassibilem negat, et Deo Patri dicit esse dissimilem ; hic impius est. Et qui passiones ejus secundum carnem confiteri dedignatur, ingratus est. Gloriemur ergo in cruce Christi, sicut Paulus gloriari consuevit : *Mihi*, inquit, *absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* VI, 14). Confiteamur unitatem, ut non separemur : *Si [k] enim mortui sumus*, ut ait Apostolus, *et convivemus : si sustinemus, et conregnabimus. Si negamus, et ille negabit nos* (II *Tim.* II, 12). Si non credimus quod ipse dicit, *Ego et Pater unum sumus*, ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest ; quia in gloria Dei Patris est ; quia vivit cum Patre ; quia regnat cum Patre uno eodemque imperio. Sicut ait Apostolus, cum de omni impudico et immundo et avaro loqueretur, *Non erit*, inquit, *hæres in regno Christi et Dei* (*Eph.* V, 5) ; unum regnum tam Christi dixit quam Dei ; quia una voluntas Patris et Filii ; una cooperatio ; una denique gratia, eademque gubernatio est : sicut idem magister gentium docet scribens : *Gratia vobis et pax a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo*. Et iterum : *Ipse autem Deus et Pater noster et Dominus Jesus dirigat viam nostram ad vos* (I *Thess.* III, 11). Non dixit *dirigant*, ne Patris et Filii diversitatem aut voluntatis, aut potestatis induceret ; sed dixit *dirigat*, ut unitatem potius demonstraret. Hac igitur fide hisdem verbis et nos oremus ut Patris, Filii et Spiritus sancti una gratia, una pax, una etiam gubernatio semper nos et tueatur et dirigat.

Hæc pauca ad vicem commentarioli, quia vobis scribi postulastis, negare non potui. Confido quia fidelibus animis, etsi brevia sunt, plenam poterunt præstare lætitiam Dei.

Explicit liber Nicetæ [l] episcopi de Ratione fidei.

Incipit ejusdem de sancti Spiritus Potentia.

[a] Cod., *errare*, pro *æstimare*, quæ lectio emendanda mihi visa est.

[b] Cod., *distingunt*, antiqua orthographia.

[c] Ita cod.

[d] Cod. cum unica *l*, antiqua orthographia.

[e] Cod., *somnium*.

[f] Miracula multiplicati panis, tempestatis sedatæ, Lazari revocati ad vitam, conjunctim memorat Nicetas etiam in explicatione symboli, ibidemque eadem fit comparatio humanitatis Christi infirmæ cum ejusdem potente divinitate. Est autem facta imitatio ex Nazianzeno orat. 35.

[g] Cod., *una vel altera*.

[h] Cod., *sic*.

[i] Cod., *conficiendum*.

[j] Alterum hoc *aut* deest in cod.

[k] Corrigendum *commortui*.

[l] Hic recte adest in codice vocabulum *episcopi*, quod amanuensis socorditer omiserat in titulo opusculi ante initium. Contra hic idem amanuensis præternisit ante *Nicetæ* titulum *sancti*, quem recte posuerat initio opusculi.

SANCTI NICETÆ

EPISCOPI AQUILEIENSIS

DE SPIRITUS SANCTI [a] POTENTIA.

1. Sequitur, ut quid de tertia persona, id est Spiritus sancti, sentiam, pro captu mentis exponam : siquidem de hoc vel maxime [b] dubitare multos intelligo. Et licet temerarium sit de hoc disputare qui Patri et Filio in confessione sociatur, secundum Domini traditionem et nostram in baptismo confessionem, tamen quia multi diversa sentiunt, et ratio a nobis inquiritur, necessario reddenda est ; nec aliunde reddenda, nisi ex divinarum fontibus Scripturarum. Certus autem sum, præoccupatas aures et sensus alia opinione gravatos, difficile posse placari : perniciosa est enim præventio. Nam hoc in natura humana est, ut si de aliquo viro bono male nobis fuerit susurratum, et prævenerit cognitionem veri nuntius mendax, difficile et laboriose susceptam deponamus opinionem, etiamsi idoneis assertoribus doceamur. Quod nunc multis suspicor eventurum, qui prava doctorum interpretatione anticipati, Spiritum sanctum creaturam crediderunt, et tamquam ministrum despexerunt. Ad propositum igitur redeamus.

2. In Nicæno tractatu positum est secundum symboli formam, *Credimus et Spiritum sanctum.* Quod utique sufficiebat fidelibus, quia in illo conventu de Filio quæstio fuerat, non de Spiritu sancto. Atque utinam ut fuerat traditum, cum Patre et Filio Spiritum sanctum simpliciter credidissent illi qui postmodum quæstionem de Spiritu induxerunt! ut puta, Macedoniani vel eorum in hac curiositate participes. Dum enim quærunt et isti, qualis est Spiritus sanctus ? unde est ? quantus est ? natus est ? an factus est ? sic iterum sciderunt populum, et vere, secundum Apostoli dictum (I *Tim.* I, 4), interminabilem quæstionem Ecclesiis induxerunt. Nonne oportuerat quem semel sanctum et [c] natum sanctum crediderant ; eum cum Patre magis et Filio honorificarent, quam creaturis sociarent ? Sed adhuc inducunt quæstiones, et tortuosis interrogationibus simplices quosque fide spoliare contendunt. Nulli autem dubium puto esse, quia mala interrogatio eum qui interrogatur, nisi cautus fuerit, nescium præcipitat in blasphemiam. Et inde est quod præmonet Paulus : *Videte ne quis vos spoliet per philosophiam et inanem deceptionem* (*Coloss.* II, 8). Interrogant enim rebelles Spiritus sancti : natus est Spiritus sanctus, an innatus ? Ecce laquei duo dextra lævaque protensi : in quam enim partem volueris pedem responsionis extendere, capieris. Si dixeris, natus est ; dicet et jam non esse unigenitum Filium Dei, eo quod sit et alter natus. Si dixeris, non est natus ; dicet tibi, ergo et alter erit Pater ingenitus : et jam non est unus Deus Pater, ex quo omnia. Postquam vero utrimque viam responsionis obstruxerit, jam te quasi recto cursu deducit in foveam ut dicat : Si ergo neque natus est de Patre Spiritus, neque ingenitus, superest ut creatura dicatur.

3. Quid faciet inter has clausulas fides Ecclesiæ ? acquiescat tortuosæ philosophiæ, et contra omnium opinionem scripturarum tam veteris quam novi Testamenti [d] credat esse creatum Spiritum Dei sanctum, quem nusquam creaturam legere potuit ? Absit. Melius plane faciet, si spretis hujusmodi humanis conclusionibus et vinculis interrogationum, ad Domini sui se verba convertat. Ipse enim in Evangelio dicit unde sit Spiritus sanctus, ipse finem statuit quæstioni qui finem non habet. Dicit ergo ad apostolos : *Mittam vobis a Patre Paraclitum Spiritum veritatis* (*Joan.* XV, 26). Sed unde sit ? nescitis. Si vis scire, audi ipsum dicentem : *Hic de Patre procedit.* Quid nunc oportet, fratres ? Christum audire, an homines ? Christus neque factum dixit Spiritum sanctum, sed hoc solum quia de Patre procedit [e]. Contrarii dicunt, quia factus est, et creatus. Puto melius esset ista credere, ut Christus Dominus revelavit, quam ut humana præsumptio concinnavit. Si autem interrogemus eos unde possint probare Spiritum sanctum [f] factum ; cum non habeant de Scripturis certum evidens testimonium, [g] assumant illud quod dictum est in Evangelio : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 1). Dicunt ergo : Si omnia per ipsum facta sunt, et Spiritus sanctus factus inter omnia creden-

[a] Victorinus, in edito a me superioribus annis commentario epist. ad Galatas cap. IV, 6 (et adv. Arian. III, 17) personas SS. Trinitatis, vocat *potentias*. Ergo Nicetas sic est in hoc titulo intelligendus.

[b] Sic loquitur etiam Gregorius Nazianzenus circa finem laudationis S. Athanasii. Porro veterum errorum adversus Spiritum sanctum historiam, ducto initio a Sadducæis, habemus apud Petavium de Trin. lib. I, 14. Legatur idem auctor etiam lib. II, 13; III, 7. Ex Patribus ecclesiasticis, qui Spiritus sancti divinitatem nominatim defenderunt, supersunt hi præcipui, Didymus, S. Basilius, S. Ambrosius, S. Athanasius, Theodoretus, S. Cyrillus Alex., Paschasius Romanæ Ecclesiæ diaconus. His nunc accedit Nicetas Aquileiensis. Nuper vero a me editus est in hoc volumine Hieronymi Donati de hoc argumento tractatus amplissimus.

[c] Natum dicebant hæretici, quorum sententiam aut verba nunc refert Nicetas.

[d] Cod., *credit.*

[e] Repetitur in cod., *quid nunc oportet fratres ;* tum subscripta linea expungitur.

[f] In cod. additur *dominum*, tum expungitur.

[g] Malim *assumunt.*

dus est. Hæc non est apta probatio, sed potius scrupulosa collectio. Quæro igitur; os Joannis, qui hæc dicebat, in quo Spiritu loquebatur? nonne in Spiritu sancto? si ergo in Spiritu loquebatur, ipse utique Spiritus loquebatur. De his autem dicebat, quia per ipsum facta sunt omnia quæ utique in multitudine et ordine creaturarum sunt constituta; non [a] de semet ipso dicebat Spiritus sanctus, ut ipse quoque inter cæteras creaturas factus ex nihilo crederetur.

4. Testis autem est hujus rei beatus apostolus Paulus, qui nominatim illa, quæ per Christum facta sunt, exsequitur. *In ipso*, inquit, *condita sunt omnia quæ in cœlis et quæ in terra, visibilia et invisibilia; sive* [b] *sedes, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum et in ipso* [c] *creata sunt* (*Coloss.* I, 26). Numquid inter omnia cœlestia et terrestria etiam Spiritum sanctum nominavit? Et utique principaliter nominasset, si eum creatum vel factum, sicut cætera, cognovisset. Si autem tam dure vis intelligere illud quod dictum est, *omnia per ipsum facta sunt*, [d] ut non excipias Spiritum sanctum; quæro quid sentias de eo quod dicit propheta David ad [e] Deum Dominum, *omnia serviunt tibi* (*Ps.* CXVIII, 91); numquid Spiritum sanctum inter omnia servire dicis, aut servum appellaris, qui utique non est servus, sed Dominus liberans a servitute creaturam? Quod autem sit Dominus Spiritus sanctus, ad Thessalonicenses scribens Paulus sic dicit: *Dominus dirigat corda vestra in dilectione Domini et tolerantia Christi* (II *Thess.* III, 5). Spiritum sine dubio Dominum dixit, de quo et ipse Salvator ad apostolos dixerat, *quia ipse vos diriget in omnem veritatem* (*Joan.* XVI, 13). Adhuc evidentius docet Paulus dicens: *Dominus est Spiritus; ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas* (II *Cor.* III, 17). Et ad Romanos: *Non*, inquit, *accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis* (*Rom.* VIII, 15). Si Spiritus adoptionis est, et facit homines filios Dei, quomodo ipse in servili conditione ponitur, cum servus non possit legitime liberare? *Quoniam*, inquit, *estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra declamantem: Abba, Pater. Si autem Filius, et hæres per Deum; ergo jam non est servus, sed Filius* [f] (*Gal.* IV, 6). Si me Christus liberum facit et Filium et proprii nominis divinitatis suæ hæredem, impius ero si eum servum dixero qui me liberum facit. Libertas autem Spiritus in hoc etiam manifestatur, quod dixit Apostolus: *Omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (I *Cor.* XII, 11). Ubi voluntaria distributio prædicatur, non potest videri conditio servitutis. In creatura enim servitus intelligenda est; in [g] Trinitate vero dominatio et libertas. Ergo si illud quod dictum est in psalmo *omnia serviunt tibi* ad creaturas pertinet et non ad Spiritum sanctum, hoc quoque dictum, *omnia per ipsum facta sunt* [h], non Spiritum sanctum inter omnia concludit; quia nec ex aliqua materia aut ex nihilo factus legitur, qui [i] de Patre procedit.

5. Sufficit itaque fidelibus hoc scire quia Filius quidem genitus est, Spiritus autem de Patre procedens est: et ipsis utamur verbis quibus uti divina Scriptura nos voluit. Qui autem diligit vitam, et vitæ novit auctorem, et trium nominum socio honore suscepit in baptismi sacramento, nec jam illic terminum quærit, ubi certum erat non fuisse principium, in quo credidit. Credimus ergo Spiritum sanctum Paraclitum de Patre procedere: esse autem non Filium, neque Filium Filii, quod solent [j] stulte conquirere; sed Spiritum veritatis, cujus processio aut qualis aut quanta sit, nulli conceditur scire. Nam de incomprehensibilitate ipsius Spiritus Dominus quoque in Evangelio dixit: *Quia Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat aut quo vadat* (*Joan.* III, 8). Hunc Spiritum novimus in persona esse propria et vera; fontem sanctificationis, lumen animarum, divisorem gratiarum. Hic Spiritus sanctificat, non sanctificatur; illuminat, non illuminatur: nec ulla creatura sine hoc Spiritu aut ad æternitatem pervenire, aut vere sancta poterit nominari. Audeo dicere; templum ipsum Domini, id est corpus quod accepit ex Virgine, certe ipso Spiritu instructum est. Et dixit Gabriel angelus ad Mariam: *Spiritus sanctus veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit te; ideoque quod nascetur ex te, de Spiritu sancto est* (*Luc.* I, 35). Ecce ipsum templum, in quo verbum Domini habitavit, invenimus ab Spiritu sanctificatum. Et licet dicat ipse Dominus de se, *Quem Pater sanctificavit et misit in hunc mundum* (*Joan.* X, 36); et iterum, *Potest enim Filius Dei et suum corpus et omnia sanctificare* (*Joan.* XVII, 19): tamen ut virtutem et proprietatem sancti Spiritus sæculo manifestaret, tempore baptismatis in specie columbæ ipse in suum corpus recepit Spiritum sanctum, ut vere secundum Apostoli dictum omnis in eo habitaret plenitudo divinitatis corporaliter: de qua plenitudine postmodum accipiunt apostoli gratiam pro gratia, ipso inspirante Domino in faciem apostolorum, et dicente: *Accipite Spiritum sanctum; si cujus peccata dimiseritis, dimissa erunt; si cujus tenueritis, tenebuntur* (*Joan.* XX, 22).

[a] Deest *de* in cod.

[b] Ita *sedes*, non *throni*, etiam Victorinus adv. Arium I, 24. Sed cap. 36, *throni*, quæ sine dubio varietas amanuensium est.

[c] Victorinus, *constituta*. Variabant enim exemplaria etiam Italicæ veteris. Victorinus ipse cap. 36, *creata*. Quæ sunt librariorum arbitria.

[d] Deest *ut* in cod.

[e] In cod. scribitur tantum *D*. Num ea littera explicanda esset *Deum*, an potius mendosa credenda, ambigebam.

[f] In vulgata Paulini textus editione inversus est ordo horum commatum.

[g] Ita cod. Num pro *divinitate?*

[h] Legendus inter alios Photius a me editus Amphiloch. I, circa fin., ubi abutentes evangelico Joannis textu hæreticos refutat.

[i] Sic *de Patre* simpliciter, non addito *Filioque*, scribit Nicetas noster etiam in Symboli Explanatione. Et quidem alii sæpe Patres sic locuti secure sunt ante exortam controversiam; qua super re disserit cl. Braida in comm. ad prædictum Nicetæ opusculum p. 270.

[j] Cod., *stulta*. Liceret etiam scribere *stulti*.

Et cum scriptum sit, *Quis poterit peccata dimittere nisi solus Deus* (*Luc.* v, 21); ecce apostoli in Christi potestate peccata dimittere, perhibentur. Cognita est itaque quanta sit sanctificatio Spiritus, ubi Dominico ipsi corpori accommodata monstratur : cognita est et potestas Spiritus, cum peccata dimittit.

6. Veniamus ergo ad cæteras ejus virtutes et opera, ut quid et quantus sit Spiritus sanctus possit agnosci. Sicut enim Pater et Filius nisi per opera agnoscuntur, ut ipse Dominus ait, *vel operibus meis credite* (*Joan.* x, 38) ; ita et Spiritus sanctus nisi per operum insignia, quid sit non potest plenius sciri. Nemo itaque [a] anxiet cum de Spiritus sancti virtute capitula proferimus ; nemo aures claudat cum divina verba recitantur : plus debent credere cœlestia testimonia, quam terrena figmenta. Quid ergo est quod volumus ? ad signa Dominica sine dubio traditionem. Si enim in nomine Patris et Filii non sine Spiritu sancto renascimur, non sine Spiritu sancto sanctificamur, atque ad æternitatem proficiscimur, cupimus ostendere quia non solum in baptismo, sed etiam in aliis omnibus cum Patre et Filio Spiritus sanctus operatus est et semper operetur.

7. Quamquam sufficeret hoc solum, quod in baptismi sacramento cooperatus invenitur ; quia ex hoc et alia intelliguntur non sine Spiritu esse creata. Quale est revera, renovatio quidem et reparatio hominis cum Spiritu fiat, figuratio autem hominis et creatio, sine Spiritu esse credatur ? An dubium est alicui, plus esse baptismi sacramentum, quam ipsa exordia creaturæ ? quia in baptismo æternitas perficitur, in exordio autem mors regnavit ab Adam. Audiamus ergo David de creatione prophetantem : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Ps.* xxxii, 6). Verbum hoc utique Filius intelligendus est, secundum Joannis præconium *per quem omnia facta sunt.* Spiritus autem oris non alius est, nisi iste qui creditur sanctus. Habes utique in uno versiculo Dominum, et verbum Domini, et Spiritum sanctum Trinitatis adimpleturum mysterium. Quod si verbum hoc, per quod cœli firmati sunt, aliquis impudenter jussionem interpretari voluerit ; [b] Spiritum æque aera solubilem dixerit ; paulatim in Judaismum cadat necesse est : quia nec Photinus nec Judæi per verbum substantivum et Spiritum concedunt esse aliquid procreatum.

8. Sed dices : De verbo quidem manifestum est quod creaverit ; quid de Spiritu ? Accipe aliud testimonium justissimi illius et antiquissimi Job. *Spiritus*, inquit, *divinus qui fecit me* (*Job.* xxxiii, 4). Et David psalleus dicit ad Deum : *Emitte Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ* (*Ps.* ciii, 30). Si creatio et renovatio per Spiritum erit, sine dubio et principium creationis sine Spiritu non fuit. Sed solent hi, qui veritati resistunt, argute Spiritus vocabulum et personam ad Filium convertere, sicubi creator Spiritus invenitur ; quia et Filius Spiritus est, sicut et Pater Spiritus. Quod utique non est credendum pravæ argumentationi, vel ex hoc ipso quia David et verbum Domini dixit, quod est Filius ; et Spiritum nihilominus prædicavit, qui est sanctus : verbum quidem firmans cœlos, Spiritum autem omnem virtutem eorum, hoc est [c] ornatum. Aut credant ergo qui hæc legunt ; aut si nolunt credere, quid et legunt ? Ne quis autem putet hanc [d] credulitatem ad Dei Patris contumeliam pertinere, cum potius ad gloriam [e] exspectet, si ejus verbum cujus ipse Pater, aut ejus Spiritus cujus ipse auctor est, creasse omnia referatur : ipse enim [f] creat omnia, cum verbum ejus creant et Spiritus.

9. Post creationem igitur ostendamus quia vivificat Trinitas. Et quidem de persona refert Apostolus : *Testor coram Deo qui vivificat omnia* (I *Tim.* v, 21 ; vi, 13). Vitam vero dat Christus : *Oves*, inquit, *meæ vocem meam audiunt ; et ego dabo eis vitam æternam* (*Joan.* x, 27). Vivificamur vero per Spiritum, ipso Domino dicente, *Spiritus est qui vivificat* (*Joan.* vi, 64). Similiter et Paulus ad Romanos : *Qui suscitavit Christum a mortuis,* [g] *vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis* (*Rom.* viii, 11). Ecce una vivificatio Patris, et Filii, et Spiritus sancti aperte monstrata est.

10. Præscientia omnium rerum in Deo est, et occultorum cognitor est. Licet nemo Christianus ignoret, tamen ex Danielis libro monstrandum est. *Deus*, inquit, *qui occultorum cognitor es, qui prospicis omnia ante quam nascantur* (*Dan.* xiii, 42). Hæc eadem præscientia in Christo est, dicente evangelista : *Ab initio*, inquit, *sciebat Jesus quis esset eum traditurus, vel qui essent non credentes* (*Joan.* vi, 65). Quod sit autem occultorum cognitor, ex hoc manifestatum est, cum obscura consilia Judæorum manifestans dicebat : *Quid cogitatis nequam in cordibus vestris* (*Matth.* ix, 4) ?

11. Similiter præscire omnia Spiritum, Deus manifestavit dicens ad apostolos : *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnia, et ventura annuntiabit vobis* (*Joan.* xvi, 13). Qui ventura annuntiare perhibetur, puto præscire omnia non dubitabitur, quia ipse [h] scrutatur altitudines Dei, et novit omnia quæ sunt Dei. Nec non et sacramenta revelat Dei ; testatur Daniel dicens : *Ipse est Deus deorum, et rex regum, qui sacramenta revelat* (*Dan.* ii, 47). Revelantur omnia per Christum, sicut ipse ait : *Nemo novit Patrem*

[a] Ita cod. Et notemus neutralem verbi significationem.

[b] Agnoscit quidem Nicetas sensum grammaticum vocabuli spiritus, sed sacrum illi antefert.

[c] Cod., *ornatuum.*

[d] *Credulitatem* pro *fide firma* dicit Nicetas etiam in Symboli Explanatione ; qua super dictione legesis disserentem Braidam p. 264 sqq. Salvianus de Gub. lib. iii, 2. *Quid est credulitas aut fides ? Opinor hominem fideliter Christo credere*, etc. Item Paulinus in carmine apud me Auctor. class. tom. V, p. 378.

[e] Ita cod. pro *spectet*, quod non caret aliis exemplis.

[f] Cod., *erat.*

[g] Cod., *vivificavit.*

[h] Cod., *scruptatur.*

nisi Filius et cui voluerit Filius revelare (*Luc.* x, 22). Omnis vero in Spiritu revelatio est; testatur Paulus: *Nobis*, inquit, *revelavit Deus per Spiritum sanctum suum* (*Cor.* II, 10). Ecce est revelatio unius Trinitatis Deus.

12. Quod ubique sit præsens, et impleat omnia, dicente Esaia: *Ego*, inquit, *Deus approximans. Et Deus de longinquo* (*Isa.* XXX, 27). *Si absconditus fuerit homo in absconditis, numquid non videbo eum? nonne cœlum et terram ego impleo* (*Jerem.* XXIII, 24)? Quid autem de sua præsentia, qui ubique? Et Salvator Christus in Evangelio dicit: *Ubicumque fuerint duo vel tres* [a] *in nomine meo, ibi et ego sum in medio ipsorum* (*Matth.* XVIII, 20). De plenitudine autem ejus apostolus refert: *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos ut adimpleret omnia* (*Eph.* IV, 10). De Spiritu æque sancto quod [b] adsit ubique, dicit propheta ex persona Domini: *Ego in vobis, et Spiritus meus stat in medio vestrum* (*Agg.* II, 6). Et Salomon ait: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* (*Sap.* I, 7). Habitat Deus in sanctis suis, secundum promissionem quam dixerat, *Habitabo in illis et inambulabo* (II *Cor.* VI, 16). Quid vero Dominus in Evangelio dicit? *Manete in me et ego vobis* (*Joan.* XV, 4). Probat autem hoc Paulus: *Nescitis quia Jesus Christus in vobis est* (II *Cor.* XIII, 5)? Hoc autem totum in Spiritus habitatione adimpletur, sicut memorat Joannes: *Ex hoc*, inquit, *scimus quia in nobis est, de Spiritu suo, quem dedit nobis* (I *Joan.* III, 24). Similiter et idem Paulus: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* (II *Cor.* III, 16)? Et mox dicit: *Glorificate et portate Deum in corpore vestro* (I *Cor.* VI, 20).

13. Nam quod arguat Pater, arguat et Filius, arguat etiam et Spiritus sanctus, ita probandum est. In Psalmo XLIX legitur: *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas* (*Ps.* XLIX, 16)? Et infra: *Arguam te et statuam* [c] *illam contra faciem tuam* (*Ibid.*, 21). David æque orans dicit ad Deum: *Domine, ne in ira tua arguas me* (*Ps.* VI, 2). Et quia ipse venturus est arguere omnem carnem (*Jud.* 15). Quid vero de Spiritu sancto Salvator in Evangelio? *Cum venerit*, inquit, *Paraclitus ille, arguet mundum de peccato et de justitia et de judicio* (*Joan.* XVI, 8). Hoc providens David clamabat ad Deum: *Quo ibo a Spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam* (*Ps.* CXXXVIII, 7)? Quod sit autem unum judicium [d] a Deo per Christum futurum, beatus Paulus ostendit: *Cum judicabit*, inquit, *Deus occulta hominum per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* II, 16). Et quia Spiritus sanctus judicaturus est Antichristum, dicente Paulo, cum de persona ejus loqueretur: *Quem interficiet*, ait, *Dominus Jesus Spiritu oris sui* (II *Thess.* II, 8). Si Antichristus Spiritu oris Domini interficitur, ergo et omnis creatura Spiritu judicabitur, dicente Salomone: *Contra illos statuet Spiritus virtutis, et tamquam turbo venti dividet eos* (*Sap.* V, 24).

14. Nam et quod bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus sanctus, sic probatur. De Patre quidem dixit Unigenitus in Evangelio: *Nemo bonus nisi unus Deus* (*Matth.* XIX, 17). De se autem: *Ego sum pastor bonus* (*Joan.* X, 11). De Spiritu æque David psallens dicit: *Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam* (*Ps.* CXLII). Et sicut dicitur de Filio, *Rectum est verbum Domini* (*Ps.* XXXII, 4), sic et de Spiritu dicitur *Spiritum rectum innova in visceribus meis* (*Ps.* L, 10).

15. Quis autem illam dignitatem Spiritus sancti possit tacere? Antiqui enim prophetæ clamabant: *Hæc dicit Dominus*. Hanc vocem Christus adveniens in suam revocavit personam dicens: *Et ego dico vobis*. Novi autem prophetæ quid clamant? sicut Agabus prophetans in Actibus apostolorum ait: *Hæc dicit Spiritus sanctus* (*Act.* XXI, 11). Et iterum se a Deo Patre et a Christo vocatum et missum Paulus apostolus (*Gal.* I, 1), non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem. In Actis vero apostolorum legitur quod a Spiritu sancto segregatus et missus. Sic enim scriptum est: *Et dicit Spiritus sanctus, segregate mihi Barnabam et Paulum in opus quo vocavi eos* (*Act.* XIII, 2). Et paulo post: *Ipsi autem missi a Spiritu sancto descenderunt Seleuciam* (*Ibid.*, 4).

16. Nequis autem Spiritum sanctum quia Paraclitus dicitur [e] contemptibile quid æstimet; Paraclitus enim advocatus sive consolator est secundum Latinam linguam; quæ appellatio etiam Filio Dei communis est, sicut docet Joannes: *Hæc*, inquit, *scribo vobis ne peccetis. Quod si quis peccaverit, Paraclitum habemus apud Patrem Jesum Christum justum* (I *Joan.* II, 1). Nam et ipse Dominus cum dicit ad apostolos *alterum advocatum mittet vobis Pater*, sine dubio cum alium Paraclitum nominat, sic quoque Paraclitum manifestat. Sed nec a Patre hoc nomen Paracliti alienum est: beneficentiæ enim nomen est, non naturæ. Paulus denique ad Corinthios scribit: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi; Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos* (II *Cor.* I, 3); quod Græce dicitur, [f] καὶ Θεὸς πάσης παρακλήσεως. Et cum consolator dicitur Pater, consolator et Filius, consolator et Spiritus sanctus, una tamen nobis consolatio Trinitatis præstatur. *Sed abluti*, inquit, *estis et sanctificati et justificati estis in nomine Domini Jesu Christi et in Spiritu Dei nostri* (II *Cor.* VI, 11).

17. Sed forsitan hæc mitia et bona non excitant animum ad intelligendam potentiam Spiritus sancti; pauca de terribilibus proferamus. Vendiderat possessionem Ananias, sicut scriptum est in Actibus apostolorum, suppressamque partem pecuniæ discipulus sibi reservaverat; reliquam pro tota ante pedes de-

[a] **Deest** apud Nicetam vox *congregati*.
[b] Cod., *assit*, quod ferri potest.
[c] Ita cod.
[d] Cod., *ad eum* pro *a Deo*.
[e] Cod., *contemptibilia*.
[f] Verba Græca deerant in codice, relicto spatio vacuo; quæ ego supplevi pro spatii modulo.

posuit apostolorum. Offendit Spiritum sanctum, quem putaverat se latere. Sed quid ad eum continuo beatissimus Petrus? *Anania, quare Satanas implevit cor tuum, mentiri te Spiritui sancto* (*Act.* v, 3)? Et statim ait : *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Atque ita percussus virtute ejus, cui mentiri voluerat, expiravit. Quid hic vult [a] beatus Petrus intelligi Spiritum sanctum? Et utique clarum est cum dicit : *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Manifestum est ergo quoniam qui mentitur Spiritui sancto, Deo mentitur; ei qui credit in Spiritum sanctum, credit in Deum. Sic etiam uxor Ananiæ, quæ in mendacio fuerat conscia et in morte facta est socia. Tale aliquid, immo fortius in Evangelio ostendit Dominus dicens : *Omne peccatum et blasphemiæ remittentur hominibus; qui autem dixerit blasphemiam in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro* (*Matth.* XII, 32; *Marc.* III, 28, 29; *Luc.* XII, 10). Terribilis sententia! [b] irremissibile dicit esse peccatum ei qui in Spiritum sanctum blasphemaverit. Compara huic sententiæ illud quod scriptum est in Regnorum libro : *Si peccando peccaverit vir in virum, orabunt pro eo; si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo* (I *Reg.* II, 25)? Ergo quia peccare in Spiritum sanctum et peccare in Deum, idem [c] inexpiabile crimen est; jam advertere poterunt quanta sit Spiritus sancti majestas; in quem si quis rebellis exstiterit, in perpetuas pœnas trudetur.

18. Possem plura de divinis Scripturis proferre testimonia quæ, secundum Baptismi sacramentum, Trinitatem unius operationis ac potentiæ manifestarent. Sed quia et in his plenus est sapientibus intellectus, multa prætereo. Faciam itaque recapitulationem dicturus : si de Patre procedit Spiritus sanctus; si liberat; si sanctificat; si Dominus est, ut dixit Apostolus; si creat cum Patre et Filio; si vivificat; si præscientiam habet, sicut habet Pater et Filius; si revelat; si ubique est; si adimplet orbem terrarum; si habitat in [d] electis; si arguet mundum; si judicat; si bonus est; si rectus est; si de eo clamatur, hæc dicit Spiritus sanctus; si prophetas constituit; si apostolos mittit; si consolator est; si abluit et justificat; si [e] tentatores suos interficit; si is qui [f] in eum blasphemaverit, non habet remissionem neque in hoc sæculo neque in futuro, quod utique Deo proprium est; si hæc ita sint, immo quia vera sunt, quid a me quæritur ut dicam quid sit Spiritus sanctus, cum per operum magnitudinem, quod est ipse se manifestat? Non utique alienus est Patris et Filii sanctitate, qui non est ab operum virtute alienus : frustra illi nomen divinitatis negatur, cujus potestas non potest abnegari : frustra prohibeor eum cum Patre et Filio venerari, quem confiteri cum Patre et Filio ipsa veritate compellor. Si ille mihi cum Patre et Filio confert remissionem peccatorum, confert sanctificationem et vitam æternam, ingratus ero nimis et impius si non ei cum Patre et Filio referam gloriam. Aut si non est colendus cum Patre et Filio, ergo nec confitendus est in baptismate. Si autem omni modo confitendus est, secundum dictum Domini et traditionem apostolorum, ne semiplena sit fides et imperfecta; quis me poterit ab ejus religione et veneratione cohibere? [g] In quem enim credere jubeor, ei etiam devote supplicabo.

19. Adorabo ergo Patrem, adorabo Filium, adorabo Spiritum sanctum, una eademque veneratione. Quod si quis durum hoc putat, audiant quomodo David ad [h] culturam Dei fideles hortetur : *Adorate*, inquit, *scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est* (*Ps.* XCVIII, 5). Si scabellum pedum Domini religionis est adorari; quanto magis religiosum erit, si ejus Spiritus adoretur? ille utique Spiritus quem beatus Petrus in tanta sublimitate prædicavit dicens : [i] *Evangelizaverunt vobis Spiritum sanctum missum de cœlo, in quem concupiscunt angeli prospicere* (I *Pet.* I, 12). Si angeli eum cupiunt aspicere, quanto magis nos homines mortales [j] contemnere non debemus? ne forte et de nobis dicatur sicut dictum est ad Judæos : *Vos semper* [k] *Spiritui sancto restitistis, sicut et patres vestri* (*Act.* VII, 51).

20. Quod si hæc tanta ac talia non inclinant animum ad venerandum Spiritum sanctum, accipe adhuc aliquid fortius. Sic enim Paulus instruit prophetas Ecclesiæ, in quibus utique et per quos ipse Spiritus loquebatur : *Si*, inquit, *omnes prophetent, intret aliquis infidelis aut idiota, convincitur ab omnibus, examinatur ab omnibus, occulta etiam cordis ejus manifesta fiunt. Et tunc cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quia vere Deus est in nobis* (I *Cor.* XIV, 24). Utique Spiritum sanctum intelligi voluit, qui in prophetis lo-

[a] Ita cod., *beatus*, cum paulo ante sit *beatissimus*.

[b] Sic absolute censet, seu potius scribit Nicetas etiam in Explanatione Symboli; deque eo loco disputat Braida p. 289 sqq.

[c] Atqui peccata adversus Deum expiabilia apud Deum sunt, quamquam hic videtur contrarium prope dici. Ergo eadem fere responsio valet ad peccatum contra Spiritum sanctum; nempe quod Nicetas paulo severius dixerit quam se intelligi maluerit.

[d] Cod. mendose, *excelsis*; sed confer p. 325.

[e] Cod., *temptatores*.

[f] Cod., *cum* pro *in eum*.

[g] Cod. Vat. mendose, *in quem enim jubeo, ei etiam dubie supplicabo*. Et quidem *devote* pro *dubie* lego in alio codice Vaticano.

[h] *Cultura* hoc loco sine dubio cultum religiosum significat. Eodem vocabulo utitur Nicetas in Symboli Explanatione, prorsus ut ego censeo in eodem sensu; quia ibi agitur de abrenuntiando cultui diaboli. Quare assentiri non possum cl. Zabæo (ed. Nic. Expl. Symb.) qui existimat verbo *cultura* significari ibi a Niceta *vestium elegantiam*. Etiam S. Ildephonsus Toletamus de Script. Eccl. 3 dicit *culturam idolorum*. Immo vero Lactantius Inst. v, 7 : *Dei unici pia et religiosa cultura*. Sic Tertullianus Apol. cap. 21 : *Negat quod colit, et culturam in alterum transfert*.

[i] Notabilis varietas, *evangelizaverunt Spiritum sanctum missum*, pro *Spiritu sancto misso* ut est in vulg. ed. itemque in Græco textu, ἐν Πνεύματι ἁγίῳ ἀποσταλέντι. Nicetas ergo, si sana lectio codicis est, dicit prædicatum ipsum Spiritum sanctum ab apostolis.

[j] Cod. *Contempnere*.

[k] Ita cod. Et sic Eugenius quoque carthaginiensis lib. fid. legisse se demonstrat.

quebatur. Si ergo infideles cadunt in faciem et adorant Spiritum sanctum, adorant perterriti, et confitentur inviti ex operum magnitudine, id est abundantia gratiæ spiritualis; quanto magis fidelibus expedit voluntarie et ex affectu adorare Spiritum sanctum!

21. Adoratur autem Spiritus non quasi separatim more gentilium; sicut nec Filius separatim adoratur, quia in dextera Patris est; sed cum adoramus Patrem, credimus nos fideliter et Filium et Spiritum sanctum pariter adorare : quia et cum Filium invocamus, Patrem nos credimus invocare : et cum Patrem rogamus, a Filio nos credimus exaudiri, sicut ipse Dominus pollicetur, *Quidquid petieritis a Patre in nomine meo, ego faciam; ut honorificetur Pater in Filio.* Sic et cum Spiritus adoratur, ille utique adoratur cujus est Spiritus.

22. Illud autem nullus ignorat, quod divinæ majestati nec addi quidpiam nec minui, humanis supplicationibus potest : sed unusquisque secundum propositum voluntatis suæ aut gloriam sibi acquirit fideliter venerando, aut confusionem pertinaciter resistendo. Certum est enim quia et contentio et superbia damnationem generant; honorificentia fructum devotionis exspectat. Quare autem fideles non honorificent integre Trinitatem, ad quam pertinere confidunt, cujus nomine se renatos, cujus vocabulo se nominari gloriantur? Nam sicut [a], a nomine Dei Patris homines Dei appellantur, ut Helias homo Dei dictus est, et Moyses homo Dei, ut Timotheus homo Dei a Paulo appellatus est; sic a Christo Christiani nuncupantur; sic etiam ab Spiritu spirituales appellantur. Si igitur voceris homo Dei, et non fueris Christianus, nihil es. Æque si Christianus dicaris, et non fueris spiritualis, ne tibi satis de salute confidas. Sit ergo nobis secundum baptisma Salvatoris confessio, fides [b] integræ Trinitatis, una devotio pietatis : nec more gentilium, potestatum diversitates opinemur, aut creaturam in Trinitate suspicemur. Sed nec Judæorum scandalo succumbamus, qui Filium Dei negant, qui Spiritum non adorant; sed potius perfectam Trinitatem adorantes et magnificantes, sicut in mysteriis ore nostro dicimus, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth*, ita conscientiam teneamus. Et illud unus sanctus, utique Spiritus; unus Deus, Jesus Christus in gloria Dei Patris; una omnipotentia, quia una est religio Trinitatis. Et deinceps pacem et dilectionem sectantes bonis semper operibus abundemus: et audiamus ab Apostolo, sicut audierunt Corinthii in [c] prima Epistola : *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et dilectio, et communicatio sancti Spiritus erit cum omnibus vobis. Amen.*

Explicit sancti Nicetæ episcopi de Spiritus sancti Potentia.

Incipit tractatus ejusdem de diversis appellationibus Domino nostro Jesu Christo convenientibus.

[a] Cod., *ad nomen.*
[b] Cod., *integre.* Malim *integra.*
[c] Immo sequentia verba leguntur in secundæ Epistolæ clausula.

SANCTI NICETÆ
EPISCOPI AQUILEIENSIS
DE DIVERSIS APPELLATIONIBUS
D. N. JESU CHRISTO CONVENIENTIBUS.

1. Multa nomina multæque appellationes in Scripturis sanctis inveniuntur, quæ Domino Jesu et Salvatori nostro conveniunt. Dicitur verbum, dicitur sapientia, lux, virtus, dextera, brachium, angelus, appellatur homo; dicitur agnus, ovis, sacerdos, via, veritas, vita; dicitur vitis, justitia, redemptio : panis, lapis, medicus, fons aquæ vivæ, pax, judex, janua appellatur. Hæc omnia dicitur; et alia multa vocabula in Scripturis sanctis [b] de Christo invenies; cum unus atque idem sit Dei Filius Deus noster, ut virtutis ejus ac dispensationis ratio cognoscatur. Audisti appellationes; quære nunc appellationum significationes. Verbum dicitur, vel quod impassibiliter genitus sit a Deo Patre, vel quod sine diminutione paternæ substantiæ ejus exstiterit generatio. Nam nec homo diminutionem aliquam pati videtur cum verbum emittit. Vel certe verbum dicitur, quod per ipsum sit Deus Pater semper et angelis locutus et hominibus. Sapientia dicitur, quia per ipsum sunt in principio sapienter cuncta disposita. Lux dicitur, quia et primas mundi tenebras ipse illuminavit, et noctes mentium humanarum suo adventu fugavit. Virtus dicitur, quia nulla eum potest superare creatura. Dextera et brachium dicitur, quia per ipsum universa creata sunt, et ab ipso omnia continentur. Angelus magni consilii appellatur, quia ipse est nun-

[a] In eodem argumento versatur Damasus carm. 11 ed. Sarazan. (*Tomo nostro XIII, col.* 378, *S. Dam. carm.* 6), qui tamen versus in pervetusto Vat. cod. 353 tribuuntur Silvio cuidam. Et quidem cod. vat. **via** pro *vita; columba* pro *columna*; *panis* pro *paries.* Legatur item poeta Orientius in collect. Pisaur. tom. VI, p. 89; et Phœbadius contra Arianos cap. 6, quem postremum lectum a Niceta vix dubito.
[b] Cod. *in* pro *de.* Alius codex hic verba aliquot desiderat.

tius paternæ voluntatis. Dicitur hominis Filius, quia propter nos homines homo nasci dignatus est. Dicitur agnus propter innocentiam singularem. Ovis dicitur, ut ejus passio demonstretur. Sacerdos dicitur, vel quia suum corpus oblationem et hostiam obtulit Deo Patri pro nobis; vel quod per nos[a] dies singulos offerri dignatur. Dicitur via, quia per ipsum pergimus ad salutem. Vitis appellatur, quia brachiorum palmites extendens in cruce, magnum sæculo præstitit dulcedinis fructum. Justitia dicitur, quia per sui nominis fidem justificat peccatores. Redemptio dicitur, quia olim perditos sanguinis sui pretio nos redemit. Panis dicitur, quia [b] famem gentium per suum refecit Evangelium. Lapis dicitur, quia nec serpens fecit in eo vestigium, et nobis ipse præstitit munimentum. Medicus dicitur, quia infirmitates nostras et vulnera sua visitatione curavit. Fons aquæ vivæ dicitur, quia per lavacrum regenerationis et abluit et vivificat peccatores. Pax dicitur, quia dissidentes in unum collegit, et Deo Patri reconciliavit. Resurrectio dicitur, quia ipse omnia de sepulcris corpora suscitabit. Judex dicitur, quia ipse est et vivos judicaturus et mortuos. Janua dicitur, quia per ipsum cœlorum regni fidelibus aperitur introitus.

2. Ergo quia tantis et nominibus et titulis Dominus communis appellatur, habe fiduciam, fidelis, et spem tuam in ipso tota virtute constitue. Nam ut Patrem scias, ipse tibi verbum est. Si vis recte sapere, ipsum quære, quia sapientia est. Si tenebras aliquas sensus tuus patitur, Christum require, quia lumen est. Infirmus es? habes refugium, quia et medicus est et virtus. Vis scire per quem sit mundus creatus, et a quo omnia contineantur? ipsum crede, quia brachium et dextera perhibetur. Pavorem sustines aliquem? in omnibus tibi velut angelus aderit. Si tibi difficile fuerit visu accedere ad tantam unigeniti majestatem, ne desperes, quia et homo factus est, ut ad eum facile accessum haberet humanitas. Si innocens fueris, tibi ipsi se [c] sociabit velut agnus. Si te persecutio aliqua gentilis contristat, sume fiduciam, quia et ipse tamquam ovis immolatus est; et te tamquam sacerdos Patri suscipiet offerendum. Si viam salutis ignoras, require Christum, quia ipse est iter animarum. Si vis scire veritatem, ipsum audi, quia veritas est. Mortem omnino ne timeas, quia Christus vita credentium est. Dulcedo te sæculi delectat? magis ad crucem Christi convertere, ut ejus vitis, quæ in cruce pependit, dulcedine recreeris. Peccator es perditus? justitiam debes esurire, redemptorem sitire, quod Christus est: satiat enim quia panis est. Si nutas in aliquo, firma gressum in ipso, quia lapis est, et te munitum præstabit ut murus. Infirmus et debilis es? ab ipso quære remedium, quia medicus est. Ardorem pateris pecccatorum, vel maxime quicumque es catechumenus? curre ad vitæ fontem, ut ardor tuus exstinguatur, et æternitatem tua anima consequatur. Si ira discruciat et exagitat dissensio, accede ad Christum, quia pax est, ut et Patri reconcilieris, et omnem diligas hominem tamquam te esse diligendum [d] judicas. Si occasum corporis times, et mortem vitæ istius perhorrescis, memento quia resurrectio est; potest resuscitare quod cecidit. Si te peccati [e] voluptas sollicitat, et vitia carnis [f] irritant, præscius cogita quia justus judex est, severus examinator est, æterni ignis præparator est; et numquam te peccare delectabit. Ad postremum, frater, si te desperatio aliqua invaserit de remuneratione justitiæ, de cœlestis gloriæ expectatione, [g] credibili mente januam illum esse præsume; quia et per ipsum resuscitatus a mortuis, et cœlorum secreta penetrabis, et angelorum consortium consequeris: et audies illam desiderabilem vocem: *Euge, serve bone et fidelis,* [h] *quia fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui; posside regnum quod tibi* [i] *præparatum est a mundi constitutione: ipso præstante, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum* (*Matth.* XXV, 23). Amen.

[a] Notemus Missæ quotidianæ usum ætate Nicetæ.
[b] Cod. unus habet *famis scientiam;* alius, *scientiæ;* ego emendandum curavi.
[c] Al. cod., *sociavit.*
[d] Vocabulum *judicas* a me suppletur. Nam in codice relinquitur vacuum spatium unius adamussim vocabuli.
[e] Al., *voluntas.*
[f] Al., *invitant.*
[g] Al., *fideli.*
[h] Al., *quia in pauca fuisti.*
[i] Al., *paratum.*

SANCTI NICETÆ

EPISCOPI AQUILEIENSIS

[a] EXPLANATIO SYMBOLI

[b] HABITA AD COMPETENTES.

1. Qui credit in Christo, et sequitur eum ad veram ducentem vitam, sicuti Israelis populus Moysen secutus terram repromissionis ingressus, hic confidens duce Christo abrenuntiat inimico, et angelis

In antiquo codice Bobiensi apud Muratorium AA. m. æ. tom. III, p. 819, sic: *liber I instructionis Nicetæ episcopi.*

[b] Ob hujus vocabuli declarationem en locum ex

ejus, et universæ magicæ [a] curiositati, quæ constat ejus per angelos Satanæ. Deinde [b] renuntiat operibus ejus malis, et culturæ, idolis, sortibus, et auguriis, pompis, et theatris, fornicationibus, [c] ebrietatibus, choris, atque mendaciis. Hæc sunt et alia serpentina, quæ stringunt animas hominum, et ad inferni carcerem ducunt. His ergo malis se homo expediens, has catenas post dorsum suum velut in faciem projiciens inimici, jam [d] sincera voce pronuntiat.

2. [e] *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Bene incipit a credulitate confessio, quia sic beatus Paulus expressit. *Corde*, inquit, *creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* x, 10). Credis ergo in [f] Deum Patrem omnipotentem : Deum ingenitum, qui ortus a nullo est, [g] a nullo cœpit : Deum invisibilem, quem nullus carnis oculus videre sufficit : Deum incomprehensibilem, qui omnia comprehendit : Deum immutabilem, qui non mutatur temporibus, nec senescit ætate, sed semper idem est : qui non in tempore cœpit vivere, sed semper vivens, nullum patitur successorem : Deum bonum et justum cœli et terræ Creatorem. Hunc confiteris Deum, sed eumdem confitearis et Patrem Filii necesse est : nemo enim Pater est sine Filio : Pater ergo per Filium est, habens utique Filium, cujus sit Pater. [h] Et hæc est pia confessio in Deum ; ut eum non solum [i] Deum scias, sed cognoscas et Patrem [j], Patrem viventis verbi, virtutis ac sapientiæ propriæ : [k] qui ante omnia sæcula, ante omnium principium, ante omne omnino tempus ex se genuit Filium, Spiritus Spiritum, Deus Deum; *in quo sunt condita universa* [l] *quæ in cœlis, et* A *quæ in terra; visibilia, et invisibilia*, sicut docet Paulus (*Coloss.* I, 16), et consignat Joannes : [m] *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 3).

3. Credens ergo in Deum Patrem, statim te confiteberis credere et in Filium ejus Jesum Christum. Hic est Filius Dei Jesus Christus. Jesus qui Hebræorum lingua interpretatus, Salvator intelligitur : Christus vero regiæ dignitatis appellatio est : veluti salvator et rex, unus atque idem Christus Jesus. Hic propter nostram salutem descendit a Patre de cœlis, et simile nobis corpus accepit. Natus ex Spiritu sancto, et Virgine Maria sine ulla viri operatione : corpus ex corpore, Spiritus sancti virtute, generatum est; manens Deus, homo factus est, [n] ut hominibus et visui B et doctrinæ saluti esse posset : quia aliter divinitas ab hominibus sustineri non poterat nisi corporis assumptione visibilis.

4. Natus ergo ex sancta et incontaminata Virgine, ut sanctæ nativitatis nobis præstaret initium. Natus est, secundum quod ante dictum fuerat per prophetam : *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus* [o] *Emmanuel : quod est interpretatum, Nobiscum Deus* (*Isai.* VII, 14) ; *Matth.* I, 23). Crede ergo, hunc, qui ex Virgine natus est, nobiscum esse Deum; Deum ante sæcula de Patre; hominem ex Virgine propter homines. Vere incarnatum, non putative, sicut [p] quidam erronei hæretici erubescentes mysterium Dei in phantasmate dicunt factam Domini incarnationem : quia non vere fuerit quod videbatur, sed oculos fefellerit hominum. Quod [q] absit C

---

pervetusta, quam lego in Vaticano codice, missæ expositione. *Inter catechumenum et competentem quæ differentia est? De catechumeno, quid sit, satis superius dictum est; sed de competente, quid sit, breviter est dicendum. Competens est qui diligenter instructus fide et attente de credulitate imbutus, post traditam sibi doctrinam Christianitatis, et mysterium symboli, et traditionem orationis Dominicæ, petit et rogat ut possit consequi mysteria sacri baptismatis et gratiam, et particeps fieri sanctæ Ecclesiæ, et in servitio cum fidelibus esse Christi. Unde et a petendo, competentes vocantur.* Item in antiquo sermone ms. sic lego : *Pascha petitum, sive competentium, dicitur, quia hoc die symbolum, id est fidei sanctæ credulitas, competentibus neophytis tradebatur; ut qui ad Dei gratiam percipiendam in Paschali solemnitate festinabant, fidem, quam confiteri deberent, agnoscerent. Competentes enim dicuntur quasi simul petentes.* Denique in antiquo sacramentali ms. Vat. sic lego : *Primus gradus catechumenorum; II, competentium; III, baptizatorum.* Ad Competentes exstat brevis levidensisque exhortatio inter sermones spurios S. Fulgentii num. 78. Sed et bonus exstat Augustini sermo ad Competentes, secundus videlicet in dominica Palmarum.

[a] Male cod., *curiositatis.*

[b] Vocabulum *renuntiat* perperam omissum fuerat in editionibus, quod in codice adest. Cum autem hanc et sequentes emendationes facio ad codicis fidem, haud ego editores accuso, sed partim apographorum novorum varietatem, partim operarum incuriam.

[c] Hic obtrusa in edd. particula *et.*

[d] Editiones male *symbolica.* Veram evidentemque lectionem codicis *sincera* confirmat Nicetæ fragmentum 4 Vindebonense.

[e] Dixi superius p. 15, n. 1 in symbolo Aquileiensi scriptum fuisse *credo in Deo*, non *in Deum.* Cur ergo apud Nicetam Aquileiensem legimus *credo in Deum?* Nimirum cl. Braida dissert. p. 64 perdocte jam demonstravit symboli Aquileiensis formulam ætate Nicetæ jam fere obsolevisse, Romanamque pro illa formulam in usum venisse.

[f] Ostendit mihi in suis schedis cl. Fea insignem Alcuini, ut ita dicam, prædam, qui in sua fidei confessione part. III, cap. 20, exscribit tacite ad verbum caput hoc S. Nicetæ usque ad *factum est nihil.* Ego vero observo apud Braidam in S. Chromatii editione p. LXXIX (*Patrol. tom. XX, col.* 315), eumdem Alcuinum exscribere S. Chromatii quoque locum, laudato tamen auctoris nomine. Ergo Alcuinus aquileienses patres familiares habuisse videtur.

[g] Alcuinus interponit *et.*

[h] Alcuinus omittit verba ab *et* usque *ad cognoscas et Patrem.*

[i] Contra fidem codicis editiones habent *Dominum.*

[j] Alcuinus, *Patrem dico.*

[k] Apud Alcuinum, *quod* (relatum ad *verbum*) *ineffabiliter ante omnia, immo absque initio, ex se genuit, Spiritus Spiritum*, etc.

[l] Alcuinus, *et quæ.*

[m] Alcuinus, *omnia inquit.*

[n] Ita cod. Atque edd.

[o] Sic edd.; ad cod. minus bene cum unica *m.*

[p] Cod. habet *qui;* tum sequitur compendium quod videtur explicandum *dicunt* aut *dicuntur.* Sed revera antiquus amanuensis scripserat tantum *quidam*, quod non intellexit posterior librarius. Male vero est in editionibus *quidam dicunt;* nam *dicunt* paulo post sequitur. Quare et interpunctio editorum mutanda mihi fuit.

[q] Perperam editiones replicant *absit.*

omnino a Dei veritate. Si enim falsa incarnatio est, falsa erit et salus hominum. Quod si vere salus in Christo est, vera æque incarnatio est. In ipso utrumque existens; homo, quod videbatur; Deus, quod non videbatur. Manducans ut homo, et pascens quinque [a] millia hominum quinque panibus, quia Deus. Dormiens ut homo in navi, sed ventis et mari imperans, quia Deus. Manus cruci affigens velut homo; sed paradisum confitenti se latroni tribuens, quia Deus. Mortem postremo suscipiens deposito ad modicum corpore, ut homo; sed quatriduanum mortuum de sepulcro [b] suscitans, quia Deus. Utrumque ergo credendus est Christus; Deus, et homo: quia sicut homo ex passionibus agnoscitur, ita Deus ex divinis operibus manifestatur. Habes ergo unde respuas magistros fallaciæ. Si quis tibi hominem tantummodo Christum fuisse in auribus susurrare [c] tentaverit, dicito quia homo per prædicta factus est; [d] quem ex virtutibus, et professionibus jam cognovi, dicente ipso Salvatore ad Judæos: *Si mihi non vultis credere, vel operibus credite. Et cognoscite, quia ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* x, 38).

5. Sequitur ut credas Dominicæ passioni; et passum confitearis Christum, crucifixum a Judæis, secundum prædicta prophetarum. Et vide ne erubescas in passione Domini tui. Si forte aliquid infidelitas Judæorum, vel stultitia gentium de magnifica Christi cruce blasphemare voluerint, memento semper dicti Domini: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, et ego confitebor eum coram Patre meo, qui est in cœlis* (*Matth.* x, 32). Nec sane est unde confundaris, si in quo sacramento passus est Christus, intelligas. Passus est non divinitate, sed carne. Deus enim impassibilis semper est. Passus autem est carne, sicut apostolus docet (I *Petr.* IV, 1), ut ejus vulnere salus humano generi proveniret: sicut etiam propheta prædixerat Isaias. *Et ipse*, inquit, *passus est pro peccatis nostris, vel vulnere ejus sanati sumus omnes* (*Isai.* LIII, 5). Nostro enim peccato passus est Christus, ut nobis justitia donaretur. *Sub Pontio ergo Pilato passus est.* Tempus designatur, quo Pontius Pilatus fuit præses Syriæ et Palæstinæ. Hoc autem ideo caute ponitur, quia aliquanti hæreticorum dæmoniacis fraudibus decepti diversos garriunt christos. Tu ergo et tempus passionis edoceris; ut eum, qui vere sub Pontio Pilato pro salute mundi passus est Christus, non passum aliquem alium fatearis. Mortuus est ergo, ut mortis jura dissolveret.

6. *Tertia die resurrexit vivus a mortuis*, sicut ait propheta, *inter mortuos liber* (*Psal.* LXXXVIII, 7). Neque poterat Christus a morte detineri, qui et mortis, et vitæ totam obtinet potestatem. *Ascendit in cœlos*, unde et descenderat: quia *Nemo*, inquit, *ascendit in cœlum nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui erat in cœlo* (*Joan.* x, 18; III, 13). *Sedet ad dexteram Patris*, secundum quod dictum est in Davidicis ex persona Dei Patris ad Filium: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Ps.* CIX, 8). *Inde venturus* [e] *judicare vivos et mortuos.* Credo quoniam hic ipse Christus Dominus noster veniet cum angelis et virtutibus eorum, [f] tam vivos quam olim mortuos judicare: ut reddat singulis secundum opera eorum: hoc est, justos ad vitam æternam constituat; impios autem æternæ pœnæ subjiciat.

7. Credis *et in Spiritum sanctum.* Hic Spiritus sanctus unus est, sanctificans omnia, qui de Patre procedit, solus scrutans mysteria et profunda Dei, qui in specie columbæ de cœlis venit in Christum. Hic Spiritus sanctus unus quidem est, sed multiplex in virtutibus et in operationibus. Ipse *dividit gratiarum dona singulis prout vult* (I *Cor.* XII, 11). Ipse prophetas constituit, apostolos implevit; et ipse tempore baptismi animas credentium, corporaque sanctificat; [g] sine cujus operatione nulla potest creatura ad æternitatem pervenire: in cujus gloriam etiam [h] *angeli prospicere concupiscunt* (I *Petr.* I, 12). Qui et sedes [i] et dominationes, et universas cœlorum virtutes sua majestate sanctificat. [j] In quem *Spiritum sanctum si quis blasphemaverit, non habet remissionem neque in hoc sæculo neque in futuro*, sicut ipse Dominus pronuntiavit (*Matth.* XII, 32).

8. Hanc Trinitatis fidem, fratres, in cordibus firmate vestris, credentes in unum Deum Patrem omnipotentem, et in Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, et in Spiritum sanctum, lumen verum, et sanctificatorem animarum, qui est pignus hæreditatis nostræ, qui nos, si in eum fuerimus intenti, deducet in omnem veritatem, et faciet cœlestibus cohærere. Hanc enim regulam fidei apostoli a Domino acceperunt, *ut in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti omnes gentes credulas baptizarent* (*Matth.* XXVIII, 19). Hæc in vobis maneat fides; *hoc depositum custodite, charissimi, devitantes profanas vocum novitates et oppositiones fallacis scientiæ* (I *Tim.* VI, 20).

9. Si gentiles suadent multos patres iterum colere, tu retine beatam professionem tuam, [k] quia unum confessus es Deum Patrem: nec [l] enim natura fert, ut unus homo plures habeat patres. Si Judæus Christum Dei Filium non credere suadet, sit tibi tamquam hostis; aut impugnandus, si tanta tibi est scientia

---

[a] Cod. cum unica *l*, quæ est genuina vetus orthographia.

[b] Cod. et edd., *suscitat*, quam lectionem emendavi x analogia certissima præcedentium.

[c] Cod., *temptaverit.*

[d] Cod., *qm* superposito compendii signo. Ergo el *quem* vel *quoniam.*

[e] Perperam in edd. additur *est.*

[f] Quomodo hic locus Nicetæ intelligendus sit, late isputat cl. Braida dissert. pag. 266 sqq. Et quidem ullus theologus, vel symboli, vel Pauli (I Thess. IV) expositor, locum hunc intactum reliquit. Quare mihi verbis abstinendum est.

[g] Sic ad litteram Nicetas etiam in opusculo de Spiritus sancti Potentia pag. 16, vers. 11.

[h] Confer de Sp. s. Pot. p. 28, vers. 1.

[i] Ita Nicetas etiam de Sp. p. Pot. p. 13, vers. 3 a fin.

[j] Ergone fuit amanuensium error de Sp. s. Pot. p. 25, vers. 18, *in Spiritu sancto blasphemaverit?*

[k] Ed., *qua.*

[l] Deest *enim* in edd.

Scripturarum; aut certe devitandus, si exercitatio deest. Si quis hæreticus sub nomine Christiano aut Christum tibi creaturam tradit, aut Spiritum sanctum alienum esse a Patris et Filii gloria persuadet, sit tibi tamquam ethnicus et publicanus; quia te ad [a] idololatriam [b] deducit, cum creaturam colere persuadet. Et cum te quæstionibus tortuosis nititur implicare, recurre ad murum fidei tuæ, et dic secundum Apostolum : *Ego* [c] *absolutus sum, ego sanctificatus sum, ego justificatus in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei mei* (I *Cor.* VI, 11). Nihil de hac Trinitatis professione [d] nuntiabo, ne saluti meæ [e] damnum, et fidei faciam detrimentum.

10. Post confessionem beatæ Trinitatis, jam profiteris credere *sanctam Ecclesiam catholicam*. Ecclesia quid aliud, quam sanctorum omnium congregatio? Ab exordio enim sæculi, sive patriarchæ, sive Abraham, Isaac, et Jacob, sive prophetæ, sive apostoli, sive martyres, sive cæteri justi qui fuerunt, qui sunt, qui erunt, una Ecclesia sunt, quia una fide et conversatione sanctificati, uno spiritu signati, unum corpus effecti sunt : cujus corporis caput Christus, sicut perhibetur et scriptum est (*Coloss.* I, 18). Adhuc amplius dico. Etiam angeli, etiam virtutes et potestates supernæ in hac una confœderantur Ecclesia ; Apostolo nos docente, quia *in Christo reconciliata* [f] *sint omnia, non solum quæ in terra sunt, verum et quæ in cælo* (*Coloss.* I, 20). Ergo in hac una Ecclesia crede te communionem consecuturum esse sanctorum. Scito unam hanc esse Ecclesiam catholicam in omni orbe terræ constitutam; cujus communionem debes firmiter retinere. Sunt quidem et aliæ pseudo-ecclesiæ; sed nihil tibi commune cum illis; ut puta Manichæorum, Cataphriguarum, Marcionistarum ; vel cæterorum hæreticorum, sive schismaticorum ; quia jam desinunt istæ Ecclesiæ esse sanctæ : siquidem dæmoniacis deceptæ doctrinis, aliter credunt, aliter agunt, quam Christus Dominus mandavit, quam apostoli tradiderunt. Credis deinde *in remissionem peccatorum*. Hæc est enim gratia, qua credentes, [g] Deum Christum confitentes, [h] consequuntur per baptisma remissionem suorum omnium peccatorum. Unde et regeneratio dicitur ; quia plus homo innocens, et purus redditur, quam cum de matris suæ utero generatur. Consequenter credis et *carnis tuæ resurrectionem, et in vitam æternam*. Revera enim si hoc non credis, frustra in Deum credis. Totum enim quod credimus propter nostram credimus resurrectionem. Alioquin si in hac vita tantum speramus in Christo, vere, ut ait Apostolus, *miserabiliores sumus omnibus hominibus* (I *Cor.* XV, 19) ; quando utique ad hoc Christus carnem suscepit humanam, ut communionem vitæ perpetuæ mortali nostræ substantiæ impertiret.

11. Multi quidem sunt hæreticorum, qui distorquent fidem resurrectionis, vindicantes solius animæ salutem, negata carnis resurrectione. Sed tu, qui in Christum credis, carnis tuæ resurrectionem profiteris. *In hoc enim Christus et mortuus est, et resurrexit, ut et viventium et mortuorum dominetur* (*Rom.* XIV, 9). Nec sane supervacue hoc credis. Habes siquidem auctores idoneos. Accipe Isaiam prophetam dilucide prædicantem : *Exsurgent mortui, et resurgent qui sunt in monumentis, et suscitabuntur qui sunt in terra* (*Isai.* XXVI, 19). Habes et ipsum Dominum prophetarum in Evangelio promittentem : *Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet* (*Joan.* XI, 27). Et alio loco : *Amen dico vobis, venit hora cum mortui qui sunt in monumentis, audient vocem Filii Dei; et resurgent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui autem mala gesserunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.* V, 28, 29). Habes apostolum Paulum asseverantem : *Oportet corruptum hoc induere incorruptelam, et mortale hoc induere immortalitatem* (I *Cor.* XV, 53). Scitote ex duplici nos esse substantia, id est, corpore et anima. Corpus quidem mortale, anima vero immortalis. Cum homo ex hac vita deficit, non anima moritur, sed ea recedente solum corpus emoritur; et putrescente in terra corpore, [i] anima pro suo merito aut in loco lucis aut in loco caliginis reservatur; ut in die adventus Domini de cœlo, cum venerit cum sanctis angelis suis, resuscitatis omnibus, et animæ revocentur in corpora, et justa sit bonorum malorumque [j] discretio. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum : impii vero, et iniqui in tenebras inferi, ubi *erit fletus oculorum, et stridor dentium*, sicut scriptum est.

12. Ut autem de corporis resurrectione non dubites, accipe vel unum exemplum de mundanis rebus, sicut docet Apostolus (I *Cor.* XV, 36). Ecce granum tritici, mortuum, aridum, seminatur in terra; et rore cœli madefactum, cum putruerit, tunc demum vivificatur, et surgit. Puto, qui granum tritici resuscitat propter hominem, ipsum hominem seminatum in terra resuscitare poterit : immo et potest et vult. Nam sicut granum pluvia, ita corpus Spiritus rore vivificandum, sicut clamat Isaias ad Christum, *ros*, enim, inquit, *qui abs te est, sanitas est illis* (*Isai.* XXVI, 19). Vere sanitas, quia resuscitata corpora sanctorum amplius jam mori non metuunt. Vivent enim cum Christo in cœlo, qui vixerunt secundum præcepta

[a] Cod. *idolatriam*. Ambigo autem utrum librarii mendo, an usu jam tum vulgari quoniam sic loquimur Itali hodierni, fortasse quia ab antiquioribus ita traditum nobis est.

[b] Cod., *deducunt*, et mox, *persuadent*.

[c] Ita cod. et edd. Sed hoc mendum esse pro *ablutus* demonstrat ipse Nicetas de Sp. s. Pot. p. 24, vers. 16. *Abluti* habet vulgata Pauli Latina editio; itemque Græcum archetypum ἀπελούσασθε.

[d] *Nuntiare* pro *renuntiare* seu *negare*, etiam apud Tertullianum notavit cl. Braida.

[e] Cod., *dampnum*.

[f] Ita cod. At edd., *sunt*.

[g] Edd., *Dominum*.

[h] Cod., *consecuntur*.

[i] Quomodo intelligendus sit Nicetæ hic locus, et quod verba *in loco lucis* satis indicent cœlestem sedem : ita ut Nicetas in illorum errore non sit qui opinati sunt cœlestem beatitudinem nonnisi post universale judicium justis attributum iri, late disputat demonstratque cl. Braida dissert. p. 274 sqq.

[j] Perperam in edd., *distinctio*.

Christi et justitias in hoc mundo : hæc est æterna, et beata vita illa, quam credis : hic fructus totius fidei, et bonæ conversationis : hæc spes, propter quam nascimur, credimus, et renascimur. Propter hanc et prophetæ et apostoli et martyres tam labores inextricabiles sustulerunt, quam mortem cum gaudio susceperunt. Hanc vitam nec gentilis habebit, nec Judæus incredulus possidebit; sed nec vitiis et criminibus serviens Christianus; quia solis est fidelibus et caste viventibus præparata.

13. Quod cum ita sit, charissimi, manete in his quæ didicistis et tradita sunt vobis. Retinete semper pactum, quod fecistis cum Domino, id est hoc symbolum, quod coram angelis et hominibus confitemini. Pauca quidem sunt verba; sed omnia continent sacramenta. [a] De totis enim Scripturis hæc brevitatis causa collecta sunt, tamquam gemmæ pretiosæ in una corona compositæ, ut quoniam plures credentium litteras nesciunt, vel qui sciunt, per occupationes sæculi Scripturas legere non possunt, habeant sufficientem sibi scientiam salutarem.

14. Ita, charissimi, sive sedetis, sive operamini, sive dormitis, sive vigilatis, hæc salutaris confessio volvatur in pectoribus vestris. Sit animus semper in cœlo, spes in resurrectione, desiderium in promissione. Crux Christi, et gloriosa passio cum fiducia præferatur; et quotiens inimicus mentem tuam aut timore, aut avaritia, aut ira titillaverit, responde illi minaciter, dicens : Et abrenuntiavi, et abrenuntio tibi, operibus pariter, et angelis tuis; quia credidi Deo vivo et Christo ejus, cujus Spiritu signatus nec mortem didici jam timere. Sic vos tuebitur manus Dei, sic Spiritus Christi sanctum custodiet introitum vestrum, ex hoc nunc et usque in sæculum; cum meditantes Christum dixeritis ad invicem : fratres, sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum Domino vivamus; cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[a] Locum hunc S. Nicetæ, observante cl. Fea, prope ad litteram sibi vindicavit S. Ildephonsus Toletanus de Cogn. baptismi cap. 33 (ed. Matrit. Patr. Tolet. tom. I, p. 185) cujus en verba : *In quo* (symbolo) *ideo ab apostolis breviatim collecta sunt ex omnibus Scripturis, ut quia multi credentes vel litteras nescirent, vel scientes occupati impedimento sæculi Scripturas eis legere non liceret, hoc corde et memoria retinentes, sufficientem sibi haberent scientiam salutarem.* Claruit autem Ildephonsus ducentis fere post Nicetam nostrum annis.

EJUSDEM S. NICETÆ

[a] FRAGMENTA SEX.

I.

Nicetas in libro [b] *primo ad Competentes.* Instructiones igitur necessarias ad fidem currentibus opus est explorare, quas et rusticæ animæ possint advertere pariter et tenere, non ex proprio ingenio compositas, sed ex divinarum Scripturarum prædicatione collectas, quibus edocentur baptismum electi, ut quid dimiserint sciant, et quid desiderant magis intelligant, et quid accepturi sunt, vel quid observare debeant certius recognoscant; quia magnum est quod desiderant, grande est quod inchoant, sive Deus inspiravit, sive homo commonuit et suasit.

II.

Ibidem. Catechumenus, quasi [c] hospes et vicinus fidelium, deforis audiens mysteria, nec intelligens; audiens gratiam, nec advertens; ex [d] hoc vero fidelis incipit appellari.

III.

Ibidem. Non enim ante ad confessionem venitur, nisi prius fuerit diabalo renuntiatum. Sicut nec [e] aurilegus ante aurum mittit in sacculum, nisi prius terram vel limum laverit universum. Ideo oportet prius repudium dicere diabolicæ vanitati, et amara ejus studia abrenuntiando projicere. Abrenuntiare autem oportet non nudo sermone neque solis labiis, sed fide fortissima, et indubitata scientia, id est ut Christo se homo tota animi virtute committat, confidens, quia Christi factus desinat timere diabolum. Deinde abrenuntiat et operibus ejus malignis, id est culturis et idolis, sortibus et auguriis, pompis et theatris, furtis et fraudibus, homicidiis et fornicationibus, superbiæ et jactantiæ, iræ et avaritiæ, commessationibus et ebriositatibus, choris atque mendaciis, et his similibus malis. Quid dicimus de his, qui superfluo carnis ornatu jactare se volunt, et videri mirabiles? taceo de exquisitis inutiliter vestimentorum subtilitatibus. Oro vos, quid faciunt in viris capilli [f] acu crispati, comæ retro quidem cervicem cooperientes, ante autem frontem penitus abscondentes, ita ut nec signo Christi locus liber relinquatur in fronte; et [g] unde se putant

[a] Edidit hæc fragmenta vir cl. Michael Denisius ex codice Vindobonensi sæculi decimi, in opere inscripto, *Codices mss. theol. biblioth. Palat. Vindob.* vol. II, part. III, p. 2042 sqq. Scilicet in prædicto codice Vindob. inter alia inest opusculum cui titulus, *Ordo vel brevis explanatio de catechizandis rudibus*, cum Patrum auctoritatibus, quas inter Nicetæ. Apparet autem fragmenta hæc modo quidem pura recitari, modo autem eorum sensum, immutatis aliquando verbis, proferri.

[b] Quippe Nicetas libros sex instructionis ad Competentes scripserat, quos enumerat Gennadius.

[c] Cod., *hospis*; et paulo ante, *caticuminus*.

[d] Scilicet, *baptismo*.

[e] Cod., *aurilicus*.

[f] Cod., *aquo*.

[g] Cod., *eumdem*.

habere aliquam gloriam vel decorem, inde turpitudinem et ignominiam contrahant? [a] Similiter et mulieres caput ligantes ut scutum, ut frons tamquam vallis inter duos subsidat colles; ut de auribus pondera lapillorum auro ligata dependeant, ut brachia onerentur auro, ut cervicem premant catenæ vel lapides, et pedibus sanguineæ calceamentis flammulæ crutilent. Quis usus in his, quæ utilitas invenitur, nisi sola inanis pompa, et mens desiderio infantili corrupta?

IV.

Item in lib. II. Certe omne peccatum sine dæmonis operatione non fit, quæ omnia opera diaboli vel ejus pompas esse intelligimus. His ergo malis se homo expediens, has catenas post dorsum suum velut in faciem projiciens inimici, jam sincera voce pronuntiat : *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, et reliqua. De fide enim sicut in eodem symbolo continetur, pleniter ad fidem quisque atque ad baptisma pervenire desiderans, instruendus est pariter et docendus, ut brevitatem symboli in corde memoriter teneat, quod quotidie dicat apud semetipsum, antequam dormiat, cum de somno resurrexit, quod omnibus horis in mente habeat; similiter et orationem Dominicam, et signaculum crucis quo se contra diabolum muniat.

V.

In lib. ad Competentes. Symbolum est commonitorium fidei, et sancta confessio, quæ communiter ab omnibus tenetur et discitur.

VI.

In lib. primo. Cur exorcizatur, nisi ad consequendam gratiam præparatur? Per exorcismos enim veluti per ignem purgantur; quia ignita sint eloquia Domini, ex quibus sunt exorcismi compositi.

[a] Notabilis admodum hic locus de virili muliebrique Nicetæ temporibus ornandi corporis more; quam vanitatem ecclesiastici homines, ut nunc quoque fit, severe reprehendebant.

PETRI BRAIDÆ
DISSERTATIO IN S. NICETAM.

1 PROLOQUIUM.

Scopus dissertationis et ordo.

Nicetam seu Nicetam episcopum Aquileiensem illustrare aggredior, illum nempe ad quem divi Leonis Magni super quibusdam difficultatibus percelebris exstat epistola; eumque in primis ipsum esse contendo quem Gennadius *Romatianæ civitatis* appellat episcopum, eumdemque propterea auctorem tum nuper detecti editique libelli, cui titulus *Explanatio Symboli beati Nicetæ Aquileiensis episcopi habita ad competentes*, tum alterius quoque qui *Libellus ad lapsam Virginem* ab eodem Gennadio appellatur, quique hactenus inter Opera sanctorum Ecclesiæ doctorum Ambrosii, Hieronymi, et aliquando etiam Augustini locum obtinuit. Res itaque mihi potissimum est cum illustri viro, de sanctis Ecclesiæ Patribus optime merito, ac lucubrationibus editis, aliisque nominibus spectatissimo, Joanne Prosdocimo Zaleo, qui in peculiari sua dissertatione, quæ Venetiis prodiit typis Antonii Rosa anno 1803, Nicetam seu Nicetam illum Romatianæ civitatis episcopum a Gennadio memoratum, ac hisce aliisque scriptis operibus clarum, alium ab Aquileiensi Nicea seu Niceta esse voluit, eumque episcopum propugnavit illius in Dacia civitatis, quæ apud scriptores veteres Remisianæ aut Romessianæ sive Remesianæ nomine appellatur; illum propterea qui Aquileiensi episcopo ejusdem nominis paulo superior exstitit tempore, quique sancti Paulini Nolani episcopi amicitia et hospitio inclaruit. Dum vero contra hujusmodi virum doctrina et eruditione præstantem, quem maximi facio, cujusque lucubrationem de Nicea seu Niceta nostro vere sum admiratus, stylum sumo, non is est animus ut quidquam velim ejus laudi imminutum, qui solius veritatis detegendæ studio se ad scribendum contulit, et in eam quam probabiliorem judicavit sententiam descendit. Stet suus honor clarissimo viro, qui in sua opinandi ratione, antequam prior ex his opusculis recens detegeretur, præstantissimos ecclesiasticæ eruditionis proceres habuit antecessores, necnon et nuper, eodemque opusculo jam Patavii edito, illustris memoriæ virum Michaelem Denis Palatinæ Vindobonensi bibliothecæ præfectum; cujusque elucubratio digna sane est quæ legatur, tum ob orationis nitorem, tum etiam ob eruditionis delectum, et illam maxime perspicuitatem, quæ in hujusmodi reconditæ eruditionis genere non raro desideratur. Liceat interim et mihi oppositam tueri sententiam, quam plane probabiliorem existimo, quam etiam satis exploratam (absit verbo invidia) lectoribus humanissimis ac partium studio minime actis appariturum confido : quod dum exsequor, ea est indoles viri ingenui atque ornatissimi, ea animi amplitudo, ac veritatis assequendæ cupido, ut non dubitem quin pergratum illi futurum sit etiam a sententia discedere, quam minus firmis rationibus innixam deprehendat, licet fortasse momenti fuerit non exigui tantopere pro eadem laborasse.

En autem dissertationis hujus progressum et ordinem. I. Sive Aquileiensis Ecclesiæ episcopus sit, sive alterius in Dacia sitæ, ille, quem Gennadius Romatianæ civitatis appellat episcopum, procul dubio unius auctoris sunt tum *Explanatio Symboli ad competentes*, 2 tum *Libellus ad lapsam Virginem*; quæ duo nunc primum una simul sub nomine sancti Nicetæ Aquileiensis episcopi damus opuscula. II. Niceas seu Nicetas, sancti Paulini Nolani episcopi amicitia clarus, non fuit episcopus civitatis Romatianæ in Dacia cis Danubium constitutæ; quinimmo trans Danubium episcopatum gessit. III. Romatianæ civitatis episcopus Niceas seu Nicetas a Gennadio memoratus, non est Niceas seu Nicetas ille Dacus sancti Paulini Nolani episcopi amicus, ejusdemque laudibus celebratus. IV. Romatianæ civitatis episcopus Niceas seu Nicetas a Gennadio memoratus, est dubio procul Niceas seu Nicetas episcopus Aquileiensis, qui sancti Leonis Magni tempore floruit, et ad quem ejusdem sancti pontificis exstat epistola. V. Romatiana civitas a Gennadio memorata, non est in Dacia inquirenda, sed in veteri diœcesi seu provincia Aquileiensi; et probabiliter illa est quæ Portus Romatianus, seu Romatinus, aut Romatius, non ita procul a Concordia, ex fluvio ejusdem nominis a Plinio appellata fuit; aut ita quæ hodie Portus-Gruarius dicitur, et ad eumdem Romatium, seu Romatinum, aut Romatianum fluvium sita est, qui eam interfluit. VI. Niceas seu Nicetas, episcopus Aquileiensis, Romatianæ civitatis episcopus probabiliter dictus fuit, seu quia

antequam episcopalem sedem Aquileiensem conscenderet, episcopu Auxiliaris fuit Aquileiensis Ecclesiæ ad portum Romatium sive Romatianum, situs; seu quia ad *portum* vel civitatem ejusdem nominis non infrequenter sedebat, etiam cum Aquileiensis Ecclesiæ clavum teneret. VII. Clarissimi Zabei, contra Aquileiensem Niceæ seu Nicetæ Gennadiani episcopatum, momentis fit satis. Occurritur quoque auctoritati et animadversionibus clarissimi viri Michaelis Denis. VIII. De sancto Niceta episcopo Aquileiensi, ejusque opusculis, tum nunc editis, tum etiam aut deperditis aut adhuc latentibus; necnon et de fragmentis, quæ nobis innotuerunt studio et industria ejusdem eruditissimi viri Michaelis Denis. De illius quoque sanctitate ac cultu. IX. Nonnulla exhibentur observatu digna tum quoad dogmata et mores, tum quoad disciplinam, ex sancti Nicetæ opusculis atque fragmentis. X. Nonnulla quoque expenduntur, quæ ab eodem Niceta aut minus exacte, aut durius dicta videri possent.

CAPUT I.

Sive Aquileiensis Ecclesiæ episcopus sit, sive alterius in Dacia, ille quem Gennadius Romatianæ civitatis appellat episcopum, procul dubio unius auctoris sunt tum Explanatio Symboli ad competentes, *tum* Libellus ad lapsam Virginem, *quæ duo nunc primum una simul sub nomine sancti Nicetæ Aquileiensis episcopi damus opuscula.*

A Gennadio Massiliensi oriatur oportet hæc de Nicea seu Niceta episcopo ejusdemque scriptis Operibus disputatio : siquidem qui illum secuti sunt, ac de eodem Nicea seu Niceta habuere sermonem, Honorius Augustodunensis, et Joannes Trithemius, a Gennadii opere mutuati fuerunt. Gennadius itaque, De Viris Illustribus, capite 22 ex editione Joannis Alberti Fabricii, hæc habet : « Niceas Romatianæ [a] civitatis episcopus, composuit 3 simplici et nitido sermone competentibus ad baptismum instructionis libellos sex. In quibus continet primus qualiter se debeant habere competentes, qui ad baptismi gratiam cupiunt pervenire. Secundus est de Gentilitatis erroribus : [b] in quo dicit suo pene tempore Melodium quemdam patremfamilias ob liberalitatem, et Gadarium rusticum ob fortitudinem ab ethnicis esse inter deos translatos. Tertius liber de Fide unicæ Majestatis; quartus adversus Genethlologiam [c]; quintus de Symbolo : sextus de Agni paschalis Victima. Edidit et ad lapsam Virginem libellum, [d] pene omnibus labentibus emendationis incentivum. » Hæc Gennadius.

Constat igitur ex Gennadio Niceam seu Nicetam episcopum civitatis Romatianæ, inter alia quæ scripsit *simplici ac nitido sermone*, libellum quoque scripsisse *de Symbolo ad competentes*, qui quinto loco ab eodem numeratur, et alium insuper *ad lapsam Virginem*, qui ultimus recensetur. Cum postremus hic libellus unicus esset ex septem a Nicea seu Niceta elucubratis, qui ante superiores annos ecclesiasticæ reipublicæ innotesceret, hinc ex allato Gennadii testimonio non pauci critices periti suspicabantur libellum hunc ad Niceam seu Nicetam istum pertinere, quamvis aliis sanctorum Patrum Operibus accenseretur; et quamvis eruditissimi Benedictini editores Operum divi Ambrosii inter genuinos illius fetus enumeratum vellent, parum admodum Gennadii auctoritate permoti, aliorumque, qui Gennadii testimonio nitebantur. Omnium autem primus, qui Niceæ seu Nicetæ Gennadiano libellum hunc *ad lapsam Virginem* tribuit, fuit vir clarissimus Joannes Baptista Cotelerius in postrema notatione sua ad caput 57 libri II Constitutionum Apostolicarum, tom. I, pag. 268, Patrum Apostolicorum edit. Amstelodam. 1724, ubi ait : « Quia autem in hac nota, et alibi allego librum *ad Virginem lapsam*, quem viri docti abjudicant quidem Ambrosio, Hieronymo, Augustino, sed nemini adjudicant; cujus parentis fetum illum esse autumem, aperiam. Puto esse Niceæ; adductus in eam opinionem auctoritate Gennadii, illiusque descriptorum Honorii Augustodunensis, et Trithemii. » Præcipua sane hujus Niceæ seu Nicetæ laus, quod illius opusculum dignum visum fuerit aliquando tum Hieronymi tum Augustini ingenio; maxime vero quod a Benedictinis monachis nostra etiam, ut ita dicam, ætate, inter genuina divi Ambrosii Opera recensitum fuerit. « Potest namque liber (aiebat Joannes Clericus Artis Criticæ p. III, s. 2, cap. 6, n. 12), potest liber tribui scriptori cuipiam, et quidem falso, qui stylo scriptus sit ab ejus dictione non prorsus abhorrente; ab alio nimirum ejusdem ævi aut proximi scriptore..... Nec mirum est Ambrosio et Hieronymo, exempli causa, ascriptos proxime præteritis sæculis fuisse varios eruditos libros, et quibus vix meliores scribere ipsi potuissent. »

Dum unicum tamen illud Niceæ seu Nicetæ opusculum ex septem ab eodem scriptis cognitum esset, et divi Ambrosii præcipue nomine gauderet, Gennadii auctoritas tanta non erat, quæ rem conficere videretur, et opusculum illud veluti ex Ambrosianorum Operum catalogo dejicere, ut Niceæ seu Nicetæ illi, parum tunc certe & comperto scriptori, tribueretur. Quid namque obstare posset, quominus Ambrosius ipse, qui tam præclare de Virginibus, de Virginitate, de Institutione Virginis, ac de Exhortatione Virginitatis libros conscripsit, alium quoque elucubraverit pro re nata *ad lapsam Virginem*, seu potius *de lapsu Virginis consecratæ*, ut in ejus Operum editione a Benedictinis monachis adornata inscribitur? Ambrosii certe dignitas in hoc opusculo minime desideratur : episcopalis elucet auctoritas, viget robur disciplinæ, nitet ubique eruditio Scripturarum, et rerum gravitas cum elocutionis vi mire consentit. Ille nimirum veluti lapis Lydius non exstabat, ad quem ex criticorum placitis conferri illud opusculum potuisset, ut absque ambiguitate de illius auctore judicare liceret : deerat nempe opusculum aliud e sex a Gennadio memoratis quod Nicetæ nomen præferret, et ad quod conferri potuisset illud *ad Virginem lapsam*, seu *de lapsu Virginis consecratæ*, de quo anceps sententia fuisset; ac propterea licitum erat Ambrosianorum Operum editoribus illud divi Hieronymi usurpare adversus Origenis defensores, qui quadam sub nomine Pamphili martyris apologia pro Origene nitebantur, dum nullum aliud Pamphili pateret opus, unde apologia illa genuinus fetus illius martyris probari posset : « Date quodlibet aliud opus Pamphili; nusquam reperietis; hoc unum est. Unde igitur sciam quod Pamphili sit? Videlicet stylus et saliva docere me poterit! » S. Hieronymus, ad Pammachium et Oceanum, de erroribus Origenis epist. 84, in edit. Vallarsii num. 11.

Postquam vero ex codice bibliothecæ Ghisianæ prodiit tandem anno 1799 Patavinis primum typis excusus, ac paulo pridem inventus, opera eminentissimi cardinalis Stephani Borgia (heu quam cito Ecclesiæ ac litteris omnibus erepti!) unus e sex illis libellis pro *competentibus ad baptismum*, quos Gennadius Niceæ seu Nicetæ suo tribuebat, *Quintus* nempe *de Symbolo;* quique ad omne dubium ex animo depellendum quod ille reapse foret, et auctoris illius de quo Gennadius loquebatur. titulum præferebat *Explanatio Symboli beati Nicetæ Aquileiensis episcopi habita ad competentes* (quidquid de voce *Aquileiensis* censendum sit, quæ rei substantiam nunc non afficit, et de qua fusius infra); ecce criticam habemus regulam, qua tuto judicare possimus etiam de libello altero *ad Virginem*

[a] Al., *Romanæ*, perperam; in aliis invenire se *Romaniciæ* testatus est Suffridus Petri.

[b] Corbei. ms., *in quo pene tempus Melgidium quemdam patrisfamilias... et Gadarium rusticum*, etc.

[c] Al., *Genethlogiam*. Nam in Corbei., vitiose, *Genocliam*.

[d] Id., *librum humane labentibus incentivum*.

lapsam, seu *de lapsu Virginis consecratæ*, num plane Niceæ seu Nicetæ hujus hic censendus sit, an potius divo Ambrosio relinquendus. Adest nimirum styli regula valde tuta, sapienterque ab omnibus critices tractatoribus tradita, neque tamen nostra aut superiori ætate inventa, sed a veteribus Ecclesiæ Patribus deprompta, qui eadem sæpe usi fuerunt, sancto Dionysio Alexandrino, Eusebio, Hieronymo, Augustino, aliisque, uti videre est apud Joannem Clericum, loco supra citato, et apud Honoratum a sancta Maria, Animadvers. in reg. et usum critices dissert. 3 art. 7.

Cum nullum itaque exstet dubium de *Explanatione Symboli ad competentes*, quin opus Niceæ seu Nicetæ episcopi sit de quo Gennadius, quidquid interim de Romatiana civitate opinari liceat, quæ Aquileiensis aut altera in Dacia intelligatur, *Explanatio* illa, quæ profecto cuique legenti *simplicem* etiam *ac nitidum sermonem* exhibet ab eodem Gennadio definitum, stylum quoque Niceæ seu Nicetæ hujus ita prodit, ut quod divus Augustinus de sancto Cypriano aiebat epistola 93, num. 59, idem nobis liceat de Niceta nostro proferre. « Stylus ejus habet quamdam propriam faciem, qua possit agnosci. » Hinc ex stylo *Explanationis Symboli ad competentes* recte judicabitur de aliis quoque ejusdem Niceæ seu Nicetæ libellis, si qui in lucem post tot sæcula 5 emergant, etiamsi auctoris nomine destituti : et videndum interim de libello ad *lapsam Virginem*, seu *de lapsu Virginis consecratæ*, qui quidem per tot sæcula absque auctoris nomine circumfertur, et sola nititur apud Gennadium nomenclatione.

Clarissimus ipse Zabeus germanitatem agnovit duorum horumce opusculorum in monito post dissertationem suam posito ad *Symboli Explanationem* quam iterum evulgavit, ubi ita scripsit : « Si quis opera illa perpendet, cognoscet quidem vestem utriusque esse dissimilem, sed cultum verborum, et nitorem sententiarum esse eosdem, atque propterea in ipsa styli differentia faciem se talem prodere, qualem decet esse sororum. » Gaudeo mihi sane Zabeum habere consortem sententiæ meæ, quam apud sacrorum Rituum congregationem ante annos 16 peculiari animadversione tuebar, dum jussu illustrissimi ac reverendissimi archipræsulis nostri, ac postea S. R. E. cardinalis, Petri Antonii Georgii, præclaræ memoriæ viri, patronum agerem sancti Niceæ seu Nicetæ episcopi Aquileiensis, augendi gratia illius officii lectionibus propriis; quod ex voto etiam factum fuit : sed cum Zabeus ibidem abstinuerit super hac re ab omni prorsus inquisitione, utpote quæ illius non esset instituti, res ipsa apud nos ejusmodi est, quæ mereatur dilucide explicari.

Neque diffitendum quidem hosce libellos prima fronte videri posse ab alio atque alio auctore prodiisse, utpote quod non idem in utroque sit eloquentiæ genus, immo toto cœlo diversum : nam uti Zabeus ipse animadvertebat, orationis genus in *Explanatione Symboli familiare* est ac *tenue*; dum in libello altero *ad Virginem lapsam* oratio *sublimis est*, *vehemens*, *concitata*. Non ideo tamen comparatio utriusque opusculi dimittenda : nam idem esse potest in variis operibus stylus, licet veluti styli facies sit diversa, quemadmodum idem ipse optime dignoscitur homo, et ab alio quocumque probe discernitur, licet aspectum præbeat, pro internorum affectuum diversitate, modo serenum modo turbatum, modo gratum modo offensum, modo hilarem modo severum, modo pacatum modo etiam concitatum. Non idem itaque Niceæ seu Nicetæ aspectus in duobus hisce libellis, sed idem stylus in utroque, eadem dicendi forma, idem locutionis incessus, idem verborum nexus, et alia hujusmodi; ex quibus constat quod licet ipse non ejusdem in utroque, ut ita dicam, ingenii fuerit ac voluntatis, ejusdem tamen labii in utroque esse non destitit : quod exempli causa ex paucis, quæ sequuntur, collationibus confirmamus; veniam interim ab eruditis lectoribus petentes, si ad hæc minutiora descendimus, quæ tamen in argumento hoc novo minime credimus contemnenda.

Legimus itaque in *Explanatione Symboli* cap. 1 : *Hæc sunt et alia serpentina, quæ stringunt animas hominum*. In libello vero *ad lapsam Virginem* seu *de lapsu Virginis consecratæ*, cap. 9 num. 39 : *De te quid dicam filio serpentis;* et num. 42 : *Exclude ergo.... de corde tuo blandimenta serpentis*. En ejusdem in utroque opusculo usum metaphoræ, quæ familiaris quodammodo auctori fuisse videtur. Iterum in *Explanatione Symboli*, cap. 2 : *Qui ortus a nullo es*. In libello vero *ad lapsam Virginem*, cap. 2 num. 5 : *Quæ caput horum et causa malorum es;* et cap. 6 num. 22, ex lectione editionis Hieronymianæ Vallarsii : *Quæ oblivionem tantorum passa bonorum es, et receptaculum tantorum facta malorum es*. Iterum in *Explanatione Symboli*, cap. 8 : *Hanc... fidem, fratres, in cordibus firmate vestris*. In libello vero *ad lapsam Virginem*, cap. 5 num. 19, ex lectione præcitatæ editionis Hieronymianæ : 6 *Semper cogita cui virginitatem sponderis tuam*. Iterum in *Explanatione Symboli*, cap. 10 : *Siquidem dæmoniacis deceptæ doctrinis;* et cap. 12 : *Propter nostram credimus resurrectionem;* et paulo post : *Ad hoc Christus carnem suscepit humanam*. In libello vero *ad lapsam Virginem*, cap. 6 num. 25 : *Quos... pro tua sustinuit opinione labores;* cap. 8 num. 32 : *Humanæ medicinæ exclusit auxilium;* et num. 36 : *Incumbentem sibi evasit interitum*. En in utroque opusculo eumdem orationis cultum, eumdem nexum verborum. Idem igitur stylus in ambobus hisce opusculis patet, qui, accedente auctoritate Gennadii utrumque opusculum Niceæ seu Nicetæ suo adjudicantis, eorum germanitatem probe confirmat.

Sed aliud quoque singulare est in eisdem opusculis, quod nequaquam silentio prætereundum. Stylus quidem satis bona satisque tuta cognoscendorum ac distinguendorum operum regula est, uti jam vidimus : sed nihilominus aliquid insuper desiderari solet, quod quamdam habeat cum stylo propinquitatem, ut argumentum ex stylo petitum firmius adhuc et luculentius evadat. Negari enim nequit etiam argumentum hoc, quamvis *nullum ferme aut isto tutius, aut sapientius excogitatum*, *illud falli nonnumquam posse*, uti observat, ac rationibus et exemplis probat prælaudatus Honoratus a Sancta Maria, loco supra citato. Quare etiam divus Hieronymus ad Augustinum scribens, epistola inter Hieronymianas in editione Vallarsii 102 et inter Augustinianas 68, super quadam alia epistola ab eodem Hipponensi episcopo sibi data, de qua tamen dubius hærebat an vere illius esset, licet stylum et argumentandi rationem agnosceret; aliquid amplius desiderabat præter stylum ipsum, ut certior de scripti illius germana veritate fieri posset : aiebat enim : « Ego simpliciter fateor dignationi tuæ, licet stylus et ἐπιχειρήματα tua mihi viderentur, tamen non temere exemplaribus litterarum credendum putavi. »

Quod itaque in duobus hisce libellis peculiare habemus ad styli unitatem confirmandam, ut eorum germanitas adhuc clarius elucescat, sunt quædam sacræ Scripturæ verba uno eodemque modo in utroque relata, et a communis lectionis textu discrepantia. Ea autem sunt illa quæ in Vulgata nostra absque ullo umquam discrimine leguntur et Matthæi VIII, 12; et XIII, 50; et XXII, 13; et XXV, 30; necnon et Lucæ XIII, 28 : *Ibi erit fletus, et stridor dentium;* quæ verba unius vocis additione aucta conspiciuntur in utroque ex his libellis, ubi occasione data eadem referuntur, semel nempe in primo, et bis in secundo; nam in *Explanatione Symboli*, cap. 15 legimus, *Ubi erit fletus oculorum, et stridor dentium;* et in libello *ad Virginem lapsam*, cap. 8 num. 34, similiter, *Ubi erit fletus oculorum, et stridor dentium;* et cap. 10 num. 44, ex eadem textus lectione, *Successit stridor dentium, et fletus oculorum*.

Notum est apud eruditos, priscis Ecclesiæ sæculis usque ad Gregorii Magni ætatem, obtinuisse in Occi-

dente illam sacrorum Bibliorum versionem Latinam, quæ Itala dicta fuit; quæ tamen decursu temporis, Vulgata prævalente, ita demum obsolevit, atque etiam interiit, ut vir clarissimus Petrus Sabatierius ex illustri Maurinorum cœtu, qui vetustissimam illam versionem nobis reddere sibi proposuerat, eam eruere non sine ingenti labore coactus fuerit ex Operibus Latinorum Ecclesiæ Patrum illorum sæculorum, manentibus nihilominus hinc inde lacunis, quas fortasse nullo unquam pacto implere fas erit. Hæc porro vetus Latina versio ea fuit, quæ communi usu ab omnibus in Occidentali Ecclesia terebatur, quæque non multiplex, sed unica semper exstitit, uti probat eruditissimus Benedictinus **7** adversus Josephum Blanchinium in præfatione sua, num. 64, licet ejusdem unicæ versionis varii discrepantesque essent codices quibus singuli Patres utebantur, unde *in laudandis Scripturis interdum non adeo omnes et singuli secum consentiant, sed aliquando alii ab aliis dissideant, et alias alii sententias, alia alii verba adhibeant*, ut ipse animadvertit.

Quid igitur Latina vetus in præcitatis Matthæi ac Lucæ locis, ubi Vulgata nostra, absque *oculorum* additamento, habet simpliciter : *Ibi erit fletus, et stridor dentium?* Et eadem Latina vetus in singulis præcitatis locis cohæret perfectissime Vulgatæ nostræ, et ubique præbet ipsissima verba : *Ibi erit fletus, et stridor dentium*, omisso prorsus vocabulo *oculorum*. Eruditissimus vero editor Sabatierius, qui Latinam hanc veterem concinnavit consultis omnibus illorum sæculorum Patribus ac scriptoribus necnon et codicibus quos habere ad rem potuit, minime inobservatam reliquit additionem vocis *oculorum :* sed in annotatione huic textui supposita monet rarissimam esse lectionem vocis *oculorum*, sibique bis tantum occurrisse, semel nempe in quodam manuscripto sancti Germani, et iterum apud Faustinum presbyterum in libro contra Arianos, tomo V, pag. 644, h. Bibliothecæ Patrum Lugdunensis. Ipse vero addam, occurrisse mihi hanc vocem *oculorum* in relato textu evangelico etiam in Historia Persecutionis Vandalicæ Victoris Vitensis, lib. v, capite 1, neque umquam alibi.

Hinc itaque patet lectionem vocis *oculorum* in textu evangelico *ibi erit fletus, et stridor dentium*, lectionem paucissimorum omnino codicum fuisse in illa veteri Latina versione Bibliorum quæ priscis Ecclesiæ sæculis obtinebat; si ex tot scriptoribus illorum sæculorum quos præ manibus habuit clarissimus Sabatierius ad versionem illam iterum componendam, bis tandem sibi vocem illam occurrisse fatetur, et si vix alibi inveniri potest, uno excepto Victoris Vitensis loco quem ipse adjeci. Quod si paucissimorum omnino codicum apud veteres lectio illa fuit; ubi eadem ipsissima inveniatur in duobus opusculis, quæ cæteroquin constat ejusdem etiam esse styli, et quorum argumentum, et ipsamet inscriptio quam præseferunt, a scriptore aut coævo aut pene coævo uni eidemque auctori tribuitur: opuscula sane ipsa jure meritoque, etiam nova hac probatione, germana censenda sunt : ideoque satis hucusque probatum quod in votis erat, unius nempe auctoris esse tum *Explanationem Symboli ad competentes*, tum *libellum ad lapsam Virginem*, seu *de lapsu Virginis consecratæ*, de quibus hic agimus; quicumque demum sit ille Niceas seu Nicetas episcopus civitatis Romatianæ, cui opuscula illa duo Gennadius adjudicavit.

Unum adhuc restat super hac re quod paucis expediamus; estque illorum auctoritas, qui *libellum ad Virginem lapsam* jam olim Hieronymo et Augustino dederunt; et maxime Maurinorum, qui libellum ipsum ita Ambrosio adjudicarunt, ut inter ejusdem genuina opera, quæ ad Virgines et ad Virginitatem spectant, collocatum voluerint, cum prævia admonitione eorum persuasionis teste. Jam vero si *Explanatio Symboli ad competentes* procul dubio illius Niceæ seu Nicetæ est cujus nomen præfert, sive Romatianus in Dacia ille fuerit, sive Aquileiensis in Italia, et si ex iis quæ dicta sunt *libellus* etiam *ad Virginem lapsam* illius auctoris est cujus *Explanationem Symboli* esse constat; *libellus ad Virginem lapsam* neque Hieronymi esse potest neque Augustini, immo neque etiam divi Ambrosii, quidquid Maurini senserint ejusdem Operum editores.

Sed quod rem conficere plane videtur, quodque mirandum sane diligentiam **8** hactenus effugisse eruditorum virorum qui hujusce *libelli ad lapsam Virginem* toties meminere, illa profecto est additio vocis *oculorum* in textu evangelico de quo loquebamur, quæ additio ad textum ipsum non semel sed bis legitur usurpata in eodem libello de quo hic sermo, uti monuimus. Ubinam vero hæc additio *oculorum* legitur in tot genuinis operibus sanctorum Hieronymi, Augustini, et Ambrosii, cum illis contigit evangelici illius textus verba proferre? Quinimmo Hieronymus, epistola 14 ad Heliodorum, num. 8, hoc plane modo Evangelii verba refert : *Ubi erit fletus et stridor dentium.* Augustinus quoque, sermone 31 de verbis psalmi cxxv cap. 5 : *Ibi erit fletus et stridor dentium*, et libro de vera Religione, cap. 54 : *Ut ibi sint ubi eis sit ploratus et stridor dentium.* Quod autem ad divum Ambrosium attinet, qui, præter alia varii generis opera, Evangelium Lucæ explanavit peculiari commentario, cui titulus *Expositio in Lucam*, ubi evangelicus textus adest, cujus hic mentio; sanctus hic doctor, libro VII ejusdem operis, num. 204, textum ipsum reddit simpliciter ex communi lectione absque *oculorum* additamento : *Illic erit fletus et stridor dentium;* ut profecto mirari subeat Maurinos maxime illius Operum editores, cæteroquin diligentissimos æque ac eruditissimos viros, aut non animadvertisse hujus textus differentiam in *libello ad Virginem lapsam*, seu *de lapsu Virginis consecratæ*, quem ipsi aliis sancti Ambrosii Operibus sociabant, aut differentiam hanc nihili omnino fecisse. Hæc autem differentia, cæteris etiam perpensis, tanta hic nobis est, ut rem ex ea extra controversiam positam censeamus, dicamusque confidenter, quod sicut neque Hieronymi neque Augustini neque Ambrosii dici potest *libellus* ille *ad lapsam Virginem* qui bis textum evangelicum refert alio prorsus modo ac habetur in aliis eorumdem Patrum genuinis ac sinceris operibus, ita libellus idem germanus frater reputandus est alterius libelli *de Symbolo ad competentes*, ex eo etiam quod eumdem Evangelicum textum præbeat cum eadem ipsissima ac satis infrequenti additione quæ ibidem conspicitur.

CAPUT II.

Niceas seu Nicetas sancti Paulini Nolani episcopi amicitia clarus, non fuit episcopus civitatis Romatianæ in Dacia cis Danubium constitutæ, quinimmo trans Danubium episcopatum gessit.

Expensa germanitate duorum opusculorum *de Symbolo ad competentes*, et *ad Virginem lapsam*, jam ad illorum auctorem accedimus, ad Niceam scilicet, seu Nicetam. Clarissimus Zabeus, qui totus est in ostendendo Niceam seu Nicetam hunc eumdem esse cum Nicea seu Niceta sancti Paulini Nolani amicissimo, quem constat in Dacia episcopatus munere præclare functum, iis assentitur scriptoribus, qui civitatem Gennadii Romatianam comperte habent pro Remisiana aut Romessiana seu Remesiana, quæ profecto in Dacia Mediterranea cis Danubium sita erat, uti ex geographis constat; nobisque propterea cum Crevierio et cum tabula geographica Anvillæi utriusque Daciæ cis et trans Danubium positæ notionem præbet, ad ambiguitatem locorum et nominum præcavendam. Nos vero, quibus alia prorsus insedit opinio, nimirum Niceam seu Nicetam hunc sancto Paulino Nolano episcopo familiaritate conjunctum, nequa illius Remisianæ aut **9** Romessianæ sive Remesianæ civitatis fuisse episcopum, neque omnino in Dacia cis Danubium sita episcopatum gessisse, sed in illa prorsus quæ quam latissime trans Danubium protendo-

batur, absque ullo peculiaris sedis seu civitatis titulo; nos, inquam, cum auctore Illyrici Sacri Daniele Farlato, qui ex professo de Daciis hisce et ratione habita ad rem Christianam disseruit, addita insuper nova illarum regionum tabula geographica, utriusque Daciæ hic ideam exhibemus; probaturi deinde ex ipsis maxime Paulini Nolani verbis, Nicetam illum suum neque Romessianæ sive Remesianæ aut Remisianæ fuisse episcopum, neque omnino in Dacia cis Danubium posita, sed in Transdanubiana episcopali munere et apostolatus officio inclaruisse; ut inde pateat luculentius Romatianæ civitatis nomen a Gennadio adhibitum in Nicea seu Niceta nihil suffragari, ut Niceas seu Nicetas hic Gennadianus existimetur et Paulini Nolani amicus, et illius in Dacia civitatis episcopus quæ Romessianæ seu Remesianæ aut Remisianæ nomine appellata fuit.

Itaque tomo I Illyrici Sacri, et prolegomenon parte I, capite 5, hæc de Daciis a Farlato traduntur. « Trajanus primo post Christum sæculo exeunte rerum summam adeptus, trans Danubium, ut imperii Romani, sic Illyrici fines propagavit. Pontem lapideum ingenti substructione, et mirabili opere artificioque perfectum Danubio injecit, qua exercitum traduceret. Decebalo rege Dacorum victo, Romanis provinciis addidit Daciam, præsidiis eidem et coloniis Romanorum impositis, anno Christi 103. *Daciam*, ait Eutropius libro VIII, *Decebalo victo subegit, provincia trans Danubium facta in his agris, quos nunc Taiphali tenent, et Victophali, et Tervingi habent. Ea provincia decies centena millia passuum in circuitu tenuit..... ex toto orbe Romano infinitas eo copias hominum transtulit ad agros et urbes colendas.....* Porro Dacia longe patebat lateque a septentrione in meridiem inter Carpates montes et Danubium; ab occasu in ortum inter Danubii cursum a borea in austrum reflexum, ac Tyram fluvium, qui oriens ex montibus Carpatibus super ostia Danubii in Pontum Euxinum infertur. Hæc regio continebat tres illas provincias, quas hodie Transylvaniam, Moldaviam, Valachiam appellamus. Sed tertio post Christum sæculo vergente, Dacia ob Gallieni socordiam in perpetuum amissa, Romanum imperium pariterque Illyricum fines suos citra Danubium contraxit. *Gallienus diu placidus et quietus*, inquit Eutropius libro IX, *mox in omnem lasciviam dissolutus, tenendæ reipublicæ habenas probrosa ignavia et desperatione lavavit: Alemanni vastatis Galliis in Italiam penetraverunt. Dacia, quæ a Trajano ultra Danubium adjecta fuerat, amissa est.* Aliquas tamen urbes regionesque adhuc Romani suis coloniis ac præsidiis obtinebant, cum Aurelianus imperare cœpit anno post Christum circiter 270. Is cum pro sua prudentia animadverteret, neque Romanos cives inter Barbaros tuto commorari, neque regionem illam ab hostium incursionibus defendi, pacateque obtineri posse, satius esse duxit Barbaris eam relinquere, quam inutili labore ac dispendio recuperare. Itaque ex oppidis illis Romana præsidia deduxit, et colonias Romanorum, illuc a Trajano invectas, citra Danubium transtulit, quibus inter Mœsiam utramque collocatis attribuit agrorum terrarumque, quod satis esset ad eos alendos continendosque, et justæ magnitudinis provinciam æquaret, quæ ex intermediis **10** urbibus agrisque partim superiori, partim inferiori Mœsiæ detractis coaluit. Huic vero provinciæ a Danubio usque ad Macedoniæ fines inter Mœsiam utramque productæ nomen Daciæ imposuit; et Dacia Aureliani, nova, Cisdanubiana, ac denique Romana cognominata est, ut non solum loco, sed etiam nomine distingueretur ab altera; quæ Dacia Trajani, antiqua, Transdanubiana, et Barbara vocari consuevit. Eamdem postea bifariam divisit; quæ pars Danubii ripis ad septentrionem adjacet, eam Ripensem; quæ vero in meridiem vergit, procurritque usque ad montem Hæmum, eam Mediterraneam Daciam appellavit. Hæc tradunt Eutropius, Vopiscus, Jornandes, et alii plures. *Provinciam Daciam, quam Trajanus ultra Danubium fecerat, intermisit, vastata omni Illyrico et Mœsia, desperans eam posse retineri: abductosque Romanos ex urbibus et agris Daciæ, in media Mœsia collocavit, appellavitque eam Daciam, quæ nunc duas Mœsias dividit, et est in dextera Danubio in mare fluenti, cum antea fuerit in læva.* Eutropius, libro IX. *Cum vastatum Illyricum ac Mœsiam deperditam videret, provinciam trans Danubium Daciam a Trajano constitutam, sublato exercitu ac provincialibus, reliquit, desperans eam posse retineri; abductosque ex ea populos in Mœsia collocavit, appellavitque suam Daciam, quæ nunc duas Mœsias dividit.* Vopiscus in Aureliano. Jornandes autem, de Succes. Reg. et Temp. addit ab eodem Aureliano Dardaniam sitam infra Mœsiam superiorem a meridie provinciam factam esse, quæ ab oriente novæ Daciæ Mediterraneæ finitima erat, in occasum et meridiem usque ad Scardum Hæmumque montes porrecta. *Sed Gallienus Daces, dum regnaret, amisit. Aurelianusque imperator, evocatis exinde legionibus, eos in Mœsia collocavit, ibique aliquam partem Daciam Mediterraneam, Daciamque Ripensem constituit, et Dardaniam junxit.* Præterea Aurelianus pontem Trajani Danubio impositum interscindi jussit, ut omnem ad novam provinciam aditum Barbaris intercluderet. » Hactenus de Daciis, earumque situ ac vicibus, Illyrici Sacri auctor Daniel Farlatus. Videndum nunc de Niceæ seu Nicetæ episcopatu: num scilicet Niceas seu Nicetas sancti Paulini Nolani episcopi amicitia clarus, episcopus fuerit illius civitatis quam Romatianam Gennadius appellat, quæque Remisiana seu Romessiana sive Remesiana auctorum et geographorum veterum in Dacia Cisdanubiana Aureliani, nova etiam ac Romana dicta, fuisse perhibetur, aut alterius in eadem loci; an potius episcopatum gesserit in alia veteri Dacia trans Danubium posita, quæ Dacia Trajani, antiqua, et Barbara appellabatur.

In poemate XVII sancti Paulini Nolani, cui titulus; *Ad Nicetam redeuntem in Daciam*, quodque sex paginarum spatio, ut in Veronensi sancti Paulini Operum editione in-folio, satis prolixe extenditur, et ubi plura commemorantur, tum illius itineris loca, tum nomina populorum, in quibus sanctus hic Nicetas Christi nomen propagaverat; in hoc poemate, inquam, nulla omnino mentio civitatis Romatianæ, seu Remesianæ, aut Remisianæ vel Romessianæ, quæ illi episcopalis asseritur in Dacia Cisdanubiana sub metropoli Sardicensi. Si vere illius urbis Cisdanubianæ episcopus fuisset Nicetas, in tam longo carmine quo ipsum redeuntem in Daciam comitatur, nequaquam urbis hujus, quæ præcipua carminis esse debuisset, sicut et Nicetæ itineris meta, fuisset oblitus **11** Paulinus Nolanus, qui loca alia tam longinquæ viæ minime præterivit, veluti Thessalonicam, Tomiin, Scupos, quem postremum etiam appellat *patriæ* illius *propinquum*, uti infra videbimus. Nullius itaque omnino propriæ sedis episcopus fuisse videtur Nicetas hic Dacus; et unum potius merito judicabimus ex iis episcopis, qui pro veteri Ecclesiæ disciplina *gentium episcopi* dicebantur, quique propterea ad prædicandum inter gentes Evangelium mittebantur, et episcopi proinde erant plurium populorum ac regionum, antequam illic episcopales sedes erigerentur.

De his episcopis agens clarissimus abbas Bacchinius de Ecclesiasticæ Hierarchiæ Originibus parte I, capite 5, num. 19, ita scribit. « Ordinatos primis Ecclesiæ temporibus in Occidente non modo certæ gentis, quæ in fide erudiri deberet, sed etiam creatos non certæ gentis, nec certæ regionis episcopos novimus, qui gentibus prædicantes, ubi consisterent, ibi certam sibi sedem fundarent. Ejus rei, et post apostolica tempora in moribus positæ, et ab apostolis procul dubio fluentis, certum documentum exhibet Photius in Bibliotheca, codice 48, ubi narratur Caius Romanæ Ecclesiæ presbyter, Victore et Zephirino sedentibus, gentium episcopus ordinatus, quem censuere χειροτονιτῆναι ἐθνῶν ἐπίσκοπον. Id nempe ab initio obtinuerat, ut hujusmodi Evangelii emissariis, orbis gentilium ad Christum converteretur, qui Ro-

manæ sedis, tamquam metropolis, colonias fundarent in Occidente.» Unum propterea ex his episcopis *Evangelii emissariis* fuisse existimamus etiam hunc Nicetam; et quidem *certæ gentis* Dacorum probabiliter episcopum ordinatum, *qui Romanæ sedis, tamquam metropolis, colonias* in illis regionibus *fundaret.* Cum vero sanctus idem Paulinus, epistola ad Severum ordine 29, num. 14, ut in citata illius Operum editione, appellet Nicetam *venerabilem episcopum atque doctissimum, qui ex Dacia Romanis merito admirandus advenerat*; quidni hic indicare voluerit Nicetæ itinera ex Dacia in Italiam, etiam ad hoc, immo ad hoc potissimum ab eodem instituta, ut Romam veniens, fidei progressus ibidem suis laboribus partos ad Romanam sedem referret, tamquam ad eam a qua illarum gentium apostolus missus fuerat novæ fundandæ causa *coloniæ* Christianorum? Quod autem *certæ* illius *gentis* noviter *in fide erudiendæ* episcopus ordinatus fuerit Nicetas ex indicato apostolicorum episcoporum more, non autem alicujus peculiaris sedis jam institutæ, et quasi aliorum in ea episcoporum successor, uti Remesiana illa civitas erat, vel Remisiana seu Romatiana sub metropoli Sardicensi, idem ipse Paulinus innuere videtur; qui in eodem poemate, dum locum tangit episcopalis curæ hujus Nicetæ non unum aliquem significat sed generaliter *oras* appellat, quibus erat ipse *præstitus sacerdos*; ait enim:

Sed freto emenso superest viarum
Rursus in terra labor, ut veharis
Usque felices, quibus es sacerdos
Præstitus oras...

Quinimmo ex eodem Paulini poemate jure, ni fallor, assequimur agrum apostolici laboris istius Nicetæ, non cis Danubium, ubi Romesiana seu Remissiana aut Romatiana civitas sita erat, sed trans Danubium exstitisse; et reapse Transdanubianam Daciam, nimirum Daciam quæ Trajani Dacia appellabatur, longe lateque protensam regionem ad lævam Danubii partem, variisque Barbarorum populis constantem, illum suscepisse excolendam. Videatur Daciarum Mœsiarumque tabula geographica, apud Cluverium, Introductio in universam **12** geographiam tam veterem quam novam; nec non et alia tabula Illyrici universalis et hodierni tomo I Illyrici Sacri Danielis Farlati. Quid igitur sanctus Paulinus?

Ibis Arctoos procul usque Dacos:

ita paulo post initium carminis Nicetam suum alloquitur Paulinus. Quinam vero sunt hi Daci Arctoi tam *procul* siti, nisi plane Transdanubianæ Daciæ incolæ, qui jam tunc temporis ad Romanum imperium non pertinebant; quique Arctoi merito nuncupabantur a Paulino, comparate nimirum ad alios Dacos qui cis Danubium siti erant inter utramque Mœsiam, in illa videlicet Mœsiæ parte a superiori et inferiori detracta quæ Dacia Aureliani appellata fuit, quique ad dexteram Danubii oram positi Romani imperii partem constituebant?

Præterea quod certe Daci Transdanubiani fuerint ii, quos Nicetas Paulinianus excolendos susceperat, alia sunt in eodem Paulini carmine quæ magis magisque suadent. Aiebat namque ad Nicetam suum in Daciam redeuntem:

Tu Philippæos Macedum per agros
Per Tomitanam gradieris urbem,
Ibis et Scupos patriæ propinquos
Dardanus hospes.
O quibus jam tunc resonabit illa
Gaudiis tellus, ubi tu rigentes
Edoces Christo fera colla miti
Subdere gentes!

Quod Dardanus fuerit hic Nicetas nimirum e Dardania oriundus, quam provinciam novæ Daciæ junxerat Aurelianus, teste Jornande a Farlato supra relato, ex Paulini dictis apparet. Quod non procul a Scupis, ipsius Dardaniæ seu Mœsiæ superioris præcipua urbe natale solum habuerit, ex eodem itidem constat. Vir scilicet ad Evangelium in Dacia Barbara prædicandum a Romana Ecclesia sapientissime electus fuerit, qui non tam procul ab illis regionibus esset oriundus; qui Dacus et ipse audiret, licet ex Dacia Romana cis Danubium posita; qui propterea et illorum Barbarorum linguam, veluti finitimorum, satis calleret, instituta ac mores non ignoraret; et ipsa quoque loca facile haberet perspecta, quæ essent maxime ad lævam Danubii ripam posita. Persequitur itaque illius terrestre iter Paulinus post appulsum ad urbem Thessalonicensem; eumque veluti comitatur progredientem per agros Philippæos Macedoniæ, ac per urbem Tomitanam, euntemque etiam ad Scupos, urbem proximam patriæ suæ, antequam ad *tellurem* perveniat ubi *rigentes* populos edocebat miti Christo subdere fera colla. Quid vero interea Paulinus? Poetico spiritu ductus exclamat: *O quibus jam tunc gaudiis resonabit illa tellus, ubi tu rigentes edoces Christo fera colla miti subdere gentes!* Quid porro illud *jam tunc* in Paulini carmine, si cum Scupis esset Nicetas, non procul adhuc fuisset ab illis gentibus, quas edocebat fera colla subdere miti Christo? Et Scupi certe, sive Dardaniæ sive Mœsiæ superiori tribuantur, proximi erant Romessianæ seu Remesianæ aut Remisianæ civitati, quæ sedes episcopalis esse dicitur Nicetæ Pauliniani, uti ex tabulis constat. *Jam tunc* itaque in Paulini sensu illud innuit procul dubio, quod etiam cum Scupis esset Nicetas, non parum adhuc distabat ab illa *telluris* parte, ubi docebat gentes fera colla subdere Christo. Desiderium nempe illorum populorum de Nicetæ adventu exprimere volens Paulinus, gaudium eorum canit de proximo illius adventu, etiam cum non modice ab illis distaret. Si tam proximus illis fuisset cum Scupis esset, minus profecto apposite illud *jam tunc* usurpasset; quia nihil mirum resonare nos gaudiis cum proximum nobis aliquem intelligimus quem ardenti animo desideramus; sed illud sane mirum, resonare gaudiis etiam *jam tunc* **13** cum adhuc remotum novimus, quem ad nos properantem scimus. Non igitur Cisdanubianæ, sed Transdanubianæ fuisse videntur illæ gentes, quas Nicetas Paulinianus edocebat fera colla subdere miti Christo. Minime vero præteundum et illud *fera colla*, quo mores et ingenium illorum populorum Paulinus exprimit, ad quos Nicetas revertebatur. *Fera colla* porro Cisdanubiani Daci minime præferebant; utpote qui non Barbari, sed Romani, et ex Romanis colonis orti, ab Aureliano imperatore e Transdanubiana Dacia evocati fuerant, quam totam veteribus incolis reliquerunt, quos vere *fera colla* habuisse merito cecinit Paulinus, ex eorum veluti innata barbarie, atque in Romanum imperium aversatione.

Pergit autem Paulinus:

Quaque Riphæis Boreas in oris
Alligat densis fluvios pruinis,
Hic gelu mentes rigidas superno
Igne resolvis.

Jam antea dixerat Paulinus *rigentes* populos illos esse, qui de Nicetæ proximo adventu gestiebant: nunc uberius illius soli rigiditatem exprimit, ac præcipue in fluvios vim Boreæ signat flantis in Riphæis oris. At Daciæ Cisdanubianæ intra 43 et 44 latitudinis septentrionalis gradum constitutæ, uti ex ipsa Anvillæi tabula constat, adeoque minus ad borealem plagam positæ quam nos Forojulienses qui intra 46 et 47 siti sumus, quique tantam vim Boreæ in fluviis nostratibus nihilominus minime experimur; Daciæ inquam, Cisdanubianæ haudquaquam conveniunt quæ hic Paulinus de Riphæis oris notat, ubi Boreas *alligat fluvios densis pruinis*, et ubi Nicetas etiam *mentes* ibidem *gelu rigidas* superno igne resolvit. Quinimmo telluris *rigiditas*, quam Paulinus notat in Nicetæ sui episcopali cura, minus etiam convenit Da

ciæ Cisdanubianæ ex partibus superioris et inferioris Mœsiæ ab Aureliano præcipue conflatæ, uti antea videbamus; cum constet Mœsiam olim frugum feracissimam fuisse, atque a Romanis *Cereris horreum* appellatam ob soli fertilitatem, uti ex Cluverii opere superius citato lib. IV, cap. 16 num. 1.

Sed quid plura? Riphæas oras hic memorat Paulinus, quæ a læva Danubii ripa septentrionem versus longissime distabant, quam longissime vero ab Aureliani Dacia Cisdanubiana, et a civitate Remesiana seu Remisiana aut Romessiana in hujus novæ Daciæ Mediterranea parte posita; ideoque hac vel una voce Transdanubianum Nicetæ episcopatum signat, qui a majori Trajani Dacia ultra Danubium usque ad Riphæas oras juxta illum quodammodo protendebatur. Neve quis dixerit poetice hic locutum Paulinum, et locum pro loco sumpsisse ad quamdam veluti hyperbolem pro ornatu ac decore carminis. Quidquid enim hunc temporis Riphæarum orarum seu Riphæorum montium nomine haberetur, cum nimirum vastissima illa atque remotissima barbararum terrarum spatia ad Aquilonem posita minus essent Romanis hominibus explorata; en quomodo Riphæas oras, aut loca certe ad Riphæarum orarum fines vergentia, ideoque non cis, sed trans Danubium proculdubio sita, proprie exprimit Paulinus episcopalibus Nicetæ curis obnoxia, dum protinus illorum locorum incolas nominat, quos Christo Nicetas ipse pepererat; ait enim continenter :

Nam simul terris animisque duri,
Et sua Bessi nive duriores,
Nunc oves facti duce te gregantur
Pacis in aulam.
Quasque cervices dare servituti
Semper a bello indomiti negarunt,
Nunc jugo veri domini subactas
Sternere gaudent.

En igitur Bessos veluti Riphæarum orarum incolas trans Danubium, ideoque ab Aureliani nova Dacia Cisdanubiana **14** longissime positos, quos hic Paulinus Nicetæ sui curis subjectos nobis exhibet.

Sed sunt etiam alii qui una cum Bessis ultra Danubium Nicetæ curis patebant, quosque Paulinus itidem nominat in eodem carmine; nimirum Scythæ, Getæ, et maxime Daci, qui toti amplissimæ regioni nomen dabant; ita ut apostolatus illius satis late patuerit a læva Danubii parte usque ad Riphæas oras semper inter barbaras gentes, quin ulla mentio appareat novæ Daciæ cis Danubium, Romanorumque hominum, qui e barbara Dacia evocati sedem in ipsa fixerant. En iterum Paulinum :

Te patrem dicit plaga tota Borræ,
Ad tuos fatus Scytha mitigatur,
Et sui discors fera te magistro
Pectora ponit.
Et Getæ currunt, et uterque Dacus;
Qui colit terræ medio, vel ille
Divitis multo bove pilleatus
Accola ripæ.

Sunt igitur Bessi, sunt Scythæ, sunt Getæ, sunt Daci, quos memorat Paulinus a Niceta suo in Christiana religione excultos, quique finitimi inter se, illam constituebant trans Danubium, et extra Aureliani Daciam, *plagam totam Borræ*, quæ Nicetam *parentem* suum *dicebat*. Bessi porro, etsi Strabonis tempore, id est primo ineunte Christi sæculo quo florebat, *majorem Hæmi montis partem tenerent* inter Mœsiam inferiorem et Thraciam, ut idem scribit libro VII; trans Danubium postea, Trajano fortasse compellente, aut etiam Aureliano cum Romani imperii fines ad flavium illum contraxit, sedem suam posuisse videntur ad Pontum Euxinum, in ea regione, quæ nunc quoque paulum prolato nomine Bessarabia appellatur. Scythæ vero, ut nihil dicamus de Scythia minori cis Danubium, quæ Scythia Romana etiam dicta fuit, utpote Romani imperii parte, et ubi Tomi A Ovidii exsilio civitas celebris, et hic quoque a Paulino in Nicetæ sui itinere memorata; Scythæ, inquam, barbari, eo tempore latissima terrarum spatia ad aquilonem trans Danubium incolebant, et Asiæ etiam partem ibidem non modicam occupabant. Getæ, pars validissima Scytharum erant, Gothi etiam dicti, Bessis Scythisque contermini, quorum tunc trans Danubium præcipua sedes; licet quandoque in Romanorum etiam terris ii admissi essent, qui Christianorum sacris initiari voluissent, ut infra dicemus. Daci demum, et ipsi Scythica gens, quorum regio post Danubium a meridie et ab oriente Getis unita, Carpathicis jugis claudebatur ad septentrionem, in Mediterraneam Ripensem atque Alpinam divisa, prout similiter in Mediterraneam ac Ripensem divisa fuit ad quamdam imitationem illius etiam nova Dacia Romana cis Danubium ab Aureliano facta. Videatur Cluverius, Introduct. in universam geographiam tam veterem quam novam libro IV, cap. 16, 17 et 18. Definitus hinc apparet ex Paulini carmine Nicetæ sui B episcopatus, qui totus inter barbaras gentes fuisse constat ex adversa novæ Daciæ parte trans Danubium; licet et Dardanus ipse fuerit, et prope Scupos ortus. Sed nonnihil adhuc in eodem Paulini carmine immorandum ad rem nostram validius confirmandam.

De Bessis superius loquens Paulinus quos Nicetas erudiebat, et Bessorum nomine poetico more totam etiam illam gentem comprehendens quæ Nicetæ suberat episcopali curæ, quæque Bessis, Scythis, Getis Dacisque constabat, uti vidimus; aiebat in gentis ipsius laudem et in Nicetæ commendationem, quod *quas cervices dare servituti semper a bello indomiti negarunt, nunc jugo veri domini subactas sternere gaudent.* Illi porro *a bello indomiti, qui semper negarunt cervices dare servituti*, nequaquam **15** erant Daci Cisdanubiani, Romani omnes et origine et cultu, qui relicta veteri Dacia Transdanubiana, ad dexteram fluminis partem Aureliano auctore consederant : sed illi C reapse *a bello indomiti, semperque servitutis* hostes, quocumque appellarentur nomine, qui latissime patentem trans Danubium regionem incolebant; patriam nempe suam, pro qua tam sæpe adversus Romanos, tamque fortiter dimicarunt; quique licet quandoque devicti, et in Romanam provinciam a Trajano redacti, *semper* nihilominus *indomiti* jugum postea excusserunt, ita ut Aurelianus, evocatis cis flumen Romanis omnibus tum militibus tum colonis, satius duxerit totam illam regionem illis permittere, non secus ac ante Trajani tempora, quam pro illis iterum subigendis nova adversus eos prælia instituere. Sed Paulinum denuo audiamus Nicetam suum alloquentem, totamque illam regionem, quæ eidem in religionis negotio obtemperabat, uno veluti dicendi modo definientem.

Orbis in muta regione per te
Barbari discunt resonare Christum
Corde Romano, placidamque casti
Vivere pacem.

D

Numquam Paulinus *mutam orbis regionem* (quidquid hoc *mutæ* vocabulo intellexerit) Romanam provinciam dixisset, numquam Daciam Cisdanubianam intra superiorem et inferiorem Mœsiam constitutam, Romanis colonis constantem, urbibus oppidisque confertam, clarisque aliis regionibus finitimam : numquam Cisdanubianos Dacos *Barbaros* vocasset, quos ignorare non poterat et ad Romanum imperium pertinere, et eosdem a colonis esse prognatos ex toto olim orbe Romano a Trajano deductis. Quid vero illud quoque quod ait, per Nicetam illos *Barbaros discere Christum resonare corde Romano?* Nimirum hac loquendi ratione populos proculdubio signat, qui licet Romano imperio non subessent, cor tamen Romanum, seu fidem Romanam Nicetæ merito gerebant; quique Romani erant corde, etsi non essent corpore.

Hi porro *Barbari* qui discebant *cord Romano resonare Christum*, et quidem in Dacia ubi Nicetas apostolatum gerebat, non alii esse poterant quam Daci aliique populi trans Danubium siti, qui ab Aureliani tempore Romanis aquilis non parebant; quique nihilominus per susceptam Nicetæ prædicatione Christi religionem *cor Romanum* gerere videbantur, utpote qui Romanis fide essent conjuncti, quamvis a Romano imperio alieni. Quidni vero et hac dicendi ratione : *Per te Barbari discunt resonare Christum corde Romano*, indicare quoque voluerit Paulinus, Nicetam ex Dacia Romana ortum, et hinc a Romana Ecclesia inter Dacos Barbaros e regione positos episcopum ad prædicandum Evangelium ordinatum; quod superius conjectabamus : veluti si dixisset, per te Romanum hominem, et a Romana sede missum, *Barbari*, quamvis Romanis infensi, discunt tamen resonare Christum eodem modo quo resonat in ore tuo Romano, et in Romana Ecclesia; corde iterum Romani facti, etsi Barbari natione ac cultu, et Romanis legibus non obnoxii? Hoc autem obiter, data occasione; et divinando potius quam asserendo : nunc iterum ad nos.

Habemus igitur Nicetæ episcopatum a Paulino descriptum, a Danubio septentrionem versus ad Pontum usque Euxinum, per Dacos nimirum, inde per Getas, dein per Scythas et Bessos continuo veluti ductu, et recta propemodum linea, utpote populos sese invicem limitibus excipientes, aut etiam non uno in loco fortasse permixtos. Habemus horumce populorum mores, nullo inter eos discrimine, agrestes, duros, feros ab eodem appellatos, et totam gentem Barbarorum vocabulo definitam; dictumque *mutam orbis regionem* totum illud **16** terrarum spatium, tum, ut videtur, propter frigoris acerbitatem, tum etiam maxime propter incolentium asperitatem, vitæque rationem omni omnino cultu expertem, atque a Romanorum, sicut imperio, ita et ingenio alienam. Nicetas itaque Paulinianus non fuit episcopus civitatis Romessianæ seu Remesianæ aut Romatianæ, neque alterus cujusvis civitatis in Dacia Cisdanubiana, nova, ac Romana, positæ; sed unus proculdubio fuisse videtur ex episcopis gentium nullo peculiaris sedis titulo distinctis, qui ad lævam Danubii ripam non tam episcopatum quam apostolatum exercuit inter illas Barbaras gentes, quæ Dacorum, Getarum, Scytharum, Bessorum nominibus appellabantur : meritoque propterea in Romano Martyrologio ad diem 7 Januarii, absque ullo peculiaris sedis titulo, et cum elogio apostolicis illius laboribus non impari, Nicetam hunc recensitum legimus : « In Dacia sancti Nicetæ episcopi, qui feras et barbaras gentes Evangelii prædicatione mites reddidit ac mansuetas; » quod optime in utraque parte cum sancti Paulini Nolani poemate concordat.

Verum quod hactenus de Nicetæ Daci Transdanubiano episcopatu disseruimus ex locorum gentiumque notione quam Paulinus Nolanus nobis maxime præbet, non incongruum erit aliqua ex parte confirmare aliis quoque ecclesiasticæ historiæ monumentis, quæ rei Christianæ statum nobis exhibent citra et trans Danubium, in utraque scilicet tum veteri tum nova Dacia, atque in ambabus Mœsiis, Nicetæ Daci apostolatus tempore, sæculo nempe desinente quarto, et quinto ingrediente. Et profecto monumenta docent rem Christianam, Nicetæ Daci ætate, cis Danubium, tum in Dacia nova, tum in Mœsiis, et in Scythia Romana, nec non et in finitimis regionibus, Dardania nimirum, Thracia, Macedonia, sicut etiam ad Hæmum montem, jamdiu firmatam fuisse, ibique jam tunc episcopales sedes plurimas exstitisse cum metropolibus suis; uti præcipue apparet ex subscriptionibus episcoporum ad Nicænam primam generalem synodum, ac postea ad Sardicensem inibi in nova Dacia celebratam; et uti clarius aliunde etiam explicavit eruditissimus Lequienus in suo Oriente Christiano, tomo I, in Diœcesi Thracica, ubi de provinciis Thraciæ, Hæmimonti, Scythiæ, ac Mœsiæ inferioris, etc.; et tomo II, in Diœcesi Illyrica, ubi de provinciis Macedoniæ, Daciæ Mediterraneæ, atque Dardaniæ, etc. Aut igitur barbaræ gentes profanorum numinum cultrices, quæ essent ad Christianam religionem perducendæ, non exstabant Nicetæ tempore in Dacia Cisdanubiana, aliisque finitimis regionibus; aut certe non erat cur Nicetas episcopus vel suam relinqueret peculiarem Ecclesiam, si reipsa Remissianæ civitatis in nova Dacia Mediterranea fuisset episcopus, ut Barbaros hac atque illac alibi positos erudiret, vel in alienam veluti messem manum immitteret, et aliorum episcoporum diœceses quodammodo invaderet, ut ibi barbararum gentium apostolatum susciperet. Trans Danubium itaque necesse est episcopatum gessisse Nicetam, ubi sane et barbaræ gentes exstabant profano numinum cultui addictæ, quæ propterea ad Christianam religionem essent convertendæ; et ubi peculiares Ecclesiæ, propriis instructæ episcopis, nondum fuerant institutæ.

Quid porro de gentibus illis Transdanubianis, Nicetæ Daci ætate; quid de Christiana religione ibidem invecta ex monumentis habemus? Transdanubianas gentes diximus eas quas Paulinus recenset veluti a Niceta suo ad religionem Christianam perductas; Dacos nimirum, Getas, Scythas et **17** Bessos; easque Transdanubianas probavimus eadem Nicetæ Daci ætate ex ipsa Paulini dicendi ratione, quæ gentibus ac regionibus cis Danubium positis minime conveniret. Promiscue quidem non raro nomina illa Transdanubianarum gentium sumuntur apud scriptores; a quibus aliæ etiam barbaræ gentes his unitæ sub uno aut altero ex his nominibus plerumque indicantur, licet propria vocabuli distinctione non careant. Nihilominus quos Getas Romani appellabant iidem sunt ac Gothi, uti eruditi communiter animadvertunt; qui e remotioribus versus aquilonem Germaniæ finibus egressi, in Transdanubianis hac illac regionibus primum consederunt sub diversis eorum seu ducibus seu regibus, et partim Ostrogothi, partim Visigothi appellati, ex Orientali seu Occidentali plaga quam tenuerunt; deinde varios per Europam terrarum tractus occupavere. Atque hi quidem, seu eorum pars quædam, ut refert Philostorgius Hist. Eccles. lib. II, cap. 5, ac meminit etiam divus Basilius Magnus, epist. 165, al. 359, in editione Maurinorum, cum, Valeriano et Gallieno imperatoribus, Asiam, Gallaciam et Cappadociam per Pontum Euxinum ingressi prædandi causa, captivos inde multos Christianos abduxissent, inter quos non pauci erant Christianæ legis sacerdotes ac clerici, ab his verum Dei cultum didicerunt; qui etiam ita inter eos increbuerat Constantini Magni maxime ætate, ut episcopos haberent, inter quos Theophilus ille qui Nicænæ synodo interfuit, seque nomine provinciæ Gothiæ subscripsit : *Theophilus Gothiæ metropolis episcopus*. Commemorat nihilominus Philostorgius idem loco citato, sub ejusdem Constantini Magni imperio Getarum seu Gothorum ingentem multitudinem, pietatis causa, e patriis sedibus ejectam fuisse, quos imperator benigne excepit, atque in Mœsia collocavit. Gentis itaque Getarum seu Gothorum pars maxima trans Danubium sita inanium deorum cultui, etiam Constantino imperante, addicta erat. Quid autem postea? Sævissima quoque persecutio adversus Christianos apud eam gentem orta est, ut narrat Sozomenus Hist. Eccles. libro VI, cap. 37. Persecutionis autem auctor fuit alter ex Gothorum regibus, Athanaricus nomine, qui Christianam religionem, non solum avitæ superstitionis vindicandæ studio insectabatur, sed etiam quod ægre ferret, suos Romanorum, quorum erat hostis infensissimus, religionem sectari. Plurimis ea occasione Gothis martyribus ditata Ecclesia fuit, inter quos celeberrimus ille Saba, de cujus vita ac martyrio exstat epistola Ecclesiæ Gothicæ apud Ruinartum, Acta Martyrum, editionis Veronensis pag. 527, cujusque martyrium ad annum Christi 372 signant eruditi. Multi interea Gothorum Christianorum apud Romanos, priscosque Chri-

stianos Gothos jampridem in Mœsia a Constantino hospitio donatos, cis Danubium secesserunt, persecutionis fugiendæ gratia, et ipso quoque impellente Athanarico, ut Isidorus in Chronico, qui sævitiæ suæ tandem pertæsus, Christianos maluit regno expellere quam interficere : et ita trans Danubium pagani Gothi reapse dominabantur; si illos excipias qui regionem cis Tanaim fluvium ad Tyram usque amnem tenebant, ubi Gothorum Ecclesiam constitutam censet supra laudatus Lequienus, tomo I, col. 1241, in Ecclesia Gothiæ, et ubi intemerata catholica fides perseveravit. Sub finem vero imperii Valentis Augusti, cum Hunnorum gens, *omni ferocitate atrocior*, ut scribit Jornandes de Rebus Geticis, cap. 24, ex aliis erupta septentrionalibus majoris Scythiæ post Tanaim fluvium locis in Daciam tenderet Transdanubianam, Gothorum pars bello devicta ac multitudine oppressa **18** loco cedere compulsa fuit, atque in Romanam ditionem cis Danubium petita venia transire : quod quidem non sine pactis conditionibus inter Romanos et Barbaros factum fuit, ut scribit Socrates Hist. Eccles. libro IV, cap. 33, quarum potiores fuere, ut hi Romanis legibus viverent, Christoque nomen darent. Loca novis hospitibus a Romanis permissa fuere Mœsia, ac Thracia, et nova Ripensis Dacia : in hoc tamen novi hospites infelices, quod magna eorum pars, fraude Valentis Augusti Arianarum partium propugnatoris pervicacissimi, lapides pro panibus, serpentes pro piscibus accepit; Christianam nempe religionem, non puram atque orthodoxam, sed Arianorum impietate fœdatam, quam dein et in posteros propagavit, lateque diffudit.

Quin cæteras hic Gothorum aliorumque Barbarorum vices percurramus, bellaque cum Romanis modo prospere, modo infeliciter gesta; patet interea ex dictis Getarum seu Gothorum barbaram gentem trans Danubium constitutam, Valentis imperio desinente, aut paulo post, Gratiano scilicet et Theodosio imperantibus, paganam gentem maxima ex parte fuisse, prout Hunni quoque eorumdem victores, iisque postea permixti. Patet insuper nullas eo tempore Ecclesias, nullos episcopatus in illis Transdanubianis regionibus exstitisse; si Ecclesiam illam Gothicam excipiamus, de qua supra cum Lequieno, et quæ ad Daciam de qua loquimur, ex situ ubi erat, non prorsus spectabat. Quoad Dacos vero, Scythas et Bessos, a Paulino una cum Getis seu Gothis memoratos; quibus nominibus primitivæ fortasse illarum regionum gentes veniebant, antequam Getæ seu Gothi ac Hunni postea in hæc loca descenderent, quibusque nominibus etiam novos incolas veteribus permixtos, aut eisdem confines, aut certe in eorum regionibus dominantes, ipse intellexit; quis audeat asserere ante Valentis aut Theodosii Magni tempora non paganos omnes eosdem fuisse? Quis vero indicare inibi queat aut Ecclesias aut episcopos, præter Ecclesiam et episcopum Tomorum in Scythia minori seu Romana ad Pontum Euxinum cis Danubium posita, quæ propterea ad veterem Daciam barbaram cæterasque barbaras gentes trans Danubium nullatenus pertinebat? Si igitur inter barbaras gentes, quales Paulinus Nolanus describit, episcopatum gessit Nicetas ille suus; si eas ipse profecto docuit *Christum resonare corde Romano*, atque *nunc* primum *cervices sternere jugo veri Domini*, *quas semper a bello indomiti negarunt dare servituti*, ut idem Paulinus canebat prout antea videbamus; quod nihil aliud est, quam eas ad Christianam perduxisse religionem, quam prius non noverant : barbaræ igitur hæ gentes aliæ profecto esse non poterant, quam quæ Daciam Barbaram trans Danubium incolebant; ideoque trans Danubium merito dixerimus episcopatum gessisse Paulinianum Nicetam, etiam perpensis, præter Paulini ipsius verba, aliis ecclesiasticæ historiæ monumentis, quæ rei Christianæ statum nobis aperiunt citra et trans Danubium Nicetæ ipsius Daci ævo, id est sæculo desinente quarto, et quinto ingrediente.

Verum gentes Transdanubianas a Niceta hoc Daco ad fidem Christianam perductas fuisse Lequienus ipse supra citatus fatetur Orientis Christiani tomo II, in Diœcesi Illyrici Orientalis, et Provincia Daciæ Mediterraneæ col. 306; et nihilominus eumdem Ecclesiæ Remisianæ, seu Romesianæ, aut Remessianæ cis Danubium in nova Dacia Mediterranea sub metropoli Sardicensi facit episcopum, dicens : « Eodem quo sancti Hieronymus et Paulinus tempore, Nicetas sive Nicetius Remisianæ urbis episcopus claruit, qui Bessis, Dacis, Gothis et Scythis trans Istrum **19** consistentibus verbum Dei prædicavit. » Quid igitur ad hæc? Favet certe opinioni nostræ auctoritas Lequieni, qui Bessos, Dacos, Gothos et Scythas, quibus Nicetas hic prædicavit, trans Danubium positos agnovit : sed dum Nicetam, barbararum earum gentium institutorem et patrem, asserit nihilominus episcopum civitatis Romatianæ in Dacia nova Mediterranea cis Danubium; in hoc quidem plus æquo tribuit cuidam, quem citat, Gennadiano codici San-Germanensi, haud certe aliunde noto, et de quo alibi fiet mentio, ubi Nicetas Remesianæ civitatis, quæ certe in Dacia cis Danubium fuit, appellatur episcopus; et in hoc similiter morem gerit tot eruditis scriptoribus, qui contra Baronium Romatianam Gennadii civitatem pro Remisiana, aut Romesiana, seu Remessiana in Dacia nova Romana antehac intelligere voluerunt, et de quibus etiam suo loco data opera sermo erit. Cæterum cum Paulinus omnino siluerit, uti antea notabamus, seu Romatianam, seu Remesianam, seu alio quocumque modo dictam, civitatem in carmine suo, dum Nicetæ laudes prædicaret; cum nihil prorsus dixerit de Nicetæ meritis in peculiari quadam regenda Ecclesia, ubi barbaræ ac paganæ gentes non essent; cum totam Nicetæ laudem collocet in Barbarorum e paganis superstitionibus conversione; quis eumdem peculiaris alicujus Ecclesiæ extra Daciam Barbaram, immo in Dacia nova Mediterranea, episcopum simul faciat ex quadam sola seu appellationis loci similitudine, seu nominis unitate, seu etiam temporis convenientia? Præter quam quod Paulini laudes in eodem carmine ad Nicetam redeuntem in Daciam eæ omnino sunt, ut cuique integrum illud carmen legenti patere potest, quæ totam Nicetæ vitam in barbararum gentium conversione atque institutione peractam indicent; ut nihil temporis reliquum illi fuerit ad peculiarem aliam regendam Ecclesiam, maxime vero Danubio flumine, et aliquo etiam terræ tractu a barbaris illis gentibus separatam : nisi gratis dicere velimus Nicetam hunc peculiarem Ecclesiam suam in Dacia Romana Mediterranea sitam veluti dereliquisse, ut apostolatum susciperet inter barbaras gentes in Dacia Transdanubiana; quod haud scimus an illius ævi disciplina pateretur, et an Nicetæ merito ascribi facile posset.

De Nicetæ hujus Daci ætate, de episcopatus tempore, de anno quo eum plus minusve obiisse putamus, sequenti capite data opera dicendum erit, ad quod lectorem mittimus. Interim ex iis quæ ibidem dicturi sumus, non immerito hic asserere possumus, Paulinianum hunc Nicetam episcopatum et apostolatum suum inter barbaras gentes Transdanubianas inchoasse sub Valente imperatore anno circiter 575, cum annum ageret ætatis trigesimum aut etiam trigesimum quintum, complesse vero cum vita anno circiter 420, ætatis autem septuagesimo quinto, aut etiam octogesimo. Quapropter Daci hujus Nicetæ in barbaras illas gentes Transdanubianas reapse merita prædicavit, eodem prope quo sanctus Paulinus tempore, etiam divus Hieronymus epistola 60 in editione Vallarsii ad Heliodorum, num. 4, quæ ad annum refertur 396, dum ex Bethlehemitico suo recessu scriberet, quod « Bessorum feritas, et pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferiis homines immolabant, stridorem suum in dulce Christi fregerunt melos. » Sed adhuc clarius epistola ibidem 107 ad Lætam, num. 2, quæ anno tribuitur 403, Trans-

danubianarum illarum gentium in Christiana religione progressum his verbis exposuit: « Hunni discunt Psalterium, Scythiæ frigora fervent calore fidei: Getarum rutilus et flavus exercitus Ecclesiarum circumfert tentoria; et **20** ideo forsitan contra nos æqua pugnant acie, quia pari religione confidunt. »

Occurrendum hic tamen cuidam etiam objectioni viri clarissimi Dominici Georgii, qui in suo Adonis Martyrologio, ad diem x kal. Julii, pag. 288, duas citat epistolas Innocentii papæ I, quæ videri possunt tomo III Conciliorum Labbei editionis Venetæ curis Coleti, nempe 21 ad episcopum Naresitanum seu Naisitanum, et 22 ad episcopos Macedoniæ, in quibus Nicetæ episcopi mentio fit, quem ille absque ulla dubitatione Nicetam Romatianæ episcopum intelligit in Dacia Cisdanubiana. Ut ut vero Nicetæ hujus sancti Paulini familiaris tempus conveniat cum ætate Innocentii papæ I, et cum tempore datarum ab eo epistolarum quæ memorantur, nihilominus pace dixerim summi viri Innocentium papam in neutra ex illis epistolis appellare Nicetam episcopum civitatis Romatianæ, neque Romisianæ aut Remissianæ, etc., sed episcopum tantum. Fuerit idem fortasse ac Paulini amicus qui in prima epistola nominatur, ubi de Bonosi episcopi persona et damnatione agitur; quid contra nos, si inde non sequitur aut illum fuisse reapse episcopum Romatianæ, aut non fuisse episcopum in Dacia Transdanubiana? Quod vero ad alteram Innocentii epistolam attinet, quis non videt datam illam ad episcopos provinciæ Macedoniæ sub metropoli Thessalonicensi; ac proinde Nicetam illum ibidem nominatum inter cæteros Macedoniæ episcopos, unum quemdam episcopum fuisse illius provinciæ, Nicetam, et ipsum nomine, sed alium omnino ab altero seu Nicea seu Niceta de quo hic sermo, qui nullo modo inter episcopos Macedoniæ provinciæ enumerari poterat, sive cis Danubium episcopalem sedem Romatianam habuisset, quia tunc inter episcopos metropolis Sardicensis, provinciæ Daciæ Mediterraneæ, constitutus fuisset, ideoque cum Macedonibus non confundendus; sive trans Danubium episcopatum gessisset, quia aut nulli provinciæ tunc accensendus, aut certe finitimæ, Daciæ scilicet Mediterraneæ, cujus metropolis erat Sardica.

Videtur itaque jure iterum concludendum, Niceam seu Nicetam, sancti Paulini Nolani amicum, non fuisse episcopum civitatis illius in Dacia nova Aureliani cis Danubium positæ, quæ Remesiana aut Romissiana vel Romatiana, etc., appellata fuit; sed episcopatum absque dubio gessisse trans Danubium inter barbaras gentes, in ea Trajani Dacia quæ tunc ad Romanum imperium non pertinebat, et Barbara proinde Dacia appellabatur. Nihil est igitur unde sibi quisquam blandiri possit de Romatianæ civitatis nomine a Gennadio adhibito, ut Niceas seu Nicetas ille Gennadianus perhibeatur idem esse cum Nicea seu Niceta sancti Paulini amico; qui propterea percommode in Dacia cis Danubium collocetur, eique Remesiana vel Romesiana aut Remissiana, etc., civitas tribuatur, quæ parum inflexo vocabulo Romatiana Gennadii facile intelligi valeat.

21 CAPUT III.

Romatianæ civitatis episcopus Niceas; seu Nicetas, a Gennadio memoratus, non est Niceas seu Nicetas ille Dacus sancti Paulini Nolani episcopi amicus, ejusdemque laudibus celebratus.

Jam ad penitiora et graviora progredior, dum hoc capite probandum suscipio Niceam, seu Nicetam, episcopum civitatis Romatianæ a Gennadio memoratum, non esse Niceam seu Nicetam illum Dacum sancti Paulini Nolani episcopi amicum, ejusdemque laudibus celebratum. Hic enim illius opuscula intimius investiganda; hic inquirendum venit num sancto Nicetæ Paulini Nolani amico conveniant, an non, quæ in his opusculis peculiaria exhibentur de dogmatibus, de hæresibus, de disciplina, ad regularum A normam quas recta ratio exigit, et critices periti tradunt. Hic proinde dicendum etiam de hujus Nicetæ Paulini amici ætate; et an prorsus Paulino coævus, an suppar, an minor exstiterit: quæ omnia diligenti indigent inquisitione, ut lata propositio inde veluti sua sponte procedat. Utrumque ex his opusculis, quæ germana esse probavimus, gravissima suppeditat argumenta, ut evincatur eorum auctorem Niceam seu Nicetam episcopum civitatis Romatianæ, qui a Gennadio memoratur, esse non posse Niceam seu Nicetam illum Dacum, sancti Paulini Nolani episcopi amicum, ejusdemque laudibus celebratum: sed tum brevitatis studio, tum quia exploratiora seligere præstat, *Libello* nunc *ad lapsam Virginem* ad alia reservato, in *Explanatione Symboli ad competentes* immorari sufficiet.

Quod ad dogmata vero attinet, quæ in aliqua sanctorum Patrum non satis explorata lucubratione traduntur, et ex quibus cognoscendorum auctorum solent critici eruere argumenta, non me latet satis firma non esse quæ ex quibusdam dogmatibus eruuntur, B quæ aliquando Ecclesia adversus ortas hæreses in conciliis explicavit: nam cum Ecclesia nunquam nova dogmata tulerit, sed illa tantum uberius explanaverit suaque definitione firmaverit, quæ ab initio revelata, et constanti traditione servata, Novatorum postea cavillationibus temerata fuere; necesse est ut eadem dogmata asserta inveniantur etiam in illis sanctorum Patrum Operibus, quæ concilia præcessere in quibus illa definita fuerunt; quin inde inferri queat Opera illa, non illorum, sed sequioris ætatis auctorum esse censenda. Quis enim ignoret catholicum dogma, exempli gratia, de Filii Divinitate, et consubstantialitate cum Patre, etiam ab antenicænis Patribus et creditum et traditum fuisse? Sola itaque dogmatis alicujus assertio, quod aliquando Ecclesia lege lata sanciverit, non est ratio sufficiens judicandi opus aliquod posterius esse debere illa Ecclesiæ definitione.

C Adsunt tamen persæpe adjuncta quædam, quæ argumenta e dogmatibus sumpta firma reddunt, et ineluctabilia: veluti si dogma illud, aut peculiari vi asseratur, qua non asserebatur antequam Ecclesia super illo pulsaretur; aut si eisdem pene verbis vel parum dissimilibus annuntietur, quibus Ecclesia in œcumenicis conciliis congregata in illius definitione usa fuit, aut quæ Romani pontifices in suis dogmaticis constitutionibus adhibuere; aut si iisdem fulciatur momentis, quibus fulciri consuevit ab iis qui, æstu fervente disputationum, veritatem catholicam validius tuebantur; aut si in eodem dogmate annuntiando, **22** verba, rationes ac dicendi modi usurpentur, quæ post illius definitionem communiter apud Patres erant in usu. Crescit vero argumentorum e dogmatibus sumptorum pondus ac robur, si in dogmate annuntiando contrarius denotetur error, etiamsi tacito errantis ejusque sectatorum nomine: et si dogma aliquod proponatur, cujus contrarius error non semel in Ecclesia eruperit, neque semel tantum fuerit profligatus, tunc in dijudicandis Operibus ex hac dogmatis assertione, alia ex eisdem Operibus debent inquiri quæ lumen ferant in tenebris; ac fere nunquam peculiaria quædam desunt, quæ ambiguitatem tollant; neque interim minima habenda est ratio etiam varietatis illius in scribendi disserendique modo quæ unam ab altera ætatem, et unum ab altero sæculum, veluti colore aliquo peculiari ac proprio charactere, distinguit.

His itaque expensis, ecce nobis Niceas, seu Nicetas, episcopus civitatis Romatianæ a Gennadio appellatus, qui in *Explanatione Symboli*, cap. 4, ita competentes suos alloquitur super incarnationis mysterio. « Crede hunc, qui ex Virgine natus est nobiscum, esse Deum; Deum ante sæcula de Patre; hominem ex Virgine propter homines. Vere incarnatum, non putative, sicut quidam dicunt erronei hæretici erubescentes mysterium Dei. In phantasmate dicunt

factam Domini incarnationem : quia non vere fuerit quod videbatur, sed oculos fefellerit hominum. Quod absit, absit omnino a Dei veritate. Si enim falsa incarnatio est, falsa erit et salus hominum. Quod si vere salus in Christo est, vera æque incarnatio est. In ipso utrumque existens; homo, quod videbatur; Deus, quod non videbatur. Manducans ut homo; et pascens quinque millia hominum quinque panibus, quia Deus. Dormiens ut homo in navi; sed ventis et mari imperans, quia Deus. Manus cruci affigens velut homo; sed paradisum confitenti se latroni tribuens, quia Deus. Mortem postremo suscipiens deposito ad modicum corpore, ut homo; sed quatriduanum mortuum de sepulcro suscitans, quia Deus. Utrumque ergo credendus est Christus; Deus et homo: quia sicut homo ex passionibus agnoscitur; ita Deus ex divinis operibus manifestatur. Habes ergo unde respuas magistros fallaciæ. » Hactenus beatus Nicetas. En igitur catholicum dogma veræ in Christo humanitatis a Niceta nostro assertum; neque assertum simpliciter, sed etiam perspicue naviterque explicatum, ac solidissime etiam propugnatum adversus dogmatis hujus temeratores, quorum notat errorem, et quos ipse, non expresso quidem eorum nomine, sed generatim appellat *erroneos hæreticos*, ac *magistros fallaciæ*. Non est itaque anterior hic Nicetas, sed posterior exortis erroribus super vera Christi humanitate; ac propterea talis est in Niceta nostro dogmatis hujus assertio, ut inde de illius ætate aliqua ferri possit opinio.

At non semel in Ecclesia Dei contra veram Christi humanitatem error erupit. Auctor Catalogi Hæreticorum, qui post Tertulliani librum de Præscriptionibus locum habet, meminit hæretici Saturnini, qui sub Trajano aut Adriano imperatore Antiochiæ hæresim disseminavit, asserens inter alia *Christum in substantia corporis non fuisse, et phantasmate tantum quasi passum fuisse.* Meminit et Basilidis, qui Christum similiter *venisse in phantasmate* effutiebat, et *sine substantia carnis fuisse.* Ophitas etiam recenset, qui circa annum 150 orti, inter alia asserebant *Christum non in substantia carnis fuisse :* subinde Valentinum, qui docuit *Christum in substantia corporis* **23** *nostri non fuisse, sed spiritale nescio quod corpus de cœlo deferentem, quasi aquam per fistulam, sic per Mariam virginem transmeasse, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem;* dein post alios Cerdonem, qui Christum *in substantia carnis negat, in phantasmate solo fuisse pronuntiat; nec omnino passum, sed quasi passum; nec ex Virgine natum, sed omnino nec natum :* demum Cerdonis discipulum Marcionem, qui *hæresim Cerdonis approbare conatus est*, et *eadem dicere quæ ille superior hæreticus ante dixerat.* His accedunt Apollinaristæ et Manichæi, *quorum nullus in Christo humanæ carnis credidit veritatem*, uti aiebat sanctus Leo Magnus, epistola 35 ad Julianum episcopum Coensem, capite 1, ex editione fratrum Balleriniorum, qua semper in hac dissertatione utemur.

Hunc vero jamdiu a Patribus in his hæreticis condemnatum errorem, ac propterea propemodum obsoletum, medio sæculo v, veluti ab inferis revocavit Eutyches archimandrita Constantinopolitanus, *qui* propterea *per impios veterum hæreticorum volutatus errores* dicitur a sancto Leone Magno epistola 124, ad monachos Palæstinos, cap. 2; et de quo idem ipse aiebat epistola 79, ad Pulcheriam Augustam, quod « si quid sani cordis habuisset, dudum in auctoribus suis perculsum olimque prostratum (errorem) facile poterat declinare, ne de sepultis cineribus rediviva tentaret incendia commovere, ut in eorum transiret consortium, quorum secutus esset exemplum. » Præstat nihilominus hunc Eutychetis errorem intimius considerare; quoniam non illos veteres Nicetam nostrum respexisse reor, dum in illa catholici dogmatis assertione de vera Christi humanitate, eidem adversos appellat *erroneos hæreticos*, et *magistros fallaciæ;* sed Eutychen præcipue ejusque sectatores Nicetam indicare voluisse verbis illis contendo, uti inferius explicabo.

Iterum itaque loquatur beatus Nicetas ad competentes suos de dogmate catholico veræ in Christo humanitatis, eosque communiat adversus oppositum errorem. « Crede, inquit, hunc, qui ex Virgine natus est nobiscum, esse Deum; Deum ante sæcula de Patre; hominem ex Virgine propter homines. Vere incarnatum, non putative, sicut quidam dicunt erronei hæretici erubescentes mysterium Dei. In phantasmate dicunt factam Domini incarnationem : quia non vere fuerit quod videbatur, sed oculos fefellerit hominum. Quod absit, absit omnino a Dei veritate. » Quid igitur Eutyches, ejusque sectatores? Audiatur in primis coævus historicus, et S. Leonis papæ I notarius, S. Prosper Aquitanus in Chronico; qui, Asturio et Protogene consulibus, ita scribit : « Hoc tempore Eutychiana hæresis exorta est, auctore Eutyche quodam presbytero, qui apud Constantinopolim monasterio celeberrimo præsidebat, prædicans Jesum Christum Dominum nostrum, beatæ Mariæ virginis filium, nihil maternæ habuisse substantiæ, sed sub specie hominis solam in eo Verbi Dei fuisse naturam. » En igitur Christum ex Eutychetis errore non *vere*, sed *putative incarnatum*, uti apud Nicetam aiebant *erronei* illi *hæretici;* dum *nihil maternæ habuit substantiæ*, uti ex eodem Eutyche refert sanctus Prosper : en *in phantasmate factam Domini incarnationem*, et *non vere ipsum fuisse quod videbatur, sed oculos hominum fefellisse;* quod procul dubio perinde est ac in Christo *sub specie hominis solam Verbi Dei fuisse naturam*, quæ est hæresis Eutychetis a sancto Prospero nobis exhibita.

Sed quoad hæresim Eutychetis nihil **24** accuratius, nihil solidius, nihil uberius divo Leone Magno, qui hæresim illam ab ipso ortu suo et penitus intellexit, et acerrime exagitavit, et summa vigilantia compescuit, et apostolica auctoritate contrivit. Sanctus Leo itaque audiatur Eutychetis errorem exponens, et non uno quidem, sed pluribus in locis, pro zelo quo ardebat catholicæ veritatis. « Nec frustratorie loquens, aiebat S. Leo, ita Verbum diceret (Eutyches) carnem factum, ut editus utero Virginis Christus haberet formam hominis et non haberet materni corporis veritatem. » Ita in celebri epistola ad Flavianum, quæ est 28 in citata editione fratrum Balleriniorum, capite 2. « Quantum Nestorius a veritate excidit, dum Dominum Jesum Christum de matre Virgine hominem solum asserit natum; tantum etiam hic (Eutyches) a catholico tramite deviavit, qui de eadem Virgine editum, non nostræ credit esse naturæ : ut quod formam servi gessit, quod nostri similis fuit atque conformis, quædam nostræ carnis fuerit imago, non veritas. » Ita epistola 30, ad Pulcheriam Augustam. « Quantum Nestorius a veritate discessit, Deitatem Verbi ab assumpti hominis substantia separando, tantum a recto tramite etiam iste (Eutyches) desciscit, qui unigenitum Dei Filium sic de utero beatæ Virginis prædicat natum, ut humani quidem corporis speciem gesserit, sed humanæ carnis veritas Verbo unita non fuerit. » Ita epistola 35, ad Julianum Coensem, capite 1. « Sicut Nestorius... sic et Eutyches damnatum olim sectatus errorem, alia profanitate blasphemans, a catholicæ soliditatis compage resectus est : quia indoctis quibusdam nimiumque simplicibus persuadere tentavit, quod Verbum Dei ita caro sit factum, ut veram carnem de matre non sumpserit : nec nostri illum generis corpus habuisse; sed Divinitatis ejus et carnis unam esse naturam : ut unum Dominum nostrum Jesum Christum et falsum hominem, et Deum diceret esse passibilem. Quod nec pietas fidei, nec ratio recipit sacramenti; ut aut in sua natura passibilis fuerit Deitas, aut in susceptione humana mentita sit Veritas. » Ita epistola 102, ad episcopos Galliarum. « Catholicæ fidei petra... et Eutychen similiter exsecratur, qui in Domino Jesu Christo veritatem humanæ carnis evacuans, ipsum Verbum in carnem asserit

transformatum, ut nasci, nutriri, proficere, pati, mori, atque sepeliri, et die tertio suscitari, solus fuerit Deitatis, quæ servilis formæ non veritatem susceperit, sed figuram. » Ita epistola 119, ad Maximum Antiochenum, cap. 2. Hactenus de Eutychetis errore sanctus Leo Magnus. Hæc porro quæ sanctus pontifex de Eutychetis errore commemorat, quod nimirum ipse docuerit Christum habuisse *formam hominis*, sed *non materni corporis veritatem;* quod *fuerit* in illo *nostræ carnis imago*, *non veritas*; quod *speciem gesserit humani corporis*, *non humanæ carnis veritatem;* quod *veram carnem de matre non sumpserit*, *nec nostri generis corpus habuerit*, ac propterea *falsus homo* exstiterit; quod *servilis formæ figuram susceperit*, *non veritatem*; hæc, inquam, de Eutyche a divo Leone relata, nonne eadem sunt quæ beatus Nicetas de suis *erroneis hæreticis et magistris fallaciæ* referebat; quod *putative* scilicet, *non vere incarnatum* docerent Dei Filium; et quod *in phantasmate faciam dicerent Domini incarnationem, quia non vere fuerit quod videbatur, sed oculos fefellerit hominum?*

Verum adhuc luculentiora in eodem divo Leone de Eutychetis errore scribente **25** videamus, et ipsum *phantasmatis* vocabulum a Niceta usurpatum, atque illam *ad oculos fallendos* illusionem æquipolienti *simulationis* voce expressam; ut idem error appareat indicatus a Niceta nostro etiam ex eodem quo sanctus pontifex usu verborum; infra dicturi quæ, his præmissis, rem plane conficere nullus, prout credimus, diffiteatur. « Non dubie enim... Manichæorum confœderantur errori (Eutyches scilicet ejusque asseclæ), qui ab unige ito Dei Filio verum et nostræ naturæ hominem negant esse susceptum, omnesque ejus corporeas actiones simulatorii volunt fuisse phantasmatis. » Ita sanctus Leo epistola 59, ad clerum et plebem Constantino olitanæ urbis. « Eutyches quoque eodem (quo Nestorius) percellatur anathemate, qui per impios veterum hæreticorum volutatus errores, tertium Apollinaris dogma delegit: ut negata humanæ carnis atque animæ veritate, totum Dominum nostrum Jesum Christum unius asserat esse naturæ, tamquam Verbi Deitas ipsa se in carnem animamque converterit; et concipi et nasci, nutriri et crescere, crucifigi ac mori, sepeliri ac resurgere... ejus tantum essentiæ fuerit, quæ nihil horum in se sine carnis recipit veritate... Unde si ab Apollinaris perversitate hæreticus iste desciscit, ne convincatur Deitatem passibilem sentire atque mortalem; et tamen Verbi incarnati, id est Verbi et carnis unam audet pronuntiare naturam, non dubie in Manichæi et Marcionis transit insaniam, et mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum simulatorie omnia credit egisse, nec humanum in ipso corpus, sed phantasticam corporis speciem oculis apparuisse cernentium. » Idem sanctus Leo epistola 124, ad monachos Palæstinæ, capite 3, et ipsissimis verbis epistola 165, ad Leonem Augustum, capite 2. In sermone vero 65, de Passione Domini 14, capite 4, hæc habet: « Sermonem, dilectissimi, de gloriosa Domini nostri Jesu Christi passione promissum, ita exspectationi vestræ intelligo esse reddendum, ut officium disserendi et festo paschali serviat, et ausibus impii erroris (Eutychiani) occurrat. Qui enim Dei Filium veram nostræ carnis negant suscepisse naturam, inimici sunt fidei Christianæ, et evangelicam prædicationem nimis impudenter impugnant: ut secundum ipsos crux Christi aut simulatio fuerit phantasmatis, aut supplicium Deitatis. » Ea igitur *phantasmatis* vocem a divo Leone usurpatam in exponendo Eutychetis errore ad sensum prorsus beati Nicetæ; sicut etiam vocem *simulationis*, quæ illusionem illam exprimit ad *fallendos oculos hominum*, quam beatus Nicetas intelligit. Quis vero non eumdem omnino sensum deprehendit in verbis illis Romani pontificis, *Christum Jesum simulatorie omnia* (Eutyches) *credit egisse, nec humanum in ipso corpus, sed phantasticam corporis speciem oculis apparuisse credentium;* et in his beati Nicetæ, *in phantasmate dicunt factam Domini incarnationem, quia non vere fuerit quod videbatur, sed oculos fefellerit hominum?* Addatur etiam quod in eodem nunc citato sermone sancti pontificis, capite 4, Eutychetis sectatores *phantasmatici Christiani* appellantur, sicut etiam ipsissimis verbis iidem impetuntur in epistola 124, capite 6, ubi idem sanctus pontifex ait: « Dicant igitur isti phantasmatici Christiani quæ substantia Salvatoris affixa sit ligno, quæ jacuerit in sepulcro, et revoluto monumenti lapide, quæ tertio die caro surrexerit, etc. »

Neque hic vero desinit verborum ac sensuum convenientia inter divum **26** Leonem de Eutyche Eutychianisque loquentem, et beatum Nicetam de *erroneis* illis *hæreticis* et *magistris fallaciæ*, quos commemorat, commonentem competentes suos: quapropter in re, quæ in hujusmodi argumento præcipua est, nihil est omittendum ex iis quæ lucem quantamlibet afferre possint, et veluti viam sternere ad ea quæ inferius manifesta dabuntur. Ait itaque beatus Nicetas de suis erroneis hæreticis loquens: *Sicut quidam dicunt erronei hæretici.* Non igitur magno erant tunc numero; qui *quidam* fuisse dicebantur. Quid autem sanctus Leo papa de Eutychianis? « Quæ confessio, aiebat (veræ nimirum Deitatis, et veræ in Christo humanitatis) cum impie nunc a *paucis quibusdam* lædatur, etc. » Epistola 45, ad Theodosium Augustum. Et iterum: « Cui sacramento (veræ pariter Divinitatis et veræ humanitatis in Christo) quia impie nunc a *paucis* imprudentibus obviatur, etc. » Epistola 44, ad eumdem Theodosium Augustum. Item: « Ut pax ecclesiastica renovetur, quæ *quorumdam* dissensionibus videtur esse turbata. » Epistola 70, ad Pulcheriam Augustam. Ipsa vero Pulcheria Augusta, quæ præsens erat Eutychianæ factioni, ita ad eumdem sanctum Leonem scribebat in epistola quæ inter illas sancti pontificis est ordine 77: « Illo errore sublato, qui ab *aliquibus* nunc ortus est. » Pergit beatus Nicetas, et illos quosdam suos erroneos hæreticos, qui non vere incarnatum Christum dicebant, appellat *erubescentes mysterium Dei.* Quid autem et hic de Eutychianis sanctus pontifex Leo? Recolantur quæ habet epistola 165, ad Leonem Augustum, capite 9: « In magno, inquit, sacrilegio se versari hæreticorum manifestat impietas, cum sub specie Deitatis honorandæ humanæ carnis in Christo denegat veritatem; et religiose existimant credi, si dicatur in Salvatore nostro verum non esse, quod salvat, cum ita secundum promissionem omnia sæcula percurrentem, mundus sit Deo reconciliatus in Christo, ut nisi Verbum dignaretur caro fieri, nulla posset caro salvari. Omne enim sacramentum fidei christianæ magno (ut hæretici volunt) decoloratur obscuro, si lux veritatis sub mendacio putatur latuisse phantasmatis. Non ergo quisquam sibi erubescendum existimet Christianus de nostri in Christo corporis veritate... De quo cum sanctarum litterarum nulla pars sileat, sufficit quædam consona veritatis signa posuisse, quibus diligentia fidei in splendidissimam latitudinem dirigatur, et sincera intelligentiæ luce perspiciat, quod in Filio Dei, qui se incessabiliter Filium hominis et hominem profitetur, non sit Christianis erubescendum, sed constantissime gloriandum. » Vides igitur apud Leonem Magnum Eutychianos *erubescentes de nostri in Christo corporis veritate*, et quidem *sub specie Deitatis honorandæ;* sicut apud Nicetam erronei illi hæretici *erubescentes* et ipsi *mysterium Dei*, non *vere*, sed *putative incarnatum* Christum Dominum dicebant, quasi vera Deum incarnatio dedeceret.

Quanta vero fuerit apud Nicetam illius erroris immanitas contra quem competentes ad baptismum commonebat, quantaque ex illo Christianæ fidei hominumque saluti pernicies immineret, ex iis quæ indicatum errorem in illa *Symboli Explanatione* e vestigio subsequuntur apparet: ait enim: « Quod absit, absit omnino a Dei veritate. Si enim falsa incarnatio est, falsa erit et salus hominum. Quod si vere salus in

Christo est, vera æque incarnatio est. » Numquid et tale aliquid de Eutychiano errore apud Leonem papam? Epistola **27** nempe 60, ad Pulcheriam Augustam, hæc habet : « Hæresis quippe est nimis impia, et Evangelio veritatis inimica, quæ non portionem aliquam lædere, sed ipsa Christianæ religionis conatur fundamenta convellere, negans sempiterni Patris Filium sempiternum de utero beatæ Virginis Matris veram carnem nostræ sumpsisse naturæ. » Et epistola 165, ad Leonem Augustum, capite 5, ita scribit : « Quam itaque sibi in hujus sacramenti præsidio spem relinquunt qui in Salvatore nostro negant humani corporis veritatem? Dicant quo sacrificio reconciliati, dicant quo sanguine sint redempti? »

Hactenus et hæresim Eutychianam ex præcipuo illius expugnatore divo Leone Magno plene detectam perspeximus, et miram hæresis hujus cum ea de qua Nicetas in *Explanatione Symboli* loquebatur similitudinem; quin etiam utrumque iisdem sensibus, phrasibus, ac verbis quoque usum fuisse in propria hæresi indicanda collatione facta cognovimus. Progrediendum nunc ad id quod ab initio erat propositum; nimirum quod beatus noster Nicetas nequaquam veterum illorum hæreticorum qui Eutychi veluti præluserunt respexit errorem, licet eorum error cum illo de quo Nicetas plane conveniat, nec verba quoque desiderentur, quæ rei unitatem constituant, quæque profecto clarissimo etiam Zaheo fucum fecerunt, ut nihil omnino de Eutyche suspicatus, præcessores tantum illius ibidem agnosceret in dissertationis suæ parte altera, num. 16; sed quod reapse de Eutychiano errore locutus fuerit Nicetas, et quod pro *erroneis* illis *hæreticis* ac *magistris fallaciæ* in *Explanatione Symboli* memoratis, Eutyches ipse ejusque sectatores intelligendi omnino veniant : quod conjeturis quidem probandum suscipio, non enim alia suppetunt alterius generis argumenta; sed conjecturis, ni fallor, tanti ponderis, quibus vel conjunctim, vel etiam singillatim sumptis, rem prorsus confectum iri confidam.

Ad celebrem dogmaticam epistolam sancti Leonis Magni ad Flavianum Constantinopolitanum antistitem accedamus oportet, quæ Eutychetis errorem tantis rationum momentis tantaque auctoritatis et eloquentiæ vi ab ipso sui exordio jugulavit, ut nihil ea robustius, nihil validius adversus illam impietatem communi totius Ecclesiæ plausu judicaretur. Ab anno 449, quo eadem epistola prodiit, Asturio et Protogene consulibus, usque ad concilium Chalcedonense, ubi ceu fidei regula ex ipso Petri ore prolata venerabiliter accepta fuit, omnes tum Orientis tum Occidentis Ecclesias pervagata, ita in ore omnium esse cœpit, ut non modo eam singuli per orbem universum episcopi præ oculis semper haberent, sed ut eadem etiam communiter a fidelibus, velut *Symbolum fidei*, memoriæ commendata teneretur. Præstat super hac re luculentissimum testimonium afferre Ecclesiæ Gallicanæ, quæ in epistola synodica ad ipsum divum Leonem missa, et inter hujus sancti pontificis Epistolas ordine 99, capite 2, ita scribebat : « Quæ apostolatus vestri scripta, ita ut symbolum fidei, quisquis redemptionis sacramenta non negligit, tabulis cordis ascribit, et tenaci, quo ad confundendos hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendavit. » Quod itaque de Gallicana Ecclesia testabantur synodice congregati episcopi Galliarum, hoc de cæteris per orbem Ecclesiis jure censendum : præcipue vero cum certum sit in fidei professionibus nihil antiquitus fuisse frequentius, quam post generalia concilia hujus quoque epistolæ doctrinam profiteri, quæ inter divina etiam officia tempore Adventus, tum in **28** Romana Ecclesia, tum in aliis Italiæ et Galliarum locum habuit, ut erudite admonent Ballerinii fratres in admonitione ad hanc eamdem epistolam. Quod spectat ad hæc Italiæ superioris loca, exstat epistola ad eumdem sanctum Leonem papam Eusebii episcopi Mediolanensis aliorumque comprovincialium episcoporum, inter A Leonis epistolas, num. 97, ubi epistola ad Flavianum beati pontificis summa veneratione suscipitur, ac debitis laudibus celebratur. Quod vero attinet ad Aquileiensem provinciam Mediolanensi conterminam, ubi nos degimus, iidem eruditi fratres Ballerinii indicant Sponsionem episcoporum provinciæ Aquileiensis ad Paulinum patriarcham anni 801, a de Rubeis in Monumentis Ecclesiæ Aquileiensis allatam, atque e manuscripto Vaticano 1322 erutam, ubi episcopi provinciales profitebantur *catholicæ fidei regulam juxta definitionem concilii Nicæni, et ut tomus beati declarat papæ Leonis*. Licet vero sequioris ætatis monumentum hoc sit, minime tamen ambigendum ex primæva etiam Aquileiensium fluxisse disciplina, atque ex eodem pristinæ venerationis fonte erga hanc epistolam, quam litteris suis testatam reliquerunt Gallicani præsules ac Mediolanenses, quamque plene consimilem in universa Ecclesia exstitisse, et rei gravitas, et illorum temporum conditio, et ratio ipsa suadet.

B Quid igitur ex hac dogmatica divi Leonis epistola ad rem nostram? Cum tanta fuerit erga epistolam hanc veneratio in universo orbe catholico ab eo tempore quo data fuit, ut veluti *symbolum fidei* ab omnibus acciperetur, nec non *memoriter* teneretur; ubi hujus celeberrimæ epistolæ sensus, ubi ejusdem momenta adversus Eutychianum errorem adhibita, ubi verba etiam, ac veluti ipsa dicendi ratio in alio quopiam opere deprehenduntur, in quo maxime aut de fide aliquo modo agatur, aut, quod præcipuum, est, ipsum fidei symbolum explanetur, commoneanturque auditores ne se abripi sinant ab *erroneis hæreticis* et *magistris fallaciæ* contraria docentibus; minime dubitandum, illius operis auctorem eumdem respexisse Eutychianum errorem quem sanctus pontifex in illa epistola profligavit, quamvis nec Eutyches ibi, neque Eutychiani expresso nomine indicentur. Ejusmodi porro esse *Explanationem Symboli ad competentes;* quæ sensus videlicet contineat in epistola divi Leonis expressos adversus Eutychetis errorem, quæ momenta referat ab eodem adhibita, quæ verba etiam ac veluti dicendi rationem exhibeat, textus ex utraque lucubratione ob oculos positi invictissime, ut arbitror, demonstrabunt.

C

Sit itaque primum sanctus pontifex Leo in eadem epistola sua ad Flavianum, quæ ordine est 28, capite 4 : « Agit, inquit sanctus pontifex, utraque forma cum alterius communione, quod proprium est; Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exsequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis... Esurire, sitire, lassescere, atque dormire, evidenter humanum est. Sed quinque panibus quinque millia hominum satiare..... supra dorsum maris plantis non desinentibus ambulare, et elationes fluctuum increpata tempestate consternere; sine ambiguitate divinum est. Sicut ergo, ut multa præteream, non ejusdem naturæ est, flere miserationis effectu amicum mortuum, et eumdem, remoto quatriduanæ aggere sepulturæ, ad vocis imperium excitare redivivum; aut in ligno pendere, et in noctem luce conversa, omnia elementa tremefacere; aut clavis transfixum esse, et paradisi portas fidei latronis aperire : ita non ejusdem naturæ est dicere: **29** *Ego et Pater unum sumus;* et dicere : *Pater major me est*. Quamvis enim in Domino Jesu Christo Dei et hominis una persona sit; aliud tamen est, unde in utroque communis est contumelia, aliud unde communis est gloria. De nostro enim illi est minor Patre humanitas; de Patre illi est æqualis cum Patre Divinitas. » Hactenus sanctus Leo. Ecce nunc beatum Nicetam in *Explanatione Symboli*, capite 4, statim post ea verba quæ superius retulimus ad ostendendam perniciem quæ Christianæ fidei imminebat ex errore quem ille exagitabat in *erroneis* suis *hæreticis;* et non alio prorsus sensu ac sese sanctus pontifex explicabat de Eutychetis errore. In ipso (Domino Jesu Christo), ait beatus Nicetas, utrumque existens; homo, quod videbatur; Deus, quod non videbatur. Mandu-

cans ut homo; et pascens quinque millia hominum quinque panibus, quia Deus. Dormiens ut homo in navi, sed ventis et mari imperans, quia Deus. Manus cruci affigens velut homo; sed paradisum confitenti se latroni tribuens, quia Deus. Mortem postremo suscipiens deposito ad modicum corpore, ut homo; sed quatriduanum mortuum de sepulcro suscitans, quia Deus. Utrumque ergo credendus est Christus, Deus et homo; quia sicut homo ex passionibus agnoscitur, ita Deus ex divinis operibus manifestatur. Habes ergo unde respuas magistros fallaciæ. » Hactenus etiam beatus Nicetas.

Jam vero, si excipiatur styli proprietas, quæ non eadem est in utroque scriptore; nam simplex ac nitida in Niceta, gravis ac splendida in Leone : et si excipiatur sermonis quædam prolixitas quæ in textu divi Leonis apparet, utpote qui totus erat in tota illa epistola ut dogma catholicum assereret de vera in Christo humanitate, et adversum Eutychetis errorem convelleret; dum strictior dicendi ratio Nicetæ conveniebat, qui non de unico illo dogmate sed de symbolo universo explanationem competentibus tradebat, et talem quidem quæ auribus audientium facile exciperetur, non quæ legentium oculis subjiceretur; veluti epistola, aut alia alterius generis lucubratio, quam propterea longiusculam, ubi res urgeat, esse non dedecet : si hæc in allatis textibus excipiatur, ex ipsa styli varietate, et ex ipso dicendi genere necessaria diversitas; quis, quæso, non videat, sensus in utroque textu esse plane conformes in dogmatis explicatione, eadem adhiberi momenta ex evangelica historia petita ad confodiendum errorem dogmati oppositum, et verba etiam non semel, ac veluti dicendi rationem in utroque penitus convenire? Non alia egent minutiori discussione allati duo textus, quos parallelos non improprie dicam, quique reipsa uti parallelos satis aperte vel intuentium oculis sese produnt; ut ex iis concludamus beatum Nicetam, eumdem ac divus Leo in epistola ad Flavianum respexisse Eutychetis errorem in sua *Explanatione Symboli ad competentes*, capite 4, atque idcirco pro illis *erroneis hæreticis*, pro illis *magistris fallaciæ* quos objurgat, Eutychen profecto et sectatores illius ipsum quoque indicare voluisse.

Rem non pigeat nihilominus etiam uberius illustrare, ac validius confirmare. Eadem quæ in Niceta nostro apparet occurrendi ratio Eutychiano errori ex dogmatica epistola sancti Leonis papæ ad Flavianum, sive ex ipsius sensu, et momentis in ea allatis, atque ex ipso dicendi modo, et pene ex verbis illius, uti vidimus; eadem, inquam, in aliis ejusdem ætatis Patribus elucet, de quibus non est controversia quod Eutychianum errorem respexerint. Quid nempe consequitur? **30** Inde nimirum vehementius firmatur, et communiter tunc Ecclesiæ antistites ex fonte illius dogmaticæ epistolæ hausisse quæ fidelibus traderent ad fidem veræ in Christo, sicut Divinitatis, ita et humanitatis confirmandam, atque ad refellendum adversum errorem; et plane Eutychetis hæresim esse de qua in *Explanatione Symboli* monebat Nicetas competentes suos, cum eadem loquendi ratio appareat, quæ in Leone et in Niceta, etiam in aliis Patribus, quos nullus dubitat aut ætatem erroris Eutychetis attigisse, aut errorem ipsum proxime subsecutos. Jam igitur videamus.

Adest inter alios sanctus Maximus Taurinensis, qui, ut ex ejus Vita in novissima illius Operum Romana editione concinnata apparet, anno 465 adhuc erat in vivis; quique anno 451 in concilio Mediolanensi cum aliis episcopis illius provinciæ subscripsit at epistolæ sancti Leonis ad Flavianum, uti constat ex synodica ejusdem citata Eusebii Mediolanensis episcopi ad eumdem sanctum pontificem, quæ exstat, ut dictum fuit, inter istius Epistolas ordine 97. Itaque sanctus Maximus in sermone 57 de Paschatis Solemnitate 9, ex eadem novissima editione Romana hæc habet : « Quis dubitet ineffabiliter cum Filium Dei, Filium-que esse hominis, qui potuit et mortem perpeti, et morte devicta semetipsum suscitare de tumulo? Nam susceptâ carne de Virgine, ne quam in fide nostræ confessionis nebulam pateremur, toto prædicationis suæ tempore verum se revelabat Deum, perfectum ostendebat et hominem. Flebat quippe, ut nostro dolore mœrens, sed ut sua virtute potens miseratus cæcorum tenebras, huic necdum formatos faciebat oculos, illi reddebat amissos; navigans cum discipulis suis somno hominis dormiebat in puppis; sed consciæ majestatis imperio insurgentium fluctuum moles, minacesque ventos serena protinus tranquillitate compescuit. Moriturum se, ut temporalis vitæ homo sæpissime testabatur, sed ut æternus Deus, refugo in corpora vitali spiritu, ad lucem mortuos redire præcepit. Ut Filio hominis ingerebantur convicia blasphemantium, sed ut ignara mortalitas inostensam credendi disceret veritatem, quasi unicum Filium suum Pater alloquebatur e cœlo. » Et sermone 102, de Verbis Evangelii, etc., ita loquitur : « In hac lectione simul consideranda est in uno eodemque Redemptore nostro disjuncta operatio Divinitatis et humanitatis, atque omnimodis detestandus error Eutychetis, qui unam tantum in Christo dogmatizare præsumit operationem. In alterutra enim parte vel qui solum hominem fuisse dixerit, gloriam negabit Conditoris; vel qui solum Deum, negabit misericordiam Redemptoris. Nempe quod super turbam miseretur Dominus, ne vel inedia, vel longioris viæ deficiat labore, noverimus affectum, atque compassionem humanæ fragilitatis : quod autem de septem panibus, et paucis piscibus satiavit quatuor millia hominum, credimus divinæ opus esse virtutis. » Homilia vero 49 hæc alia habet : « Hujusmodi Dominus peregit in sua carne mysterium, ut sicut Deus esse divinis virtutibus creditur; ita et homo esse, infirmitatibus dignoscatur humanis. Et hinc est quod Christus ut homo esurit; et esurientes pascit, ut Deus. Hinc quod fatigatur itinere, et claudis virtutem tribuit ambulandi. Hinc quod oculos suos laxat in lacrymas, et mirabiliter cæcis reformat aspectum. Hinc quod appropinquante morte tristatur, et mortuum Lazarum suscitat de sepulcro. Hæc omnia, fratres, Conditor **31** ac Redemptor noster, ut Deus et homo agit, non quia talis illi nascendi necessitas fuit; sed quia tale in cœlo, et in terris voluit regnare mysterium. » Hæc sanctus Maximus Taurinensis de catholico dogmate veræ in Christo, sicut Divinitatis, ita et humanitatis, adversus Eutychianum errorem; et penitus ad sensum, immo veluti ad verba ipsa tum divi papæ Leonis, tum beati nostri Nicetæ.

Post Maximum Taurinensem audire præstat etiam divum Petrum Chrysologum, cujus exstat celebris ad Eutychen ipsum epistola, inter Epistolas sancti papæ Leonis ordine 25, ad initium pertinens anni 449, uti animadvertunt Ballerinii fratres in admonitione prævia; in qua epistola illum monebat, *ut his quæ a beatissimo papa Romanæ civitatis scripta sunt obedienter attenderet : quoniam beatus Petrus, qui in propria sede et vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Quamvis vero Chrysologi obitus post annum 451 differri non possit, ut monet clarissimus abbas Bacchinius in Observationibus ad Vitam ejusdem ab Agnello in suo libro Pontificali nobis datam; etiam hoc tam brevi tempore, scilicet biennii circiter; ab exorto sibique cognito Eutychiano errore, sanctissimus Ravennatium pontifex oblata occasione in sermonibus suis illum insectari non destitit; et ita quidem, ut manifeste appareat errorem illum et ipsismet coloribus depinxisse quibus sanctus Leo ac beatus noster Nicetas, et simili etiam dicendi ratione, ac momentis quoque ejusdem ponderis ejusdemque generis confutasse. Sermone 21 ex editione Sebastiani Pauli Augustæ Vindelicorum 1758, in-folio, ita aiebat : « *Et assumunt eum ut erat in navi.* Quid hoc? Aliter est Christus in cœlo, aliter habetur Christus in navi; aliter in majestate Patris, aliter in hominis humilitate

sentitur; aliter coæternus Patri, aliter ætatum nostrarum gradibus cernitur temporalis; aliter nostro dormit in corpore, aliter in sui vigilat spiritus sanctitate. » Sermone 58 hæc habet : « Sepulturam patitur (Christus), ne mortem non adiisse ut vinceret, sed simulasse ut eluderet, ab impiis jactaretur... Et si in passione nostræ se carnis veram probavit habuisse substantiam, per trium dierum figuram totam Trinitatis resurgit in gloriam. » Sermone 60 hæc alia legimus : « Sepultum dicis (Christum) ut veram carnem Christi, mortemque non perfunctoriam probet confessio sepulturæ; mortem susceptisse et vicisse; intrasse inferos et rediisse, venisse in jura tartari, et tartari jura solvisse, non est fragilitas, sed potestas. » Sermone denique 144 ita scribit : « *Ecce*, inquit, *concipies in utero*. Propter reverentiam dixisse sufficerat : *Concipies* : quod exaggerat, *in utero*, quid est? Ut conceptus esset veritas, non figura; ut partus esset proprietas, non imago; ut sicut de Deo vero Deus verus natus est, sic de vero conceptu veritas humani corporis nasceretur. In ortu Christi, fratres, humani corporis injuria sublata est, non natura; nec est creatura deleta, sed culpa damnata. Est ergo hæresis, quæ Christum aerium corpus assumpsisse mentitur : nec habuisse carnem, sed hominem simulasse confingit. » Hæc sanctus Petrus Chrysologus in Sermonibus suis. Quis igitur non videat Eutychianum errorem hic expressum ipsissimis verbis *simulationis*, *figuræ*, *imaginis* humanæ carnis in Christo, quæ adhibita fuerunt a divo Leone in tot ex eodem superius allatis textibus; quæque plene respondent aliis *putativæ incarnationis*, atque *phantasticæ*, ad *fallendos hominum oculos*, quæ apud **32** Nicetam occurrunt? Quis æque non intelligat a divo Petro Chrysologo quædam hic afferri, pro opportunitate orationis, ad asserendas in Christo operationes humanas a divinis distinctas, quæ divus Leo papa in epistola ad Flavianum protulit, et beatus quoque Nicetas in *Symboli Explanatione* recensuit?

Ut aliquid præterea, post divum Maximum Taurinensem, et post divum Petrum Chrysologum, etiam ex præsulibus Gallicanæ Ecclesiæ afferamus, quod ad rem nostram faciat, nonnulla hic ex Fausto Reiensi, atque ex sancto Avito episcopo Viennensi addere liceat. Fausti quidem, qui paulo post damnatum Eutychianum errorem Reiensem sedem conscendit, nimirum circa annum Christi 455; Fausti ea sunt quæ sequuntur, ut notant Maurini Augustinianorum Operum editores ad sermonem 176 in appendicibus Augustinianis relatum; cui titulus : *In Ascensione Domini I*, ubi hæc assuta leguntur, et nimis improprie sancto Hipponensium episcopo supposita, qui morte sua jam pridem errorem præcesserat de quo hic agitur. Ait itaque Faustus : « Ideoque omnibus modis detestanda sunt venena Orientalis erroris, qui impia novitate præsumit asserere Filium Dei ac Filium hominis unius esse naturæ... Nos ergo noverimus duplicem in Christo geminamque substantiam; de Patre cœlestem, de matre terrenam. Quam utramque in uno eodemque Redemptore suis promptum est testimoniis explicare. Quasi homo dicebat, *Quia Pater major me est;* sed idem quasi Deus pronuntiabat, *Ego et Pater unum sumus*. Quasi homo dicebat, *Tristis est anima mea usque ad mortem;* sed quasi Deus fiducialiter loquebatur, *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam*. Quasi homo in cruce pendebat; sed quasi Deus regnum cœleste donabat. » Hæc Faustus Reiensis; quem ita locutum ad sensum divi Leonis Magni in textu relato ex epistola ad Flavianum satis elucet : licet non satis orthodoxe in aliquo alio dogmate senserit, uti constat; quod tamen ad rem, de qua nunc agimus, non pertinet.

Sanctus vero Avitus nonnihil Fausto ætate posterior, utpote qui Viennensem cathedram obtinuit sub finem sæculi v, Eutychetis errorem fusiori calamo perstrinxit tum in epistola 3, quæ inscribitur : *Domno Gundobado regi*, tum in aliis quoque Operibus, quorum nunc nonnisi fragmenta supersunt; maxime vero in illis quibus olim titulus : *Contra Phantasma;* hoc enim appellabatur nomine ab Avito Eutychianismus, sicut etiam *phantasmatis prædicator* Eutyches ipse ab eodem dicebatur. En igitur quædam Viennensis præsulis, prout in Bibliotheca Veterum Patrum cura Andreæ Galladii, tomo X, pag. 709 et sequentibus; et primum ex eadem citata epistola ad Gundobadum excerpta, quæ tota est adversus Eutychianum errorem, quem etiam in fine *pravitatem* clamat, *quæ adhuc augmento accenditur*, ut propterea contra eam dimicandi etiam ætate sua necessitatem ostenderet. « Jam porro, inquit, quoniam transacta passio docet hominem verum, cruciatum doloribus, latronibus comparatum, confectum supplicio, tumulatum sepulcro; per hæc omnia phantasmatis assertoribus assumpti corporis veritas contradicitur. » Pergit vero sanctus Avitus, et Eutychiani erroris improbitatem tangens atque perniciem ad sensum prorsus tum divi Leonis tum beati Nicetæ, quos superius hac etiam super re invicem contulimus, hæc et ipse subjungit. « Adhuc cum omne quod spei est in solo redemptionis nostræ mysterio collocemus, nec sit aliud nostrum reviviscere, quam **33** Dominum necem pertulisse : falsum est quod sua incarnatione nos salvat, si et hoc in dubium venit, quod tolerandum pro nobis in carne susceperat. » Quod vero ad præcipuum textum Leonis attinet, parallelum Nicetæ textui de vera in Christo sicut Divinitate ita etiam humanitate, et ad quem respexisse aiebam Patres illos qui post Leonem Eutychianismum insecuti fuerunt, ut inde adhuc clarius elucescat etiam Nicetam Eutychianum prorsus intellexisse errorem, contra quem ipsis sensibus ac pene verbis ivit sancti papæ Leonis; en quomodo sese explicat etiam sanctus Avitus : « Respiciendum est hic, quantum Eutychiani Bonosiacis barathro profundiore mergantur. Illi Christo Divinitatis honorem tantummodo adimunt, isti et corporis veritatem. Photinus hominis personam nos adorare deridet, hic nebulam. An forte hæretici hujus ipsius illusionis exordium ab ipsis in Christo sacræ nativitatis crepundiis ordiuntur, ac perinde falsum erit, quod jacuit in pannis, quod apparuit magis, quod planxit in cunis? Taceo reliquos in succidua ætate profectus, quibus divinam pariter humanamque naturam complectens, lassitudinem refectio pertulit, consolatio lacrymas effudit, lux dormivit, panis esurit, fons sitivit. Taceo planctum illum quem super defunctum Lazarum habuit, antequam effectu resuscitandi ostenderet Deum præmisisse humanæ conditionis affectum. » Neque hic, occasione oblata, prætereundum quod de Eutychianis non uno in loco aientem vidimus divum Leonem; quod veram nempe in Christo humanitatem negantes, ipsam *veritatis lucem in susceptione humana mentitam* dicerent, atque *sub mendacio phantasmatis latitantem;* quod etiam Nicetas noster non tacuit de *erroneis hæreticis* suis, quos arguebat de Christo dicentes *quia non vere fuerit quod videbatur, sed oculos fefellerit hominum* : ad quem sensum ita et Avitus ipse quam præclare scribebat : « Quod videte ad quantam spectet Divinitatis injuriam, si veritatis magister, qui nobis etiam verborum mendacia interdicit, ipse factis credatur potuisse mentiri. Procul dubio enim mendacii genus foret, si quod ipse non fuerit, se credi a suis velit, et putaretur factum a Christo, quod non licet facere Christiano. » Hactenus sanctus Avitus in epistola illa 3, ad Gundobadum regem : quæ autem sequuntur, non ideo addenda judicavi quia aliquid deesse putem ad sancti Aviti mentem plene in rem nostram assequendam respectu Eutychiani erroris ab eo exagitati eodem etiam modo quo urgebatur a divo papa Leone; sed quia inde adhuc uberius illius sententia explicatur, et quia proprie ex fragmentis sumpta sunt quæ supersunt librorum illius Contra Phantasma, id est contra Eutychianum errorem. Ait itaque : « *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Asse-

ruit duplicem plena descriptione naturam. Unam in qua secundum Divinitatem factor est omnium, et alteram in qua factus est ex semine David secundum carnem. In quarum neutra substantia suspicio potest phantasmatis inveniri : quia sicut per se invisibilis erat Divinitas quæ inclinabatur e cœlo, ita de David stirpe descendens nihil Judificatorium habere potuit veritas carnis Christi : quæ non solum usque ad David per proavos suos, sed per ipsum David usque in Adam, expressa parentum nominatione resolvitur. Et ideo dicit Apostolus, esse ex semine David secundum carnem, ut eum consubstantialem exponeret matri, de qua utique sumpsit et mortem; cum phantasma nec nasci, nec mori possit, sed principium ejus deludere, **34** « finisque vanuisse sit. » Hæc sanctus Avitus Viennensis in fragmentis, etc., numero 1, ex eodem tomo X Bibliothecæ Gallandii pag. 749.

Jam igitur concludendum, Nicetam nostrum episcopum civitatis Romatianæ a Gennadio memoratum, in sua *Symboli Explanatione*, capite 4, ubi catholicum dogma tradit competentibus suis vere in Christo, sicut Divinitatis, ita etiam humanitatis, et ubi refellit *erroneos* illos *hæreticos* et *magistros fallaciæ*, qui *non vere*, ut aiebat, *sed putative incarnatum* Christum dicebant, ideoque *in phantasmate factam Domini incarnationem, quia non vere fuerit quod videbatur, sed oculos fefellerit hominum;* concludendum, inquam, Nicetam hunc non respexisse ad hæreticos illos veteres, qui in adinventionibus et phantasmatibus suis Eutychen præcesserunt, sed plane Eutychen ipsum ejusque sectatores intendisse; et quia errorem illum undequaque exponit eo prorsus modo ipsisque formis, quibus eumdem habemus apud divum Leonem Magnum in tot epistolis, quas dedit ad ipsum profligandum tum in Oriente unde eruperat, tum in Occidentis partibus ubi suffragia sibi comparare satagebat; et quia eisdem sensibus ac momentis, immo et pene verbis utitur idem Nicetas adversus errorem illum, quibus ipse sanctus pontifex usus fuit in celebri dogmatica sua epistola ad Flavianum, quæ per totum catholicum orbem diffusa, ceu fidei regula ubique habita fuit etiam ante Chalcedonense generale concilium, ubi demum Eutychetis error supremum ictum accepit; et quia præterea eadem ipsa quæ in Niceta apparet occurrendi ratio gliscenti errori ex epistola illa ad Flavianum, sive ex ejusdem sensibus ac momentis ac pene etiam verbis, elucet etiam communiter in Patribus vel Eutychi coævis, vel qui non ita longe post eumdem floruerunt, de quibus constat quod Eutychianum reapse errorem insecuti fuerunt.

Quid nunc igitur post tam prolixam disquisitionem de vero ac proprio Eutychiano errore a Niceta nostro in sua *Symboli Explanatione* exagitato? Inde nimirum sequitur, quod Eutychiano errore anterior esse nequeat Nicetas hic *Explanationis Symboli* auctor. Quod si Eutychiano errore anterior Nicetas hic esse non potest, jam inde liquet, Romatianæ civitatis episcopum Niceam ceu Nicetam a Gennadio memoratum, et *Explanationis Symboli* auctorem, non esse Niceam seu Nicetam illum Dacum sancti Paulini Nolani episcopi amicum, ejusdemque laudibus celebratum; quæ est hujus tertii capitis propositio, quam adversus opinionem clarissimi Zabei sustinendam suscepi : nam Nicetas ille Dacus Paulini Nolani amicus ejusdemque laudibus celebratus, procul dubio anterior fuit Eutychiano errore, qui nonnisi Niceta Daco jam pridem vita functo primum erupit. Ab Eutychiano itaque errore descendendum nunc est ad hujus Nicetæ Daci Paulino Nolano amicitia conjuncti diligenter inquirendam ætatem; quod ab initio capitis hujus secundo loco mihi erat propositum, et quod unum restat ad rem conficiendam de qua modo agimus.

Nicetas itaque Dacus amplius in vivis non erat cum Eutychiana hæresis ortum habuit. Hæresis namque hæc ab Eutyche archimandrita, et jam sene, uti patet ex pluribus locis Epistolarum sancti Leonis Magni, ortum in Oriente habuit circa annum Domini 448. Eodem enim anno in consessu episcoporum et abbatum habito Constantinopoli ab illius regiæ urbis episcopo Flaviano, Eutyches primum accusatus fuit novi illius dogmatis, quod ipse per monasteria libro edito disseminabat, ab Eusebio Dorylæi episcopo, illius antea amico, a quo etiam frustra monitus fuerat; **35** et Eutyches erroris convictus, et in errore contumax damnatus fuit, ac sacerdotii honore privatus. Anno insequenti 449, sanctus Leo papa celebrem illam ad Flavianum epistolam dedit contra Eutychianum errorem, qua tam perspicue catholicum dogma de incarnatione Domini, et de duabus in Christo naturis ostendit, et errorem ipsum Eutychetis tam strenue profligavit. Anno demum 451, celebratum fuit Chalcedonense concilium œcumenicum, in quo, rescissis omnibus quæ in latrocinio Ephesino per violentiam et fraudem ab Eutychetis asseclis ac patronis acta fuerant, epistola illa sancti Leonis papæ ad Flavianum, jam per universum orbem diffusa, et undique venerabiliter accepta, ac veluti Symbolum fidei habita contra Eutychianum errorem, quasi ex ipsius *Petri ore prolata* a Patribus acclamata fuit.

De Nicetæ Daci emortuali anno nihil quidem exploratum habemus : sed Nicetas Dacus procul dubio floruit ætate Paulini Nolani, cujus etiam amicissimus erat, et ad quem invisendum e Dacia Nolam se bis contulerat, ut ex ejusdem Paulini scriptis constat. Porro Paulinus Nolanus ad superos evolavit anno 431, ætatis suæ 78, cum presbyter Nolæ fuisset ante episcopatum plures annos, et ad episcopalem eam sedem assumptus esset anno circiter 409, uti ab eruditis ejus Operum editoribus observatum fuit. Nicetam hunc Dacum natu Paulino majorem fuisse, ex pluribus Paulini ipsius de eodem locutionibus non immerito conjicimus. Siquidem et *parentem* eum, et *magistrum* passim appellat, et se non modo præ humilitate *pauperem* et *insipientem*, sed etiam illius respectu *parvulum*, poemate XXVI de sancto Felice, Natal. 9, quod edidit in secundo Nicetæ adventu Nolam circa annum 402, cum Paulinus tunc ageret ætatis annum circiter 49. Idipsum vero alia sunt quæ luculentius adhuc evincunt.

Ante annos quatuor, nimirum anno 398, primum Nolam advenerat Nicetas, cum Paulinus annum ageret 45. Exstat Paulini poema, num. 17, ad Nicetam redeuntem in Daciam, de quo superiore capite plura; quod ad reditum, ex primo ejus adventu, non ex secundo, eruditi spectare censent. In hoc poemate persequitur Paulinus fusiori stylo Nicetæ laudes, quæ in eo maxime sitæ erant, quod Bessorum gentes, et Getas, et Scythas, et utramque Daciam, Ripensem scilicet atque Mediterraneam, ipse primus ad caulas Domini adduxisset, quodque illarum gentium efferatarum mores ad mite Christianorum ingenium convertisset. Præstat jam ipsum audire.

O quibus jam tunc resonabit illa
Gaudiis tellus, ubi tu rigentes
Edoces Christo fera colla miti
Subdere gentes!
Quaque Riphæis Boreas in oris
Alligat densis fluvios pruinis,
Hic gelu mentes rigidas superno
Igne resolvis.
Nam simul terris animisque duri
Et sua Bessi nive duriores,
Nunc oves facti duce te gregantur
Pacis in aulam.
Quasque cervices dare servituti
Semper a bello indomiti negarunt,
Nunc jugo veri Domini subactas
Sternere gaudent...
O vices rerum! bene versa forma!
Invii montes prius, et cruenti,
Nunc tegunt versos monachis latrones
Pacis alumnos ....
Mos ubi quondam fuerat ferarum,
Nunc ibi ritus viget angelorum :
Et latet justus, quibus ipse latro
Vixit in antris...

Euge, Niceta, bone serve Christi
Qui tibi donat lapides in astra
Vertere, et vivis sacra templa saxis
Ædificare...
Te patrem dicit plaga tota Borræ;
36 Ad tuos fatus Scytha mitigatur,
Et sui discors fera te magistro
Pectora ponit.
Et Getæ currunt, et uterque Dacus:
Qui colit terræ medio, vel ille
Divitis multo bove pileatus
Accola ripæ...
Orbis in muta regione per te
Barbari discunt resonare Christum
Corde Romano, placidamque casti
Vivere pacem.
Sic tuo mitis lupus est ovili,
Pascitur concors vitulus leoni,
Parvus extracto trucibus cavernis
Aspide ludit.

Patet ex his quanti meriti vir fuerit Nicetas ille Dacus, de quo tanta canit hic Paulinus. Patet insuper quanta jam tunc, anno scilicet 598, cum Paulinus annum ageret 45, præstiterit Nicetas regionibus illis, quæ ipsius cura a barbarie revocatæ, adeo in Christiana institutione ac cultu profecerant, ut nihil pene aliis jamdiu excultis Christianorum regionibus inviderent. Si ibi *monachorum* cœtus *in montibus*, si solitariorum cellulæ *in antris*, si ubique *ritus angelorum;* profecto jam ubique tunc temporis constituta censenda est Christiana religio per Nicetæ apostolatum in Dacia Barbara trans Danubium posita, et jam ubique sacræ ædes ædificatæ, ubique sacerdotes atque ministri illius opera ibidem instituti; adeo ut absque ullo novi illius gregis detrimento potuerit ipse longam suscipere peregrinationem, eamque non multo post aggredi iterato, ut Paulinum inviseret, et sancti Felicis Nolani sepulcrum veneraretur. Ad hæc vero, et quidem tam magna, obtinenda in regionibus illis, et terrarum amplitudine, et populorum frequentia, et climatis asperitate, et morum feritate, et locorum insuetudine difficillimis, quis non videt maximam jam tunc suæ vitæ partem impendere Nicetam debuisse? Tunc igitur cum Paulinus in primo Nicetæ adventu quadragesimum quintum annum agebat, recte conjicimus natu majorem Nicetam ipsum fuisse, qui tantis jam inclaruerat apostolatus meritis apud barbaras illas gentes.

Et Paulinus quidem ipse innuit non obscure in eodem carmine majorem hospitis et amici sui ætatem, cum illum, pro tot laboribus ac meritis, ad cœlestis regni mercedem poetico more veluti comitatus, eumdem ponit, spectato haud dubie ordinario vitæ cursu, morte seipsum præcessurum, indeque sibi opem a Deo precaturum, illius intuitu amicitiæ, quæ nulla vi rumpi valet. Ita namque pergit:

Has opes condens Domino perenni,
His sacrum lucris cumulans talentum,
Audies, Intra Domini perennis
Gaudia lætus.
His, precor, cum te domus alma sancto
Ceperit fratrum numerosa cœtu
In choris, et nos pietate chari
Pectoris abde.
Nam Deo grates, quod amore tanto
Nos tibi adstrinxit per operta vincla,
Vis ut internam valeat catenam
Rumpere nulla.

Cum igitur Paulinus Nolanus obierit, uti supra innuimus, anno 431, et duobus annis octuagenario minor, non levi sane conjectura inferimus ex dictis, saltem decennio ante, nimirum circa annum Christi 420, ad superos evocatum fuisse Nicetam Dacum; etiamsi demus ad octuagenariam ipsum pervenisse ætatem, quæ tamen non ita facile admittenda videtur in apostolico viro tantarum gentium patre, innumerisque laboribus, necnon et longis itineribus verosimiliter fracto. Porro cum ætas Nicetæ Daci non sese protenderit ultra annum 420, cum nempe Eutychiana hæresis ab ortu suo triginta prope annis adhuc distaret; cumque Eutychiana hæresis, a Nicea seu Niceta episcopo civitatis Romatianæ a Gennadio memorato, in *Symboli Explanatione* tam aperte, uti vidimus, innuatur, immo etiam **37** impugnetur; necnon et iisdem sensibus ac momentis, quin etiam ipsis pene verbis impugnetur, quibus a divo Leone Magno tanta auctoritatis et eloquentiæ vi impugnata ac penitus prostrata fuit in sua ad Flavianum epistola, quæ ad annum spectat 449, quibusque etiam eadem et sequenti ætate communiter impetebatur ab Ecclesiæ præsulibus, penes quos Leonis epistola ceu fidei regula venerabiliter habebatur; hinc propterea (confidenter dicam) liquet, Nicetam Dacum minime auctorem esse opusculi *Explanationis Symboli ad competentes*, ac proinde Romatianæ civitatis episcopum Niceam seu Nicetam a Gennadio memoratum, non esse Niceam seu Nicetam illum Dacum sancti Paulini Nolani episcopi amicum, ejusdemque laudibus celebratum; quæ erat hujus tertii capitis propositio.

Unam hic tamen et alteram, antequam progrediamur, prævenire difficultatem juvat, quæ objici possent, quæque alicujus fortasse momenti adversus hactenus dicta cuipiam videantur. Esto itaque prima. Sint quidem veluti paralleli, dixerit aliquis, allati duo textus ex sancto Leone Magno, atque ex beato Niceta, unde propositioni nostræ pondus ac robur; ita ut e duobus hisce scriptoribus alter ab altero sensus acceperit atque momenta, necnon et verba ipsa ad impugnandum errorem, contra quem ambo dimicabant; quis tamen certos nos reddit beatum Nicetam ex epistola sancti Leonis Magni ad Flavianum hausisse quæ scripsit in sua *Symboli Explanatione*, capite 4, adversus *erroneos* illos *hæreticos* quos appellat, uti nos probare conati sumus; et non potius sanctum ipsum Leonem Magnum sensus suos sumpsisse ex præexistenti opusculo beati Nicetæ; qui propterea, et reapse fuerit episcopus ille Dacus sancti Paulini Nolani amicus eodemque etiam ætate provectior, et idcirco non Eutychen, sed veteres Eutychetis antecessores atque magistros, uti fert sententia clarissimi Zabei, ipse exagitaverit verbis illis e *Symboli Explanatione* relatis; quibus postea sanctus Leo satis accommode usus fuerit ad eumdem veterum hæreticorum confodiendum errorem, ætate sua in Eutyche redivivum? Huic tamen difficultati non incongrue occurram, si dicam primo certum esse sanctum Leonem Magnum Eutychetis errorem, impugnasse in sua ad Flavianum epistola; et certum pariter esse Nicetæ nostri sensus, momenta, ac verba prope ipsa penitus convenire cum divi Leonis sensibus, momentis, ac pene etiam verbis, tum in illa epistola, tum in aliis locis, ubi Eutychianum errorem exponit, et ubi eumdem convellit, uti jam fusius ostensum fuit. Nullum itaque dubium, et Nicetam eumdem cum divo Leone respexisse Eutychianum errorem, quem tam perfecte cum illo exprimit atque convellit; ac propterea non divum Leonem ex Niceta, sed Nicetam sumpsisse quæ scripsit ex divo Leone, qui omnium primus in Occidente Eutychianum errorem, statim ab ortu illius ex Eutyche jam sene, impetivit atque confodit. Dicam secundo, non ita facile existimandum esse divum Leonem veluti ad verbum mutuatum fuisse ex alienis lucubrationibus, quæ ipse in illa sua ad Flavianum epistola exararet; non enim alibi in aliis divi Leonis scriptis exemplum hujusmodi invenitur. E contrario vero Nicetam, quisquis interim ille fuerit post illum Dacum de quo egimus, optime sibi et materiæ quam tractabat consuluisse, si dicamus ex epistola Romani pontificis ad Flavianum pene ad verbum sumpsisse quæ tulit ad impugnandum errorem, quem competentes suos præcavere docebat: ea enim erat epistola quæ in toto Christiano orbe notissima esset atque celebratissima et in Ecclesia universa veluti fidei regula haberetur in tradendo **38** incarnationis mysterio, uti jam vidimus.

Præterea maluerit fortasse sanctus Leo et sensibus et momentis, et iisdem etiam pene verbis uti, quibus anterior scriptor usus fuisset, ad dogma confirmandum quod in sua illa epistola defendebat; numquid scriptoris hujus nomen sanctus pontifex siluisset? Minime sane; sua enim intererat Christiano orbi ostendere Patrum doctrinam eam esse quam ipse de incarnationis mysterio in illa epistola tradebat, et a Patrum traditione longe abhorrere Eutychetis figmentum quod ibidem confutabat; ideoque ejus erat indicare nomina eorum, quorum doctrinam ac verba pene ipsa referebat. Siluerit tamen in illius epistolæ textu Nicetæ nomen sanctus pontifex, ne solius Nicetæ mentionem faceret in re de qua erat aut plurium meminisse, ut traditio appareret, aut certe nullius; numquid in syllabo testimoniorum, quem sanctus ipse pontifex post conciliabulum Ephesinum et ante Chalcedonense concilium per legatos in Orientem misit, ut doctrinam suæ ad Flavianum epistolæ Latinorum ac Græcorum Patrum doctrinæ cohærentem ostenderet; quemque postea auctiorem ad Leonem etiam Augustum transmisit cum sua peculiari epistola ad ipsum data, quæ est ordine 165, ne fides catholica in eodem Chalcedonensi firmata, Marciano imperatore ac fidei defensore defuncto, ex novis hæreticorum molitionibus periculum pateretur: numquid, inquam, in hoc syllabo omisisset Nicetæ textum tam præclarum tamque perspicuum, immo omnibus aliis aperte dixerim, clariorem, inserere, ut traditionem Patrum ostenderet, si vere in illa ad Flavianum epistola hoc Nicetæ textu profecisset? Adeantur testimonia illa Patrum quæ sanctus pontifex collegit, quæque in editionibus conciliorum legi possunt actione secunda concilii Chalcedonensis post epistolam ad Flavianum, necnon etiam fusiora post aliam jam citatam ad Leonem Augustum epistolam in editione Operum sancti pontificis fratrum Ballerinorum; quorum etiam super hisce testimoniis legi possunt admonitiones præviæ ad hanc eamdem epistolam, atque ad præcedentem 28, ad Flavianum. In hac porro Testimoniorum serie, multa ex Hilario, Ambrosio, Augustino inter Latinos; multa etiam ex Athanasio, Chrysostomo, Nazianzeno, Basilio, Theophilo atque Cyrillo Alexandrinis inter Græcos Patres collecta videbimus a sancto pontifice, atque eo fine collecta, ut omnibus esset perspectum *venerabilium Patrum prædicationibus nos concordare, et non aliud nos prædicare quam quod sancti Patres nostri toto orbe docuerunt, nec quemquam ab illis, nisi solos impios hæreticos, discrepare;* uti in eadem ad Leonem Augustum epistola, capite 10, idem sanctus pontifex profitebatur. Testimonium profecto Nicetæ nostri inter hæc testimonia Patrum minime omisisset sanctus Leo, si tunc hoc quoque testimonium exstitisset, multoque minus si ipse eodem in sua ad Flavianum epistola usus fuisset. Non itaque sanctus Leo ex opusculo vetustiori sancti Nicetæ, atque ex illius dictis quæ essent contra Eutychetis antecessores atque magistros; sed sanctus Nicetas ex epistola sancti Leonis, et sensus et momenta, et pene etiam verba sumpsit ad eumdem quem sanctus Leo Eutychetis ipsius convellendum errorem. Ipse propterea sanctus pontifex, qui nihil omnino Nicetæ nostri retulit in testimoniis Patrum quæ collegit ad propriæ doctrinæ confirmationem; ipse est qui vere *certos nos reddit*, et nihil se ex Niceta Dacorum episcopo sanctique Paulini Nolani amico sumpsisse in epistola ad Flavianum, et Nicetam potius alium Daco posteriorem ex illa sua epistola profecisse, ut dogma **39** catholicum suismet sensibus ac pene verbis tutissime traderet invictissimeque defenderet.

Neque aliquis addat fortasse, debuisse saltem Nicetam divi Leonis epistolæ mentionem facere in *Explanatione* sua, si vere ex eadem epistola sumpsisset quæ dixit adversus illos, quos ipse appellat *erroneos hæreticos*. *Symboli* namque *Explanatio* beati nostri Nicetæ *ad competentes*, ejus est indolis concio, A tum ex natura sua, tum ratione auditorum competentium quibus habita fuit, quæ simplicem doctrinæ expositionem ac etiam illustrationem admittat, juxta ordinem articulorum quibus Symbolum constat, quin ulla debuerit alicujus operis seu nominis allegatione infarciri, excepto codice sacrarum litterarum, cujus Symbolum apostolorum in præcipuis fidei rebus quoddam est veluti breviarium, ut Patres omnes loquuntur, et ex communi sensu Patrum ipse quoque Nicetas *Explanationis* ejusdem capite 15. Non oportebat itaque competentium mentem quodammodo fatigare alicujus nominis seu lucubrationis indicatione, quibus sat erat divina oracula simpliciter intelligere, et Evangelii in hanc rem testimonia, ut catholicam veritatem assequerentur, sequemetipsos ab hæreticorum insidiis tutos redderent. Quoad alios vero qui Nicetæ *Explanationem* lecturi essent, quid opus erat indicatione hujus loci ex epistola divi papæ Leonis ad Flavianum, si, ut dictum fuit, epistola hæc orbem universum pervagata, ut regula fidei apud ca- B tholicos omnes habebatur, et in omnium ore tunc temporis posita erat? Semetipsos igitur satis se prodebant apud catholicos divi Leonis sensus ex epistola ad Flavianum, ubicumque enuntiarentur, quin esset necesse auctorem proprio nomine indicare. Accedit, quod tota divi Leonis papæ ex epistola ad Flavianum illius loci auctoritas, tota ex Evangelicæ historiæ factis ac textibus constat, quæ ab eo afferuntur, et conferuntur simul, ad duplicem in Christo naturam astruendam, et ad diversas distinguendas in eodem pro utriusque naturæ differentia operationes. Minus igitur necesse erat ut divi Leonis mentio fieret apud Nicetam, quando non tam divi Leonis auctoritas, quam auctoritas evangelica a divo Leone prolata, et a Niceta in suum sermonem assumpta rem contra Eutychen conficiebat. Demum sanctus ipse Leo, qui contra Eutychetis blasphemias celebrem illam ad Flavianum epistolam concinnavit, quique superiorum Patrum fidem in eadem se prædicare gloriabatur, C quemnam ex Patribus ibidem peculiariter nominavit, licet eorum testimonia a se data opera collecta, publicique juris facta ut jam vidimus, præ oculis haberet, et licet ex eorum sensibus, eorumque ex Evangelio petitis argumentis in eadem epistola proculdubio profecisset?

Sed jam ad alteram difficultatem gradum faciamus oportet, quæ majoris fortasse ponderis alicui videatur. Si vere Nicetas, inquiet quispiam, in *Symboli Explanatione*, capite 4 habuit statutum animo errorem Eutychetis impugnare, eumque ac illius asseclas indicare per verba illa, *erroneos hæreticos*, cur Eutychen ipsum, et Eutychianos numquam nomine proprio appellavit? Quinimmo cum capite *Explanationis* 10 variorum hæreticorum Pseudoecclesias a Christiano viro fugiendas nominaverit, videlicet Manichæorum, Cataphrygarum, Marcionistarum; cur Pseudoecclesiam Eutychianorum siluit omnino, quæ profecto tunc maxime temporis expresse nominari debuisset, ut ab hac præsertim competentes Christiani facti caverent, D neve se sinerent ab Eutychetis asseclis decipi, qui virus suum sub specie pietatis effundere conabantur, etiam post ictum supremum quo **40** in Chalcedonensi concilio perculsi fuerunt? Verum ad primum; quid mirum, si Eutychen Nicetas atque Eutychianos in *Explanationis* suæ capite 4 proprio nomine non indicaverit, dum eorum impugnaret errorem? De errore nimirum res erat, non de erroris auctore, neque de asseclis ejus, nimium tunc temporis notis ob excitatas eorum erroris causa in Ecclesia turbas. Cum porro recens erupisset hic error, et Eutychetis nomen jam undique esset compertum, certe necesse non erat ut Nicetas competentibus nomen enuntiaret auctoris erroris quod jam ipso indicato errore sese prodebat. De aliis quoque anterioribus Eutychiano erroribus sermonem habuit Nicetas in *Explanatione* sua, uti, exempli gratia, de errore Arianorum contra Filium Dei, ac de errore Macedonianorum contra Spiritum

sanctum, capite 9, ubi ita aiebat : « Si quis hæreticus sub nomine Christiano aut Christum tibi creaturam tradit, aut Spiritum sanctum alienum esse a Patris et Filii gloria persuadet, sit tibi tamquam ethnicus et publicanus, quia te ad idololatriam deducit, cum creaturam colere persuadet. » Ubinam vero aut Arium aut Macedonium, aut Arianos aut Macedonianos, vel hic vel alibi Nicetas in *Explanatione* sua nominavit ? Non est ergo cur jure dicamus Eutychianum errorem non respexisse Nicetam capite 4 *Explanationis*, quia neque Eutychen, neque Eutychianos proprio nomine indicavit.

Sed cur saltem Eutychianorum Pseudoecclesiam non nominavit capite 10, ubi aliarum trium Pseudoecclesiarum expressam fecit mentionem? Facilis est responsio ad hanc quoque alterius difficultatis partem. Sancti enim Leonis Magni ævo, ac similiter Nicetæ nostri Aquileiensis ætate, nondum peculiares societates et Ecclesias a Catholicis distinctas sibi constituerant Eutychetis discipuli; sed hac illac dispersi in catholicis ipsis Ecclesiis, et inter catholicos viventes, errorem suum diffundebant, et catholici semper videri volebant. Non erat igitur cur Nicetas, sicuti commemorabat Pseudoecclesias Manichæorum, Cataphrygarum, Marcionistarum, hæreticorum veterum qui jamdiu a catholica societate defecerant : ita commemoraret etiam Pseudoecclesiam Eutychianorum, qui recens exorti nondum coaluerant in peculiarem sectam a Catholico grege distinctam, et peculiaribus sacris addictam. Sanctus vero ipse Leo hanc nobis suppeditat responsionem in epistola 157, quam anno 457 scripsit ad Anatolium episcopum Constantinopolitanum, in cujus clero aliquis erat, et quidem presbyter nomine Atticus, qui Eutychetis doctrinam sectabatur atque docebat. « Jampridem, inquit, dilectioni tuæ scripsisse me recolo, ut in clero Ecclesiæ tuæ nullum Eutychianæ hæresi consentire patiaris : quoniam capitis periculum respicit, si quid saucium inveniatur in membris. Sed cum hoc nulla adhuc correctione purgatum sit, et Atticum presbyterum tuum ad eam insolentiam profecisse cognoscam, ut in Ecclesia contra catholicam fidem et Chalcedonensem synodum audeat disputare; cogor vehementius de tua dissimulatione causari.... Et ideo acrius moneo, neque amplius dissimulandum esse protestor, si hominem pestilentem ulterius in tua habendum communione credideris; quem nos, si fieri potest emendari malumus quam perire : ut scilicet si correctum se videri cupit et in societate ecclesiastica permanere, de eo loco, unde contra catholicam Fidem multa disseruit, aperte tunc ipsius fidei prædicator appareat, et nihil Eutychiani dogmatis prætermittat, quod non manifestatione suæ professionis Christiano populo audiente condemnet : ne, ut dixi, plurimum **41** dissimulatio ista te maculet, si vel hic tam noxius, vel Andreas impietatis ipsius socius, nec correcti fuerint, nec repulsi. » Commixti igitur eo tempore adhuc erant Eutychiani catholicis, nec alteram illi peculiarem Ecclesiam seu societatem constituebant, a qua abhorrere catholici debuissent, et a qua abhorrere competentes suos post acceptum baptisma Nicetas noster doceret. Si hæc peculiaris Eutychianorum societas et Pseudoecclesia tunc temporis jam exstitisset, non erat cur Atticus presbyter ad clerum Constantinopolitanum pertineret, sed ipse cum Andrea illius socio jam ivisset ad suorum Pseudoecclesiam seu societatem, et sacra habuisset seorsim a catholicis; unde, veluti de eo qui foris esset, non erat cur Anatolius episcopus a divo Leone, ipsius causa, dissimulationis argueretur. Si hæc autem peculiaris Eutychianorum societas seu Pseudoecclesia locum non habebat in Orientis partibus, neque in Constantinopolitana urbe, unde Eutychianus error erupit, minus obtinebat in Occidente proculdubio, et in Italiæ regionibus; ideoque minus etiam erat, quod de hac hæreticorum societate, veluti de Pseudoecclesia, meminisse debuerit Nicetas Aquileiensis. Addendum vero, quod idem sanctus Leo, sequenti etiam anno 458, in epistola 161, ad presbyteros, diaconos et clericos ejusdem Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ita scribebat : « Nullum sinatis vobis Nestoriana vel Eutychiana infectum perversitate sociari. » Conabantur itaque cum catholicis societatem habere; ideoque nullam hactenus ex semetipsis societatem seu Pseudoecclesiam constituebant. Ubi etiam animadvertamus oportet, quod non solum Eutychiani recens exorti, sed neque Nestoriani qui eos viginti circiter annos præcesserant, adhuc erant tunc temporis ita societate copulati, et a catholica Ecclesia communione peculiari distincti, ut Ecclesiam quamdam seu Pseudoecclesiam facerent a catholica ipsa diversam, a qua propterea admonendi essent fideles ut sibi caverent.

Et re quidem vera, aut nulli, aut ferme nulli hæreticorum, qui Ecclesiam lacesserunt atque turbarunt erroribus suis, scissionem ab eadem fecere, aut ab ipso suorum errorum exordio, aut prima, ut ita dicam, eorum insurrectionis ætate, ut Ecclesiam sibi peculiarem conderent a catholica separatam; etiamsi per anathematis sententiam seu in provincialibus seu in generalibus conciliis latam, a catholicorum fidelium communione et ab ingressu sacrarum ædium arcerentur. Horruere siquidem semper hæretici homines, veluti absolutam impietatis suæ condemnationem, hanc alterius cœtus a catholica communione distincti erectionem, et nullum interea non moverunt lapidem ut latæ contra eos sententiæ aut reformarentur aut revocarentur : nec nisi demum, obfirmata temporis lapsu impietate, omnique amisso pudore et accedente etiam, ut plurimum, regiæ deceptæ auctoritatis influxu, eo devenerunt, ut secessionem aperte a catholicis facerent, ut ad sacra separatim coirent, et ut aliam veluti Ecclesiam constituerent in similitudinem illius a qua ipsi defecerant. Sit pro omnibus in exemplum Arianæ hæreseos et Arianæ Pseudoecclesiæ historia. Ab ortu hujus pestis omnium teterrimæ usque ad Nicænam synodum, et a Nicæna synodo usque ad concilium Sardicense quod anno 347 celebratum fuit, Ariani numquam inter se peculiarem quamdam conflaverant Pseudoecclesiam a catholica separatam : quinimmo cum catholicis unionem semper affectarunt, subdola erroris sui in catholicum sensum expositione, pluribusque fidei captiosis professionibus factis in simpliciuni deceptionem, ut omnibus notum est. Hinc piissimus ille Constantinus **42** Augustus, qui adversus omnes hæreticorum atque schismaticorum sectas legem tulit, ut apud Eusebium Vitæ Constantini libro III, cap. 64 et seqq., mentionem quidem facit Novatianorum, Valentinianorum, Marcionitarum, Paulinianistarum et Cataphrygarum, qui tunc erant fortasse præcipui qui in Oriente adversus catholicam Ecclesiam grassarentur : at nullam omnino Arianorum mentionem habet; et hoc non alia certe de causa, nisi quia Ariani homines, quamvis jam tunc et numero et audacia et auctoritate valerent, catholicas nihilominus sacras ædes adibant, catholicam prætendentes unitatem ac simulantes fidem, cavebantque quammaxime societatem quamdam constituere quæ a damnato auctore erroris eorum nomen haberet, ut monet etiam Sozomenus Hist. Eccles. libro II cap. 32. Hinc sanctus quoque Julius papa, qui circa annum 341 scripsit ad episcopos Orientales Eusebianæ factionis, ut apud sanctum Athanasium Apologiæ contra Arianos num. 21, eos in epistola sua veluti fratres habet, ac veluti membra catholicæ communionis alloquitur : quod indicio est, ipso teste Socrate Hist. Eccles. libro II cap. 18, neque tunc Arianos Ecclesiam sibi aliam a catholica separatam adhuc instituisse. Propterea, uti idem Socrates ibidem, cap. 22 et Sozomenus, lib. III cap. 13, post concilium tantummodo Sardicense, et post conciliabulum Philippopolis, id est post annum 347, Arianos inter et catholicos aperta separatio facta fuit, unde Pseudoecclesia Arianorum ortum habuit, quæ tam late in Oriente patuit, favore præsertim duorum Augustorum Constantii et Valentis,

quæque etiam in Occidentis partibus plurimum diuque valuit, opera maxime Barbarorum, qui post lapsum Romani imperii hac infecti doctrina rerum in Occidente potiti fuerunt. Prima fortasse peculiarium sacrarum ædium mentio, ubi Ariani separatim a catholicis convenirent, habetur in Ecclesiastica Historia, apud Socratem, lib. II, cap. 23; apud Sozomenum, libro III, cap. 20; et apud Theodoretum, libro II, cap. 12, ubi Constantius imperator Magno Athanasio ab exsilio ad sedem suam Alexandrinam revertenti, anno 349, opera Constantis qui pro illo apud fratrem intercesserat, unam ex sacris ædibus quæ Alexandriæ erant, petiit pro Arianis suis, ubi sacros eorum conventus seorsim a catholicis haberent; quod tamen mira Athanasii dexteritate non cessit illi pro voto. Nullius igitur est momenti adversus ea quæ attulimus de Eutychiano errore a Niceta nostro in sua *Symboli Explanatione* indicato atque impugnato, capite 4, animadversio illa qua quis opponeret eumdem nihil dixisse de Eutychianorum Pseudoecclesia, capite 10, ubi alias aliorum hæreticorum Pseudoecclesias nominavit. Jam nunc ad reliqua pergamus.

AD CAPUT TERTIUM AUCTARIUM.

Romatianæ civitatis episcopum Niceam seu Nicetam a Gennadio memoratum, non esse Niceam seu Nicetam illum Dacum sancti Paulini Nolani episcopi amicum ejusdemque laudibus celebratum, hactenus ostendimus ex Eutychiano errore, quem Niceas seu Nicetas auctor opusculi *de Symbolo ad competentes* in hac sua lucubratione, ad sensum divi Leonis Magni, aliorumque illius ac consequentis ætatis, peculiari sermone exagitat; quemque Nicetas ille Dacus triginta prope annis vita functus ante ortum Eutychiani **43** erroris eo prorsus modo exagitare non poterat. Rem inde confectam quidem ita arbitramur, ut nullo indigeat alterius probationis adminiculo. Nihilominus quoniam et alia sese offerunt, quæ juxta criticorum placita maxime faciunt ad veritatem assequendam, ubi de auctoribus homonymis quæstio est, eorumque Operibus, cujus nempe hæc aut alia sint; nonnihil et hic immorandum, ne quidquam omittamus ex iis quæ rem non modo magis magisque confirmare, sed etiam illustrare valeant. Quæ hactenus dicta sunt, tempus respiciunt quo Nicetas ille Dacus floruit, ut omnino esse non possit idem ac Nicetas Romatianæ civitatis episcopus, quem constat ea tradidisse in sua *Symboli Explanatione* quæ ad ætatem Nicetæ Daci minime pertinebant. Quæ nunc adjicienda veniunt, ad locum spectant in quo Nicetas ille Dacus episcopatum gessit; ita ut quædam in Nicetæ Romatiani dictis deprehendantur, quæ Nicetæ Daco sancti Paulini Nolani amico, ac Dacicis gentibus trans Danubium positis, ubi Nicetam hunc episcopatum gessisse ostendimus, haudquaquam convenirent. Ea vero quæ hic in medium afferenda sunt, non modo ex *Symboli Explanatione* eruimus, sed etiam ex uno fragmentorum Vindobonensis codicis quæ damus post opuscula; ex quo etiam nonnulla alia afferemus, quæ argumentum nostrum ex loco sumptum validius confirmabunt, ac viam sternent ad ea quæ sequenti capite quarto dicturi sumus, ubi Niceam seu Nicetam Romatianæ civitatis episcopum aperte Niceam seu Nicetam esse probabimus episcopum Aquileiensem.

Niceas seu Nicetas Romatianæ civitatis episcopus in *Explanatione Symboli ad competentes*, capite 1, hæc habet: « Qui credit in Christo.... abrenuntiat inimico, et angelis ejus.... Deinde et operibus ejus malis, et culturæ, idolis, sortibus, et auguriis, *pompis*, et *theatris*, fornicationibus, et ebrietatibus, choris, atque mendaciis. » In tertio vero *Fragmentorum* hæc alia consimilia habet, sed aliquanto fusius explicata: « Non enim ante ad confessionem venitur, nisi prius fuerit diabolo renuntiatum.... Ideo oportet prius repudium dare diabolicæ vanitati.... Deinde abrenuntiat et operibus ejus malignis, id est culturis et idolis, sortibus et auguriis, *pompis* et *theatris*, furtis et fraudibus, homicidiis et fornicationibus, superbiæ et jactantiæ, iræ et avaritiæ, comessationibus et ebriositatibus, choris atque mendaciis, et his similibus malis. » Hæc sanctus Nicetas aiebat, fideles suos commonefaciens quid sibi vellet, et quam late pateret abrenuntiatio illa, quæ ex vetustissimo Ecclesiæ more exigitur ab iis qui in Ecclesiæ sinum recipi cupiunt per baptismum, et qui proxime fidei professionem emissuri sunt antequam salutaribus undis abluantur. Ubi nemo non videt sanctum antistitem in utroque loco non simplicem Ecclesiæ formulam recitare, qua abrenuntiatio exigebatur a baptismum petentibus, sed explicationem potius illius formulæ exhibere; ut intelligerent ejus vim ad omnem vitæ cultum pertinere, et sub unius vocis forma, *operum* nempe *diaboli*, omnia Christiano nomini adversantia contineri.

Eadem quidem erat priscis Ecclesiæ sæculis abrenuntiationis in universa Ecclesia consuetudo, sed non eadem et ipsissima ubique formula, id est non eisdem ubique verbis concepta. Clarissimus Josephus Vicecomes, qui in eruditissimo suo opere De antiquis baptismi Ritibus ac Cæremoniis, libro II, capite 20, de renuntiationis formis agit, et veterem renuntiationis formam cum nostra convenisse ostendit, multa affert ex Ecclesiæ Patribus, in quibus licet idem ubique abrenuntiationis sensus, non **44** eadem tamen ubique verba apparent. Idem præstitit, et ad eumdem scopum, etiam Josephus Catalanus in suis Commentariis ad Rituale Romanum, tomo I, tit. 2, cap. 2, § 13, diaboli *pompæ*, quibus renuntiandum erat, in veteribus formulis abrenuntiationum, licet non semper et ubique, frequentissime nihilominus exprimuntur: et dubium nullum est, abrenuntiationem hanc originem duxisse ab illa veri nominis *pompa*, quæ, vigente in Romano imperio idolorum cultu, circensium partem maximam, immo præcipuam constituebat. De hac Tertullianus in libro de Spectaculis, capite 7: « Sed circensium paulo pompatior suggestus; quibus proprie hoc nomen, *pompa*, præcedit. » Quænam vero hæc fuerit, ita prosequitur: « Illa quorum sit, in semetipsa probat de simulacrorum serie, de imaginum agmine, de curribus, de thensis, de armamaxis, de sedibus, de coronis, de exuviis, quanta sacrificia præcedant, intercedant, succedant, quot collegia, quot sacerdotia, quot officia moveantur, sciunt homines illius urbis, in qua dæmoniorum conventus consedit. » Constat itaque *pompam* vere ac proprie antiquitus fuisse simulacrorum illam solemnem deductionem, quæ honoris causa per publicas Urbis vias ad circum usque habebatur, antequam circenses ludi ederentur; uti etiam late ostendit Onuphrius Panvinius, de Ludis Circensibus libro II, capite 2. Hinc primis illis Ecclesiæ sæculis, in quibus idolorum cultus dominabatur, nihil solemnius in Christiana initiatione, quam ad renuntiationem diaboli, angelorum ejus, atque operum, *pompam* etiam addere, quæ vere ac proprie simulacrorum gestationem exprimeret in circensibus fieri solitam, unde maxima gentilium numinibus religio accedebat. De hac itaque circensium *pompa*, in renuntiatione prævia ad baptismum, proculdubio intelligendus Origenes, homilia 10 in librum Numerorum, ubi hæc habet: « Recordetur unusquisque fidelium, cum primum venit ad aquas baptismi, cum signacula prima suscepit, et ad fontem salutaris accessit, quibus ibi tunc usus sit verbis, et quid denuntiaverit diabolo, hoc est, se non usurum *pompis* ejus, neque operibus ejus. » De hac ipsa circensium *pompa* intelligendus etiam Tertullianus, qui in libro de Corona Militis, cap. 3, ita aiebat: « Aquam adituri, ibidem, sed et aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo, et *Pompæ*, et angelis ejus. » Et in libro de Spectaculis, capite 4: « Cum aquam ingressi Christianam fidem in legis suæ verba profitemur, renuntiasse nos diabolo, et *pompæ*, et angelis ejus, ore nostro contestamur. »

Pompa tamen in circensibus desiit post initium sæculi quarti, uti prælaudatus Panvinius animadvertit in citato de Circensibus libro II, capite vero 18 : « Nam Christianorum sacris, inquit, initiatus (Constantinus), antiquam superstitionem, quæ hac supplicationum *pompa* maxime conservabatur, quantum potuit, et temporum illa conditio tulit, circa annum Christi 325 labefactavit. » Renuntiatio nihilominus *pompæ* seu *pompis* diaboli in Christianorum initiatione perduravit. Quid vero per diaboli *pompam* intelligebatur, si amplius in circensibus *pompæ* proprie dictæ usus non erat? Omissa nempe in circensibus *pompa*, hoc est simulacrorum gestatione, omnis reliquus circensium apparatus ac cultus diu postea, etiam sub Christianis principibus, quamvis invita religione, perduravit; cujusmodi erant naumachia, equestres atque pedestres pugnæ, venationes cum feris, quadrigarum equorumque cursus, et alia hujusmodi : et *pompæ* seu *pomparum* **45** diaboli nomine, quibus ad baptismum accessuri renuntiabant, hæc ludicra veniebant; quæ partim vanitatem quamdam Christiano homine indignam præseferebant, partim immanitatem a Christiana religione abhorrentem intuentium oculis exhibebant, et omnia demum ethnicæ superstitionis origine fœdata censebantur. In hunc porro sensum, quarto sæculo ad finem vergente, hujusmodi renuntiationem *pompæ* seu *pomparum* diaboli explicabat sanctus Cyrillus Hierosolymitanus in catechesi 19 mystagogica 1, num. 6, ubi ita aiebat : « Postea dicis : *Et omni pompæ illius*. *Pompa* vero diaboli est, theatrorum insaniæ, equorum cursus in hippodromis, venationes in circo, et reliqua hujusmodi vanitas.... Ne tibi studio et cordi sit theatri insania, ubi conspicias mimorum petulantias.... neque illa eorum qui in circensibus venationibus sese feris exponunt... Fuge etiam equorum curricula, quod prorsus insanum est supinasque animas dejicit spectaculum. Hæc enim omnia diaboli *pompæ* existunt. » En igitur quid *pompæ* nomine veniebat in renuntiatione prævia ad baptismum, postquam *pompa* illa veri nominis, quæ in circensibus habebatur, sublata fuit. Eodem prorsus sensu etiam quinto sæculo, Salvianus de *pompis* loquebatur, quibus renuntiatio ab initiandis fiebat; per eas nimirum intelligens, non jam obsoletas numinum paganorum in circensibus gestationes, sed circensia alia ludorum spectacula quæ supererant, et theatrorum scenas, quibus dolebat maxime Christianos homines, contra solemne eorum propositum, animo tam cupido ac tam vehementi libidine inhiare, uti fuse per totum librum VI de Gubernatione Dei, præcipue vero capite 6.

Nunc ut ad Nicetam nostrum sermonem convertamus, qui non semel, sed bis, uti vidimus, de renuntiatione loquens quæ diabolo fiebat a baptismum petentibus, *pompas* memorat ac *theatra*; *pomparum* nomine, atque a theatris præsertim distincto, circensia profecto spectacula, quæ demptis simulacrorum gestationibus adhuc supererant, quorumque amore illius ætatis homines ardentissime deperibant, eumdem intellexisse nemo negaverit. Nemo quoque inficias ierit ex Nicetæ textibus supra allatis satis deprehendi, in renuntiationis formula ab illo pro Ecclesiæ suæ more usitata proprium *pompæ* vocabulum defuisse, quod generali *operum diaboli* nuncupatione supplebatur : ex quo demum recte conjicimus, et circensia spectacula et theatra, more prorsus Romano, apud illos viguisse ad quos ipse sermonem habebat; cum in explicatione *operum diaboli*, quibus Christo nomen daturus renuntiabat, non omiserit et *pompas* quæ tunc temporis essent in usu, et *theatra* quoque recensere; quæ omnia Romani orbis oblectamenta propria, seu potius corruptelæ illecebræ censebantur. Jam vero quis unquam dixerit circensia hujusmodi spectacula, quæ *pomparum* nomine explicarentur, et *theatra* quoque, in Dacia Transdanubiana exstitisse inter barbaras illas gentes quæ Dacorum, Scytharum, Bessorum, Getarumque nominibus venirent? Salvianus profecto supracitatus, qui totus erat in objurgandis ætatis suæ Christianis ob circensium ludorum theatraliumque spectaculorum delectationem, quibus datam in baptismo fidem ipsos mentiri profitebatur, eosdem exprobrabat barbararum gentium adducto exemplo, apud quas fidenter aiebat neque circenses reperiri neque theatra, quibus eorum mores corrumperentur. « Quid simile apud Barbaros (aiebat ille libro VI supra citato, capite 7)? Ubi apud illos circenses, ubi theatra, ubi scelus diversarum impuritatum, **46** hoc est spei nostræ ac salutis excidium? » Non erat itaque cur Nicetas ille Dacus sancti Paulini Nolani amicus in exponendis *operibus diaboli*, quibus novi illi Christiani baptismum accepturi nuntium miserant, *pompas* commemoraret atque *theatra*, ut intelligerent et his quoque diaboli inventis, quæ apud eosdem non exstabant, illos renuntiasse. Quod si concedere etiam velimus nonnulla apud illas barbaras gentes exstitisse, quæ consimilia essent circensibus ludis ac spectaculis theatrorum apud Romanos, quæque *diaboli opera* merito dici possent quibus in baptismo et ipsi renuntiassent; cur Nicetas ille Dacus ad ea indicanda Romanas voces usurpasset *pompæ* atque *theatri*, quæ certe apud illas gentes Romanis moribus non assuetas nullius essent significationis? Cum igitur videamus Niceam seu Nicetam Romatianæ civitatis episcopum, a Gennadio memoratum, in opusculo suo de *Symbolo ad competentes*, atque in tertio ex fragmentis ipsius quæ supersunt, voces usurpasse quæ minime convenissent apud barbaras gentes in Dacia Transdanubiana positas, ubi Nicetas sancti Paulini Nolani amicus episcopatum gessit; hinc merito inferimus ex loco etiam episcopatus hujus Nicetæ Daci, Niceam seu Nicetam Romatianæ civitatis episcopum, de quo Gennadius, non esse Niceam seu Nicetam Dacum sancti Paulini Nolani amicum, ejusque laudibus celebratum.

Quisnam igitur hic Nicetas Romatianæ civitatis episcopus, qui circenses ludos, et theatrorum spectacula in suis opusculis nominavit? Non hujus, sed sequentis capitis ea est inquisitio; ubi aperte asserimus ac probamus Niceam seu Nicetam Romatianæ civitatis episcopum a Gennadio dictum, esse Niceam seu Nicetam episcopum Aquileiensem. Præludere tamen quodammodo sequenti capiti non erit incongruum, asserendo nimirum etiam ex *pomparum* ac *theatrorum* vocibus a Niceta usurpatis non ægre posse inferri, Nicetam hunc Romatianæ civitatis episcopum a Gennadio dictum, Niceam seu Nicetam fuisse episcopum Aquileiensem. Ac primo quidem Aquileiensis episcopus *pompas* atque *theatra*, quibus Christiani in baptismate renuntiassent, recte poterat nominare; cum ambigendum non sit in Aquileiensi olim celeberrima civitate et circum exstitisse ubi *pompæ* haberentur, aliaque illius loci spectacula, tum ante Constantinum Magnum, tum etiam postea, et *theatra* similiter in quibus scenica ederentur. Quod Aquileiæ circus olim fuerit, in quo *pompæ* agerentur simulacrorum statis diebus, nullibi quidem in monumentis eorum temporum quæ supersunt clare expressum habemus; sed tamen multa sunt quæ suadent. Aquileienses olim non modo Jovis ac Beleni, seu Apollinis, sed etiam Solis cultores erant, quem sub Mithræ nomine indicabant, uti a clarissimo præsule Philippo a Turre ostensum fuit in dissertatione de Beleno, pag. 281, quæ exstat cum suis Monumentis Veteris Antii. Porro circensibus ludis præcipue Sol colebatur, uti pluribus probat idem doctissimus præsul de Mithra, etc., capite 6, in eisdem Monumentis pagina 219. Circus igitur Aquileiensi civitati non defuisse videtur.

Præterea idem præsul clarissimus in dissertatione de Diis Aquileiensibus ibidem, pag. 315, ostendit etiam *celebre Jovis templum, et Capitolium, ad urbis dominæ imitamentum, Aquileiæ stetisse;* sicuti Capitolia habuisse illustres urbes Ravennam, Florentiam, Mediolanum, Carthaginem, pluresque alias, et suam

in primis Augustam, colligit doctissimus Marcus Velserus Rerum Vindelicarum libro v, pag. 259 postremæ editionis, ut ipse aiebat. Eruit etiam idem a Turre ex **47** inscriptionibus Aquileiensibus a se illustratis, Augustalium collegio Aquileiensem civitatem non caruisse, uti in dissertatione de Colonia Forojuliensi ibidem, pag. 366. Addit insuper, pag. 359, decurionum ordinem, qui Aquileiæ exstabat, quique instar senatus erat, splendidissimum ordinem appellatum fuisse in lapidibus, quorum illic mentio, ac proinde probabiliter, non secus ac decuriones Capuæ, quorum Cicero meminit Agrar. 2, numero centenario constitisse, quod certe amplissimum habebatur. Quinimmo et consulum Aquileiensis civitatis mentio non infrequens in lapidibus apud eumdem auctorem, ibidem, explicatis, licet *coloniis et municipiis consularem dignitatem ægre permittant viri docti*, ut ipse ibidem, pag. sequenti 360. Quidni igitur et circum Aquileia habuerit, ubi circenses ludi ederentur, et *pompæ* diaboli idololatria vigente circumferrentur? Jam et alias Romani orbis civitates, præter Romam, circo decoratas fuisse animadvertit eruditissimus Panvinius, de Ludis circensibus libro II, cap. 17, nimirum Mediolanum in Italia, Antiochiam in Syria, Arelatem in Gallia, et alias alibi; quarum plerasque recenset, tum in ipsa Italia, uti Anagniam et Assisium et Alatrium, tum ubique terrarum, Joannes Argolus in notis ad hunc Panvinii locum, ubi etiam generatim subdit, quod *multi quidem circi fuere, ubi enim Romana se explicuit potentia, erigebantur.* Cum itaque Mediolano non inferior esset Aquileiensis civitas; cum vero et Anagnia et Assisio et Alatrio longe præstaret, non immerito conjectare fas est circum Aquileiæ exstitisse una cum cæteris aliis ædibus, quæ urbem maximam, splendidissimam, atque opulentissimam decorarent.

Id vero multo etiam firmius inferendum, si quæ auctores, aut gloriæ tantæ urbis coævi, aut ab ea excisa non longe positi, de eadem scripto reliquerunt, animadvertantur. Ea congessit eruditus noster Nicolaus Madrisius in libello Italice scripto, cui titulus : *Apologia per l'antico stato e condizione della famosa Aquileja*, Utini edito anno 1721, pag. 31. Hic nempe Herodianum legimus qui *maximam Italiæ urbem* Aquileiam appellavit; hic Julianum Augustum, qui eamdem *opulentum emporium* dixit; hic Procopium, qui ipsam *prædivitem atque immensam civitatem* appellavit, ac paulo post *magnitudine insignem, et civium frequentia;* hic Justinianum Augustum, qui *Aquileiam omnium sub Occidente urbium maximam* fuisse testatus fuit; hic Luitprandum, qui eam *urbem magnam, atque immensum in modum frequentem* exstitisse dixit; hic alios quoque recentiores, qui in ejus magnificentiæ laudes, veterum auctoritate ducti, effunduntur. Quis igitur negaverit tam præclaræ urbi circum affuisse, tum ante Constantini Magni ætatem, tum etiam postea, licet de eo nulla exstent certa in veterum scriptis eorum temporum peculiaria documenta?

Attamen etsi certa desint de circo Aquileiensi et peculiaria in scriptis veterum documenta, non desunt omnino indicia quædam, unde conjecturæ nostræ roborari queant. Sanctissimus Aquileiensium episcopus Chromatius, qui quarto desinente et quinto ineunte sæculo Aquileiensibus præfuit, tractatu 1, capite 2, in Evangelium Matthæi, qui exstat in Bibliotheca Patrum Andreæ Gallandii tomo VIII, ita ad Aquileiensem populum loquebatur: « Vice agonothetæ vel munerarii certatoribus in hoc stadio spiritali præmium grande proponit (Christus); ut dum aspiciunt præmium, nec labores timeant, nec pericula perhorrescant. » Nisi vero dicere velimus Chromatium Aquileiensibus suis exemplum protulisse de rebus ipsis non notis, quod profecto absonum est; et agonothetas, **48** id est certaminum judices, et munerarios, eos scilicet qui certamina edebant, et stadium quoque, id est locum in quo certamina edebantur, Aquileienses agnovisse fatendum est; ideoque res hujusmodi Aquileiæ actas, et Aquileiæ stadium fuisse ubi agerentur. *Stadium* porro etiam *circus* dictus fuit *ob rei similitudinem*, uti *aliquando* etiam *circus maximus Romæ:* licet hoc *nomen Græcorum potius sit; nam quod Latini circum, ipsi stadium, vel agon vocavere*, sicut animadvertit laudatus Panvinius, de Ludis Circensibus libro II, capite 1. Circum igitur, qui stadium etiam Græca voce diceretur, Aquileiæ fuisse Chromatii tempore, ex Chromatio ipso non ægre inferimus. Si autem post Chromatium, synchronum et conterraneum auctorem, locus in hujusmodi argumento esse potest Procopio Cæsariensi, qui sexto jam adulto sæculo historias Græce scripsit; hic certe de Bello Vandalico libro I, cap. 3, inter Historiæ Byzantinæ scriptores, tomo I, pro more Constantinopolitanæ urbis quæ circum inibi exstantem hippodromum appellabat, uti etiam monet idem Panvinius citati operis libro I, cap. 27; hic, inquam, hippodromum memorat Aquileiensem, quem Latinus illius interpres circum reddidit, ubi refert quod Joannes Tyrannus, Theodosio Juniore, Ravennæ bello captus, et Aquileiam deductus, ibidem, antequam necaretur, asello per hippodromum ad ignominiam vectus fuit, spectantis populi ludibriis datus : quod ad annum pertinet 424 aut 425. Hæc autem circi Aquileiensis Procopii mentio, etsi post integrum elapsum sæculum ab Attilana Aquileiæ clade, eoque etiam amplius ab eventu quem referebat, et etsi ab auctore longe ab his regionibus posito, nostras tamen de circo Aquileiensi probe roborat conjecturas. Præterea solertissimus Aquileiensium antiquitatum investigator canonicus Bertoli, in opere suo cui titulus : *le Antichità d'Aquileja*, pag. 254, ex veteri indicatione cujusdam loci Aquileiensis civitatis, qui dicebatur *juxta turrim Arenæ*, infert amphitheatrum Aquileiæ exstitisse. Fuerit fortasse istud ædificium etiam Aquileiæ, licet hujusmodi moles, maxime vero lapideæ, non ita essent frequentes, uti clarissimus Scipio Maffeus animadvertit *degli Anfiteatri*, cap. 7 et 9; et licet ipse fateatur nihil unquam in antiquis monumentis sibi occurrisse de Aquileiensi amphitheatro. Quid vero si *Arenæ* nomine circus potius intelligendus sit, qui non raro etiam arena dictus fuit, uti Maffeus ibidem capite 10? *Turris* quoque circum magis quam amphitheatrum indicare videtur, uti constat ex iconibus quæ circum nobis exhibent, maxime apud Panvinium de Ludis Circensibus; atque ex numismatibus, quæ nobis exhibent amphitheatra. Hinc itaque circi Aquileiensis conjectura validius roboratur. Atque hæc de circo Aquileiæ stante : quæ aliquanto fusius dici in re hactenus, ut putamus, intacta, non fuit omnino incongruum.

De circo vero, qui Aquileiæ exstiterit, cum dictum sit, plura addere de theatro non est necesse, quod erat minoris operis atque impendii ædificium, ac frequens propterea in minoribus etiam urbibus ac municipiis, neque insolens interdum in ipsis pagis, uti ex clarissimo Mazochio de Campano Amphitheatro, capite 8; sive ex marmore exstructum haberetur, sive ex ligno, sive ex marmore simul ac ligno, uti monumenta docent. In urbe illa amplissima ac prædivite, quæ etiam commercii causa exterorum frequentia abundabat, quæ Augustorum sæpe præsentia honestata fuit, tum ante Constantini ætatem tum etiam postea, ut historiæ tradunt, ac leges ibidem datæ ostendunt, nihil certe defuisse videtur ex **49** iis quæ ad oblectamentum non modo, sed etiam ad luxum spectarent, quæque tribuerent quovis modo ad satisfaciendum multitudini, spectaculis maxime ac scenicis deditæ. En igitur quomodo Romatianus Gennadii Nicetas ex usurpatis vocibus *pomparum*, atque *theatri*, quæ Dacum illum esse non sinunt, prodat se potius Aquileiensem; maxime vero cum Niceas seu Nicetas alter non adsit, de cujus episcopatu inquirendum veniat.

Ne quis interim excisam opponat Aquileiensem urbem Nicetæ Aquileiensis tempore, ita ut in ea neque

circus pro ludis, neque theatra pro scenicis spectaculis amplius exstarent. Sufficit nempe quod paulo ante exstiterint, ut in renuntiationis explicatione pompas atque theatra, veluti res audientibus omnino perspectas, nominare Aquileiensis præsul potuerit. Præterea non ita fortasse Aquileiensis civitas excisa fuit, ut illico majora etiam ac solidiora ædificia, quemadmodum circi erant atque theatra, præsertim in præcipuis urbibus, solo æquata fuerint : neque ita certe excisa fuit, ut, saltem post Hunnorum ex Italia discessum, aliqua ex parte iterum habitari non potuerit; quod ipsa divi Leonis Magni ad Aquileiensem Nicetam data epistola quadamtenus indicare videtur.

Præterquamquod ea erat tunc temporis populorum insania atque dementia erga circenses ludos et theatrorum scenas, ut ipsi qui supererant cladibus civitatum pauci cives hoc sibi veluti remedium ærumnis poscerent, ac procurarent. Adeundus propterea coævus Nicetæ Aquileiensi scriptor Salvianus in supracitato libro VI de Gubernatione Dei, in quo totus est ad eorum objurgandam insaniam, qui etiam excisis urbibus, abductis necatisque civibus, ac populatis regionibus, pro circensibus tamen ac theatralibus deperibant. En quomodo de his loquatur, qui amissis in vastatione Barbarorum theatris ac circis, theatralia nihilominus atque circensia alibi sibi poscebant : « Cujuslibet civitatis incolæ Ravennam aut Romam venerint, pars sunt Romanæ plebis in circo, pars sunt populi Ravennatis in theatro; » ita cap. 9. De his vero qui urbium excidio superfuere, et nihilominus spectacula sibi in eisdem urbibus, uti antea, desiderabant, ita capite 15 : « Pauci nobiles, qui excidio superfuerant, quasi pro summo deletæ urbis remedio circenses ab imperatoribus postulabant. » Trevirorum urbs ea erat, *Gallorum summa* atque *opulentissima* ab auctore dicta, hoc fatum passa initio sæculi quinti, et hoc sibi solatium deprecata ab imperatoribus Honorio atque Constantio, uti notat Baluzius cum Valesio ad hunc locum. Hujus propterea urbis excidium longo sermone prosequitur Salvianus; et ad eam ita demum orationem convertit, in rem nostram valde accommode. « Circenses ergo, Treviri, desideratis, et hoc vastati, hoc expugnati, post cladem, post sanguinem, post supplicia, post captivitatem, post tot eversæ urbis excidia? Quid lacrymabilius hac stultitia, quid luctuosius hac amentia?.... Theatra igitur quæritis, circum a principibus postulatis? Cui, quæso, statui, cui populo, cui civitati? Urbi exustæ ac perditæ, plebi captivæ et interemptæ, quæ aut periit aut luget; de qua etiam si quid superest, totum calamitatis est; quæ cuncta aut mœstitudine est anxia, aut lacrymis exhausta, aut orbitate prostrata, in qua nescias pene cujus sit sors pejor ac durior, interfectorum, an viventium. Tantæ enim sunt miseriæ superstitum, ut infelicitatem vicerint mortuorum. Ludicra ergo publica, Trever, petis? Ubi, quæso, exercenda? An super busta et cineres, super ossa et sanguinem peremptorum? **50** Quæ enim urbis pars his malis omnibus vacat? Ubi non cruor fusus, ubi non strata corpora, ubi non concisorum membra lacerata? Ubique facies captæ urbis, ubique horror captivitatis, ubique imago mortis. Jacent reliquiæ infelicissimæ plebis super tumulos defunctorum suorum, et tu circenses rogas? Nigra est incendio civitas, et tu vultum festivitatis usurpas? Lugent cuncta, tu lætus es? » Hæc Salvianus de Trevirorum civitate, et ad Trevirenses cives. Quid igitur mirum, si pro illorum temporum dementia erga spectacula, et si pro morum pravitate, quæ Dei iracundiam provocabat, ac Barbarorum manus in Occidentis perniciem urgebat; quid mirum, si Aquileia ipsa Trevirorum sortem experta, exemplo ipsorum, post Attilanam cladem, in paucis civibus qui supererant, et Barbarorum gladios evaserant, circensibus pristinis inhiaverit atque theatris; ut Nicetas episcopus in explicatione *operum diaboli*, quibus baptismum petentes renuntiabant, et *pompas* et *theatra* memorare debuerit? Sed de his satis; et fortasse etiam latius quam oportebat.

Non est tamen omittenda ipsa renuntiationis vera formula, quæ a Niceta nostro in tradendo regenerationis sacramento fuerit usurpata. Jam in antecessum monuimus, Nicetam in supra allatis textibus ex *Symboli Explanatione ad competentes*, et ex tertio *Fragmentorum*, non simplicem formulam retulisse in sua Ecclesia adhiberi solitam, sed potius formulæ illius explicationem ad instructionem fidelium, ut scilicet intelligerent quam late pateret renuntiatio ab iis facta in baptismatis susceptione : quod certe ipse quoque satis innuit per vocem *id est*, quam præponit enumerationi rerum illarum quas sub nomine *operum diaboli* venire docebat, et per ea quoque verba, *et his similibus malis*, quibus enumerationem claudit. Si Nicetæ allata verba diligentius expendantur, apparet profecto formulam in ejus Ecclesia adhiberi solitam, fuisse illam, quæ duplici constabat renuntiatione, et omnium pene simplicissima erat; nimirum : *diabolo et angelis ejus*, *deinde et operibus ejus*, absque alio verborum additamento. Ex Operibus supra citatis Josephi Vicecomitis, et Josephi Catalani, qui renuntiationis ritum expenderunt, constat aliquibus in locis obtinuisse unicam etiam renuntiationem omnia comprehendentem quæ alibi dividebantur in plures, in quibusdam aliis duplicem fuisse in usu, communius triplicem, quadruplicem etiam alicubi, juxta rerum ac verborum divisionem. Constat insuper non unum ubique, sed varium fuisse etiam usum verborum in ipsa elicienda renuntiatione. Duplex erat renuntiatio quæ obtinebat in Ecclesia Mediolanensi sub divo Ambrosio, paucis et ipsa concepta verbis; atque aberat omnino *pompæ* vox, licet communiter alibi esset in usu. Præstat eumdem sanctum doctorem audire non uno in loco de hac re scribentem. « Post hæc reserata sunt tibi sancta sanctorum, ingressus es regenerationis sacrarium, repete quid interrogatus sis, recognosce quod responderis; renuntiasti *diabolo et operibus ejus, mundo et luxuriæ ejus.* » Ita in libro de Mysteriis, capite 2. Clarius idem Ambrosius in opere de Sacramentis, quod sub ejus nomine circumfertur, libro I, capite 2. « Quando te interrogavit : Abrenuntias *diabolo et operibus ejus?* quid respondisti? Abrenuntio. Abrenuntias *sæculo, et operibus ejus?* quid respondisti? Abrenuntio. Memor esto cautionis tuæ. » In Hexaemeron vero lib. I, cap. 4, omnia simul renuntiationis verba in unum comprehendens, ita scribebat : « Deserit qui abluitur intelligibilem illum **51** Pharaonem principem istius mundi, dicens : Abrenuntio tibi, *diabole, et angelis tuis, et operibus tuis, et imperiis tuis.* » Porro quidquid sit de modica diversitate verborum, quæ Ambrosium inter et ipsum Ambrosium apparet in renuntiationis formula quam ipse in allatis textibus nobis exhibet, quæque Mediolanensis Ecclesiæ suæ tunc fuisse dicenda est; nemo, arbitror, diffitebitur renuntiationis formulam ab Ambrosio nobis traditam maxime convenire, ac pene eamdem esse cum ea, quæ Nicetæ fuit, auctoris *Explanationis Symboli ad competentes*, et tertii fragmenti ex ipsius deperditis lucubrationibus. Utrobique nempe duplex renuntiatio apparet; utrobique *diabolo* renuntiatur *et angelis ejus;* utrobique *et operibus ejus;* ac simul utrobique deest *pompæ* seu *pomparum* vox, quæ cæteroquin adeo frequens ac pene communis erat in formulis renuntiationum. Isthæc vero Nicetianæ renuntiationis formulæ similitudo cum alia Ecclesiæ Mediolanensis sub divo Ambrosio, non exiguum præbet indicium agnoscendi in eodem Niceta episcopum Aquileiensem. Quis enim ignorat quanta Aquileiensem inter et Mediolanensem Ecclesias iis temporibus esset necessitudo, immo quanta veluti consanguinitas; cum jamdiu sese invicem harum Ecclesiarum antistites episcopali ordinatione donarent, ac mutuis sese foverent officiis, uti ex historiis abunde colligimus, et clarissimus De Rubeis non uno in loco Aquileiensium Monumentorum animadvertit, sicut etiam eruditissimus Oltrocchius in

sua Ecclesiæ Mediolanensis Historia Ligustica paucis abhinc annis in lucem edita. Sed ad alia properandum.

In eodem tertio fragmento, continuo post ea verba quæ supra retulimus, quibusque *diaboli opera* explicavit, ita pergit beatus Nicetas, eos objurgans, qui contra renuntiationem factam *operibus diaboli*, toti erant in superfluo carnis ornatu, et in nimio sibi procurando corporis cultu. « Quid dicimus de his qui superfluo carnis ornatu jactare se volunt, et videri mirabiles? Taceo de exquisitis inutiliter vestimentorum subtilitatibus. Oro vos, quid faciunt in viris capilli aquo (*acu*) crispati, comæ retro quidem cervicem cooperientes; ante autem frontem penitus abscondentes, ita ut nec signo Christi (*crucis*) locus liber relinquatur in fronte, et eumdem (*unde*) se putant habere aliquam gloriam vel decorem, inde turpitudinem et ignominiam contrahant. Similiter et mulieres caput ligantes ut scutum, ut frons tamquam vallis inter duos subsistat colles, ut de auribus pondera lapillorum auro ligata dependeant, ut brachia honerentur (*onerentur*) auro, et cervicem premant catenæ vel lapides; et pedibus sanguineæ calciamentis flammulæ rutilent. Quis usus in his, quæ utilitas invenitur, nisi sola inanis pompa, et mens desiderio infantili corrupta? » Hæc Nicetas in citato Vindobonensi fragmento. Quod hic primum occurrit animadversione dignum, ea est increpatio qua Nicetas episcopus eos perstringit, sive mares sive feminas, qui exquisito corporis cultu, nimioque ornatuum luxu *superbiam* illam atque *jactantiam* ostendebant, quæ inter *diaboli opera* ipse prius enumeraverat, quibusque sacramento baptismatis initiandi renuntiaverant. Si porro consulamus, quæ jam in antecessum retulimus ex poemate sancti Paulini Nolani de Dacorum, Scytharum, Bessorum Getarumque populis recens ad fidem conversis per Nicetæ prædicationem; si animo recolamus, quæ ibidem magna ac mira idem sanctus præsul commemorat in laudem Nicetæ sui de sancta illarum **52** gentium conversatione, qua priscam Ecclesiæ nascentis ætatem æmulabantur; quis credat mutatam tam subito, sub oculis Nicetæ ipsius, novæ illius Ecclesiæ faciem, ut illi necesse fuerit eos fideles tam graviter objurgare, quod a data fide in regenerationis sacramento per renuntiationem factam *operibus diaboli* veluti recessissent? Non igitur Nicetæ Daci videntur esse illa verba, sed alterius potius Nicetæ qui Ecclesiam jam adultam excoleret, ubi sensim abusus irrepserint qui pastoris essent increpatione notandi; ideoque Nicetas potius Aquileiensis ille fuit, qui hæc in sua Aquileiensi Ecclesia insectabatur.

Præterea singillatim etiam nonnulla animadvertenda occurrunt in allatis ex hoc Nicetæ fragmento locutionibus. « Taceo, inquit ille, de exquisitis inutiliter vestimentorum subtilitatibus. » Quid sunt istæ *subtilitates vestimentorum inutiliter exquisitæ*? Vestimenta, ut apparet, non quidem ad usum, sed ad luxum unice comparata; vestimenta, arbitror, absolutæ perfectionis non modo, elegantisque operis, verum etiam miræ tenuitatis; qualia sunt quæ pannis constant levissimis, summa arte ac labore confectis ex lanæ aut gossypii aut lini aut serici filis exilissime ductis. Hujusmodi vestimentorum subtilium abusus, qui non modo Christianam moderationem, sed verecundiam quoque persæpe læderet atque pudorem, meminebat fortasse Hieronymus in epistola ad Lætam, quæ 107 est in editione Vallarsii, num. 10, ubi eam instituens super disciplina filiolæ : « Talia, aiebat, vestimenta páret, quibus pellatur frigus, non quibus vestita corpora nudentur. » Hunc autem *subtilitatis* vocem quoad vestimenta, ut luxum notaret Christiano homine minus dignum, sumpsit fortasse Nicetas ex propheticis locutionibus. Nam apud Isaiam, cap. XIX, 9, ubi describitur *onus Ægypti : Confundentur*, aiebat propheta, *qui operabantur linum, pectentes, et texentes*, SUBTILIA; ubi per hæc *subtilia* lineæ vestes maxime intelliguntur summæ tenuitatis, quæ in Ægypto texebantur. Non dissimili modo apud Ezechielem, cap. XVI, 10, eadem vox usurpatur, ubi de Jerusalem civitate sermo est, quam auxerat Dominus dignitate atque decore in conspectu omnium gentium : *Et vestivi te*, inquit Dominus, *discoloribus, et calceavi te janthino : et cinxi te bysso, et indui te* SUBTILIBUS. Hic vero *subtilia* expositores interpretantur pro vestibus in genere tenuibus ac delicatis, et præcipue pro pallio serico, admodum exili stamine confecto.

Quidquid autem intellexerit Nicetas in hoc fragmento pro *exquisitis inutiliter vestimentorum subtilitatibus*, sive linea nempe, sive alterius materiæ vestimenta, tanto tenuitatis artificio elaborata; nemo quidem sibi facile persuaserit, delicatas hujusmodi vestes apud feras ac barbaras gentes trans Danubium sitas, Nicetæ Daci tempore, inveniri potuisse; sicuti neque gentes illas horum vestimentorum luxu ita fuisse delectatas, ut inde corripi ab episcopo ac parente suo Nicetá mererentur. Iterum recolantur, quæ de gentium istarum barbarie agrestibusque moribus ex sancti Paulini versibus superius relatis erui facillime possunt; et unicuique patebit, ni fallor, artes omnes, quæ luxus essent, et quæ ad nimium vitæ ac corporis cultum spectarent, longe prorsus ab illis regionibus fuisse, sicuti etiam harumce rerum delicatarum studium, necnon et earumdem acquirendarum facilitatem ex aliis Romani imperii regionibus, quæ nullam, ut plurimum, aut certe exiguam cum gentibus barbaris et a Romano imperio alienis commercii societatem habebant. E contrario quid **53** non hujusmodi Aquileiensibus conveniret, incolis civitatis illius, quæ, florentibus rebus, omnium esset post Romam Italicarum maxima, atque emporium ditissimum quo totius Orientis atque Occidentis merces copiose confluerent; quæque etiam post Attilanam cladem, non illico a pristino statu ac dignitate, atque ab omni prorsus exterorum frequentia ita penitus dejecta fuit, ut non diu postea cives illius in vitæ cultusque ratione aut luxum veterem, aut veteris saltem luxus similitudinem quamdam, et quidem in Christianis reprehensione dignam, servare potuerit?

Alia veniunt in eodem Nicetæ fragmento notatu digna; eaque sunt elegantes illæ simulque graphicæ descriptiones, quibus velut ob oculos ponebat, eodemque tempore reprehendebat supervacaneum capillorum cultum in maribus primum, postea in mulieribus, quas etiam arguit quod cervicem et aures et brachia vario pretiosi cultus ornatu onerarent. « Oro vos, inquit, quid faciunt in viris capilli acu crispati, comæ retro quidem cervicem cooperientes, ante autem frontem penitus abscondentes, ita ut nec signo Christi (*crucis*) locus liber relinquatur in fronte? » Loquitur hic Nicetas de vetustissimo illo signo crucis, non quo frons tangebatur, manu postea ad pectus deducta, inde ad utrumque latus scapularum relata, quod signum crucis majus appellari potest, et quo communius hodie Christiani utuntur; sed potius de illo signo crucis, quod totum in fronte perficiebatur, ducto pollice supra frontem in modum crucis, quod signum minus recte dicemus, cujusque usus etiam apud nos, at minus frequens, habetur. De hoc certe minori signo intelligendus Tertullianus in vulgato illo textu, qui legitur in libro de corona, capite 4 : « Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. » De hoc eodem etiam sanctus Augustinus Enarratione in psal. L, num. 1, ubi conquerebatur quod hoc signo se munirent in fronte Christiani etiam in ipso circo, quoties aliqua de causa expavescerent, quin interim animadverterent ex signo ipso, locum eisdem esse non debere in vanitatibus et insaniis, quibus spectantes aderant. « Quam multos hodie, fratres nostros cogitamus et plangimus ire in vanitates et insanias mendaces... Qui si forte in circo aliqua ex causa expavescant, continuo se signant, et

stant illic portantes in fronte, unde abscederent, si hoc in corde portarent! » Cum itaque de hoc signo loquatur etiam Nicetas, quod totum fiebat in fronte, *frontem* nimirum *terendo* ut aiebat Tertullianus, et *in fronte* propterea veluti impressum illud quodammodo *portando* uti Augustinus; hinc liquet nudam atque apertam Christianorum frontem esse debuisse, et nequaquam capillis obductam, ac *penitus absconditam*, ut Christiani eodem se signo munire ad omnem eorum actum facile possent. Merito igitur conquerebatur de Christianis suis beatus Nicetas, qui novum comæ et capillorum cultum amantes, frontem suam ita capillis tegebant, ut *locum liberam non relinquerent* eidem *terendæ signaculo crucis*.

Numquid vero suspicandum, abusum hujusmodi irrepsisse in Nicetæ Daci episcopatu, inter gentes illas trans Danubium sitas, quæ ante Nicetæ prædicationem ab omni essent politiori cultu alienæ, quæque per apostolicos Nicetæ labores, Christiano gregi annumeratæ, adeo in Christi religione profecerant, ut de illis tam mira Paulinus Nolanus celebrare potuerit? Abusus hic potius ex illis **54** est, qui facile obrepunt in populis nimio rerum cultui operam dantibus, quibusque omnia suppetunt quæ ad vitæ commodum, ad luxum, atque splendorem spectant; in populis quoque, in quibus Christiana religio temporis lapsu defervet, et in quibus a pristina vitæ severioris consuetudine Christiani lasciviores facile recedunt. Aquileiensi propterea Nicetæ, potius quam Daco, objurgationes istæ conveniunt in Christianos plus nimio capillorum cultui indulgentes, ut signo crucis in fronte faciendo locum non relinquerent. Quod autem conjecturam hanc nostram magis adhuc confirmat, vetus est lapis Aquileiensis anaglypho opere scalptus, et a canonico Bertoli editus in suis *Antichità d'Aquileja*, alias citatis pagina 16, ubi sane videre est juvenem equum læva manu tenentem, et frontem capillis obductam habentem, qualem nimirum describit Nicetas in suo fragmento. Lapis quidem paganus est, non Christianus, uti ex inscriptione apparet, quæ exstat in altero lapidis latere; et ideo ad Nicetæ Aquileiensis ætatem probabiliter non pertinet, in qua etiamsi penitus abolita idololatria non esset, hujusmodi tamen non erat quæ sese inscriptionibus et anaglyphis explicare ac prodere facile posset. Verum sufficit hujusmodi capillorum cultum olim fuisse inter Aquileienses, etiam paganos, ut postea resumi potuerit ab Aquileiensibus ipsis Christianis, qui vanitate ducti obsoletas inquirerent ac renovarent culturæ formas, et qui tepore quodam religionis non omnimode abhorrerent a veteri paganorum suorum consuetudine. Hoc vero de viris; quid deinde in mulieribus reprehendit Nicetas in eodem fragmento?

Prosequitur nimirum Nicetas objurgationem suam, dicens : « Similiter et mulieres caput ligantes ut scutum, ut frons tamquam vallis inter duos subsistat colles, ut de auribus pondera lapillorum auro ligata dependeant, ut brachia onerentur auro, ut cervicem premant catenæ vel lapides, et pedibus sanguineæ calciamentis flammulæ rutilent. » Deinde objurgationem utramque, tam viris factam quam mulieribus, ita concludit : « Quis usus in his, quæ utilitas invenitur, nisi sola inanis pompa, et mens desiderio infantili corrupta? » Hic quoque videre est ita exquisitum atque pompaticum mulierum cultum a Niceta delineatum, ut difficile admodum credi possit eumdem obtinuisse inter barbaras Dacorum gentes trans Danubium positas, difficilius vero inter novos illos fideles recens a beato Niceta Christianorum populo aggregatos. Quid vero si et hic opportune lapis Aquileiensis occurrat, unde inferre possimus Aquileiensium mulierum cultum respondere Nicetæ verbis allatis; ideoque non Daci, sed Aquileiensis potius Nicetæ verba illa esse quæ attulimus ex Vindobonensi fragmento? Exstat sane lapis hujusmodi in præcitato opere *Antichità d'Aquileja*, pag. 253, ubi mulierem videas anaglypho opere scalptam ad pectus usque, nec ita quidem excellenti, ut videtur, artifice, ut hinc proinde appareat in bonarum artium declinatione, ac fortasse Christiana etiam religione adulta optius illud Aquileiæ prodiisse, cum nihil quoque ibidem adsit quod idololatriam sapiat. Videas porro mulierem hanc, crinibus decussatim implexis, *caput ligatum* habentem *ut scutum*; videas illius *frontem, tamquam vallem, inter duos subsistere colles* e crinibus hinc inde surgentes; videas fortasse etiam *de auribus pondera lapillorum dependentia, auro* certe *ligata*; videas demum etiam *cervicem catenis vel lapidibus pressam* in medio inter utrumque collem. His igitur prælusisse sufficiat sequenti capiti, in quo validioribus argumentis probandum ex instituto suscipimus Niceam seu Nicetam **55** illum Romatianum, quem Dacum esse non posse ostendimus hactenus inductionibus ex tempore primum, deinde etiam ex loco ductis; Niceam, inquam, seu Nicetam illum Romatianum a Gennadio nuncupatum, esse profecto Niceam seu Nicetam episcopum Aquileiensem, qui sancti Leonis Magni tempore floruit, et ad quem ejusdem sancti pontificis exstat epistola.

CAPUT IV.

Romatianæ civitatis episcopus Niceas, seu Nicetas, a Gennadio memoratus, est dubio procul Niceas, seu Nicetas, episcopus Aquileiensis, qui sancti Leonis Magni tempore floruit, et ad quem ejusdem sancti pontificis exstat epistola.

Quis demum sit Nicetas ille seu Nicetas Romatianæ civitatis episcopus a Gennadio memoratus, et duorum auctor opusculorum quæ germana ostendimus, nunc potissimum inquirendum venit : eumque, quem non esse Niceam seu Nicetam Dacum sancti Paulini Nolani amicum hucusque probavimus, sicuti neque illius esse in Dacia Cisdanubiana Romesianæ sive Remesianæ vel Remissianæ aut Romatianæ civitatis episcopum; cum, inquam, asserimus esse reipsa Niceam seu Nicetam episcopum Aquileiensem, qui sancti Leonis Magni tempore floruit, et ad quem ejusdem sancti pontificis decretalis exstat epistola. A graviori nimirum disquisitione ad gravissimam nunc accedimus, in qua optandum quidem esset luculentiora adesse argumenta quæ rem conficerent apertissime : sed in qua nihilominus talia sunt quæ etiam conjectando in medium proferemus, ut assensum sibi, ni fallimur, ultro valeant promereri.

De Nicetæ Aquileiensis episcopi ætate ut pauca præmittam, quæ extra controversiam sunt posita; illud in primis est, Nicetam hunc, uti recte animadvertit etiam clarissimus Bernardus Maria De Rubeis in Monumentis Ecclesiæ Aquileiensis, cap. 17, col. 152, non esse illum qui tempore divi Hieronymi Aquileiensis Ecclesiæ hypodiaconus erat, et ad quem ejusdem sancti doctoris familiaris exstat epistola, quæ ad annum circiter spectat 374, ut apud ejusdem Operum editores; ætas enim istius inde recte perpensa non patitur, ut locum episcopatus Nicetæ nostri in Leonis magni pontificatu siti implere potuerit. Alterum est, anno 454, post Attilanum vero Aquileiæ excidium anno secundo, Nicetam nostrum in Aquileiensi sede successisse episcopo nomine Secundo, non autem, ut alicui visum, Chromatio, qui successores alios habuit quinque ante Nicetam : deinde anno 458, datam ad consultationes illius epistolam divi Leonis Magni, quæ est inter ejusdem epistolas editionis Venetæ Veronensium fratrum Ballerinianorum, num. 159; demum anno 485 ex hac vita migrasse, uti ex Aquileiensibus Chronicis habemus, quibus in hac parte viri docti consensum minime recusarunt.

Hicne igitur Aquileiensis Nicetas Leoni Magno coævus idem fuerit ac Niceas seu Nicetas Romatianæ civitatis episcopus a Gennadio memoratus, atque duorum auctor opusculorum, quæ germana capite 1 probavimus? Ita nimirum : nam, quæso, si opusculi *Explanationis Symboli ad competentes* auctor esse non potest Niceas seu Nicetas Dacus sancti Paulini

Nolani amicus ejusdemque laudibus **56** celebratus, de quo uno tantum exstat quæstio, quoniam, uti vidimus de hæresi Eutychiana in Explanatione illa sermo habetur, quam Nicetas Dacus ætate sua nequibat attingere, a qua immo longe adhuc abfuisse ostendimus cum ad superos evolavit; quid est, quod a Romani codicis auctoritate in bibliotheca Ghisiana nuper detecti discedere nos compellat, ut ubi hic clare et perspicue, nulla characteris differentia, nulla vitiationis nota, nullo signo lituræ, nullo posterioris manus vestigio, habet simpliciter *Explanatio Symboli beati Nicetæ Aquileiensis episcopi habita ad competentes*, nos legere, aut certe concipere animo debeamus, prout clarissimus Zabeus autumat, *beati Nicetæ, vel Niceæ Romatianæ in Dacia episcopi?* Nicetas ille Dacus sancti Paulini Nolani amicus, auctor illius opusculi esse non potest : Nicetas alter non exstat, aut certe non astruitur, qui *Explanationem Symboli* dederit *ad competentes*, atque in ea de Eutychiana hæresi sermonem habere potuerit, et ita cum Niceta nostro Aquileiensi aliqua saltem veritatis specie decertare : stat ergo fides inconcussa Romani codicis Ghisiani, qui auctorem *Explanationis Symboli ad competentes* Nicetam Aquileiensem facit; et cum auctor unius opusculi alterius pariter quidem sit *ad lapsam Virginem* appellati, nostra viget propositio, quod Romatianæ civitatis episcopus Niceas seu Nicetas a Gennadio memoratus, sit dubio procul Niceas seu Nicetas episcopus Aquileiensis, qui sancti Leonis Magni tempore floruit, et ad quem ejusdem sancti pontificis exstat epistola.

Si auctoritatem vero addere placeat, accedit, quod vir eruditus Carolus Fea, qui primus nobis anno 1790 in sua Miscellanea Filologica Critica Antiquaria, tomo I, pag. 7 (quæ tamen nescio quo fato ultra primum tomum progressa non est), hujus nuperrimi opusculi *de Symbolo ad competentes*, uti in bibliotheca Ghisiana Romæ latentis, notitiam præbuit, quique etiam illud opportune nobis exhibere pollicitus fuerat, quod impletum non vidimus; Carolus, inquam, Fea, pro sua hujusmodi rerum peritia, clare asserere non dubitaverit, juxta critices regulas hoc opusculum esse illius Aquileiensis Nicetæ qui ad sanctum Leonem Magnum varias proposuit Quæstiones. Præstat eumdem audire ita citato loco breviter scribentem, prout simplex rei indicatio postulabat. « *Explanatio Symboli beati Nicetæ Aquileiensis episcopi habita ad competentes;* di quello stesso Niceta, che propose varie questioni sul matrimonio dei Goti Ariani a san Leone Magno, la risposta del quale esiste fra le sue opere. Di lui parlano a lungo il De Rubeis, il Liruti, ed altri; ma non parlano di quest' opuscolo, che io credo suo, per quanto si può affermare colle regole della critica. » Ita ille : qui certe non sine causæ cognitione judicavit; utpote qui et codicem illum Ghisianum propriis oculis aspicere potuit ac procul dubio etiam aspexit, et Lirutum nominat ac De Rubeis, quos certe cum aliis pluribus, ante hujus codicis detectionem, sententiæ suæ fautores non habebat. Utinam vero dedisset ille nobis hujusmodi opusculum : opinionem certe suam ita firmasset, ut nobis nunc minime necesse foret pro eadem, viribus licet imparibus, dimicare.

Rem itaque prosequi libet, et animadversione aliqua illustrare. Aut erravit Gennadius Massiliensis, qui Nicetam nostrum Romatianæ civitatis scripsit episcopum, cum scribere debuisset episcopum Aquileiensem; aut erravit Romanus codex, qui Nicetam exhibuit episcopum Aquileiensem, cum tradere debuisset episcopum civitatis Romatianæ. Si error reipsa **57** sit in alterutro; cui potius habenda fides est, Gennadio, an Romano codici? Porro Gennadius, utut diligens habeatur ac solers, scriptor tandem neque Ecclesiæ Aquileiensi proximus, neque Italus est, neque undequaque emaculatus, uti suo loco dicemus; et scriptor etiam est, qui aliena refert, et qui fortasse non omnia viderit de quibus scribebat, immo plura etiam relatu sciverit quam ipse per sese cognoverit. Romanus vero codex ipsa est Nicetæ elucubratio, quæ nomen prodit parentis sui, et episcopatus designat locum. Hic nimirum veluti de seipso testimonium perhibet, ille de alio. Quis vero non potius credat operi genuino præferenti nomen auctoris sui, quam scriptori alieno ac dissito aliter referenti? Romanus etiam codex, quamvis sæculi XIV in charactere ostendat faciem, nullum dubium quin ex vetustiori, et fortasse ex coævo ipsi auctori codice, sæculo XIV exscriptus sit. Cum vero ex epistola supracitata sancti Leonis papæ ad Nicetam Aquileiensem edoceamur Romanæ Ecclesiæ diaconum, *Adeodatum* nomine, ab Aquileia Romam reversum Nicetæ Aquileiensis episcopi consultationes ad pontificem detulisse; non male quidem quispiam conjectaverit, immo vero æque pro illius temporis disciplina judicabit, illum Romam attulisse Nicetæ Aquileiensis opusculum *de Symbolo*, atque hoc præ aliis Nicetæ ipsius opusculis selegisse quod Leoni papæ et Romanis omnibus exhiberet, utpote testem fidei quæ in Aquileiensi Ecclesia publice tradebatur; maxime vero habita ratione ad novum Eutychianum errorem, paulo pridem tam strenue a divo Leone in celebri epistola ad Flavianum profligatum, et a Niceta ipsis Leonis sensibus ac momentis, immo etiam verbis, uti vidimus, ex eadem epistola sumptis exagitatum. En igitur fortasse exemplar *Explanationis Symboli* ad ipsum quintum sæculum pertinens, unde postea sæculo XIV eductum fuit apographum Ghisianum, quod tamdiu in bibliothecarum forulis latitavit, ac tandem nostra hac ætate in lucem prodiit ad ecclesiasticam librorum supellectilem novo hoc cimelio sane pretiosissimo augendam, ad catholicorum dogmatum traditionem validius confirmandam, necnon et ad novam in ecclesiastica historia lucem effundendam.

Non igitur ex Gennadiano opere (ubi error in alterutro subsit, qui nulla possit conciliatione auferri); non ex Gennadiano opere corrigenda est inscriptio Romani codicis, sed potius ex Romano codice corrigendus Gennadius est. Cum nondum ullus codex apparuisset, qui difficultatem de Romatiana civitate Gennadii in Niceta suo dirimeret, eumdemque clare et perspicue *Aquileiensem* episcopum appellaret; prudentissime se gessisse fateor scriptores gravissimos, qui minime ausi sunt ex Romatianæ civitatis nomine episcopatum Aquileiensem prodere, neque cardinali Baronio subscribendum putarunt, aliisque paucis, qui haud satis quidem tunc firmis rationibus Aquileiensem hujus Nicetæ Gennadiani episcopatum tuebantur, asserentes confidenter *Aquileiensem* reapse civitatem pro *Romatiana* illa in Gennadio habendam. Quinimmo ignoscendum quoque eisdem existimo, quod Remisianam aut Remesianam seu Romessianam, etc., in Dacia invenientes apud geographos aliosque scriptores veteres, necnon alium quoque Nicetam episcopum Dacum sancti Paulini Nolani amicum, autumarunt hunc non dubie esse Nicetam a Gennadio memoratum, et Romatianam illam Gennadii civitatem facile esse posse, pro vocis similitudine, Remisianam aut Remesianam seu Romessianam, etc., in Dacia Cisdanubiana, cujus scriptores ac geographi veteres meminere. At postquam omnibus ignotus codex demum apparuit, **58** qui nulla neque falsitatis neque interpolationis nota, immo tanto sinceritatis charactere, tam simplici assertione, unum ex illis septem opusculis, a Gennadio Nicetæ Romatianæ ascriptis, Nicetæ Aquileiensi episcopo tribuit, qui etiam talia affert in sinu illius opusculi, quæ minime possunt Nicetæ Daco Paulini Nolani amico convenire; quis ex eodem codice tam optimæ notæ rem actam non judicaverit, ac nequaquam amplius requirendum in Daciæ Remisiana seu Romessiana aut Remesiana, etc., episcopum civitatis Romatianæ Gennadii, quem Romanus codex episcopum Aquileiensem esse asserit; proindeque Romatianæ civitatis episcopum Niceam seu Nicetam, ipsum esse Nicetam episcopum Aquileiensem?

Inscriptionem seu titulum opusculi falsatum putat clarissimus Zabeus ab illius exscriptore, qui forte legens in codice vetustiori *Explanatio Symboli beati Nicetæ episcopi*, addiderit ipse arbitratu suo vocem *Aquileiensis*, ex notitia quam habere potuerit, aliquem Aquileiensium episcoporum exstitisse, Nicetam nomine. Ita in dissertationis parte I, num 20. Hoc videlicet Zabeo necesse erat excogitare ad propriam opinionem tuendam, et ut nimis apertam Romani codicis auctoritatem declinaret : at nescio quo vade hanc benemerito amanuensi, cui servatum debemus tam pretiosum Nicetæ opusculum, impingat arbitrii culpam; cum culpæ nullius, nullius alterius arbitrii vestigium in tota illa opusculi exscriptione occurrat. Quinimmo neque verosimilem esse censeo arbitrariam illam in opusculi titulo additionem vocis *Aquileiensis;* et insuper inscriptionem illam, seu titulum opusculi talem esse puto, qui primævam suam et originalem sinceritatem ostendat; quod nunc videndum.

Et primo : aut vocem *Aquileiensis* arbitrario additam putat Zabeus in codice vetustiori hujus *Explanationis Symboli*, qui fuerit exempli gratia ipso quinto sæculo exaratus; aut in alio posterioris ævi; aut demum ab exscriptore postremo sæculi XIV, cujus est codex Romanus in bibliotheca Ghisiana nuper detectus, et adhuc in toto orbe unicus. Jam vero sæculo quinto, nimirum ipsius Nicetæ Aquileiensis ætate, et non longe ab obitu Nicetæ Daci, talis esse non poterat duorum horumce Nicetarum, maxime autem in Ecclesiis Italiæ, ignoratio, ut unus pro altero ab amanuensi pro arbitrio ex cognitionis defectu scriberetur. Certe Nicetas Aquileiensis Romæ ignotus esse non poterat, tum ob epistolam sancti papæ Leonis ad ipsum datam, tum ob Adeodati Romanæ Ecclesiæ diaconi testimonium, qui ab Aquileiensi Ecclesia redux postulationes Nicetæ Aquileiensis pontifici detulit, et procul dubio de eodem etiam, ac de illius Ecclesia nuper ex Attilanæ cladis angustiis emersa, cum Romano clero ac populo verba habuit. Nicetas etiam Dacus sancti Paulini Nolani amicus, qui, ipso Paulino teste epistola 29 ad Severum, *doctissimus, ex Dacia Romanis merito admirandus advenerat*, ignotus homo non erat, ut amanuensis pro illo Nicetam Aquileiensem intruderet in *Explanationis Symboli* inscriptione. Si igitur ponamus Explanationem hanc cum inscriptione sua a codice prodiisse sæculi quinti, qui etiam codex Romæ exstiterit, uti probabilius censeri debet cum nihil adsit quod adversetur; nequaquam talis ignoratio in codicis exscriptore credi potest, ut unum Nicetam pro altero ipso quinto sæculo arbitrario scripserit in illius opusculi titulo.

Minus vero intrusionis illius suspicio esse potest, si Explanationem illam exscriptam velimus ex codice post quintum sæculum exarato. Cum enim **59** post quintum sæculum usus etiam in Occidente inoleverit archiepiscopos appellandi præsules illos qui metropolitica auctoritate fulgebant, qui usus jam communissimus factus fuerat sæculo VIII, in universa Occidentali Ecclesia, ut apud eruditos constat, et monuit novissime clarissimus abbas Fumagallius in suis Diplomaticis Institutionibus Italice editis, tomo II, libro II, parte II, cap. 14, num. 8, nec non et in codice diplomatico Santambrosiano, pag. 60, nota (2), sicut etiam nuper clarissimus item Cajetanus Marinius in eruditissimo suo opere I Papiri Diplomatici pag. 289, in annotatione (15) ad papyrum 87; exscriptor prædicto quinto sæculo posterior, et Nicetarum non satis conscius, post voces illas *Nicetæ episcopi*, non ita facile addidisset *Aquileiensis*, quando nimirum Aquileienses præsules, jamdiu, et ante Nicetam ipsum, metropolitæ, archiepiscoporum inducto titulo et ipsi cum cæteris gaudebant; sed addidisset potius *Romatianæ in Dacia*, quod melius ea ætate cum simplici episcopi titulo conveniebat: aut si voluisset de industria vocem *Aquileiensis* intrudere, non omisisset præcedentem episcopi titulum in illum archiepiscopi commutare, ut consuetudini post quintum sæculum inductæ inserviret, et tam præclaræ sedis honorem non minueret. Quid autem si censeatur orta intrusio vocis *Aquileiensis* in opusculi inscriptione ipso sæculo XIV, quo Romanus codex bibliothecæ Ghisianæ exaratus dicitur? Tunc videlicet neque episcopi neque archiepiscopi titulo utebantur præsules Aquileienses sed ex inveterata sæculorum præcedentium consuetudine patriarcharum vocabulo appellabantur, uti ex ecclesiastica historia Aquileiensi satis notum. Minus itaque apposite intrusisset tunc temporis exscriptor Opusculi vocem *Aquileiensis* post illas *Nicetæ episcopi*, saltem absque immutatione præcedentis vocis *episcopi* in vocem *patriarchæ*, quæ sola erat præsulum Aquileiensium appellatio, quæque usurpata legitur quoad Nicetam ipsum etiam in kalendariis Aquileiensis Ecclesiæ typis editis, quæ ipse vidi, ab anno saltem 1651, usque ad annum 1755, ubi ad diem 22 Junii officium indicitur *Niceæ patriarchæ Aquileiensis confessoris*. Nullo igitur modo verosimilis videtur additio vocis *Aquileiensis* in Romano codice bibliothecæ Ghisianæ, quæ a clarissimo Zabeo judicatur ab illius exscriptore facta; sed vox illa primævæ cum codice ipso originis censenda est, sicuti tota illa inscriptio, quæ eidem voci auctoritatem addit, quod mox videndum.

Hæc nimirum Romani codicis inscriptio ita se habet : *Explanatio Symboli beati Nicetæ Aquileiensis episcopi habita ad competentes.* Nitor et simplicitas hujus inscriptionis quintum sæculum apprime sapiunt, et mire concordant cum *nitore* ac *simplicitate* totius opusculi, ob quas dotes a Gennadio commendatur; ideoque hæc ipsa opusculi inscriptio, nitoris ac simplicitatis merito, jure optimo conferri potest cum inscriptione etiam epistolæ divi Leonis Magni ad Nicetam ipsum, quæ talis est : *Leo episcopus Nicetæ Aquileiensi episcopo salutem.* Titulum beati, quem Nicetæ nomini præfixum videmus, non immerito conjectaverim fuisse ab initio appositum a primo opusculi exscriptore, et fortasse ab ipso Romanæ Ecclesiæ diacono Adeodato, qui probabiliter ex Aquileia *Explanationem Symboli* Nicetæ episcopi secum detulit Romam, uti antea innuebam. Certe beati denominatio honoris titulus erat, qui illa ætate etiam viventibus episcopis passim deferebatur, sicuti plura nos docent ejusdem sæculi monumenta, maxime vero epistolarum inscriptiones non paucæ, quæ in **60** Operibus sanctorum Patrum habentur. Ejusmodi titulo *beati* donabantur eadem ætate etiam insignes doctrina ac pietate viri vita functi, et illi præcipue quorum in Ecclesiæ ædificationem exstabant Opera : et celebre est decretum Gelasii papæ ad annum pertinens 494, de Authenticis Libris, et de Apocryphis Scripturis, in concilio 70 episcoporum Romæ habito, quod videre est in conciliis Labbei cura Coleti, tomo V, col. 387, et apud Fontaninum de Antiquitatibus Hortæ in appendice sub num. 1, ubi titulo beatorum singillatim recensentur omnes ii quorum Opera commendantur veluti recipienda : nimirum beati Cypriani martyris et episcopi, beati Gregorii Nazianzeni episcopi, beati Basilii Cappadociæ episcopi, beati Athanasii Alexandrini episcopi, beati Cyrilli Alexandrini episcopi, beati Joannis Constantinopolitani episcopi, beati Theophili Alexandrini episcopi, beati Hilarii Pictaviensis episcopi, beati Ambrosii Mediolanensis episcopi, beati Augustini Hipponensis episcopi, beati Hieronymi presbyteri, beati Prosperi viri religiosissimi, beati Leonis papæ. Si igitur beati titulo insignitum videmus Nicetam Aquileiensem in ejusdem opusculi inscriptione; sive adhuc vivens, sive paulo post decessum ita fuerit ab exscriptore opusculi appellatus; inscriptio illa procul dubio scribendi modum præbet et disciplinam ejusdem quinti sæculi, in quo Nicetas Aquileiensis floruit.

Istud vero eo etiam magis elucet, quod beatus ipse Nicetas simplici episcopi titulo nominatur; quod

ad ejusdem sæculi disciplinam perinde pertinet, licet Aquileiensis Ecclesia jam pridem metropoleos honore fulgeret : ipsa namque circa annum Christi 369, in sancto Valeriano episcopo Aquileiensi, qui rem catholicam contra Arianos strenue tuitus fuerat, omnium prima inter Italiæ Ecclesias hoc honore decorata fuit, Damaso pontifice Maximo, uti post viros clarissimos noviter etiam scripsit eruditissimus noster, multisque editis Operibus clarus, Innocentius Maria Lirutus, e Patavina nuper Benedictinorum familia, nunc autem episcopus Veronensium, in Exercitatione Patavii cusa anno 1787, de sero Metropoleon Ecclesiasticarum Ortu in Occidente, capite 2. Etsi vero septimi atque etiam sexti sæculi adsint exempla in Occidentali Ecclesia, ex quibus deprehendimus metropolitanos episcopos jam tunc cœpisse archiepiscoporum titulo augeri, uti cum aliis supralaudatus Cajetanus Marinius loco citato; quinti certe sæculi nullum invenire est in sinceris monumentis : atque idem præclarissimus vir papyrum suam illustrans 86 anni 555, in qua præsulum Ravennatensium mentio cum titulo archiepiscoporum, in annotatione (51) ad eamdem pag. 287, admonet ipsius Ecclesiæ antistites simplici episcoporum nomine semper appellatos fuisse in papyris prædicto anno 555 anterioribus; licet eruditorum concordi testimonio constet, Ravennatensem Ecclesiam, jam inde ab ætate saltem divi Petri Chrysologi, ecclesiasticam metropolim factam fuisse, ea etiam de causa, quod Ravenna Regia tunc esset civitas, ut apud eumdem Lirutum citato loco habemus. Cum igitur hic videamus Nicetam nostrum Aquileiensem, quamvis metropolitam, episcopum simpliciter appellatum eo prorsus modo quo alii Orientis et Occidentis metropolitæ, Athanasius, ex. gr., et Theophilus episcopi Alexandrini, et Ambrosius episcopus Mediolanensis, aliique in prædicto Gelasii decreto recensiti, nec non et eo prorsus modo quo eumdem Leo Magnus appellavit in epistola ad ipsum data; quis inde quoque non colligat, inscriptionem illam seu titulum opusculi *de Symbolo* talem esse, qui primævam suam sinceritatem, **61** et originalem quinti sæculi cum eodem opusculo faciem ostendat, ac propterea improbabiliorem omnino reddat intrusionem illam vocis *Aquileiensis* a clarissimo Zabeo excogitatam?

Sed jam ab opusculi inscriptione ad ipsum opusculum descendamus; ubi primo ea sunt perpendenda quæ tempus quodammodo Nicetæ Aquileiensis designant, deinde quæ Aquileiensis Ecclesiæ fetum opusculum illud ostendunt. Jam supra notavimus Aquileiensis Nicetæ episcopatum anno 454 inchoatum, et ad annum 485 productum fuisse. Episcopatum nempe inchoavit Nicetas anno post datam a divo Leone epistolam ad Flavianum quinto, et post concilium Chalcedonense tertio; cum scilicet, quamvis Eutychianus error ubique ab Ecclesia reprobatus et anathemate perculsus fuisset, nec vires tamen perdiderat, nec amiserat sectatores. Cum igitur Aquileiensem cathedram Nicetas episcopus conscendit, Eutychianus error præ cæteris erat, contra quem oportebat Ecclesiæ pastores gladio Verbi Dei dimicare, nec non et peculiari studio disertisque verbis fidelem populum communire, ne se abripere pateretur a novis seductoribus, a quibus non ita tunc solummodo periculum imminebat sicut ab hæreticis præcedentibus, sed qui ideo etiam periculosiores erant, quia sub specie tuendæ fidei, et Nestorianæ hæreseos profligandæ suum effundebant errorem. Quid autem Nicetas in opusculo *de Symbolo ad competentes*, ubi reapse ex professo illa novella germina catholicis erant dogmatibus imbuenda, atque in professione veræ fidei consolidanda? Dogma nimirum de vera in Christo, sicut divinitate, ita et humanitate, ita competentibus tradit, capite 4, quod in antecessum retulimus, quodque inferius etiam subjiciemus, ut et eloquutionis vi, et momentorum robore, et orationis instantia, et quadam etiam prolixitate sermonis satis ostendat hoc esse præ cæteris, de quo tunc oportebat et aliquanto fusius dicere, et ardentiori studio instare, ne se sinerent in errorem abduci ab adversariis, qui præsto essent ad eorum mentes decipiendas, si imparatas et minus cautas invenissent. Quid vero, quod Eutychen et Eutychianos falsa docentes ibidem designans Nicetas, non proprio eos nomine, sicuti alios quosdam hæreticos aut schismaticos ab eorum primipilis appellat, sed quasi notissimos cunctis, atque insidiosa doctrina præsentes, communi nomenclatura commemorat dicens, *erroneos hæreticos* et *magistros fallaciæ?*

Adhuc apertiora nihilominus sunt quæ sequuntur, ad indicandum Nicetæ Aquileiensis tempus, immo etiam, ut opinor, primos episcopatus sui annos. In citato capite 4 *Explanationis Symboli* non Eutychetis error tantummodo a Niceta impetitur, uti vidimus, sed etiam error Nestorii : hic autem, quamvis Eutychiano errore viginti circiter annis anterior, secundo loco ponitur; et dum in illo nimius fortasse videtur Nicetas quam simplex Symboli explanatio requirat, in hoc e contrario brevissimus est, quasi scilicet parum aut nihil oporteret de eo disserere, qui jam, novo Eutychetis erumpente errore opposito, vires propemodum amisisset. En illius verba, quæ hic de utroque errore subjicimus, ut facilius conferantur : « Crede hunc, qui ex virgine natus est nobiscum, esse Deum; Deum ante sæcula de Patre; hominem ex Virgine propter homines. Vere incarnatum, non putative, sicut quidam dicunt erronei hæretici erubescentes mysterium Dei. In phantasmate dicunt factam Domini incarnationem : quia non vere fuerit quod videbatur, sed oculos fefellerit hominum. Quod absit, absit omnino a Dei veritate. Si enim falsa incarnatio **62** est, falsa erit et salus hominum. Quod si vere salus in Christo est, vera æque incarnatio est. In ipso utrumque existens; homo, quod videbatur; Deus, quod non videbatur. Manducans ut homo; et pascens quinque millia hominum quinque panibus, quia Deus. Dormiens ut homo in navi; sed ventis et mari imperans, quia Deus. Manus cruci affigens velut homo; sed paradisum confitenti se latroni tribuens, quia Deus. Mortem postremo suscipiens deposito ad modicum corpore, ut homo; sed quatriduanum mortuum de sepulcro suscitans, quia Deus. Utrumque ergo credendus est Christus; Deus, et homo : quia sicut homo ex passionibus agnoscitur, ita Deus ex divinis operibus manifestatur. Habes ergo unde respuas magistros fallaciæ. » Hactenus contra Eutychianum errorem Nicetas : quæ vero continuo subdit, sunt contra errorem Nestorii; ait enim : « Si quis tibi hominem tantummodo Christum fuisse in auribus susurrare tentaverit, dicito quia homo per prædicta factus est. Quem ex virtutibus, et professionibus jam cognovi, dicente ipso Salvatore ad Judæos : *Si mihi non vultis credere, vel operibus credite, et cognoscite quia ego in Patre, et Pater in me.* » Quid sibi, quæso, vult hæc ordinis inversio, et hæc loquendi disparitas de Eutychiano errore, ac de Nestoriano? Quid nimirum est, quod hic Nicetas non a Nestoriano errore qui primus eruperat, sed ab Eutychiano monitionem suam incipit? Unde est, quod et tam accurate Eutychianum errorem exponit, et tam diligenter et tam valide antidotum præbet contra eum, sumptis ex evangelica historia argumentis, dum e converso pressius, et paucis verbis Nestorianismum notavit; nisi quia Eutychianus error tunc temporis erat adversus quem munire fideles oportebat quammaxime, dum interim Nestoriana hæresis patronos et sectatores, saltem qui magni nominis essent, veluti prorsus amiserat?

Verum et dictiones ipsas accuratius intueamur in utroque notando errore adhibitas, quæ certe non fortuito sed consulto sunt positæ; nihil enim censeri potest in Symboli explanatione, quod non omni ex parte sit mature perpensum. Cum itaque de Eutychiana hæresi primo loco loquitur, ait, quod hæretici

dicunt, et bis idem repetit verbum; quod de publica et aperta istorum obloquendi ratione intelligendum venit, qui quamvis jam multum favoris et auctoritatis amisissent, maxime post evulgatam toto orbe epistolam divi Leonis ad Flavianum, et post œcumenicum Chalcedonense concilium, nihilominus, ut est omnium hæreticorum ac fuit semper, errorem suum prædicare non desinebant. Cum vero ad hæresim Nestorianam sermonem vertit, Nestorianos jam non palam dicere, sed *in auribus susurrare* ait, et quidem non sine aliqua circumspectione, ac simul etiam cunctatione, *tentando* nimirum veluti clanculum ac gradatim, prout illi se gerunt qui minus fidentes et cum timore de re quapiam aliquem alloqui aggrediuntur; qui etiam non illico, nec quandocunque, sed data opportunitate personæ loci ac temporis id faciunt. Quid namque istud? Nestoriani scilicet statim ab exorta Eutychiana hæresi vires suas amiserunt, quippe qui et catholicos ipsos et Eutychianos adversos habe-rent : catholicos, pro fidei integritate, quam adversus quascumque hæreses tuebantur; Eutychianos vero, ex ipsa novi eorum erroris indole, qui ex nimio, et imprudenti fervore insectandæ Nestorianæ hæresis ortum habuit. Nestoriana itaque hæresis, Eutychiana exorta, vires suas amiserat, neque amplius, uti prius, se prodere audebat. Quid tunc audere potuisset **63** Nestoriana hæresis in orbe catholico, cum catholici ipsi, iidemque strenui catholicæ veritatis assertores adversus Eutychetis conatus, ab Eutychianis passim Nestorianismi impudentissime insimularentur, ut omnibus notum est qui eorum temporum ac errorum historiam calleant? Non igitur sine ratione diversum agendi modum Nicetas exposuit, Eutychianorum, ac Nestorianorum; illorum nempe aperte *dicentium*, horum vero *in auribus susurrare tentantium*, proprios uniuscujusque partis errores. Hæc autem diversimode sese exprimendi ratio in hac *Symboli Explanatione ad competentes* quoad Nestorianum et Eutychianum errorem, hæc etiam ordinis veluti inversio in utroque recensendo, hæc major vis atque contentio in refutatione posterioris; hæc omnia, inquam, mirifice probant atque confirmant, Nicetam hujus Explanationis auctorem proprie pertinuisse ad ea tempora, quibus Eutychiana hæresis validius erat profligauda; ac proinde Nicetam hunc esse reapse Nicetam nostrum Aquileiensem, prout fert opusculi titulus in Romano codice Ghisiano; illum nempe Nicetam qui anno 454 episcopalem cathedram Aquileiensem conscendit, qui propterea Leonis Magni vivebat ætate, et ad quem ejusdem sancti pontificis exstat epistola Decretalis. Quidni et hæc eadem loquendi ratio in *Symboli Explanatione* primos Nicetæ episcopatus annos designet, uti antea innuebamus; cum scilicet Eutychianismus a primis ejusdem propugnatoribus atque propagatoribus adhuc pervicacius defenderetur, ac propterea Nestorianismus, qui neutiquam exstinctus, qui etiam postea suas resumpsit vires, tunc veluti tempori cedens latitare cogeretur? Sed ad alia properandum, quæ res hactenus dictas magis magisque confirment.

In illa *Symboli Explanatione* non modo ea habemus quæ quodammodo tempus Nicetæ Aquileiensis designant, uti jam vidimus; sed etiam quæ Aquileiensis Ecclesiæ fetum Opusculum illud ostendunt. Nolim tamen videri nimis confidenter agere, si opusculum illud Aquileiensis Ecclesiæ esse fetum inde ostendere in primis aggredior, unde non esse clarissimus Zabeus in sua dissertatione affirmabat. Non esse fetum Ecclesiæ Aquileiensis *Explanationem* illam *Symboli* eruditus vir, et longa quidem oratione, probare inde studuit in dissertationis suæ parte II, num. 3 et sequentibus, quia non peculiare Symbolum Ecclesiæ Aquileiensis Nicetas ille explanandum suscepit, sed commune Symbolum vetus Ecclesiæ Romanæ, cum additione vocis *catholicam* ad Ecclesiam, et postremi articuli *vitam æternam*. Esse vero fetum Ecclesiæ Aquileiensis Explanationem illam inde ipse propugno, quia Aquileiensis peculiaris Symboli vestigia in ea apparent satis manifesta. Res igitur enucleanda est.

Quodnam fuerit Aquileiensium Symbolum peculiare a Romano distinctum, seu potius quænam fuerint Aquileiensium additamenta peculiaria ad Romanum Symbolum, ex Rufino Aquileiensi habemus in suo celeberrimo Commentario in Symbolum apostolorum, quem tot laudibus antiquitas commendavit; necnon ex Fontanino Historia Litteraria Aquileiensis libro v capite 14, et ex De Rubeis Monumenta Ecclesiæ Aquileiensis, capite 7, de Liturgicis aliisque sacris Ritibus, etc., capite 8, et dissertatione Variæ Eruditionis, capite 2. Tria erant hujusmodi Aquileiensium additamenta ad Romanum Symbolum : primum scilicet voces, *invisibili* et *impassibili*, ad Deum Patrem omnipotentem; alterum, *descendit ad inferna*, ad Jesum Christum crucifixum et sepultum; tertium, vox *hujus*, ad carnis resurrectionem, qua nimirum dicebant, *hujus carnis resurrectionem*. **64** Et hæc præter variationem aliquam minoris momenti, ut *Credo in Deo Patre*, pro *Credo in Deum Patrem;* et ita *et in Christo Jesu*, pro *et in Christum Jesum*, etc. Quod in usu fuerint apud Aquileienses tria hæc additamenta Rufini tempore, nullus dubitat : quamdiu vero post Rufinum perduraverint, hoc videndum.

Clarissimus rerum et antiquitatum Ecclesiæ Aquileiensis investigator, et a Zabeo sæpissime ac merito laudatus Bernardus Maria De Rubeis in ea est sententia, quod *sexto*, atque etiam *quinto* sæculo, maxime vero in publicis Symboli expositionibus occasione *scrutiniorum*, Romanum Symbolum etiam apud Aquileienses plenissime obtinere potuerit, absque illis tribus, quæ memoravimus, additamentis. « Dimissis additamentis, ait ille in dissertationibus Variæ Eruditionis, capite 2, num. 5, formulam simpliciorem Romanæ Ecclesiæ prævaluisse in Ecclesia Aquileiensi, dubito nullus; colligiturque ex insigni vetusto monumento, quod est Aquileiense catechumenorum scrutinium. Typis illud editum exstat in citata dissertatione nostra de Liturgicis, aliisque sacris Ritibus, etc., capite 9 et 11, etc. » Hinc duas Symboli expositiones exstare ait in illo scrutinio Aquileiensi, ad scrutinium *postremum* quod appellat; brevem nempe unam, prolixiorem alteram, in quarum nulla apparent additamenta a Rufino notata. Post prolixiorem vero, quam integram exhibet, quamque autumat a divo Petro Chrysologo concinnatam, hæc subdit : « Quo vero hanc Symboli in scrutinio Aquileiensi expositionem attentius perpendo, eo magis pronus existimo, ut eadem inter ejusdem Chrysologi sermones locum habere possit, proque ejusdem sancti Patris inedito sermone habeatur : stylus namque convenit apprime. Id vero colligendum mihi est, hanc Symboli expositionem, ipsumque Romanum Symbolum quod exponitur, jam *quinto* aut *sexto* sæculo esse in usu potuisse in Ecclesia Aquileiensi. » Porro si sanctus Petrus Chrysologus episcopatum inchoavit anno Christi 439, vel 440, qui fuit postremus Sixti papæ III, in quo sanctus Petrus ad Revennatensem sedem *electus* et *ordinatus* dicitur a clarissimo ab. Bacchinio in dissertatione 5 ad Agnellum suum parte II, num. 6, et in *observationibus* ad Vitam S. Petri Chrysologi; et si ad annum 451 eumdem vitam produxisse ponamus, uti alias dictum est ex eodem Bacchinio, prolixior illa Symboli expositio jam in usu esse poterat apud Aquileienses in scrutiniis catechumenorum aliquot annis ante Aquileiensem Nicetæ episcopatum, puta nimirum sedente antecessore ejus Secundo, et aliquot etiam annis ante Attilanam Aquileiensem cladem. Quæ si vera sunt, non est igitur cur Zabeus *Explanationem* illam *Symboli Nicetæ episcopi* inde neget esse posse fetum Nicetæ episcopi Aquileiensis, quia in illa non Symbolum Aquileiense cum tribus illis Additamentis, sed commune Romanum Symbolum exponatur.

Quid vero si multo etiam ante Nicetæ tempus probabiliter cœpit in Ecclesia Aquileiensi Romanum

Symbolum prævalere, et tria illa Additamenta cum paucis aliis variantibus paulatim in desuetudinem abire? In ultima Augustinianorum Operum editione Maurina exstat sermo sub numero 242, in Appendice tunc primum collocatus, qui sub Augustini nomine in anterioribus editionibus inter alios ejusdem genuinos sermones locum habuerat. De Symbolo est hic sermo, qui etiam Symbolum ipsum, post præfatiunculam quamdam, integrum exhibet, antequam per partes illud explanandum suscipiat. Peculiare vero in hoc Symbolo est, quod cum ferme prorsus conveniat cum veteri **65** Romano Symbolo, addita voce *catholicam* ad Ecclesiam, et ultimo articulo *vitam æternam*, necnon aliqua alia dictione quæ in hodierno Symbolo apostolorum habetur, quæque fortasse ab amanuensi inferioris ævi per oscitantiam currente calamo memoriter illata fuit; duo tamen continet, ex tribus quæ notavimus, singularia additamenta Aquileiensis Symboli, nempe *descendit ad inferna*, et *hujus* carnis resurrectionem, prætermisso additamento priori *invisibili et impassibili*, sicut etiam relicta modica illa superius notata variatione ablativi casus pro accusativo, quæ in Aquileiensi formula exstabat. Cum divi Augustini episcopi Hipponensis hic Sermo non sit, ut communi eruditorum calculo constat; quidni fuerit ex aliqua saltem parte *Augustini* Aquileiensis episcopi, qui sancto Chromatio in episcopatu successit, et qui ejusdem sancti Augustini episcopi Hipponensis vivebat ætate? Profecto non esset hæc prima, ejusdem nominis ejusdemque temporis ratione, orta allucinatio: quinimmo, ut ex ipsa re quam agimus exemplum sumamus, Augustinus ipse Hipponensis creditus fuit Augustinus ille ad quem oblatus legitur quidam libellus filei Pelagianorum, qui in Appendicibus Augustinianis editus fuit, quique eruditorum virorum judicio apud De Rubeis, et hujus quoque clarissimi viri sententia in Monumentis Ecclesiæ Aquileiensis, capite 14, oblatus reapse fuit Augustino episcopo Aquileiensi, sancti Chromatii successori, a presbyteris aliisque de clero Aquileiensis provinciæ, qui Pelagiana labe infecti erant, atque tractoriæ seu tractatoriæ epistolæ Zozimi papæ, in qua Pelagius Cœlestiusque damnati fuerant, subscribere detrectabant. Si igitur Augustini episcopi Aquileiensis est ille sermo, uti Aquileiensia illa duo singularia vestigia suadent, jam Augustini istius tempore, ipso nempe initio sæculi quinti, et paulo ante seu paulo post Rufini mortem, qui septuagenarius obiit in Sicilia anno 410, uti ex Fontanino in Vita illius videmus in Ecclesia Aquileiensi cœpisse morem tradendi explicandique Romanum Symbolum, posthabita Aquileiensi veteri formula; et cœpisse quidem, non uno ictu, ut ita dicam, sed paulatim; cum hic unum tantummodo ex Aquileiensibus additamentis prætermissum appareat, dum ab aliis Symboli expositionibus quæ in Aquileiensi scrutinio catechumenorum superius memorato locum habent, tam brevi scilicet quam prolixiori, quæque medio circiter eodem quinto sæculo in Aquileiensi Ecclesia obtinere poterant, omnia penitus tria illa additamenta exsulabant. Quod nunc ex dictis inferri potest, illud est, Nicetæ Aquileiensis tempore procul dubio veterem Aquileiensis Symboli formulam cum tribus illis additamentis, saltem in publicis Symboli expositionibus, penitus in desuetudinem abiisse; ac proinde non recte a Zabeo deduci Aquileiensis Ecclesiæ fetum esse non posse *Explanationem Symboli* sub nomine Nicetæ episcopi Aquileiensis nuper ex Ghisiano Romano codice erutam, quia in illa, non Aquileiensis vetus formula cum tribus suis additamentis, sed Romana prorsus exhibeatur.

At dixerit fortasse quispiam: si non recte Zabeus conjicit, *Explanationem Symboli* ex Romano codice nuper erutam, esse non posse fetum Aquileiensis Ecclesiæ, quia in illa non vetus illud Symbolum Aquileiense sed Romanum competentibus traditur; quomodo quis inferre poterit, Explanationem illam vere esse fetum Ecclesiæ Aquileiensis, quia peculiaris Symboli Aquileiensis vestigia in ea apparent satis manifesta? Hoc nimirum est quod nunc animadvertendum venit ut Aquileiensis Ecclesiæ fetum vere esse *Explanationem* illam **66** *Symboli* ostendamus: nam aliud est, non viguisse Nicetæ Aquileiensis tempore veterem morem tradendi exponendique Symboli ad Aquileiensem vetustam formulam cum tribus illis additamentis Aquileiensi Ecclesiæ peculiaribus; et aliud est, Nicetæ etiam Aquileiensis tempore adhuc exstasse Aquileiensis veteris Symboli veluti vestigia quædam, ex quibus dignosci possit vere Aquileiensem fetum esse opusculum aliquod, quod aliunde non repugnet eidem Ecclesiæ ascribi posse, et quod aliunde etiam probetur eidem convenire. Hoc vero illud est quod aiebam, inde scilicet me ostendere opusculum *Explanationis Symboli ad competentes* esse fetum Ecclesiæ Aquileiensis, unde non esse clarissimus Zabeus affirmabat.

Non totam simul, sed paulatim derelictam fuisse in Aquileiensi Ecclesia veterem suam Symboli formulam in publicis Symboli expositionibus, etsi probatum non esset satis ex supra dictis, confidenter addam usque ad probationis vim vel conjectando deductum fuisse. Hoc autem etiamsi ex dictis non plane constaret, ipsa rerum hujusmodi natura nos doceret; ex qua videlicet discimus, in talibus gradatim semper incedere oportere ad evitandas offensiones, quæ non raro excitantur ex innovationibus hujusmodi quæ derepente fiant, veluti opinioni publicæ, publicæque institutioni injecta vi. Quis igitur non intelligat veterem Symboli Aquileiensem formulam cum additamentis suis diu apud Aquileienses perdurare debuisse, etiamsi publice in ecclesiasticis institutionibus amplius non traderetur; ita ut vetus illa, ab iis maxime qui Rufini tempore baptismum susceperunt, quique sub Chromatio et Augustino aliisque fortasse episcopis adhuc in vivis erant, privatim saltem recitaretur, eaque ab iis ipsis traderetur filiis atque nepotibus perdiscenda, qui tandem utramque formulam primis illis temporibus perfecte callerent, et utraque etiam pro libito uterentur? Illud nempe tunc evenisse merito conjicimus, quod nostra ætate factum neque una vice neque uno tantum in loco vidimus, si non quoad Symboli apostolici formulam, quæ jam a sæculis eadem semper est, quoad profecto illas fidei professiones Italica simul ac vernacula lingua vulgatas, quas actus fidei communiter appellamus, quæque ad rudiorum memoriam juvandam breviores nunc editæ fuerunt, quam illæ essent quæ a patribus atque ab avis nostris recitabantur ex celebri ac pervagata institutione Christiana venerabilis Bellarmini. Quid inde factum? Factum nempe, ut actus fidei veteres in ore patrum avorumque nostrorum, qui eosdem ab incunte ætate didicerant, vigerent adhuc; ut veteres simul ac novi a quamplurimis postea ediscerentur; ut demum, novis etiam communiter obtinentibus veteres ipsi non omnino in oblivionem venirent; quod notum est omnibus. Nihil itaque magis consonum naturæ rerum hujusmodi, quam ut Romano Symbolo in Aquileiensi Ecclesia inducto ad usum publicum, Symbolum ejusdem vetus cum additamentis suis adhuc in Aquileiensium ore maneret, et tria illa additamenta nota essent omnibus, atque etiam usurparentur passim ad Romanæ formulæ veluti clariorem explicationem. Quod vero apud privatos quoscumque in usu positum facile intelligimus, quidni locum habuerit, immo et obtinuerit de industria apud Aquileiensis Ecclesiæ præsules in iis Symboli explanationibus, quas publice dabant ad catechumenos seu competentes instituendos? Ubi porro hujusmodi Aquileiensis Symboli veluti vestigia apparent in Symboli explanationibus quæ ipsum Romanum Symbolum tradant, non immerito Aquileiensis Ecclesiæ fetus Explanationes illæ censeri possunt; habent enim formam quamdam, **67** ut ita dicam, et veluti faciem, quæ genus indicat unde originem trahunt.

Quid igitur in Nicetæ nostri Explanatione sese offert, quod vestigium veteris Aquileiensis Symboli censeri queat, ut inde inferamus Explanationem illam vere esse fetum Ecclesiæ Aquileiensis? Ex primo scilicet Aquileiensis Symboli additamento, facilioris intelligentiæ et uberioris explicationis gratia, apparet vox *invisibilis* ad Deum Patrem, capite 2; sicut etiam vox *impassibilis* capite 5, ubi legimus : « Deus enim impassibilis semper est : » quam alteram vocem in hac Explanatione a Niceta usurpatam Zabeus non animadvertit, et de qua immo scribebat Dissertationis parte II, num. 6, quod ibidem hæc vox, « *impassibilis* ne memoratur quidem. » E tertio additamento, non habet profecto Explanatio nostra vocem ipsissimam *hujus* ad carnis resurrectionem; sed bis habet vocem *tuæ*, id est *tuæ carnis resurrectionem* capite 12 et 13, prout requirebat sermonis nexus atque proprietas, quo audientium singuli ibidem, veluti singillatim ab episcopo compellati, edocebantur: quam vocem *tuæ* ibidem positam, nemo non videt ex voce *hujus* Aquileiensis Symboli derivatam, ac ratione ipsius in Explanatione sitam; ut ex Aquileiensis Ecclesiæ penu, atque ex satis nota eisdem additione, Aquileienses ipsi vim articuli de carnis resurrectione et facilius et penitius assequerentur. Vestigia itaque veteris Symboli Aquileiensis Ecclesiæ in Explanatione Nicetæ episcopi satis apparent, ut inde inferamus Aquileiensis Ecclesiæ fetum explanationem illam esse, ac proinde illius auctorem Nicetam nostrum Aquileiensem prodere, prout fert illius opusculi inscriptio.

Horum Aquileiensium vestigiorum vim aliquam etiam clarissimus Zabeus intellexit dissertationis suæ loco citato, et subsequenti etiam num. 9 : sed cum persuasum haberet Aquileiensem episcopum, nulla facta ætatis differentia, debuisse Aquileiense Symbolum tradere, non vero Romanum, facile se ab hujusmodi objectione expedire putavit, si vocem illam *invisibilem*, quam solam ipse de Deo dictam ex Aquileiensi Symbolo ibidem animadvertit, et si aliam quoque *tuæ* ad carnis resurrectionem positam, non ad mentem Aquileiensis ejusdem Symboli, neque propter rationes eas, ob quas in Symbolo a *majoribus nostris*, uti aiebat Rufinus, inductæ fuerunt, a Niceta usurpatas in Explanatione sua assereret; quod etiam ex Rufini ipsius Commentario comprobare non omisit, qui sane additamentorum Aquileiensium etiam rationem nobis ibidem tradidit. Verum si jam Nicetæ Aquileiensis tempore usus publicus Aquileiensis Symboli in Ecclesia Aquileiensi obsoleverat, jam amplius non exstabant in Aquileiensi Ecclesia rationes illæ pro quibus additamenta ipsa in Symbolo a *majoribus* inducta fuerant; ac proinde neque erat cur Nicetas in vestigiis illis Aquileiensis Symboli quæ in sua Explanatione inseruit, intendere deberet animum ad rationes eas, quæ horum additamentorum ex Rufino causa fuerunt ab initio apud Aquileiensium ætatis suæ *majores*.

Rufini vero nomen hic nos admonet, ut dum Aquileiensis Ecclesiæ fetum *Explanationem Symboli* Nicetæ episcopi asserimus ex eo quod vestigia præbeat veteris Aquileiensis Symboli, licet tunc publice jam desiverit in usu esse; admonet inquam, Rufini nomen, ut non omittamus inde quoque argumentum nostrum augere, quod in Explanatione illa multa adsint Rufini Commentario plane conformia, et ita quoque conformia, ut inde petita a Niceta episcopo facile quisquam sibi persuadeat. De Rufini itaque Aquileiensis Commentario in Symbolum ut aliqua **68** præmittamus, Gennadii testimonium minime negligendum, qui tanti factum fuisse priscis illis temporibus Commentarium illud Symboli asseruit De Viris illustribus capite 17, *ut in ejus comparatione, alii nec exposuisse credantur*. Illud quoque in hujus Rufiniani operis laudem facit, quod dignum visum fuerit aliquando Cypriani et Hieronymi scriptis accenseri. Quo anno, quove in loco positus Commentarium illud ediderit Rufinus, qui maximam vitæ partem peregre duxit, nihil compertum apud scriptores. Quis vero fuerit Laurentius ille papa id est episcopus, cui Commentarium suum Rufinus nuncupavit, etsi certo statui non possit, minime tamen videtur mihi contemnenda conjectatio clarissimi Fontanini Hist. Litterar. Aquil. libro v, capite 14, num. 1, *unum* scilicet *fuisse ex episcopis metropoli Aquileiensi attributis, puta Concordiæ.... cujus sedes vacat apud Ughellum ante sæculum sextum*. Id enim arguit eruditus præsul ex dicendi modis quos Rufinus adhibet in Commentario suo, qui indicare videtur, et se, et illum cui opus nuncupaverat, ad eamdem Aquileiensem Ecclesiam pertinuisse; uti exempli gratia num. 6, ubi, de vocibus illis *invisibili* et *impassibili* agens apud Aquileienses in Symbolo usurpatis, *Sermones istos* ait, *constat apud nos additos hæreseos causa Sabellii, illius profecto quæ a nostris Patripassiana appellatur* : et mox : *Ut ergo excluderetur talis impietas de Patre, videntur hæc addidisse majores nostri*. Similiter num. 45, ubi additamentum exhibet Aquileiensium vocis *hujus*, ad carnis resurrectionem : *Satis caute*, inquit, *Ecclesia nostra fidem Symboli docet, quæ in eo quod a cæteris traditur, carnis resurrectionem, uno addito pronomine tradidit hujus carnis resurrectionem*. Quid porro hic *Ecclesia nostra*, nisi Ecclesia Rufini fuisset una simul et Laurentii, ad quem Rufinus scribebat? Quid illic *apud nos*, quid *majores nostri*, Aquileienses nimirum, et non alii, uti ex textu patet; si et Laurentius non ex illis erat, quorum erat Rufinus; et si non eosdem quos Rufinus in Aquileiensi Ecclesia *majores* habuisset etiam Laurentius? Non me quidem latet clarissimo De Rubeis minus arridere hujusmodi Fontanini conjectationes in dissertationibus Variæ Eruditionis, capite 3, quod præfatæ Rufini locutiones consistere possint etiam nullo habito ad Laurentium respectu; et quia iidem loquendi modi familiares Rufino sunt in eodem Commentario, etiam ubi ad Aquileiensem Ecclesiam peculiariter referri non possunt. Pace tamen dixerim tanti viri : non mihi hæc videntur ejusmodi esse, ut Fontanini conjecturam, quæ tandem conjectura est, penitus valeant elevare; et nihil interest quod Rufini locutiones consistere possint, etiam non habito ad Laurentium respectu, dum reapse oppido melius cedunt si etiam ad illum referantur, ut cuiquam legenti patere potest : et satis quoque notum est, loquendi modos, etiamsi auctori cuipiam familiares, suam semper habere ex adjunctis vim, qua uno loco aliter, aliter alio intelligantur absque ulla ambage; ac propterea minime inde infirmari conjecturas, quæ validioris argumenti defectu etiam ex loquendi modis passim a criticis eruuntur. Illud vero, quoad Rufini Commentarium, hic insuper annotandum cum eodem De Rubeis loco citato; videlicet, sæculo VI, Venantium Fortunatum in sua Symboli Expositione quæ exstat initio libri XI Carminum et Prosarum ejus, ita ex Rufino Aquileiensi mutuatum fuisse quæ ibidem scripsit, ut videatur ipsum Rufini Commentarium veluti data opera in compendium redegisse, quod collatione locorum facta, idem vir clarissimus eodem loco etiam patefecit.

69 Nunc igitur ut ad propositum accedamus, fatendum quidem est, non invictissimum fore argumentum, ad probandum Ecclesiæ Aquileiensis fetum *Explanationem* illam *Symboli* Nicetæ episcopi, quædam quæ hac illac in ipsa appareant Commentario Aquileiensis Rufini conformia; Commentarium enim Rufini nec ita solis Aquileiensibus episcopis innotuit, ut ii tantum eodem uti valerent; nec ita peculiare pro Ecclesia Aquileiensi fuit, ut alii quoque episcopi, si luberet, eodem uti non possent. Verum post ea, quæ hactenus dicta sunt de Nicetæ nostri Explanatione, quæque cum Ecclesiæ Aquileiensis fetum non uno ex capite evincunt; quis inficias ierit, rerum ac sensuum, necnon et verborum convenientiam, quæ deprehenditur inter *Explanationem Symboli* Nicetæ

episcopi et Commentarium Symboli Rufini Aquileiensis, magis magisque comprobare Explanationem illam vere Aquileiensis alicujus episcopi censeri posse, ac propterea illius absque dubio cujus nomen præfert? Rufini Aquileiensis Commentarium de Symbolo jam ab initio in Aquileiensi Ecclesia innotuisse dubitari nequit : minus vero dubitandum, si ponamus Commentarium illud a Rufino scriptum dum Aquileiæ degeret sub Chromatio episcopo, et Laurentium illum cui Commentarium nuncupaverat ad Aquileiensem Ecclesiam pertinuisse. Præterquam quod, etiamsi longissime positus ab Aquileiensi urbe Commentarium suum scripserit Rufinus, illudque Laurentio illi dicaverit qui fortasse ex Aquileiensibus non esset, duo tamen suspicari minime possunt; vel scilicet Ecclesiam Aquileiensem non curasse ut sibi compararet tam præclaram filii ac presbyteri sui lucubrationem, quæ Christianæ fidei symbolum illustrabat, et Aquileiensibus additamentis testimonium tam illustre reddebat, vel Rufinum ipsum non eamdem mature misisse ad Aquileiensem Ecclesiam matrem suam, ubi, ipso teste Apologiæ libro I, capite 4, sub Valeriano episcopo, dum monachum ibidem ageret, *per baptismi gratiam regeneratus signaculum fidei consecutus* fuerat, et *patrem* ac *doctorem Symboli ac fidei opinatissimum* ipsius Ecclesiæ *diaconum* habuisse gloriabatur. Præterea si Chromatio Aquileiensi episcopo adhuc in vivis agente, quocum necessitudo maxima amicitiæ Rufino erat, id est si ante annum 407 opus illud suum Rufinus quocumque loco positus elucubravit, quod probabilius esse videtur, vix credi potest non illico Aquileiensibus Rufini Commentarium, saltem Chromatii ipsius opera, innotuisse. Quod vero Rufini Commentarium Aquileiensibus innotuerit, ac simul eodem, uti absolutissima ac probatissima de Symbolo lucubratione, et unica fortasse hujus generis quæ in Occidentali Ecclesia tunc esset, Aquileienses episcopi uterentur, facillime concipi potest ab iis quibus non sit ignota Rufini fama, qua etiam vivens fruebatur apud insigniores suæ ætatis viros, maxime vero apud Aquileiensis Ecclesiæ clerum, qui tanta tunc temporis et doctrinæ et sanctimoniæ laude, ipso Hieronymo teste, florebat; quidquid dissidii inter ipsum ac eumdem Hieronymum esset Origenianorum operum causa, de quo tanta hactenus eruditi in utramque partem. Quod si etiam sexto sæculo Venantius Fortunatus, non Aquileiensis quidem vir, etsi ortu conterminus Aquileiensi provinciæ, ex Rufini Commentario sumpsit unde suam Symboli Expositionem conflaret, dum fortasse in Gallia versaretur; quid non fecerint quinto sæculo Aquileienses ipsi, qui merito supra cæteras Occidentis Ecclesias de tam insigni presbyteri sui Commentario in Symbolum gloriari poterant?

Sed jam ad locorum collationem, Nicetam inter et Rufinum, accedendum **70** est. « Bene incipit a credulitate confessio, » ait Nicetas in *Explanatione Symboli*, capite 2. « Nihil est quod in vita geri possit, si non credulitas ante præcesserit, » aiebat Rufinus Commentarii in Symbolum num. 3; et tam ille quam hic ad eamdem Symboli primam vocem *credo* explicandam. « Credis ergo, sequitur ibidem Nicetas, in Deum Patrem omnipotentem : Deum ingenitum, qui ortus a nullo est, a nullo cœpit : Deum invisibilem, quem nullus carnis oculus videre sufficit : Deum incomprehensibilem, qui omnia comprehendit : Deum immutabilem, qui non mutatur temporibus, nec senescit ætate, sed semper idem est. Qui non in tempore cœpit vivere, sed semper vivens, nullum patitur successorem. » Quid autem Rufinus? « Deum cum audis, aiebat Commentarii num. 4, substantiam intellige sine initio, sine fine, simplicem, sine ulla admixtione, invisibilem, incorpoream, ineffabilem, inæstimabilem, in qua nihil adjunctum, nihil creatum sit. Sine auctore est enim ille, qui est omnino omnium auctor. » Pergit Nicetas ibidem : « Hunc confiteris Deum, sed eumdem confiteris et Patrem. Patrem Filii necesse est : nemo enim Pater est sine filio. Pater ergo per Filium est, habens utique Filium cujus sit Pater. » Rufinus vero iisdem pene verbis, eodem num. 4, præluserat dicens : « Patrem cum audis, Filii intellige Patrem... sicut enim nemo dicitur dominus, etc... ita et Pater nullo pacto quis dici potest, nisi filium habens. Hoc igitur ipso nomine quo Deus Pater appellatur, cum Patre pariter subsistere etiam Filius demonstratur. » Iterum Nicetas, capite 3 : « Jesus quidem Hebræorum lingua interpretatus, Salvator intelligitur. Christus vero regiæ dignitatis appellatio est : veluti Salvator et Rex, unus atque idem Christus Jesus. » Rufinus autem, Commentarii num. 6, ita scripserat : « Jesus Hebræi vocabuli est nomen, quod apud nos Salvator dicitur. Christus a chrismate, id est ab unctione appellatur... Christus quoque vel pontificale vel regium nomen est. » Nicetas Explanationis capite 5 ita de passione Domini loquebatur : « Et vide ne erubescas in passione Domini tui... Nec sane est unde confundaris, si in quo sacramento passus est Christus intelligas Passus est non Divinitate, sed carne. » Rufinus vero de eadem passione, num. 16 et 17 Commentarii sui hæc ante Nicetam dixerat : « Sed fortasse terretur aliquis in hujuscemodi doctrina, quod quem paulo ante cum Deo Patre diximus sempiternum, ac de ejus substantia esse progenitum... nunc de ejus morte tractamus. Sed nolo terrearis, o fidelis auditor, etc... Non ergo damno aliquo, aut injuria Divinitatis Christus in carne patitur, etc. » Nicetas de Spiritu sancto hæc, capite 7 : « Hic Spiritus sanctus unus est sanctificans omnia... Ipse prophetas constituit, apostolos implevit. » Rufinus in Commentario, num. 55, de eodem Spiritu sancto ita scripserat : « Hic Spiritus sanctus... cuncta sanctificans; » et num. 56 : « Hic Spiritus sanctus est, qui in veteri Testamento Legem et prophetas, in novo Evangelia et apostolos inspiravit. » Nicetas de sancta Ecclesia ita capite 10 : « Ecclesia quid aliud quam sanctorum omnium congregatio? » Et Rufinus in Commentario, num. 36, ita scripserat : « Sanctam Ecclesiam credendam esse, non ut Deum, sed ut Ecclesiam Deo congregatam. » Pergit Nicetas eodem capite dicens : « Sunt quidem et aliæ pseudoecclesiæ, sed nihil tibi commune cum illis; ut puta Manichæorum, Cataphrygarum, **71** Marcionistarum, vel cæterorum hæreticorum, sive schismaticorum; quia jam desinunt istæ Ecclesiæ esse sanctæ. » Rufinus quoque, num. 39, ita præluserat, rem tamen pro operis instituto fusius persequens : « Multi enim et alii Ecclesias congregaverunt, ut Marcion et Valentinus, et Ebion, et Manichæus, et Arius, et cæteri omnes hæretici. Sed illæ Ecclesiæ non sunt sine macula, vel ruga perfidiæ.... Concilium namque vanitatis est, quod agit Marcion, etc. » Nicetas, capite 12, de Carnis resurrectione ita competentes instituebat : « Consequenter credis et carnis tuæ Resurrectionem; » et capite 13 : « Qui in Christum credis, carnis tuæ resurrectionem profiteris. » Rufinus vero in Commentario scripserat num. 43 : « Hujus (carnis) sine dubio, quam habet is qui profitetur.... quo sciat unusquisque fidelium carnem suam, si mundam servaverit a peccato, futuram esse vas honoris. » De eadem re Nicetas, capite 13, ita præmonebat : « Multi quidem sunt hæretici, qui distorquent fidem resurrectionis, vindicantes solius animæ salutem, negata carnis resurrectione. Sed tu qui in Christum credis, carnis tuæ resurrectionem profiteris. *In hoc enim Christus et mortuus est, et resurrexit, ut et viventium, et mortuorum dominetur.* » Per vocem *viventium* animas, per vocem *mortuorum* corpora intellexit Nicetas, carnis probans resurrectionem ex allata Apostoli auctoritate Rom. XIV, adversus eos qui solius animæ salutem admittebant, negata carnis resurrectione. In hac porro intelligendi ratione *animas* et *corpora* per voces *viventium* ac *mortuorum* Nicetæ præiverat Rufinus : quamvis hic, non ad resurrectionem carnis astruendam, sed ad explicandum *vivorum* ac *mortuorum* extremum judicium, singulari

opinandi modo, *vivos* animas, *mortuos* corpora intelligere voluerit, Commentarii sui num. 53, his verbis : « Quod autem dicitur judicare vivos et mortuos, non ideo dicitur, quod alii vivi, alii mortui ad judicium veniant : sed quod animas simul judicabit et corpora, in quibus vivos animas, mortuos corpora nominavit. » Hactenus Nicetas et Rufinus simul comparati.

Ut autem objectioni occurram, quæ institui posset; negandum quidem non est, in eodem argumento, maxime vero in Symboli explanatione, facile esse ut auctores inter se, non modo sensibus, sed aliquatenus etiam verbis quandoque conveniant, licet alter alterum numquam viderit. Hoc tamen non frequenter assolet, sed tantum accidit aliquando; neque in eadem lucubratione deprehenditur rerum veluti series, quæ parallelum quoddam cum altera ejusdem argumenti, ut ita dicam, continuum præbeat : ideoque non hic unum aut alterum locum Nicetæ cum Rufino contuli, sed data opera plura. Inde igitur patet non ambigue, minime fortuito, et ex rerum veluti convenientia, scriptores istos inter se rebus et sensibus, ac etiam verbis plerumque convenisse; sed Nicetam reapse multa ex Commentario Rufini, veluti ex uberiore et absolutiore tractatu, in suam *Symboli Explanationem* traduxisse *ad competentes* instituendos, servata tamen, cum orationis brevitate quæ loci erat ac temporis, etiam simplicitate ac nitore proprii sermonis; quæ duo non æque eadem in Rufino sunt, homine scilicet, ob multam ætatem in Orientis partibus actam, Græcis litteris assueto, quique *usum* etiam *Latini sermonis in tam multis annis amiserit*, ut ipse ad Chromatium Aquileiensem scribebat in præfatione ad Eusebii Historiam a se, hortatu illius, Latinam factam.

Quid nunc igitur ad rem nostram **72** concludendum? Postquam superiori capite jam probavimus, ex Eutychetis errore in opusculo *Explanationis Symboli ad competentes* perspicue memorato atque perculso, sicut etiam ex nota ætate Paulini Nolani episcopi, necnon ex iis quæ in auctario addidimus, Romatianæ civitatis episcopum Niceam seu Nicetam a Gennadio relatum, non esse Niceam seu Nicetam illum Dacum ejusdem sancti Paulini amicum, ac ipsius laudibus celebratum : cum nunc insuper constet nullam esse rationem cur, quoad opusculi illius auctorem, discedamus ab auctoritate Romani codicis Ghisiani unde opusculum illud unice habemus, et Nicetam Dacum seu alium quemlibet pro Niceta episcopo Aquileiensi ibidem scripto accipiamus; cum inscriptio opusculi nihil habeat quod interpolationis aut erroris suspicionem præbeat, quinimmo ea sit quæ undequaque quinti sæculi ætatem prodat, ubi etiam Nicetas unus pro altero non ita facile scribi poterat; cum opusculum ipsum Nicetæ Aquileiensis tempus non obscure designet, et alia etiam habeat quæ illud Ecclesiæ Aquileiensis fetum ostendunt; cum ad hæc omnia accedat opusculi hujus cum Rufini Aquileiensis presbyteri Commentario de eodem argumento clara consensio rerum, sensuum atque verborum; jam sequitur, Romatianæ civitatis episcopum Niceam seu Nicetam a Gennadio memoratum, esse dubio procul Niceam seu Nicetam episcopum Aquileiensem, illum nempe qui sancti Leonis Magni tempore floruit, et ad quem ejusdem sancti pontificis exstat epistola; quod erat hoc quarto dissertationis capite ostendendum.

MANTISSA AD CAPUT QUARTUM.

Huic capiti nihilominus, majoris illustrationis gratia, mantissam lubet adjicere, quæ lectoribus fortasse non erit ingrata; ipsi enim non immerito dixerint se hactenus multa intellexisse ad propositam rem ex opusculo *Explanationis Symboli ad competentes* petita, nihil vero ex altero *ad Virginem lapsam*, seu *de lapsu Virginis consecratæ;* quod tamen cum ejusdem sit auctoris, uti ostensum capite primo, nonnihil facile habere poterit quod Aquileiensem parentis sui sedem ostendat. Atque ita sane, nisi mea me fallit opinio; quod nunc videndum.

Quæ prima fronte occurrunt opusculum illud legenti *ad Virginem lapsam*, ea sunt quæ non modo præclarum specimen exhibent optime institutæ florentisque Ecclesiæ loci illius ubi auctor episcopatum agebat, ex commemorato videlicet *solemni conventu Ecclesiæ Dei in die sancto Dominicæ Resurrectionis*, necnon *luce vigiliarum, et hymnorum spiritalium cantu*, etc.; sed etiam quæ singillatim memorant cœtum ibidem positum sacrarum virginum, quæ solemniter Deo dicatæ et virginitatem professæ, peculiari episcopi cura fovebantur, et pietatis ac sanctimoniæ fama Dei Ecclesiam illustrabant. Eruditi viri, quotquot argumentum illustrare voluerunt de sacrarum virginum cœtibus, qui priscis Ecclesiæ sæculis in Occidentali Ecclesia obtinebant, ex hoc maxime opusculo *ad Virginem lapsam* pleraque hausere quæ ad earum institutum spectabant, quæ velationis ritum edocebant, quæ habitum earum, processum in Ecclesiam, et alia hujusmodi innuebant. *Monasterium* nempe *virginale* in hoc opusculo, num. 28, **73** indicatum habemus, quo, *domum patris oblitæ* sacræ virgines, habitaturæ *transibant;* quod etiam *in media civitate* situm fuisse, quoad eas de quibus opusculum nostrum, ex num. 12, non ægre conjicimus. *Diem sanctam Dominicæ Resurrectionis consecrationi* virginum destinatam, in qua *divino altari* sese *offerebant inter lumina neophytorum*, et *inter candidatos regni cœlestis*, et in qua, præsulis *allocutione ad eas* peracta, *sacro velamine tegebantur, omni populo acclamante : Amen*, ex numeris 19 et 20, edocemur. *Habitus* præterea *virginalis* innuitur num. 22, necnon et *processus in Ecclesiam virginei chori*, ad *vigilias nocturnas*, ad *cantum spiritalium hymnorum*, et ad *cœlestes lectiones*. Num. 24 instruimur quoque, hunc sacrarum virginum cœtum habuisse *in ecclesia locum tabulis separatum*, in quo *stabant* a reliquis fidelibus honoris gratia segregatæ, ad *quem* etiam *religiosæ ac nobiles matronæ certatim currebant* earum *oscula petentes;* et qui in *pariete oculis* ipsarum virginum *scripta ingerebat præcepta* ex divo apostolo Paulo desumpta, ad virgines et virginitatem spectantia. Ex numeris denique 28 et 29, patet peculiaris episcopi sollicitudo erga hunc virgineum cœtum, ex ibi indicata tum *spiritali* earum *dilectione*, tum *sancta commonitione*, necnon et *expositione hymni virginitatis, quo et gloriam propositi, et observantiam pariter decantarent*. Hæc in opusculo *ad Virginem lapsam* de sacrarum virginum cœtu ibi constituto, ubi hæc singula ad validius objurgandam lapsam virginem dicebantur; et præclara sane, ad eximiam animo concipiendam illius Ecclesiæ formam, in qua institutio hujusmodi viguisset tam rite ordinata, tantaque disciplina exculta.

Hic porro sacrarum virginum cœtus in *Monasterio virginali* coactus, tantaque disciplina instructus, quam vidimus in opusculo nostro expressam, fueritne apud Niceam seu Nicetam illum in Dacia Transdanubiana episcopum, de quo superius loquebamur? Nihil profecto apud Paulinum Nolanum de istiusmodi sacrarum virginum cœtu penes Nicetam suum in Dacia; de quo tamen tam multa in rem Christianam, ac tam mirabilia ipse canit in carmine, cui titulus : *Ad Nicetam redeuntem in Daciam :* uti vidimus capite tertio. Cum præcipuum Ecclesiæ decus sacratæ virgines censerentur a sanctis Ecclesiæ Patribus, qui virginitatis meritum ex divinis præconiis metiebantur; si institutum hujusmodi in Nicetæ Daci episcopali cura viguisset, neutiquam de eodem siluisset Paulinus, qui tamen in magnam Nicetæ laudem non omisit commemorare, et *versos monachis latrones* in montibus degentes, et *latentem justum, quibus ipse latro vixit in antris*, uti ex locis ejusdem carminis ibidem relatis. Præterea quid ad Daciam trans Danubium positam, *mutam orbis regionem* a Paulino dictam; quid nimirum inter Dacos et Bessos et Getas et Scythas, *mos ubi quondam fuerat ferarum*, eodem teste, ante Nicetæ prædicatio-

nem; quid, inquam, ibidem voces illæ *nobilium matronarum* sacrarum virginum oscula petentium? Non hæc barbararum gentium, quæ vix ferinos mores exuerint, sed Romani orbis vocabula sunt : et minus apposite has voces usurpasset Nicetas Dacus in regionibus illis, trans Danubium positis, etiamsi reipsa inter illas gentes aliqua exstitisset familiarum ordinumque discretio; quæ tamen, sicut semper a Romanis moribus institutisque longe aliena, ita Romano eloquio non fuerat indicanda.

Hæc nimirum nos docent ad Nicetam Dacum minime pertinere posse opusculum seu libellum *ad lapsam Virginem*, de quo nunc agimus : atque hæc ea iem sufficienter ostendunt opusculum illud esse profecto Nicetæ **74** episcopi Aquileiensis, si insuper recolantur quæ in antecessum probavimus, opusculum scilicet istud germanum esse alterius *Explanationis Symboli ad competentes*, et illam Explanationem sicuti ab ætate Nicetæ Daci alienam, ita Nicetæ Aquileiensis ætati consonam, et Ecclesiæ etiam Aquileiensis peculiari charactere signatam. Verum quid in hac mantissa præcipuum nobis est, indicia illa sunt quæ ex hoc eodem opusculo deprehendi possint, unde Aquileiensis illius origo, etsi non clare pateat, saltem aliquatenus dignoscatur. Et generalia quidem indicia exstant amplissima; quis enim non intelligit præsulem in hoc opusculo lapsam Virginem objurgantem, præfuisse Ecclesiæ jamdiu institutæ, quæque prædecessorum antistitum merito in tantum egregiæ formæ splendorem adoleverit, ut insigniores orbis æquaret? Quæ de *monasterio virginali* supra retulimus in *civitate* sito, quæ de ritu et forma in virginibus *velandis*, quæ de earum *habitu* et *processu*, atque intra ecclesiam *loco*, abunde probant quæ dicimus. Talem autem fuisse Nicetæ nostri ætate Aquileiensem Ecclesiam, sanctorum Valeriani, Chromatii, aliorumque episcoporum solicitudine informatam, eorumque merito metropoleos honore auctam, quis ambigat? Celeberrimum sane in Aquileiensi Ecclesia exstitisse jam quarto sæculo vel quinto ineunte clericorum cœtum, qui meruerit supra cæteros a divo Hieronymo oculato teste laudari, et unde postea *opinatissimi* ac *probatissimi* prodiere episcopi aliis quoque regendis Ecclesiis destinati, ex ipso divo Hieronymo in Chronico, necnon ex Rufino Apologiæ suæ libro I, num. 4, edocemur. Monasterium quoque virorum eodem tempore laudatissimum Aquileiæ floruisse, ubi aliquamdiu Rufinus ipse atque Hieronymus mutuis se officiis coluerunt, et pietatis ac doctrinæ laude certarunt, ubi etiam alii spectatissimi viri emicuere a divo Hieronymo in suis Epistolis memorati, Chrysogonus et Heliodorus, quorum alter episcopus postea exstitit Altinatium, itidem ex ipso Hieronymo ac Rufino intelligimus. Nec minor in muliebri sexu apud Aquileienses eadem ætate virtus enituit, cum non deessent quæ in propriis domibus virginitatis propositum custodirent, et ita *meliora charismata æmularentur;* uti ex epistola divi Hieronymi 7, ubi Chromatius et Eusebius fratres, una cum Jovino amico, et matre, ac sororibus virginibus in eadem domo sancte viventibus dignis laudibus extolluntur. Quidni igitur et *monasterium virginale* in Aquileiensi Ecclesia tunc temporis exstiterit, recipiendis alendisque virginibus institutum, quæ ritu peculiari ab episcopo *sacro velamine tegerentur?* Jam si hoc pateat in Aquileiensi Ecclesia, saltem Nicetæ tempore, exstitisse, adsunt indicia quæ requirimus, et peculiaria quidem, ut de opusculo *ad lapsam Virginem*, etiam ex illius intimo, ut ita dicam, judicemus; et virginalem illam monasticam disciplinam, quam ex eodem opusculo deprehendimus, disciplinam sane sacrarum virginum Aquileiensis Ecclesiæ teneamus.

Non supersunt quidem aperta ejusdem ævi monumenta, quæ de *virginali monasterio* in Aquileiensi Ecclesia tunc stante nos doceant : nihilominus nonnulla habemus, quibus monumentorum inopiam quadamtenus suppleamus. Andreas Dandulus in Chronico, lib. VI, cap. I, apud Muratorium, Scriptores Rerum Italicarum, tomo XII, col. 105, refert Heliam Aquileiensem antistitem, qui sexto inclinante sæculo eam regebat Ecclesiam, *templum quoddam paganorum..... in contiguo littore situatum in monasterium puellarum... transmutasse.* Si fides habenda auctori sæculi XIV, de re ad sextum sæculum **75** pertinente (auctori cæteroquin gravissimo, criticisque viris probato, et qui multa præ oculis habere potuit vetera documenta, quæ ad nos minime pervenerunt); ecce *monasterii virginalis* mentio in Ecclesia Aquileiensi altero post Nicetam sæculo. Verum non hæc prima *monasterii virginalis* fundatio dici potest apud Aquileienses, sed magis accessio loci in commodum sacrarum virginum, quarum numerus novas ædes fortasse requireret. Et Dandulus quidem in allatis verbis videtur Heliæ merito tribuisse potius *paganorum templi transmutationem* ad Christianæ religionis usum, quam *monasterii puellarum* erectionem; cujus si vere primus institutor et auctor tunc fuisset Helias in Ecclesia Aquileiensi, id ipse eo loci indicare conceptis verbis non omisisset. Sed alteri, et Aquileiensis quidem ejusdem Ecclesiæ monumento certissimo, animum adjiciamus.

Exstat concilium Forojuliense a sancto Paulino patriarcha Aquileiensi celebratum anno 796, tertio nimirum post Nicetæ Aquileiensis ætatem elapso sæculo, quod videre est in conciliorum collectionibus, et inter Opera ejusdem sancti præsulis a clarissimo nostro Joanne Francisco Madrisio Neriani Oratorii presbytero edita pag. 65, ubi canone 11 hæc leguntur : « Placuit de feminis cujuscumque conditionis, puellis scilicet, vel viduis, quæ virginitatis, sive continentiæ *propositum* spontanee pollicentes, Deo emancipatæ fuerint, et ob continentiæ signum *nigram vestem*, quasi religiosam, sicut *antiquus mos fuit in his regionibus*, indutæ fuerint : licet non sint a *sacerdote sacratæ*, in hoc tamen proposito eas perpetim perseverare mandamus. » Sequenti vero canone 12 hoc etiam jubebatur : « Hoc inviolato stylo juste sancire prospeximus, ut *monasteria* puellarum, quæ sub disciplinæ regula deguat, *obstructius munitis claustris*, nullo pateant, nisi forte summa compellente necessitate, aditu virorum. Sed neque presbyteri vel diacones, etc... Quin etiam nec episcopus absque sacerdotibus vel clericis suis, etc... Sed sive ipse, sive quælibet religiosa persona... dignum fuerit ut adeant hæc *Deo dicata loca*, non aliter, sed cum idoneis testibus peragant, ne propter incautam præsumptionem sanctæ Ecclesiæ *infametur angelicus ordo.* » Quæ ex his duobus canonibus Aquileiensis Ecclesiæ, octavo labente sæculo editis, eo jicere possumus, hæc sunt : aliud scilicet fuisse in Aquileiensi Ecclesia simplex *virginitatis* seu *continentiæ propositum*, quod *spontanee puellæ* vel *viduæ pollicebantur;* et aliud veluti solemne illarum virginum, quæ a *sacerdote*, id est ab episcopo, *sacrabantur.* Quod vero asseritur, *sicut antiquus mos fuit in his regionibus*, absque ulla vi referri posse videtur ad utrumque institutum; ita nempe, quod ab antiquo, id est ab aliquot ante ipsum Paulinum sæculis, in Aquileiensi Ecclesia utrumque viguerit; sicut etiam quod utriusque instituti fuerit *nigram vestem* induere *ob continentiæ signum.* Illud vero quod dicitur, *licet non sint a sacerdote sacratæ* illæ virgines seu viduæ de quibus primus canon loquitur, innuere videtur, ex more virginum *sacratarum*, etiam alias simplicis propositi jam *ab antiquo nigram vestem* sumpsisse, licet fortasse non itidem velo uterentur, quod proprie *sacratarum* virginum erat, quo in ipso *consecrationis* actu ab episcopo *tegebantur*, quodque erat *consecrationis* ipsarum veluti materia ac signum, sicuti etiam subsecutis temporibus semper fuit.

Sed quod ad *monasterium* præcipue pertinet, illud est quod altero sancitur canone, ut nempe *monasteria puellarum quæ sub* **76** *disciplinæ regula degunt, obstructius munitis claustris nullo pateant aditu virorum.* Puellæ istæ, *quæ sub disciplinæ regula degunt*, procul dubio sunt virgines *sacratæ*, distinctæ ab aliis, seu virginibus, seu viduis, de quibus in canone præcedenti, quæ simplex

virginitatis seu continentiæ *propositum* emiserant, A quæque ex ipsa distinctione horum canonum non videntur sub alicujus disciplinæ peculiaris regula fuisse, sed libere in propriis domibus habitasse. Jam vero quod in altero hoc canone sancitur, ut hæc *monasteria puellarum* sub disciplinæ regula degentium *obstructius munitis claustris nullo pateant aditu virorum*, evidenter ostendit *monasteria* hujusmodi in Aquileiensi Ecclesia jam pridem stetisse, quando nimirum non ita erant, uti decebat, omnibus clausa, minus vero ita *obstructius munita* earum *claustra*, ut nulli omnino paterent. Quod autem a sæculis ante Paulinum hujusmodi exstiterint *monasteria* in Aquileiensi Ecclesia, ipsa hujus canonis providentia ostendit, quæ ex aliquo orto abusu procul dubio manavit : hæc namque abusuum generalis veluti indoles est, ut nonnisi longo temporis lapsu paulatim inducantur : quod longius etiam sit oportet in personis, cœtibus, atque *locis Deo dicatis*; ibi etenim abusus ipsi ex locorum ac personarum instituto peculiarem quemdam renixum patiuntur, quem nonnisi diuturniori conatu et sensim tandem valeant superare. Quid igitur mirum, si ex hujusmodi canonibus Aquileiensis Ecclesiæ octavi labentis sæculi inferamus, in eadem Aquileiensi Ecclesia *sacratarum* virginum *monasterium* exstitisse etiam sæculo quinto sub Nicetæ episcopatu, ac propterea *monasterium virginale* in libello *ad lapsam Virginem* nominatum, *monasterium* esse virginum *sacratarum*, quod in Aquileiensi Ecclesia Niceta episcopo stabat; ideoque libellum ipsum indicium hoc præseferre Aquileiensis originis, sicut alia sui generis exhibet indicia, quæ jam vidimus, etiam libellus alter *Explanationis Symboli?* Præterea sancti Paulini canon 12 addit etiam suæ peculiaris providentiæ causam his verbis expressam : *Ne propter incautam præsumptionem sanctæ Ecclesiæ infametur angelicus ordo*. Quidni præ oculis sanctus antistes tunc habuerit et peculiarem lapsum illius virginis de qua Nicetas, et libellum ipsum objurgationis a prædecessore suo elucubratum, ubi auctor vehementer dolebat ex illius lapsæ facinore *maculatam* esse Ecclesiam, ac *totam pene illius lucem obscuratam;* et ipsa lapsa virgo ad loquendum inducta fatebatur, *propter* se *confusionem factam esse omnibus famulis Domini et cum digne colentibus?*

B

C

Verum non omnino desunt monumenta ipsius Nicetæ Aquileiensis ætatis, quæ *sacratarum virginum* Aquileiensis Ecclesiæ, ac propterea, uti ex dictis conjicere licet, in *monasterio* etiam *virginali* degentium, meminerint. Papyris, membranis et chartis deficientibus, superest lapis omni ære pretiosior, qui sepulcralem inscriptionem exhibet unius ex his *sacratis virginibus*, cui *Columbæ* nomen, quæ etiam cultum immemorabilem in Aquileiensi provincia obtinet; maxime vero apud incolas Forojuliensis pagi, Osopum dicti, ubi cum ipsius reliquiis stetit ad hæc usque tempora in superposita arce ædicula ejus nomine Deo dicata. Inscriptionem hanc vidit atque descripsit in eadem ædicula, anno 1717, clarissimus Fontaninus, quam postea ære insculptam evulgavit, ac eruditissimo Romæ edito Italica lingua Commentario, anno 1726, illustravit. Hanc ipsam, et fortasse nonnihil accuratius post Fontaninum cælatam, videre est etiam apud Joannem Dominicum Bertoli, qui eamdem Fontanino teste iterato **77** inspexit, in suo Italico opere *Antichità d' Aquileja*, pag. 333. Ea autem, quæ salvificæ crucis signo incipit, superius quoque et inferius in medio Tabulæ repetito, ex ambabus simul collatis incisionibus est hujusmodi :

D

†

† HIC IN PACE REQVI
ESCIT COLVBA VIRGO
SACRATA DI QVE VI
XIT IN D̄NO ANNOS
P̄L M NONAGINTA
D P SVB Ds VIII IDVS
AGVSTAS OPILIO
NE V̄ C̄ C̄ONS1 INs SEC1
†

Hanc vero inscriptionem ita legit clarissimus præsul : *Hic in pace requiescit Columba virgo sacrata Dei, quæ vixit in Domino annos plus minus nonaginta. Deposita sub die octavo idus Augustas, Opilione viro clarissimo consule. In sæcula.*

Ex consulatu *Opilionis*, qui hic notatur, et quem ad consulem hujus nominis primum, non vero ad secundum annis septuaginta et uno posteriorem, vir clarissimus pertinere probat, infert ipse *depositionem* hujus *sacratæ virginis* ad annum Christi pertinere 453, id est ad annum proxime sequentem Attilanum Aquileiensis urbis excidium, qui itidem proxime præcessit Aquileiensem a Niceta capessitum episcopatum anno 454, uti superius innuimus. Popularis inter illos incolas fert traditio, ibidem reapse *sacratam* illam *virginem* nonagenariam suæ vitæ cursum consummasse; et adhuc in illius arcis rupe inaccessibilis specus non tam ostenditur quam indicatur, ubi ipsa latuit, quamdiu eo loci *in Domino vixit*. Infert igitur eruditissimus præsul *sacratam* hanc *virginem* ad cœtum virginum pertinuisse Aquileiensis Ecclesiæ, quæ imminente Attilana irruptione ab Aquileiensi urbe aufugerit ad declinandam prævisam cladem, seque in hoc dissito atque abdito loco celaverit, trigesimo quarto ab eadem urbe lapide ab occidente in septentrionem sito. Quidni et hic fortasse habuerit hæc virgo natale solum; et ideo in tanta posita necessitate ad loca non sibi penitus ignota, ubi etiam popularium suorum solatio uti posset, tutius confugerit? Ita quoque mihi, nec invite, ut opinor, liceat conjectare. Illustraturus porro clarissimus Fontaninus hujus lapidis inscriptionem, et probaturus hujusmodi *sacratas virgines* jam tunc consuevisse in *monasteriis* habitare, plura profert de more suo ex ecclesiastica traditione monumenta, quæ hanc astruunt tunc vigentem tum in Oriente tum in Occidente disciplinam; inter quæ primum locum obtinet libellus noster *ad lapsam Virginem*, seu uti ibidem notatur *de lapsu Virginis consecratæ*, quem Fontaninus non dubitabat ad Nicetam Romatianæ in Dacia civitatis episcopum pertinere, sicuti eruditorum communis ferebat opinio, cum cætera omnia opuscula quæ Gennadius in Romatiano Niceta commemorat penitus lateret.

Diffitendum hic tamen non est, allatam Fontanini interpretationem sepulcralis lapidis Forojuliensis *sacratæ virginis Columbæ* adversarios nactam fuisse, qui allucinatum dicerent præsulem clarissimum, dum postrema inscriptionis sigla INs SEC1 piam quamdam acclamationem seu apprecationem ratus, voluit ea interpretari *in sæcula*, cum potius illa verba intelligenda essent veluti compendiariæ **78** temporis notæ illius inscriptionis, quæ proinde non *in sæcula* legenda forent, sed *indictione secunda;* quo fieret ut non annus quidem indicaretur consulatus *Opilionis* primi, sed potius *Opilionis* secundi, ac propterea non annus Christi 453, sed annus 524, qui annus reapse fuit consulatus *Opilionis* hujus secundi, et in quem secunda itidem indictio incidebat. Non hæc quidem mutatio tanta esset quæ nos opinione prorsus dejiceret, in eo quod ex allata inscriptione ad rem nostram mutuamur. Si enim ad annum etiam 524 inscriptio illa pertineret, testimonium semper exhiberet *sacratarum virginum* instituti in Aquileiensi Ecclesia non multo post Nicetæ Aquileiensis ætatem; atque esset proinde quod non ægre conjiceremus idem institutum viguisse etiam sub Nicetæ ipsius episcopatu, nec non et *monasterium virginale* tunc exstitisse, licet nondum *claustris munitum*, sicuti octavo labente sæculo sanctus Paulinus præcipiebat; unde ex eodem tunc egredi fortasse li-

bere potuerit *Columba virgo sacrata*, ut vitam procul dubio severiorem ac sanctiorem duceret solitaria in Osopiensi specu. Faceret itidem eadem inscriptio hoc secundo modo accepta, ut indicia non obscura Aquileiensis fetus in libello *ad lapsam Virginem* similiter nosceremus, qui est hujus mantissæ scopus, etiamsi ad ipsam Nicetæ ætatem eadem inscriptio reapse non pertineret.

Verum interpretatio Fontanini nostri omnino videtur mihi amplectenda, ut ad Nicetæ Aquileiensis ætatem inscriptionem illam proprie pertinere dicamus, *Opilionem* primum consulem accipientes anni 453, non vero secundum anni 524. Nihil dixerim de censura clarissimi cæteroquin viri, ac de re litteraria universa præclare meriti, Francisci Antonii Zachariæ in sua Historia Italiæ Litteraria, italice scripta, tomo VIII, libro III, cap. 4; ipse enim Fontaninum acriter carpens super hac inscriptionis interpretatione aerem verberavit, quia Fontanino errata apposuit quæ non commisit, et satis ostendit se numquam præ oculis habuisse aut Forojuliensem illam inscriptionem, aut Fontanini interpretationem, ac super eadem ab eo editum Commentarium. Illis potius respondendum est, qui singularitatem opponunt acclamationis illius *in sæcula*, et qui in lineola erecta, et nonnihil superius atque inferius flexa, quæ visitur post monosyllabam IN^{s}, compendium intelligi volunt elementorum ad integram vocem *indictione* complendam, quæ vox propterea in consequentibus litteris SEC^{1}, non *sæcula*, sed necessario exigat aliam vocem *secunda*. At acclamationum seu apprecationum Christianarum usum in sepulcralibus inscriptionibus satis Fontaninus ipse exposuit atque illustravit *Commentarii* sui capite 21, ubi etiamsi aliam inscriptionem nullam proferat quæ acclamationem habeat prorsus eamdem cum Lapide nostro, id est *in sæcula*, quod idem est ac *in sæcula vivas;* alia pleraque indicat huic simillima, hoc est *vibe* aut *vive in æterno*, *bibas* aut *vivas in Deo*, *vives in Deo*, *bibas* aut *vivas in Domino* : quæ omnia auctoritatem addunt acclamationi nostræ Osopiensis lapidis *in sæcula ;* cui propterea non sit singularitas opponenda, nisi quoad elementorum quibus constat qualitatem; quæ tandem, eodem sensu permanente, nihili omnino facienda est. Quod ad lineolam vero spectat, positam post monosyllabam IN^{s}, quæque ideo posita dicatur ut complementum vocis *indictione* significet, ausim dicere commentum profecto hoc esse, omni testimonio, omnique veterum inscriptionum exemplo destitutum. Plurimi quidem occurrunt lapides in collectionibus eruditorum quas habemus **79** qui notam exhibent indictionum. Videas in his vocem *indictionis* integre positam; videas per tres primas litteras tantum, singillatim ductas; videas quoque, per easdem hoc monogrammate ND nexas, indicatam; videas similiter indictionis numerum, modo per vocem integre prolatum, modo per primas tantum litteras, modo etiam per numerorum signa expressum : at indictionis vocem (confidenter dicam) nullibi profecto invenias absque tertia saltem littera D aliquo modo signata, quæ omnem tollat ambigendi locum, quod ibi de indictionis nota sermo sit. Nihili igitur lineola illa in nostro lapide facienda; quæ oscitantia fortasse vel arbitrio quadratarii imperiti, et certe etiam valde inelegantis, ut cuique inscriptionem conspicienti tum apud Fontaninum tum apud Bertolum patere potest, addita fuit; ni dicere velimus hoc factum fuisse ad quamdam promendam festivitatem lætissimæ acclamationis, vitam cum Deo perpetuam *Columbæ virginis* indicantis. Cæterum cum lineola in hac ipsa inscriptione alicubi desit ubi superponenda fuisset, uti, ex. gr., litteris DI positis pro voce *Dei*, sicuti superposita apparet Siglis, ex. gr., D̄P̄ significantibus vocem *deposita*, ac similiter aliis aliud indicantibus; quis jure mirabitur lineolam e contrario abundantius ac supervacuo prosiliisse post monosyllabam IN, ubi necessaria non erat; maxime vero cum lineola quoque prosilierit, ac prorsus inepte, supra litteram C in dimidia voce CONS, cujus vocis pars altera jam significabatur lineola alia erecta, proxime et apposite sita? Mittimus difficultatem omissæ diphthongi ad syllabam SEC; quæ diphthongus veluti necessaria censeatur ad vocem *sæcula* pronuntiandam potius quam *secunda*. Vox namque *sæculum*, et cum diphthongo, et absque diphthongo æque invenitur apud scriptores : et diphthongorum rationem sæpissime posthabitam in veteribus lapidibus, tum ethnicis, tum Christianis, inscriptionum veterum collectiones satis ostendunt; et notavit præsertim novis adductis exemplis pro eruditione sua clarissimus Antonius Maria Lupi In Epitaphium Severæ martyris, pag. 132 et sequentibus editionis Panormitanæ 1734. Præterea non est cur de diphthongo in voce *sæcula* inquiramus, eam expendentes inscriptionem, quæ exhibet etiam vocem QVE absque diphthongo. Hæc quidem dicere oportebat super illa inscriptione sepulcrali *sacratæ virginis* Aquileiensis Ecclesiæ : sed hæc interim dixisse sufficiat.

Cum itaque de cœtu sacrarum virginum apud Nicetam Dacum nihil omnino asserere liceat; cum de *sacratis virginibus* in Aquileiensi Ecclesia Nicetæ episcopi tempore constet ex dictis, ac singillatim ex pretioso lapide quem attulimus, et de quo disseruimus; cum dubitare non liceat de *virginali monasterio* in Ecclesia Aquileiensi posito etiam Nicetæ tempore, tum ex rei ipsius convenientia, tum ex florentissimæ illius Ecclesiæ celebritate, tum etiam ex iis maxime quæ attulimus ex Forojuliensi concilio sub sancto patriarcha Paulino : si insuper recolatur probata germanitas opusculi *ad lapsam Virginem* cum altero opusculo *Explanationis Symboli*, quod (absit verbo invidia) plenissime constat Aquileiensis esse Nicetæ; jam indicia quæ requirebamus adsunt luculenta etiam in hoc opusculo *ad lapsam Virginem*, quæ Aquileiensem parentis sui sedem ostendunt, et robur addunt conclusioni nostræ quam superius enuntiavimus; Romatianæ civitatis episcopum Niceam seu Nicetam a Gennadio memoratum, esse procul dubio Niceam seu Nicetam episcopum Aquileiensem, illum nempe qui sancti Leonis Magni tempore floruit, et ad quem ejusdem sancti pontificis exstat epistola.

80 Unum fortasse objectari adhuc poterit ad ea quæ ultimo loco, maxime ex lapide sepulcrali *sacratæ virginis Columbæ* lecto cum Fontanino, conjiciebamus; male scilicet nos inferre auctorem esse Nicetam Aquileiensem illius *ad Virginem lapsam* opusculi, ex eo quod et *sacratæ virgines*, et *monasterium virginale* in Aquileiensi Ecclesia tunc temporis essent; cum potius ex eodem illo lapide constet, quod etiamsi in antecessum et *sacratæ virgines* et earum *monasterium* ibidem exstiterint, tunc certe, dispersis undequaque per Attilanam cladem virginibus, diruto quoque atque everso, uti credibile est, virginali ædificio, *sacer* virginum cœtus in Aquileiensi Ecclesia superesse non poterat. Quam ergo *sacratam* Deo virginem Nicetas Aquileiensis poterat objurgare, eidem etiam objiciendo, veluti ad majorem facinoris exprobrandam gravitatem, *monasterium virginale*, ubi tuta esse poterat, si voluisset? Verum, utut gravissima fuerit in Aquileiensi civitate et Ecclesia Attilana clades, quæ dispersionem *sacri* virginei cœtus, quæ etiam *monasterii virginalis* eversionem attulerit; non hæc tamen talis fuit, quæ reparari in posterum minime potuisset. Jam anno 458, quo sanctus Leo papa Decretalem suam ad Nicetam Aquileiensem dedit, *rerum status* in eadem epistola dicebatur, quoad Aquileiensem Ecclesiam, *auxiliante Domino*, *in meliora conversus;* et hoc, teste etiam Adeodato Romanæ Ecclesiæ Diacono ibidem nominato, qui nuper ab Aquileia redux, sicuti consultationes Nicetæ ad pontificem tulerat, ita eum de *statu* illius Ecclesiæ certiorem procul dubio reddiderat. Invenerit itaque fortasse Nicetas anno 454, primo scilicet post Columbæ *sacratæ virginis* obitum, quo episcopatum Aquileiensem inivit; inve-

nerit, inquam, et dispersas *sacratas virgines*, et earum dirutum *monasterium;* hæc omnia nihilominus eodem anno 458 in pristinum statum fortasse jam erant restituta, cum maxime constet ex allata sancti Leonis epistola Nicetæ episcopi vigilantiam ac pastoralem curam in eo maxime positam, ut ea damna sollicite repararet quæ bellica clades intulerat. Præterea triginta circiter annorum spatio quo episcopatus Nicetæ constitit, ab anno scilicet 454 ad annum 485, et *sacratarum virginum* cœtus in Aquileiensi Ecclesia restitui poterat, et *virginale monasterium* reædificari; ideoque et adesse potuit infausta Nicetæ occasio *lapsum Virginem* objurgandi, eaque omnia dicendi quæ ad *sacratarum virginum* institutum eodem sæculo pertinebant. Quid vero; quod ipse hujus virginis lapsus per procacitatem adolescentis, quem similiter ibidem graviter objurgat Nicetas, indicat sua quadam ratione tempus subsequens hostilitatis incursus, qui Religioni, moribus ac disciplinæ infestissimi semper sunt? Sed hæc jam satis; ne forte locum habeat commune illud effatum : *Mantissa obsonium vincit.*

81 CAPUT V.

Romatiana civitas a Gennadio memorata, non est in Dacia inquirenda, sed in veteri diœcesi seu provincia Aquileiensi; et probabiliter illa est, quæ Portus Romatianus, seu Romatinus, aut Romatius, non ita procul a Concordia, ex fluvio ejusdem nominis a Plinio appellata fuit; aut illa quæ hodie Portus-Gruarius dicitur, et ad eumdem Romatium, seu Romatinum, aut Romatianum fluvium sita est, qui eam interfluit.

Cum ex dictis capite tertio et quarto hujus dissertationis, jam extra ambiguitatem censeri possit, et Romatianæ civitatis episcopum Niceam seu Nicetam a Gennadio memoratum, non esse Niceam seu Nicetam Dacum sancti Paulini Nolani episcopi amicum, ejusdemque laudibus celebratum; et esse reipsa Niceam seu Nicetam episcopum Aquileiensem, qui sancti Leonis Magni tempore floruit, et ad quem ejusdem sancti Pontificis exstat epistola : numquid igitur erravit Gennadius ipse, qui hunc non Aquileiensem episcopum, uti oportuisset, sed *episcopum* appellavit *civitatis Romatianæ?* De Gennadio itaque Massiliensi pauca dicenda sunt, ut quanti facienda sit, et quo habenda loco illius auctoritas innotescat.

Ne ingrati simus viris illis per quos profecimus, fatendum quidem multam nos debere Gennadio gratiam, qui Hieronymiani operis de Scriptoribus Ecclesiasticis veluti continuator factus, librum et ipse nobis reliquit de Viris Illustribus; ubi notiones plurimas de auctoribus, eorumque Operibus, nec non de publica in qua tunc erant hominum opinione, omnes hausere quotquot litterariam illorum temporum historiam exornandam susceperunt. Nosmetipsi, qui de Nicета Romatianæ civitatis episcopo agimus, absque Gennadii Catalogo de Viris Illustribus, neque satis dicere de *Explanatione Symboli ad competentes* ac de *Libello ad lapsam Virginem*, nec cognoscere potuissemus alia quæ idem episcopus exaravit; quæque aut periere omnino, aut fortasse alicubi delitescunt, posterorum inquisitioni ac studiis profutura. Sanctus Isidorus Hispalensis de divo Hieronymo ac de Gennadio scribens libro VI Etymologiarum, capite 6, ratione habita ad eorum opuscula quæ hic innuimus, ait : « Hieronymus quoque atque Gennadius, ecclesiasticos scriptores toto orbe quærentes, ordine persecuti sunt, eorumque studia in uno voluminis indiculo comprehenderunt. » Ad quæ verba clarissimus Areyalus, qui nuperam sancti Isidori Operum editionem Romanam adornavit, ita annotandum censuit : « Innuit Isidorus sanctum Hieronymum et Gennadium de iis scriptoribus in suis Catalogis verba fecisse, quos in suis haberent bibliothecis : quod quidem magna ex parte verum puto. »

Quod vero Gennadio Massiliensi in hoc opere vitio A vertitur, illud est, Semipelagianorum parti, cui addictus erat, nimium favisse, quod certe in historico viro peccatum est satis grave, quod sinceritatem lædit, præcipuum historici munus. De hoc Gennadii vitio ita venerabilis Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis : « Scripsit etiam librum de Viris Illustribus (Gennadius), in quo suspicionem non parvam reliquit suæ non rectæ fidei : laudavit enim Cassianum et Faustum, qui Semipelagiani fuerunt; et sanctum Prosperum depressit, qui pro gratia Dei contra Pelagium fortissime dimicavit. » Etiam Natalis Alexander, Hist. Eccles. **82** sæculo quinto, c. 5, articulo 7, § 9, ita scripsit : « Gennadium Massiliensem presbyterum Semipelagianæ factioni addictum fuisse, liber ejus de Viris Illustribus satis probat anno circiter 490 conscriptus. Eo enim in libro sanctum Augustinum, eiusque discipulum ac defensorem egregium sanctum Prosperum, velut reos erroris insectatur; Cassianum vero et Faustum Semipelagianorum duces laudibus extollit : » quod etiam eruditus vir allatis ex Gennadio B verbis luculenter probat.

Verum non hoc vitii tantum in Gennadii Catalogo notarunt eruditi. Alia sunt menda, et non levia quidem; quæ tamen partim arbitrio et inscientiæ tribuenda sunt librariorum, partim oscitantiæ ipsius. Et quod ad librarios pertinet, nullum certe est opus quod magis subsit tum arbitrio tum levitati exscriptorum, quam opus quodcunique historicum, aut biographicum; in quo admodum facile est, ut horum quispiam sub emendationis aut illustrationis specie aliquid de suo inserat, quod auctori in mentem non venisset, aut immutet aut demat quod sibi magis minusve placeat. Quod vero ad oscitantiam spectat auctoris, historica similiter, et maxime biographica opera sunt, in quibus veluti necesse est obrepat aliquando somnus, præcipue cum distenta cura sit in colligendis undique auctorum scriptis de quibus dicendum est; et scriptis ipsis postea legendis perpendendisque, rebus aliis atque aliis continue supervenientibus, aut C tempus non suppetat, aut animus impar sit. Quod certe ad Gennadium spectat, eruditi viri, qui edendis operibus incubuere quorumdam scriptorum de quibus ipse in Catalogo suo, non semel conquesti sunt peccatum in Catalogo illo fuisse, tum quoad rationem temporum, tum quoad substantiam rerum, tum etiam quoad locorum indicationem. Quis, ex. gr., non miretur in sancto Leone Magno notari a Gennadio, capite 70, unicam ejus epistolam ad Flavianum, de qua toties in hac dissertatione sermo fuit, prætermissis omnibus aliis tum ejusdem, tum alterius argumenti; et ne indicatis quidem tot illius sermonibus, qui tantam divinæ prorsus eloquentiæ laudem apud omnes eidem promeruere? Hoc quamquam ad famam pertineat illius celeberrimæ epistolæ, uti animadvertant Ballerinii fratres admonitione in eamdem num. 4, nihilominus parum favet accurationi ac diligentiæ scriptoris de Viris Illustribus, cui nequaquam liberum esse debuisset tot omittere, ne generali quidem D mentione facta, egregias lucubrationes, per quas pontificis sapientissimi celebritas ad sidera tollitur. Istud vero erratum omissionis, et quidem grave, Gennadii est, non exscriptorum illius. Et ipse quidem de Maximo Taurinensi loquens, capite 40, neutiquam omiserat ita et sermones et homilias illius varii argumenti recensere, ut pene dixeris singillatim easdem enumerasse. In Leone Magno itaque valde oscitanter ac indiligenter se habuit Gennadius. Sed numquid saltem in divo Maximo Taurinensi omni ex parte fuerit accuratissimus? Clarissimus Bruno Bruius ex Scholarum Piarum ordine illustrator et collector Operum sancti Maximi Taurinensis, quæ prodiere Romæ auctoritate et auspiciis immortalis memoriæ pontificis Pii papæ VI, in Vita quam adornavit illius sancti episcopi, Gennadium notavit, quod ipsum obiisse dicat *Honorio et Theodosio Juniore regnantibus*, cum constet longe post illos Augustos vitam produxisse usque ad annum saltem 465, ut ipse osten-

dit. En igitur Gennadii oscitantiam etiam in Maximo Taurinensi, quæ similiter exscriptorum arbitrio aut inscientiæ tribui non potest. Quod vero in aliquibus Gennadii codicibus legitur, *Moritur*... **83** *anno ab orbe redempto* 420, quod Gennadius profecto numquam scripsisset; hoc inscientium additamentum est librariorum inferioris ævi. Neque hic prætereunda annotatio est, quam illius Vitæ auctor, ad Gennadii oscitantiam validius comprobandam, subjecit paginæ 133: « Atque oscitantiæ quidem Gennadianæ ἁμαρτημάτων exempla haud pauca ex eodem *Catalogo* proferre possem; sed ea, ne nimius esse videar, prætermitto. Unum esto illud de Juliano Eclanensi episcopo, quem errans, episcopum fuisse Capuanum scribit. Alterum de Attico antistite Constantinopolitano, a quo impugnatum ait fuisse dogma Nestorianum, id quod concedendum non est, cum multo ante obierit Atticus, quam Nestorius perversum dogma suum spargere cœpisset. » Hæc ille.

Operæ pretium autem duco et aliud Gennadianæ indiligentiæ specimen afferre ex dissertationibus clarissimi nostri Francisci Florii ad opuscula Bachiarii monachi ab ipso Romæ edita anno 1748. Non unum, sed tria animadvertit eruditissimus vir Gennadii errata in unico Bachiarii articulo, qui caput constituit 24 sui de Viris Illustribus Catalogi: primum nempe adversus rationem temporis pagina 28, dum Bachiarium ante Augustinum et Orosium recenset, et Helvidium hæreticum post Bachiarium, licet hic junior fuerit, et Helvidiani erroris in suo Fidei libello diserte meminerit; ita ut accurate ex Gennadio conjicere non licuerit quo tempore Bachiarius ipse floruit, et aliunde propterea petenda essent lumina: alterum adversus rei substantiam pagina 47, dum Bachiarii libri de Fide, quem a se *lectum* fatetur, argumentum refert quod *toto cœlo* a vero Bachiarii consilio et instituto aberrat: tertium denique adversus rectam viri agnitionem atque indicationem, cui libellus a Bachiario inscribitur pagina 49 dum illum ait fuisse *Urbis pontificem*, id est pontificem Romanum; cum ex libelli ipsius lectione aperte colligi possit, non modo Urbis pontificem illum non fuisse, sed neque omnino episcopali dignitate insignitum. Post eas itaque Gennadiani operis maculas, quas hactenus notavimus ex eruditorum maxime virorum testimonio, cuinam suspicare non licuerit erratum abs Gennadio fuisse etiam in recensione Niceæ seu Nicetæ episcopi; quem per errorem appellaverit *Romatianæ civitatis episcopum*, cum dicere debuisset *episcopum Aquileiensem?* Nobis profecto, qui tot tantaque pro episcopatu Aquileiensi hujus Nicetæ, Romatianæ a Gennadio dicti, in antecessum attulimus, liceret omnium maxime Gennadium accusare erroris eidem consimilis, quem in Juliano Eclanensi admisit, dum illum Capuanum episcopum enuntiavit.

Verum fortasse non erravit Gennadius: et erraverunt potius dupliciter illi qui Gennadii verbis vim intulerunt, ut, contra ipsius propositum ac sensum, Romatianam illam civitatem, non modo extra Aquileiensem diœcesim et provinciam, sed etiam tam procul inquirerent in Dacia Cisdanubiana sub metropoli Sardicensi, in Remisiana scilicet aut Remesiana seu Romessiana illa quæ a veteribus geographis aliisque ibidem indicatur; et ita non de nomine tantum civitatis, sed etiam de persona episcopi quæstionem facerent, ut ille Gennadii idem omnino non esset qui Aquileiensis fuit tempore divi Leonis, et alter propterea medio circiter sæculo ab altero ætate distaret. At vero cum Nicetas ille Dacus, ipsis asserentibus, floruerit tempore Paulini Nolani episcopi, eidemque fuerit amicitia conjunctissimus; cumque a nobis ostensum sit capite secundo, Niceam seu Nicetam sancti Paulini Nolani episcopi **84** amicitia clarum, non fuisse episcopum civitatis Romatianæ in Dacia cis Danubium constitutæ; quinimmo trans Danubium Nicetam hunc episcopatum gessisse in regionibus illis longe lateque patentibus, et inter barbaras gentes quæ Romanis legibus non parebant, ubi non liquet civitatem ullam exstitisse Romatianæ nomine, seu quocumque alio consimili, appellatam; jam de Romatiana civitate in Dacia cis Danubium constituta non est cur hic decertemus. Potius igitur videndum nunc est, quo in loco Aquileiensis diœcesis seu provinciæ hæc Romatiana civitas sita fuerit, cum jam, ex dictis capite tertio et quarto, in dubium revocari non possit Niceam seu Nicetam episcopum civitatis Romatianæ a Gennadio nuncupatum, et non esse Niceam seu Nicetam illum Dacum sancti Paulini Nolani amicum, et esse reipsa Niceam seu Nicetam nostrum qui altera quinti sæculi parte Aquileiensem sedem obtinuit.

Jam vero quis interea non miretur civitatem a Gennadio Romatianam dictam, quæsitam fuisse in Dacia cis Danubium sita, ob quamdam vocis similitudinem cum ea quæ ibidem exstabat, et apud geographos aliosque auctores veteres nominatur? Ast civitas illa Daciæ in Tabula Peutingeriana segmento 7, littera A, pulcherrimæ editionis Vindobonensis anni 1753, Romesiana dicitur; in *Itinerario* vero Antonini pagina 135 editionis Amstelodamensis Petri Wesselingii 1735, dicitur Remisiana. Ipse autem clarissimus Zabeus, dissertationis suæ parte I, num. 18, asserit varietates veterum monumentorum in una eademque Daciæ Cisdanubianæ civitate designanda esse hujusmodi: nimirum Romissiana, Remissiana, Remessiana, Romantiana, Romesiana, Romessiana; quas omnes, suis signatas locis unde erutæ fuerunt, exhibet clarissimus De Rubeis in dissertationibus Variæ Eruditionis, capite 19, pagina 194. Ubinam igitur in tot hisce nominibus, seu potius in tot ejusdem nominis inflexionibus apud veteres; ubinam, inquam, verum ac proprium Romatianæ nomen a Gennadio usurpatum? Qua itaque ratione, qua critices regula inferri potest Romatianam Gennadii esse civitatem illam in Dacia, quæ in veteribus monumentis appellata quidem diversimode cernitur, sed numquam vere ac proprie Gennadiano vocabulo Romatiana dicta? Ipse clarissimus Wesselingius, in nota quam subjicit ad vocem *Remisiana* præcitati Itinerarii Antonini, opinionem carpit Antonii Pagii, qui in sua Critica Baroniana, ad annum 396, pro voce *Remisiana* quæ in eodem Itinerario legitur, videre voluisset vocem *Romatiana* a Gennadio adhibitam, ut Nicetam suum et ipse in Dacia collocaret. Et merito quidem: hanc enim si semel admittimus regulam conciliandarum rerum, ut, propter unius vocis cum altera similitudinem, una eademque res intelligi possit; quot novis erroribus januam non aperimus, dum ad ambiguitates ac errores tollendos incumbimus? Sed hic animadvertendum maxime est, quod fortasse concedi aliquatenus posset, Romatianam Gennadii, pro vocis similitudine, videri unam eamdemque cum ea quam geographi veteres in Dacia signant; si iidem ipsi constantes essent in una ejusdem loci nominis pronuntiatione; aut saltem si inter varias, quas vidimus, exstaret etiam ipsa Gennadii propria Romatiana, aut Romaciana. Ast quodnam argumentum identitatis sumi potest, ubi tanta est varietas; et ubi in tanta varietate nusquam vox illa deprehenditur quæ præcipua est, et de cujus identitate quæritur?

Sed jam propius ad rem propositam accedamus oportet; ut, quam Romatianam civitatem in Dacia Cisdanubiana **85** frustra quæri diximus, in Aquileiensi diœcesi seu provincia an invenire possimus expendamus. Hic vero cardinalis Baronius in primis est audiendus, qui in Notationibus ad Martyrologium Romanum, ad diem 22 Junii, quæ sacra est Niceæ seu Nicetæ Romatianæ civitatis episcopo, ita scribit: « Quænam fuerit ista civitas, cujus Niceas fuit episcopus, diu multumque, fateor, quærens laboravi: ac tandem, ni fallor, rem mihi videor assecutus. Censeo enim illam esse Aquileiam, Niceamque, vel Nicetam esse hujus civitatis episcopum, ad quem exstat sancti Leonis papæ epistola, etc. » Et post aliqua ita sequitur: « Cur autem Aquileiensis episcopus, Romatianæ, sive

Romanæ, vel Romanicíæ inveniatur scriptus episcopus, ea ratio esse videtur, quam ex prædicta Historia Aquileiensi deprompsimus : nam ex eo quod Aquileia fuisset nobilissima Romanorum colonia, Romana seu Romatiana dicta civitas reperitur. Sicut et Ausonius in carmine de Nobilibus Urbibus, Arelatem nominat *Romam Gallicam*.... Leander recens cosmographus, dum agit de Aquileiensi civitate, eam *secundam Romam* vocatam dicit. » Hæc Baronius. Cum Baronio vero in hanc sententiam proni ierunt criticorum ecclesiasticorum nonnulli, tum inter Protestantes, uti ex. gr., Caveus, Oudinus, Joan. Albertus Fabricius, tum inter catholicos, uti Vallarsius, ac noster Joan. Josephus Lirutus. Caveus enim Scriptorum Ecclesiasticorum Historia Litteraria, pagina 399, editionis Basileensis 1741, ita scribit : « Niceas Romatianæ (hoc est, ut Baronius recte interpretatur, Aquileiæ), etc. » Oudinus autem de Scriptoribus Ecclesiasticis, tomo I, pag. 1248 editionis Francofurti ad Mœnum 1722, hæc habet : « Niceas Romatianæ episcopus, hoc est, ut recte interpretatus est Cæsar Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, ad diem 22 Junii, Aquileiæ urbis episcopus, etc. » Joannes Albertus Fabricius in Bibliotheca Græca, tomo VI, pagina 439 primæ editionis, ita scribebat : « Nicetas Dacianus memoratur in Actis Eruditorum, tomo II Supplementi, pagina 212, ex Gennadio. Sed in Gennadii capite 23 (ita ibi) de Scriptoribus Ecclesiasticis est Niceas Romacianæ sive Aquileiæ, vel ut Martianæus in antiquissimo codice reperit, Romanæ civitatis episcopus. » Vallarsius in notatione ad epistolam, num. 8, sancti Hieronymi, quæ est ad Niceam hypodiaconum Aquileiæ, ita et ipse animadvertebat : « Hic Niceas vulgo idem esse creditur, quem sub Nicetæ nomine non semel laudat sanctus Paulinus, fuitque postea Daciæ episcopus. Minime vero idem ille est, sed quem refert Gennadius capite 22 *Niceas Romatianæ civitatis episcopus*, id est *Aquileiæ*, ut Baronius recte interpretatur, etc. » Lirutus denique noster in suo Italice scripto Opere, *Notizie delle vite de' letterati del Friuli*, tomo I, capite 11, rem hanc latissimo sermone persequitur, et ita quoque ut nimius etiam videri possit; ac profecto, ut hac præsertim de causa ab illius hoc loco referendis verbis nos eximat. Hi sunt porro qui cardinali Baronio aut aperte consenserunt, aut saltem non contradixerunt, existimanti Romatianam civitatem Gennadii esse Aquileiam, et rationem afferenti ex celebritate coloniæ Romanæ ibidem deductæ, nec non ex dignitate Urbis, quæ ita meruerit appellari, sumpta voce ex Urbe Romani imperii principe.

Verum longe plures sunt ii, et quidem magni nominis eruditi viri, qui veluti agmine facto opinionem Baronii rationemque ejus in discrimen vocarunt, **86** unoque ore rejecerunt, ut irent simul in eam sententiam, quæ Romatianam Gennadii in Dacia collocat Cisdanubiana. Hi vero sunt, Tillemontius, *Mémoires pour l'hist. ecclés. t.* X, pag. 621 et 826, *édit. de Venise pour Pitteri;* Bailletus, *Vies des saints*, 22 *Juin, n.* 2; Dupinius, *Biblioth. des auteurs ecclésiast., t.* III, *p.* 154, *édit. de Paris*, 1693; Quesnellus, Notæ et Observationes in epistolam sancti Leonis Magni apud eumdem 129; Holstenius, Animadversiones ad Martyrologium Romanum, die 22 Junii, pag. 80 primæ editionis; Florentinius, Vetust. Occidentalis Ecclesiæ Martyrologium ab eo notis illustratum, x kal. Julii; Pagius, Critica Baroniana ad annum 396, num. 4 et seq.; Henschenius, tomo IV Junii Bollandiani, pag. 243 et sequentibus editionis Antuerpiensis; Georgius, Martyrologium Adonis ab eo illustratum ad x kal. Julii; et inter Forojulienses nostros Fontaninus, Commentario di Santa Colomba, capite 18; ac de Rubeis, Monumenta Ecclesiæ Aquileiensis, cap. 16 et 17, necnon dissertationes Variæ Eruditionis, capite 19. Singulorum dicta, quæ nimis longum esset afferre, omitto, uno contentus novissime indicato clarissimo viro Bernardo Maria De Rubeis, qui ad instar omnium esse potest, utpote qui Aquileiensis Ecclesiæ rebus illustrandis multa eruditionis et critices laude data opera incubuit. Hic itaque in pluries et nunc quoque citatis Monumentis Ecclesiæ Aquileiensis, capite 17, num. 4, ita scribit : « Aquileiam dictam aliquando civitatem Romacianam, non evincunt Baronii argumenta. *Fuit illa nobilissima Romanorum colonia.* Id negaverit nemo. Quis inferat vero, dictam propterea civitatem Romacianam? Simili nomine tot aliarum, quæ nobilissimæ fuerunt Romanorum coloniæ, nullam legimus nuncupatam. *Ausonius Arelatem nominat Romam Gallicam.* Apposite celebrem hanc urbem vocat Romam auctor, non Romacianam; itemque Romam cum adjecto, scilicet *Gallicam*, sive *Gallulam*, ut ait ille; non simpliciter et absolute.... *Leander, recens cosmographus, dum agit de Aquileiensi civitate, eam secundam Romam vocatam dicit.* Id nempe asserit recens cosmographus absque teste; nemo enim historicorum, rhetorum ac poetarum veterum in re tam antiqua sic locutus fuisse perhibetur; ac demum de Romaciana civitate agitur, non de nova et secunda Roma. » Hæc de Rubeis adversus opinionem Baronii.

Quid igitur nunc? Defendendusne Baronius cum paucis asseclis suis; an relinquendus, auctoritate et exemplo illorum qui ab eodem unanimiter discesserunt? Si vacaret, Baronii opinio profecto posset, etsi non omnino, defendi, saltem aliquatenus illustrari, ex iis quæ refert in re non dissimili clarissimus Faustinus Arevalus Isidorianorum parte I, capite 23, quæ exstant tomo I Operum sancti Isidori episcopi Hispalensis recens ab eodem splendidissimis typis Romæ editorum, auctoritate et impensa præclaræ memoriæ viri, eminentissimi cardinalis Lorenzanæ. Expendens nimirum eruditissimus editor inscriptionem Isidoriani cujusdam operis, cui titulus *De Ordine Creaturarum*, quod in quodam peculiari codice directum dicitur ab auctore Braulionis episcopo urbis Romæ, et ad quæ verba clarissimus Dacherius explicationis gratia addidit : *Urbis Romæ, hoc est, Cæsaraugustæ*, cujus Braulio episcopus erat; interpretationem affert Nicolai Antonii, qui animadvertebat *Urbis Romæ* nomine *regiam curiam* in Hispania indicatam fuisse, Toletum quoque *sedem Romuleam* dictum, **87** ac generatim quamlibet *regiam urbem* antonomastice sive per excellentiam *Romam* vocatam; et hoc eo prorsus modo, quo apud eosdem Hispanos quævis etiam Ecclesia metropolitana in monumentis ecclesiasticis *Jerusalem* dicebatur. At quoniam Cæsaraugusta Hispaniæ urbs numquam Gothorum tempore urbs regia fuit, videtur idem Nicolaus Antonius non longe esse ab ea etiam sententia, quæ admittebat, eas quoque urbes, quæ aliqua urbis Romæ prærogativa, sive sacra, sive profana quandoque functæ essent, secundæ sive alterius Romæ appellationem promeruisse, uti de Trevirorum urbe aliisque ibidem afferuntur exempla. Accedit quoque auctoritas clarissimi Florezii, qui in suæ Hispaniæ Sacræ tomo V, pag. 512, num. 15, hanc ipsam interpretationem Dacherii tuetur *de Urbe Roma, hoc est, Cæsaraugusta.* Quidni igitur et Romatiana seu Romana civitas dici aliquando potuerit Aquileia juxta Baronii conjectationes, ex eo quod ipsa fuerit nobilissima Romanorum colonia, aliisque inclaruerit urbis Romæ prærogativis, prout fuse animadversum fuit in Auctario ad caput tertium? Haberet itaque opinio Baronii, etiam in hac litterarum luce, et post dissensum quoque tot clarissimorum virorum, unde fulciri aliquo modo posset, si luberet pro eadem decertare; quod nobis omnino propositum non est. Quinimmo Baronii certe interpretationem Romatianæ civitatis pro ipsa Aquileiensi urbe penitus derelinquendam censemus; sicuti etiam nihili faciendam esse rationem quam interpretationis suæ ipse de novo cudit, utpote nullo nixam fundamento, nullaque veterum auctoritate suffultam. In eo vero defendendum Baronium arbitror, quod Romatianæ civitatis nomine

Aquileiensem Nicetæ intellexit episcopatum; licet fortasse in hanc opinionem descenderit ex præconcepto errore, quem alii quoque ipsum secuti ab eodem hausere, quod nimirum Nicetas ille, quem hypodiaconum legimus Aquileiensis Ecclesiæ apud divum Hieronymum, epistola 8, in editione Vallarsii, quæ ad annum pertinet 374, ipse postea Nicetas Aquileiensis episcopus fuerit, qui a Leone Magno Decretalem epistolam accepit anno 458, et qui vitam produxit ad annum usque 485; quod rationi temporum minime convenire jam antea monebamus. Veritati itaque præluxisse Baronium puto, dum Niceam seu Nicetam Romatianæ civitatis episcopum a Gennadio appellatum, pro Nicea seu Niceta Aquileiensi episcopo habuit. Quam autem lucem detegendæ veritati Baronius prætulit, quid mirum nubeculis circumfusam tunc fuisse, quæ tandem novo accedente lumine depellerentur? Quid namque, si Romatiana civitas, quæ illa Daciæ Cisdanubianæ esse non potest, quæque nullatenus cum Baronio Aquileiensis urbs proprie dicta intelligenda est; quid, inquam, si alia optime intelligi possit in Aquileiensi illius temporis diœcesi, et non ita longe ab Aquileiensi urbe sita, cui hactenus tot eruditi viri superius laudati, seu qui Baronium secuti sunt, seu qui Baronium oppugnarunt, animum non intenderunt?

Jam ad Gennadium iterum accedamus oportet; ut qui variantes inter antiquos geographos et scriptores ejusdem urbis Daciæ Cisdanubianæ nominis pronuntiationes animadvertimus, variantes quoque intelligamus inter Gennadianos codices Romatianæ illius, quam Gennadius nominat, civitatis, ut inde facilius ad quam vere ipse in Aquileiensi Ecclesia civitatem intendere potuerit cognoscamus. « Niceas Romacianæ civitatis episcopus, etc. Ita legimus in Gennadio ex editione Joannis Alberti Fabricii, qua ab initio usus sum, et inter Opera sancti Hieronymi ex editione Vallarsii **88** tomo II, pag. 962. Ad calcem vero paginæ ambo notant editores, loco Romacianæ seu Romatianæ, reperiri alicubi Romanæ, et etiam ex Suffrido Petri Romaniciæ. Idem annotaverat etiam Baronius in Martyrologio Romano, ad diem 22 Junii dicens : « Diversa lectio item diversorum codicum reperitur de civitatis nomine, dum apud aliquos Romatianæ, ut hic ponitur, apud aliquos autem Romanæ, vel Romanicianæ civitatis episcopus dicitur. » Codicem Gennadianum San-Germanensem citat ac sequitur Lequienus, uti capite secundo innuebamus, in suo Oriente Christiano, tomo II, col. 306, ubi de episcopis Ecclesiæ Remesianæ in Cisdanubiana provincia Daciæ Mediterraneæ sub metropoli Sardicensi; qui codex in Niceta sic habet : « Nicetas Remesianæ civitatis episcopus, etc.; » ad quæ verba Lequienus hæc subdit : « Sic diserte codex San-Germanensis antiquissimus, non Romaciamæ civitatis, ut antehac in editis : » qua dicendi ratione opinionem suam, quæ simul opinio fuit majoris eruditorum partis, confirmare vult; qua scilicet Gennadianus Nicetas episcopus constituitur civitatis illius in Dacia Cisdanubiana positæ, quæ reipsa ab antiquis geographis ac scriptoribus et Remesiana seu Remessiana, ut ibi in citato codice, et Romissiana, et Remissiana, aut alia parum dissimili voce dicta fuit, numquam vero Romatiana, aut Romana, aut Romaniciana, prout in Gennadii jamdiu notis codicibus atque ejusdem editionibus. Ast viderit Lequienus ipse, num, juxta critices regulas, unico codici, licet *antiquissimo*, ut ipse ait, cujus tamen nec justa ætas nec aliæ indicantur necessariæ notæ ad eidem conciliandam auctoritatem; viderit, inquam, num huic unico codici ita fidendum sit, ut anteferri absolute possit aliis omnibus hactenus cognitis Gennadianis codicibus, eique maxime Vallicellani pridem in Urbe cœnobii postea Vaticanæ bibliothecæ, quem ob *admirandam vetustatem* tantopere celebrarunt eruditissimi viri Holstenius atque Georgius, ubi de Niceta hoc sermonem habent, alter in Animadversionibus ad Martyrologium Romanum, die 22 Junii; alter eadem ipsa die in Martyrologium Adonis, necnon et Florentinius atque Pagius ibidem a Georgio citati; qui codices omnes numquam vocem Remesianæ exhibent, aut aliam huic consimilem juxta geographos ac scriptores veteres in notitiis Daciæ Cisdanubianæ. Viderit quoque num anteferri similiter possit codex ille suus San-Germanensis omnibus simul Gennadii editionibus, quas viris eruditissimis debemus, quasque pro instituto adornarunt inspectis collatisque cunctis, quos undique invenire potuerunt, Gennadii codicibus. Nobis certe codicis hujus San-Germanensis mentionem hoc loci fecisse sat erit, quin ulla ejusdem ratio hic ad rem nostram habenda sit.

Novam vero Gennadii variantem circa episcopalem Nicetæ locum hic addere præstat, quam nuper obtinui a codice Gennadiano membranaceo XII circiter aut XIII sæculi satis bonæ notæ, qui exstat in tabulario capitulari insignis collegiatæ ecclesiæ Civitatensis, ope humanissimi viri et manuscriptorum codicum solertissimi exploratoris, Michaelis a Turre e comitibus olim Vallissaxinæ, illius Ecclesiæ canonici; quem hic honoris, meique grati animi causa nominatum volo. Gennadianus iste codex, in hujus Nicetæ articulo, nonnullas exhibet a communi lectione varietates, et sane singulares, de quibus infra opportuno loco : quod vero ad civitatem spectat episcopalem Nicetæ, ita habet : « Niceta Romathicianæ civitatis episcopus, etc. » Hanc eamdem lectionem *Romathicianæ* ipse postea deprehendi in alio **89** codice chartaceo sæculi, ut videtur, XIV, aut desinentis XIII, signato L, qui exstat inter Guarnerianos codices bibliothecæ oppidi Sancti Danielis, in quo etiam eædem singulares varietates apparent quæ in nunc citato codice Civitatensi; ita ut non ægre conjici possit, spectato quoque amborum veluti domicilio in eadem diœcesi atque provincia, unum ex altero, et hunc propterea ex illo, eductum fuisse. Habemus igitur unius episcopalis loci Niceæ seu Nicetæ episcopi in editionibus ac codicibus Gennadianis, uno excepto codice San-Germanensi, has variantes lectiones : *Romacianæ* civitatis, *Romatianæ*, *Romanæ*, *Romanicianæ*, *Romaniciæ*, ac demum *Romathicianæ*. Quis autem in Aquileiensi tunc temporis amplissimæ diœcesi locus, qui hisce appellationibus respondeat Nostrum Lucretium Treum hic audire non pigeat, virum sane multa ac varia eruditione præditum, qui brevi ac simplici sermone, ad instar Gennadiani Catalogi, anno 1724, Utinensibus typis edidit Sacra Monumenta provinciæ Fori-Julii; cujusque miror numquam, aut fere numquam, meminisse scriptores nostros posteriores, et maxime supra hac re de qua agimus : virum certe meliori fato dignum, et qui non magnæ molis volumine multa complexus est dignissima scitu; licet, pro illius temporis conditione quo scribebat, quædam etiam habeat censura notanda, quæ ipsemet evitasset si in ampliori eruditionis luce vixisset. Hic primus itaque fuit qui Romatianam Gennadii et Martyrologii Romani civitatem in Aquileiensi Ecclesia invenit; ita scribens in notis quas apposuit ad caput sui operis 36, cui titulus *De Sancto Nicea episcopo Aquileiense*. « Romatianæ civitatis episcopus forsitan dictus est (Niceas seu Nicetas), quia in provincia Fori-Julii illis temporibus ut plurimum insonuit hæc vox, præsertim de Portu Romatino, nunc Portu-Gruario, prope Concordiam, et de flumine Romatino, modo Lemen dicto, ibidem excurrente, teste Plinio, libro III, capite 18. Præsides Romani missi ab imperatoribus, modo Aquileiæ, modo Concordiæ residebant : ideo et episcopos Aquileienses similiter fecisse probabile est. Immo Aquileia diruta, Niceas ad Portum Romatinum forsan confugit, sicque hac de causa Romatianus episcopus dictus est. Aliud insuper favet argumentum : nonnulli quoque episcopi Aquileienses sic nuncupati fuerunt, ut de seipso sanctus Chromatius in suo Commentario de octo Beatitudinibus... Sit quidem alibi alia

Romatiana civitas episcopalis, Niceam episcopum Aquileiensem nemo negare potest, etc. » Hæc Treus noster de Romatiana civitate, non ita procul ab Aquileia sita.

Quidquid interim sit de nonnullis quæ hic audet Treus, ut de præsidibus Romanis qui modo Aquileiæ, modo Concordiæ residerent, ac de sancto Chromatio episcopo Aquileiensi qui seipsum appellaverit Romatianum episcopum; quæ omnia, utpote nullo auctore prolata, eidem relinquimus : Romatianus certe locus, e Portu Romatino et e flumine similiter Romatino, qui Plinii auctoritate fulcitur, et suscipi debet, et meretur expendi. Plinius itaque Historiæ Naturalis libro III, capite 18, ex editione Harduini ita habet : « Sequitur decima regio Italiæ, Adriatico mari apposita... Oppidum Altinum, flumen Liquentia ex montibus Opiterginis, et portus eodem nomine, colonia Concordia; flumina et portus Romatinum; Tilaventum majus minusque; Anassum, quo Varramus defluit; Alsa, Natiso cum Turro, præfluentes Aquileiam, etc. » Ita Plinius. Ad imum vero paginæ hoc annotavit editor. « *Romatinum.* **90** Nunc *Lemene :* Concordiam præfluit; portum denique efficit, *Porto Lematino.* » Hic quoque addendum, quoad vocem *Romatinum* hujus editionis, quod in rarissima Pliniana editione Veneta Joannis de Spira 1469, quam consului in instructissima bibliotheca præstantissimi viri omnique eruditione præditi Philippi Florii Utinensis, qui mihi humanissime multorum librorum copiam fecit, legitur *Romantinum;* et in alia similiter Veneta apud eumdem Pauli Manutii 1559, cum emendationibus ipsius Manutii, et castigationibus Sigismundi Gelenii, legitur *Romatium.* Allatum Plinii locum, quoad Portum Romatinum, seu Romantinum dicas, aut Romatium, peculiari animadversione expendit etiam Philippus Cluverius Italiæ Antiquæ libro I, capite 18, ubi etiam Plinii verba ad Romatinum spectantia, et ab exscriptoribus, ut ipse suspicatur, tantisper inversa, in ordinem redigit. Ait itaque : « Flumen Concordiam perfluit, vulgari nunc vocabulo *Leme* et *Lemene* dictum : cujus ostium portum efficit apud Caprulas insulare oppidum, quod vulgo vocatur *Porto Lematino.* Ex quo vocabulo clare liquet, *Romatinum* hunc esse *amnem* ac *portum* Plinii, loco proxime perscripto. *Oppidum*, inquit, *Altinum; flumen Liquentia, et portus eodem nomine. Colonia Concordia; flumina et portus Romatinum; Tilaventum majus minusque; Anassum, quo Varramus defluit; Alsa, Natiso cum Turro, præfluentes Aquileiam.* » Et post aliqua, ita sequitur : « Ego, si Plinio errores objicere piget, sic ab eo scriptum censuerim : *Colonia Concordia, flumina et portus Romatinum, majus minusque; Tilaventum, quo Varramus defluit; Anassum, Alsa, Natiso.* Quippe Romatinus major est is qui altius supra oppidum Valvasso ex exortus, vulgo vocatur *Lemene :* Romatinus autem major is dicendus est qui ab oppido Sancti Viti delabens, apud oppidum Portum Gruarum illi jungitur, vulgari vocabulo *Lemetto :* quod diminutivum est Italica lingua a *Leme;* ita uti recte id interpreteris *Romatinum lemen minus* » Hæc Cluverius.

Audiendi nunc geographi alii in hanc rem : et primum Hofmannus Joannes Jacobus in Lexico universali Historico-Geographico-Chronologico, etc., ubi ita scribit : « *Romatiana*, urbs Carnorum, *Concordia* Ortelio, seu *Portus Romatinus*, sic a fluvio dictus. » Item : « *Romatinum*, Carnorum fluvium Plinio, hodie Venetæ ditionis esse, et *Limino* dici, scribit Leander. » Fusius aliquanto in eamdem rem Baudrandus Geographiæ tomo II, ubi post recensitam Romatianam, seu Remisianam urbem Daciæ, ita de Romatino nostro fluvio et portu scribit : « *Romatinum*, fluvius Carnorum Plinio, *Lemene* nunc, teste Leandro cum aliis, ex Alpibus Carnicis inter Liquentiam et Tilaventum fluens, mareque Adriaticum ad Concordiam urbem subiens. » Idem sequitur : « *Romatinus Portus*, locus Carnorum Plinio, nunc *Porto Lematino*, in Forojuliensi provincia, Cluverio teste, aliis autem est *Porto-Gruaro.* » Item continenter : « *Portus Romatinus*, oppidum Carnorum in Italia Plinio, nunc *Portus-Gruarii*, *il Porto-Gruaro*, oppidum Italiæ in provincia Fori-Julii, ad *Romatium* fluvium, in ditione Reipublicæ Venetæ, duobus milliaribus tantum distans in septentrionem a Concordia urbe excisa, ex cujus ruinis crevit, et in eo sedes est episcopi Concordiæ, a Venetiis 40 mill. passuum distans in ortum æstivum, Utinum versus 25, et ab Aquileia 25 in occasum. » Hæc ibi.

Quod igitur ex allato Plinii textu, quod ex animadversionibus Cluverii **91** ad eumdem textum, quod tandem ex Hofmanni et Baudrandi geographicis scriptis inferre licet, hoc est : in episcopali Aquileiensi ditione antiqua, antequam ullum appareat recentioris Concordiensis episcopalis sedis sicut etiam et Caprulanæ vestigium, locum exstitisse, Romatinum tunc, seu Romantinum, aut Romatium dictum, 25 circiter milliaribus ab Aquileia distantem; qui locus etiam portus fuit, a Romatino, Romantino, seu Romatio flumine ita appellatus; qui nunc quoque exstare creditur in hodierno Portu-Gruario ab incolis ejusdem, qui propterea etiam Pliniana appellatione admodum gloriantur. Quidni itaque hæc ipsa fuerit illa Romatiana civitas, seu Romanicia, aut Romaniciana, aut Romathiciana, sive etiam Romana, quæ in editionibus et codicibus Gennadianis legitur? Certe a Romatio Plinii Manutianæ editionis, Romatiana, et Romaciana Gennadii civitas sponte fluit; a Romatino vero, seu Romantino, non ægre et eadem Romatiana, et Romanicia et Romaniciana, et etiam Romathiciana procedit. Ex dictis igitur, satis, ni fallor, constare videtur, et Romatianam civitatem a Gennadio memoratam, non esse in Dacia inquirendam, sed in diœcesi Aquileiensi; et probabiliter illam etiam esse posse quæ Portus Romatianus, seu Romatinus, aut Romatius, non procul a Concordia, ex fluvio ejusdem nominis a Plinio appellata fuit.

Sed aiebam quoque in hujus capitis lemmate, Romatianam Gennadii civitatem, eam esse posse quæ hodie Portus-Gruarius appellatur et ad eumdem Romatium, seu Romatinum, aut Romatianum fluvium sita est, qui eam interfluit. Quærendum nunc igitur venit, num portus Romatius seu Romatinus de quo Plinius loco supra citato, ac propterea num civitas etiam Romatiana de qua Gennadius in Niceta, iidem omnino sint cum hodierno Portu-Gruario ad Romatium similiter seu Romatinum fluvium sito, sed citra Concordiam, a qua duobus circiter milliaribus distat, et ubi Concordiensis episcopi nunc sedes est? Certum est apud historicos, hodierni Portus-Gruarii locum ex ruinis Concordiensis civitatis crevisse post Attilanam cladem. Concordia itaque stante atque florente, Portus-Gruarii locus, aut pagi aut vici conditione, exstabat : at portum ipsum fuisse Romatinum a Plinio memoratum haudquaquam dixerim, cum Romatianus Plinii portus probabilius steterit ad ostium Romatini fluminis trans Concordiam, cujus quodammodo civitatis portus erat ad æstuarium situs. Id certe indicare videntur Plinii verba superius allata : *Colonia Concordia; flumina et portus Romatinum :* id est Concordia primum, deinde flumen quod eam alluit, ac postea portus trans ipsam Concordiam ad fluminis ostium, sive ubi fluminis cursus desinit. Plinii verba ita etiam intellexerunt scriptores hujusmodi rerum peritissimi atque gravissimi. Jam superius annotatum vidimus ab Harduino ad locum Plinii allatum, quod *Romatinus* fluvius *Concordiam præfluit, portum denique efficit;* igitur post Concordiam secundo flumine Romatinus portus, juxta Harduinum, situs erat; immo ad fluminis ostium, ubi portum ipsum flumen efficiebat. Præterea in Italia Antiqua Philippi Cluverii libro I, capite 17, exstat ejusdem tabula *Venetiæ, Histriæ, et Carnici agri*, in qua portus Romatinus Plinii signatur post Concor-

diam ad ostium Romatini fluminis quod in æstuarium labitur, ubi etiam insula ante ostium ipsum conspicitur, quæ probabiliter eumdem portum constituebat. Ipse vero, capite 18 tabulam suam explicans ad sensum Plinii, ita, uti superius vidimus, aiebat. « Flumen Concordiam perfluit... cujus ostium portum efficit apud Caprulas insulare **92** oppidum, qui vulgo vocatur Porto Lematino. Ex quo vocabulo clare liquet, Romatinum hunc esse amnem ac portum Plinii, loco proxime perscripto. » Idem habemus in tabula quoque, quam edidit clarissimus Filiasius, Venetiæ superioris et inferioris, sive terrestris et maritimæ, tomo III sui nuperrimi Italici operis, cui titulus, Memorie Storiche de' Veneti primi e secondi; ubi etiam æstuarii hujus, in quod labitur Romatinus, tum littoralia, tum insulas jam tunc habitatoribus abundasse scribit ante Venetorum tempora, id est stante adhuc Romano imperio, et ante Barbarorum in Italiam incursiones. De situ autem hujus Romatini portus Filiasius loquens capite 13 citati tomi III, ita scribit : « Il *Lemene*, allora *Romatino* chiamato, alla sua foce il *porto Romatino* formava secondo Plinio, che il porto marittimo dovea essere di Concordia.... Questo porto se fosse poi quello di *Caorle*, o quello di *Santa-Margarita*, od altro vicino è difficile il sapere, perche anche in quell' estuario successero grandissime mutazioni. » Ita Filiasius. Constat itaque portum Romatium seu Romatinum a Plinio memoratum, non esse vere ac proprie hodiernum Portum-Gruarium, licet et hic ad eumdem Romatium seu Romatinum fluvium sit constitutus.

At si portus Romatius seu Romatinus a Plinio memoratus nequit esse hodiernus Portus-Gruarius, fueritne saltem portus hic Gruarius illa civitas Romatiana, de qua Gennadius in Niceta? Id vero satis etiam probabile esse existimo. Portum certe Gruarium citra Concordiam positum, et a Gruarii villula unde nomen accepit ad meridiem non longe dissitum, ex ruinis Concordiæ crevisse communis opinio est. Concordia itaque diruta in Attilana clade una cum Aquileia atque Altino, clarissimis civitatibus hinc inde a Concordia sitis, Portus-Gruarius in novam quamdam quam cito ecaluit civitatem, quæ incolas fortasse accepit etiam Romatini portus, qui proculdubio eamdem cum Concordia cujus *portus* erat, et a qua non longe distabat, subierat a Barbaris ruinam. Hinc Romatinus Plinii portus, seu in insula, seu in interno æstuarii litore situs, post epocham Attilanæ cladis, id est post annum 452, urgente fortasse postea etiam aquarum impetu, ut in hujusmodi locis frequenter accidit, ubi maxime manus hominum desint pro ipus reparantes; Romatinus, inquam, Plinii portus veluti ab orbe evanuit, atque ipsius quodammodo loco surrexit Portus-Gruarius, qui jam Gennadii ævo, quinto nimirum labente sæculo, simul et portus et civitas facile potuit appellari; et Portus-Gruarius nempe, et civitas Romatiana : Portus quidem, nomine retento ab antiquo portu Romatino qui ad ostium fluminis steterat; addito quoque nomine civitatis Romatianæ ex civitatis forma quam portus hic de novo acceperat, et ex Romatino seu Romatio flumine quod illam interfluebat. Cæterum « nei secoli barbari, aiebat Filiasius supra citatus, tomo III, capite 12, nei secoli barbari il nome di *porto* davasi a tutti i luoghi di traffico su fiumi situati, e come l'ebbero *Porto-Buffoleto*, *Porto-Gruaro*, etc. » Dufresnius vero, in Glossario, verbo *Civitas*, annotabat, « nomine civitatis, non modo urbem caput gentis, aut unum ex capitibus, sed etiam totum urbis agrum, pagumve, aut diœcesim apud veteres designari. » Minus prop ie itaque a proximo vico Gruario Portus ille Gruarius appellari potuit ab incolis post Attilanam cladem; cum potius portus Romatius seu Romatinus novus, a Romatino veteri cui successerat, appellari debuisset, sicuti reapse erat; immo melius, a nova civitatis forma quam acquisierat, civitas **93** Romatiana. Quidni igitur hanc proprie civitatem Portus-Gruarii Gennadius intellexerit, cum Nicetam nostrum Aquileiensem scripsit *episcopum civitatis Romatianæ?* Quidni etiam de industria Romatianam civitatem dixerit ex loco sibi forte noto, cujus tamen commune apud incolas vocabulum *Portus-Gruarii* ignoraret; locum scilicet designans civitatis illius quam et civitatem nosset, et sciret ad Romatinum fluvium positam, eumdem scilicet qui jam nomen dederat veteri portui ad illius ostium in proximo æstuario sito? Romatiana itaque Gennadii civitas in Niceta, quæ non est in Dacia, sed in Aquileiensi veteri diœcesi seu provincia inquirenda, aut portus ille fuit a Plinio memoratus ad ostium Romatii seu Romatini fluvii; aut etiam civitas illa, quæ ad eumdem fluvium sita, ac Portus-Gruarius dicta, post ruinam Concordiæ crevit, ac locum quodammodo tenuit tum ipsius Concordiæ, tum Romatini portus qui ad ostium fluvii steterat.

Claudendum tamen hoc caput non est, antequam nonnihil proferamus etiam de voce *Romanæ*, quæ in aliquo Gennadii codice, ut supra vidimus, invenitur, loco communioris *Romatianæ;* ita ut scriptum appareat, *Niceas Romanæ civitatis episcopus*, uti etiam Fabricius annotabat loco supra citato. Ex Gennadianis illis codicibus, qui vocem Romanæ exhibebant, eadem vox fortasse irrupit etiam in aliquo ex Martyrologiis : et utrumque satis compertum erat clarissimo De Rubeis, qui lectionis hujus singularitatem notare non omisit tum in Monumentis Ecclesiæ Aquileiensis capite 17, num. 4, tum in dissertationibus Variæ Eruditionis, capite 19 num. 4. Eamdem vicem, quam Niceas seu Nicetas passus fuit etiam Aquileiensis Nicetæ prædecessor Chromatius, qui Romanus itidem episcopus appellatus fuit in vetustissimo codice, ex quo illius opuscula primus vulgavit Joannes Sichardus Basileæ apud Adamum Petrum, anno 1528, in forma octavi sub hoc titulo : *Chromatii doctissimi episcopi Romani*, etc. In varia cum abiissent eruditi ad hujus vocis novitatem in Chromatio episcopo, quem sciebant, non utique Romanum, sed Aquileiensem episcopum exstitisse, et clarissimum quidem, tum Hieronymi, tum aliorum illius ætatis præstantissimorum virorum testimonio, en quomodo idem De Rubeis, pro eruditione sua, et pro rerum Aquileiensium singulari peritia, qua excellebat, rem explicaverit. « Aliam profero conjecturam (de Chromatii patria) ex titulo, qui Chromatii Operibus infra recensendis præfigitur in aliquibus editionibus : inscribuntur nempe opuscula *Chromatii Romani episcopi*.... Occurrit portus Romatius, de quo Plinius Libro III, capite 18, in Venetia, decima Italiæ regione, sic habet : *Colonia Concordia, Flumen et portus Romatium.* Dictum etiam legimus portum Romatinum, qui oppidum est (hodie incolis *Porto-Gruaro*) ad Romatium fluvium (vulgo Limino) apud Concordiam urbem excisam. Quidni Chromatius dictus fuerit Romanus, vel potius dici debuerit Romatius et Romatinus patria, episcopus Aquileiensis? » Ita in Monumentis Ecclesiæ Aquileiensis, capite 10, num. 2. Deinde capite 17, num. 4, ubi Baronii animadversioni pro sancto Niceta Aquileiensi occurrebat, ita de Romani episcopi titulo ad sanctum Chromatium aientis : *Sanctus Chromatius prædecessor sancti Nicetæ, in commentario de octo Beatitudinibus, inscriptus reperitur episcopus Romanus :* hæc in eumdem sensum addidit. « Potuit ex patriæ fortasse loco vocari *Romanus* (sanctus Chromatius). Dici potius debuerat Romatinus ex portu Romatio, sive Romatino, **94** quem collocat Plinius prope Concordiam. » Demum in dissertationibus Variæ Eruditionis, capite 18 num. 6, ita de conjectura hac sua scribebat : « Tot inter conjecturas, mihi etiam quæ menti meæ inciderat, proferre licuit in Monumentis Ecclesiæ Aquileiensis, capite 10 num. 2, ut nempe eo vocabulo (*Romani*) patria Chromatii indicaretur, eaque fuerit Concordia, de qua sic habet Plinius libro III, cap. 18 : *Colonia Concordia, flumen et portus Romatium* adeoque Chromatius dici potius de-

huerit Romatius, seu Romatinus patria, ac deinde episcopus Aquileiensis. »

Vidimus itaque quam apte eruditissimus De Rubeis difficultatem diremerit nuncupationis *Romani episcopi* in Chromatio Aquileiensi; et quam apposite in Aquileiensis Ecclesiæ finibus locum invenerit, ad quem, tenuissima vocis diversitate, seu potius modico ejusdem inflexu, *Romana* illa nuncupatio referri posset, quæ Chromatii veluti natale solum, ut ipse autumaverat, indicaret. Cur vero nihil hujusmodi vir eruditissimus excogitavit, ut Gennadianum Nicetam, quem Baronius Aquileiensi Ecclesiæ, non satis quidem firmis rationibus, asserebat, feliciori ipse ausu, qui jam antea in Chromatio bene cesserat, eidem vindicaret? Atqui non vox tantummodo *Romanæ civitatis* aliquorum codicum in Niceta episcopo, sed vox communior et explicatior *Romatianæ* quæ in editis omnibus legitur, monere illum efficacius debuisset, tum Romatii seu Romatini fluvii, tum Romatini portus, ad quem Nicetam quoque, saltem quoad patriam, referre posset, sicuti egerat in Chromatio; maxime vero post ea, quibus illi præiverat in Sacris Monumentis provinciæ Fori-Julii Lucretius Treus, uti superius dictum fuit. Verum alter Chromatius episcopus, præter Aquileiensem, in ecclesiasticis monumentis illorum temporum non aderat, ad quem illa *Romani* denominatio aptari posset; dum interim Nicetæ duo floruere, etsi non eadem prorsus ætate, non longo tamen temporis intervallo a se invicem distantes; quorum uni si aliquatenus civitas Daciæ conveniret, non erat cur desudandum esset pro altero, quem Aquileiensem fuisse episcopum nemo negasset. Alia procul dubio nunc clarissimo viro, post detectam Nicetæ episcopi, sub *Aquileiensis* titulo, *Explanationem Symboli ad competentes*, placeret opinio : cumque elucubratio illa, et Nicetæ Daci sancti Paulini Nolani amici esse non possit, et sane Aquileiensis Nicetæ episcopi, necnon et Ecclesiæ illius indicia præferat, ut vidimus; Romatianam illam civitatem Gennadii, etiam pro Niceta Aquileiensi episcopo, hic in Aquileiensium finibus invenisset, sicuti pro Chromatio fecerat.

Ast, dicet aliquis, quid Romatiana civitas apud Romatium seu Romatinum fluvium sita, ad difficultatem nostram plene solvendam, si interim Romatiana hæc civitas Aquileia ipsa non est? Fuerit fortasse, addiderit quispiam, fuerit Romatiana civitas apud Romatium seu Romatinum fluvium Nicetæ Gennadiani patria : non erat certe cur ex patria diceretur Nicetas hic Romatianæ civitatis episcopus, si reapse Aquileiensis episcopus fuisset. Inventa igitur atque asserta in Aquileiensis veteris diœcesis finibus Romatiana Gennadii civitate; ad plene nihilominus comprobandum Aquileiensem hujus Nicetæ Romatiani episcopatum, adhuc restat solvendus nodus; qui tamen, ni fallor, conjecturis ex ecclesiastica eruditione petitis satis commode sequenti capite dissolvetur.

95 CAPUT VI.

Niceas seu Nicetas, episcopus Aquileiensis, Romatianæ civitatis episcopus probabiliter dictus fuit; seu quia, antequam episcopalem sedem Aquileiensem conscenderet, episcopus auxiliaris fuit Aquileiensis Ecclesiæ ad portum Romatium sive Romatinum situs; seu quia ad portum vel civitatem ejusdem nominis non infrequenter sedebat, etiam cum Aquileiensis Ecclesiæ clavum teneret.

PARS PRIMA.

Cur Niceas seu Nicetas Gennadianus, quem non illum fuisse qui sancti Paulini Nolani amicitia claruit atque in Dacia episcopatum obivit jam probavimus, fuisse vero episcopum Aquileiensis Ecclesiæ, sancto Leone Magno pontifice variis rationum momentis evincere conati sumus; cur, inquam, Niceas seu Nicetas hic, non episcopus Aquileiensis, sed civitatis Romatianæ a Gennadio appellari potuerit, hic inquirendum venit. Jam in hujus Niceæ seu Nicetæ patria investiganda non immoror : ac etiamsi fortasse Romatinus seu Romatianus patria esse potuerit, non ideo Romatianæ civitatis episcopum a Gennadio appellatum fuisse crediderim, sed alia prorsus potiori et aptiori de causa; ac primo probabiliter ex eo quod, antequam episcopalem Aquileiensem sedem conscenderet, episcopus auxiliaris fuerit Aquileiensis ejusdem Ecclesiæ ad portum Romatium seu Romatinum situs.

Romatinus ille portus, qui vulgo hodie Portus-Gruarius, nunc quidem Concordiensi episcopo subest, immo Concordiensis episcopi sedes est; cum Concordia, Romanorum olim colonia, paucis nunc incolis paucisque habitationibus constet, quæ vix parvum pagum aut vicum efficiunt; nec aliud insuper spectandum præferat, præter cathedralem ædem vetustam, et pauca rudera, antiqui quidem nominis monumenta, sed non adeo insignia, ut cum iis vel comparari queant, quæ de Aquileiensi amplissima urbe hodiedum supersunt, quæ idem subiit cum Concordia fatum ex Attilana feritate. Portus tamen Romatinus, et ipsa Concordia civitas, quæ a Romatino hodierno portu vix duobus milliaribus distat, Aquileiensis latissimæ diœcesis pars olim fuit, tum ante Nicetæ ætatem, tum etiam postea, ad extremum usque sæculi sexti; in quo apparet Concordiensis episcopus nomine clarissimus, qui apud Ughellum Italiæ Sacræ tomo V, et apud De Rubeis in Monumentis Ecclesiæ Aquileiensis, Concordiensium episcoporum seriem aperit. Eruditissimus quidem præsul Fontaninus Historiæ Litterariæ Aquileiensis libro V, capite 14, num. 1, conjectabat inter Concordienses episcopos referri posse Laurentium illum, cui suum Rufinus presbyter nuncupaverat de Symbolo Commentarium. Ast, utut Laurentius ille videatur ad Aquileiensem Ecclesiam pertinere, sicuti antea monebamus Fontaninum ipsum secuti; nulla suppetit ratio, cur ipse peculiariter aut Concordiensi, aut alteri ex Ecclesiis Aquileiensi metropoli attributis assignetur : et probabilius unus ex iis episcopis dicendus est, qui auxiliares episcopi majorum diœceseon erant, de quibus nunc nobis agendum; et qui fortasse etiam Concordiæ aut ad portum Romatinum pro Aquileiensi episcopo sedere potuerit, sed auctoritate longe alia ab illa qua posteriores episcopi ibidem **96** decursu temporis in proprium titulum, uti aiunt, constituti.

Non modo vero Concordiensis et hodiernus Romatinus ager, tum Nicetæ tempore, tum antea et post, Aquileiensi immediate suberat episcopo, sed etiam Romatinus ipse Plinii portus, quem vidimus trans Concordiam probabilius olim positum ad ostium Romatini fluminis prope insulam Caprulanam. Late enim tunc, etiam per eadem littora Concordiensis, seu Romatini potius dicas, æstuarii, nec non per insulas circumjacentes, Aquileiensis episcopi cura sese protendebat, prout gravissima etiam fert opinio clarissimi viri Flaminii Cornelii Ecclesiarum Venetarum tomo XIII, pag. 5; cum nondum scilicet erectæ forent in Venetia maritima tot Ecclesiæ episcopales proprii juris, quæ partim adhuc perseverant, partim vero evanuerunt; cum nondum exstaret prope portum Plinii Romatinum, sive prope locum ubi Romatinus Plinii portus fuerat, ipsa quoque Caprulensis Ecclesia, quæ nonnisi labente sæculo VI, sancto Gregorio Magno pontifice, ortum habuit, uti ostendit vir eminentissimus cardinalis Norisius in dissertatione historica de Synodo Quinta, capite 9 § 5, contra ac statuerat Ughellus Italiæ Sacræ tomo V, in Ecclesia Caprulensi; et uti fusius explicat noster De Rubeis in Monumentis, capite 32 num. 5, ac novissime ostendit peculiari sua dissertatione Italice scripta, ac Venetiis edita typis Coleti anno 1796, cui titulus : *Sopra a' primi vescovi Caprulensi*, etc., itidem noster superius laudatus Innocentius Maria Lirutus, nunc Veronensium præsul.

Igitur cum absque episcopo propriæ sedis quinto sæculo adhuc essent Concordiensis ager, ac Romati-

nus quoque qua longe lateque patet, ac propterea partem constituerent Aquileiensis peculiaris amplissimæque in Venetia diœcesis; valde probabile est ibidem ab Aquileiensi præsule collocatum fuisse auxiliarem episcopum, qui gregi ibidem posito, ex ipsius Aquileiensis episcopi auctoritate, prospiceret; talemque propterea Niceam seu Nicetam nostrum fuisse, antequam episcopalem Aquileiensem sedem conscenderet, ideoque Romatianæ civitatis episcopum appellatum fuisse a loco ubi auxiliaris episcopus Ecclesiæ Aquileiensis sedere consueverat. De auxiliaribus itaque majorum diœceseon episcopis in genere agendum nobis est, ac sigillatim etiam de episcopis auxiliaribus Ecclesiæ Aquileiensis. Ubi vero, Concordiensi agro atque Romatino nondum in diœcesim propriam constitutis, ubi, inquam, constet in Aquileiensi etiam Ecclesia priscis temporibus, ac non ita longe a Nicetæ ætate, auxiliarium episcoporum viguisse institutum; in tanta rerum obscuritate, ac distantia temporum, hoc satis nobis est, ut inde quoque validius conjiciamus, Niceam seu Nicetam nostrum aliquando ad portum Romatinum auxiliaris Ecclesiæ Aquileiensis episcopi munere functum, ideoque fortasse Romatianæ civitatis episcopum a Gennadio non immerito appellatum.

Actum agere non est animus, dum hic de auxiliaribus majorum diœceseon episcopis aliquid scribere propositum est. Argumentum hoc, post veterum eruditorum investigationes, amplissime exornarunt recentiores quamplurimi ecclesiasticæ hierarchiæ ac politiæ tractatores; ut vix sperandum sit aliquid afferri posse in rem hanc ex ecclesiasticæ historiæ penu, quod eorum effugerit diligentiam. Licebit nihilominus veluti post messem colligere spicas, quoad rem in genere acceptam: neque ingratum fuerit aliquid in eadem re ex Aquileiensi etiam antiquitate depromere quod fortasse aut plane novum, aut hactenus non satis perpensum legentibus acciderit.

97 Majorum in Ecclesia diœceseon fuisse antiquitus consuetudinem, ut omnes, aut pene omnes presbyterii episcopalis sacerdotes, episcopali etiam ordinatione fulgerent, et nonnulli etiam in pagis et villis fuerint constituti ubi majores essent fidelium conventus, explorata res est, et apud Christianum Lupum in dissertatione proœmiali ad Nicænos canones, capite 5, et apud alios quoque abunde probata. Licet vero postea non ita frequentes, uti primitus, fuerint presbyterorum episcopales ordinationes, in singulis tamen majoribus Ecclesiis nonnulli erant episcopali charactere donati; et qui apud episcopos primarios considebant, vicarias ipsis manus, ubi opus esset, de eorum mandato præstaturi; et qui ab episcopis eisdem in dissita ac populosiora suarum diœceseon loca mittebantur ad episcopalia munia obeunda, ut ea fidelibus adjumenta salutis præsto essent, quæ nonnisi ab episcopali ordinatione insignito dari possunt, quæque ibidem difficillime a diœcesis episcopo suppeditata fuissent. Utriusque illius veteris instituti non desunt exempla in ecclesiasticis monumentis priorum sæculorum, quorum aliqua hic juvat afferre.

Sanctus ille martyr Hippolytus episcopus Portuensis, de quo multa et varia eruditi, et nuperrime etiam clarissimus Simon de Magistris ex Neriana congregatione Oratorii de Urbe, ac episcopus Cyrenensis; sanctus, inquam, ille martyr Hippolytus, episcopus Romæ dictus invenitur in antiquis codicibus; et in Daniele secundum LXX, Romæ edito ab eodem eruditissimo viro anno 1772, adest ejusdem sancti Martyris opusculum Græce et Latine pag. 95, sub hoc titulo: *Hippolyti episcopi Romæ* (ἐπισκόπου Ῥώμης) *Danielis et Nabuchodonosori visionum solutiones ambarum simul.* In præfatione vero pagina 28, hæc monuerat clarissimus editor super hoc peculiari titulo, quæ hic ad rem totam illustrandam afferimus. « Duo nobis post complures eruditorum sententias de titulo Hippolyti, quo dicitur ἐπίσκοπος Ῥώμης, quemadmodum sæpe a Græcis, verisimilius dici posse visa sunt, quod ipse A cum esset gentium episcopus Romæ ordinatus, fuerit in urbe Roma episcopus, unde increbuit episcopus Romæ, quod est alienum. Vixit Hippolyti ævo Caius presbyter, idemque Romæ gentium episcopus..... Eo itaque tempore quoniam Urbs innumerabili frequentia populi florebat, indeque Christianorum numerus augebatur in dies, pontifices Romani viros lectissimos doctissimosque veluti adjutores adhibuerunt, quibus in Ecclesiæ administratione uterentur, eosque in episcoporum gradu esse voluerunt. » Ita de Magistris quoad primum e duobus, quæ illi dici posse videbantur super hac re; quod unum quoque hic sufficit retulisse.

Alterum ejusdem generis urbis Romæ episcopum, Macedonium nomine, sedente sancto Cornelio pontifice, exhibebant Acta quædam deperdita, seu Commentarii de Novatiana secta, ab Eulogio patriarcha Alexandrino cadente sexto sæculo confutati, cujusque confutationis similiter deperditæ plura excerpta nobis servavit Photius in codicibus 182 et 280 suæ bibliothecæ. Quidquid sit de veritate illius facti, quod Com- B mentarii illi Novatianæ sectæ, ad conflandam catholicis invidiam et Novatianæ partis vigorem fidei extollendum, exprobrabant huic episcopo urbis Romæ Macedonio; quod nempe, Novatiano schismatis auctore suisque asseclis fidem erecto animo in persecutione confessis, ipse Macedonius turpiter cedens in eodem certamine fidem sanctam violaverit (quod Eulogius a Novatianis falso confictum aiebat); id certe videtur **98** inficiandum non esse, eo scilicet tempore, sancto Cornelio pontificatum agente, fuisse Romæ Macedonium quemdam episcopali honore insignitum, qui urbis Romæ episcopus diceretur. Quamvis enim Commentarii illi Novatianæ sectæ ab Eulogio confutati scaterent mendaciis atque figmentis, quod proprium eorum est qui malam causam tuendam suscipiunt; hujus tamen Macedonii persona, et episcopalis etiam gradus in urbe Roma revocari nequit in dubium: hoc enim falsitatis communiter proprium est, ut non omnia ex nihilo fingat; quod ad illudendum non omC nino aptum esset: sed maxime ut personarum, et locorum, et temporum veritatem servet, quo magis fucum faciat figmentis suis, ac eisdem verosimilitudinis characterem quemdam impingat. Fuerit itaque Macedonius hic, Cornelii pontificis tempore, urbis Romæ episcopus: non alius certe fuit, quam unus ex episcopis auxiliariis ejusdem Cornelii papæ, eo prorsus modo quo et Hippolytus martyr et Caius, de quibus jam vidimus.

Tertium urbis Romæ episcopum, Felicem quemdam, sedente sancto Innocentio primo, produnt nobis Gesta collationis Carthaginensis inter catholicos et Donatistas anno 411, actione 1, quæ in conciliorum collectionibus exstant, et cum sancto Optato episcopo Milevitano editionis Dupinii. Hic *Felix* Roma profugus cum *omni* pene *Romana nobilitate*, ut in Actis dicitur, quæ Gothorum sub Alarico rege immanitatem fugiens ad Africana littora se receperat, occasione hujus celeberrimæ collationis Carthaginem venerat, seque Donatistarum parti addixerat. Hunc Balduinus, D in notis huic collationi appositis, putavit unum esse ex iis pseudoepiscopis Donatistarum, qui, ut ex Optato habemus, Romæ præerant Donatistis suis, Montensibus ibidem appellatis, qui idciro urbis Romæ episcopi titulum usurpaverit. At cum ex collatione ipsa appareat catholicos episcopos nihil omnino hujusmodi eidem objecisse, immo ad collationem admissum sub eodem titulo episcopi urbis Romæ, addito tantum, quod id intelligi deberet absque *præjudicio* primarii *urbis Romæ* episcopi, *Innocentii* papæ, qui tunc Ravennæ degebat apud Augustalem aulam, ne hujus Felicis, uti episcopi urbis Romæ, potior quam par erat videretur auctoritas; longe probabilius est, et hunc Felicem unum ex episcopis auxiliariis Romæ fuisse Innocentii papæ, qui Gothorum et ipse turbine pulsus, et in Africam vectus, siverit se Donatistarum fraudibus a catholica unitate depelli, et hanc addiderit eisdem gratiam ad fucum hominibus faciendum, ut,

quamvis a Romana communione sejunctus, nihilominus priori titulo urbis Romæ episcopi voluerit appellari. A

Patent itaque auxiliares episcopi Romanorum pontificum, qui Romæ eisdem præsto erant, et idcirco Romæ, aut urbis Romæ episcopi dicebantur. Hanc vero denominationem episcopi urbis Romæ posterioribus sæculis non itidem tributam deprehendimus auxiliariis Romanorum pontificum episcopis, qui apud eosdem Romæ degebant. Res nihilominus eadem semper fuit : atque hic illustrationis gratia indicare lubet bullam Stephani II papæ anni 755, quæ exstat apud Ughellum Italiæ Sacræ editionis secundæ cura Coleti, tomo II, col. 86, in qua apparet Anastasius quidam episcopus, qui dicitur *primus episcopus diœcesanorum sanctæ sedis apostolicæ*, nullo addito peculiaris ac propriæ sedis titulo. En, ni fallor, episcopos auxiliares octavo sæculo summi pontificis, ex eorum numero qui cum eodem Romæ commorabantur ; et qui ideo, non quidem sicut priscis temporibus episcopi urbis Romæ, sed **99** diœcesani episcopi sanctæ B sedis apostolicæ appellabantur. Hic autem Anastasius, qui dicitur primus, forte inter hujusmodi auxiliares episcopos senior erat ordinatione, aut etiam alia de causa omnium dignitate præcipuus.

Sed et aliarum etiam per orbem majorum sedium exstant hujusce disciplinæ vestigia, quorum unum aut alterum exhibere sufficiet. In actione prima concilii Ephesini adversus Nestorium, apud Labbeum, tomo III Conciliorum editionis Venetæ curis Coleti, col. 1090, legitur epistola sancti *Cyrilli episcopi Alexandrini ad quosdam de Clero Constantinopolitano* super Depositione Nestorii ; atque hæc Epistola inscribitur *Comario et Potamioni episcopis, et domino Dalmatio monasteriorum archimandritæ, et Timotheo et Eulogio presbyteris*. Ecclesia igitur Constantinopolitana, præter archipræsulem, regiæ illius urbis antistitem, habebat in clero suo episcopos, quos certe credere fas est auxiliarios fuisse ejusdem Constantinopolitani antistitis ; non enim alia de causa episcopi C illi de clero Constantinopolitano esse poterant. In actione 4 ipsius concilii Ephesini tomo citato, col. 1166 et 1174, bis legimus inter fautores Nestorii, et asseclas Joannis Antiocheni qui Nestorii partes tuebatur, et peculiarem conventum suorum in Nestorii gratiam Ephesi egerat ; bis legimus, inquam, fuisse etiam *episcopos solius nominis, utpote nullas civitates obtinentes* : et hi actione 5, col. 1182, singillatim etiam nominantur cum aliis episcopis ejusdem factionis qui sedem propriam habebant ; et episcopi illi, solius nominis et absque sede aut ulla civitate, inveniantur fuisse sex. Hoc nimirum Joanni Antiocheno inter alia objiciebant Cyrillus Alexandrinus et Memnon Ephesiorum episcopi, ut eo magis irritam ostenderent depositionis sententiam quam Joannes in eos ferre ausus fuerat ; utpote latam cum eo etiam ab hominibus, quorum exigua esset et parvipendenda in Ecclesia auctoritas, quoniam solo nomine cum essent episcopi, nullam ex se jurisdictionem haberent. Hi vero sex episcopi solo nomine tales et nullas civi- D tates obtinentes, quinam esse poterant, nisi auxiliares episcopi ejusdem Joannis Antiocheni, aut alicujus etiam ex aliis episcopis asseclis suis, quos ipsi secum Ephesum duxerint ad facinus perpetrandum adversus sanctam synodum œcumenicam ibidem Cyrillo præsidle congregatam Nestorii blasphemiis proscribendis? Atque duo hæc Orientalis Ecclesiæ sunt exempla sæculi quinti.

Cum vero aliud etiam proferam ejusdem sæculi in Ecclesia Occidentali, et extra urbis Romæ atque Italiæ fines, nolim videri nimis audacter agere, si eruditissimi Sirmondi sententiæ adversari audeo, cui ejusmodi episcopi auxiliares minus erant probati. Sidonius Apollinaris hujus quinti sæculi scriptor in epitaphio Claudiani Mamerti, fratris sancti Mamerti episcopi Viennensis, quod exstat libro IV epistolarum ejus, epistola 11, ita de eodem scripserat :

Antistes fuit ordine in secundo,
Fratrem fasce levans episcopali.
Nam de pontificis tenore summi,
Ille insignia sumpsit, hic laborem.

Sub nomine *antistitis in ordine secundo* Sirmondus in notis ad hanc epistolam intelligit Claudianum fuisse presbyterum fratris sui Mamerti, episcopi, non autem episcopum ; et acriter eos carpit, qui jam tunc primi et secundi ordinis episcopos distinguebant in eadem sede, hoc est episcopos illius sedis proprios cujus gerebant titulum, et eorum episcopos auxiliares. Nimirum Sirmondi ætate nondum de episcopis auxiliariis res erat satis in luce posita. Verum quis vetat Claudianum **100** hunc, antistitem dictum in ordine secundo, intelligi osse episcopum auxiliarem fuisse sancti Mamerti fratris sui in Ecclesia Viennensi ? Jam præmiserat in eadem epistola Sidonius, Mamertum habuisse in Claudiano fratre *consiliarium in judiciis, vicarium in ecclesiis, procuratorem in negotiis*, etc. Hic vero in epitaphio addit *antistitem* hunc *ordine in secundo levasse fratrem fasce episcopali*, et *sumpsisse laborem* episcopatus fratris sui, B qui ejusdem episcopatus habebat *insignia*. Quamvis et Claudiano presbytero hæc non prorsus disconveniant, quis tamen non videat melius in omnibus convenire Claudiano episcopo auxiliari fratris sui ? Vox nempe *antistitis* etiam ad Claudianum deducta, episcopum illum indicat, non tantummodo presbyterum ; sicut etiam officium *levandi fratrem labore* suo in onere episcopali, quod spectat ad ea etiam munia obeunda quæ episcopalis characteris sunt propria. Præterea cum presbyterum indicare voluit Sidonius epistola 25 ejusdem libri IV, non antistitem illum nominat in ordine secundo, sed appellat *secundi ordinis sacerdotem*. In eadem vero epistola, cum prius locutus fuisset de episcopo diœcesis Cabillonensis qui ordinari debebat, eumdem *summum antistitem* dixit. Antistes igitur in ore Sidonii episcopus est, non simpliciter presbyter ; summus antistes, qui præerat diœcesi ; antistes in ordine secundo, qui opem ferebat antistiti summo in gradu episcopali. Claudianus itaque Mamertus, antistes dictus ordine in secundo apud fratrem suum sanctum Mamertum episcopum Viennensem, episcopus ejusdem auxiliaris fuisse videtur ; quidquid in contrarium sentiat doctissimus Sirmondus, ex præconcepta opinione adversus ejusmodi episcopos in una eademque diœcesi, ac veluti in una cum majori episcopo sede considentes. Claudianus hic nihilominus vocatur *presbyter Viennensis Ecclesiæ* a Gennadio de Viris Illustribus capite 85. Sed ideo fortasse presbyter, quia non summus diœcesis antistes, et quia hujusmodi auxiliares episcopi, ut plurimum, a presbyteris non distinguebantur.

Sed jam ad aliud episcoporum auxiliariorum genus transeamus ; eorum nimirum, qui in magnis diœcesibus ab episcopis veluti quadam stabili sede collocabantur in dissitis ac populosioribus episcopatuum suorum locis, ubi fidelium necessitas postulabat. De his, ni fallor, intelligendus est canon 6 concilii Sardicensis, Gentiano Herveto interprete, apud Labbeum curis Coleti, tomo II, col. 662, ubi ita statuit : « Non licere simpliciter episcopum constituere in aliquo pago, vel parva urbe, cui vel unus presbyter sufficit : non necesse est enim illic episcopum constitui, ne episcopi nomen et auctoritas vilipendatur. » Corrigit canon hic sextus abusum inductum constituendi episcopos in pagis vel parvis urbibus, in quibus vel unus presbyter sufficiebat. Abusus autem non in eo erat, ut in pagis ac parvis urbibus, per episcoporum ibidem collocationem, tot exiguæ diœceses erigerentur ; cum diœceses tunc, ut plurimum, latissime paterent, neque putari quidem possit tanta tunc temporis disciplinæ jactura, ut minimæ hujusmodi ac infimæ diœceses passim cum Ecclesiæ dedecore erigerentur. Sed abusus in eo erat, ut loco presbyterorum, qui in his pagis parvisque urbibus sufficere potuissent, ab episcopis diœceseon collocarentur episcopi in eorum potestate positi, id est *simpliciter epi-*

scopi, prout citato loco etiam Græca canonis lectio habet ἁπλῶς καθιστᾶν ἐπισκοπὰς, qui ibidem præessent sub episcopi auctoritate a quo mittebantur. Dum vero Sardicensis canon hunc abusum corrigit **101** constituendi hujusmodi simplices episcopos in pagis et parvis urbibus; jam usum asserit in Ecclesia vigentem horumce simplicium episcoporum, qui hic atque illic ab episcopis majoribus statuebantur in locis suarum diœceseon : et dum improbat nimiam hanc in parvis etiam locis episcoporum frequentiam, consequenter non improbat ejusmodi episcoporum simplicium constitutionem, quæ cum delectu fieret, in locis nempe diœceseon populosioribus, et in civitatibus quæ non ita parvæ essent, quibusque presbyteri non sufficerent; addit enim eodem ipso loco : « Si autem inveniatur urbs aliqua, quæ adeo populosa evadat, ut ipsa episcopatu digna judicetur, accipiat. » En igitur auxiliares alterius generis episcopos in majoribus diœcesibus, de quibus nunc agimus.

Hi chorepiscopi passim, maxime apud Græcos, ex muneris proprietate dicebantur; qui omnes etiam, prioribus saltem quinque sæculis, in veri episcopatus gradu erant positi, licet in posterioribus non ita, etsi chorepiscoporum nomen diu retinuerint, tum apud Græcos, tum apud Latinos. Jam vero hujusmodi episcopi per variarum diœceseon loca constituti, et simplici *chorepiscoporum* nomine utebantur absque adjuncto loci ubi ex diœcesis episcopi auctoritate consistebant, et etiam episcoporum sæpe cum loci adjuncto, ut parum aut nihil ab episcopis propriæ sedis distinguerentur. Chorepiscopi nomine, absque adjuncto loci, *multi* sederunt in Nicæna synodo œcumenica, trecentorum decem et octo Patrum numerum constituentes; ubi chorepiscoporum titulo simpliciter, ad episcoporum propriæ sedis distinctionem, signati leguntur apud Labbeum citatæ editionis tomo II, col. 35 et sequentibus. Nullus vero chorepiscopi titulo legitur in concilio Constantinopolitano generali II, centum quinquaginta Patrum, ibidem col. 1134 et seq. : sed inter hos nonnulli presbyteri titulo apparent cum adjuncto loci; qui fortasse in presbyterorum gradu apud Ecclesias suas positi, episcopali etiam ordine erant insigniti, et loco præerant designato uti episcopi auxiliares. In actione prima concilii Ephesini apud eumdem Labbeum, tomo III, col. 1079, ad sententiam depositionis in Nestorium latam, inter subscriptiones episcoporum, legitur etiam *Perebius* (alias *Parebius*) *Thessalonicensium saltuum episcopus*. Quidni hic fuerit Thessalonicensis metropolitanæ Ecclesiæ auxiliaris episcopus a diœcesano antistite in *saltuosis* locis propriæ diœcesis constitutus, qui se idcirco saltuum illorum episcopum scripserit?

Jam vero ad Romanæ Ecclesiæ consuetudinem investigandam accedere necesse est, etiam quoad hujusmodi auxiliares episcopos secundi generis, peculiaribus in locis constitutos, de quibus modo est sermo; sicuti eamdem consuetudinem jam perspeximus in auxiliariis alterius formæ, qui nulli peculiari loco præpositi, a nutu pendebant omnimode episcopi principalis qui totam diœcesim moderabatur, ac veluti penes ipsum fere semper consistebant. Eruditum sane opus præ manibus habens viri clarissimi Dominici Georgii, cui titulus : *Dissertatio historica de Cathedra episcopali Setiæ civitatis in Latio* : editum Romæ anno 1727, ea capitis 4 verba singulari ponderatione digna offendi, ubi animadvertendum lectoribus auctor præbet « a Romanis pontificibus, non modo in Latio et Campania, verum etiam in Tuscia suburbicaria, episcopos passim in vilioribus etiam oppidulis constitutos, quod eorum opera atque consilio in Romanis, quæ sæpe celebrabant conciliis ad fidei et disciplinæ ecclesiasticas res stabiliendas, uterentur. » Hoc eo fine abs **102** viro clarissimo dictum fuisse, ut probaret in hujusmodi locis priscis Ecclesiæ temporibus episcopales reipsa sedes institutas fuisse, prout nostrorum fert temporum usus, sedes nimirum pleni juris cum propria diœcesi ad instar nostrarum, ea quæ ibidem sequuntur abunde ostendunt. Etenim ut episcopales veri nominis cathedras priscis temporibus, et ab ipsa veluti Christianitatis origine, exstitisse evincat ea loca quæ ibidem enumerat, et ea etiam quæ nullius prope nominis semper fuerunt, uti, ex. gr., mininum locum Trium Tabernarum dictum, quod nihil aliud unquam fuit quam tres cauponæ aut tria publica diversoria; sicut etiam ea quæ urbis mœnibus veluti inhærebant, uti locum Subaugustanum nuncupatum, et alia hujusmodi complura, de quibus idem ibi singillatim eruditissime disserit : ut hæc omnia, inquam, loca veras episcopales cathedras ostendat, nomina profert eorumdem episcoporum e subscriptionibus eruta, quæ in Romanis synodis supersunt ejusdem ætatis, uti, ex. gr., *Felix a Tribus Tabernis*, ex concilio Romano sub Melchiade anno 313, apud Optatum Milevitanum, libro I, capite 23, et *Crispianus Subaugustanus* ex concilio itidem Romano sub Hilaro papa anno 465, Conciliorum tomo IV, editionis Parisiensis 1715 pag. 1060, et in Conciliis Labbei, curis Coleti, tomo V, col. 86, ubi etiam alter Trium Tabernarum episcopus, Lucifer nomine, reponitur. Addit præterea, post recensitas hujusmodi sedes a capite 5 usque ad 47; addit sequenti capite 48 : « Episcopales cathedras non modo in claris Latii et Tusciæ suburbicariæ urbibus, antiquis temporibus a Romanis pontificibus institutas atque ita spissas, ut veluti inter sese contingerent, sed etiam in nullius ferme dignitatis oppidis episcopos destinatos. » At fuerint quidem in singulis fortasse urbibus, quæ primis Ecclesiæ sæculis adhuc clarebant, populique frequentia commendabantur; fuerint episcopales cathedræ a Romanis pontificibus constitutæ; petita tamen venia a meritissimo viro, non æque senserim episcopales itidem cathedras veri propriique nominis, suique, ut ita dicam, juris, in Latio et Campania et Tuscia ita *spissas* ab iisdem Romanis pontificibus vel in ipsis urbibus constitutas, ut veluti *inter sese contingerent;* multoque minus *episcopos destinatos etiam in nullius ferme dignitatis oppidis*, si ejusmodi episcopos intelligas veræ ac propriæ sedis episcopos, eorumque exigua loca quasi peculiares eorumdem minimas diœceses. Quis facilius et probabilius non intelligat ejusmodi episcopos, quoad maximam certe partem, mere *auxiliares* episcopos fuisse Romanorum pontificum; quos ipsi in Latio et Campania et in Tuscia suburbicaria, quasi presbyterorum loco, collocaverint in amplissima diœcesi Romanæ urbis, quam sibi peculiariter servaverint excolendam? Non negaverim sane aliquos ex his episcopis decursu temporis, et Romani pontificis accedente auctoritate, in episcopos sedis propriæ, propriæque diœcesis evasisse : sed id concedendum arbitror iis tantummodo locis qui celebriores essent, et frequentiori populo abundarent, et agro ampliori circumdarentur, ac magis quoque ab urbe distarent. Cæterum auxiliares tantum episcopos hic mihi videre videor Romanæ Ecclesiæ, qui in locis subsisterent sibi a Romano pontifice assignatis, quique inde evocati, ubi opus esset, ad Romana concilia accederent, atque in iis sese subscriberent cum adjuncto loci illius, ubi ex Romani pontificis destinatione auxiliares episcopi, illius vice et illius auctoritate, sederent.

Quo vero magis magisque id sentiam, illud etiam facit, quod arctis **103** admodum limitibus antiquitus circumscripta erat auctoritas episcoporum qui ab immediata Romani pontificis auctoritate pendebant; ita ut multa illis non licerent absque facultate ab eo concessa, quæ hodie, et a multis sæculis, episcopi, qui ordinarii appellantur Ecclesiarum, ubique peragunt jure suo; quæque similiter jam tunc egisse credibile est eos omnes qui longe a Romana urbe positi ad peculiarem synodum Romanorum pontificum non pertinebant, et ordinario jure in propriis Ecclesiis fruebantur. Exstat liber cui titulus : *Liber Diurnus Romanorum pontificum*, ab Holstenio primum, uti

perhibetur, deinde a Garnerio in lucem editus, qui collectus censetur sæculo septimo aut ineunte octavo, licet quoad substantiam longe antiquior reputetur; quippe qui in multis disciplinam referat aliquot retro sæculis penes Romanos pontifices obtinentem. In hujus autem libri capite 5 editionis Garnerianæ variæ exstant formulæ spectantes ad episcopos suburbicarios, seu ad eos de quibus nuper dictum fuit, Latii, Campaniæ, et Tusciæ suburbicariæ, et forte etiam aliarum finitimarum provinciarum, qui ad Romani pontificis consecrationem speciatim pertinebant; quæ formulæ exhibent petitiones episcoporum, et responsa pontificum, per quæ fiebat ipsis potestas consecrandi basilicas, oratoria, baptisteria, et altaria, levandi corpora sanctorum et honestiore loco reponendi, ordinandi presbyteros præficiendos oratoriis et basilicis, et hujusmodi alia peragendi, quæ non illis prius licuisset exsequi, quam a summo pontifice indultum fuisset. Ut ut vero septimo, octavo ac etiam nono sæculo in usu fuerit hujusmodi disciplina, et episcopi Romano pontifici speciatim subjecti veniam ab eodem petierint singulis vicibus hæc omnia peragendi cum opus esset, licet jam tunc ordinarii essent suarum Ecclesiarum; facile nihilominus conjectare licebit, tam arctam episcoporum hujusmodi suburbicariorum potestatem originem duxisse ab iis retro temporibus, cum vicariam omnino in illis Ecclesiis agerent auctoritatem, uti episcopi tantummodo auxiliares Romanorum pontificum in ea Italiæ parte, quam sibi peculiariter, veluti propriam diœcesim, servaverint gubernandam; atque propterea tam arctam horum episcoporum auctoritatem, quæ septimo, octavo ac etiam nono sæculo perseverabat, opinionem confirmare, quæ in eisdem aliisque tam multis illarum regionum episcopis ante quintum vel sextum sæculum nonnisi auxiliares episcopos agnoscit Romani pontificis, qui absque jure proprio essent, quique idcirco ab eodem in omnibus, atque ab ejus veluti nutu omnino penderent.

Eadem disciplina ipso quinto sæculo similiter obtinebat in regionibus Ægypti, Libyæ, atque Pentapolis, quæ Alexandrino episcopo erant subjectæ. Etenim episcopi tredecim earum regionum, qui concilio Chalcedonensi aderant, actione 4 profitebantur, nomine etiam aliorum coepiscoporum qui Alexandrinæ sedi obtemperabant, *nihil* generatim *peragi* licere a quolibet ex episcopis Alexandrinæ sedi subjectis absque auctoritate *archiepiscopi*, uti aiebant, *magni nominis civitatis Alexandrinæ*; et hoc ex celebri canone Nicæno *trecentorum decem et octo Patrum*, qui sextus est, et videri potest in collectionibus conciliorum, et apud Christianum Lupum, Operum tomo I, pag. 244 editionis Venetæ 1724, ubi statutum fuerat, quod « Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, atque Pentapolim, ita ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem; quia et urbis Romæ episcopo parilis mos est. » Hæc porro moris parilitas Ecclesiæ Romanæ, quæ in argumentum a Nicænis Patribus adducitur pro archiepiscopo **104** *Alexandrinæ civitatis;* hæc *antiqua consuetudo*, qua in Nicæno canone *potestas* roboratur Alexandrini episcopi super episcopos Ægypti, Libyæ atque Pentapolis; hæc demum nullitas, ut ita dicam, auctoritatis, quam iidem episcopi in conspectu Chalcedonensis concilii ex Nicæno canone fatebantur; hæc, inquam, omnia simul sumpta, nos inducunt ut facile credamus, eamdem quæ in Romana Ecclesia obtinuisse etiam in Alexandrina disciplinam, ut, antiquis temporibus, atque etiam ipso quinto sæculo, aut omnes, aut pene omnes illarum regionum episcopi, mere auxiliares fuerint etiam ipsi archiepiscopi Alexandrini, qui plenam in illis regionibus obtinebat *omnium potestatem*.

Sed jam ad Africanos præsules sermonem convertamus oportet, qui ad supracitatam Carthaginensem collationem convenerunt anno 411, cum episcopis Donatianæ factionis. Cum in maxima Ecclesiarum Africanarum parte duo tunc essent episcopi, catholicus unus, Donatianus alter; catholici complures episcopi, pro unitatis zelo quo ardebant, et ut sollicitius ac validius schismaticorum illorum tum violentiæ tum seductioni sese opponerent, episcopos quosdam in locis periculosioribus ac magis dissitis suarum diœceseon constituerant, qui rem catholicam præsentia sua juvarent, qui de.ectionem fidelium impedirent, ac resipiscentibus præsto essent : quod et Donatiani itidem, in invidiam acti, et ut vim quodammodo vi opponerent, ex adverso facere non omiserunt; licet catholicis objicere auderent, id ab iis factum, non unitatis zelo, sed vanitatis impulsu, ut eorum nempe *numerus augeretur*. Catholicorum porro episcoporum rectum consilium ex divi Augustini epistola 209 satis elucet; qui et ipse, non multo post Carthaginensem collationem, in propria diœcesi, ad *Castellum*, *Fussala* dictum, nuper a Donatiano schismate, non sine ipsius ingenti labore, conversum, et ab Hipponensi sede quadraginta milliaribus distans, episcopum constituit, nomine *Antonium*, ex proprio monasterio erutum, ut ibi *sufficeret necessariæ adhibendæ*, ut ipse aiebat, illis fidelibus *diligentiæ*, cui ipse propter loci distantiam satisfacere posse dubitabat; licet postea sancti præsulis exspectationi tam male Antonius idem responderit, ut fusius in eadem epistola.

Quid igitur in gestis illis de hujusmodi episcopis? In actione 1 hujus collationis num. 117, Petilianus episcopus Donatista adversus catholicos conquerebatur dicens : *In una plebe Januarii collegæ nostri præsentis, in una diœcesi, quatuor sunt constituti contra ipsum, ut numerus scilicet augeretur*. Similiter, num. 121, Verissimus, alius episcopus Donatista, qui Tacaratensis civitatis episcopum se dicebat, ubi catholicis erat episcopus Aspidius, conquerebatur et ipse dicens : *Quatuor sunt in plebe mea, Datianus, Aspidius, Fortunatus, et Octavianus*. Tunc catholici quoque, ut impactam calumniam propulsarent, ostenderentque adversariis super hac re non esse querimoniis locum, non omiserunt eos pro re nata nuntiare episcopos, quos et ipsi Donatistæ in diœcesibus similiter addiderant schismatis promovendi gratia : ac propterea in eadem actione 1, num. 121, Victorianus episcopus catholicus plebis Mustitanæ dixit : *Habeo Felicianum Mustitanum, et Donatum Turensem contra me :* et similiter num. 126, Asmunius episcopus catholicus Tigualensis dixit : *In diœcese mea duo sunt, Gaianus et Privatus*. Animadvertendum porro hosce episcopos utriusque partis, quos novos dixerim, et additicios, in nominali appellatione, qua singuli vocati ac recensiti fuere in illa collatione, non simplici episcoporum nomine enuntiatos fuisse, sed etiam cum adjuncto loci cui præsidebant, **105** uti, ex. gr., inter catholicos Octavianus ille et Fortunatus, de quibus Verissimus Donatista conquerebatur; quorum alter Ressianensis episcopus, alter Casensis postea nuncupati fuere, sicut in ipsius editoris nota apud sanctum Optatum; et uti inter Donatianos Donatus ille qui vocatur Turensis ab ipso catholico episcopo Victoriano, et Privatus, qui fortasse ille fuit qui in eisdem Gestis Auzagensis dicitur; et sicut omnes alii in illa collatione præsentes, quorum nullus apparet absque loci nomine, cujus episcopus diceretur.

At fuerintne additicii illi novique episcopi, in locis quibus præfecti erant, ejusdem conditionis, ejusdem gradus, ejusdem auctoritatis cum primis veterum sedium episcopis, in quorum diœcesibus erant constituti? Addam quoque : fuerintne plebes illæ, quæ hisce additicis episcopis concreditæ conspiciuntur? fuerintne tot novæ diœceses ejusdem ordinis cum primævis illis, in quarum sinu consistere videbantur? Hoc quidem visum plerisque, quibus diœceseon Africanarum ingentem numerum colligere placuit ex tot episcoporum nominibus, qui cum adjuncto loci episcopalis eorum curæ in Africanæ Ecclesiæ Actis conspiciuntur. Ut vero meam ipse sententiam confiden-

ter aperiam, quin aliquid detractum velim auctoribus seu propugnatoribus alterius, quos me fateor revereri; neque illam episcoporum in Africanis provinciis multiplicationem, fuisse dixerim tot novarum Ecclesiarum erectionem intra diœceseon antiquarum fines; neque illos additilios novosque episcopos, saltem quoad maximam eorum partem, ejusdem conditionis, ejusdemque auctoritatis, cujus episcopi veterum cathedrarum, quæ ante Donatiani schismatis propagationem in Africa exstabant. Petilianus ille, episcopus Donatianæ partis, in collationis actione 1, num. 165, catholicis exprobrabat quod, *absentibus nobis, aut in locis, aut in civitatibus, aut in diœcesibus passim multas imagines erigunt, ut numerosi esse videantur.* Ut ut voluerit petulans ille rabula pro more suo catholicis insultare, numquam sane ausus esset tam procaciter illis exprobrare *multas imagines*, seu diœceseon, seu episcoporum; si illæ novæ fuissent veræ diœceses veteribus comparandæ, et illi pleni juris episcopi sicut cæteri qui longam antecessorum seriem numerabant. Præterea, num. 181, Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ, in eadem collatione, cum audisset recitata nomina multorum episcoporum ex parte Donati cum eorumdem plebibus, dixit: *Scriptum sit istos omnes* (Donatianorum episcopos) *in villis, vel in fundis esse episcopos ordinatos, non in aliquibus civitatibus.* Quid vero ad hæc sequenti numero Petilianus? *Sic etiam tu,* reposuit illico schismaticorum princeps, *multos habes per omnes agros dispersos. Immo crebros ubi habes, sane et sine populis habes.* Quis hic veras et proprii nominis diœceses ullo modo putaverit, sive in catholicorum, sive in Donatistarum parte, ut illæ fundorum vel villarum numero censerentur, et ut earum episcopi ex diœceseon tenuitate veluti sine populis essent?

Sed quænam horum episcoporum conditio, quænam auctoritas? Iterum confidenter dicam, additilios novosque hujusmodi episcopos in *villis et fundis* constitutos, et per *omnes agros dispersos*, quoad maximam saltem eorum partem, fuisse simplices auxiliares episcopos quibusdam in locis ab episcopis primariis constitutos, veluti presbyterorum loco, qui prius ibidem fuissent, quique tunc necessitatibus populorum, schismatis causa, non essent satis; ut efficacius videlicet illi atque enixius, pro superioris ordinis dignitate, rem catholicam procurarent. Alia præsto sunt ex eadem **106** actione 1 Gestorum collationis, quæ hoc mihi non obscure suadere videntur. Cum enim, num. 182, *Rogatianus episcopus Idassensis* Donatianæ partis dixisset: *Non habeo adversarium;* scilicet, non habeo in diœcesi mea episcopum alium ex parte catholicorum; *Aurelius* episcopus catholicus Ecclesiæ *Macomadiensis* illico eidem reposuit: *Habeo presbyterum in Ecclesia Florentinum. Episcopi fuerunt tres catholici, jam decesserunt: non potuimus adhuc ordinare.* Ecclesia igitur Idassensis, Rogatiani episcopi Donatistæ, pars erat diœcesis Macomadiensis Aurelii episcopi catholici; et quod ait: *Habeo presbyterum in Ecclesia Florentinum*, satis ostendit, et Ecclesiam illam ad se pertinere, et presbyterum hunc sibi subesse, et a se illuc missum fuisse, illumque auctoritate ipsius ibidem in Idassensi plebe præsidere. Quod vero sequitur: *Episcopi fuerunt tres catholici;* illic scilicet ante hunc presbyterum Florentinum: hoc ostendit episcopos illos a se vel a prædecessoribus suis fuisse ibidem positos, non uti diœcesanos episcopos, sed uti auxiliares Ecclesiæ suæ Macomadiensis, et loco presbyterorum qui ibidem in Idassensi plebe fuissent ante illos tres, sicuti post illos tres alius presbyter, Florentinus prædictus, inibi missus fuerat, qui illius locum teneret, ac plebem illam pro ipso regeret, donec episcopus alius ordinaretur, qui idcirco, non minus ac ille presbyter, locum teneret ipsius Aurelii episcopi, et illius auctoritatem, veluti non proprius sed auxiliarius episcopus, ibidem exerceret.

Sed adest alter locus sub numeris 187 et 188. *Victor* episcopus *Rotariensis*, partis Donati, similiter A conclamavit: *Adversarium non habeo.* Responsum illi fuit ab uno ex catholicis episcopis: *Episcopum illic habuimus. Occidistis illum, et invasistis. Victor* vero alius, episcopus *Azurensis* catholicus, illico Donatistæ reposuit: *Dicit se non habere adversarium. Ego Ecclesiam illic habeo, quod te non fugit.* Sed si Victor Azurensis habebat Ecclesiam in asserta Rotariensi diœcesi alterius Victoris episcopi Donatistæ; ergo episcopus ille catholicus qui illic præsidebat, et occisus fuit a Donatistis, præsidebat in Ecclesia seu plebe quæ ad Victorem Azurensem spectabat; et ideo episcopus ille a Donatistis occisus, qui fortasse Rotariensis dicebatur, nequaquam episcopus propriæ diœcesis, sed tantummodo auxiliaris episcopus fuerat catholici episcopi Azurensis Victoris.

Tertium adhuc affero locum ex numeris 203 et 204 ejusdem actionis primæ, ubi recitatum fuit nomen cujusdam Donati episcopi, ex parte schismaticorum, qui se episcopum subscripserat *a Medianis Zabuniorum*, ubi nullus omnino exstabat Donatista; et ubi B episcopus ipse, ita ab eodem loco dictus, numquam præsens affuerat. Responsum itaque primum illi fuit a Victore episcopo catholico in hunc modum: *Probet se accessisse ad unam domum quam dixit.* Deinde *Novatus*, episcopus et ipse catholicus Ecclesiæ *Sitifensis*, continenter addidit: *Scriptum sit Medianas Zabuniorum habere presbyterum. Ipse hodie tenet plebem et basilicam. Unitatem habet. Nullus illic est Donatistarum. Supra corpus episcopi catholici presbyterum ordinavi, et Deo volente ordinabitur illic episcopus. Episcopus autem Donatistarum in eodem loco non est.* Quid inde igitur inferendum? Quid est illud, quod ait episcopus Sitifensis: *Supra corpus episcopi catholici presbyterum ordinavi, qui hodie tenet plebem et basilicam in Medianis Zabuniorum*, nisi aperte innuere Medianas Zabuniorum ad episcopum pertinuisse Ecclesiæ Sitifensis Novatum, qui propterea *supra corpus episcopi* vita functi **107** qui ibidem præsidebat, id est illico post mortem illius, auctoritate sua ordinaria illic C presbyterum ordinavit, qui tunc tenebat illam plebem et basilicam? Si vero presbyterum Novatus hic ordinavit pro defuncto episcopo, utpote in loco sibi subjecto; quid aliud esse poterat episcopus ille, nisi quod erat etiam presbyter post ipsum et ipsius loco ordinatus, id est episcopus ordinis, minime vero jurisdictionis propriæ, ideoque simplex episcopus auxiliaris Novati Sitifensis, qui et ipse nihilominus, sicut cæteri, titulum habuerit illius loci quem rexisset? Satis hucusque, ni fallor, ad evincendum auxiliariorum episcoporum disciplinam in Ecclesia Africana quarto et quinto sæculo viguisse; eorum nimirum qui ab episcopis in diœceseon suarum locis collocabantur, et locorum eorumdem nomine nuncupabantur non minus ac primarum suarum sedium antistites.

Non negaverim tamen irrepsisse etiam abusus in ipsa catholicorum Africana Ecclesia quoad hujusmodi episcoporum institutiones, ita ut reapse et in minimis ac exiguis locis, absque peculiari quodam delectu, episcopi passim, uti vidimus, contra disciplinam D canonum ordinarentur; atque etiam non semper pro populorum aut necessitate aut utilitate, sed nonnumquam pro plebium poscentium ac pro quorumdam presbyterorum seu ambitione seu importunitate: quibus abusibus remedium ponere eadem Africana Ecclesia in pluribus conciliis, tum ante tum post collationem illam Carthaginensem habitis, satagebat, ut constat præsertim ex canone 5 concilii Carthaginensis anni 390, apud Labbeum, curis Coleti, tomo II, col. 1245, necnon ex numeris 53, 56 et 98 Codicis Canonum Ecclesiæ Africanæ, qui exstat Græce et Latine apud eumdem Labbeum, ibidem, col. 1251. Neque diffitendum quoque decursu temporis aliquas ex his diœceseon antiquarum portionibus, quæ peculiaribus auxiliariis episcopis concreditæ fuerunt, in diœceses quasdam proprii nominis evasisse; in quas postea, aut parvam, aut nullam demum auctoritatem priores episcopi conservarint; ita ut qui eas regendas

susciperent, non amplius auxiliares episcopi essent aliorum episcoporum, sed episcopi jurisdictionis propriæ, ad instar illorum, a quibus primitus originem duxissent. Hoc non una de causa, et legitima quidem, evenire potuit; a qua tamen expendenda hic supersedeo, ne nimium evagari videar in argumento, de quo nonnulla fortasse inferius atque ad rem opportuniore loco.

Interim non omittenda sancti Leonis Magni auctoritas in epistola quam direxit *ad episcopos Africanos provinciæ Mauritaniæ Cæsariensis* seu ut alibi *ad universos episcopos per Africam constitutos*, quæ est 12, in editione Veneta Balleriniorum, et ad annum pertinet 446. Excreverat fortasse supra modum abusus in Africa, post Carthaginensem collationem anni 411, multiplicandorum episcoporum in parvis obscurisque locis, non sine maxima episcopalis dignitatis jactura. Ipsi episcopi veterum aliquarum diœceseon querimonias super hac re ad apostolicam sedem tulerunt; et ipsi, ut videtur, ex iis erant quibus amplius liberum non fuisset proprio nutu ac voluntate ab ordinandis episcopis abstinere, qui jam in parvis illis locis prædecessores habentes, et sede propria constituta, neutiquam auxiliariam, sed diœcesanam auctoritatem exercebant. Quid igitur sanctus pontifex in citata epistola? « Illud sane, aiebat capite 10, quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus canonum statuta servari, ut non in quibuslibet locis, neque in quibuscumque castellis, et ubi ante non fuerunt, episcopi consecrentur: cum ubi minores sunt plebes, minoresque conventus, **108** presbyterorum cura sufficiat; episcopalia autem gubernacula nonnisi majoribus populis, et frequentioribus civitatibus oporteat præsidere; ne, quod sanctorum Patrum divinitus inspirata decreta vetuerunt, viculis et possessionibus, vel obscuris et solitariis municipiis tribuatur sacerdotale fastigium; et honor cui debent excellentiora committi, ipsa sui numerositate vilescat. Quod nunc in sua diœcesi Restitutus episcopus factum esse causatus est, et rationabiliter postulavit, ut si episcopi eorum locorum, in quibus non debuerant ordinari, humana conditione decesserint, loca ipsa ad jus ejusdem antistitis cui olim propria vel contigua fuerunt, revertantur. Et inutile est ut sacerdotalis dignitas inconsiderata ordinantis facilitate superflua multiplicatione minuatur. » Hæc sanctus pontifex ad episcopos Africanos. Quis porro non videat sanctum pontificem, sumptis in prima textus parte ex veteribus conciliis, et maxime ex Sardicensi canone 6 superius allato, tum sensibus, tum etiam verbis, cohibere voluisse nimiam illam in Africanis Ecclesiis facilitatem ordinandorum episcoporum in locis tanto honore haudquaquam dignis? Qui quidem episcopi cum a sancto pontifice veluti comparentur presbyteris in locis eisdem minoribus, in quibus ait *presbyterorum curam sufficere;* recte datur intelligi non aliam quam presbyterorum auctoritatem habuisse episcopos ipsos, qui ita abusive eligerentur pro minoribus locis, absque ullo scilicet detrimento auctoritatis episcoporum in quorum diœcesibus fuissent constituti; quod episcoporum mere auxiliariorum proprium est, potestatem ordinis habentium, minime vero jurisdictionis, nisi quam libuisset illis diœcesano episcopo impertiri. Quod vero de episcopo Restituto secundo loco loquitur, qui tunc apud illum conquestus fuerat hujusmodi episcopos etiam in sua diœcesi locum habuisse, et *rationabiliter postulabat*, tam pro se, ut videtur, quam pro aliis, ut illis decedentibus qui in locis erant in quibus non debuerant juxta canones ordinari, loca ipsa ad priorum episcoporum jus reverterentur, quibus olim *propria* fuerant vel *contigua;* jam videtur de iis locis dicere, qui decursu temporis, et quadam in eisdem locis episcoporum serie suffragante nec renitentibus fortasse iis quorum intererat, in peculiares demum novos episcopatus evaserant cum imminutione veteris diœcesis; in quos propterea primævi episcopi jus veluti amisissent, ideoque superiori Romani pontificis auctoritate indigerent, ut loca ipsa decedentibus illis, in antiquum jus proprium vindicarent.

His itaque ita dictis de auxiliaribus episcopis utriusque generis, qui priscis Ecclesiæ sæculis obtinuerunt, de iis scilicet qui nulli loco peculiari addicti, vel episcopi simpliciter appellabantur absque ulla loci additione, vel etiam episcopi loci illius ubi ad nutum episcopi principalis auxiliares erant, uti episcopi Romæ aut urbis Romæ, sicut vidimus; ac de iis quoque, qui ab episcopis diœcesanis peculiaribus quibusdam locis addicebantur, et eorumdem locorum nomine passim appellabantur: his, aiebam, ita dictis, prima propositionis pars hoc capite enuntiata satis ex ecclesiastica disciplina priorum Ecclesiæ sæculorum fulcita videtur; quod nempe Niceas seu Nicetas episcopus Aquileiensis probabiliter dictus fuerit Romatianæ civitatis episcopus, quia antequam episcopalem Aquileiensem sedem conscenderet, episcopus auxiliaris fuerit Aquileiensis Ecclesiæ ad portum Romatium seu Romatinum situs. Adhuc tamen probabilior conjectura nostra evadit, si quam disciplinam auxiliarium episcoporum in Ecclesia **109** priscis sæculis generalem hactenus hinc inde collegimus, eamdem in Aquileiensi quoque Ecclesia obtinuisse ex ipsis quæ supersunt, Aquileiensis Ecclesiæ monumentis ostendamus; quod nunc præcipue faciendum.

Ad bibliothecam Photii iterum accedamus oportet, qui in superius citatis codicibus 182 et 280 Eulogii patriarchæ Alexandrini opus recenset in sex libros divisum adversus Novatianorum sectam, quæ suo adhuc tempore, sexto nimirum cadente sæculo, Dei Ecclesiam non uno in loco divexabat. Dum Photius Eulogiani operis deperditi excerpta nobis servavit, notitiam quoque in eisdem excerptis reliquit Commentariorum quorumdam Novatianæ sectæ similiter deperditorum, quos Eulogius ipse, libro VI data opera confutaverat. Jam diximus, in his Commentariis Macedonium quemdam, urbis Romæ episcopum nuncupatum, a Novatianis traductum fuisse veluti fidei desertorem in certamine habito coram Ecclesiæ persecutoribus; dum e contrario Novatianus cum suis, Christiana fide fortiter asserta, victor evasisse perhibetur. Quinam vero ii, qui Novatiano adhærebant, et cum eo fortiter in certamine se habuisse jactabantur? Commentarii illi nobis exhibent Novatiani socios episcopos tres, Marcellum nempe et Alexandrum, quos vocant *episcopos Aquileiæ* ἐπισκόπους Ἀκυλείας, et Agamemnonem episcopum Tiberidis, aut Tiburis (*vulgo* Tivoli). Addebant iidem Commentarii, Photio referente, tres illos episcopos imposuisse Novatiano manus, ut pontificatu Romæ perfungeretur adversus Cornelium papam; eosque una cum ipso habitasse ædiculam ab ipsis exstructam; quod iis qui idolis immolassent uti, simulque sacris operari, recusarent. Habemus igitur hic duos una simul et eodem tempore episcopos, Marcellum et Alexandrum, qui Aquileiæ episcopi dicuntur, non secus ac Macedonius urbis Romæ. Quidquid sit de facti seu factorum veritate, uti antea in Macedonio notabamus; personæ quidem, earumque nomina ac loca, necnon et munia, etiam in figmentis, a confictione ut plurimum vacant, ut figmenta ipsa facilius credibilia reddantur.

Clarissimus tamen de Rubeis in Monumentis Ecclesiæ Aquileiensis, capite 4, num. 7, totus est, ut a serie episcoporum Aquileiensium, quam ipse digessit, duos hos episcopos Marcellum et Alexandrum penitus excludat. Neque ipse contendam in seriem Aquileiensium episcoporum hos duos habendos; quamquam admodum incerta ac perturbata sit, et non sine hiatibus ac lacunis, Aquileiensium episcoporum series illis temporibus ad Theodorum usque, quem Arelatensi synodo contra Donatistas anno 314 subscriptum videmus, uti ipse scriptor eruditissimus animadvertit. Nihilominus, non sint quidem de Aquileiensium episcoporum serie episcopi illi Marcellus et Alexander: non sine causa certe Aquileienses episcopi dicti fuere, atque veluti uno eodemque tempore in eadem

Ecclesia episcopatum gerentes; et causa nullà probabilior, nulla magis conformis eorum temporum disciplinæ, quam ita dictos, quia in amplissima Aquileiensi diœcesi una simul fuerint auxiliares episcopi illius qui tunc Aquileiensium summus esset antistes, quisquis demum ille fuerit. Hoc vero inde ipse confirmo, unde eos De Rubeis ab Aquileiensi Ecclesia excludere conabatur. Ait ipse, quod Theodoretus libro III Hæreticarum Fabularum, capite 5 asserat, tres illos Novatiani ordinatores fuisse πολιχνίων, scilicet *oppidulorum*, antistites. « Atqui non oppidulum, subdit vir clarissimus, non civitatulam, sed amplissimam civitatem exhibent, ac laudibus ornant Aquileiam uno consensu scriptores **110** ejus ætatis. » Optime quidem, ut Marcellus et Alexander ab episcoporum Aquileiensium catalogo arceantur : sed optime quoque, ac valde apposite, ut iidem intelligantur in Aquileiensi Ecclesia episcopi auxiliares a primario antistite hac illac per Diœcesem latissime patentem missi, et in *oppidulis* fortasse etiam siti; qui tamen non titulo oppidulorum horumce ignotorum nuncuparentur, sed amplissimæ ac celeberrimæ civitatis, cujus episcopo inserviebant. Christiana res profecto tunc temporis exigebat maxime ut episcoporum ministerium fidelibus frequenter in persecutione positis non deesset : et adhuc distabat Ecclesia ab illa pacis securitate, in qua postea constituta prospicere potuit decori episcopalis fastigii, decernens in synodo Sardicensi aliisque, ut non ita passim in *pagis* vel *parvis urbibus*, multoque minus in *viculis* et *possessionibus*, vel obscuris et solitariis *municipiis* episcopi collocarentur, uti antea vidimus.

Pergit De Rubeis, et Cornelium papam inducit narrantem in epistola ad Fabium Antiochenum, apud Eusebium, Hist. Eccles. libro VI, capite 43, duos a Novatiano deploratæ salutis homines missos εἰς βραχύ τι μέρος, καὶ ἐλάχιστον τῆς Ἰταλίας, quæ verba ipse interpretatur *in angustam, et minimam Italiæ partem;* ex qua Romam tres perducerentur episcopi, qui manus ipsi imponerent. « An vero, subdit Aquileiensium Monumentorum scriptor, an vero Aquileiæ et Tiburis loca, quæ tam longe lateque distant, intra partem Italiæ angustam et minimam contineri, quispiam dixerit qui sana mente polleat? » Non equidem dixerim Aquileiæ et Tiburis loca *intra partem Italiæ angustam et minimam contineri*, seu etiam, ut Vallesius ibi, et Coustantius in Epistolis Romanorum pontificum interpretantur, *exiguam ac vilissimam :* dicam tamen veterem Eusebii Historiæ interpretem Rufinum, ab ipso Vallesio in notis etiam ad caput hoc laudatum; Rufinum, inquam, ex editione Cacciarii, libro VI, capite 33, Cornelianæ epistolæ verba ita reddidisse, ut non *angustam et minimam*, neque *exiguam ac vilissimam*, sed potius *remotam Italiæ partem* diceret, ex qua acciti fuerunt tres illi episcopi Novatiani ordinatores. Dicam quoque verba illa Græca, quæ nunc in textu apparent Cornelianæ epistolæ, quæque De Rubeis ad litteram vertit *in angustam et minimam Italiæ partem*, accuratius fortasse, et magis ad auctoris mentem, versa fuisse apud Cacciarium ipsum in notis ad hunc locum, ut daretur intelligi ex *minimis Italiæ angulis* tres illos episcopos a Novatiano vocatos fuisse. Quis vero inficietur Aquileiam ac circumjacentem ditionem sitam esse in *remota Italiæ parte,* tum ratione habita ad Romanam urbem veluti in medio Italiæ positam, tum ex seipsa, quæ ad septentrionem, orientem versus, extrema Italiæ est? Quoad *angulos* autem, quo nomine loca veniunt aut minora aut etiam minima in extremis plerumque provinciarum sita, quæ quidem in quacumque regione, etiam amplissima ac celeberrima, numquam desunt; *angulos* certe etiam Aquileiensium regio habuisse dicenda est; loca nempe, et ab Aquileiensi urbe dissita, et conditione situque humilia, et nullo nomine clara, ubi fortasse et tempore persecutionum Christiani facilius ac tutius delitescerent, et episcopi minores, ut ita dicam, consisterent, ad religionis fideique res apud Christianos ipsos procurandas, loco episcopi totius regionis, qui ubique præsto esse non poterat. *Angulos* igitur hujusmodi et ipsa Aquileiensis provincia habuerit, et Romæ finitimus Tiburtinus ager, unde episcopi illi tres a Novatiano fraudulenter acciti fuere. Quin etiam **111** et litteralem ipsam Græci textus, qui in omnibus editionibus circumfertur, interpretationem admittamus; et *angustam* et *minimam* Italiæ partem cum De Rubeis, *immo exiguam* ac *vilissimam* cum Vallesio atque Coustantio proferamus, unde tres illi episcopi Romam deducti fuerunt : non inde sequitur quod Aquileiæ ac Tiburis dignitas hujusmodi sit vocabulis, contra rei veritatem, indignissime minuenda : sed quod et urbes illæ, quamvis celeberrimæ, habuerint in earum circumjacenti ditione *angustas* ac *minimas* partes, immo *exiguas* ac *vilissimas*, ubi episcopi eo tempore fuerint, quos simplices ac rerum ignaros, uti eos appellat Cornelius papa, facile potuerit per nuntios suos, perditos ac vaferrimos homines, decipere Novatianus. Quis, exempli gratia, non *angustam* ac *minimam* Italiæ partem, immo *exiguam* ac *vilissimam*, respectu Aquileiæ ejusque florentissimi agri, dixerit tunc temporis fuisse aut litteralia æstuariorum, aut in ipsis æstuariis insulas multas, nulla tunc certe celebritate donatas; quam tantummodo postea obtinuerunt, cum e Romani imperii ruinis res Veneta ex aquis quodammodo illorum æstuariorum emersit? Quis non eo nomine intelligat saltuosas etiam hinc inde, ac pene inaccessas regionis partes, quas etiam nunc Utinensis nostra diœcesis ex Aquileiensi conflata, Germaniam versus et Noricum, complectitur? Nulla igitur difficultas est, ratio nulla quæ obsit, quominus Marcellus et Alexander, Aquileienses episcopi appellati, reapse Aquileienses episcopi fuerint eodem tempore, nimirum auxiliares episcopi in Aquileiensis Ecclesiæ locis dissitis atque remotis constituti pro Aquileiensi episcopo, qui tunc universam regeret late patentem Aquileiensem regionem.

Aiebam vero superius, *quidquid sit de facti, seu factorum veritate*, quæ in Commentariis illis enuntiantur. Convenit enim inter eruditos, non duos illos Aquileienses episcopos in Commentariis Novatianæ sectæ apud Photium memoratos, et fortasse neque Tiburtinum, sed alios tres, imposuisse Novatiano manus; quorum duos iidem eruditi nominant, Trophimum, atque Evaristum. Fortasse neque hi duo Aquileienses episcopi Marcellus et Alexander ex parte Novatiani umquam fuerint, neque conventus una cum illo Romæ celebraverint, uti Commentarii asserunt. Aquileienses hos duos cum Tiburtino Commentarii illi proculdubio adhibuerunt, ut ex amplissima et fere apostolica Aquileiensi Ecclesia, atque ex alia Romæ proxima, Novatianæ sectæ honorem et auctoritatem quodammodo conciliarent, eo prorsus modo quo falso etiam ostentabant Novatianum veluti catholicum Romæ episcopum ab Alexandrina Ecclesia habitum fuisse, uti ex eodem Photio intelligimus. Præstat interim hanc labem ab Aquileiensi Ecclesia depulisse, ratione etiam ab ea diversa qua de Rubeis usus fuit; salvis scilicet Aquileiensis ejusdem Ecclesiæ episcopis Marcello et Alexandro, qui una simul ea ætate Auxiliares in eadem Ecclesia episcopi fuerint, quorumque munus inibi eodem tempore gestum, minime pugnat, uti vidimus, cum historicis monumentis illorum temporum, quinimmo cum arte falsariorum optime facit : et nunc ad alia procedendum.

Inter præclariora Ecclesiæ Aquileiensis monumenta, exstat concilium Aquileiæ habitum anno 381, adversus Palladium et Secundianum in Dacia Cisdanubiana episcopos, Arianæ impietatis sectatores; quod videre est in Conciliis Labbei, curis Coleti, tomo II, col. 1163, et inter Opera sancti Ambrosii a Maurinis monachis adornata. Hujus concilii celebritas, non in numero quidem episcoporum, sed in eo maxime sita est, quod insigniores illius ætatis doctrina ac sanctitate **112** viri Occidentalis Ecclesiæ

convenerint, quorum plerique in sanctorum album relati, publico in Ecclesia cultu potiuntur. Episcopi illi fuerunt numero 32, et paucis exceptis, ex superiori Italia pene omnes; quorum primus Valerianus episcopus Aquileiensis, dein Ambrosius Mediolanensis, qui totius concilii moderator, et episcoporum omnium veluti anima ac lingua fuit. Quod vero in hoc consilio apposite ad rem nostram animadvertendum venit, illud est, complures adfuisse episcopos, qui proculdubio aliorum episcoporum, aut præsentium aut absentium, auxiliares episcopi erant; quoniam ubi alii cum propriæ sedis nomine appellantur, hi episcopi tantum dicuntur, absque ulla loci indicatione cui addicti fuissent. Horum episcoporum omnium, qui concilio interfuerunt, syllabum habemus, seu subscriptiones, in eodem concilio, sub numero 76, inter Opera divi Ambrosii, et in fronte ipsius concilii in Labbeana Collectione citata; quem syllabum, seu subscriptiones, præ oculis habere præstat, ut facta demum collatione cum aliis infra ponendis, nulla de his episcopis, qui vere episcopi fuerint, licet absque propria sede, dubitandi ratio relinquatur: nonnulli enim allucinati sunt, episcopos hos pro presbyteris accipientes, uti videbimus.

Episcoporum et presbyterorum, qui concilio interfuerunt nomina: hic est Syllabi titulus, seu Subscriptionum enuntiatio. Syllabus deinde sequitur, utrobique, paucis immutatis, hoc modo: « Valerianus episcopus Aquileiensis, Ambrosius episcopus Mediolanensis, Eusebius episcopus Bononiensis, Limenius episcopus Vercellensis, Anemius (*al.* Armenius) episcopus Sirmiensis Illyrici, Sabinus episcopus Placentinus, Abundantius episcopus Tridentinus, Philaster episcopus Brixianus, Constantinus (*al.* Constantius) episcopus Arausicus, legatus Gallorum; Theodorus episcopus Octodorensis, Dominus (*al.* Domninus) episcopus Gratianopolitanus, Amantius episcopus Niciensis, Maximus episcopus Emonensis, Bassianus episcopus Laudensis, Proculus episcopus Massiliensis, legatus Gallorum; Heliodorus episcopus Altiniensis (*al.* Altinensis), Felix episcopus Jadertinus (*al.* Jadrensis), Eventius episcopus Ticiniensis (*al.* Citiniensis), Exsuperantius episcopus Dertonensis, Diogenes episcopus Genuensis, Constantius episcopus Scisciensis (*al.* Sciscianensis legatus Gallorum), Justus episcopus Lugdunensis, alius legatus Gallorum; Felix legatus Afrorum, Numidius legatus Afrorum, Evagrius presbyter et legatus, Artemius, Almachius, Januarius, Jovinus, Macedonius, Cassianus, Marcellus, Eustathius, Maximus, Chromatius presbyter. » En syllabum eorum qui Aquileiensi concilio interfuerunt, episcoporum atque presbyterorum. At postremi illi, qui absque episcopi titulo indicantur, quique cum duobus legatis Afrorum, similiter absque episcopi titulo nominatis, undeni sunt, fueruntne episcopi, an presbyteri? Ad titulum *presbyter*, qui in syllabo datur Chromatio, tunc sane presbytero Aquileiensi, ultimo loco posito, in citata editione Veneta Conciliorum annotatum legimus, ab editore ut videtur: *forte presbyteri;* ita ut juxta illum intelligendum sit una cum Chromatio presbyteros eos esse omnes qui ante illum simplici nomine enuntiantur; qui propterea, una voce post omnes posita, presbyteri dicti fuerint. Res tamen non ita se habet: et evidenter constat episcopos omnes fuisse, solis exceptis Chromatio Aquileiensi et Evagrio legato, qui presbyteri peculiariter in syllabo vocantur: constat vero ex concilii ipsius exordio, quod hujusmodi est. « Syagrio **113** et Eucherio viris clarissimis consulibus, III nonas Septembris (*al.* nonis Septembribus) Aquileiæ in Ecclesia considentibus, cum episcopis (*al.* considentibus episcopis) Aquileiensium civitatis Valeriano, Ambrosio, Eusebio, Limenio, Anemio, Sabino, Abundantio, *Artemio*, Constantio, Justo, Philastrio, Constantio, Theodoro, *Almachio*, Domnino, Amantio, Maximo, Felice, Bassiano, *Numidio*, *Januario*, Proculo, Heliodoro, *Jovino*, *Felice*, Exsuperantio, Diogene, *Maximo*, *Macedonio*, *Cassiano*, *Marcello*, et *Eustathio* episcopis; Ambrosius episcopus dixit, etc. » Ita concilii Gesta exordium habent. Non idem porro hic ordo nominum, ut in syllabo, prout conferenti apparet; neque hic presbyteris duobus in syllabo nominatis, Evagrio et Chromatio, locus est. Cum episcopis vero propriæ sedis in syllabo enuntiatis includuntur etiam undecim alii, quorum propria tantum nomina ex syllabo deprehendimus: et hi omnes, veluti episcopi proprie dicti, una cum illis indiscriminatim et indistincte, non semel, sed bis, in capite nempe et in fine hujus exordii episcopi appellantur. Præterea non ultimo hic loco omnes qui sine sede erant, ut in syllabo, apponuntur, sed permixtim cum aliis qui propriam sedem habebant, uti cuilibet patere potest ex intuitu nominum alio charactere data opera signatorum. Hi omnes igitur, scilicet tum duo legati Afrorum, tum alii novem, erant episcopi, licet nullius essent propriæ sedis. Accedit quod aliquis eorum, cum sententiam dicere in concilio aggressus est, a Gestorum exceptoribus episcopi nomine indicatus fuit, uti, ex. gr., Felix legatus Afrorum, de quo ita in Gestis numero 16: *Felix episcopus et legatus dixit;* necnon et Januarius unus ex novem, de quo ibidem numero 64: *Januarius episcopus dixit.* Presbyteri vero duo Evagrius et Chromatius, cum aliquid in concilio effati sunt, semper presbyteri titulo ab exceptoribus ambo signati fuere, uti ex. gr., numero 11: *Evagrius presbyter et legatus dixit;* et numero 45 et alibi quoque: *Chromatius presbyter dixit.* Iterum igitur concludendum, undecim illos qui in syllabo seu subscriptionibus posteriori loco numerantur, duos scilicet legatos Afrorum Felicem atque Numidium, et novem reliquos, Artemium, Almachium, Januarium, Jovinum, Macedonium, Cassianum, Marcellum, Eustathium, Maximum, nequaquam simplices presbyteros, sed episcopos veri nominis exstitisse, licet nullius propriæ sedis essent episcopi.

Hi porro qui nullam sedem habebant, quinam episcopi fuissent, nisi auxiliares aliorum episcoporum propriæ sedis, quibus aut difficilis esset, aut late patens excolendus Dominicus ager? Missis duobus legatis Afrorum, de quibus nunc nostra non interest; non immerito conjectaverim novem alios ad episcopos pertinuisse majorum sedium, qui huic concilio interfuerunt; ad Valerianum præcipue Aquileiensem, et ad Ambrosium Mediolanensem, qui primi tunc in Italia metropolitico etiam jure gaudere cœperant. Quod ad Aquileiensem Ecclesiam spectat, Jovini certe nomen ad clerum hujus Ecclesiæ spectatissimum pertinebat in archidiaconi munere, tum anno 370, quo Rufinus in Ecclesia Aquileiensi baptismum suscepit, uti ex ejusdem lib. I Invectivarum num. 3; tum etiam anno 373, quo Hieronymus ad Chromatium et Eusebium fratres, necnon ad eorumdem amicum Jovinum litteras ab Oriente dedit, uti ex ejusdem epistola 7 editionis Vallarsii. Anno vero 399, quo Rufinus Invectivarum libris componendis manum admovit, ut eruditi animadvertunt, Jovinum ipsum, Chromatium, atque Eusebium, **114** citato num. 3, jam tunc *opinatissimos et probatissimos Dei episcopos* appellabat. Jam pridem igitur archidiaconus ille Jovinus episcopatus honore auctus fuerat, qui jam cum aliis duobus *probatissimus* tunc atque *opinatissimus* in episcopali dignitate habebatur. Quid mirum propterea, quod idem ipse Jovinus, qui prius sub Valeriano anno 370 et 373 archidiaconus erat Aquileiensis Ecclesiæ, jam anno 381 auxiliaris ipsius Ecclesiæ sub eodem Valeriano episcopus fuerit, et concilio cum aliis episcopis præsens astiterit?

Inter episcopos absque sede, qui huic concilio interfuerunt, præter Jovinum, sunt etiam Januarius et Maximus, prout ex adductis e concilio locis apparet. Maximus vero quidam inter Aquileienses episcopos in catalogis exhibetur post Valerianum, Chromatium, Augustinum, atque Adelphum; et statim post eumdem Maximum Januarius, qui successorem habuit Secun-

dum Nicetæ nostri proximum antecessorem. Ante annum 444, Maximum obiisse, et ad annum saltem 447 Januarium vitam perduxisse ostendit De Rubeis in Monumentis Ecclesiæ Aquil. capite 15. Fuerintne Maximus hic atque Januarius iidem ipsi qui, inter episcopos absque sede, Aquileiensi concilio interfuerunt sub Valeriano; quique auxiliares tunc Valeriani episcopi in Ecclesiæ Aquileiensis administratione, dein post Chromatium, Augustinum, atque Adelphum, sedem ipsam tenuerint, alter post alterum proxime? Hoc etiam valde probabile puto : neque conjecturæ huic meæ officere posse arbitror utriusque ætatem. Si enim tum Maximi tum Januarii fuisse ponamus triginta annorum ætatem anno 381, quo concilium Aquileiense celebratum est, cuique ipsi interfuerint episcopali gradu donati, jam anno 443 Maximus, si tamdiu vixit, annum attigisset 92; et Januarius anno 447 annum et ipse complesset 96. Gravissima quidem, neque consueta, utrorumque fuisset ætas : verumtamen nullatenus improbabilis, neque facile rejicienda. Quam enim centenariam prope ætatem in aliis episcopis illius vel proximi ævi admiramur, puta in Hosio Cordubensi, in Remigio Rhemorum antistite, in Simpliciano sancti Ambrosii successore, in presbytero Salviano, et aliis, cur in duobus episcopis Aquileiensibus Maximo et Januario non æque suscipiamus?

Adest nihilominus cur eamdem in utroque nulla vi adhibita, si lubeat, minuamus. In re namque, quæ tota disputabilis est, patet conjecturis locus, ut difficultas, si fieri potest, quælibet auferatur. Ante annum 444 obiisse Maximum diximus cum De Rubeis, quia eodem anno Aquileiensis episcopus erat Januarius, ad quem, ut probat idem eruditissimus vir, eodem ipso anno epistolam dederat sanctus Leo papa, quæ nunc est in editione Veneta Balleriniorum ordine prima, licet nomen Januarii expressum non habeat. Quis vero inde conjiciat Maximum obiisse anno 443, et non potius anno 440, aut 435? Obiisse vero Maximum aliquot annis ante indicatam illius epistolæ epocham anni 444, evincit, ni fallor, altera divi Leonis epistola ad eumdem expresso nomine Januarium, data anno 447, quæ in editione citata est ordine 18, in qua ita eum alloquitur : « Lectis fraternitatis tuæ litteris vigorem fidei tuæ, quam *olim* noveramus, agnovimus. » Omissa nunc criticorum lite super hac epistola, satis hic dixerim placere mihi clarissimi viri sententiam supracitato capite 15 validissime, ut opinor, propugnatam, qua, alia rejecta ejusdem prorsus dictionis epistola, quæ secunda ibidem est, et ad Septimum, seu Septimium episcopum Altinensem **115** inscribitur, hanc ad Januarium solam admittit. Quid porro illud, *olim noveramus*, in hac epistola usurpatum, respectu vigoris fidei episcopi Januarii, si non longe ante annum 447, et anno saltem 440, quo ipse Leo pontificatum Romanum inivit, etiam Januarius Aquileiensem sedem tenuisset? Retrocedat igitur necesse est annus emortualis Aquileiensis episcopi Maximi; qui propterea obierit octuagenario quidem major, sed certe aliquot annis nonagenario minor.

Quid nunc vero de Januario, cujus ætas, etiamsi non excesserit annum datæ ad ipsum secundæ a Leone epistolæ 447, nonagesimum sextum annum attigisse dicenda est? Aliud hic proferendum, quod Januario æque ac Maximo bene cedat; quodque quinquennio et ultra minuat utriusque ætatem si opus sit. Annum ætatis trigesimum ambobus dedimus anno 381, quo episcopi in Aquileiensi concilio sederunt; arbitrantes nimirum eodem circiter anno utrumque ad episcopatus honorem assumptum; sufficiebat enim trigesimus annus, sicuti hodie, etiam ex eorum temporum communiori disciplina, ut quisque ad episcopatum ordinaretur, uti ex Neocæsariensis concilii canone 11; licet per Siricium papam, non multo post Aquileiense concilium, in epistola decretali ad Himerium episcopum Tarraconensem, cap. 9, apud Coustantium, quadragesimus quintus fuerit constitutus; et licet quinquagesimus statuatur in Constitutionibus apostolicis, libro II, capite 1, quæ tamen Constitutiones tunc temporis, ut criticorum plerique animadvertunt, nondum fortasse in Ecclesia, generaliter saltem, innotuerant. Trigesimus vero annus pro episcopali consecratione non ita tunc erat in Ecclesiæ positus disciplina, ut sæpe etiam vel trigesimo juniores ad episcopale fastigium non elevarentur, si necessitas præsertim postularet, aut singulare vitæ meritum suffragaretur. In Ecclesiastica Historia abundant hujusmodi exceptionum exempla, quæ originem ducunt a divo Paulo apostolo, qui satis *juvenem*, immo *adolescentem* Timotheum episcopum ordinaverat; unde inter alia illum monebat ut ita in omnibus se gereret prudentia atque doctrina, quod nemo *adolescentiam* suam contemneret. *Adhuc juvenes* propterea, Eusebio teste Hist. Eccles. libro VI, capite 30, Ecclesiarum in Ponto episcopi ordinati fuerunt Origenis auditores Gregorius Thaumaturgus, ejusque frater Athenodorus. Similiter Acholius episcopus Thessalonicensium, teste Ambrosio epistola 16 ad Anysium. De Paulo quoque Constantinopolitano episcopo idem refert Socrates Hist. Eccles. libro II, capite 6, ac de Athanasio Alexandrino Theodoretus libro I, capite 25. Immaturitatem ætatis, in qua coactus propemodum fuerat episcopatum accipere, vehementer accusabat Gaudentius etiam Brixiensis sermone 16 in Cominiana ejusdem Operum editione. Antonius ille, quem in Fussalensi Castello suæ diœcesis episcopum constituerat Augustinus, et ipse *juvenis* erat, immo adolescens, ut idem testatur epistola 209 superius citata, qui in Ecclesia Hipponensi lectoris tantum officio functus fuerat. Scimus præterea ex Nicephoro, Hist. Eccles. libro III, capite 29 Eleutherium, non amplius quam *viginti* annos natum, in Illyrico episcopum delectum fuisse; ex Hincmaro, apud Baronium, ad annum 470, Remigium anno ætatis *vigesimo secundo* ad episcopatum Rhemensem veluti raptum fuisse; et ex Ennodio, in Vita Epiphanii Ticinensis, Epiphanium ipsum anno ætatis *octavo et vigesimo* episcopum ordinatum. Post exempla hujusmodi, tum Orientalis tum Occidentalis Ecclesiæ, quæ etiam aut non multum aut prope nihil ab ætate distant Valeriani **116** episcopi Aquileiensis, et concilii in Aquileiensium civitate celebrati anno 381; quis accusari umquam poterit critices laxioris, si alicujus difficultatis minuendæ gratia, cum pauca suppetant explorata ac certa, cum multa aut dubia sint aut obscura, cumque ex alia parte nihil obstet, nullique fiat aut injuria aut vis; quis, inquam, accusari poterit critices laxioris, si opinari velit ab eodem Valeriano episcopo ordinationem episcopalem accepisse Maximum et Januarium circa annum 381, ut ejus essent auxiliares per diœcesim episcopi, cum ipsi annum ætatis agerent non amplius quam vigesimum quartum, aut vigesimum quintum? Ita nimirum Maximus vix octuagenarius in Aquileiensi sede obiisset, et Januarius fortasse nonagesimum non excessisset annum; quod a communi vivendi ratione prope nihil abhorret.

Tres igitur in Aquileiensi concilio anni 381 deprehendimus auxiliares episcopos, quos ad Aquileiensem Ecclesiam pertinuisse admodum credibile est, Jovinum, Maximum, Januarium. De sex aliis nihil ausim dicere; cum eorum nomina nihil mihi nunc suppetant. Conjectaverim nihilominus, generatim loquendo, præter tres nominatos, alios quoque ex eorum numero ad Aquileiensem Ecclesiam pertinuisse, cum longe lateque patuerit diœcesis ipsa, sane amplissima, et inter Occidentis illustriores, atque tunc temporis maxime populosa, nondum scilicet ad Italiæ perniciem ingressis per Aquileiensem agrum agminibus Barbarorum; cumque probabile admodum sit Aquileienses præsules pluribus in locis propriæ diœcesis episcopos constituisse qui eorum vices gererent, et ibi potissimum, ubi postmodum decursu temporis nonnullæ cathedrales ecclesiæ surrexerunt, quæ suffraganeæ hujus primæ sedis dictæ fuerunt. En itaque novum quasi problema quoad Aquileiensem nostram

Ecclesiam, respectu habito ad auxiliares ejus episcopos, quod singillatim enucleari meretur; quodque idcirco novis exhibitis monumentis, novisque conjectationibus præstare curabo.

A primis tamen illis temporibus quarti vel quinti sæculi, in quorum expendendis, quæ respectu Aquileiensis Ecclesiæ supersunt, ecclesiasticis monumentis hactenus incubuimus; non gradum quidem, sed potius saltum facere juvat ad sequiorem ætatem duodecimi sæculi, ac decimi tertii. Et sane, quas consuetudines antiquiorum sæculorum ex coævis scriptoribus, ob monumentorum defectum quæ injuria temporum perierunt, haurire non possumus; quam sæpe optime conjicimus ex vestigiis earumdem, quæ nobis subsequens ætas servavit illæsa! Ita nimirum factum fuisse arbitror de auxiliaribus Ecclesiæ Aquileiensis episcopis, qui primum hac illac per diœcesim amplissimam constituti, demum locum dederunt veris cathedralibus ecclesiis suffraganeis, quæ ibi erectæ fuerunt, ubi hi consistere ante solebant. Quænam itaque adsunt vestigia in cathedralibus suffraganeis Ecclesiæ Aquileiensis, quæ indicent nobis illic olim exstitisse constitutos episcopos mere auxiliares Ecclesiæ Aquileiensis, antequam ad distinctæ cathedræ dignitatem eædem elevarentur?

Monumenta, inter alia, duo supersunt autographa in tabulario capituli olim patriarchalis Aquileiensis, nunc archiepiscopalis Utinensis; alterum ad annum pertinens 1183, alterum vero ad annum 1260, quæ hic dabimus appendicis loco in fine hujus dissertationis; quorumque omnium primus meminit clarissimus Utinensis Ecclesiæ præpositus Franciscus Florius in suo libello ita inscripto, *Discorso preliminar alla Vita del beato Beltrando patriarca d' Aquileja*, quem publici juris fecit in altera illius Vitæ editione anni 1791, pag. 25 et 26. **117** Singulare quoddam, quod ex his duobus monumentis accipimus, ipso eruditissimo viro nobis præeunte, illud est, quatuor nempe suffraganeos episcopos Ecclesiæ Aquileiensis hic recenseri veluti ejusdem Ecclesiæ *canonicos natos*, uti appellant; utpote qui semper essent et illarum sedium episcopi, et metropolitanæ Ecclesiæ canonici. Hi vero erant episcopus Concordiensis, episcopus Tergestinus, episcopus Emoniensis, episcopus Justinopolitanus. Priores duos exhibet monumentum primum, posteriores alterum. Concordiensis et Tergestinus in monumento primo apparent inter Aquileienses canonicos per eorum *vicarios*, quos ipsi ad implendum munus canonicale in Ecclesia Aquileiensi data opera constituebant, eo prorsus modo quo et *patriarcha*, et *comes* (qui *comes*, ex illorum temporum usu, Ecclesiæ Aquileiensis *advocatus* erat). Hæc porro vicariorum præsentia pro his episcopis in Ecclesia Aquileiensi probat, Concordiensis ac Tergestinæ sedis hoc fuisse proprium, ut earum episcopi habitualiter, uti aiunt, de Aquileiensis Ecclesiæ clero censerentur, veluti ipsius canonici; et non minus ac patriarcha ipse, et comes, qui similiter perpetui Ecclesiæ Aquileiensis canonici censebantur, et canonicorum munia per eorum vicarios obibant. Idem dicendum videtur de episcopis Emoniensi ac Justinopolitano, qui in documento altero exhibentur, et non quidem per vicarios, sed per se ipsos præsentes cum aliis canonicis Aquileiensibus ad quemdam actum capituli, qui de canonicorum numero in posterum providebat. Jam documentum primum auctoritatem præbet secundo, ut intelligamus Emoniensem quoque et Justinopolitanum episcopos, non minus ac Concordiensem et Tergestinum, *canonicos natos* Ecclesiæ Aquileiensis. Ipsa vero secundi documenti verba non obscure idem videntur asserere: quod cæteroquin, quatenus opus esset, ex aliis quoque anterioribus documentis ejusdem Ecclesiæ, ibidem a prælaudato viro clarissimo et Aquileiensium antiquitatum peritissimo indicatis, abunde confirmatur.

Novum quidem non est in Ecclesiastica disciplina, quod cathedralium ecclesiarum episcopi, canonici A eodem tempore fuerint alicujus insignis Ecclesiæ, etiam extra propriam diœcesim positæ, maxime vero suæ ecclesiæ metropolitanæ. In Gallia episcopi Andegavensis ac Pictaviensis, necnon et archiepiscopi Senonensis ac Bituricensis canonici erant ecclesiæ Sancti Martini Turonensis, uti ex Thomassino, Vetus et Nova Eccl. Discipl. parte I, libro III, capite 64, numero 3. In Anglia vero metropolitanæ ecclesiæ Cantuariensis erant canonici, ex eodem Thomassino ibidem, num. 7, omnes et singuli suffraganei episcopi illius provinciæ. Pro memoratis archiepiscopis et episcopis Gallicanis, ratio canonicatus eorum in Ecclesia Turonensi non alia fuisse videtur, quam sanctitas loci, ex celebritate ac merito sancti Martini Turonum episcopi, omnium suæ ac posterioris ætatis scriptorum laudibus clari. Pro episcopis vero Cantuariensis provinciæ in Anglia, ratio tota illius loci ejusdemque circumstantiarum peculiaris fuit, quæ apud eumdem Thomassinum videri potest. At quoad Aquileiensem Ecclesiam spectat, ubi quatuor indicati episcopi canonici, omnes erant episcopi provinciæ Aquileiensis, et ubi omnino non patet quando hi quatuor esse cœperint, et illarum simul suffraganearum episcopi, et metropolitanæ canonici; conjicere licebit id peculiariter indicare antiquam horum episcoporum Aquileiensem originem; ac propterea eorumdem in Aquileiensi Ecclesia canonicatus initium repetendum valde probabiliter ab eo tempore quo quatuor hi episcopi simpliciter auxiliares episcopi **118** erant Ecclesiæ Aquileiensis, in iis ipsis fortasse locis constituti, ubi postea cathedrales episcopi propriæ sedis propriæque jurisdictionis decursu temporis exstiterunt. Tunc porro, cum auxiliares episcopi essent Ecclesiæ Aquileiensis, dubium nullum est eos de Aquileiensis Ecclesiæ *gremio*, uti aiunt, fuisse, et ad majorem clerum ejusdem Ecclesiæ pertinuisse, unde quoque ex communi ecclesiastico censu stipendia acciperent ad vitæ sustentationem, et ad munera ipsis concredita obeunda. Nemo itaque negaverit, eos jam tunc reapse fuisse ejusdem Ecclesiæ canonicos, etsi non nomine tenus (quod canonicorum nomen nono aut decimo sæculo antiquius non sit), re tamen atque substantia. Quid vero si canonicorum inducto nomine, canonici et ipsi Aquileiensis Ecclesiæ, sicut et cæteri apud eamdem per se ipsos ac jugiter degentes, appellati fuerint, et tales etiam reapse censerentur, veteri retenta consuetudine quæ eorum originem testabatur, et retenta fortasse etiam sua parte stipendiorum, quæ aliis ejusdem Ecclesiæ canonicis essent communia? En igitur quomodo ex monumentis quæ supersunt inferioris ævi Aquileiensis Ecclesiæ, vetus quodammodo emergat ejusdem Ecclesiæ disciplina, quam non satis perspicue, ob coævorum monumentorum inopiam, licuisset educere aliunde. En quomodo auxiliares episcopos, quos secundi generis dicebamus, hinc inde nimirum in variis præcipuarum diœceseon locis constitutos, etiam in Aquileiensi Ecclesia priscis sæculis exstitisse conjicimus, et probabiliter in iisdem etiam locis, ubi hi episcopi canonici olim perpetui ejusdem Ecclesiæ habebantur.

Sed res adhuc est clarius novis aliis animadversionibus, novisque conjectationibus explicanda. Quam late patuerit Aquileiensis episcopi cura aliquis fortasse requirat? Adeundus hac super re eminentissimus cardinalis Norisius in dissertatione de Synodo V, capite 9, § 4. Audiendus etiam clarissimus De Rubeis, qui in monumentis Eccles. Aquil., capite 20, numero 3, et in dissertationibus Variæ Eruditionis, capite 22, numero 2, Valeriano et Chromatio episcopis Aquileiensibus, scilicet quarto sæculo ad finem vergente et quinto ineunte, Istriam tribuit Aquileiensi metropolitæ, item Ecclesiam Tridentinam, necnon Sabionensem in Rætia II, item Augustanam fortasse in Vindeliciis; quin etiam Celeianam, Emonensem, Scarabantiensem, Tiborniensem in Norico et in Pannonia, ac totam insuper Venetiam qua late patebat ad fines usque Insubriæ atque Æmiliæ. Quod ad Noricum

spectat, Marcus Hanzisius tomo I Germaniæ Sacræ, capite 12, apud eumdem De Rubeis candide ac confidenter aiebat, « quod Ecclesiæ Norici originem accepere ab Aquileiensi : quod vel ipse locorum situs suadere videtur, contigui enim sunt Norici Aquileiensibus. » Illud vero quod de Ecclesiis Norici Hanzisius fatebatur, de aliis quoque dicendum est in Istria tunc positis et in Pannoniæ partibus, eoque magis in Venetia; ut omnes originem similiter acceperint ab Aquileiensi. Patet hinc amplitudo Aquileiensis Ecclesiæ, antequam cæteræ orirentur quæ ab ea duxerunt initium : necesse est enim ut Aquileiensis episcopi cura per hæc omnia ubique loca sese diffuderit, priusquam peculiares Ecclesiæ proprii nominis ibidem instituerentur. Hinc facile quisquam inferre poterit, unum Aquileiensem antistitem curæ tam late patenti sufficere minime potuisse; illumque propterea, vel a primis per eas regiones Christianæ fidei incunabulis, episcoporum auxiliariorum ope indiguisse; et eorum non modo qui apud eumdem veluti stabili mansione consisterent ejus nutibus semper parati, sed qui etiam hac illac **119** peculiaribus dissitisque regionibus præsiderent, quasi tot diœcesibus secundariis et ipsi præpositi; quæ tandem in diœceses proprii nominis suique juris, aliquæ citius, aliquæ serius, evaserunt, ac ita primitivas suffraganeas ejusdem Aquileiensis Ecclesiæ diœceses constituerunt.

Jam vero quid referunt hac super re etiam, quæ supersunt, Acta ad Ecclesiæ Aquileiensis exordia pertinentia? Acta intelligo sanctorum Aquileiensium martyrum, Hermagoræ, primi, apostolico ævo, Aquileiensis episcopi, et Fortunati ejusdem diaconi, quæ exstant in Julio Bollandiano tomo III, pag. 251 editionis Antuerpiensis. Acta hæc rejecta omnino fuerunt a clarissimis viris Papebrochio ac Tillemontio : sed critice profecto nimium severiori, uti admonent ipsi Bollandiani socii, qui Papebrochio successerunt, in Commentario prævio ad hæc eadem Acta, et fusius quoque atque accuratius De Rubeis in Monumentis, capite 1 ac 3, ubi eadem singillatim expendit atque tuetur, concludens, *nihil hactenus a criticis viris proferri potuisse, quod Actorum Hermagoræ præcipua capita elidat, eorumque fidem convellat;* ea vero quæ in eisdem Actis vindicari difficillime possunt, adjectas probare *sequiore ævo interpolationes, quæ sinceritatem Actorum non evertunt.* In his porro Actis, capite 1 num. 4, hæc ad rem nostram, post ea quæ hactenus dicta sunt, opportuna leguntur. « Tunc iter faciens (sanctus Hermagoras) cum beato Marco ad urbem Romam, ibique a beato Petro accipiens baculum pontificatus, et velamen sacramenti cum benedictione, factus est proton episcopus provinciæ Italiæ, et regressus est ad urbem civitatis Aquileiæ, et Ecclesiæ suæ moderationem composuit; et Seniores et levitas inibi ordinavit : et post hæc ad civitatem Tergestinam presbyterum et diaconum direxit; et per alias civitates similiter faciebat. Hæc agebat in urbe civitatis Aquileiæ, quæ est ex civitatibus Italiæ prima. » Hanc Actorum illorum particulam, quam peculiari animadversione perpendit idem de Rubeis citato capite 3, interpolatione vacuam, saltem quoad substantiam, cum eodem censere juvat. Videas hic porro quam late patentem episcopalis curæ provinciam omnium primus susceperit Hermagoras in hac Italiæ parte, quæ tunc proprie Italiæ nomine censebatur, uti ex laudato viro clarissimo intelligimus; et qua patebat iter ad conterminas trans Alpes regiones, ubi quarto et quinto sæculo protensam novimus Aquileiensium metropolitanorum jurisdictionem. Videas quoque quam sollicite sibi *ad opus Ministerii* et *seniores* et *levitas* ordinare studuerit Hermagoras. Videas demum ministros ejusmodi ab eodem missos per civitates; nominatim vero ad *civitatem Tergestinam*, quæ fortasse omnium prima Aquileiensis protoepiscopi pastoralem sollicitudinem experta fuit, cujusque præsules posterioribus sæculis vidimus Aquileiensis Ecclesiæ canonicos natos. Hic quidem A in Actis sermo est de presbyteris atque levitis a divo Hermagora ad civitates directis. Sed hi fortasse presbyteri erant etiam episcopali gradu donati, aut certe fuerunt non multo post ab Hermagoræ successoribus; cum Christianorum messis undique uberior in dies evaderet. Patet hinc luculentius ex ipso Aquileiensis Ecclesiæ exordio, quod nobis hæc Acta referunt, auxiliariorum ipsius Ecclesiæ episcoporum necessitas in tam ampla Aquileiensium antistitum cura; et roboratur opinio, quæ auxiliarios hujusmodi episcopos in iis locis præcipue collocat, aut certe non longe ab iis, ubi postmodum lapsu temporis suffraganeæ proprii nominis propriique juris Ecclesiæ surrexerunt.

Quærat nunc aliquis etiam de origine **120** Ecclesiarum suffraganearum, prout nunc appellantur; maxime vero de suffraganeis Aquileiensis Ecclesiæ? Confidenter aperiam meam sentiendi rationem super hac re. Metropolitanas Ecclesias veri nominis atque juris sero in Occidente ortas non negaverim; et cum viris clarissimis Aquileiensem sub Valeriano, Mediolanensem sub Ambrosio episcopis, modico inter B utramque temporis intervallo, metropolitanarum primas in Occidente habitas fuisse dixerim. Metropolitanarum tamen effigiem quamdam, seu potius primordia quædam, in majoribus diœcesibus, etiam ante Valeriani et Ambrosii ætatem, in Occidente ipso præluxisse opinor : nam ad instar metropolitanarum Ecclesiarum videntur mihi fuisse Ecclesiæ illæ, quarum antistites hac illac per proprias diœceses, amplioris, ut ita dicam, ambitus ac difficilioris excursus, auxiliares sibi episcopos, veluti suffraganeos constituebant, qui eorum in gregis cura ibidem agerent vices. An non ad instar Metropolitanæ Ecclesiæ cum suffraganeis suis, vel ipso Ecclesiæ secundo sæculo, fuerit in Galliis Ecclesia Lugdunensis sub Irenæo episcopo, de quo Eusebius Ecclesiasticæ Historiæ libro v, cap. 23 et 24? *Parœcias Galliæ* hic nominat Eusebius, quas Lugdunensis episcopus Irenæus regebat : ἃς Εἰρηναῖος ἐπεσκόπει. Parœcias porro illas in C Galliis sitas sub Irenæi vigilantia, non a presbyteris curatas fuisse, sed ab episcopis, quos Irenæus ipse *fratres* appellabat, *quibusque*, Eusebio teste, ipse *præerat*, contra Massuetium, Quesnellum, et Coustantium, ita probavit invicte ac luculenter, opinionem secutus Petri de Marca, Henrici Valesii, Guillelmi Beveregii, ac Stephani Baluzii, clarissimus noster Franciscus Florius in eruditissima sua dissertatione de Martyribus Lugdunensibus, capite 5, ut nihil hic addere necesse sit majoris confirmationis gratia. Quidni igitur metropolitani episcopi speciem vel ipso secundo sæculo gesserit in Galliis Irenæus, et veluti suffraganei ipsius fuerint cæteri parœciarum Galliæ episcopi, quibus ipse præerat? Quidni cæteris parœciarum Galliæ episcopis ideo præfuerit Irenæus, quia Lugdunensis Ecclesia veluti *mater* fuerit aliarum in Gallia Ecclesiarum; et quia Irenæus ipse, ejusque prædecessor, sanctissimus senex ac Christi martyr Pothinus, auxiliares ibidem constituerint episcopos, qui demum episcopi propriæ sedis decursu temporis D singuli evaserunt, ac aliarum et ipsi Ecclesiarum sequentibus sæculis institutores fuerint ac parentes? Idem profecto dicendum arbitror etiam de amplissima Aquileiensi ac vetustissima Ecclesia, quæ præter Venetiæ fines late patentes, Istriam complectebatur et Noricum, et Pannoniæ quoque partem obtinebat. Metropolitanæ speciem tulit hæc ipsa Ecclesia, etiam antequam Metropolitanæ vocabulo uteretur, juraque metropolitica omnia exerceret; et suffraganeas appellare quodammodo poterat Ecclesias Venetiæ Istriæ Norici atque Pannoniæ, ubi primum et Christi nomen ipsa invexerat, et episcopos auxiliares ipsa locaverat; qui demum fuerunt episcopi peculiarium diœceseon distinctarum, quæ suffraganeas veri nominis constituerunt ejusdem ad metropoliticam dignitatem evectæ, et in quas ipsa propterea jure quodam suo originario metropoliticam auctoritatem non tam extendit, quam potius conservavit. Originem itaque

primitivam suffraganearum Ecclesiarum exploratam habemus, quam repetere necesse est ab illa, ut ita dicam, materna auctoritate, quam in eas Ecclesiæ principes profitentur, a quibus suffraganeæ ipsæ sumpserunt exordium.

Ut vero modum etiam aliquatenus investigemus, quo suffraganeæ illæ **121** quodammodo emerserunt, incongruum non erit e rebus notis ignotas conjicere, ac per analogiam quamdam episcopatuum suffraganeorum cum parœciis nostris secundi ordinis, eorum ortum imaginari non dissimilem fuisse ab ortu earumdem parœciarum, quæ certe non ita longe a nostra ætate prodierunt, et sæpe etiam conspicientibus nobis in dies exsurgunt. Illud propterea quod in diœcesibus quibuscumque contigit, atque contingit, vetustis ecclesiis, baptismalibus dictis, seu plebanis, quoad parœciarum multiplicationem, quæ in earum sinu facta fuit; illud idem contigisse existimo in majoribus diœcesibus, quoad multiplicationem episcopatuum intra earum fines. Vidimus nempe baptismales ecclesias in agris positas longo tempore præfuisse multis ecclesiis seu capellis, succursalibus appellatis, quæ quidem presbyteros proprios habebant, plene tamen obnoxios auctoritati presbyterorum ecclesiarum baptismalium; donec secutis inde divisionibus, episcoporum indultu ac voluntate, presbyteri ipsi succursalium proprii juris facti fuere, ac ita multæ intra unius parœciæ territorium emerserunt parœciæ minores ex partibus avulsis a veteri ecclesia baptismali; quæ proinde auctoritatem pristinam in eas amisit, servata tantum prærogativa primatus, et quadam honoris significatione, quam filias semper exercere decet erga matrem. Non itaque dissimili modo, ut videtur, amplæ veteres diœceses, earumque episcopi, auxiliares episcopos habuere hinc inde positos in potioribus locis regionum suarum, ibique veluti succursales ecclesias superioris ordinis ab his auxiliaribus episcopis administratas, plene tamen cum episcopis ipsis sibi subjectas. Decursu vero temporis, ac multiplicata fidelium segete, aliisque ortis necessitatibus, auxiliares isti episcopi cum suis territoriis, sive annitentibus populis, indulgenteque ipso episcopo principali, sive conciliorum accedente providentia, sive demum auctoritate Romani pontificis, cujus summa semper in his rebus per universam Ecclesiam, maxime vero in Occidentis partibus, fuit potestas, peculiares quasdam constituerunt diœceses intra ambitum diœceseon antiquarum, et ex partibus avulsis ab ipsis primariis diœcesibus; ita ut in eodem ipso locorum spatio, ubi olim unicus erat episcopatus et una ibidem vera auctoritas, plures deinde facti sint episcopatus ab Ecclesia principe separati, suique juris; ut antiquæ Ecclesiæ titulus tantum superioris remaneret, ac ea obsequii signa eidem rependerentur a novis, quæ naturaliter deferri solent, ac debentur iis, a quibus origo ducitur. En itaque etiam modum, quo suffraganeæ Ecclesiæ primitivæ in Christiano orbe surrexerunt; ut ita propemodum etiam Aquileiensis Ecclesiæ suffraganeas efformatas fuisse intelligamus in Venetia atque Istria, sicut etiam in Norici partibus et Pannoniæ; et quidem non uno tempore singulas, sed aliquas citius, serius alias, quasdam ante invectam in Occidente quarto circiter cadente sæculo metropoliticam provinciarum ecclesiasticarum formam, quasdam etiam postea: ut nihil interim proferamus de suffraganeis alterius generis atque originis, quas subsequens tulit ætas, pro locorum ac temporum necessitate, novarumque metropoleon erectione, sicut etiam pro varietate humanarum rerum, quibus non raro sancta Ecclesia studio pacis ducta morem gerere consuevit.

Quærat demum quispiam, quibus etiam honoris significationibus suffraganeæ Ecclesiæ, maxime vero *Suffraganeæ* Aquileiensis provinciæ, coluerint antiquitus metropolitanam? Clarissimus Mabillonius præfatione in sæculum v Benedictinum, num. 22, indicat nobis Folcum quemdam archiepiscopum **122** Rhemensem sæculi decimi, qui episcopos suffraganeos suos, *filiorum* vocabulo, appellabat. Hoc quamquam singulare fuerit hujus archipræsulis, qui, eodem scribente Mabillonio, aut primus fuit aut certe inter primos, qui, metropolitici juris obtentu, filios vocaverit episcopos suffraganeos; et quamquam hoc idem abhorreat ab Ecclesiæ disciplina, qua semper factum fuit ut episcopi minimorum etiam locorum, et simplicis quoque nuncupationis, ab episcopis quibuscumque *fratrum* vocabulo dicerentur, sicuti etiam Romani ipsi pontifices consueverunt, qui vel minimum episcoporum *fratris* vocabulo semper appellaverunt: hoc, inquam, nihilominus indicium est, tum maximæ auctoritatis quam antiquitus in suffraganeos suos, veluti filiarum Ecclesiarum antistites, metropolitani episcopi exercebant, tum honoris eximii quo a suffraganeis metropolitani ipsi episcopi colebantur, qui idcirco veluti parentes institutoresque suffraganearum Ecclesiarum censebantur. De Aquileiensibus vero suffraganeis ut aliquid innuam, breviter notissima memorabo, et apud De Rubeis, aliosque rerum Aquileiensium exploratores satis vulgata; nimirum suffraganeos istos, a priscis usque temporibus, tum electionis confirmationem, tum manuum impositionem a metropolitano accepisse; cui etiam, peculiari formula ipsorum manu exarata ac sacramento firmata, fidem atque obedientiam pollicebantur. Addam, suffraganeos Aquileienses, singulis annis, *ad limina* metropolitanæ Ecclesiæ accedere solitos fuisse in festo sanctorum martyrum patronorum Hermagoræ et Fortunati; necnon apud eumdem metropolitanum episcopum frequenter diversatos, eidemque in solemnibus peragendis, honoris et obsequii gratia, astitisse, uti constat ex innumeris pene solemnium diplomatibus, aliisque monumentis, in quibus singulorum nomina qui intererant recensentur. Hujusmodi diplomata ac monumenta non primævæ quidem vetustatis sunt: pleraque nihilominus annum millesimum antecedunt, aut proxime sequuntur; et nullus dubito, quin non modo illius ævi, sed etiam præcedentium sæculorum referant disciplinam. Hæc obiter sufficiat attigisse, quæ ad illustrationem faciunt eorum quæ hactenus dicta sunt de auxiliaribus primum, deinde suffraganeis Ecclesiæ Aquileiensis episcopis.

Nunc itaque, ut ad conclusionem primæ partis hujus sexti capitis veniamus, in qua propositum erat ostendere, Niceam seu Nicetam episcopum Aquileiensem ideo probabiliter Romatianæ civitatis episcopum a Gennadio appellatum, quia, antequam episcopalem sedem Aquileiensem conscenderet, episcopus auxiliaris fuerit Ecclesiæ Aquileiensis ad portum Romatium seu Romatinum situs; nunc itaque, aiebam, ut ad conclusionem tandem veniamus, quid non satis probabile in rem nostram dictum fuit, sive generalem auxiliarium episcoporum duplicis instituti disciplinam priscis sæculis in Ecclesia vigentem respiciamus, sive peculiarem ejusdem prorsus modi in ipsa Aquileiensi Ecclesia ex peculiaribus monumentis ostensam? Probabilitas sane hujus auxiliaris Niceæ seu Nicetæ episcopatus ex his fontibus ducta nullam patitur exceptionem. Quid autem in re tam dissita atque obscura ubi nihil satis compertum atque exploratum, ubi conjecturis tantummodo patet locus; quid umquam sperari potest, quod meræ probabilitatis modum excedat? In rebus porro hujusmodi, ubi quod verum et indubium sit assequi non est datum, satis habemus, si saltem simillima vero, probabilia, ac rationi conformia proferamus. Nihil interim negotii facessat, quod Nicetas noster, post auxiliarem episcopatum ad portum Romatinum gestum, supremam regiminis curam in Aquileiensi ipsa **123** cathedra obtinuerit. Cum episcopi mere auxiliares diœcesim propriam ac proprium titulum non haberent, non erat contra canones, si vacante prima sede episcopali, ad eamdem occupandam assumerentur: immo cum ipsi uti episcopi auxiliares, præcipua membra essent cleri ecclesiæ principalis, seu presbyteril

episcopalis; juxta canones erat, quod ipsi quoque præcipue ad vacantem episcopalem sedem ascenderent. Cum itaque dixerim, Nicetam nostrum auxiliarem ad portum Romatinum episcopatum commutasse postea cum cathedra Aquileiensi; hoc nimirum dixi, quod ecclesiasticæ illorum temporum disciplinæ non adversabatur; quod etiam viri docti de aliis similiter auxiliaribus episcopis autumarunt; et quod præsertim de nonnullis Romanis pontificibus priorum sæculorum, ad tollendas quasdam locorum ac temporum difficultates, excogitarunt clarissimi rerum hujusmodi investigatores, Petrus Coustantius, Epistolæ Rom. Pontif. pag. 3 et 6 editionis Parisiensis, et Franciscus Blanchinius, tomo II Anastasii, in Notis Historicis ad Vitam sancti Eleutherii papæ, pag. 142; quod hic obiter innuisse sufficiat.

Unum addere præstat, quoad locum Romatii, seu Romatini portus, ubi Niceam seu Nicetam nostrum probabiliter sedisse diximus, priusquam Aquileiensem capesseret episcopatum. Ex primo duodecimi sæculi monumento superius indicato habemus, Concordiensem episcopum, unum ex iis fuisse inter hujus metropolitanæ episcopos suffraganeos, qui canonici nati Aquileiensis Ecclesiæ dicebantur: quod ideo factum conjiciebamus, quia Concordienses quoque episcopi, veluti successores fuerint eorum auxiliarium episcoporum, qui priscis temporibus eo loci sedebant pro episcopo Aquileiensi; quique propterea, cum de Aquileiensi presbyterio tunc essent, perseveraverint in eodem recenseri (canonicorum quoque assumpto nomine, cum idem in Ecclesia primum insonuit), etiam postquam in cathedralem veri nominis sedem evecti fuerunt, peculiari diœcesi constituta ex parte avulsa ab Ecclesia matre. Cum vero hodiernus portus Romatius seu Romatinus, vulgo dictus Portus-Gruarius, vix duobus milliaribus distet ab excisa Concordia, quæ itidem ad Romatium fluvium sita est, per quem rectum ultro citroque iter; cum portus Plinii Romatinus ad ostium illius fluvii steterit per quod in æstuarium labitur, et portus olim fuerit Concordiensis civitatis; auxiliares episcopos Aquileienses in hac Venetiæ parte sitos, qui procul dubio totius regionis ab eodem fluvio peragratæ curam hinc inde gerebant, ad Romatium seu Romatinum portum sedisse probabile est, et probabilius fortasse ad Romatinum Plinii portum, quamdiu stetit, ante ipsius et Concordiensis civitatis eversionem, uti locum eorum fortasse vigilantiæ opportuniorem, et ita ab eodem loco Romatinos seu Romatianos episcopos communiter appellatos: quamvis postea, cum cathedralis ibidem sexto sæculo emersit proprii nominis atque jurisdictionis, suffraganei illi novi episcopi nomen assumpserint Concordiensium episcoporum ab urbe illius loci principe, quæ licet tunc excisa, et a propria dignitate delapsa, non ita tamen fortasse, sicuti hac nostra ætate, dejecta erat atque prostrata, ut spe aliqua splendoris pristini recuperandi non teneretur; et interim nomen satis celebre in fastis veteribus obtinebat, quod episcopali novæ cathedræ decorandæ dignius videretur. Hæc de prima probabili causa, cur Niceas seu Nicetas, episcopus Aquileiensis, dictus fuerit a Gennadio Romatianæ civitatis episcopus: nunc ad secundam.

124 CAPITIS SEXTI PARS ALTERA.

Secundo loco propositum erat ostendere Niceam seu Nicetam episcopum Aquileiensem ideo fortasse appellatum etiam fuisse Romatianæ civitatis episcopum, et ita a Gennadio quoque Massiliensi, cæterisque qui eumdem exscripserunt, inter scriptores ecclesiasticos nuncupatum; quia probabiliter ad portum Romatium seu Romatinum sederit non infrequenter, cum Aquileiensis Ecclesiæ clavum teneret. Id itaque probandum est fieri potuisse, atque a Nicea seu Niceta episcopo Aquileiensi probabiliter etiam factitatum, tum ex ecclesiastica illorum temporum disciplina, tum etiam ex historicis monumentis, quæ Aquileiæ tunc ac totius Venetiæ statum nobis exhibeant. Quid vero si nihil repugnet de eodem enuntiari, et auxiliarem prius fuisse episcopum Niceam seu Nicetam ad portum fortasse Plinii Romatinum pro episcopo Aquileiensi, et eumdem postea, episcopum factum Aquileiensis Ecclesiæ, in portu Romatino novo, seu potius in ejusdem nominis civitate, non infrequenter etiam diversatum? Confidentius itaque rem secundo loco propositam investigabimus, ut unicuique liceat, vel alterutram seligere, vel etiam utramque, si lubeat, amplexari. Quid autem si neutra placuerit? At dummodo non inde in dubium revocetur, Niceam seu Nicetam Gennadianum esse reapse Niceam seu Nicetam nostrum, episcopum Aquileiensem, pro quo hactenus dimicavimus; interim libenti animo super hac difficultate exspectabimus meliora. Nunc ad rem propositam accedendum.

Sententia eruditorum est, quam prolixe valideque propugnat Michael Antonius Frances in suo de Cathedralibus libro, capite 2, num. 37 et sequentibus, ad pacem usque a Constantino Magno Ecclesiæ datam, nullam in toto orbe Christiano ædem sacram exstitisse, quæ vere ac proprie cathedralis ecclesia dici posset, quæque veluti peculiaris episcopi sedes esset, ad distinctionem aliarum ecclesiarum, quæ inferioris ordinis censerentur ac dignitatis; cum omnibus, quæ tunc essent, ecclesiis, sive locis, pro sacris fidelium synaxibus peragendis, prout persecutionum tempora patiebantur, æque præesset episcopus, vel per se, vel per alios, quin ulla vere ac proprie dici posset ecclesia ac sedes episcopalis, uti posteriorum temporum politia ac consuetudine factum fuit. Præstat ipsum audire ita citato loco scribentem. « Firmissime judico, non ex eo præcise quod in aliqua urbe fuerit episcopus, et in ea aliqua fuerit ecclesia ædificata, ideo sequitur quod ipsa fuerit illius civitatis cathedralis, licet erecta sit ab illius loci episcopo..... Dubitari fas non est, prius fuisse in Ecclesia catholica episcopos, quam fuerint ecclesiæ cathedrales erectæ..... Constat, quod illis primis temporibus initio nascentis Ecclesiæ, episcopi in omnibus Ecclesiis erant, non tamquam in cathedralibus, cum cathedrales tunc temporis non essent..... Liquet ecclesias cathedrales moderniores fuisse, et multo post episcopatus, unde originem trahunt: nec rectam deduci argumentationem ab episcopatus erectione ad ecclesiam cathedralem eo tempore erectam, ante divisionem Ecclesiarum. » Hæc ex Michaele Antonio Frances delibata sunt, qui tamen fusius rem persequitur toto eo capite, et alibi quoque; ut confidenter etiam asseveret, ante pacem a Constantino Ecclesiæ datam, prorsus *nullam in rerum natura cathedralem fuisse.*

Hæc eadem de cathedralibus novissime **125** tradiderunt etiam eruditi monachi Benedictini congregationis Cisterciensis, auctores Italici operis Mediolani editi quatuor voluminibus in forma quarti, uti aiunt, cui titulus *Delle Antichita Longobardico-Milanesi*; ita enim habent dissertatione 31, num. 12: « Quanto affermar possiamo si è, che le chiese cattedrali ebber origine soltanto dopo incominciato il quarto secolo. I Cristiani avanti quest' epoca, durante la burrasca delle persecuzioni, hanno costumato per l'esercizio è il culto della religione adunarsi col loro vescovo e clero nei cimiteri, nelle grotte, ed in altri solinghi ritiri. Allorchè poi tornava la bonaccia, ciò eseguivano nelle case o in que' luoghi a tal fine deputati, che il nome di chiese e basiliche hanno sortito. Checchè dunque dicano in contrario molti e dotti, scrittori, ma troppo forse prevenuti della loro opinione, le cattedrali, le metropolitane, le distinzioni e le preminenze sono di data posteriore, ed effetti dir si denno della pace alla chiesa compartita dall' imperator Costantino: pacé che non ispuntò se non dopo l' incominciamento del quarto secolo. » Hæc illi. Cardinalis vero De Luca, de Præeminentiis, disc. 3, num. 15, ultra quoque progreditur, et cathedrales ecclesias, quoad usum saltem et accommodationem hujus appellationis, longe etiam post pacem a Constantino da-

tam invaluisse scribit; cum nempe, pluribus hac illac per diœceses ecclesiis ædificatis tum in urbibus tum in agris, divisisque plebibus, necesse fuit illam distinguere ecclesiam quæ veluti cæterarum mater fuisset, et ubi tandem episcopus pace favente sedem quodammodo sui regiminis collocasset. « Hoc nomen, ait ille, seu vocabulum *cathedralis*, longe post Ecclesiæ tranquillitatem usu haberi cœpit, quando parrochialibus, aliisque inferioribus ecclesiis per civitates et reliqua loca diœcesis constructis, contradistinguere oportuit illam ecclesiam matricem, quæ episcopi cathedra erat, et a qua reliquæ inferiores tamquam filiales normam acciperent, eique subjectionem profiterentur. » Cathedrales itaque Ecclesiæ, quoad rei veritatem atque substantiam, nonnisi, quarto sæculo inchoato, aut etiam jam adulto esse cœperunt, ac fortasse etiam tardius; et certe alibi citius, alibi serius originem habuere, pro locorum diversitate, ac pro vario celeritatis gradu quo res Ecclesiæ juxta opportunitatem circumstantiarum prospere se habere potuerunt: quoad nomenclaturam vero longe etiam tardius communiter innotuere in ecclesiastica politia.

Quorsum autem hæc de ecclesiis cathedralibus hactenus prænotata? Hæc nimirum ideo de cathedralibus ecclesiis dicta habeantur, ut quænam prioribus illis sæculis fuerit disciplina, etiam quoad loca ubi episcopi considerent, cognoscatur. Cathedrales enim ecclesiæ, et fixæ episcoporum sedes in civitatibus aut locis ubi cathedrales ecclesiæ essent constitutæ, pari ubique gradu processerunt, uti citato superius loco animadvertunt etiam Benedictini monachi, aientes: « Questa fu l' epoca, in cui cominciarono a stabilirsi nelle città le sedi vescovili, fissando il vescovo la dignità cattedrale a quella chiesa che scelta avesse a tal onore. » Si nulla porro cathedralis ecclesia ante pacem a Constantino datam, immo *si longe post Ecclesiæ tranquillitatem cathedralis* vocabulum usu haberi cœpit; nulla quoque fixa episcoporum sedes in civitatibus ante id tempus; et fortasse diu etiam post Ecclesiæ tranquillitatem sedes eorum fixæ in civitatibus esse cœperunt. Hinc vero sequitur, quod etiamsi major episcoporum pars a primis usque temporibus **126** nomen haberent præcipuæ civitatis illius provinciæ seu regionis ubi eorum episcopalis cura versaretur; non ideo in ea semper civitate, quasi in fixo ac stabili *residentiæ* loco, uti postea loquendi modus invaluit, commorarentur; sed in minoribus etiam locis, aut pro libito aut pro opportunitate, aut pro quadam prudenti œconomia, quandoque consisterent: atque ita quoque, ut non infrequenter postea dubitatio orta sit, cujus præcipue loci dicendus esset episcopus hic aut ille; nec non ut plurimi, non civitatum atque locorum, sed provinciarum aut populorum nomine, et dicerentur, et sese ipsimet appellarent atque subscriberent.

Abundat ecclesiastica historia hujusmodi exemplis. Eruditus Fogginius in suo opere de Romano divi Petri Itinere et Episcopatu, exercitatione 14, ubi de primis Florentinorum Apostolis, animadvertit quod sanctus ille Paulinus, unus ex Thusciæ apostolis, de quo disputant Thusci scriptores cujus ibidem proprii loci episcopus fuerit, « idem ille sit, ac Paulinus Lucensis episcopus, quem totius fere Thusciæ episcopum fuisse facile est credere, quamquam suæ solum urbis, in qua obiit, et forte, utpote opportuna aut frequentata magis, diutius degebat, episcopum faciant Lucenses. » En igitur, juxta Fogginium, episcopum totius fere Thusciæ, qui nullum in illa regione locum habebat, quem nos diceremus propriæ residentiæ, quamquam fortasse diutius Lucæ degeret; quique solummodo sequiori ætate Lucæ episcopus dictus fuit, quia ibidem diem clausit supremum. Exstat apud Eusebium, Hist. Eccles. libro VII, capite 26, epistola sancti Dionysii episcopi Alexandrini, inscripta *ad Basilidem Pentapolitanum episcopum*, seu ut Græca habent verba, *episcopum Parochiarum quæ per Pentapolim sunt*. Nulla hic certe loci mentio, ubi Basilides episcopus Pentapolitanæ regionis, quasi in suo ordinariæ residentiæ loco commoraretur, et a quo nomen episcopatus acciperet: quamquam hic probabiliter, non episcopus proprii juris in Pentapolitana regione, sed auxiliaris esset tantummodo pro episcopo Alexandrino, qui plenam obtinebat in eadem regione potestatem, uti superius admonuimus.

Ut vero ad posteriora etiam pacis tempora descendamus; in episcoporum subscriptionibus ad concilium Nicænum, quæ habentur tomo II Conciliorum Labbei, curis Coleti col. 55 et sequentibus, legitur *Joannes Persidis*, id est episcopus in Persarum regno, absque ullo peculiaris sedis ac residentiæ titulo in aliqua Persidis civitate. In subscriptionibus episcoporum ad concilium Constantinopolitanum generale II, apud eumdem Labbeum, ibidem, col. 1134, leguntur *Agapius* et *Bagadius* episcopi dicti *provinciæ Arabiæ*, similiter absque loci nomine ubi sedem episcopalem haberent. Inter episcopos concilii Chalcedonensis apud ipsum Labbeum Conciliorum tomo IV, ejusdem editionis col. 855, legitur *Joannes Sarracenorum gentis* episcopus, et similiter *Eustathius gentis Sarracenorum* episcopus, et uterque absque nomine alicujus sedis aut loci, qui veluti caput esset eorum episcopalis curæ. Hæc nunc sufficiant exempla ad rem quam agimus illustrandam; quod nempe priscis Ecclesiæ sæculis nullum episcopi in propriis diœcesibus haberent locum, qui, nostrorum temporum more, locus esset constantis eorum residentiæ, sicuti nullam habebant cathedralem ecclesiam proprie dictam; licet iidem, ut plurimum, nomen acciperent civitatis præcipuæ aut celebrioris loci sui episcopatus, uti etiam prima habemus exempla Ecclesiarum Asiæ episcoporum in libro Apocalypseos, necnon et aliorum in Actibus apostolicis, ac in divi Pauli Epistolis.

127 Prima fortasse quæ in ecclesiasticis monumentis mentio appareat ecclesiarum cathedralium, et episcopalis mansionis, seu uti loquimur residentiæ, apud easdem, ad Ecclesiam attinet Africanam, et annum attingit 398, quo duo celebrata fuere Carthaginensia concilia sub Aurelio Carthaginensi episcopo, quibus etiam interfuit Augustinus. In horum porro priori apud Labbeum, curis Coleti, tomo II, col. 1458, ita canone XIV statuebatur: « Ut episcopus non longe ab Ecclesia hospitiolum habeat. » In subsequenti vero, ibidem, col. 1455, ita canone 5 decretum fuit: « Placuit, ut nemini sit facultas, relicta principali cathedra, ad aliquam Ecclesiam in diœcesi constitutam se conferre, vel in re propria diutius quam oportet constitutum, curam vel frequentationem propriæ cathedræ negligere. » Hi duo itaque canones Africanæ Ecclesiæ anni 398, qui nobis exhibent præceptum episcopis datum habendi *hospitium* suum, hoc est domum habitationis, *non longe ab ecclesia*, necnon denominationem *cathedræ principalis* ac *cathedræ propriæ*, ad indicandam ecclesiam diœcesis præcipuam apud quam manere debuissent, discrimine facto ab aliis sacris ædibus minoribus quæ in diœcesi essent; quique simul testantur pristinam episcoporum libertatem permanendi quocumque vellent loco in propria diœcesi, ac transeundi quoque ad quamcumque libuisset diœcesis Ecclesiam: hi canones, inquam, epocham quoque signant quarti labentis sæculi, quo cathedralium ecclesiarum mentio cœpit in ecclesiastica politia, et quo simul episcopis lex ferebatur mansionem stabilem faciendi, hoc est residentiam statuendi, apud easdem.

Quamquam vero vetus unius Ecclesiæ sæculi aut unius ætatis disciplina nequeat confundi cum alia alterius sæculi aut ætatis, licet proxime sese contingant; quoniam error esset vetusta sæcula generatim accipere sub unico aspectu, et nullo facto discrimine alterius ad alterum, nullaque habita ratione variationum quæ in iisdem identidem occurrerunt: eadem quoque disciplina quæ illius sæculi aut illius ætatis nomen obtinet, non ita illius sæculi aut ætatis propria est, ut aliquo modo non etiam et sæculum et ætatem

attingat quæ jam proxime præcesserunt, ac simul etiam non sese protendat ad sæculum et ætatem quæ proxime subsequuntur; atque error propterea pariter esset, aut certam Ecclesiæ disciplinam quæ quodam sæculo aut quadam ætate prævaluit, circumscribere velle, eamque veluti coarctare chronologicæ durationi ejusdem sæculi sive ætatis; aut etiam nolle animadvertere, variationem disciplinæ quæ tali sæculo aut ætati tribuitur, alibi citius contigisse, alibi serius sicut antea innuebamus, alibi integre pleneque, alibi quoque non sine aliqua exceptione quæ disciplinam quodammodo unius sæculi aut ætatis cum altera recens inducta componeret ac misceret. Hæc dixisse juvet, ut pateat amplissimum esse conjecturis locum ad ea quæ diximus, seu de cathedralium institutione post Ecclesiæ pacem, seu de more consequenter non ante id temporis in Ecclesia inducto, ut apud cathedrales ecclesias, in primariis diœceseon civitatibus plerumque constitutas, episcopi sedem suam stabilem ponerent. Quid igitur si dicamus etiam Aquileienses episcopos sero tandem in Aquileiensi civitate sedem stabilem collocasse, ut ab eadem absque loci diversitate universim nomen acciperent; et interim potuisse quandoque ab aliquibus non improprie appellari etiam Romatinæ seu Romatianæ civitatis episcopos, a loco ubi non infrequenter iidem consisterent, cathedrali ecclesia vere ac proprie dicta nullibi adhuc constituta ?

Non dixerim sane Aquileiensem civitatem, amplitudine loci populique **128** frequentia illustrem, sacra æde sub episcopis Nicetæ antecessoribus caruisse; sicuti neque domo aut domibus ecclesiasticis caruit, ubi et episcopus degeret cum ibidem commoraretur, et clericorum cœtus, quem cum episcopo esse decet. Quæ superius dicta sunt de monasterio virorum quod Aquileiæ erat, necnon de monasterio virginali, abunde probant sacram ædem Aquileiæ jam pridem exstitisse, in qua et cœtus coiret Christianorum, et solemnia ecclesiastica haberentur, et episcopus sacra faceret. Præterea ex divo Athanasio in Apologia ad Constantium imperatorem, num. 3 ac 15, intelliginus, Fortunatiani episcopi tempore, cujus ille hospes fuerat Aquileiæ, ædem sacram ibidem de novo exstrui cœptam, et quidem, ut inde conjicimus, in alterius antiquioris locum, quæ jam tunc multitudini non sufficeret; atque in eadem, quamvis nondum absoluta, sed quia forsitan diruta erat vetus ut nova amplior ibidem exsurgeret; in eadem, inquam, habitam fuisse collectam, cui ipse quoque Athanasius interfuit, et Augustus Constans prædicti Constantii frater tunc Aquileiæ et ipse degens : quod ad annum pertinet 348, uti apud De Rubeis in Monumentis, capite 6, num. 5. In concilio quoque Aquileiæ habito anno 381, sub Valeriano episcopo, Fortunatiani successore, quod superius expendebamus, Ecclesia Aquileiensis civitatis nominatur, in qua 32 episcopi ejusdem concilii Patres consederunt; quæ propterea eadem ipsa censenda est, quæ Fortunatiani tempore Athanasio teste exstruebatur, quæque unica fortasse in ea civitate tunc erat, quia nulla distinctionis nota ibidem signatur. Digna sane illa sacra ædes fuit, quæ princeps haberetur in universa Aquileiensi diœcesi, tum ob civitatis splendorem, tum etiam procul dubio ob structuræ majestatem, quæ amplitudini ac dignitati urbis impar non fuerit, multoque magis ob concilii in ea habiti præstantiam, quod, etsi non generale, generalis certe loco censeri potest, et celebritatem maximam inde accepit, quod summi Occidentalis Ecclesiæ proceres eminentesque tum sanctitate tum doctrina viri in eo convenerint. Hoc tamen satis non est, ut Ecclesia illa, more nostrarum, cathedralis habenda esset; neque ut civitas Aquileiensis ita stabilis ea tempestate jam evaserit residentiæ locus Aquileiensium episcoporum, ut liberum ipsis non foret, aut pro libito, aut pro opportunitate, aut etiam pro vicissitudinum ratione, alibi etiam libere commorari, aliisque uti sacris ædibus, quæ jam tunc in minoribus etiam civitatibus, necnon in pagis ac villis populosioribus, non infrequentes essent.

Affuerunt vero Aquileiensibus episcopis, et quidem sæpe sæpius, et plane dixerim plusquam cæteris episcopis totius Italiæ; affuerunt, inquam, causæ cur ab Aquileiensi civitate sese subducerent, et pacatiora ac securiora quærerent alibi domicilia in amplissimæ propriæ diœcesis finibus. Ut ut porro concedamus Aquileienses episcopos ad Valerianum usque, Aquileiæ potissimum consedisse; post Valerianum, dicere ausim, Aquileienses episcopos Nicetæ nostri antecessores, non Aquileiæ potissimum, sed alibi frequentius quam Aquileiæ, commoratos fuisse. Primus post Valerianum Chromatius fuit; qui anno 388, eodem ipso quo Valerianus decessit, ordinatus Aquileiæ perhibetur a divo Ambrosio episcopo Mediolanensi, juxta morem duarum illarum Ecclesiarum, ut sese invicem earumdem antistites ordinarent, in civitate nimirum et ecclesia illius qui esset ordinandus. Novimus vero ex Historiis, ac Muratorius refert in Annalibus Italiæ, eodem ipso anno Aquileiensem civitatem obsidionem passam fuisse ab exercitu Theodosii Magni Augusti, qui tyrannum **129** Maximum insectabatur Aquileiam ingressum cum copiis suis, ut ibi se tueretur post acceptas clades in præliis antea commissis. Incertum quidem an ante vel post Chromatii ordinationem hæc obsidio Aquileiæ contigerit : certum tamen obsidionem hanc brevem fuisse, Theodosium urbem ingressum, captum Maximum, ac tertio ab urbe lapide imperatoris sententia capite obtruncatum, mense Julio aut Augusto ejusdem anni, ut varie tradunt historici. Cum post Maximum, Valentiniano principe enecato, tyrannidem arripuisset Eugenius, idem Theodosius ex Oriente iterum per Illyricum anno 394 in Italiam veniens cum magna militum copia, Juliarum Alpium munitas ab hoste vias sibi aperuit, atque ad Aquileiensem agrum pervenit, ubi ingens Eugenii exercitus situs erat. Ibi igitur commissum prælium fuit, quod exitium et mortem novo tyranno, novam ac plenam Theodosio victoriam attulit, qui proximam Aquileiensem urbem ingressus, ibi etiam a divo Ambrosio, qui data opera Mediolano Aquileiam venit, salutatus fuit. En igitur Aquileiensem agrum, non amplius quam sex annorum spatio, ingenti militum copia bis exundantem; bisque ibi ita pugnatum adversis aciebus, ut non minus quam de Occidentali imperio inter legitimum principem et usurpatores duos actum fuerit. Verum non ita multo post, anno scilicet 400, atque ab Eugenii internecione sexto, majoribus iterum Aquileiensis regio infortuniis fuit obnoxia. Quis enim ignorat primam illam Gothorum Alarico duce Italiæ invasionem, quæ tunc non tam dominii acquirendi, quam abducendæ prædæ causa facta fuit? Patuit vero omnium primus Aquileiensis ager Barbarorum faucibus voracissimis, quos propterea nihil omisisse credendum est, ut, cum Aquileiensium rerum jactura, jamdiu conceptam rerum omnium cupiditatem explerent. Quid porro in his angustiis Chromatius episcopus? Nil certe mirum ab Aquileiensi civitate et agro illum et semel et bis etiam secessisse; atque secunda præcipue hac vice moram etiam diuturnionem eo loci protraxisse, quem sibi prætulerit incolendum; ac ita etiam, ut ejus loci episcopus, potius quam civitatis Aquileiensis, quodammodo videretur. Romatium vero portum seu Romatinum ad fluvium ejusdem nominis, locum reapse fuisse secessioni Chromatii tunc temporis opportunum, sive illius portus nomine locum intelligamus qui nunc Portus-Gruarius supra Concordiam, sive alium post Concordiam, a Plinio memoratum, ad fluvii ejusdem ostium, unde in æstuarium labitur, quod probabilius quoque videtur; locum hunc, inquam, secessioni Chromatii opportunum fuisse, tum ad bellicas Romanorum turbas vitandas, tum ad Barbarorum fugiendos incursus, facile quisque, ni fallor, intellexerit, qui Romanas vias tunc celebres noverit, maxime vero illam, sive Flaminiam dixeris, sive Postumiam, quæ ab Aquileia per

Venetiam atque Æmiliam ad primas Italiæ urbes, ac demum ad ipsam orbis metropolim ducebat; et a qua, tum Romatius seu Romatinus portus, tum fluvius, ad lævam ejusdem viæ ab Aquileia venientibus, quasi ignotus aut minus certe a Barbaris tunc alio tendentibus expetitus, distabat. Videatur tabula Italiæ antiquæ, quam edidit Muratorius in fronte tomi primi Scriptorum Rerum Italiacarum; necnon alia Venetiæ superioris et inferioris, sive terrestris et maritimæ, quam edidit Filiasius tomo III suarum *Memorie storiche de' Veneti primi e secundi*. Inde igitur probabiliter etiam Chromatius episcopus Aquileiensis, non Romanus quidem, uti animadvertebat ipse quoque De Rubeis, sed Romatinus, aut Romatianus episcopus dictus fuit.

Anno 407, aut 408, mortalem vitam **130** cum cœlesti gloria Chromatius commutavit. Alaricus vero Gothorum dux, rebus ut videtur ad modicum saltem cum Honorio Augusto compositis, in Norico consistebat; Aquileiensium tamen finibus incumbens, et novam Italiæ inhians ruinam. Brevi desiderii compos efficitur : nam eodem ipso anno in Italiam descendens, Aquileiensem agrum iterum terrore concussit; licet Aquileiam, cæterasque Venetiæ urbes tunc præterierit, ut recto itinere Romam peteret, quam demum anno sequenti 409, aut, ut aliis visum, 410, fame prius oppressam, cepit, crudeliterque depopulavit. Successerat interim Chromatio Augustinus, cujus episcopatus anni varie in Catalogis et in Chronicis exhibentur. Augustino deinde successit Adelphus, Adelpho Januarius, Januario Maximus, Maximo Secundus, Secundo denique noster Nicetas, ut apud De Rubeis in Monumentis apparet. Augustino vero sedente, refert Dandulus in Chronico, libro v, capite 1, parte XII, quod « urbis Aquileiæ proceres ad *Aquas* veniunt *Gradatas;* et in littore castellum spectabile construxerunt, quod ab aquarum nomine *Gradus* appellatur. » Hoc sibi perfugium Aquileienses optimates condiderunt non procul a patriis laribus adversus Barbaborum incursus, quibus fere semper omnium primus Aquileiensis ager patebat. Perseveravit igitur, etiam post Chromatium, Aquileiensibus episcopis secessionis occasio et necessitas ad loca tuta atque pacata; ita ut facile conjicere possimus, etiam Chromatii successores non infrequenter extra Aquileiensem civitatem diversatos fuisse, ac probabiliter ad eumdem portum Romatinum in interno æstuarii Concordiensis littore situm ad Romatini fluvii ostium. Nec interim defuerunt Aquileiensibus, præter extranea Barbarorum, etiam domestica, ut ita dicam, incommoda, quæ episcopis Aquileiensibus secedendi causas identidem ministrarent. Cum enim, Honorio Augusto defuncto, Occidentale imperium arripuisset tyrannus Joannes, atque propterea ad eumdem depellendum castra ex Oriente movisset Theodosius Junior imperator, iterum Aquileiensis ager, anno circiter 424 aut 425, militaribus copiis exundavit; atque Aquileia ipsa, quæ Joanni invasori parebat, obsessa et capta, in Theodosii potestatem redivit, ubi etiam paulo post idem Joannes meritas rebellionis pœnas persolvit.

Sed jam ad potissimam causam, quam secedendi ab Aquileiensi civitate et agro habuit Aquileiensis episcopus, proximus Nicetæ decessor, Secundus, anno 452, accedamus oportet. Is nempe est annus, quo famigeratus ille Hunnorum rex Attila, *in concussionem gentium natus*, uti aiebat Jornandes seu Jordanus, et *flagellum Dei* merito nuncupatus, ex Pannonia in Italiam erupit cum immensa Barbarorum multitudine; atque Aquileiensem agrum primo impetu invasit, Aquileiamque dira obsidione vexatam, demum cepit, expilavit, incendit, indeque progrediens, abductisque captivis, eamdem intulit cladem Concordiæ, Altino, ac cæteris Venetiæ civitatibus, quarum primæ numquam postea ad pristinam dignitatem surgere potuerunt. Quid Secundus Aquileiensis episcopus in his rerum angustiis egerit, ubi fuerit, quo confugerit, omnino incertum. Secedendi tamen ab Aquileiensi civitate et agro, hanc fuisse Secundo episcopo occasionem ac necessitatem omnium maximam, nemo negaverit : quin etiam, non secedendi modo, sed alibi quoque longe ab Aquileiensi civitate et agro diutius permanendi. Portus vero Plinii Romatinus, ad ostium fluvii neque ita procul a Concordia situs, tutus refugii locus esse non poterat, ob ingentem Barbarorum multitudinem, qui in Concordiæ civitatis excidio nequaquam putandi sunt reliquisse immunem portum **131** ejusdem ad Romatium fluvium situm, ubi multa proculdubio necesse erat congesta fuisse ex mercibus omnis generis undequaque advectis, quæ eorum prædandi cupiditatem incitarent. Quinimmo portum ipsum Romatinum ad ostium fluvii situm, eamdem tunc subiisse cum Concordia, cujus erat portus, fortunam, et ita, ut aquis demum, nemine cohibente, libere exundantibus penitus interiret, ac veluti evanesceret, sicut aliis etiam contigit clarissimis olim locis ac civitatibus prope aquas sitis, verosimillimum esse videtur. Tantam Aquileiensis provinciæ cladem, ac tantarum civitatum excidium luxit proculdubio episcopus Secundus, ac demum anno 454, ut scribit Dandulus apud De Rubeis, mœrore fortasse plusquam ætate confectus, naturæ concessit.

Eodem ipso anno pro secundo Nicetas noster Aquileiensium episcopus renuntiatus perhibetur. Sed quid tunc Aquileiensis civitas, adhuc, ut ita dicam, incendiis fumans, suorumque civium sanguine madens habitatoribus orbata, et ab omni decoris pristini majestate delapsa? Saltem primis propterea Aquileiensis episcopatus sui annis, non immerito conjectandum, Nicetam nostrum, non quidem in Aquileiensi civitate, sed potius alibi moram traxisse, ubi major perterriti paventisque populi, qui Barbarorum servitutem evitasset, copia confluxerit. Neque tunc insulæ in æstuariis positæ, tam subito abundare incolatibus ac populo potuerunt, ut ibi sedem ponere Aquileiensis episcopus facile posset, aut duceret expedire; neque Gradense castellum sub Augustino episcopo conditum, ex Dandulo, uti vidimus, et munimini temporaneo potius quam stabili incolatui accommodatum, tale erat, quod sustinendæ multitudini satis esset. Novus vero Romatinus portus, qui Gruarius dictus fuit, et citra Concordiam positus, jam tunc fortasse, pro fluvii ac loci opportunitate, cœperat et populo et opibus abundare, et quamdam novæ civitatis speciem exhibere, quæ Aquileiæ atque Concordiæ vicem veluti gereret. Quidni igitur, a primo capessiti episcopatus Aquileiensis tempore, in hoc portu Romatino sedem veluti fixerit Nicetas Aquileiensis episcopus, donec Aquileiensis civitas, statu rerum in meliora converso, saltem aliquatenus convalesceret; et exinde dictus interim fuerit episcopus civitatis Romatianæ, et ita etiam a Gennadio appellatus? Jam vero civitatis etiam nomen, potius quam portus, loco illi ad Romatium seu Romatinum fluvium sito, Nicetæ ac Gennadii tempore conveniebat, atque ideo Romatianam illam dixit Gennadius ipse civitatem; civitatem nempe, quia ad instar novæ civitatis post Concordiam dirutam consurgebat; Romatianam vero, quia a Romatiano flumine alluebatur. Quidni etiam ad novum hunc portum Romatinum, seu civitatem Romatianam, sæpe diverterit Nicetas, etiam postquam Aquileiensis civitas aliquantisper e propriis ruinis extulerat caput; ad locum nempe, qui in dies cresceret, et frequentem ac multam præberet operandi materiam episcopo diœcesis; et inde quoque ea Romatianæ civitatis episcopi appellatio in Niceta nostro percrebuerit?

Ut vero, quod de Niceta Aquileiensi ex illorum temporum vicissitudine, et ex Aquileiensis civitatis jactura non invite conjectamus, etiam exemplo aliquo tum ejusdem tum subsequentis ætatis illustretur, Mediolanensis Ecclesia præsto est Aquileiensi affinis, cujus civitas ex Attilana feritate idem subiit cum Aquileia fatum, licet non ita exitiale, utpote quæ, toto pene populo salvo ac sospite, post ruinas atque

incendia cito potuit ad dignitatem pristinam revocari. Eusebius nempe sanctissimus tunc illius civitatis episcopus, audita Aquileiensium clade, **132** et appropinquantem videns etiam Insubriæ seu Liguriæ superioris civitatibus Hunnorum exercitum, Mediolano egressus cum clero ac populo, ad montana loca hostibus aut incognita aut impervia se recepit, ibique substitit, donec barbarus dux eloquentia victus sancti Leonis papæ, Italia relicta, ad patrias in Pannoniam sedes remeavit. Videri potest hac super re clarissimus Oltrocchius in recenti opere, cui titulus : *Ecclesiæ Mediolanensis Historia Ligustica*, libro III, capite 1 ; et digna sane est quæ legatur Homilia quædam sancti Maximi episcopi Taurinensis, quam habuit Mediolani coram Eusebio ipso, occasione peractæ reparationis illius templi, quod Attilano incendio una cum aliis civium ædibus conflagraverat ; quæ homilia integra primum prodiit in Romana sancti Maximi Operum splendidissima editione 1784, ubi est ordine 94. Eusebius quidem Mediolanensis, licet aliquando Mediolano profugus, numquam alio quam Mediolanensis episcopi titulo appellatus fuit : verum neque secus appellari poterat, qui jam ante Attilanam cladem Mediolanensium esset episcopus, qui post brevem emigrationem Mediolanum regressus cum clero ac populo totus reparandæ ædi sacræ ac urbi restituendæ ibidem incubuit ; quique numquam alio divertendi occasionem habuit aut necessitatem ad annum usque 462, quo ad superos evolavit, juxta chronologicam synopsim episcoporum illius Ecclesiæ quæ exstat in fine Oltrocchiani operis indicati. Eadem sane, quæ episcopo Aquileiensi fuit etiam Mediolanensi occasio secedendi ab urbe suarum provinciarum principe : sed longe alia exstitit Aquileiensis civitatis conditio in eadem æruinna, ut propterea episcopus Aquileiensis Nicetas, qui secundo succedebat fere proxime post illius civitatis excidium, alibi fortasse debuerit potius quam Aquileiæ episcopatum auspicari, alibi etiam frequentius diversari, et probabiliter ad novum portum Romatinum, unde, ex diutino aut sæpius repetito incolatu, appellationem episcopi Romatianæ civitatis acciperet.

Ipsa Mediolanensis Ecclesia aliud nobis exhibet exemplum, et singulare quidem ac valde allato insignius, quod attinet ad alteram sexti sæculi partem, et Longobardorum respicit in Italiam irruptionem. Hæc siquidem gens, cum ad morum ac indolis nativam feritatem adderet tum ethnicæ superstitionis labem, tum Ariani erroris professionem (quæ duo utraque vetus odium in Christianos et catholicos perurgebant), totam metu concussit Italiam, cum hæc Alpibus appropinquantem intellexit, non tam eorum exercitum, quam integram pene nationem, novarum in sinu suo sedium appetendarum cupidam. Scribit Paulus diaconus de Gestis Langobardorum, l. II, c. 10, Aquileiensem episcopum tunc temporis Paulum, seu Paulinum, pavore perculsum, Aquileiensem civitatem deseruisse, et in Gradum insulam se recepisse cum thesauris Ecclesiæ suæ, ut novorum hospitum primos occursus, seu potius novorum hostium primos impetus declinaret : quod et ab aliis quoque episcopis factitatum novimus, quibus evadendi opportunitas non deesset. Singulare vero Mediolanensis tunc episcopi sancti Honorati, in illis rerum angustiis illud perhibetur ; quod una cum clero majori Ecclesiæ suæ Mediolano discedens, totamque relinquens propriam diœcesim, ad oram Liguriæ maritimam descendit, Genuamque ingressus, ibi sedem fixit, ubi non modo eodem vivente, sed etiam in aliquot successoribus suis per annos 70 et amplius continenter perduravit ; qui successores etiam, tum Mediolanensis, tum simul ipsius Genuensis Ecclesiæ episcopi fuisse creduntur, cum nullius peculiaris Genuensis episcopi **133** tunc temporis constituti exstet memoria. Idem Oltrocchius citato opere ac loco rem totam aperit, multa eruditionis ac diligentiæ laude. Quod itaque episcopis Mediolanensibus contigit altero post A Nicetam sæculo, ut a propria sede, causis ita exigentibus, longo tempore extorres, episcopi quidem essent Mediolanensis Ecclesiæ, sed simul etiam episcopi essent ac dicerentur Ecclesiæ Genuensis, ubi sedem fixerant ; quid mirum factum fuisse etiam in Niceta, ut Aquileiensis, et ipse episcopus, nihilominus nuncuparetur episcopus civitatis Romatianæ, a loco ubi fortasse post Aquileiensis civitatis jacturam episcopatum fuerat auspicatus, et ubi sederit non infrequenter ? Hoc inter utrumque discrimen adest ; quod Mediolanensis episcopus Genuæ sedens, et Genuensem etiam regens Ecclesiam, duarum distinctarum Ecclesiarum episcopus erat, quæ tunc propter rerum adjuncta sub uno præsule unitæ, cessante postea unionis causa, proprium singulæ episcopum uti antea, receperunt : Aquileiensis vero episcopus Niceas seu Nicetas, etiam in portu Romatino sive Gruario non infrequenter degens, et inde Romatianæ civitatis episcopi nuncupationem obtinens, ejusdem propriæ Aquileiensis diœcesis unice erat episcopus, ad quam B etiam Romatinus portus tunc pertinebat, nondum scilicet suffraganea Concordiensi peculiari Ecclesia ac diœcesi constituta ex parte avulsa ab Aquileiensi Ecclesia matre.

Verum Concordiensis hujusce diœcesis meminisse non possumus, quin ex ea novum aliud exemplum sumamus, et quidem nostro tempore vigens, et sub omnium oculis atque auribus positum, ut magis magisque confirmetur quod de Niceta Aquileiensi conjectamus. Concordiensis civitas, clarissima olim atque celebrata Romanorum colonia, paucis nunc ædibus, paucisque habitatoribus constat, uti jam supra monuimus : et quamvis cathedralem ædem habeat multa ac venerabili antiquitate insignem, necnon vetus episcopium prope eam situm, episcopum tamen suum nonnisi statis paucisque per annum, non diebus quidem, sed horis tantummodo videt ; qui propterea permanentem ac fixam sedem habet in proxima civitate Portus-Gruarii, ubi alia adest sacra ædes C quæ cathedralis locum tenet, aliudque episcopium cum curia episcopali ac seminario clericorum, et ubi presbyterium episcopale consistit. Hujus diœcesis episcopus, Concordiensis semper episcopus in Actis publicis appellatur, prout reapse est ; at frequentior, immo communis loquendi usus, tum intra diœcesim ipsam, tum extra in finitimis populis eumdem semper dicit episcopum Portus-Gruarii, a loco nimirum ubi permanenter sedet, et unde in diœcesim universam episcopalis illius cura dimanat. Simili prope modo contingere potuit Nicetæ nostro Aquileiensi, qui, quamvis Aquileiensis sane episcopus, diceretur nihilominus etiam episcopus civitatis Romatianæ, a loco nempe ubi non infrequenter sederit post Aquileiæ excidium ; et ita prorsus, ut velut episcopus civitatis hujus Romatianæ innotuerit Gennadio, scriptori procul ab Aquileiensi provincia posito, qui propterea multa scriberet etiam prout vulgi fama ferebat, et tunc maxime cum Aquileiæ antiqua celebritas desiisset.

D Præter allatum autem Concordiense exemplum, eadem ipsa Aquileiensis Ecclesia præsto est consimili facto, quod præterire non licet. Constat Aquileienses antistites, diu sedem stabilem in civitate Fori-Julii tenuisse, octavo præsertim sæculo atque nono, prout De Rubeis in Monumentis ostendit capite 36. Quid vero si ex Forojuliensi Aquileiensium antistitum domicilio, et ipsi quandoque episcopi Forojulienses, potius quam **134** Aquileienses, dicti fuerint ; et Aquileiensis Ecclesia denominationem acceperit Ecclesiæ Forojuliensis ? Ita porro factum fuisse novimus : nam Gregorius papa II, in quadam sua epistola ad Donatum Gradensem antistitem, et Marcellum ducem Venetiarum, quam refert Baronius ad annum Christi 729, num. 4, licet aliquot annis anterior esse debeat, ut idem De Rubeis citato loco evincit ; Gregorius, inquam, papa II, Aquileiensem episcopum, seu patriarcham, illius temporis, Serenum

nomine, qui in civitate Fori-Julii degebat, Forojuliensem antistitem nominat : et Carolus Magnus, qui in suis Testamentariis tabulis anni 811, ab Eginardo in ejus Vita relatis, capite 33, eleemosynarum beneficio cumulavit ex Thesauro proprio, unam supra viginti metropolitanas ecclesias regni sui ; Carolus, inquam, Magnus in tabulis illis, nulla facta Aquileiæ mentione, Forum-Julium pro Aquileia nominavit ; quod scilicet in civitate Fori-Julii Aquileienses metropolitæ etiam tunc residerent. Adeatur super hac re prælaudatus De Rubeis in Monumentis, capite 46 num. 1, et in dissertationibus Variæ Eruditionis, capite 20 num. 3. Si igitur ex Forojuliensi episcoporum Aquileiensium domicilio, sæculi octavi ac ineuntis noni, Forojulienses antistites eo tempore iidem dicti fuere, atque Aquileiensis eorum Ecclesia sub Fori-Julii nomine indicata ; quid mirum quod sæculo quinto etiam Niceas seu Nicetas, Aquileiensis pariter antistes, ex mansione aliquando probabiliter habita in novo portu Romatino, seu potius Civitate Romatiana, episcopus civitatis Romatianæ vulgo dici potuerit, et ita quoque a Gennadio aliisque post eum scriptoribus nuncupari? Sed hæc jam satis, ad id quod erat hac sexti capitis parte altera inquirendum.

Unum hic addere juvat ex dictis hactenus tum in priori tum in altera hujus capitis parte : nimirum minime improbabile esse, Niceam seu Nicetam episcopum Aquileiensem, et Auxiliarem prius fuisse episcopum pro antecessore suo Secundo, seu etiam pro alio Aquileiensi episcopo ante Secundum, ad portum Romatinum, qui Romatinus portus idem ille fuerit a Plinio indicatus, et ad ostium Romatini fluvii situs ; et eumdem postea, post Secundi mortem ad Aquileiensem Ecclesiam regendam assumptum, ad portum Romatinum non infrequenter etiam sedisse, qui portus tunc novus ille fuerit ad eumdem Romatinum fluvium situs, et cis Concordiam positus, quique propterea communiter tunc, ideoque etiam a Gennadio, non portus quidem, sed potius civitas Romatiana convenientiori vocabulo appellatus fuerit. In re tam dissita atque obscura satis damus, dum probabilia afferimus ; hæc autem probabilia satis superque sunt, ubi quod præcipuum erat disputationis in tuto est positum : quod in præcedentibus capitibus factum fuisse confidimus.

CAPUT VII.

Clarissimi Zabei, contra Aquileiensem Niceæ seu Nicetæ Gennadiani episcopatum, momentis fit satis. Occurritur quoque auctoritati et animadversionibus clarissimi viri Michaelis Denis.

Post assertum in præcedentibus capitibus Aquileiensem Niceæ seu Nicetæ Gennadiani episcopatum, qui scopus est præcipuus hujus nostræ disputationis ; post expensam atque explanatam difficultatem Romatianæ civitatis, **135** quæ causa fuit potissima cur in aliam iret sententiam clarissimus Zabeus, ut eumdem Niceam seu Nicetam, non Aquileiensem, sed Dacum esse contenderet cum viris eruditissimis superioris ætatis, quibus tamen compertum non fuit illius opusculum nuper detectum de *Symbolo ad competentes*, in quo idem Nicetas Aquileiensis episcopus exhibetur, et ex quo in primis Dacum illum non fuisse deprehendimus ; ordo postulat, et rei gravitas ipsa requirit, ut ea quoque momenta expendamus, quæ adversus hujus Niceæ seu Nicetæ Aquileiensem episcopatum ab ipso Zabeo in sua dissertatione eidem opusculo anteposita prolata sunt. Dissertationem suam tribuit Zabeus in partes duas ; in quarum prima ea congerit quæ *externa sunt*, ut ipse ait, ad suam fulciendam opinionem ; in altera vero *penitiora* scrutatur, ex ipso nimirum *Explanationis Symboli* opusculo ea colligens, quæ parentem suum, non Aquileiensem, sed Dacum ostenderent, ex illius sententia. Multa jam ex utraque dissertationis parte Zabei momenta, et præcipua sane, incipientes ab ipso secundo A capite lucubrationis hujus, hactenus confutavimus ; ut cuilibet patere arbitramur qui hæc nostra non ægre penitus lectitaverit : nonnulla impugnavimus ex professo, pleraque vero prout hinc inde occurrebant viam nobis veluti præcludentia, quam aperire oportebat ut suo cursu libera flueret disputatio. Aliqua nihilominus restant, et maxime in altera dissertationis parte clarissimi viri, quæ, ad integram sententiæ nostræ confirmationem, peculiarem animadversionem requirunt. Ea itaque huic septimo capiti materiam dabunt ; in cujus fine illis etiam locus erit, quæ eruditissimum Vindobonensis bibliothecæ præfectum auctorem habent.

Cum omnia pene *externa*, quæ in priori parte dissertationis Zabei exhibentur pro Niceta Daco et contra Nicetam Aquileiensem, seu petita ex distinctione duarum civitatum, Aquileiensis atque Romatianæ, seu ex Romatiana in Dacia sita cis Danubium, seu etiam ex testimoniis eruditorum virorum qui Romatianensem Gennadii Niceam seu Nicetam asseruerunt B illum fuisse qui divi Paulini Nolani episcopi amicitia claruit, ac propterea ab Aquileiensi nostro et loco et ætate distinctum ; cum hæc omnia, inquam, in præcedentibus capitibus soluta atque explanata jam fuerint, exordium ducimus hujus septimi capitis ab ea Zabei animadversione, quæ prima est in dissertationis suæ altera parte sub numero 1, ideoque prima ex illis *penitioribus* rebus, unde opinionem suam nititur confirmare. Romatianus Gennadii Nicetas, inquit Zabeus, librum scripsit *de erroribus gentilitatis*. Deinde hæc addit : « Immo de illo errore verba fecit, qui nonnisi apud barbaras et efferatas gentes locum habere poterat. Sic enim legimus (in Gennadio) : *Secundus* (liber) *de gentilitatis Erroribus, in quo dicit* (Nicetas) *suo pene tempore Melodium quemdam patremfamilias ob liberalitatem, et Gadarium rusticum ob fortitudinem ab ethnicis esse inter deos translatos.* Jam vero quid opus erat ea prædicari Aquileiæ, ubi a tempore divi Marci evangelistæ idolorum templa dirui cœperunt, et idola ipsa a profanis aris everti? C Reliquiæ forte aliquæ gentilitatis et sæculo quinto ibi supererant ; sed paucissimæ certe, neque tales, in quibus serpere stolida hæc opinio posset, qua crederetur fortitudinem corporis esse causam cur quis ex homine fieret deus. Aquileiam enim cum nominamus iis temporibus, de illa urbe loquimur quæ inter Italiæ urbes post Romam cultissima fuit, quæ scientiis litterisque florebat, et magnorum **136** virorum prædicatione qualibet in ætate fuerat erudita. Præcesserat Nicetæ Aquileiensi Rufinus... Rufinus autem et ipse Symbolum explicavit, ut notum eruditis omnibus est... Jam vero Rufinus ita loquitur de Dei veri unitate, et existentia, ut vel silens moneat sua in regione et suo tempore gentilitatem non eguisse diligenti impugnatione. Anne dicemus eam annorum decursu virium accessionem fuisse nactam, et sedente Niceta adolevisse? Verum hoc adversatur historiæ. Tres enim ad episcopos Aquileienses supersunt divi Leonis Magni epistolæ, quarum postrema est ad D beatum Nicetam, ex quibus docemur presbyteros in illis regionibus exstitisse non paucos, et religionem Christianam multo ibi in honore fuisse. Aderant insuper Aquileiæ monasteria, in quibus viri doctrina et pietate insignes morabantur, et voce atque scriptis Christianitatis incolumitati atque incremento consulebant... In tanta itaque lucis et eruditionis amplitudine, quomodo credi potest ignorantiam adeo triumphasse, ut homines plures adduceret ad ea credenda quæ in secundo sancti Niceæ libro confutantur? Adeo parum quinque sæculorum decursu Christianam religionem a divo Marco prædicatam profecisse dicemus? » Hactenus Zabeus in prima sua animadversione, ducta ex *penitioribus* hujus argumenti indiciis, contra Aquileiensem Niceæ seu Nicetæ Gennadiani episcopatum : et erudite quidem, atque eloquenter.

Ut vero huic animadversioni respondeamus, annotandum est primo, neque *barbararum* atque *effe-*

ratarum gentium tantummodo fuisse, sed ethnicarum quarumcumque, etiam culte honesteque viventium, ut eos nonnumquam inter deos referrent, qui aliqua, aut sociali virtute prout est *liberalitas*, aut corporis dote prout est *fortitudo*, excelluissent; neque *barbararum* aut *efferatarum* gentium nomen ullo modo convenire Dacorum populo cis Danubium posito, ubi Romesiana, Remesiana, Remissiana, seu Romatiana civitas sita erat, et ubi hæc acta dictaque fuisse, potius quam Aquileiæ, Zabeus existimat : hic namque populus Romanæ ditionis Romanique cultûs erat, immo Romanæ originis, utpote qui ab iis descenderet Romanorum coloniis ex altera Danubii parte ab Aureliano principe evocatis, prout dictum fuit capite secundo. Præterea, non *de errore*, sed *de erroribus gentilitatis* librum scripsit Gennadianus Nicetas; id est de superstitioso idolorum cultu, ac de falsitate ethnicæ religionis, non uno ex capite, sed undequaque acceptæ. Quid ergo mirum si ad vetera hujus pseudoreligionis monstra validius exagitanda, cum ad apotheosim etiam insectandam atque irridendam venisset, qui unus est ex putidioribus *gentilitatis erroribus* atque deliramentis, recenti quoque ridiculo exemplo, data occasione, uti voluerit duorum illorum *Melodii patrisfamilias* ac *Gadarii rustici*, qui *suo pene tempore* fuerunt *ab ethnicis ob liberalitatem et ob fortitudinem inter deos translati?* Hoc nimirum in ore Nicetæ ad inanitatem ac levitatem ethnici cultus uberius demonstrandam faciebat; quod erat illius libri argumentum : neque hoc interim ostendebat, hujusmodi *stolidam opinionem, qua crederetur fortitudinem corporis esse causam cur quis ex homine fieret deus*, serpere in ea ipsa potuisse aut civitate aut regione ubi Nicetas concionem habebat. Sed quoniam Zabei animadversio eo spectat ut omnino inutilem statuat in Aquileiensi præsule quinti sæculi prædicationem adversus idololatriam, prout patet ex alia quoque animadversione hujus secundæ partis dissertationis ejus, sub numero 14, in ipsum *Explanationis* **137** *Symboli* opusculum, ut inde concludat Nicetam Gennadianum, qui *gentilitatis errores* perstrinxit in apposito libello, quique eosdem exagitavit etiam in ipsa *Symboli Explanatione*, non esse Nicetam episcopum Aquileiensem, sed potius Nicetam Dacum sancti Paulini Nolani amicum; res est paulo latius explicanda.

Quamvis itaque ethnica superstitio ex Evangelii prædicatione, etiam tribus prioribus sæculis inter ipsos Cæsarum exertos gladios pro eadem tuenda, multum et dignitatis et ponderis per quotidianam Christianorum copiosam accessionem amisisset, ita ut Tertullianus, in Apologetico, capite 17, exprobrare gentilibus fidenter potuerit, quod licet *hesterni*, ut ipse aiebat, Christiani essent, *omnia* tamen ethnicorum loca suo tempore jam *impleverant*, *urbes*, *insulas*, *castella*, *castra ipsa*, *tribus*, *decurias*, *palatium*, *senatum*, *forum*, omnia uno verbo, *solis* idolorum *templis* exceptis : quamvis hæc eadem ethnica superstitio ex pace Ecclesiæ data a Constantino imperatore, quarto sæculo ineunte, extremum veluti ictum acceperit, ita ut Christiana religio in toto Romano orbe locum subacti undique erroris occupaverit, et religio Romani imperii facta esset : non ita tamen tunc, ac diu etiam postea, hæc sola ac tranquilla regnavit, ut non jugiter cogeretur adversus multitudinem hominum dimicare, qui etiam in tanta Evangelii luce pristinæ superstitionis tenebras tenaciter diligebant. Hujus multitudinis ethnicorum undique consistentium toto quarto Ecclesiæ sæculo, et etiam in primariis orbis Ecclesiis ab ipsis apostolis institutis, abundant in coævis monumentis indicia; eaque præsertim nobis exhibent ipsi sanctissimi Ecclesiarum antistites illius ætatis, in quorum lucubrationibus quæ supersunt ethnica superstitio ab iisdem exagitata, adhuc proculdubio vigens, nec viribus destituta omnino conspicitur. Hic interim nobis sufficiat meminisse imperii Juliani Augusti, necnon et conatuum Symmachi senatoris pro ara Victoriæ sub Valentiniano ac Theodosio Augustis; ut apertum fiat, quam multi tunc essent, quantique adhuc valerent idolorum cultores.

Quid nunc de sæculo quinto? Quintum sæculum veluti aperuerunt tot illæ calamitates, quæ Romanum imperium a fundamentis primum concutientes, illius demum ruinam in Occidente, barbaris undique prævalentibus, properarunt. Quis autem ignorat ethnicorum illius temporis in toto orbe clamores adversus Christianam religionem, et pro publico idolorum cultu restituendo, cujus cessationi omnia tribuebant incommoda, quibus imperium afflictabatur? Hinc nempe origo egregii operis divi Augustini de Civitate Dei, hinc etiam origo historiarum Orosii adversus paganos; quæ duo Opera, duo nova fuerunt diversi generis Apologetica illis circumstantiis opportuna pro Christiana religione, ad depellendam invidiam quam oblocutionibus suis undique eidem conflabant ethnicæ superstitionis cultores magno adhuc numero ubique præsentes, et ad Christianorum hominum confirmandam etiam in tot adversis voluntatem ac fidem. Patet igitur ethnicorum multitudo etiam quinto sæculo ineunte, cum jam undique exstarent per universum orbem Ecclesiæ, necnon etiam florerent tum præstantissimis doctrina ac sanctitate episcopis, tum præclarissimis virtutum omnium exemplis, tum etiam sanctissimis institutis. Verum quidem est, Theodosii atque Honorii legibus clausa fuisse idolorum templa, ac prohibita publica sacrificia, ideoque cultum etiam illum quemcumque idololatriæ proprium, unde ethnicorum religio constabat : at leges ipsæ nec plenum ubique terrarum sortiebantur **138** effectum, et silere nonnumquam debuerunt ante ipsos oculos Augustorum a quibus latæ fuerunt. Theodosio junlore imperante, adulto scilicet sæculo quinto, adhuc vigebat in ipsa urbe regia Constantinopoli ethnica superstitio : ipsius namque merito datum fuit, quod idolorum templa funditus everterentur, adeo ut nullum pristinæ superstitionis vestigium remaneret. Ipse quoque templum in ea urbe dicatum dæmoniis, appellatumque Tychæum, vero Deo in Martyris Ignatii honorem dedicavit, locatis ibidem ipsius reliquiis ex cœmeterio translatis quod erat extra portam Daphniticam, ut scribit Evagrius Scholasticus libro I, capite 16, anno 451, ut Muratorius monet in Annalibus Italiæ, Marcianus Augustus legem tulit adversus paganos, quæ exstat in codice Justinianeo, libro VII, de Paganis. At anno 467, quo Anthemius imperator urbem Romam ingressus fuit, adhuc ibi Lupercalia celebrabantur in honorem dei Februarii, ut liquet ex epistola Gelasii papæ I, adversus Andromachum senatorem, quæ exstat in Conciliis Labbei, cura Coleti, tomo V, col. 359. Liquet insuper ex eadem epistola, etiam tempore pontificatus ejusdem Gelasii, qui ab anno 492 usque ad 496 Ecclesiam gubernavit, multorum studium viguisse in ipsa urbe Roma pro Lupercalium instauratione, quæ sublata non diu ante fuerant. Non negaverim quidem in eadem epistola reprehendi a pontifice maximo Christianos qui hujusmodi paganam Lupercalium celebritatem tuebantur, et restitui curabant : verum ex eadem epistola similiter constat, tunc quoque in ipsa Romana urbe non defuisse paganos homines, qui in hac celebritate Christianis veluti anteibant, quique etiam absque Christianorum societate Lupercalia inter se agere potuissent. Ait enim in fine illius epistolæ idem Gelasius pontifex : « Postremo quod ad me pertinet, nullus baptizatus, nullus Christianus hoc celebret, et soli hoc pagani, quorum ritus est, exsequantur. Me pronuntiare convenit, Christianis ista perniciosa et funesta indubitanter existere. » En distinctionem a Gelasio adhibitam, Christianorum et paganorum. Christianis spectacula hujusmodi non convenire contendit : Paganos vero nominat qui talia tunc agebant, et quos cum impedire non posset, solos saltem, absque Christianorum accessu, agere volebat. Pagani igitur, etiam Gelasii pontificis tempore, Romæ adhuc exstabant, qui Lupercalium lasciviam

sectabantur, et Christianum etiam populum ad eorum imitationem alliciebant.

Romam vero cum dicimus, de qua Ecclesia loquimur? De ea nimirum tam *felici Ecclesia, cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt;* uti non minus magnifice quam veraciter effatus fuerat Tertullianus de Præscriptionibus, capite 36. De ea Ecclesia loquimur cujus a Petro successionem episcoporum continuam absque ullo hiatu, ad ostendendam illibatæ doctrinæ traditionem, Irenæus, Augustinus, aliique Patres hæreticis jam objecerant. De ea Ecclesia loquimur quæ sanctorum martyrum immenso numero gloriabatur, quæ præstantissimis sanctissimisque viris jam tunc abundaverat. De ea Ecclesia loquimur, de qua Innocentius papa I epistola 25, apud Coustantium, editionis Parisiensis col. 856, ad Decentium Eugubinum jam scripserat, quod per *sacerdotes a venerabili apostolo Petro ejusque successoribus constitutos Ecclesias instituerat in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, et insulas interjacentes.* Si talis porro ac tanta Ecclesia ab ipsis apostolorum principibus erudita, tanta gloria illustris, tantis meritis cumulata, totque Ecclesiarum mater; si hæc, **139** inquam, Ecclesia etiam quinto labente sæculo paganos homines in sinu suo et intra Urbis mœnia habebat, contra quorum insanas superstitiones ac turpitudines necesse erat ut Gelasius pontifex Christianum populum commoneret; non est cur clarissimus Zabeus scribere possit, repugnare omnino, quod Aquileiæ, Nicetæ tempore, quinto nimirum sæculo jam provecto, fuerint idololatræ qui mererentur ab eodem apposita oratione perstringi, et contra quos admonendi essent fideles; propterea quod *Aquileia iis temporibus inter Italiæ urbes post Romam cultissima fuit, atque scientiis litterisque florebat*, et quia Aquileia a *divo Marco religionem Christianam* acceperat, et *magnorum virorum prædicatione qualibet in ætate jam fuerat erudita;* ut inde concludat, Nicetam hunc Gennadianum, auctorem libri *de Erroribus gentilitatis*, atque alterius *Explanationis Symboli*, non esse Aquileiensem nostrum Nicetam, sed potius Nicetam Dacum Paulini Nolani amicum. Sed jam propius ad Aquileiensem Ecclesiam nunc accedamus oportet; ipsam deinde, sed post aliquem etiam a recto itinere excursum, commodius inspecturi.

Roma iter facientes Aquileiam versus, gradum sistamus Ravennæ, quæ altera tunc regia urbs erat, populo opibusque potens, ubi imperii Occidentalis aula posita, et ubi ipsa Augusta familia medio circiter hoc quinto sæculo fere semper commorabatur. Potissimum hujus urbis atque Ecclesiæ decus sanctus Petrus Chrysologus tunc florebat, universamque Ecclesiam illustrabat vitæ sanctitate, atque doctrinæ præstantia. Si porro illius sermones intueamur, et eos maxime quos habuit in Symbolum apostolorum, et alium quoque cui titulus *de Kalendis Januarii, quæ varia gentium superstitione polluebantur*, qui est ordine 155 in editione Sebastiani Pauli, liquido ex eisdem intelligemus fuisse paganos idolorum cultores etiam in illa Italiæ parte, et in ipsa Ravennatensi ejus diœcesi, qui zelum sancti præsulis exercebant, tum pro illorum conversione, tum etiam pro Christianorum in fide ac disciplina vitæ constantia. Pauca delibare præstat ex his sermonibus, ne gratis asseruisse videamur. « Hinc est quod veniens ex gentibus impositione manus, et exorcismis ante a dæmone purgatur, et aperitionem aurium percipit, ut fidei capere possit auditum, ut possit ad salutem prosequente Domino pervenire. » Ita sanctus Petrus Chrysologus sermone 52. Exstabant ergo gentiles Ravennatensibus noti, qui ad ecclesiam aliquando *veniebant;* si de eorum in ecclesiam ingressu, ac de cæremoniarum valore quæ erga eos adhibebantur, sanctus episcopus data occasione fideles suos alloquebatur. Quod vero gentiles in Ravennatensi agro positi reapse ad ecclesiam venirent, ea insuper quæ sequuntur ostendunt. « Ergo de cordibus vestris expurgate perfidiæ cœnum, ut pura per vos fidei fluenta percurrant: incredulitatis fruteta in vobis radicitus amputate, ut excrescant ad alta credulitatis vestræ robusta plantaria... Deum suum qui vult scire, nesciat gentium deos: qui deos dicit, contradicit Deo. Servire uni libertas est, captivitas multis. » Ita sermone 51 in Symbolum apostolorum: « In Deum vos hodie merito confitemini credidisse, quando deos, deasque, sexu dispares, numero confusos, turba populares, viles genere, fama turpes, impietate maximos, primos scelere, crimine singulares, ipsis etiam sepulcrorum suorum vultibus accusatos, lætamini vos fugisse: quia miseriæ, doloris, et infelicitatis est, tantos et tales habuisse servulos, quantos vos et quales dominos hactenus pertulistis: **140** sed ad unum vivum, verum, solum, sed non solitarium Deum vos pervenisse gaudete, dicendo: *Credo in Deum Patrem.* » Hæc ipse sanctus præsul sermone 57 in idem Symbolum apostolorum. Ad quos vero hæc utriusque sermonis verba, nisi ad catechumenos seu competentes, qui ad Ecclesiam ex gentilitate veniebant? Ad catechumenos profecto seu competentes, qui essent filii Christianorum, nequaquam dicere potuisset sanctus præsul, *fugisse deos deasque, quos hactenus dominos pertulissent,* quique tales ipsi *servulos habuerint.* Mitto plura alia quæ afferre possem loca ex hujus sancti præsulis sermonibus in Symbolum apostolorum, qui multi sunt, et ex quibus omnibus colligitur, ut animadvertit Dominicus Mita, vetus Sermonum Chrysologi editor et illustrator. « Sanctissimum archiepiscopum nostrum quamplurimos baptizasse infideles adultos, tum barbaros, tum Italos ac Ravennates, qui adeo sanctis exemplis, et sacra hujusce pastoris doctrina ad fidem suscipiendam invitabantur. »

Quod autem necesse haberet sanctus episcopus etiam Christianum populum commonere, ne se sineret abripi ab idololatrarum exemplo, ne se eorum spectaculis immisceret, sequentia, ex supracitato sermone de kalendis Januarii, evidenter ostendunt. « Hinc est, fratres, hinc est quod hodie gentiles deos suos fœditatibus exquisitis, excogitato dedecore, et ipsa turpitudine turpiores videndos trahunt, distrahunt, pertrahunt, quos faciunt non videndos, etc. » Deinde sequitur. « Hæc diximus, fratres, ut proderemus causam quare gentiles hodie faciant deos suos talia committere quæ sustinemus, et faciant tales qui videntibus et horrori sint et pudori: faciant ut eos aliquando et ipsi qui faciunt, horreant et relinquant, et Christiani glorientur a talibus se liberatos esse per Christum: si modo non eorum ex spectaculis polluantur, si eorum non inquinent thura tactu, si hujusmodi fugiant de assensione discrimen: quia factis semper est æqualis assensus, Apostolo probante, cum dicit: *Non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus.* » Ita Chrysologus. Quis porro ex his aliisque supra relatis sancti præsulis verbis, non satis intelligat, et paganos exstitisse in ejus diœcesi, et multos etiam exstitisse; contra quos Christiani commoneri deberent, et ex quibus quamplures etiam non infrequenter ad Christianam fidem accederent?

A Ravennatensi Ecclesia ad Taurinensem suam in Subalpinis sanctus Maximus ejusdem circiter ævi episcopus invitat nos ut modicum divertamus, inde postea Aquileiense iter via recta repetituri. Exstant siquidem et hujus sancti præsulis sermones, ex quibus aperte intelligimus multam in illis regionibus paganorum copiam tunc fuisse, maxime vero inter rusticos in pagis ac villis constitutos. Lectorem igitur non pigeat illius verba perpendere. « Ergo viam Domino parare jubemur, nostræ equidem fidei puritate, qua non tantum idola vana, atque superstitiosa figmenta adversemur, sed et in fratribus ea detestemur, et corrigamus. » Ita sermone 58, qui est 7 de Nativitate sancti Joannis Baptistæ, in novissima editione Romana. Quid *idola vana et superstitiosa figmenta* hic sanctus Maximus nominasset, quæ fideles *adversari* deberent, si hæc in illis regionibus non exstitissent? Quid ea *in fratribus detestanda*, immo et *corrigenda* fideles

suos docuisset, si pagani reapse, quos *fratres* appellat, inter eos non fuissent? Adversus paganorum *lustrationes*, quæ in diœcesi **141** sua adhuc obtinebant, ita sermone 77, qui est 2 de sanctis martyribus Alexandro et sociis : « Et quia audivimus lustrum a nonnullis sacrilegis mitti solere exemplo sanctorum, objurgemus impios, castigemus errantes... Cæterum, si videntes hoc tacemus, silentes et patimur, reos nos statuimus, si non operatione sceleris, attamen dissimulationis assensu... Quoties mandavit Deus idolorum sacrilegia destruenda, et numquam ad hanc partem solliciti esse volumus? Semper dissimulavimus, semper sprevimus. Postea nos admonuit imperiale præceptum. Videte quanta Divinitatis sit derogatio hæc humanæ potestatis adjectio... Principes quidem tam boni Christiani leges pro religione promulgant, sed eas executores non exerunt competenter. » Hæc sanctus Maximus; ubi indicatam videas imperialem legem, atque eam fortasse quam supra memoravimus, Marciani Augusti, latam anno 451; ubi quoque testatam accipias hujusce legis remissam atque incompletam observantiam, non secus atque aliarum præcedentium Augustorum, prout itidem notabamus ad harum legum inefficacem vim ostendendam pro omnimoda exstinctione ethnicæ superstitionis.

Duo alii adsunt sermones hujus sancti episcopi, nempe 96 et 97 sub hoc titulo : *De Idolis auferendis de propriis possessionibus*; ex quibus constat idolorum cultum plurimum tunc temporis in illis regionibus, et maxime inter rusticos, uti superius admonuimus, obtinuisse. Memorantur enim hic *aræ ligneæ*, *simulacra lapidea*, *congruens ministerium* : hic *aruspex*, hic *dianaticus*, hic *habitus* ipsorum describitur. Sed pauca ex utroque sermone verba afferamus, quæ in argumentum nostrum digna sunt quæ perpendantur. « Ante dies commonueram charitatem vestram, fratres, ut tamquam religiosi et sancti idolorum omnem pollutionem de vestris possessionibus auferretis, et erueretis ex agris universum gentilium errorem. Fas enim non est, ut qui Christum habetis in cordibus, Antichristum in habitaculis habeatis; cum vos Deum adoretis in Ecclesia, vestri diabolum venerentur in fanis. Nec se aliquis excusatum putet, dicens, Non jussi fieri, non mandavi..... Tu igitur, frater, cum tuum sacrificare rusticum cernis, nec prohibes immolare, peccas; si non data copia, attamen permissa licentia... Grande igitur malum est idololatria; polluit exercentes, polluit habitantes, polluit intuentes, penetrat ad ministros, penetrat ad conscios, penetrat ad tacentes. Immolante enim rustico inquinatur domnedius, etc. » Hæc ex priori sermone. Ex altero vero sunt quæ sequuntur. « Non parum tractatu Dominicæ superioris profecisse vos credimus; siquidem prædicatione nostra ab omni idolorum inquinamento corda vestra purgavimus..... Cæterum, qui scit in agro suo idolis immolari, nec prohibet, quamvis ipse longe in civitate consistat, pollutio tamen illum nefanda continget. Et licet aris assistat rusticus, ad domnedium contaminatio exsecranda regreditur. Particeps enim ejus efficitur, si non conscientia, certe notitia. » Hactenus sanctus Maximus. Quot igitur essent pagani, quamque late patens ethnica superstitio in Taurinensi diœcesi medio circiter quinto sæculo, immo medio jam elapso, quo sanctus Maximus episcopatum gerebat, ex zelo ipsius insectandæ hujus superstitionis tum sermonibus appositis, tum data etiam pro re nata opportunitate loquendi, abunde apparet. Nunc vero a Subalpinis regionibus ad Aquileiensem Ecclesiam recto itinere procedamus.

142 Iter autem agentes, media circiter via, paululum sistere nos compellit Ecclesia Brixiensis, quæ habet quod nobis proferat super paganismo suæ regionis ex sermonibus sancti sui episcopi Gaudentii, qui quarto desinente et quinto ineunte sæculo floruit : obiit enim juxta aliquos anno 410, juxta alios vero anno 427, uti ex præfatione Pauli Galeardi ad ejus Opera Patavii edita Cominianis typis. Quid igitur nobis exhibent hi sermones? Tractatus quartus de Lectione Exodi hæc habet : « Vos igitur, neophyti, qui estis ad beatæ hujus ac spiritualis Paschæ epulas invitati, videte quomodo ab omni pollutione escarum quas superstitio gentilis infecerit, vestras animas conservetis. Nec sufficit ut a mortifero dæmonum cibo vitam suam custodiat Christianus; sed ut omnia abominamenta gentilium, et omnes idololatriæ tramites, sicut quædam serpentis diaboli venena diffugiat. Partes enim idololatriæ sunt veneficia, præcantationes, suballigaturæ, vanitates, auguria, sortes, observatio ominum, parentalia, inquam, unde idololatriæ malum extulit caput erroris. Nam gulæ suæ causa primum cœperunt homines prandia mortuis præparare, quæ ipsi comederent; post hoc etiam sacrificia ausi sunt eis sacrilega celebrare..... Cavete, quæso, ab his omnibus, etc. » Tractatus vero 13 ejusdem sancti episcopi Gaudentii die Natali Domini, hæc alia exhibet : « An existimatis quod Deum diligat tepidus ac negligens Christianus, qui idola in possessionibus suis coli permittit; qui fanum dæmonis et aram diaboli stare in contumeliam Dei patitur? » Exhibent itaque nobis sancti Gaudentii Brixiensis sermones paganorum cultum ætate sua etiam in Brixiensi diœcesi, maxime vero *in possessionibus*, inter rusticos nempe in pagis ac villis, prout nuper vidimus in Subalpinis : nec talem quidem cultum, qui dici posset ethnicæ superstitionis aspernandæ *quædam reliquiæ*, sed talem qui *idola* adhuc haberet omnium oculis exposita, qui *aras* et *fana*, qui sacrificia quoque animalium unde *escæ* fortasse venales, qui cæteras insuper foveret abominationes; de quibus omnibus necesse erat ut Christiani identidem ab episcopo monerentur. Hac quoque notitia non inopportune per viam instructi, et a Brixiensi agro digressi, ecce jam adsumus Aquileiæ; quæ scopus est totius nostri per varias Italiæ partes, seu itineris seu excursus.

Ut primum vero Aquileiensem diœcesim ingredimur, ecce nobis obvius sanctus Aquileiensium episcopus Chromatius, auctor Sermonum seu Tractatuum, qui supersunt, in Matthæum; qui Ecclesiam Aquileiensem, quarto labente sæculo, gubernavit ad annum usque septimum seu octavum sæculi quinti. Quid porro de paganis, qui ætate sua in Aquileiensium finibus essent, nobis prodit sanctus Chromatius? Non quidem ex professo de paganismo loquitur ipse, qui forte et alia scripsit quæ ad nos minime pervenerunt; sed ubi data occasione paganos nominat tractatu 7 in Matthæum capite 1, qui exstat in Bibliotheca Veterum Patrum Andreæ Gallandii, tomo VIII, hæc pauca notatu dignissima habet. « Habemus adversarios et gentiles qui fidei nostræ adversantur, qui nos interdum tempore persecutionis ad nefanda sacrificia cogunt. » Hæc verba profecto gentiles ostendunt in Aquileiensi ipsa diœcesi, ubi Chromatius loquebatur, quarto exeunte et quinto incipiente sæculo, prout indicant ipsæ voces, quæ tempus locumque disserentis respiciunt. Nec ita vero exiguos numero eos ostendunt, ut *reliquiæ forte aliquæ gentilitatis* et *paucissimæ certe* dici possent, veluti **143** Zabeus existimat : neque enim paucissimi numero tales esse poterant, qui vel nominari deberent veluti *adversarii* nostri, *nostræque fidei adversi*, multoque minus qui nos *persecutionis tempore ad sacrificia cogere* valerent, prout hic accidere posse putabat Chromatius. Luculentiora nihilominus exstant quæ dicenda veniunt, quæque petenda sunt ex eodem fonte, ad quem nos advocat ipse clarissimus Zabeus.

Hic nimirum ad Rufinum Aquileiensem nos provocat, qui coævus Chromatio fuit et obiit anno 410, ut Fontaninus ostendit in Vita ipsius quam adornavit, assentiente etiam De Rubeis in Dissertatione sua de Rufino, capite ultimo : « Præcesserat, ait Zabeus, Nicetæ Aquileiensi Rufinus... Rufinus autem et ipse symbolum explicavit... Jam vero Rufinus ita loquitur de Dei veri unitate et existentia, ut vel silens mo-

neat sua in regione et suo tempore gentilitatem non eguisse diligenti impugnatione. Anne dicemus eam annorum decursu virium accessionem fuisse nactam, et sedente Niceta adolevisse? » Rufinus quidem Aquileiensis Chromatio coævus, et presbyterorum Aquileiensium cœtui ab eodem aggregatus postquam ab Oriente digressus Aquileiam rediit, ut scribit idem De Rubeis in præcitata dissertatione, capite 14; Rufinus, inquam, probabiliter dum Aquileiæ presbyterum ageret, quod usque ad obitum Chromatii fuit, Commentarium suum in Symbolum concinnavit, ab eodem nuncupatum Laurentio cuidam episcopo; quem unum fuisse ex episcopis Aquileiensi Ecclesiæ addictis, et unum ex iis qui auxiliarem episcopo diœcesis operam præbebant, superius conjectavimus. Rufini proinde auctoritas in hoc Commentario, in iis quæ Ecclesiam suam Aquileiensem spectant, plurimi est facienda : immo cum pre byter ipse Aquileiensis ad episcopum scribat Aquileiensi diœcesi addictum, ea ibidem scripsisse dicendus est, quæ Ecclesiæ suæ Aquileiensis usui maxime necessaria forent. At Rufini Commentarium hunc in Symbolum valde obiter legisse debuit Zabeus, qui ita de Rufino scripsit; aut certe illum legit aliis atque aliis cogitationibus occupatus. Tantum enim abest quod Rufinus in suo in Symbolum Commentario, prout Zabeus asserit, *vel silens moneat sua in regione et suo tempore gentilitatem non eguisse diligenti impugnatione;* ut Rufinus immo totus ibi sit in *impugnanda* quoque, et *diligenter* quidem, *gentilitate*, ubicumque sese offert occasio. Res est igitur enucleanda : quod dum facimus, Zabeo hic dupliciter respondemus; ostendentes nimirum, et Rufinum in suo Commentario impugnasse data opera etiam *gentilitatem*; et ejusmodi *gentilitatem* reapse Rufini tempore in Aquileiensi regione exstitisse, quæ *impugnari* etiam ex professo ac *diligenter* mereretur.

Rufini Commentarium in Symbolum præ manibus habeo, quem nobis exhibet clarissimus Rufinianorum Operum editor et illustrator Dominicus Vallarsius. Quod primo dicendum venit contra animadversionem Zabei, illud est, Rufinum in Commentario suo parum aut nihil *de Dei veri unitate et existentia* disseruisse, et nihil certe quod ad unitatem existentiamque probandam atque demonstrandam faceret; ut proinde nullam ex hoc capite occasionem habuerit impugnandi *gentilitatem*. Dei veri existentia atque unitas, jam res erat ea ætate, et maxime apud illos majores nostros de qua non essent amplius Christiani homines muniendi adversus *gentilitatem;* et de qua gentiles ipsi, aut infideles quicumque qui contra sentirent, irridendi magis essent quam confutandi. *Gentilitas* nihilominus vel in ipso Commentarii sui exordio a Rufino data **144** opera impugnatur. Explanans enim, numero 3, priora Symboli verba : *Credo in Deo Patre omnipotente*, non nihil immoratur in perpendenda prima voce *credo*, cujus propterea vim ostendit, ac necessitatem patefacit, adductis variis ex vita humana, atque ex communi agendi ratione aptissimis similitudinibus : quod a se ideo factum dicit, ut *paganorum* objectioni obviam iret, qui *nobis*, ut ipse ait, nimiam credendi facilitatem opponunt. Ipsum itaque audiamus loquentem : « Hæc autem idcirco in principiis præmisimus, quia pagani nobis objicere solent, quod religio nostra, quia rationibus deficit, in sola credendi persuasione consistat : et ideo ostendimus, nec agi, nec stare aliquid posse, nisi præcesserit vis credendi. » Hic certe Rufinus ab initio Commentarii sui et *gentilitatem diligenter* impugnat, et *gentilitatem* suo tempore in Aquileiensi provincia fuisse insinuat quæ tam *diligenti egeret impugnatione*.

A numero tertio hujus Rufiniani Commentarii ad undecimum et duodecimum procedamus. Agit hic Rufinus de eo Symboli articulo, qui partum Virginis credendum proponit : *Qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine.* In numero præcedenti attulerat oracula prophetarum, quæ de ineffabili hoc mysterio sunt, et contestationem evangelici sermonis, qui impletum asserit quod illa ante nuntiaverant aliquando futurum. In his porro duobus numeris, undecimo ac duodecimo, qui tres pene integras columnas constituunt Rufiniani Commentarii præcitatæ editionis in-folio, uti aiunt, totus est Rufinus in confutanda *gentilitate*, cujus erat adversus Christi fideles partum Virginis irridere. Ita autem incipit : « Verum hæc quia ex Scripturis propheticis asseruntur, possunt forte Judæos, quamvis sint infideles et increduli, confutare. Sed pagani solent irridere nos, cum audiunt prædicari a nobis Virginis partum : propter quod paucis eorum obtrectationibus respondendum est. » Sequitur itaque Rufinus toto numero undecimo ac sequenti, et paganorum obtrectationibus invicte ac erudite respondet, prout paganis auctoritatem sacrarum nostrarum litterarum non agnoscentibus conveniebat; partim nimirum ratione, quantum in re tanta sat est; partim ad hominem loquens, capta scilicet occasione tot natalium monstruosorum atque incredibilium ethnicæ religionis, quibus tamen cæca gentilitas fidem non denegabat; partim vero exemplis ac similitudinibus obviis, quæ rem supra humanum intelligendi modum positam, et rationi non adversam ostenderent, et insuper aliquatenus explicarent. Quomodo autem hæc omnia in Rufini Commentario tam fuse digesta adversus *gentilitatem* Zabeus non viderit, prorsus, fateor, non intelligo.

Alterum quoque referre placet ex Commentario eodem locum, ubi Rufinus *gentilitatem* ex professo exagitat; et est sub numero 40, in quo agit de articulo *Remissionem peccatorum*. Totus in hac parte Rufini sermo est contra *gentilitatem* : en propterea quomodo ipse loquitur : « Solent cum irrisione adversum nos dicere pagani, quod ipsi nos decipiamus qui putemus crimina quæ opere commissa sunt verbis posse purgari. Et aiunt : Numquid potest qui homicidium fecit homicidia non esse, et adulter non videri qui adulterium perpetravit? Quomodo ergo hujuscemodi criminum reus sanctus vobis effici subito videbitur? » Respondet itaque Rufinus et huic *paganorum* objectioni adversus Christianorum fidem, ac deinde ita contra eos concludit : « Hoc modo fides nostra non invenitur naturalibus rationibus adversari, **145** dum remissio peccatorum, non gestis, quæ mutari non possunt, sed animo quem de malo in bonum converti certum est, deputetur. » Rufinus igitur Aquileiensis ipse est qui clarissimo adversario nostro Zabeo ostendit, et se adversus *gentilitatem* in suo Symboli Commentario non semel nec jejune, sed pluries ac prolixe quoque sermonem habuisse, et *gentilitatem* ipsam propterea in Aquileiensium partibus talem ævo suo fuisse, quæ tum ad eamdem assidue profligandam, tum ad Christianorum roborandam confirmandamque fidem, *diligenti* ac sedula *impugnatione indigeret.*

A Chromatio episcopo Aquileiensi et a Rufino presbytero usque ad Nicetam, ab anno nimirum 410 usque ad 454, Aquileiensia monumenta non suppetunt, quibus ethnica superstitio in Aquileiensi diœcesi valeat demonstrari. Aquileiensium præsulum et presbyterorum lucubrationes post Chromatium et Rufinum usque ad Nicetam, si quæ fuerunt, ad nos minime pervenerunt; parvis duobus aut tribus exceptis opusculis hac illac editis, de quibus quærunt ac disputant eruditi. Sermo ille tantummodo 242 de Symbolo ad competentes, qui exstat in appendicibus Augustinianis, quique, ut superius capite 4 diximus, probabiliter spectat ad Augustinum episcopum Aquileiensem Chromatii successorem; solus hic sermo *paganorum* mentionem facit, unde fortasse colligi posset paganos ibidem etiam tunc exstitisse : ad articulum enim, *Inde venturus judicare vivos et mortuos*, ait : « Christianos judicat et paganos, justos et peccatores, fideles et impios. » Quid namque *paganorum* hic mentio ad competentes in Symboli explanatione, si *pagani* in ea regione non exstitissent, jam competen-

tibus eisdem noti, et ex quorum numero probabiliter competentium illorum aliqui jam fuissent; ut differentiam judicii divini inter eos ac Christianos intelligere possent ex simplici eorum indicatione, quemadmodum intelligebant inter *justos et peccatores*, *fideles et impios*, quibus numquam caruit area Domini? Sed hæc obiter dicta habeantur, ne quidquam prætermittatur eorum quæ in argumentum hoc afferri possunt.

Cæterum quid opus est monumentis ad conjiciendum, etiam post Rufini tempora, viguisse *gentilitatem* in Aquileiensium regione; quandoquidem Rufino superstite eam vidimus tam late diffusam, ut ipse quoque fusiori calamo eamdem impetere coactus fuerit? Nil mirum proinde *gentilitatem*, etiam post quadraginta et amplius annos, inter Aquileienses fuisse; ut et Nicetas ipse cogeretur, tum apposito libello, tum data occasione competentes alloquendi, sermonem in eamdem et convertere, et data opera instituere. Nonnisi lento nimirum gradu *gentilitas* penitus deleta fuit; quæ non modo integrum quintum sæculum, sed sextum etiam jam adultum ac labentem attigit in ipso Italiæ sinu, ut mox videbimus. Præterea Nicetæ Aquileiensis tempore potuitne Aquileia melioris esse conditionis quam Roma sub Gelasio papa, quam Ravenna sub Chrysologo, et Augusta Taurinorum sub Maximo episcopis, qui eodem nimirum, et etiam posteriori tempore floruerunt, uti in singulis vidimus? Etsi fortasse non ita frequentes numero essent pagani Nicetæ ætate in ipsa civitate Aquileiensi, abundabant procul dubio in Aquileiensi agro, inter rusticos nempe in pagis et villis constitutos; uti vidimus eodem tempore similiter abundasse in Subalpinorum *agris*, et non multo ante in *possessionibus* Brixiensium sub Gaudentio episcopo. Immo cum maxime inter rusticos ethnica superstitio quinto sæculo sedem haberet, mirum videri **146** non debet, si iidem idololatræ, cæteris naturaliter superstitiosiores, crassiorisque ingenii, ad portenta et ad monstra quandoque descenderent, ut levi etiam ex causa, suos præsertim quos viderint aliqua virtute præstare, inter deos referre voluerint. Quidni igitur Nicetas in libello suo *de Erroribus gentilitatis*, ubi *Melodii* illius meminit atque *Gadarii*, quos *suo pene tempore* aiebat inter deos fuisse ab ethnicis relatos, exempla attulerit *apotheosis* cujusdam peractæ a rusticis paganis Aquileiensis ipsius provinciæ?

Verum liberaliter nimis a nobis actum fuit, cum diximus non ita fortasse frequentes Nicetæ tempore fuisse paganos in ipsa civitate Aquileiensi; ex eo enim quod *Aquileia* iis temporibus *inter Italiæ urbes post Romam cultissima fuit, et scientiis litterisque florebat*, uti verissime admonet Zabeus, ex eo quoque quod Aquileia, dum secundæ res essent, veluti altera Roma in Italia haberetur, ut conjicimus ex historiis; inde inferre debemus, in eadem etiam abundasse paganos plusquam in reliquis inferioris ordinis ac dignitatis civitatibus. Clarissimus Innocens Ansaldus hanc nobis suppeditat animadversionem in eruditissimo suo opere, cui titulus : *Multitudo maxima eorum qui prioribus Ecclesiæ sæculis Christianam religionem professi sunt*, capite 16 pag. 343 editionis Taurinensis. Ait enim quod « illud qualecumque pugnæ et contentionis genus, quod quarto fuit sæculo inter vices Christianæ religionis, ac idololatriæ, non a provinciarum ac regionum vel Orientis vel Occidentis oppositione, repugnantia, ac mobilitate derivatum est, sed a solis urbibus imperii præcipuis, quarum non exigua pars communicatione conditionis, negotiorum, ac munerum, adeo cum ethnicorum sacris implicata, involutaque erat, ut nisi difficillime non poterat illo ab impedimento expediri... Universum Romanum imperium jam Christianum factum ostendit (Bossuetus), dum Romæ magna pars suorum adhuc teneretur studio deorum, quorum numini victorias, potestatem et gloriam se debere suam somniabat... Idem prope diceres de cæteris urbibus provinciarum dominis, ut Romanam magnitudinem et fastum, ita superstitionem et vitia æmulantibus... Majora igitur obstacula in urbibus cæterarum dominis, quam in urbibus provinciarum, inque oppidis, et pagis, et vicis, cum passa fuerit religio, mirum esse non debet, si quarto etiam sæculo æmulam in urbe omnium principe habuerit idololatriam, quam prope jam exstinxerat in cunctis minoribus Romani imperii urbibus et locis. » Hæc Ansaldus de quarto Ecclesiæ sæculo, de quo sermonem habebat : quæ quomodo et ad quintum etiam extendi optime possint, ex hactenus dictis super ethnica superstitione quinti sæculi, maxime in præcipuis Italiæ urbibus, Roma atque Ravenna, satis elucet. Neque interim repugnat de Aquileia itidem dici posse, etiam paulo post Attilanam cladem, ac Niceta sedente, quod ipse de præcipuis imperii urbibus affirmabat : non enim illico per cladem illam ea urbs a propria dignitate dejecta fuit, sed paulatim; atque tunc maxime, cum novis post Nicetam supervenientibus calamitatibus, irriti demum cederent civium conatus ad eam in gradum pristinum restituendam. Sed progrediendum adhuc in hoc argumento, quod primum est inter oppositiones Zabei, quibus data opera nitimur satisfacere, et quod pro rei gravitate meretur etiam diligenter expendi.

Ut ostendat Zabeus Nicetæ Aquileiensis tempore opus non fuisse ea prædicari Aquileiæ adversus *gentilitatem* **147** quæ Nicetam suum prædicasse Gennadius asserit, ait, quod Aquileiæ *a tempore divi Marci evangelistæ idolorum templa dirui cœperunt, et idola ipsa a profanis aris everti*. Id certe lato quodam modo dici posse negaverit nemo, etsi nullum prodat Zabeus hujus rei testimonium; et quamvis magis probabile sit a primis illis trium priorum sæculorum Christianis deserta potius fuisse idolorum templa quam *dirata*, et idola despecta potius quam *ab aris eversa*, uti ex Tertulliani superius relatis verbis apparet. Quidquid vero fuerit Aquileiæ, a tempore divi Marci ad Nicetam usque, de idolorum templis, atque de idolis, qua de re altum in historiis silentium; habemus ex Andreæ Danduli Chronico, libro VI, capite 1, prout superius quoque, capite 4, aliud agentes referebamus; habemus, inquam, quod Helias episcopus, seu *patriarcha*, ut ibidem appellatur, qui, sexto inclinante sæculo, Ecclesiam Aquileiensem regebat, *templum quoddam paganorum in honorem Bethel in contiguo littore situatum in monasterium puellarum sub sancti Petri apostoli vocabulo transmutavit*. Quod hic legimus *Bethel*, *Belenum* intelligi volunt eruditi nostrates apud De Rubeis Monumentorum capite 26, num. 2, quia *Belenus* celebre fuerat Aquileiensium numen. Sexto itaque inclinante sæculo adhuc in Aquileiensi agro, et non procul ab Aquileia ipsa, templum idolorum exstabat, quod in Christianum usum potuit transmutari. Perduravitne igitur usque ad id temporis in Aquileiensi agro etiam idolorum cultus? Scimus quidem quod templum idolorum alicubi superstes nequit certum esse indicium vigentis eodem tempore ibidem idololatrici cultus : verum secus fortasse sentiendum, ubi idololatrici cultus indicia eadem ætate inveniantur non pauca, etsi non in ipso loco ubi templum exstasse scimus, in aliis tamen locis, nec ita longe positis, nec minus fama ac celebritate donatis.

Ut autem vestigiis nostris insistamus, quid nobis exhibet de cultu idololatrico, sexto currente sæculo, exempli gratia, civitas Ravennatium? Ex Cassiodorii Variarum libro I, epistola 6 constat in urbe Ravennate Theodoricum regem, non longe post initium sæculi sexti, amplum Herculi templum excitasse; ideoque Agapito præfecto urbis Romæ præcepisse, ut marmorarios inde mitteret peritissimos ad illud opus perficiendum; ait enim : « In Ravennate urbe basilicæ Herculis amplum opus aggressi, cujus nomini antiquitas congrue tribuit quidquid in aula prædicabili admiratione fundavit, magnitudini tuæ studiosissime delegamus, ut... de Urbe nobis marmorarios peritissimos destinetis, etc. » Non deerant igitur initio sexti sæculi etiam in Ravennate regia urbe pagani

homines, qui veterem cultum idolorum sequerentur; cum Theodoricus rex, qui minime paganus erat, licet Ariana labe infectus, in eorum gratiam amplum Herculi templum in ipsa urbe regia excitavit, multaque impensa marmoribus etiam ornavit, ut in eadem epistola : Hercules namque Ravennatensium tutelare numen fuerat, ut ad hunc locum annotant eruditi Cassiodorii illustratores.

Post Ravennam, quid nobis de idololatrico cultu eodem sæculo sexto exhibet Roma? Helias Aquileiensis episcopus, qui templum idolorum ad Christianum usum convertit, jam anno 586 e vita migraverat, uti ex Monumentis De Rubeis, capite 29, et sedem Romanam post illius obitum sexto cadente sæculo sanctus Gregorius Magnus conscenderat, quam etiam sanctitate vitæ, doctrina, ac zelo religionis, tam mirifice illustrabat. Exstat porro hujus sancti pontificis epistola circa annum 597, aut 598, data ad Agnellum episcopum **148** Terraciнæ, non ita procul a Romana urbe positæ, in qua de idololatrico cultu adhuc illic superstite se notitiam habuisse scribit, et miratur cur ipse hoc emendare distulerit, ac demum hortatur ut diligenter inquirat, et puniat. « Pervenit ad nos quosdam illic, quod dici nefas est, arbores colere, et multa alia contra Christianam fidem illicita perpetrare. Et miramur cur hoc fraternitas vestra districta emendare ultione distulerit. Eapropter scriptis vos præsentibus adhortamur, ut hos diligenti investigatione perquiri, et veritate cognita, tam in eis faciatis exerceri vindictam, quatenus et Deus placari possit, et aliis eorum ultio correptionis exemplum sit. » Hæc epistola 18 libri octavi in novissima Operum sancti pontificis editione Veneta curis Gallicciollii. Fortasse Terracinenses illi Christiani erant, in idololatricam postea superstitionem seu delapsi, seu relapsi; et ideo in eos, tamquam in rem quæ juris esset Ecclesiæ, tam districte animadvertendum scribit sanctus Gregorius, ut in officium revocarentur. Quidquid vero sit : quod ad nos attinet, constat profecto in ipso Italiæ sinu, quod supra dicebamus, et non ita longe a Romana urbe, sexto labente sæculo, aut idololatriam proprie dictam, aut certe idololatricum cultum viguisse, pro quo exstinguendo tam sollicitus erat Romanus pontifex. Verum non Terracinæ modo, sed in majoribus quoque insulis Italiæ adjacentibus, Sicilia nempe, Sardinia, et Corsica, eodem sancti Gregorii ævo, idolatria proprie dicta exstabat, uti ex aliis ejusdem sancti pontificis epistolis evidenter apparet. Ne nimius sim in ipsius verbis afferendis, pro Siciliæ insula recolatur epistola 62 libri tertii, quæ est ad Eutychium episcopum Tyndaritanum, in qua eum hortatur ut in convertendis idolorum cultoribus perseveret, et in qua eum certiorem reddit sua se scripta misisse ad prætorem etiam Siciliæ, ut ad tam præclarum opus cum eodem sua virtute concurrat. Quod ad Sardiniam spectat, videri possunt epistolæ 24 et 25 libri quarti, quarum prima est ad Zabardam ducem Sardiniæ, altera vero ad nobiles ac possessores in Sardinia nec non epistola 65 libri noni ad Januarium Caralitanum episcopum; in quarum singulis enixe agit adversus idolorum cultum ibidem adhuc vigentem, et maxime inter rusticos, quorum præcipue causa ad nobiles et possessores scribebat eorumdem dominos. Pro Corsica autem, adeunda est epistola 1 libri octavi ad Petrum episcopum Corsicæ, in qua eumdem similiter hortatur, ut ab idolorum cultu incolas pergat avertere.

Cum hæc porro ita sint de idololatrico cultu per Italiam ac majores insulas adjacentes sexto exeunte sæculo, quid mirum si in Aquileiensi quoque agro exstiterit Heliæ episcopi tempore, ubi templum superarat idolorum; et ita quidem, ut Heliæ merito tribuendum sit quod circa sexti sæculi finem, cum transmutatione illius templi idololatrici in Christianum usum, idolorum cultus tandem in Aquileiensi provincia omnino desierit? Utinam vero hic Helias, sicuti pro religione zelator apparet eximius, ita ecclesiasticæ unitatis cultor fuisset, quam nimis lædebat pervicacia sua in celebri tunc temporis *trium capitulorum* negotio. Sed hæc jam satis in primam clarissimi Zabei animadversionem; contra quam concludere jure possumus, nequaquam repugnare quod Aquileiensis Nicetas aut circa dimidium quinti sæculi, aut quinto sæculo inclinante, vel data opera libellum conscripserit adversus idololatriam, vel eamdem pro re nata etiam alibi impugnaverit; ideoque ex hoc capite **149** non esse, cur Niceas seu Nicetas Gennadianus intelligi debeat potius ille Dacus sancti Paulini Nolani amicus, quam Aquileiensis noster qui divi Leonis Magni tempore floruit.

Secunda Zabei animadversio, ex iis eruta quæ argumento *penitiora* sunt, in eo sita est : primo, non consuevisse episcopos Aquileienses *per se ipsos* Symboli explicationem *catechumenis* tradere; quod probat Rufini exemplo, qui de se ipso, qui baptizatus Aquileiæ fuerat, ita scribebat libro I Invectivarum in sanctum Hieronymum : « Ego... ante annos fere triginta in monasterio jam positus per gratiam baptismi regeneratus signaculum fidei consecutus sum per sanctos viros Chromatium, Jovinum, et Eusebium opinatissimos et probatissimos Dei episcopos : quorum alter tunc presbyter beatæ memoriæ Valeriani, alter archidiaconus, alius diaconus, simulque pater mihi, et doctor Symboli, ac fidei fuit. » Ad illam hujus loci partem, ubi Rufinus dicit, *quorum alter tunc presbyter*, etc., hæc duo lineolis clausa inserit Zabeus vocabula (*notate verba*); ut ita veluti digito indicet, Valerianum episcopum Aquileiensem huic actui seu his actibus non interfuisse, ideoque Symbolum ipsum et Symboli explicationem Rufinum accepisse vel a Chromatio tunc presbytero, vel etiam ab Eusebio tunc diacono, de quo ipse asseruit, quod *pater mihi et doctor Symboli, ac fidei fuit*. Fatetur quidem illico Zabeus episcopos ipsos pristinis temporibus *aliquando* solitos fuisse his officiis fungi; sed addit scire se, hunc non omnium episcoporum *morem* fuisse, et certe deesse monumenta, quibus hic mos de Aquileiensibus asseratur sæculo quinto, immo contraria existere. Secundo loco animadvertit, eos *tantum* episcopos consuevisse *per se ipsos* Symboli explicationem *catechumenis* tradere, aut quibus fuerit familiare publice loqui ex tempore, aut quibus consuetudo scribendi calamum effecerat promptiorem. At nihil tale, addit Zabeus, dicere possumus de beato Niceta Aquileiensi episcopo, *de cujus doctrina* nulla exstant *clara et illustria testimonia*, ut ait Henschenius. Si quid hujusmodi Nicetas hic scripsisset, et Gennadii liber impedimento fuisset quominus librorum Nicetæ Aquileiensis oblivio caperet eruditos, et scientissimus Aquileiæ clerus caute scriptionum exemplaria in suis scriniis servasset, ac posteris tradidisset. Pergit tertio loco Zabeus ad stylum *Explanationis Symboli* beati Nicetæ; et stylum hunc asserit testari lucubrationem illam eum non habuisse auctorem, quia stylus nempe nitidus est, comptus, Latinus, qui plurimum idcirco requirat exercitationis in scribendo, et maximam linguæ Latinæ cognitionem : quæ certe cognitio Nicetæ Aquileiensi tribui non potest; fuit enim, juxta illum, potius *origine Græcus*, ut Dandulus tradit, quam Aquileiensis, ut judicat noster Joannes Josephus Lirutus, qui nititur argumentis quæ certissimam fidem non faciunt. Quarto demum loco, ut exercitationem in scribendo deneget Nicetæ Aquileiensi Zabeus, animadvertit quod si attendere velimus epistolæ ad eum datæ a divo Leone papa, Nicetas ipse fuit etiam scribendi parcior : nam cum quærere vellet a summo pontifice quidnam in difficillimis rebus sibi esset faciendum, non jam litteras misit, ut a cæteris episcopis factitatum novimus; sed Adeodati Romanæ Ecclesiæ diaconi voce usus est, ut constat ex ipso divi Leonis epistolæ ad eumdem exordio. Ut autem certum est Aquileiensem Nicetam hanc a divo Leone epistolam suo scripto non impetrasse, ita certum pariter ait nullum superesse vestigium responsionis scriptæ a Niceta ad eamdem

epistolam. **150** Post hæc, en quomodo concludat Zabeus : « Eum igitur qui ad supremum Ecclesiæ pastorem ne urgente quidem necessitate scripsit, sed aliena voce usus est; quomodo illa quæ aliorum industriæ antecessores committebant, eum ipsum per se fecisse et scripsisse affirmabimus? » Hactenus secunda Zabei animadversio, quam in quatuor partes tribuere placuit, ut iisdem singillatim expensis, clarior evadat responsio.

Sit itaque ad partem primam. Nimis certe fidenter asseruit Zabeus *non consuevisse* episcopos Aquileienses *per se ipsos* Symboli explicationem *catechumenis* tradere, ex eo solum quod de se perhibet Rufinus, etiamsi nullam Rufini factum explicationem admitteret. Quis namque ex uno simplici ac nudo facto audeat arguere alicujus Ecclesiæ disciplinam; quæ maxime aliena sit a disciplina aliarum, quæ circum eam sunt positæ, Ecclesiarum, sicuti hæc esset quam Zabeus astruit, ut mox dicemus? Quam autem abs re Rufini facto imitatur, ut inde eruat ipse *consuetudinem* quam Aquileiensi Ecclesiæ tribuere vellet, ex ipso Rufini facto a clarissimo De Rubeis in luce posito perspicue apparet. Hic nimirum in dissertatione sua de Rufino, capite 2, expendens hæc eadem e Rufino a Zabeo prolata verba, et annum inquirens quo Rufinus Aquileiæ baptismi gratia regeneratus fuerat, duo statuit adversus Fontaninum, qui idem argumentum pridem illustraverat; Rufinum nempe, non anno 371, sed potius 372, baptismum Aquileiæ accepisse; accepisse vero, non a Valeriano tunc episcopo Aquileiensi, sed a Chromatio ejusdem tunc Ecclesiæ presbytero, ut pronum quoque est ex ipsis Rufini verbis intelligere. Inquirens vero De Rubeis cur a Chromatio presbytero baptismum tunc ille acceperit, potius quam a Valeriano episcopo, cujus reipsa fuisset baptisma eidem adulto viro conferre juxta illius temporis disciplinam, annotat primo, quod « conferri a presbyteris baptisma, haud vetabant mores ævi illius, vel absente episcopo, vel alias ob causas facta ab episcopo facultate presbyteris id munus obeundi. » Deinde admonet quod tunc « fortasse aberat Aquileia sanctissimus Valerianus, utpote qui operam suam ea tempestate contra Auxentium Mediolanensem, et Arianos totus impendebat : ac Romanæ interfuit synodo sub Damaso papa celebratæ, quam ad annum 371 referunt alii, aliique verisimiliori conjectura ad annum insequentem 372, quo susceptum a Rufino baptisma credimus... Romani concilii, quod secundum sub Damaso numeratur, epistola synodica incipit : *Damasus, Valerianus*, etc. » Non est igitur cur ex Rufini facto arguat Zabeus *non consuevisse* episcopos Aquileienses *per se ipsos* Symboli explicationem catechumenis tradere : quia Valerianus episcopus tunc temporis probabiliter aberat Aquileia, seu Arianismi causa, seu potius Romani sub Damaso concilii; ideoque quod sine episcopo in Rufini baptismate factum fuit, non ex *consuetudine* illius Ecclesiæ factum fuisse dicendum est, sed tantum ex accidenti, quia scilicet episcopus absens erat, aut alia de causa impeditus. Ex hoc autem Rufini facto si eruamus non consuevisse episcopos Aquileienses *per se ipsos* Symboli explicationem catechumenis tradere; cur non similiter conjiciamus *non consuevisse* episcopos Aquileienses eodem ævo *per se ipsos* etiam baptisma conferre? Videat Zabeus quo nos ducat hæc tam facilis conjiciendi ratio ex unico facto seorsim accepto, et nulla circumstantiarum aut verarum aut verosimilium expositione illustrato.

Fueritne igitur Chromatius presbyter **151** qui ea occasione explicationem Symboli tradiderit Rufino, loco absentis aut impediti episcopi Valeriani? Id certe videtur rationi consonum, ut loco episcopi hoc peregerit presbyter ibi a Rufino nominatus, potius quam archidiaconus, aut diaconus; quorum pariter mentionem facit. Sed cum de *Eusebio* tunc *diacono* scribat Rufinus, quod *pater mihi, et doctor Symboli ac fidei fuit*, hunc probabiliter censuit Zabeus explicationem Symboli Rufino tradidisse, et hunc propterea crediderit, etiam quia *diaconus* erat, unum fuisse ex iis qui in Aquileiensi Ecclesia, episcopi loco, expositionem Symboli catechumenis tradebant ante baptismum. Hic vero, pace summi viri, dixerim, confundi minime debere Symboli expositiones privatas et publicas, domesticas et solemnes; eas nimirum quæ fiebant intra domesticos illuminandorum parietes, aut in ædibus Ecclesiæ a templo sejunctis, et eas quæ in templo coram populo, aut in baptisteriis prope templum habebantur. Confundi quoque minime debent simpliciter catechumeni cum competentibus; ii nempe qui Christianæ fidei nomen dederant, sed longe adhuc erant a baptismatis susceptione, cum iis qui proxime sacris undis abluendi essent : illis namque summa tantum Christianæ fidei capita commendabantur; his vero solis Symbolum tradebatur, quod etiam reddere debebant statutis diebus, priusquam ad baptismum admitterentur. Videas hinc non solius episcopi esse potuisse hæc omnia peragere priscis illis temporibus, cum baptizandorum copia esset, et baptizandi ad ipsum adulti undequaque confluerent; etiamsi in id unum incumbere voluisset. Inferiores propterea clerici, maxime vero diaconi, ut compertum est et abunde ostensum apud rerum hujusmodi tractatores, in unaquaque Ecclesia eligebantur, quibus privata commendabatur instructio seu catechumenorum, seu competentium. Illis nempe prima fidei rudimenta tradebant, quibus sufficienter instructi in competentium numerum acciperentur. His autem Symbolum concredebatur, quod redderent statutis diebus, ut tandem apti essent ad salutare lavacrum.

De Symbolo vero ut hic nonnihil attingam, quod uberius suo loco dicendum erit, quis nesciat oretenus tradi competentibus consuevisse, atque ab iis oretenus reddi, absque ullo scriptionis adjumento; ita ut propterea diuturna opus esset eorum clericorum industria, assidua opera, repetitione frequenti, maxime vero apud eos qui non admodum memoria valerent, aut non ita prompto ingenio essent? Distinguenda igitur est hæc privata et operosa, ut ita dicam, seu catechumenorum seu competentium instructio, quæ ab inferioris ordinis clericis fiebat, ab ea quæ postea præsertim competentibus ab episcopo peragebatur publico loco, et ad quam eos accedere oportebat jam satis prius quantum ad verba instructos, et nonnihil etiam quantum ad sensum, ut ex ea proficere possent. De prima itaque instructione privata quam habuerat Rufinus ante baptismum ab Eusebio diacono loquitur ipse, cum de eodem Eusebio dixit, quod *pater mihi, et doctor Symboli ac fidei fuit*. Jam ad vocem *pater* quod spectat, cum clarissimo viro De Rubeis loco citato eam affirmamus hoc loco significare *patrinum, sponsorem ac susceptorem*; quia talis nimirum fuerit Rufino Eusebius diaconus in salutari lavacro, prout ferebant illius temporis ritus, postquam illi fuerat in fide ac Symbolo institutor. Cum vero notet Rufinus se habuisse in *Eusebio* diacono *doctorem Symboli ac fidei*, et ita non sine ratione aliqua Symbolum a fide distinguat; quidni distinguere **152** hoc modo voluerit duplicem suam ante baptismum conditionem, simplicis nempe catechumeni ac postea competentis, in quarum utraque *doctorem* seu institutorem habuerit in Aquileiensi monasterio, ubi positus erat, Eusebium diaconum; in catechumenatu scilicet *doctorem fidei* quoad prima Christianæ fidei rudimenta, in competentium gradu *doctorem Symboli*, quod nonnisi competentibus, et ad baptismum proximis tradebatur? Ita liceat conjectare ex Rufini verbis, atque ex disciplina eodem ævo vigente, quæ Aquileiensi Ecclesiæ procul dubio extranea non fuisse videtur.

Sed quid nunc de Symboli expositione publica et solemni ab episcopis fieri solita competentibus ad baptismum, seu in Ecclesia seu in baptisteriis, de qua mentio nulla in Aquileiensibus monumentis veterum sæculorum; unde Zabeus asseruit *non consuevisse* episcopos Aquileienses *per se ipsos* Symboli explicationem

catechumenis tradere? Ut multa omittam, quæ ex Orientali Ecclesia afferre possem exempla hujusmodi expositionum Symboli solemnium ab episcopis factarum, ut multa etiam præteream quæ nobis exhibet Ecclesia Occidentalis ex tot regionibus ubi olim hæc eadem obtinuit disciplina; satis sit duorum aut trium meminisse, ex Ecclesiis aut prope Aquileiensem positis, aut non ita procul ab ea distantibus, ut inde pateat quanta opus sit, prope dixerim, violentia, ut asseratur Aquileienses episcopos, hac disciplina cæterarum Ecclesiarum circumdatos, *non consuevisse per se ipsos* Symboli explicationem *catechumenis* seu potius competentibus tradere. Sanctus certe Ambrosius Mediolanensis episcopus ipsa Valeriani et Chromatii Aquileiensium ætate, quibuscum etiam necessitudinem quamdam, immo veluti affinitatem spiritualem habebat ob datam acceptamque episcopalem ordinationem juxta antiquum duarum illarum Ecclesiarum morem, de quo alias mentio fuit; sanctus, inquam, Ambrosius ipse de se testimonium affert luculentissimum in epistola ad Marcellinam sororem, quæ 20 est in postrema Veneta illius Operum editione, ubi hæc habet: « Sequenti die, erat autem Dominica, post lectionem, atque tractatum, dimissis catechumenis, Symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam basilicæ. » Consueverant igitur episcopi Mediolanenses *per se ipsos competentibus* Symbolum tradere aut Symboli explicationem: nam ita etiam de hac re scribit Ambrosius, ut nequeat dubitari ipsum simul et factum proprium commemorasse, et episcopale munus asseruisse quod esset Ecclesiæ suæ consuetudine roboratum.

Sed jam ad ipsam Nicetæ nostri ætatem accedamus, et ipsas Symboli episcopales expositiones intueamur quæ adhuc supersunt, testes disciplinæ eodem ævo vigentis in illis Ecclesiis, quarum erant episcopi earumdem expositionum auctores. Sancti profecto Petri Chrysologi Ravennatensis episcopi, cujus alias meminimus, exstant de Symbolo apostolorum ad competentium instructionem sermones complures, qui videri possunt in editione Sebastiani Pauli, ubi alius post alium exhibentur; et ubi quoque videas ejusdem sermones itidem complures de oratione Dominica, similiter ad competentes, quibus cum Symbolo eadem oratio ediscenda ac reddenda tradebatur. Sanctus quoque Maximus Taurinensis episcopus, de quo alibi alia attulimus, præclarum habet de Symbolo ad competentes sermonem, qui inscribitur homilia, et in novissima ejus Operum editione Romana est ordine 83 cum titulo de Traditione Symboli, seu ut alias de Expositione Symboli, aut **153** etiam in Traditione Symboli, de expositione ejusdem. Quid igitur? Dum Mediolanensis Ecclesia, dum Ravennatensis, dum Taurinensis exhibent nobis episcopos suos expositionem Symboli competentibus *per se ipsos* tradentes; solane fuerit Ecclesia Aquileiensis, ab his prope dixerim circumsepta, cujus episcopi non consuescerent *per se ipsos Symboli explicationem catechumenis tradere*, ut Zabeus existimat?

Ubi etiam animadvertas velim quam longe abierit ipse a vero, dum dixit episcopos ipsos, generaliter loquendo, pristinis temporibus *aliquando* solitos fuisse his officiis fungi, et scire se hunc *non omnium* episcoporum *morem* fuisse. Etiam quæ adhuc attulimus ex hac sola superiori Italiæ parte, cæteris de industria omissis aliarum per orbem Ecclesiarum testimoniis, satis ostendunt, non *aliquando* tantum, sed passim ac communiter, atque ex vigenti disciplina, sicut etiam ex proprio episcopali munere, solitos fuisse episcopos priscis temporibus his officiis fungi; ita ut etiamsi horum aliqui inveniantur, quos certo constaret his officiis functos non esse, hoc nequaquam *ex more* factum fuisse dicendum esset, sed alia omnino ex causa, quæ gravis quidem ac multiplex pro personarum locorum ac temporum qualitate esse potuit.

Ut autem aliquid attingamus etiam ex Aquileiensi Ecclesia sæculo quinto, ne omnino intactum relinquatur quod ipse addit, *deesse* scilicet *monumenta* quibus hic mos de Aquileiensibus episcopis eodem sæculo asseratur; ecce nobis iterum ante oculos positus sermo 242 in appendicibus Augustinianis, quem antea diximus probabiliter auctorem habere Augustinum episcopum Aquileiensem divi Chromatii successorem. Hujus porro sermonis titulus est: *De Symbolo ad competentes*; ubi post integram Symboli recitationem, in quo desinentis jam tunc Aquileiensis peculiaris formulæ vestigium aliquod apparet, illius quoque articuli singillatim exponuntur, prout videre est in aliis Symboli expositionibus quas habemus, et in iis quoque quas nuper citavimus divi Petri Chrysologi, et divi Maximi Taurinensis.

Jam ad aliam partem secundæ animadversionis Zabei accedimus, ubi ait, *eos tantum* episcopos consuevisse *per se ipsos Symboli explicationem catechumenis tradere*, aut quibus fuerit *familiare publice loqui ex tempore*, aut quibus *consuetudo scribendi calamum effecerat promptiorem*. Utrumque vero nos Zabeo negamus, eadem libertate qua ipse utrumque asserit. Pro Symboli enim expositione catechumenis, seu potius competentibus, etiam publice tradenda, necesse non erat ut cuiquam familiare esset publice loqui ex tempore, neque ut quis scribendi consuetudine calamum haberet promptiorem. Ex omnibus namque publicis locutionibus, quibus pro officii sui munere operam dabant episcopi, sicuti nulla frequentior quoad materiam, ita nulla certe facilior Symboli expositione; nulla in qua minus vel memoria, vel industria, vel ingenio, vel studio laborare deberent: ita ut etiamsi episcopus aliquis inveniretur, qui impar esset sermonibus ad populum ac homiliis publice habendis, aut quia dicere ex tempore non valeret, aut quia parum esset in scribendo exercitatus; nullus profecto esse potuerit, qui hisce de causis impar proprie dici posset habendis Symboli expositionibus ad catechumenos, seu competentes. Quicumque vel raptim perlustraverit eas quas habemus, vel eas tantum quas nos ipsi citavimus, Symboli expositiones ab episcopis factas, facile intelliget, stylum quidem pro locorum ac temporum ratione esse diversum, materiam quoque in una eademque re non eodem prorsus modo digestam, aliquid alibi pressius, aliquid alibi latius prædicatum; **154** sed nihilominus eumdem ubique inesse rerum ordinem, non studio excogitatum, non arte inventum, sed ab ipsa articulorum Symboli successione derivatum; eadem fidei dogmata, eadem religionis mysteria, easdem ubique mysteriorum ac dogmatum explicationes; ut omnino nec memoria laborans, nec loquendi ex tempore aut scribendi exercitio destitutus, jure posset ad hoc munus obeundum ineptus judicari. Res hæc est hujusmodi, ut in ea non sit diutius immorandum. Quid igitur addit Zabeus, nihil tale de beato Niceta Aquileiensi dici posse; scilicet nec illi familiare fuisse publice loqui ex tempore, nec habuisse in scribendo calamum promptiorem, quia de illius *doctrina* nulla exstant *clara et illustria testimonia*, ut ait Henschenius? Etiamsi hoc verum esset atque exploratum, non inde sequeretur Nicetam Aquileiensem auctorem esse non posse illius *Explanationis Symboli ad competentes* quæ ipsius nomen præ se fert, atque ideo Nicetam Gennadianum hujus Explanationis auctorem, non esse Nicetam episcopum Aquileiensem.

Quid vero superaddit, quod si Nicetas hic aliquid scripsisset, Gennadii liber impedimento fuisset, quominus librorum Nicetæ oblivio caperet eruditos? Et exstant nimirum Nicetæ hujus clara et illustria testimonia, et horum Gennadius meminit in libro suo sub Nicetæ nomine civitatis Romatianæ episcopi, ut data opera in capitibus præcedentibus explicatum atque ostensum est. Quod autem subdit Zabeus de clero Aquileiensi, qui caute servasset exemplaria scriptionum Nicetæ in scriniis suis, ac posteris tradidisset, si ille reipsa aliquid scriptum reliquisset; hoc osten-

dit, Zabeum ipsum, dum hæc animadvertebat, præ oculis non habuisse tot infortunia, quibus Aquileiensis præsertim Ecclesia etiam post Nicetæ mortem obnoxia fuit, neque tot fata quæ universus orbis a quinto sæculo ad nos usque subivit, unde factum est ut lucubrationum veterum immensus pene numerus undique interiret; et ita quidem, ut inter auctorum Opera de quibus memoria superest, plura fortasse sint quæ ab eruditis desiderantur, quam quæ agnoscuntur. At servavit fortasse posterorum utilitati Aquileiensis clerus scripta Nicetæ episcopi sui; ex quibus tamen duo tantum in luce publica sunt, alterum nuper Romæ detectum et Nicetæ ipsius Aquileiensis nomine inscriptum, alterum a multo jam tempore notum ac Nicetæ etiam Gennadiano ab eruditis tributum, præter fragmenta aliqua quæ nuperrime inventa fuerunt. Quis vero negare ausit hæc omnia ex Aquileiensi Ecclesia primitus prodiisse ubi ortum habuerunt, sive a Niceta ipso diffusa, sive post eum ab Aquileiensi clero apographis propagata, et ita a propriis scriniis educta ubi autographa servabantur?

Tertio loco in secunda sua animadversione ad stylum *Explanationis Symboli* beati Nicetæ se convertit Zabeus; et *stylum* hunc ait satis testari Nicetam Aquileiensem non fuisse auctorem *Explanationis* illius, quia *stylus* nempe *nitidus*, *comptus*, *Latinus*, qui *plurimum exercitationis in scribendo requirit, et maximam Latinæ linguæ cognitionem;* quæ certe cognitio Nicetæ Aquileiensi concedi non potest, qui potius fuit *origine Græcus* juxta Dandulum, quam Aquileiensis juxta Lirutum. Stylum certe hujus Explanationis nitidum, comptum, Latinum, unusquisque qui vere sapiat judicaverit. Quid inde porro? Inde igitur arguere licet, Aquileiensem fuisse potius quam Dacum Nicetam illum Explanationis hujus auctorem. Nicetam certe Dacum sancti Paulini Nolani amicum ex ipso Paulino novimus *Dardanum* fuisse, et patriam suam habuisse non longe a Scupis in ipsa Dardania, quæ partem **155** novæ Daciæ Cisdanubianæ constituebat. Græcam linguam olim obtinuisse in Dardania, immo indigenam linguam fuisse, nemo inficias iverit. Temporibus vero Nicetæ Daci, et Græcam et Latinam pariter ibidem in usu positam, indubium quoque videtur. Latinam scilicet in novam Daciam, ac proinde etiam in Dardaniam, intulerunt Romanorum coloniæ ab Aureliano principe e Transdanubiana Dacia evocatæ, atque illic positæ; quas linguam eamdem posteris transmisisse verosimillimum est: Græcam vero ibidem pariter perdurasse apud veteres incolas illius regionis dubitari non potest; et ita Græcam æque ac Latinam iisdem in locis usurpatas fuisse. Quid autem in duabus Mœsiis, superiori nempe, atque inferiori, ex quarum etiam extremis partibus unicuique detractis, ubi sese invicem contingebant, Dacia Cisdanubiana in primis constabat ad dexteram Danubii ripam, uti capite secundo ex veterum monumentis vidimus? Eruditissimus canonicus Mazochius Kalendarii Neapolitani vol. III, pag. 663, colligebat *ex utriusque regionis numismatibus*, *Mœsiam inferiorem Græco sermone*, *sicuti superiorem Latino usam*, hæc deinde subdens: « Quantum equidem potui animadvertere, claræ in primis urbis Marcianopolis, adhæc Nicopolis, Istri, Tomorum, Callatiæ, Serdicæ, quæ inferioris Mœsiæ urbes sunt, nummos nonnisi Græcos reperio, nec ullos ejus regionis nummos Latinos vidi. Contra vero Naisi, et Pinci, quæ in superiore sunt Mœsia, numismata Latinas inscriptiones præferunt. » Si hæc ita sunt, non modo igitur in Dardania Nicetæ Daci patria, sed etiam in illis duarum Mœsiarum partibus, superioris et inferioris, ex quibus una cum Dardania constabat nova Dacia Cisdanubiana, ejusdem Nicetæ Daci ætate, utraque lingua, Græca scilicet atque Latina, obtinebat; quod ita etiam intelligendum arbitror, ut ambæ pariter in illis extremis partibus utrinque obtinuerint, ex ipsa finitimarum quarumcumque regionum conditione, politico maxime ac naturali nexu unitarum; qua nempe fit, ut lingua unius, per aliquod saltem utriusque loci spatium, sit etiam quodammodo lingua alterius, quoad scilicet familiarem loquendi usum, licet unaquæque propria sit peculiaris suæ regionis. Quid vero usuvenit, ubi duo idiomata pariter obtinent in una eademque regione, ex ipsa incolarum, ut ita dicam, indole atque natura? Ut nempe neutrum purissimum sit atque castissimum; neutrum ab omni prorsus peregrinitate alienum, neutrum immune ab omni alterius etiam vitiosa admixtione sensim inducta, etsi non quoad verba, saltem quoad dicendi modos, et quoad syntaxim. Si igitur stylus *Explanationis Symboli* beati Nicetæ, Zabeo ipso judice, *nitidus*, *comptus*, *Latinus* est, qui maximam linguæ Latinæ *cognitionem* in scribente testatur, quomodo Nicetæ Daco sancti Paulini Nolani amico, et in hac nova Dacia ut Zabeus arbitratur episcopo, Explanatio hæc tribui tam facile potest, potius quam Nicetæ Aquileiensi qui sancti Leonis Magni tempore floruit?

Minus autem huic Nicetæ Daco sancti Paulini Nolani amico hæc *Explanatio Symboli* tribui potest, si cujus reipsa Daciæ hic episcopus fuerit recolamus. Jam dictum fuit, et toto secundo capite hujus disputationis prolixe, atque, ni fallor, satis etiam probatum, Nicetam Paulinianum, non in Dacia nova atque Romana cis Danubium posita episcopatum gessisse, sed in veteri Dacia barbara trans Danubium sita, quæ Dacos, Getas, Bessos, ac Scythas, barbaras gentes continebat, quæque longe lateque ad Aquilonem protendebatur; atque ibi Nicetam ipsum non **156** episcopum alicujus propriæ sedis fuisse, sed universæ illius amplissimæ regionis *episcopum gentium*, id est episcopum apostolicum. Quid igitur ibidem in Niceta episcopo stylus *Explanationis Symboli nitidus, comptus, Latinus?* Barbaræ illæ gentes, quæ sicut a Romanis legibus, ita et a Romanorum consuetudine, quamdiu ultra lævam Danubii ripam sese continuerunt, semper abhorruere; numquid ita fuerint Latino sermoni addictæ, ut necesse haberent episcopum suum audire *nitido*, *compto*, ac vere *Latino* sermone loquentem? Immo vero ausim dicere, gentes illas, ac eas maxime quæ paululum longe a læva Danubii ripa veterem illam Daciam incolebant, Mediterraneam nempe atque Alpestrem, Nicetæ ætate, id est centum et amplius annis ab Aureliani imperio, quo veteres suas sedes iterum pleno jure obtinuerunt, ne minimam quidem amplius habuisse Latinæ linguæ cognitionem, etiamsi eamdem antea aliquatenus calluisse concesserimus; easque propterea tunc nativa sua barbarica usas fuisse, ita ut Nicetas episcopus, qui probabiliter ex nova Dacia oriundus ibidem ad Evangelium prædicandum pro loci etiam opportunitate missus fuerat, licet fortasse earumdem linguam non prorsus ignoraret, necesse habuerit nihilominus in eadem plenius addiscenda laborare, ejusque varios dialectos singillatim cognoscere, necnon eadem ipsa barbarorum lingua sermones, exhortationes, explanationes, et alia hujusmodi semper habere. Id intelligimus satis aperte ex ipso divi Paulini *poemate* XVII, *ad Nicetam redeuntem in Daciam*, ubi ait:

> Orbis in muta regione per te
> Barbari discunt resonare Christum
> Corde Romano.

Quid est illa *muta orbis regio*, nisi regio quæ *muta* quodammodo Romano orbi videretur etiam ob sonum insuetum barbaricæ linguæ, Romanis auribus prorsus impervium, et simile stridori qui sæpe a mutis emittitur absque ulla vocis pronuntiatione, et absque ulla sensuum declaratione distincta? Quod vero subdit, Barbaros discere a Niceta resonare Christum *corde Romano*, id est mente, affectu ac fide Romanorum, et non dixit Romana voce, non lingua; hoc magis magisque confirmat, linguam eorum a Latina lingua omnino fuisse diversam; ideoque Nicetam

Gennadianum qui *Explanationem Symboli* ad competentes scripsit sermone *nitido*, *compto*, *Latino*, non fuisse Nicetam, barbararum gentium in Dacia institutorem, et sancti Paulini Nolani amicum, sed fuisse potius Nicetam nostrum Aquileiensem qui divi Leonis Magni tempore floruit. Difficultatem non moror, quam superaddit Zabeus ex Græca origine Aquileiensis Nicetæ a Dandulo asserta. Dixisse modo sufficiat, ex Græca Nicetæ nominis derivatione fortasse Dandulum conjectasse Aquileiensem Nicetam fuisse origine Græcum. Quis tamen vetat intelligi posse, Nicetam hunc et vere fuisse *origine Græcum* juxta Dandulum, et nihilominus fuisse patria Aquileiensem juxta Lirutum; nimirum Aquileiæ natum ex genitoribus, aut progenitoribus, qui essent e Græcia oriundi; Aquileiæ proinde altum atque educatum, ita ut ibidem nativam Aquileiensium Latinam linguam veluti cum lacte imbiberit, quam usu postea ac studio excoluerit, ut stylum demum conficeret, qualem in *Explanatione Symboli* cum Zabeo admiramur, *nitidum*, *comptum*, *Latinum?* Sed de hac Nicetæ Aquileiensis origine inferius suo loco.

Venio ad quartam alterius animadversionis Zabei partem; in qua, ut verum fatear, nonnihil injuriosus videri posset memoriæ sancti nostri Aquileiensis episcopi Nicetæ, nisi aliunde illius nobis animus moderatione ac religione plenus innotesceret. Traducitur enim a Zabeo Nicetas Aquileiensis **157** veluti *scribendi parcior;* qui *urgente* etiam Ecclesiæ suæ *necessitate*, laborem evitaverit scribendæ Epistolæ *ad supremum Ecclesiæ pastorem*, et *aliena* potius *voce usus* fuerit ad illius implorandam auctoritatem; qui accepta etiam a divo Leone Magno epistola, qua Ecclesiæ suæ necessitatibus providebatur, quæ est epistola 159 in editione Veneta Balleriniorum, eidem *responsionem* non dederit. Nicetam itaque nostrum Aquileiensem (quæ rei summa est) socordiæ in agendo, negligentiæ in pastorali officio, inurbanitatis immo et irreverentiæ in Romanum Pontificem, Zabeus vel etiam nolens accusat, ut ita Latine scribendi etiam *exercitationem* illi defuisse probet; ad confirmandum scilicet quod sibi propositum erat, illum nempe non esse auctorem *Explanationis Symboli ad competentes*, quæ quia *nitida*, *compta*, *Latina*, plurimum requirebat etiam in scribendo exercitationis, in eo qui ejusdem auctor fuisset.

Ut ad hæc quoque respondeamus, quæ cæteroquin videri possent responsione non indigere, nonnulla sunt perpendenda. Si primæ lineæ recolantur præcitatæ epistolæ sancti Leonis papæ ad Nicetam episcopum Aquileiensem, intelligimus quidem Adeodatum apostolicæ sedis diaconum, ab Aquileiensi Ecclesia et ab ipsa Nicetæ conversatione atque colloquio Romam regressum, *memorasse* sancto pontifici postulata Nicetæ; sed non inde colligimus nullam omnino Adeodatum ipsum secum tulisse Nicetæ scriptionem, in qua postulata ejusdem continerentur, quæ pontifici memoraret. Immo ex ipsa sancti Leonis papæ epistola satis, ni fallor, intelligimus scriptionem aliquam Nicetæ Aquileiensis Adeodatum diaconum secum tulisse, ex qua postulata ejusdem sancto Leoni memoraret. Capite 1 ejusdem epistolæ ad Nicetam ita scribit sanctus pontifex: *Cum ergo per bellicam cladem, et per gravissimos hostilitatis incursus, ita quædam dicatis divisa esse conjugia*, etc. Illud verbum *dicatis* pluraliter expressum, cum ad unum Nicetam Romanus pontifex scriberet, videtur certe respicere non minus Adeodatum oretenus memorantem, quam Nicetam aliquo modo id ipsum scriptione sua dicentem. Sed fortasse clariora etiam sunt quæ sequuntur, ut eruamus Nicetam nostrum aliquid scripto tradidisse Adeodato Romano diacono, quod sanctus Leo haberet præ oculis, dum epistolam illam suam ad Nicetam exarabat. Hujusmodi censeri possunt quæ legimus eodem capite 1: *Merito charitas tua videtur ambigere, quid de mulieribus, quæ aliis junctæ sunt viris, a nobis debeat ordinari.* Hanc nimirum Nicetæ *ambiguitatem* nonnisi ex Nicetæ ipsius aliqua scriptione poterat sanctus pontifex deprehendere, in qua idem Nicetas *ambiguitatem* illam suam verbis appositis expressisset; quod etiam ex alia dictione *videtur* confirmari potest: non enim apte dixisset *charitas tua videtur ambigere*, si hac super re aliquid a Nicetæ scriptum non legisset, cui illud *videtur* recte posset accommodari. Ad solam certe relationem Adeodati diaconi, oretenus factam, illud verbum *videtur* minus apposite fuisset a divo Leone usurpatum. Sed alia quoque adsunt ad rem nostram opportuna. Capite 5 illius epistolæ ita scribit sanctus Leo: *De his autem Christianis, qui inter eos, a quibus fuerant captivati, immolatitiis cibis asseruntur esse polluti, consultationi charitatis tuæ hoc etiam respondendum esse credidimus.* Capite item 6 hæc alia: *His vero, de quibus dilectio tua similiter nos credidit consulendos.* Capite demum 7, ita concludit: *Hanc autem epistolam nostram, quam ad consultationem tuæ fraternitatis emisimus, ad omnes fratres et comprovinciales tuos episcopos* **158** *facies pervenire.* Ubi certe tam crebro *consultatio* Nicetæ Aquileiensis asseritur a divo papa Leone in responsione sua, minus quidem probabile videtur hujus *consultationis* scriptum aliquod ipsius Nicetæ non exstitisse, quod præsens sanctus pontifex haberet dum respondebat.

Præterquam quod, si etiam recolamus materiam consultationum Nicetæ episcopi, sane gravissimam, de conjugiis nempe eorum qui e captivitate regressi proprias uxores aliis interim nuptas repetebant, de iis qui in captivitate positi idolothytis usi fuerant, aut ad iterandum baptisma compulsi; vix credi potest Nicetam Aquileiensem hæc talia memoriæ tantum commisisse Adeodati diaconi, nec suo scripto aliquo exposuisse, ut pontifici clare ac dilucide cum circumstantiis omnibus ac rerum serie innotescerent. Si ita negligens reipsa Nicetas Aquileiensis fuisset, vix etiam credi posset sanctum Leonem Magnum, qui in notandis sacerdotum negligentiis adeo erat sollicitus ut ex ejusdem epistolis constat, non admonuisse Nicetam nostrum in hac eadem epistola ut sibi et Ecclesiæ suæ saltem in posterum diligentius ac sollicitius provideret. Sed alii episcopi, urget Zabeus, in rebus dubiis proprii muneris, datis epistolis sedem apostolicam consulebant: cur non ita Aquileiensis Nicetas? Verum si Nicetas scripto aliquo, ut videtur, *consultationes* suas exposuit summo pontifici, quid refert si peculiarem epistolam ad ipsum non dederit? Ratio autem erat eidem Nicetæ non dandi peculiarem epistolam; quæ ratio vix pro alio fuerat umquam episcopo. Aderat quippe Adeodatus Romanæ Ecclesiæ diaconus, qui probabiliter ab ipso sancto pontifice Aquileiam missus fuerat, aut etiam ab ipso fortasse Nicetæ episcopo expetitus, ut illius Ecclesiæ statum præsens agnosceret, atque ad apostolicam sedem testis oculatus referret. Quid opus erat epistola, ubi præsens aderat is, qui locum tenebat illius ad quem danda esset epistola? Non alia re opus erat, Adeodato præsente, quam lucubratione aliqua, qua Aquileiensis Ecclesiæ status, et rerum gravitas exponeretur, subjicienda apostolicæ auctoritati; quod et Nicetam fecisse probabile est, et nemo Nicetæ ipso accuratius facere poterat. Sed cur saltem Nicetas epistolæ sancti Leonis Magni *responsionem* non dedit? Verum ipsa sancti Leonis Magni epistola, erat responsio ad *consultationes* Nicetæ, quæ scripto ab eodem exaratæ verisimiliter fuerant, uti vidimus. Quid igitur responsio ad responsionem, absque nova necessitate scribendi? Atque hæc ad quartam secundæ animadversionis Zabei partem dicta sint; quæ simul ad purgationem Nicetæ Aquileiensis, a criminationibus in eum conjectis, abunde sufficiunt.

Tertiam suam animadversionem ex *penitioribus* causæ erutam Zabeus incipit a numero tertio ejusdem secundæ partis dissertationis suæ, eamque producit ad numerum usque decimum primum. Hæc tota versatur in formula Symboli apostolici quæ

apud Aquileienses olim obtinebat, tribus singularibus additamentis insigni, et quadam alia varietate distincta. Cum formulam hanc Zabeus ipsissimam non inveniat in *Symboli Explanatione* Nicetæ episcopi, hinc est quod eam Explanationem Nicetæ Aquileiensi abjudicat; et longa quidem oratione, ex qua intelligimus unum esse hoc ex præcipuis argumentis causæ suæ. Huic responsum ex professo dedimus capite quarto hujus nostræ disputationis, ubi etiam, ex manifestis indiciis quæ reperiuntur veteris Aquileiensis formulæ in hac ipsa *Symboli Explanatione* Nicetæ episcopi, eamdem pertinere asseruimus ad Nicetam Aquileiensem: quapropter hic abstinemus ab omni alia disquisitione hac super re, **159** de qua ibidem satis superque dictum fuit.

Numero duodecimo, ac decimo tertio, solvendas sibi proponit Zabeus objectiones, quas prævidet sibi ab aliquo obtendi posse, ex *Latino* scilicet *sermone* quo exarata est *Explanatio Symboli* Nicetæ, et ex *cultura styli* ejusdem *Explanationis*. Objectiones vero istæ tales sunt quibus omnis Zabei responsio insufficiens videatur: et nos quoque paulo ante ostendimus, *culturam styli* in Latino eloquio apud Dacos cis Danubium positos non potuisse Nicetæ Daci tempore obtinere, quia simul in una eademque provincia duæ linguæ, Græca atque Latina, a multo tempore existebant; minus vero *Latinum* ipsum *sermonem*, etiam absque cultura styli, in Dacia barbara Transdanubiana, ubi reipsa Nicetas ille Dacus episcopatum gessit, locum habuisse. Ut autem nonnihil etiam hic pro re nata addamus ad confirmationem eorum quæ superius dicta sunt; Ulfilæ quidem episcopi factum, sibi a Zabeo oppositum, qui quarto Ecclesiæ sæculo in suorum Gothorum seu Getarum gratiam, qui cis Danubium Mœsiæ partem ac etiam Thraciæ Valentis Augusti concessione obtinuerunt (uti ex historia notum est), quatuor Evangelia in eorum linguam transtulit, quæ Dordaci, ex pretioso codice edita fuerunt anno 1665, a Francisco Junio et Thoma Mareschalo; hoc, inquam, factum tale est, quidquid Zabeus dicat, ut probet Latinam linguam eo tempore apud gentes barbaras, etiam cis Danubium in Romanas terras trajectas, non fuisse linguam, qua posset ipsis religio prædicari. Quid igitur si Danubium transeamus, ubi Nicetæ Daci episcopalis cura longe lateque protendebatur, etiam per eas ad Boream Riphæasque oras regiones, quo numquam Romanorum vestigia pervenerant; et ubi Barbarorum gentes, etiam quæ ad lævam Danubii ripam sitæ erant, in proprio solo, et a Romanorum societate sejunctæ jamdiu permanebant? Sed hic ad linguæ etiam Latinæ fatum oculos convertamus oportet, postquam Barbarorum copiæ e Transdanubianis regionibus in Romanum imperium undique irruentes, orbis terrarum faciem quinto ac sexto sæculo immutarunt. Romanum orbem proculdubio gentes illæ ubique invenerunt, maxime in occiduis partibus, Latine loquentem. Si porro gentes illas ponamus Latini sermonis non ignaras fuisse, ita ut Nicetam episcopum quarto et quinto sæculo Latine culteque loquentem potuerint ubique Daci ac Getæ, Bessi ac Scythæ in suis regionibus intelligere, et ad illius vocem barbariem ipsam quodammodo exuere, et ad veræ religionis professionem accedere; cur linguam Latinam longe lateque in Occidente dominantem, maxime vero in Italia ubi natale solum ac sedem præcipuam habebat; cur, inquam, gentes illæ Latinam linguam protinus non didicerunt; cur eam potius ubique obtinentem adeo infecerunt barbarie proprii sermonis, ut jam lingua Latina, ipsarum gentium causa, passim desierit esse communis, ac demum sacris tantum addicta, et in scholarum angustiis relegata, novam linguarum formam ad omnium usum gignere veluti coacta fuerit, qualem nunc ipsi in Italia loquimur, qualemque in Galliis atque Hispaniis usurpari novimus? Sed ad alias progrediamur Zabei animadversiones.

Pergit itaque Zabeus *penitiora* scrutari, et numero 14 illud ait *præcipue* notandum, quod in *Explanatione Symboli* beati Nicetæ sermo est contra *idololatriam*, et contra hæreses præser im *Arianorum*, *Marcionitarum*, *Cataphrygum* et *Manichæorum*. « Porro hæc absurda, ait ille, a cultissima Aquileiensium ea tempestate provincia, ut supra indicavimus, abesse debuerant: contra vero **160** indoli barbararum ferarumque nationum con enieba t; » i l est indoli Dacorum illorum, ut ipse autumat, qui cis Danubium Remissianensi episcopo suberant. Hic interim ad nostram re iteru n juvat, mal a Zabeo appellari *barbaras ferasque nationes*, eas quæ dexteram Danubii ripam Nicetæ tempore in oleban , maxime vero Dardaniam, seu novam Daciam Mediterraneam, ubi, juxta illum, Nicetæ Daci episcopatu erat. Sed Zabeus in tota sua dissertatione sæ e confundit Dacos Romanos cum Barb ris, et Daciam proinde Cisdanubianam cum Transdanubiana: quod probe necessario ipsi erat faciendum post adoptatam opinionem, quod Nicetas Dacus sancti Paulini Nolani amicus episcopus fuerit Remissianæ civitatis in Dacia Romana positæ. Nam cum ex sancto Paulino const t, *barbaras* reipsa *ferasque* gentes eas fuisse, quæ beato Nicetæ episcopo amico suo suberant; *barbaræ* procul dubio *feræque* dicendæ erant etiam illæ cis Danubium positæ, et in Dardania seu nova Dacia Mediterranea constitutæ, in excogitato, Remissianensi Nicetæ episcopatu. Ipse vero Zabeus, qui contra Paulini Nolani apertam fidem cogitur asserere, non fui se Nicetam episcopum qui primus omnium in Daciam intulit Christi religionem, uti aperte in nota secunda ad primam dissertationis suæ partem; qui insuper fatetur ibidem ac probat, jam a tempore Nicæni concilii fuisse in eadem D cia, in Dardania scilicet ac in Mœsia quoque, plures jam institutos episcopatus cum suis episcopis sub metropoli Sardicensi, quod sane ex monumentis ecclesiasticis aperte constat, et nos quoque secundo capite hujus dissertationis jam fuse ostendimus; q omo o non intellexit *barbaras ferasque* gentes, nonnisi peream ac injurie, dici posse eas quibus Nicet s episcopus Remissianensis in Romana Dacia præfuisset? Sed ad novam ipsius animadversionem jam accedamus.

De *idololatria* nihil est hic addendum ad ea quæ diximus ab initio hujus capitis, ubi os endimus habuisse reip a Aquileienses ipsos præsules cur adversus idololatriæ reliquias etiam quinto sæculo dimicarent. Qui l nunc de hæresibus *Arianorum*, *Marcionitarum*, *Cataphrygum* et *Manichæorum?* Breviter animadvertamus oportet, nullam propemodum fuisse hæresi n contra quam Aquil ensis epis opus ea tempestate non debu rit fideles suos communire, sive Aquileiæ sederet, sive alibi in diœcesi sua, et ad p rtum etiam Romatinum ut non semel evenisse arbitramur; cum notum sit ex historia, eo tempore, ac multo etiam ante, ex toto Oriente, ex Græcia nimirum, ex Asia, ex Ponto Euxino, ex Ægypto, necnon ex aliis quoque mundi partibus, commercii causa, cujuscumque seu religionis seu erroris homines ad maritimæ Venetiæ oras appulisse, Aquileiamque præsertim petiisse, ibique incolatum etiam permanenter habuisse, veluti in urbe quæ emporium erat locupletissimum, ac veluti centrum unionis totius orbis; Occidentalis nempe et Orientalis, mercaturæ faciendæ gratia. Adeatur super hac re clarissimus Filiasius, *Memorie storiche dei Veneti primi e second*, tomo II, capite 22, qui de hoc argumento erudite simul ac copiose agit.

Ut vero ita reapse de Aquileiensibus episcopis fuisse confirmemus, ecce nobis Aquileiensis Ecclesiæ presbyter Rufinus, qui de Aquileiensi Ecclesia rem singularem nobis testatur, quod spectat ad hæreses, in Commentario suo sæpe citato in Symbolum apostolorum; et rem profecto, cujus vix aliud superest exemplum in tota Occidentali Ecclesia. Additamenta scilicet nobis exhibet, quæ apostolorum Symbolo inseruerunt veteres Aquileiensis Ecclesiæ præsules, *majores nostri* ab eodem ibidem appellati, ut **161**

obviam irent quibusdam hæresibus, quæ neutiquam quidem in Aquileiensi solo ortæ erant (cum nulla profecto hæresis apud Aquileienses ortum duxerit), sed quæ de longinquo adductæ fuerant ab extraneis hominibus, Aquileiam procul dubio adventantibus commercii causa. Ita additamentum illud duorum verborum, *invisibili* et *impassibili*, ad primum Symboli articulum, *Credo in Deo Patre omnipotente*, ideo factum dicit *apud nos*, scilicet apud Aquileienses, ut hæresi *Sabellianorum* occurreretur, qui una cum Filio etiam Patrem et natum et passum affirmabant: « Sciendum, ait ipse in citato Commentario, numero 5, sciendum, quod duo isti sermones, *invisibili* et *impassibili*, in Ecclesiæ Romanæ Symbolo non habentur. Constat autem apud nos additos hæreseos causa Sabellii, illius profecto quæ a nostris Patripassiana appellatur, id est, quæ et Patrem ipsum, vel ex Virgine natum dicit, et visibilem factum esse, vel passum affirmat in carne. Ut vero excluderetur talis impietas de Patre, videntur hæc addidisse majores, et invisibilem Patrem atque impassibilem dixisse. » Ita quoque additamentum aliud vocis *hujus* ad articulum *Carnis resurrectionem*, locum habuit apud Aquileienses ad apertius rejiciendam hæresim *Valentinianorum* et *Manichæorum* : « Nam Valentinus, addit Rufinus noster ibidem, numero 41, resurrectionem carnis omni modo negat, et Manichæi, sicut supra ostendimus. » Quapropter ita subdit numero 43 : « Et ideo satis caute Ecclesia nostra (Aquileiensis nimirum) fidem Symboli docet, quæ in eo quod a cæteris traditur, *Carnis resurrectionem*, uno addito pronomine, tradidit, *Hujus carnis resurrectionem*. *Hujus*, sine dubio, quam habet is qui profitetur, signaculo crucis fronti imposito, etc. » En igitur quid agere coacti fuerint Aquileienses præsules ante Rufini ætatem adversus absurdos Sabellianorum ac Valentinianorum errores, qui certe longe ab Aquileiensi Ecclesia exorti, Aquileiensium episcoporum zelum nihilominus excitabant, quia et in eorum finibus disseminari cœperant ab exteris hominibus eisdem erroribus infectis, qui ad Aquileiensium fines ex toto orbe adventabant. Nihil est itaque quod, officii gratia, neget Zabeus in *cultissima Aquileiensium provincia* locum habuisse *absurda* quædam hæreticorum deliramenta; cum constet, et locum profecto habuisse sicuti alibi quoque habebant, et ita etiam habuisse ut Aquileienses præsules singulari quodam modo, additamentis scilicet data opera ad fidei Symbolum appositis, debuerint contra ea dimicare, et Christianæ professionis integritatem apud suos in tuto ponere.

Quid vero mirum si alios etiam hæreticos, præter Sabellianos ac Valentinianos, decursu temporis habuerint Aquileienses episcopi, a quibus cogerentur fideles suos monere ut sibi caverent; et hi fuerint, Nicetæ tempore, Ariani potissimum, Marcionitæ, Cataphrygæ, et Manichæi? Arianos certe, Marcionitas, Manichæos expresse nominat Rufinus ipse Aquileiensis numero 39 præcitati sui in Symbolum commentarii, quem scribebat ad Laurentium episcopum, Aquileiensi sedi addictum ut superius innuebamus, et ad ipsius usum ut idem petierat : quapropter hujusmodi hæreticos in Aquileiensi provincia eo tempore exstitisse, vel saltem notos communiter ibidem fuisse, valde probabile existimamus, quin ullam inde injuriam nobilissimæ illi Ecclesiæ impingamus; cujus certe non erat, vel impedire quominus exteri homines his erroribus inquinati, et Aquileiam venirent, et in Aquileiensi etiam provincia commorarentur; vel ita agere, **162** ut eorum saltem iniqua dogmata in tanta ac tam culta civitate etiam cum fidelium periculo non innotescerent. Eodem ipso loco Rufinus nominat una cum prædictis hæreticis etiam Ebionitas, et Eunomianos; nominat errores Pauli Samosateni, et Photini; nominat schismata Donatistarum, et Novatianorum; et ut intelligamus non frustra eumdem hæc omnia errantium nomina numerasse, neque id fecisse eruditionis gratia, ac veluti ad operis complementum, sed quia reipsa in Aquileiensi etiam provincia necesse erat ut contra errores hujusmodi et errorum magistros fideles data opera et oblata occasione commonerentur; en quomodo ibidem Laurentium illum episcopum fidentissime alloquatur, etsi non quidem ut illum doceat, certe ut illi auctor sit qua esset ratione Christianus populus sibi subditus edocendus. « Qui ergo hanc fidem in Ecclesia suscipit, non declinet in concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introeat. Concilium namque vanitatis est, quod agit Marcion... Concilium vanitatis est, quod docet Ebion..... Concilium vanitatis est, quod docet Manichæus..... Concilium vanitatis est quod Paulus Samosatenus, et ejus post hunc successor Photinus asseruit... Concilium vanitatis est, quod Arius atque Eunomius docuit... Sed et illud concilium vanitatis est, quod Donatus per Africam traditionis Ecclesiam criminando contraxit, et quod Novatus sollicitavit... Has ergo omnes velut congregationes malignantium fuge. Sed et eos, si qui illi sunt, qui dicuntur asserere quod Filius Dei, etc... Ab his, inquam, omnibus fidelis declinet auditus, etc. » Quid porro ad Laurentium dixisset Rufinus ut *fugeret* ab his congregationibus malignantium hæreticorum atque errantium, quid ut *fidelis auditus* ab his declinaret; si hi non fuissent in ipsa Aquileiensi provincia, aut si eorum saltem prava dogmata ibidem satis comperta non essent? Non enim aufugimus ab iis qui procul a nobis sunt, neque auditum declinamus ab iis sermonibus quos facile audire non possumus. Sed nonnihil etiam singillatim de hæresibus, de quibus in Explanatione sua meminit noster Nicetas.

Arianorum quidem hæresim numquam Nicetas Gennadianus expresso nomine indicat in *Symboli Explanatione*, uti reipsa Marcionitas nominat, Cataphrygas et Manichæos. Catholicum dogma nihilominus de Verbi divinitate inculcat, prout oportebat, admonetque competentes suos ut sibi caveant ad iis hæreticis qui *sub nomine Christiano Christum creaturam tradunt*, ut capite Explanationis 9. Illi nimirum erant hæretici Ariani, contra quorum insidias muniendi erant qui in competentium gradu constituti Symbolum ediscebant. Cur vero adversus Arianos nihil diceret Aquileiensis episcopus quinti sæculi, postquam Aquileienses episcopi Valerianus sæculo quarto, et Chromatius ineunte etiam quinto tantopere de Ecclesia meriti fuerant ob Arianorum hæresim in Aquileiensium finibus profligatam? Cur nihil diceret quinto sæculo Aquileiensis episcopus adversus Arianos errores, cum adhuc memoria vigeret celeberrimi Aquileiensis concilii habiti anno 381, in quo præsentes damnati fuerunt duo illi Ariani episcopi Daciæ Cisdanubianæ, ac signate ex *angulo*, seu ex *latere Daciæ Ripensis ac Mœsiæ*, ut sanctus Ambrosius scribebat epistola 11 et 12; duo, inquam, illi episcopi, Palladius ac Secundianus, alias hic nominati? Cur nihil diceret quinto sæculo Aquileiensis episcopus adversus sectatores Arii, cum jam ubique Arianismus adhuc grassaretur, ac pluribus in locis suas exeret vires, ut ex historia patet? **163** Sed alia quædam animadvertamus oportet, quæ rem, cæteroquin satis notam, clarius astruant ac illustrent.

Compertum ex historia habemus, postremis Romani imperii temporibus, et quarto maxime desinente, ac quinto ineunte sæculo, Barbaras gentes in Romanis castris stipendia meruisse sub ducibus propriæ nationis. Hi erant præcipue Gothi, Getæ etiam a Romanis appellati, qui ex Transdanubianis partibus in Romanas terras iterum atque iterum variisque de causis transvecti, ut capite secundo innuebamus, Valentis potissimum Augusti indulgentia, deinde etiam Theodosii senioris ampliori concessione, novam Ripensem Daciam, sicut etiam Mœsiæ inferioris partem quamdam ac Thraciæ incolebant, hac etiam conditione ut militare servitium Romano imperio exhiberent. Hi porro Gothi, seu qui a Christiana Gothorum Ecclesia a Tanai ad Tyram amnem posita jampridem

advenerant, seu qui postea ab idololatria ad Christianam fidem conversi fuerant ut in Romanis terris cis Danubium consistere possent, prout legem illis tulerat Valens; hi Gothi, inquam, non ita post magna ex parte a catholica Ecclesia ad Arianismum defecerunt, eodem Valente Augusto præsertim auctore, qui Arianas partes impensius tuebatur; ita ut quarto circiter labente sæculo pene omnes Arianæ perfidiæ sectatores essent. At vero Romani exercitus cum Barbarorum copiis auxiliariis, Gothorum nempe aliarumque gentium quæ sese Gothis adjunxerant, non semel, sed pluries, quarto et quinto sæculo, et Aquileiensium fines inundarunt, et Aquileiensem ipsam urbem occupaverunt; ac tum præsertim cum Theodosius Magnus Augustus tyrannum primum Maximum, deinde et Eugenium persecutus est, et cum postea Theodosius Junior arma movit in tyrannum item Joannem, qui Ravennæ captus, Aquileiamque ductus, ibidem mortis sententiam subiit. Quid non igitur dicerent Aquileienses episcopi contra Arianam impietatem, cujus tam sæpe veluti prædicatores aderant Gothorum copiæ in Romanis exercitibus auxiliares? Gothi vero illi Ariana perfidia inquinati, sub Alarico duce, non uti Romanorum auxiliares, sed uti hostes Romani imperii, Italiam prædandi animo ingressi, iterum Aquileiensem agrum invaserunt anno 400, iterumque anno 409, aut 410, quo demum Roma ipsa potiti sunt, ejusque spoliis locupletati. Quicumque hæreticorum illius temporis, et maxime Arianorum, noverit irrequietam indolem, propriæque sectæ propagandæ studium, facile intellexerit quanta solertia vigilare tunc debuerint speculatores domus Israel, ac proinde Aquileienses etiam episcopi, ne falsi dogmatis virus, victricium etiam armorum robore auctum, in catholicorum pectora sese diffunderet.

Sed quinto sæculo procedente, crescit in dies Arianismi non solum, sed etiam cæterarum hæreseon quarumcumque insectandarum, episcopis maxime Aquileiensibus, occasio et necessitas. Cum primum enim Italiæ invadendæ ac depopulandæ, Attila duce, rumor increbuit in Pannoniæ regionibus, examina undequaque coaluerunt, non tam gentium Barbararum et loco et nomine inter se diversarum, quam hæresum errorumque apud diversos illos Barbarorum greges obtinentium; ut merito dubitares religioni potius an substantiis Italorum bellum esset inferendum, et probe cognosceres non minus substantiis quam religioni ex hoc tam teterrimo apparatu periculum imminere. Ut vero ex Alpinis faucibus in Italiam erupit immane agmen barbaricum, atque Aquileiæ primum, deinde cæteris Venetiæ, Æmiliæ, ac **164** Liguriæ civitatibus, aut ruinam, aut supremum intulit excidium, combustis aut spoliatis ædificiis, agris depopulatis, captivorumque immensa procul abducta multitudine; tunc demum apparuit bellico illo incursu magnam etiam religioni illatam fuisse a Barbaris cladem, quæ nonnisi sedula episcoporum diligentia reparari postea potuisset. Quod ad Aquileiensem Ecclesiam attinet, adest sæpe citata sancti Leonis Magni ad Nicetam Aquileiensem epistola, data anno 458, ex qua intelligimus Aquileienses illos captivos qui remeare ad patrias sedes post annos aliquot potuerunt, religionis causa tentatos a Barbaris fuisse; et eorum aliquos, qui idololatris dominis servierant, immolatitiis cibis pollutos fuisse; alios vero, qui in hæreticorum Barbarorum potestatem venerant, ad iterandum baptismum vel metu coactos vel errore traductos. Ut nihil jam de idololatria loquamur, qua pars magna illarum gentium barbararum tenebatur, quis non videt Arianarum partium sectatores, in iis qui captivos Aquileienses ad baptismum iterandum vel cogebant metu ac vi, vel insinuationibus alliciebant? Ariani certe, etsi ab initio detestabilem hanc consuetudinem non haberent, iterum baptizandi eos qui a catholica fide defecissent et ad eorum sectam accederent; hanc adoptarunt ab Eunomianis, Arianorum ipsorum sæculo, qui Epiphanio teste, *hæresi* 76, non modo catholicos, sed et magistros suos Arianos ipsos ad se accedentes iterum baptizare consueverant; et hic erat communis Arianorum abusus Augustini tempore, qui eos hac etiam de causa non semel exagitat; et hujus abusus testis est quoque Victor Vitensis in sua Historia Persecutionis Vandalicæ.

Post Aquileiæ casum ex Attilana irruptione, quinam fuit imperii Occidentalis status, quamdiu perduravit, ad Romulum usque, Augustulum dictum, id est ad annum 476, quo imperii Occidentalis etiam umbra ipsa defecit? Nonne sub Romanis nominibus tot imperatorum unius pene diei, rerum summa et auctoritas stetit penes barbaros homines alienæ a catholica professionis, qui aula potiti, et barbarorum exercituum quibus imperabant confisi potentia, res omnes suo arbitratu, invitis etiam nonnumquam imperatoribus ipsis, ubique moderabantur? Barbarorum itaque dominationi Romanum Occidentale imperium subjacebat, etiam antequam eorumdem violentia penitus interiret. Interiit vero anno prædicto 476, cum Odoacer nova Barbarorum omnis generis multitudine ex ultimis Pannoniæ finibus in Italiam deducta, Erulorum nempe, Turcilingarum, Rugorum, Scytharum, aliorumque, omnem Romulo Augustulo potestatem ademit, novumque sibi condidit principatum, qui ad sæculum usque octavum a Barbaro in Barbaros successione continua transmeavit. Nicetas interim Aquileiensis in tanta humanarum rerum jactura, in tanta dominantium varietate, in tanto dominorum ipsorum discrimine, suam regebat Ecclesiam, et vitam perduxit ad decimum usque Odoacris principatus annum. Odoacer ipse, etsi Catholicis non infensus, Arianus tamen erat professione, Ariani conterranei illius, et pars multa illarum gentium barbararum, quas secum in Italiam adduxit ad Romanum Occidentale imperium abolendum.

Quid dixerim de tot aliis barbararum gentium agminibus, quæ secum fœdere inito, Italiam ea occasione inundarunt? Ut nihil addam de adhuc idololatriæ addictis, de quibus non est cur hic inquiramus; nihil certe contra veritatis probabilitatem audemus, si dixerimus, præter Arianismum, viguisse inter gentes illas et alios a catholica doctrina proscriptos errores, ac eos maxime qui in Orientis partibus **165** auctores suos ac propagatores habuere, ut sunt errores Marcionitarum, Cataphrygum, Manichæorum, quorum expresse meminit Nicetas Gennadianus in sua *Symboli Explanatione*. Zabeus vero rem nostram agit, dum numeris 15, 16, 17 et 18, Marcionitarum, Cataphrygum ac Manichæorum errores inter barbaras Dacorum regiones obtinuisse probat ex quadam locorum propinquitate, unde errores illi ortum habuerunt, cum barbaris Daciarum populis; licet Daciam Cisdanubianam ipse autumet, quæ certe barbara non erat, ut alias dictum fuit; et licet, quod spectat ad Marcionitas qui in pluribus a fide catholica discrepabant, unum ex Marcionitarum erroribus videre voluerit, non vero Eutychianum, in iis quæ tam aperte contra Eutychen ipsum Nicetas Gennadianus in *Explanatione Symboli* habet, ut supra, capite 3 ostendimus ex professo. Si porro inter barbaros Dacos Marcionitarum, Cataphrygum et Manichæorum errores, ipso teste Zabeo, iis temporibus locum habuerunt, utpote errores qui barbararum potius quam cultarum gentium indoli convenirent, ut ipse antea asserebat; hos errores procul dubio barbaræ illæ gentes secum in Italiam etiam detulerunt, vel in ipsa sub Odoacre tam immensa earumdem irruptione; ac ideo Italis episcopis occasio deesse non potuit fideles suos, et competentes maxime, commonendi, ut sibi ab horum non modo erroribus, sed etiam conventiculis ac societate ipsa caverent. Quid vero si addamus Barbaros illos Italiæ invasores Odoacre duce, ac tot erroribus inquinatos, non hospites et advenas tunc fuisse ut antea fuerant, sed jam cives ac incolas factos a primis ipsius Odoacris principatus annis; utpote qui,

teste Procopio de Bello Goth., libro I, capite 1, in præmium victoriarum, tertia ubique agrorum Italiæ parte veteribus dominis dempta donati essent? Hujusmodi novis incolis, ac tertiæ terrarum partis dominis, fortasse plus cæteris abundavit Aquileiensis provincia, quæ in tanta paulo pridem sub Attila duce rerum jactura, hanc etiam omnium gravissimam passa fuit, ut veterum civium et habitatorum multitudine minueretur, quæ propterea non ita ægre Barbarorum familiis supplenda esset, in possessionem tertiæ et fortasse etiam majoris partis Aquileiensis agri inductis. Quid non igitur Aquileiensis episcopus diceret etiam contra Marcionitas, Cataphrygas, et Manichæos, qui in novis hisce Barbarorum coloniis hic atque illic adessent, catholicis ipsis in humanis rebus necessario conjuncti, non sine gravi depravationis horum periculo, tum ob humanæ naturæ imbecillitatem, tum ob pravam errorum omnium indolem, qua fit ut sæpius ac facilius ab illis veritas corrumpatur, quam ut errores veritas comprimat, nisi sedula pastorum indesinenter vigeat sollicitudo?

Verum quod ad Manichæos et Manichæismum singillatim pertinet, Zabeus ipse supracitato numero 18 non inficiatur divi Leonis Magni ætate, ac propterea ante Odoacris etiam irruptionem, immo ante extremam Romani imperii in Occidente senectutem, Manichæos in Italia *non paucos* exstitisse, qui propterea ex Barbarorum ad Danubium grege fortasse non fuerint, quique Romæ ipsius sancti pontificis zelo ac diligentia detecti, inde quoque abire coacti fuerant, ipsis Augustorum principum Theodosii ac Valentiniani Legibus suffragantibus, quæ ejusdem sancti pontificis cura latæ fuerunt. Adversus Manichæos igitur Italiæ episcopi jamdiu habebant cur agerent, ac prospicerent; ut ideo non sit ambigendum, etiam ad Italiæ episcopos pertinere potuisse lucubrationes illas, in quibus sermo esset de Manichæis. Multo vero magis adversus Manichæos **166** episcoporum Italiæ zelum exardescere oportuit, postquam idem sanctus Leo Magnus, anno 444, datis litteris ad universos episcopos per Italiæ provincias constitutos, eos peculiariter in consortium suæ sollicitudinis advocavit contra hujus perversitatis sacrilegos sectatores, quorum *aliquanti*, ut ipse aiebat, Roma aufugerant, et timendum erat ne cum suarum plebium discrimine hac illac sese occultandi reperirent facultatem.

Quænam porro Manichæorum tunc hæresis, contra quam tam sollicite sancti Leonis Magni zelus ardebat? Audiatur ipse sanctus pontifex, qui sermone 16, de Jejunio decimi mensis 5, capite 3, ita loquebatur: « Hujus (nempe dæmonis) arte Basilides, hujus Marcion callet ingenio, hoc duce agitur Sabellius, hoc præcipitatur rectore Photinus, hujus potestati famulatur Arius, hujus spiritui servit Eunomius; tota denique bestiarum talium cohors hoc præside ab Ecclesiæ unitate discessit, hoc magistro a veritate descivit. Sed cum in cunctis perversitatibus multiformem teneat principatum, arcem tamen sibi in Manichæorum struxit insania, et latissimam in eis aulam, in qua se exsultantius jactaret, invenit; ubi non unius pravitatis speciem, sed omnium simul errorum impietatumque mixturam generaliter possideret. » En igitur quanta esset Manichæorum et Manichæismi impietas, quæ veluti omnes aliorum hæreticorum complectebatur errores; ita ut in hanc sectam potissimum acrius debuerint etiam Italiæ episcopi eo tempore decertare. Nullum proinde dubium, quin supracitata sancti Leonis epistola ad universos episcopos per Italiæ provincias constitutos, quæ in editione Veneta Ballerinio-rum septima est, pervenerit eodem ipso anno 444 etiam ad Aquileiensem metropolitanum episcopum, qui tunc aut Maximus erat, aut Januarius; nullumque item dubium, Aquileiensem illum episcopum sollicitudinem omnem adhibuisse, ut Manichæi, si qui latenter obrepsissent, detegerentur, atque extorres fierent ab Aquileiensium finibus, legum etiam Augustarum auctoritate adhibita et impetrato subsidio, a quibus *Manichæi toto orbe pellendi*, etiam *omnium retro principum statutis*, pronuntiabantur. Cum itaque celebris fuerit ac pervagata per universam Italiam sancti Leonis hortatoria ad Italiæ episcopos epistola adversus Manichæos anno 444 data, cum lex quoque Augustorum principum Theodosii ac Valentiniani eodem aut subsequenti anno promulgata non minus innotuerit; quid mirum si post decem aut quindecim aut etiam viginti annos, Nicetas episcopus Aquileiensis Manichæos quoque, jamdiu satis notos, cum cæteris hæreticis nominaverit evitandos, etiamsi fortasse nullus tunc amplius existeret in Italia? Verum quis Manichæos tunc temporis iterum in Italiam irrepsisse negaverit, in tam turbato rerum omnium statu, cum silerent leges, cum Barbari ubique dominarentur, cum omnia licerent omnibus quæ in pacata republica minime licuissent? Ea nimirum sunt tempora, ut satis liquet, in quibus perversi homines, e latebris ubi prius delitescebant erumpentes, sese insolenter ac procaciter efferunt; et qui prius non sine metu vitam agere consueverant, dominari jam et pravis doctrinis et perditis moribus jactanter ubique contendunt. Non est igitur cur Zabeus ab hac se expediat objectione breviter asserendo, quod *Manichæos* Aquileiæ *fuisse affirmare non possumus*. Quamvis enim monumenta non suppetant ut id affirmemus, contraria certe non adsunt ut id inficiari possimus; et interim satis sunt quæ attulimus, ut Nicetam Aquileiensem episcopum judicemus Manichæos nominare suo **167** tempore potuisse uti evitandos, etiamsi in sua numquam fortasse exstitissent aut provincia aut diœcesi.

Sed Zabeus ultra progreditur eodem numero 18; et dum uti supervacuam traducit Manichæorum mentionem in eo opusculo, quod esset Nicetæ episcopi Aquileiensis, Pelagianorum ex adverso mentionem ibidem deesse ostendit, quæ certe in episcopo Aquileiensi Niceta deesse, juxta illum, minime debuisset; quia reipsa hæresis Pelagiana eo tempore sectatores habuit in Aquileiensi provincia inter *presbyteros, et diaconos, ac diversi ordinis clericos*, uti ex epistola divi Leonis papæ inscripta ad Aquileiensem episcopum, quæ prima est in citata editione Balleriniorum. Ut fiat satis huic etiam objectioni clarissimi viri, quæ postrema est ex *penitioribus* causæ ab ipso desumpta, nonnulla sunt animadvertenda ex admonitione prævia eorumdem Balleriniorum ad primam et secundam ejusdem sancti pontificis epistolas, necnon ex capite 14 Monumentorum Aquileiensium eruditissimi nostri De Rubeis.

Negari non potest Pelagianorum errores in Aquileiensi provincia irrepsisse vel ab initio sæculi quinti, ac jam inde habuisse sectatores ibidem inter ecclesiastici ordinis homines, apud quos potissimum hæc hæresis faciliorem aditum obtinuit. Compertum namque est inter eruditos, cardinali Norisio duce, libellum illum Fidei Pelagiano furfure scatentem, quem Sirmondus descripsit e manuscripto codice Veronensi, quem vulgavit Garnerius in editione Marii Mercatoris, ac demum Benedictini Sancti Mauri iterum ediderunt in appendicibus Augustinianis, seu in appendice ad tomum decimum editionis Parisiensis in-folio; libellum, inquam, hunc pertinere ad viros ecclesiastici ordinis provinciæ Aquileiensis sub Augustino Aquileiensi episcopo metropolitano, Chromatii successore, qui sanctis Innocentio I, ac Zosimo Romanis pontificibus floruit. Zosimus porro Romanus pontifex, ille fuit qui anno 418 celebrem illam suam dogmaticam epistolam evulgavit adversus Pelagii ac Cœlestii errores, tractoriam, seu tractatoriam nuncupatam, quam per universum orbem transmisit, ut episcoporum omnium subscriptionibus firmaretur, quo consensus universalis Ecclesiæ appareret in Pelagianorum dogmatum damnatione. Pervenit itaque procul dubio Zosimi pontificis tractoria etiam ad Augustinum episcopum Aquileiensem, ac primatem, ut eum appellat Norisius, *Venetiarum, Istriæ, Norici utriusque, et Rhetiæ primæ*. Hic vero cum pro officio suo tractoriam ipsam, ut

verosimillimum videtur, ad provinciales suos episcopos misisset, ut eorum ac presbyterorum uniuscujusque subscriptionibus firmaretur, libellum prædictum a nonnullis ex eisdem Pelagiana labe infectis accepit, quo et subscriptionem tractoriæ Zosimi eos apertissime recusasse intellexit, et ad plenariam etiam synodum provocare ausos fuisse. Incertum quidem qui fuerint illi; et æque incertum num presbyteri fuerint, an simul etiam episcopi aliqui, ex numero fortasse illorum decem et octo, qui, Juliano Eclanensi duce, soli in universa Ecclesia tractoriæ subscribere recusarunt: indubium tamen omnino videtur, post tot eruditorum judicium, eos ad Aquileiensem provinciam pertinuisse, et ex ordine etiam sacerdotali fuisse, quibus a metropolitano episcopo ex mandato pontificis Zosimi subscriptio esset indicta.

Quid vero post hæc? Adest supracitata epistola sancti Leonis papæ ad Aquileiensem episcopum inscripta, et ad annum relata 442, in qua ex relatione Septimi seu Septimii episcopi, qui Altinatium episcopus erat in Aquileiensi provincia, se agnovisse **168** conqueritur, *quosdam presbyteros, et diaconos, ac diversi ordinis clericos, quos Pelagiana sive Cœlestiana hæresis habuit implicatos, ita in Aquileiensi provincia ad communionem catholicam pervenisse, ut nulla ab eis damnatio proprii exigeretur erroris, et pastoralibus excubiis nimium dormitantibus, lupos ovium pellibus tectos in ovile Dominicum, non depositis bestialibus animis introisse:* quapropter metropolitano Aquileiensi episcopo præcipit, ut *congregata synodo provincialium sacerdotum, omnes sive presbyteri, sive diaconi, sive cujusque ordinis clerici, qui de Pelagianorum Cœlestianorumque consortio in communionem catholicam ea imprudentia sunt recepti, ut non prius ad damnationem sui coarctarentur erroris, nunc saltem, posteaquam hypocrisis eorum ex quadam parte detegitur, ad veram correctionem, quæ et ipsis prodesse, et nullis possit nocere, cogantur;* ut damnent scilicet *apertis professionibus suis superbi erroris auctores, et quidquid in doctrina eorum universalis Ecclesia exhorruit, detestentur,* etc. Hi igitur presbyteri et diaconi, ac diversi ordinis clerici de quibus sanctus Leo ad Aquileiensem episcopum, videntur ex illis fuisse Aquileiensis provinciæ ecclesiasticis, aut ex eorum asseclis, qui ante annos circiter viginti Pelagianis erroribus addicti tractoriæ Zosimi subscribere recusarunt, ac libellum illum Fidei super hac re Augustino Aquileiensi metropolitæ porrexerunt; qui proptera jam tunc ob contumaciam in damnatis erroribus ab ecclesiastica communione ab eodem Augustino rejecti, postea ab aliquo illius successore, cui fidem suam aliquo modo, sed fortasse minus apto aut non satis aperto probaverint, recepti fuerant; quique idcirco suspicionem non levem dederint animos adhuc gerendi erroribus pristinis occupatos. Hinc igitur Zabeus validius etiam confirmabit, Aquileiensem episcopum Nicetam, si vere auctor ipse fuisset illius *Explanationis Symboli ad competentes,* debuisse eo loci nominatim Pelagianos commemorare, utpote hæreticos homines, qui probabiliter adhuc suo tempore essent in Aquileiensi provincia, et a quibus, magis etiam quam a Manichæis, aliisque ibidem memoratis hæreticis, Christiano gregi periculum immineret.

Verum nonnulla addamus oportet, quæ Zabei objectionem, ni fallor, penitus solvant. Nicetæ Gennadiani in *Symboli Explanatione* hæc sunt verba, ubi hæreses singillatim nominat capite 10, ad articulum *Sanctam Ecclesiam catholicam;* neque enim alibi in tota Explanatione alicujus hæresis mentio, proprio nomine indicatæ: « Sunt quidem et aliæ pseudoecclesiæ, sed nihil tibi commune cum illis; ut puta Manichæorum, Cataphrygarum, Marcionistarum, vel cæterorum hæreticorum, sive schismaticorum; quia jam desinunt istæ Ecclesiæ esse sanctæ. » Auctoris igitur hujus opusculi hic scopus non fuit singulas hæreses ac singulas pseudoecclesias nominandi, uti apparet verba ipsa perpendenti; non singulas hæreses, quia non erat hic sermo de hæresibus; non singulas pseudoecclesias, quia ad illum spectabat de Ecclesia tantum catholica dicere. Quod si pseudoecclesias nominat Manichæorum, Cataphrygarum, Marcionistarum, evidenter patet eas nominasse causa tantummodo ponendi alicujus exempli falsarum Ecclesiarum, quo veritas Ecclesiæ catholicæ ex ipsarum falsarum comparatione magis magisque splendesceret. Satisfecit itaque fini quo mentem suam dirigebat, dum aliquas nominavit; non defuit officio si alias præterivit; quia non erat hic de singulis dicere, sed tantum de aliquibus exemplum ponere. **169** Nominatis tamen tribus illis pseudoecclesiis Manichæorum, Cataphrygarum, Marcionistarum, nonne de omnibus etiam sermonem habet dum subdit: *vel cæterorum hæreticorum, sive schismaticorum?*

Pelagianorum nihilominus distinctam mentionem videre hic voluisset Zabeus, si vere ad Aquileiensem episcopum Nicetam Explanatio hæc pertineret. Ast ut ut Nicetæ tempore Pelagiana hæresis in Aquileiensi provincia sectatores habuisset, de quo infra dicemus; Pelagianismo certe non erat hic locus apud Nicetam, quia hic pseudoecclesiæ erant indicandæ, seu hæreticorum, seu schismaticorum: Pelagiani vero, ut omnibus compertum esse potest qui eorum acta perlegerint, ab initio hujus hæreseos usque ad finem, numquam Ecclesiam seu *pseudoecclesiam* peculiarem constituerunt, qua a catholica distinguerentur, et a qua deberent catholici abstinere, sicuti pseudoecclesias constituerunt sibi, seu ab exordio errorum suorum, seu potius post temporis lapsum, alii ecclesiasticæ pacis turbatores, ut puta Manichæi, Cataphrygæ, Marcionitæ, quos nominat Explanatio, aut etiam Ariani, Eunomiani, aliique inter hæreticos, Novatiani, Donatistæ, et alii quoque inter schismaticos. Pelagiani siquidem, quamdiu eorum error invaluit, non destiterunt quidem qua late potuerunt virus effundere, socios erroris asciscere, patronos sibi comparare, acutis disputationibus dimicare, captiosis etiam sermonibus illudere, subdolis confessionibus decipere, concilium plenarium petere, episcopos quoque non paucos in Galliis præsertim ac in Britannia sibi copulare, turbas etiam quandoque excitare, ac crimina perpetrare: at numquam eo devenerunt, ut conflato schismate secessionem ab Ecclesia catholica facerent, et Ecclesiam sibi seu pseudoecclesiam constituerent peculiarem; quamvis pluries ab Asiæ et Africæ episcopalibus conciliis damnati, quamvis per tractoriam Zosimi ab universa Ecclesia anathemate plexi, et ecclesiastica communione privati, quamvis etiam Augustorum principum legibus non semel sed iterato mulctati, Italia pulsi, et ubique etiam fuerint exagitati. Ipsa namque Pelagianismi indoles, ut alii quoque animadvertunt, ea erat, quæ favorem populi non sibi facile compararet ad plebem aliquam peculiarem formandam contra catholicos: nam etsi liberi arbitrii vires pro instituto plus æquo extolleret, ac tueretur; non ideo id agebat, ut humanæ imbecillitati faveret, quod multitudinis votum in novis orientibus de religione disputationibus esse solet, sed potius ut vehementius et acrius in socordes Christianos insurgeret, qui humanam imbecillitatem in vitiis protendebant, nec vires proprias, juxta illos, sentiebant, quibus, secluso etiam divinæ gratiæ auxilio, possent ad Christianæ vitæ perfectionem contendere. Non erat igitur cur Nicetas Aquileiensis hoc loco Pelagianorum meminisset inter pseudoecclesias, quas exempli causa memorabat in explicatione articuli de Ecclesia catholica, etiamsi Pelagiani reipsa in sua provincia eo tempore exstitissent.

At fueruntne, Aquileiensis Nicetæ tempore, Pelagiani hæretici in provincia Aquileiensi? Hoc nimirum inquirendum restat super hac re, ut pœna undique sit ad Zabeum responsio. Inter memoratas Augustorum leges adversus Pelagianos, adest constitutio sub nomine Valentiniani III, ab ejus matre Placidia Augusta contra eos lata, quæ data fuit Aquileiæ anno 425,

VII idus Julii, ubi post necem tyranni Joannis ipsa cum filio degebat. Non inde tamen consequitur, Pelagianos tunc Aquileiæ, aut in Aquileiensi provincia fuisse; quia constitutio illa directa fuit ad Amacium præfectum **170** prætorio Galliarum, et occasione tumultus a Pelagianis in Gallicanis regionibus excitati. Præcitata sancti Leonis Magni epistola ad Aquileiensem episcopum inscripta, qui forte aut Adelphus fuerit aut Maximus, ut Ballerinii fratres conjiciunt in admonitione prævia, ad annum pertinet circiter 442, ut ibidem signatur. *Presbyteri* porro illi, *diaconi, ac diversi ordinis clerici*, de quibus eadem epistola, quos Pelagiana sive Cœlestiana hæresis habuerat implicatos, quique postea in Aquileiensi provincia ad communionem catholicam pervenerant, quia ulla ab eis damnatio proprii exigeretur erroris, unde, hypocrisi quoque eorum ex quadam parte detecta, suspicio orta fuerat eosdem in ovile Dominicum introisse non depositis bestialibus animis; illi, inquam, non multi numero fuisse videntur, cum dicat sanctus pontifex : *Agnovimus quosdam presbyteros, et diaconos, ac diversi ordinis clericos*, etc.: quapropter minus accurate scripsisse videtur clarissimus ipse cardinalis Norisius Historiæ Pelagianæ libro II, capite 12, dum referens rem ex hac eadem epistola sancti Leonis, non *quosdam* dixit ut sanctus pontifex, sed *plurimos clericos;* numerum scilicet absque idoneo teste nimium augens, quantum nempe *plurimi* superant *quosdam*. Ad hos vero *quosdam* tantummodo ecclesiastici cœtus pertinere videtur Pelagianismi suspicio, non item ad subditam etiam plebem ; de qua nihil omnino in eadem epistola, nisi periculum contrahendi morbi ab his de quorum resipiscentia non satis constabat. Clerici igitur tantum, neque numero multi, erant ii qui Pelagianismi suspicionem ingerebant in provincia Aquileiensi anno 442 : ubi etiam notandum maxime, suspicionem quidem illos dedisse Pelagiani erroris quo prius fuerant implicati, quia errorem eumdem conceptis verbis et peculiari aliqua formula non damnaverant antequam ad communionem catholicam reciperentur, et quia aliquid ejusdem furfuris ex eorum sermonibus fortasse apparebat, seu potius apparere videbatur, ut sæpe contingit de iis quos adversos habuimus aliquando, de quorum sinceritate etiam post reconciliationem facile dubitamus; non vero Pelagianos absolute eosdem fuisse etiam post receptam communionem, sicuti prius fuerant : ait enim ipse sanctus pontifex, quod *eorum hypocrisis ex quadam parte detegitur;* quod scilicet nihil aliud indicat quam suspicionem illos dedisse, et dubitationem etiam ingessisse de vera eorum resipiscentia; et non ideo quidem, quod hæc non vera resipiscentia satis perspicue in eisdem appareret, sed maxime quia deerat illis peculiaris et aperta errorum auctorumque damnatio de qua ipse loquebatur, et quæ sola tandem veluti remedium exigebatur ad abstergendam prorsus suspicionem ac dubitationem quam dederant. Patet hinc magnum profecto, et tanto pontifice dignum, fuisse zelum quo in Pelagianismum ardebat sanctus Leo, qui ad omne ubique periculum præsto erat auctoritate sua atque doctrina; sed patet etiam Pelagianismum reapse in Aquileiensi provincia non tanti tunc fuisse momenti, ut haberi posset veluti error aperte ac late vigens, contra quem instructa esset acie assidue dimicandum.

Quid autem de hac re in Aquileiensi provincia post annum 442? Duæ aliæ exstant epistolæ sancti Leonis papæ, secunda nimirum ac decima octava, in sæpe citata editione Balleriniorum, de quibus prolixe disputarunt eruditi; prima inscripta ad Septimum seu Septimium episcopum Altinensem seu Altinatem, altera vero ad Januarium episcopum Aquileiensem. Disputationis occasio fuit illa sensuum, immo etiam et verborum pene eorumdem in utraque consensio : **171** disputationis autem scopus erat inquirere num alterutra ex his, et quænam potius, supposititia censeri deberet; an utraque sincera ac legitima esset judicanda. Clarissimus De Rubeis Monumentorum capite 15, validissimis sane argumentis, quæ assensum sibi valeant comparare, secundam ad Altinatem rejecit, decimam octavam ad Januarium Aquileiensem solam admisit. Sed si suffragia post rem utrinque disputatam colligamus, id inferendum censemus, quod, quidquid de secunda ad Septimum Altinatem opinari queat, altera certe ad Januarium Aquileiensem nullatenus rejicienda sit. Hæc porro ad Januarium Aquileiensem sancti Leonis Magni epistola ad annum pertinet 447, et est proprie responsio ad aliam quam sanctus Leo a Januario acceperat, quæque non exstat. Ut Januarii epistolam ex Responsione sancti pontificis colligamus, minime dubitandum videtur, Januarium, qui post Adelphum et Maximum Aquileiensem sedem tenebat, certiorem reddidisse sanctum Leonem pontificem de opera et cura a se exhibita ut plenam exsecutionem haberent quæ in prima sua epistola ad episcopum Aquileiensem, tunc illi Ecclesiæ præsidentem, ipse mandaverat de *presbyteris*, seu *diaconis*, seu *diversi ordinis clericis*, qui prius Pelagiana labe infecti, ac postea absque sufficienti cautione in communionem catholicam recepti fuerant. Fortasse sanctus pontifex post obitum Maximi iterum litteras dederat sollicitudinis plenas super eadem hac re etiam ad episcopum Januarium, qui propterea ad pontificem ita respondit, ut mereretur hanc alteram laudationis et gratulationis epistolam ab ipso obtinere. Quid porro hæc sancti Leonis epistola ad Januarium? « Lectis, inquit, fraternitatis tuæ litteris, vigorem fidei tuæ, quem olim noveramus, agnovimus, congratulantes tibi, quod ad custodiam gregis Christi, pastoralem curam vigilanter exsequeris; ne lupi, qui sub specie ovium subintrarunt, bestiali sævitia simplices quosque dilacerent : et non solum ipsi nulla correctione proficiant, sed etiam ea quæ sunt sana corrumpant. Quod ne viperea possit obtinere fallacia, dilectionem tuam duximus commonendam : insinuantes ad animæ periculum pertinere, si quispiam de his, qui a nobis in hæreticorum atque schismaticorum sectam delapsus est, et se utcumque hæreticæ communionis contagione maculavit, resipiscens, in communione catholica sine professione legitimæ satisfactionis habeatur. Saluberrimum enim et spiritalis medicinæ utilitate plenissimum est, ut sive presbyteri, sive diaconi, vel subdiaconi, aut cujuslibet ordinis clerici, qui se correctos videri volunt, atque ad catholicam fidem, quam jam pridem amiserant, rursum reverti ambiunt, prius errores suos, et ipsos auctores errorum damnari a se sine ambiguitate fateantur, etc. » Et post aliqua : « Proinde dilectio tua, cujus devotione gaudemus, jungat curam suam dispositionibus nostris, et det operam ut circumspecte atque velociter impleantur, quæ ad totius Ecclesiæ incolumitatem et laudabiliter suggesta sunt, et salubriter ordinata. »

Quod ex hac epistola sancti Leonis ad Januarium Aquileiensem anno 447 datam merito colligere possumus, illud est : *vigorem fidei* Januarium episcopum jam pridem ostendisse in iis de quibus hæc epistola agit, ac propterea antequam etiam episcopalem Aquileiensem sedem fortasse conscenderet, et dum adhuc auxiliaris episcopi munere in eadem Ecclesia fungeretur, aut sub Maximo, aut sub Adelpho, aut sub aliis etiam anterioribus episcopis; quod munus in **172** eodem Januario superius, capite 6, non invite conjiciebamus; ideoque jam inde *vigorem* ipsius innotuisse Leoni pontifici. Colligimus quoque Januarium hunc, qui tantam pastoralis curæ ac sollicitudinis laudem a sancto Leone promeruit, etiam post sedem Aquileiensem acceptam, egregiam navasse operam, ut ea exsecutioni mandarentur, quæ Romanus pontifex tam salubriter ordinaverat; et ita quidem, ut parum omnino aut nihil defuerit ad operis complementum super his rebus, cum epistolam illam sanctus Leo ad eumdem dedit. Quis itaque dixerit Januarii episcopi tempore, in Aquileiensi provincia Pelagianos adhuc exstitisse, seu de Pelagiana labe suspectos; post tantam Januarii episcopi sollicitudinem ac devotionem ab

ipso sancto Leone laudibus commendatam? Immo cum in hac epistola nulla peculiaris Pelagianorum sive Cœlestianorum sit mentio, prout in prima ad episcopum Aquileiensem, quam antea vidimus; cum insuper clare pateat sanctum Leonem in hac epistola locutum fuisse generali sermone de hæreticis quibuscumque atque schismaticis ecclesiastici ordinis, qui ad communionem catholicam revertebantur; hinc ex hac ipsa epistola conjici posse censemus, nullas amplius eo tempore quo hæc data fuit, anno scilicet 447, fuisse in Aquileiensi provincia Pelagiani erroris reliquias, nullam Pelagianismi suspicionem in presbyteris, diaconis, ac diversi ordinis clericis, qui a Pelagii partibus ad communionem catholicam reversi fuerant; sive hi, cautionibus præstitis, morem gesserint metropolitano episcopo apostolicæ sedis monitis obsecuto, quod probabilius esse videtur; sive etiam satius duxerint Aquileiensem provinciam deserere, et vagam ac profugam vitam ducere, suorum exemplo magistrorum. Quod si anno 447 Pelagianismus ac Pelagianismi suspicio ab Aquileiensi provincia exsulabat, sancti Leonis papæ sollicitudine, ac Januarii maxime episcopi opera; Secundus, proximus Januarii successor, Aquileiensem procul dubio accepit Ecclesiam omni prorsus hac labe purgatam, et ita quoque eamdem accepit post Secundum Nicetas, qui Aquileiensem episcopatum adivit anno 454, altero nempe post Attilanum Aquileiensis civitatis excidium. Hic vero considerandum etiam subit, barbaras gentes quæ Attila duce ex Septentrione in Italiam tunc irruperunt, ac secum errorum quoque colluviem intulerunt quibus erant infectæ, timorem maximum procul dubio injecisse etiam Pelagianis hominibus, si qui forte in aliquo Aquileiensis provinciæ angulo latitarent; quos propterea longe aufugisse verosimile est, prout etiam Roma aufugerant ut se in Siciliam primum, deinde et in Africam reciperent, Alarici tempore, eorumdem coryphæi Pelagius ac Cœlestius, uti ex Pelagiana historia notum est.

Ex his igitur quæ hucusque dicta sunt, satis appareret, et non ita multos in Aquileiensi provincia fuisse, etiam ex solo ecclesiasticorum cœtu, qui Pelagiani erroris suspicionem præberent circa annum 442, quo epistola ad Aquileiensem episcopum data fuit a sancto Leone pontifice Maximo; et paucos certe, aut omnino nullos amplius fuisse circa annum 447, quo altera ab eodem pontifice scripta fuit ad Januarium episcopum Aquileiensem; et nullos profecto Nicetæ episcopi tempore, qui ab anno 454 ad 485 Aquileiensem tenuit episcopatum; ita ut nulla illi esse debuerit occasio Pelagianos nominandi aut Pelagianorum errores in sua *Symboli Explanatione*, etiamsi propositum habuisset de hæresibus ibidem peculiariter agere. Atque hactenus in animadversiones clarissimi Zabei ex *penitioribus* causæ ab ipso petitas.

Reliquum nunc est ut sermonem **173** ad clarissimum Michaelem Denis convertamus, eruditissimum sane virum, bibliothecæ Vindobonensi Palatinæ præfectum, ac de re litteraria universa præclare meritum; cujus propterea obitus quem pridem doluimus, etsi fortasse pro illius ætate non ita præproperus, nihilominus optimis studiis, ac studiosis omnibus jactura fuit. Inter alia ingenii monumenta quibus et eruditis profuit, et litterariam rempublicam ditavit, exstat opus cui titulus : *Codices manuscripti theologici bibliothecæ Palatinæ Vindobonensis Latini, aliarumque Occidentis linguarum; Vindobonæ*, 1802. In hujus porro operis volumine II, parte tertia, cujus post auctoris mortem editor fuit dominus baro de Muller, recensetur, pagina 2041, *codex* quidam *membranaceus Latinus sæculi decimi, foliorum* 119, *in*-8°, *charactere luculento bene exaratus, minio distinctus, titulisque multis littera quadra coloribus inclusa ornatus*, ut ibidem describitur. Quod exhibet hic codex primo ingressu, est *ordo, vel brevis explanatio de catechizandis rudibus*, quæ idcirco de baptismo quoque agit ejusque ritibus; et tota constat ex verbis ac sensibus a sanctis Patribus depromptis, *ut fit in collectionibus canonicis*, prout ait ipse Denis ibidem; ubi etiam suis opportune locis Patres iidem indicantur, e quibus sensa ac verba sumuntur. Patres hic indicati, sunt *Niceta, Clemens, Isidorus Hisp., Albinus* (*Alcuinus*) *Magister, Hieronymus, Gregorius M., Beda, Augustinus, Athanasius, Leo*, et *Origenes*. « Atque de cæteris, subdit vir clarissimus, res est expedita... unus *Niceta, Nicetas, Niceas* aurem vellit. » Inquirit itaque quis Nicetas hic, Niceta, seu Niceas esse possit; et in eam illico descendit sententiam, quod Gennadianus reipsa sit, auctor *sex libellorum instructionis* ad baptismum pro *competentibus*; quem Romatianæ civitatis episcopum dicit *in Dacia Mediterranea*, et eumdem propterea ac Nicetam sancti Paulini Nolani amicum. Quapropter, ut damnum aliquo modo imminuat deperditorum ejusdem librorum, λείψανα saltem eorumdem ex illo codice profert, quæ nonnisi gratissima studiosis ac eruditis omnibus esse possunt; quæque nos ipsi post duo integra ejusdem Nicetæ opuscula libentissime exhibemus, qualia ex illius diligentia accepimus.

Fragmenta hæc Nicetiana sunt numero sex : ex quorum tertio argumentum sumit Denisius, sane speciosum, ac prima etiam fronte validissimum, ut suam confirmet sententiam; Nicetam scilicet Gennadianum eumdem esse ac Nicetam Daciæ episcopum, sanctique Paulini amicum. Ita namque ibidem ait Nicetas : « Non enim ante ad confessionem venitur, nisi prius fuerit diabolo renuntiatum. Sicut nec arilicus (*aurilegus*) ante aurum mittit in sacculum, nisi prius terram vel limum laverit universum. » Quid vero ad hæc Nicetæ verba Denisius? « Vides, inquit, morem Daciæ ab episcopo domestico sæculi quinti confirmatum de quo plura Samuel Kœleserus in Auraria Romano-Dacica, Cibinii, 1717, *in*-8°. Operas Paulinus, carmine XVII ad Nicetam nostrum *aurilegulos* vocat : *Callidos aurilegulos in aurum vertis*, ad vitam Christianam videlicet eos instituendo; et carmine eodem : *Bessus exsultat, quod humi manuque ante quærebat, modo mente cœlo colligit aurum.* » Ita in rem suam, et ingeniose sane, clarissimus auctor. Post fragmenta vero, hæc subdit, quæ integra damus, ne fides nostra desiderari possit in sensibus exponendis tanti viri, qui Zabeo ipsi prælusit, tum quoad opinionem super Nicetæ hujus Gennadiani episcopatu, tum quoad emendationem quam proponit tituli opusculi *Explanationis* **174** *Symboli* in voce illa *Aquileiensis*; quin Zabeus ipse, dum scriberet, quidquam compertum haberet de illius sententia, aut de codice Vindobonensi. Ait itaque Denisius : « Hæc in codice de Niceta restant... Nunc ad Nicetam tantisper respicere liceat. Dum enim hæc scripsissem, allatum est mihi Patavii typis seminarii, nuper 1799 excusum in-4° opusculum inscriptum : *Explanatio Symboli beati Nicetæ Aquileiensis episcopi habita ad competentes*, manu, ut habet præfatio Italica, eminentissimi Purpurati Stephani Borgiæ, litteratissimi litteratorum hominum fautoris, e codice ms. Chisiano membranaceo in-4° sæculi XIV descriptum. Plaudebam enimvero, memoriam sancti præsulis eodem pene tempore cum a me, tum alibi rursus excitari; non poteram tamen consentire in τὸ *Aquileiensis*, quod si codex Chisianus præ se fert, certo σφάλμα est, scribendumque fuerat aut *Daciæ*, aut *civitatis Romatianæ* cum Gennadio, aut *Romessianæ* cum tabula Peutingeriana, aut Ῥεμεσίανης τῆς Δακίας cum actione 1 concilii Chalcedonensis, tomo IV Conciliorum Labbei editionis Venetæ col. 892, quam civitatem conflare cum Aquileia aggressum cardinalem Baronium in notis Martyrologii ad 22 Junii emendavere Papebrochius in Actis Sanctorum tomo IV Junii in dissertatione critica ad eamdem diem pag. 245; Pagius in critica Annalium tomo II ad annum 396 pagina 8; De Rubeis in Monumentis Ecclesiæ Aquileiensis, capite 17 col. 152; Quesnellus in notis ad Leonis Magni epistolam 129, tomo II, pag. 506. Quod si igitur Romatiana civitas non est Aquileia, liquet non scripsisse episcopum Aquileien-

sem quæ scripsit Romatianus. Immo Aquileiensem sæculo pene integro Romatiano posteriorem litteris aliquid consignatum reliquisse nemo antiquorum tradit. At vero Gennadius jam superius a me productus, et Aquileiensi σύγχρονος, cap. 22, diserte Romatiano tribuit *instructionis libellos sex* pro competentibus ad baptismum, sequente Honorio Augustodunensi, libro II, capite 22, et Trithemio numero 118, atque inter hos *quintum de Symbolo*, quem eumdem esse, qui e codice Ghisiano productus lucem nuper aspexit Patavii, eo minus ambigo, quod in eo mox sub ingressum editionis Patavinæ, pagina 7 eadem verba repetit auctor, quæ supra e libello ejus secundo citavi : *His ergo malis se homo expediens, has catenas post dorsum suum velut in faciem projiciens inimici, jam sincera* (in editione *symbolica*) *voce pronuntiat : Credo in Deum*, etc. Perpendat hæc lector, et haud gravate mecum statuet, si de recudenda isthac *Explanatione Symboli* sive separatim, seu in quodam Bibliothecæ Patrum supplemento res fuerit, *Nicetæ Aquileiensi* substituendum fore *Dacicum*, aut *Romatianum*.» Hactenus clarissimus Michael Denis.

Quid nunc ad auctoritatem tanti viri? Quid ad momenta quæ affert, ut Gennadianum Nicetam eumdem astruat ac Nicetam Dacum sancti Paulini Nolani amicum; et ut corrigendum proinde asserat novi opusculi titulum, prout Zabeus ipse autumavit, delendo vocem *Aquileiensis*, eique sufficiendo vocem *Dacici*, seu *in Dacia Romatiani?* Contra dissertationem Zabei jam plura scripseram, cum perlatum fuit mihi, eumdem jam præventum fuisse a viro clarissimo in eadem sentiendi ratione. Hæsi profecto ad inopinatum nuntium, et nihil non movi, ut præ oculis quam citius habere possem quæ Denisius scripserat super hac re : cum ecce **175** Zabeus ipse, cui innotuerat desiderium meum, humanissimis sponte sua ad me datis litteris die 26 Septembris 1805, copiam fecit totius Denisiani articuli super *Niceta*, quem ipse paulo ante exscripserat ex edito exemplari, quod Venetias jam pervenerat ad bibliothecam Marcianam. Avide cum legissem, viri auctoritas ac celebritas me quidem plurimum percellebat; maxime cum intelligerem illum non fama tantum novum cognovisse opusculum, sed etiam idem lustrasse oculis suis, unde deprehendere potuit lypsanorum etiam suorum cum ipso germanitatem. Verum cum nihil omnino viderem in Denisiano articulo quod esset contra ea quæ maxime capite secundo ac tertio jam lucubraveram, ut probarem, et Nicetam Dacum sancti Paulini Nolani amicum, non fuisse episcopum civitatis Romatianæ in Dacia Cisdanubiana positæ, sed trans Danubium episcopatum gessisse; et Nicetam Gennadianum meminisse peculiari modo in *Explanatione Symboli* Eutychiani erroris, de quo sermonem habere non poterat Nicetas Dacus sancti Paulini Nolani amicus : cum nihil insuper deprehenderem contra ea quæ capite quarto propositum mihi erat scribere pro astruendo Nicetæ hujus Gennadiani Aquileiensi episcopatu; petita venia a summo viro, qui fortasse aliis atque aliis distentus curis, et codicum lustrandorum copia obrutus, pen tius *Explanationem Symboli* considerare non potuit, incœptis standum esse decrevi. Neque vero movere me poterant quæ Denisius ipse afferebat. Quid enim in tota illius animadversione, quod a nobis expensum non sit, et uberiori etiam calamo pertractatum, dum egimus contra Zabeum, ac præsertim capite quarto ac quinto, et ubi cardinalis Baronii sententiam a viris eruditissimis tanto clamore explosam in examen revocavimus? Nihil itaque hic addendum restat ad Denisii animadversionem, quæ tota innititur auctoritati virorum illorum, qui veluti agmine facto contra Baronium surrexerunt; et Denisi .s ipse, qui eisdem nulla rerum facta distinctione subscripsit, non gravate ferret, si adhuc in vivis esset, me ab illo disce ere, prout discedendum putavi a toto eruditorum cœtu, qui illum in hac sentiendi ratione præcesserunt.

Habet nihilominus clarissimus vir peculiarem suam animadversionem, quam sane solerter ex fragmentorum suorum tertio hausit, quamque superius attulimus; et huic faciendum est satis. Aurilegorum in hoc Nicetiano fragmento fit mentio; sive eorum qui e montium venis, sive potius qui ex fluminum glareis ac luto aurum colligebant : de quibus in rem suam apposite dicebat Nicetas, quod sicut nec aurilegus seu aurilegulus ante mittit aurum in sacculum, nisi prius terram vel limum laverit universum; ita neque ante a competente pronuntiatur confessio Christianæ veritatis in fidei articulis contentæ, nisi prius fuerit diabolo ab eodem renuntiatum. Cum aurilegorum meminerit non semel in carmine ad Nicetam suum etiam Paulinus Nolanus, veluti incolarum Daciæ, ubi Nicetas ille Dacorum episcopus versabatur, et quos ipse Christo lucrifaciens in aurum verterat, ut idem dicebat; hinc arguebat clarissimus Denis, Nicetam auctorem illius fragmenti, ac propterea auctorem aliorum etiam opusculorum ad competentes, de quo Gennadius, esse reipsa Nicetam illum Dacum sancti Paulini Nolani amicum, qui ideo de aurilegis exemplum posuit in illo suo sermone, quia notissimi erant iis quibuscum loquebatur; et qui propterea, aurilegos nominans, satis indicavit se esse in Dacia episcopum, minime vero episcopum Aquileiensem. Hæc profecto viri clarissimi **176** animadversio tam feliciter ac naturaliter eruta ex collatione illius Nicetiani fragmenti cum carmine Paulini Nolani de Niceta Daco, fucum prima fronte facere potest, at neutiquam rem confi cere, ac persuadere. Valeret namque ad confirmandam illustrandamque sententiam, quæ potioribus innixa esset argumentis : non valet argumenti loco ad sententiam propugnandam ac defendendam. Denisius ipse hac animadversione usus est confirmationis et illustrationis gratia pro sententia sua, quam aliis argumentis jam firmam existimabat; maxime vero illorum auctoritate virorum qui in Baronium surrexerunt, quasi cum Aquileiensi civitate Romatianam, seu Remesianam, aut Remisianam, sive Romessianam civitatem Daciæ confudisset. His igitur argumentis cum abunde fuerit satisfactum, Denisii animadversio, quantumlibet naturalis atque spontanea, quanta nunc esse potest? Eamdem nihilominus expendere juvat.

Ex aurilegis opportune ad rem quam agebat exemplum posuit in locutione sua ad competentes Nicetas, ut Denisius existimat; quia aurilegi erant in Dacia, ubi Nicetas Dacorum episcopus et Paulini Nolani amicus versabatur, uti ex eodem Paulino constat : *Vides morem Daciæ ab episcopo domestico sæculi quinti confirmatum*, aiebat ipse. Dacorum igitur erat episcopus, infert Denisius, Nicetas hic qui ita ad competentes suos loquebatur, non vero Aquileiensium. Verum cur non et aurilegorum exemplo uti potuerit Nicetas Aquileiensis, licet aurilegi in Aquileiensi provincia fortasse non essent? Sufficit nempe aurilegorum nomen atque industriam innotuisse communiter, ut inde quilibet in sermone, pro re nata, exempla sumere posset. Virgilius certe, cum aliquando Ennium in manu haberet, rogareturque quidnam faceret, fertur respondisse, *se aurum colligere de stercore Ennii*. En aurilegorum morem a Virgilio in exemplum sumptum, licet Virgilius tam procul esset ab aurilegis Daciæ. Etiam sanctus Hieronymus in epistola ad Lætam super institutione filiolæ Paulæ, quæ 107 est in editione Vallarsii, loquens, num. 12, de apocryphis libris, quorum aliquando lectionem puellæ virgini non vetabat; *sciat*, inquit, *multa his admixta vitiosa, et grandis esse prudentiæ, aurum in luto quærere*. Communis igitur erat eloquii, et ubique gentium in usu positi, exemplum sumere, pro sermonis opportunitate, ex aurilegorum industria, uti ex re omnibus nota : ideoque non est cur Dacus esse debuerit ille Nicetas qui ex aurilegis exemplum posuit in illo fragmento, propterea quod in Dacia aurilegi essent a Paulino Nolano episcopo nominati; cum æque Aquileiensis episcopus exemplum sumere potuerit ab au-

rilegis ubi sermo postulasset, sicuti a Marone primum, atque a divo Hieronymo factum postea leginus, necnon a tot aliis scriptoribus, quorum opportune mentio fieri posset, nisi res esset satis superque explorata.

Sed Aquileiensis episcopus peculiari etiam modo aurilegorum meminisse potuit, et fortasse etiam aurilegorum Daciæ qui Aquileiensibus suis noti essent; cum constet Aquileiam emporium exstitisse gentibus ad Danubium positis. Etenim Aquileia, Strabone teste Geographiæ libro v, « patebat emporium Illyricis gentibus Istrum accolentibus. » Aiebat etiam Herodianus, libro viii in Maximino : « Super civium ingentem numerum, etiam magnam vim hospitum ac mercatorum eam urbem (Aquileiam) frequentasse : eamque ad mare sitam, quasi terminum Illyriæ. » Quidni igitur Aquileienses sæpe viderint aut Dacos ipsos aurilegos suorum laborum **177** fructum Aquileiæ vendentes; aut alios Dacis finitimos, qui ab ipsis comparatum aurum, sive auratum limum, venum Aquileiam detulerint? Quidni Romanæ Daciæ incolæ a Dacis barbaris trans Danubium positis arenas emerint aureis particulis divites, aut auream terram e montium visceribus erutam; et hanc illasque ad aurifices Aquileiam ipsi detulerint negotiationis causa? Arenas dixi aureis particulis divites, aut auream terram. Ut ut enim Barbari illi aurilegi aurum a limo atque a terra lavationibus separare potuerint ut in sacculum mitterent, non ita tamen aurum illud purum reddebant, ut non cohærentes sibi multas arenæ aut terræ partes contineret, quæ aurificum laboriosiore essent opera omnino separandæ. Hinc igitur negotiationis occasio, primum inter Dacos Barbaros et Romanos, qui materiam primam, ut ita dicam, a Barbaris emerent; deinde inter Dacos Romanos et negotiatores aut aurifices Aquileienses, qui materiam illam primam a Dacis Romanis Aquileiam advectam sibi acquirerent novi lucri faciendi causa ex opere adhibito ad integram auri purgationem. Atque hæc super auctoritate quoque et animadversionibus clarissimi viri Michaelis Denis dicta sufficiant.

CAPUT VIII.

De sancto Niceta episcopo Aquileiensi, ejusque opusculis, tum nunc editis, tum etiam aut deperditis, aut adhuc latentibus; nec non et de fragmentis quæ nobis innotuerunt studio et industria eruditissimi viri Michaelis Denis. De illius quoque sanctitate ac cultu.

Cum non sit amplius ambigendum, ut videtur, Niceam seu Nicetam Gennadianum esse reipsa Niceam seu Nicetam episcopum Aquileiensem, et Niceam seu Nicetam hunc Aquileiensem auctorem esse duorum opusculorum quæ nunc primum unita damus, nec non et fragmentorum quæ ex deperditis aut adhuc latentibus opusculis aliis supersunt; jam de hoc Nicea seu Niceta Aquileiensi, veluti auctore opusculorum quæ Gennadius Romatiano tribuit, libere disserendum existimamus. Quid autem de hoc Nicea seu Niceta Aquileiensi dixerimus, quod lucem aliquam afferat ad eamdem penitius aggrediendum? De Nicetis diatribam elucubraverat, quæ intercidit, Leo Allatius, ut admonet Joannes Albertus Fabricius Bibliothecæ Græcæ tomo VI, pag. 429 primæ editionis; prout similes alias idem edidit, quæ supersunt, de Psellis et eorum scriptis, de Methodiorum scriptis, de Simeonum scriptis, de Nilis et eorum scriptis, nec non et de Georgiis et eorum scriptis. Nihil certe utilius quam ut ubi plurimi ejusdem nominis viri vita et scriptis inclaruerunt, aliquis inveniatur qui distincte de unoquoque agat, ut confusionis errorisque occasio et periculum auferatur. Hujus propterea eruditi viri exemplo alii quoque de homonymis disseruerunt, uti, ex. gr., Anselmus Bandurius de Nicephoris eorumque scriptis, licet illius dissertatio non prodierit; et nuper de claris Remigiis eorumque scriptis Franciscus Fontanius, tomo III *Novæ Eruditorum Deliciæ*, etc., Florentiæ 1793. Quidni igitur inter Nicetas illos ab Allatio illustratos, locum habuerit et Nicetas noster episcopus Aquileiensis a Gennadio memoratus? Quidni aliquid de hoc etiam Niceta ibidem dixerit Allatius, quod frustra alibi inquiramus? Dolendum sane clarissimi **178** viri opus intercidisse, quo nostra fortasse juvari potuisset oratio.

Nicetas multos, Nicetos, Niceas, Nicas, Nicetios habemus in Martyrologiis Latinæ Ecclesiæ, tum separatim editis, ut Romano, Hieronymiano, Adonis, et Usuardi, tum in iis quæ in collectionibus monumentorum veterum prodierunt; in Spicilegio nempe Dacherii, in Lectionibus Antiquis Canisii, et in Thesauro novo Anecdotorum, nec non et in Veterum Scriptorum et Monumentorum nova collectione Martenii ac Durandi : sed quid in his præter nomen ac breve quandoque elogium; testimonia quidem sanctitatis eorum, ac cultus etiam qui in Ecclesia ipsis tributus fuit, sed quæ nihil plerumque de eorum gestis, nihil etiam de eorum ætate nobis exhibeant, si alia monumenta præsto non sint, quibus illorum exiguitas suppleatur? Menologia quoque Græcorum, ut illud præclarissimum, ac magnifice Urbini impressum tribus tomis in-folio anno 1727; necnon et Kalendaria, uti Constantinopolitanum a clarissimo Stephano Antonio Morcello illustratum ac editum Romæ, duobus tomis in-quarto 1788, Nicetas nobis plures produnt martyres et confessores : sed hi ad Orientalem Ecclesiam spectant et nihil commune habent, præter nomen, cum Aquileiensi nostro, de quo Gennadius. Tota itaque a Gennadio proficiscatur oportet hæc nostra de Aquileiensi Nicea seu Niceta ejusque opusculis inquisitio; cui addenda ea etiam sunt, quæ de Aquileiensi Nicea seu Niceta hactenus viri docti tradiderunt, tum ex divi Leonis Magni epistola ad eumdem, tum ex ipsius Aquileiensis Ecclesiæ monumentis, ac vetustioribus, quæ supersunt, memoriis fide dignis.

At potius quam a Gennadio, nonne ex divo Hieronymo auspicari deberet hæc nostra de Nicea seu Niceta Aquileiensi inquisitio? Divus certe Hieronymus primus est qui meminerit Niceæ cujusdam, patria Aquileiensis, et amici sui, immo et socii peregrinationum; ad quem Aquileiæ tunc consistentem, atque hypodiaconi munera in Aquileiensi Ecclesia obeuntem, ipse ex Oriente epistolam dedit amicarum querelarum plenam, quæ est octava in editione Vallarsii, et ad annum pertinet, ut ibidem notatur, 374. Hunc autem Baronius aliique existimarunt eumdem Niceam seu Nicetam esse, qui cum hypodiaconus primum fuerit Aquileiensis Ecclesiæ, postea ejusdem episcopus factus sit, atque a divo Leone Magno notissimam illam epistolam acceperit; addentes etiam eumdem in Aquileiensi sede proxime successisse Chromatio. Jam alibi innuimus, et hic pro instituto iterum monere debemus, dupliciter a Baronio, aliisque qui eum secuti sunt, erratum fuisse in hoc Aquileiensis Ecclesiæ hypodiacono Nicea seu Niceta; quia neque Niceas seu Nicetas Aquileiensis episcopus, qui a divo Leone Magno notam epistolam decretalem accepit, proximus Chromatii successor fuit, sed successor Secundi, qui post Chromatium quintus Aquileiensem tenuit sedem; et quia Niceas seu Nicetas, qui divi Hieronymi ævo hypodiaconus erat Aquileiensis, tamdiu vivere non potuit, ut etiam episcopus postea factus Aquileiensis Ecclesiæ, et citatam epistolam a divo Leone Magno acciperet, et annos episcopatus compleret quos Aquileiensi episcopo Niceæ seu Nicetæ vetera monumenta assignant. Rem utramque clarissimus De Rubeis in Monumentis Ecclesiæ Aquileiensis capite 17 numero 3, ita exponit ac probat, ut nullum relinquat dubitandi locum : « Immediatam, inquit ille, Nicetæ successionem post Chromatium, convellunt Chronica duo, Aquileiense et Gradense, et Catalogus Forojuliensis patriarcharum. » **179** Numeratur quippe post ipsum Chromatium plures hoc ordine successores, *Augustinus*, *Adelphus*, vel *Delphinus*, *Maximus*, *Januarius*, *Secundus* : ac

deinde *Nicetas* locum habet. » Ita De Rubeis ad primum. Ad alterum vero ita prosequitur : « Niceam hypodiaconum distingui oportere a Niceta episcopo, cogit ratio temporum. Ad illum scribebat Hieronymus anno circiter 374, ac Leo Magnus anno 458 ad istum : unde jam quatuor colligerentur supra octoginta anni ætatis ipsius Nicetæ. Adde annos, quos natus erat cum Ecclesiæ Aquileiensis hypodiaconus epistolam ab Hieronymo accepit : adde rursum alios quibus regere Aquileiæ post annum 458 perrexit Ecclesiam : fitque tot annorum summa, immo excessus habetur, ut prudens nemo tam longam provectamque ætatem uni tribuat Nicetæ, sive Niceæ. » Hæc ille. Duo igitur necessario distinguendi sunt in Aquileiensi Ecclesia Niceæ seu Nicetæ; alter, qui illius Ecclesiæ hypodiaconus fuit, qui nequaquam Chromatio successit in Aquileiensi episcopatu, et de quo nihil compertum habemus, præter ea quæ in citata divi Hieronymi epistola ad eumdem legimus; alter vero, qui Aquileiensis utique episcopus fuit tempore divi Leonis Magni, cujus exstat ad illum epistola decretalis, et de quo Gennadius loquitur capite 22 de Viris illustribus sub nomine episcopi civitatis Romatianæ, ut in superioribus capitibus ostensum fuit. Porro cum nostrum sit de Nicea seu Niceta Aquileiensi episcopo unice agere, facta duorum Nicetarum Aquileiensium distinctione, prout oportebat, hypodiaconum divo Hieronymo relinquimus, episcopum a Gennadio accipimus illustrandum.

Verum Aquileiensis hic episcopus a Gennadio memoratus, Niceas estne dicendus, an potius Nicetas? Nimirum aliquid constet necesse est, quoad fieri potest, etiam de proprietate ac de vera nominis pronuntiatione viri illius, de cujus munere, ætate, scriptis, gestisque sermo habetur. Si Joannem Josephum Lirutum audiamus, qui de duobus Aquileiensibus Niceis seu Nicetis prolixiori stylo disseruit in suis *Notizie delle Vite de' letterati del Friuli*, tomo I, capite 10 et 11, Nicetam absque dubio dixerimus eum qui apud divum Hieronymum hypodiaconus est; Niceam vero qui Aquileiensis episcopus fuit. At (quod semel hic monuisse juvat) pleraque audet in his capitibus Lirutus, tum quoad propria horum Nicearum seu Nicetarum nomina, tum quoad res gestas, atque alia ad ipsos pertinentia, sicut et alibi quoque non infrequenter solet : quæ omnia multam quidem eruditionem viri ostendunt; critices vero usum, ut summis rerum æstimatoribus visum fuit, non æque in eodem probant. Rem itaque alia via aggrediamur oportet. Hypodiaconus ille, quem nuper memorabamus, non sub Nicetæ, sed sub Niceæ nomine communiter exhibetur in editionibus Hieronymianis illius epistolæ, unde idem nobis innotescit; ac proinde indubium videtur, proprium hypodiaconi illius nomen, amici ac socii divi Hieronymi, fuisse Niceam. Sub eodem Niceæ nomine etiam episcopus noster venit, tum apud Gennadium, Honorium Augustodunensem, ac Joannem Trithemium, ex editis eorumdem Operibus, tum in Martyrologiis similiter editis Adonis, Usuardi, atque Romano. Niceam itidem eumdem dixerunt Kalendaria vetustiora typis impressa Aquileiensis Ecclesiæ; ac Niceam etiam nunc dicunt Kalendaria Ecclesiæ Utinensis, quæ ex prisco Ecclesiæ matris more festum illius sancti episcopi indicunt ad diem 22 Junii. At cum veteribus persuasum fuerit, Niceam hypodiaconum Aquileiensem, **180** divi Hieronymi amicum et socium, eumdem fuisse qui postea Aquileiensis etiam episcopus fuit; hinc facile factum censemus, ut ipse Niceas communius diceretur, tum in editis Gennadii, Honorii ac Trithemii Operibus, tum in Martyrologiis ac Kalendariis. Verumtamen non Niceam, sed potius Nicetam dicendum esse episcopum Aquileiensem hujus nominis, et ita sane appellatum fuisse ipsa ætate sua, plura existimamus esse quæ aperte suadeant.

Sanctus certe Leo Magnus, non ad Niceam, sed ad Nicetam Aquileiensem episcopum epistolam illam A suam decretalem direxit, ut in editionibus habemus tum Quesnelli, tum Cacciarii, tum etiam Ballerinio-rum fratrum, quin ulla appareat diversa lectio : et sanctus hic pontifex probe nosse poterat verum ac genuinum illius episcopi nomen, etiam ex relatu Adeodati Romanæ Ecclesiæ diaconi in eadem epistola nominati, qui Aquileiæ pridem fuerat apud Nicetam, quique inde redux Nicetæ ipsius consultationes ad Romanum pontificem attulerat, quibus ille in eadem epistola satisfecit. Præterea *Explanatio Symboli ad competentes* nuper educta ex codice Ghisiano, non *Niceam*, sed *Nicetam*, præfert in titulo : *Beati Nicetæ Aquileiensis episcopi Explanatio Symboli habita ad competentes*. Celebris item Gennadii codex Vallicellanus, relatus ab Holstenio in Animadversionibus ad Martyrologium Romanum die 22 Junii, a Florentinio quoque in Vetust. Occidental. Eccles. Martyrol., ad x kal. Julii, atque ab aliis; celebris hic codex Gennadianus habet : *Nicetas Romatianæ civitatis episcopus*. Similiter *Nicetas* habet alter codex Gennadianus B San-Germanensis, quem citat, et *antiquissimum* dicit, Michael Lequienus in suo Oriente Christiano, tomo II, col. 306. Addendus est hoc loco etiam codex Vindobonensis sæculi decimi, qui nobis fragmenta servavit opusculorum quæ desiderantur Nicetæ episcopi, quæque industriæ ac merito debemus clarissimi Michaelis Denis, qui eadem ecclesiasticæ reipublicæ commodo vulgavit : in hoc enim codice Nicetas appellatur fragmentorum illorum auctor, non vero Niceas.

Neque interim desunt domestica, ut ita dicam, ejusdem rei testimonia. Præsto sunt enim Gennadiani codices duo; alter membranaceus, sæculi ut videtur duodecimi aut decimi tertii, insignis Collegiatæ Ecclesiæ Civitatensis; alter vero chartaceus, sæculi ut videtur decimi tertii aut decimi quarti, inter Guarnerianos codices publicæ Fontaninianæ bibliothecæ oppidi Sancti Danielis; in quorum utroque legimus : *Niceta Romathicianæ civitatis episcopus*. Niceta igitur C seu Nicetas, non vero Niceas, videtur fuisse proprium ac genuinum episcopi nostri Aquileiensis nomen; quamquam exigua admodum et nullius momenti sit differentia inter utrumque, ut alterum etiam pro altero absque detrimento personæ facile possit usurpari. Enimvero quamvis in Aquileiensi diœcesi, uti notabamus, *Niceas* perpetuo dictus fuerit episcopus noster in Kalendariis quæ singulis annis edita fuere, ac propterea Niceas etiam nominaretur in lectionibus secundi nocturni quæ a communi confessoris pontificis antea sumebantur, nec non in oratione similiter ex eodem communi petita, tum ad officium, tum ad missam; Niceta seu Nicetas nihilominus dictus fuit in litaniis Majoribus sanctorum, quæ olim in eadem Aquileiensi Ecclesia canebantur, quæque Utini editæ fuerunt anno 1602, jussu celeberrimi Aquileiensis patriarchæ Francisci Barbari post diœcesanam synodum ab eodem Goritiæ habitam ipso anno die 25 Junii. Etenim inter sanctos pontifices et confessores **181** in his supplicationibus invocatos, post sanctos D Silvestrum, Gregorium, Ambrosium, Augustinum, etc., inter sanctos peculiares Aquileiensis Ecclesiæ, Valerianum, Chromatium, Paulinum, etc., legitur etiam : *Sancte Niceta, ora pro nobis*.

Post nomen hujus Aquileiensis episcopi, quem non Niceam, sed Nicetam deinceps jure appellabimus, quid nunc de illius patria sentiendum? De hujus Nicetæ patria nonnihil paulo ante attigimus, dum Zabeo respondebamus : sed hic instauranda res est, ut suo ordine procedat oratio. Origine Græcum hunc asserit Dandulus; Aquileiensem vero contra Dandulum propugnat Joannes Josephus Lirutus. Quid ipse audeam in re tam dissita atque obscura, ubi non argumentis, sed tantummodo conjectationibus patet locus? Affirmat Lirutus Chronica nostra Aquileiensia atque Gradensia nihil omnino de Nicetæ hujus origine tradidisse; Dandulum vero, qui non aliunde quam ex his Chronicis notitias suas hausit, proprio

marte Græcam originem addidisse, probabiliter ex Græca Nicetæ nominis derivatione. At quis nesciat Dandulum gaudere fama diligentis accuratique scriptoris, qui non modo in rebus ætatis suæ, sed etiam in vetustis memoriis referendis, nihil temere et inconsulto tradiderit? Præterea negaverit nemo Danduli ætate plura exstitisse vetera monumenta, quæ ad nos usque minime pervenerunt; ex quibus ipse haurire potuit quæ nobis scripta reliquit. Addit Lirutus, Nicetæ etiam Aquileiensis tempore viguisse morem, ut episcopi eligerentur ut plurimum ex clero vacantis Ecclesiæ, atque ex iis maxime qui ibidem in inferioribus gradibus meruissent. Quid igitur peregrinum et advenam in suum episcopum assumpsisset Aquileiensis Ecclesia; cum maxime constet Ecclesiam eamdem sæpe etiam in sinu suo viros aluisse sanctitate ac doctrina insignes, quos aliis Ecclesiis daret episcopatus honore sublimandos? Verum si ex Aquileiensi clero aliæ Ecclesiæ habuerunt episcopos; jam ex ipsa Aquileiensis Ecclesiæ historia a Liruto memorata constat morem illum non ita fuisse communi consuetudine roboratum, ut exceptionem sæpe etiam non pateretur, cum hæc maxime cederet in majorem Ecclesiæ utilitatem, quæ omnium temporum et locorum omnium præcipua regula disciplinæ fuit. Cur itaque Græcum hominem, seu potius origine Græcum, habere non potuerit Aquileiensis Ecclesia episcopum?

Placet hic nihilominus Liruti ipsius sententia, ut Aquileiensis patria reipsa fuerit Nicetas noster episcopus: neutiquam vero repugnat ut simul et origine Græcus prout Dandulus tradit, et patria Aquileiensis ut propugnat Lirutus, Nicetas noster fuerit. Græcam originem sonat etiam Niceæ nomen in hypodiacono illo Aquileiensi, amico et socio divi Hieronymi, de quo paulo ante dicebamus: quis autem dubitare possit eum fuisse reipsa patria Aquileiensem, post testimonium ejusdem sancti doctoris in supracitata epistola ad eumdem, in qua ita eum Aquileiæ degentem amice compellabat: « inter delicias patriæ, et communes quas habuimus peregrinationes, aliquando suspira? » En igitur Niceam hypodiaconum, et patria simul Aquileiensem, et probabiliter etiam origine Græcum, ut nomen indicat. Majores nimirum hujus Niceæ e Græcia oriundi Aquileiam verosimiliter transmigrarunt, ibique sedem fixerunt, ut eamdem sibi novam patriam facerent, servatis tamen nominibus gentilitiis, quæ Græcam perpetuo eorumdem originem indicarent. Quidni et Nicetas Aquileiensis episcopus ex his fuerit qui Aquileiæ prognatus majoribus ex Græcia oriundis, simul esset et origine Græcus, et patria Aquileiensis? **182** Adhuc aliquid conjectationibus audeamus. Quidni et Nicetas hic episcopus Aquileiensis ex ipsa fuerit agnatione Niceæ hypodiaconi, immo ex eadem ipsius familia, et fortasse fratris filius ejusdem Niceæ, aut Niceæ pronepos, qui nomen familiæ retinuerit, tantisper tamen inflexum, distinctionis gratia alterius ab altero? Veritatis exploratæ loco, cujus ob monumentorum inopiam expertes sumus, conjecturam damus, seu etiam divinationem, quæ tamen nullatenus veritati repugnat.

Sequitur ut annum etiam inquiramus, quo Nicetas noster Aquileiensem episcopatum adivit, et annum insuper quo ad superos evolavit. Quoad hujusmodi epochas non est cur immoremur in illa temporis nota, quæ visitur apud Trithemium in Francofurtiensi editione illius Operum an. 1601, typis Wechelianis in-folio, ubi leginus: *Claruit tempore Theodosii et Honorii principum*, *anno* 420. Sive enim hæc Trithemii verba sint, sive alicujus posterioris illius Operum exscriptoris additamentum, ut probabilius videtur; talia certe haberi non possunt, ut post ea quæ hactenus dicta sunt expendi mereantur. Quod igitur ad primum attinet, ad annum scilicet quo Nicetas Aquileiensem episcopatum adivit: cum, non divi Chromatii, sed Secundi proximus fuerit successor Nicetas in episcopatu Aquileiensi, videndum est num ante Aquileiæ excidium seu post, et quo probabilius anno, episcopatum inierit. Jam Aquileiæ excidium, ex communi historicorum et chronologorum sententia, ad annum 452 collocamus; et triennalem ejusdem urbis obsidionem, ab aliquo historicorum veterum assertam, cum communi recentiorum suffragio respuimus. Necem quoque Nicetæ episcopo ab Hunnis illatam in ipso urbis excidio, quam in aliquo monumentorum veterum invenimus, vel synchrona auctoritate freti epistolæ divi Leonis Magni ad eumdem, inter fabulas amandamus. Quando igitur episcopatum Aquileiensem post Secundum inivit Nicetas? Clarissimus De Rubeis in Monumentis, capite 16 Danduli chronologiam secutus, initium episcopatus Nicetæ illigat cum anno æræ vulgaris 454 ab eodem expresse notato, qui propterea secundus est ab Aquileiæ excidio. Dandulus tamen hoc loci in eo erravit, quod Aquileiæ excidium, fretus auctoritate Gotfridi Viterbiensis quem ibidem nominat, post epocham capessiti a Niceta episcopatus Aquileiensis enarrat, ita ut unus esse videatur ex iis qui triennalem Aquileiæ obsidionem admiserunt. Hoc Danduli errore permotus Joannes Josephus Lirutus, discedendum sibi esse persuasit ab epocha incepti a Niceta Aquileiensis episcopatus a Dandulo signata, aliamque excogitavit, quam melius convenire opinatus est; ut Nicetas nimirum episcopalem Aquileiensem sedem adierit anno Christi labente 451, antequam Aquileiensis urbs ab Attila caperetur, immo antequam ab ejusdem exercitu obsidione premeretur; quod longa etiam oratione ostendere nititur. Clarissimus De Rubeis nihilominus haudquaquam eruditi viri animadversionibus commotus, Dandulianam epocham incepti a Niceta Aquileiensis episcopatus propugnat in suis dissertationibus Variæ Eruditionis, capite 20 num. 2, quam distinguendam esse asserit ab aliorum eventuum factorumque nexu, in quibus Dandulus decipi potuit. Decipi fortasse potuit be emeritus chronologus etiam in Nicetæ signanda epocha, ut idem De Rubeis ingenue fatetur; nulla enim suppetunt synchrona super hac re monumenta, neque ulla patet via qua certus in tot tenebris inveniri possit annus incepti a Niceta Aquileiensis episcopatus. At cum Danduliana episcoporum Aquileiensium **183** chronotaxis, ut ipse addit, nullum per hæc tempora enorme vitium præferat; immo cum eamdem satis verosimilem probare videantur nonnulli synchronismi qui certioribus nituntur monumentis, ut ipse ibidem luculenter ostendit; quid est cur ab eodem discedamus in signanda epocha initi a Niceta Aquileiensis episcopatus, ob eam dumtaxat causam, quod ipse erravit in recensenda Aquileiensi clade post eamdem signatam epocham? Standum itaque probabilius nobis videtur Danduli chronologiæ, quantum fas est, cum clarissimo eodem De Rubeis; ut Nicetam nostrum dicamus, et post Aquileiensis urbis excidium Aquileiensem episcopatum suscepisse, et hanc ab eo initi episcopatus epocham illigandam esse anno æræ vulgaris 454, quem Dandulus ipse signat.

Quid nunc de anno, quo Nicetas ad superos evolavit? Variantia hic quoque habemus vetera monumenta; seu potius, monumentorum defectu, variantes habemus veterum opiniones. Absurda prorsus illa est quam notat etiam De Rubeis in Monumentis loco citato, quæ jugulatum in Aquileiensi excidio Nicetam refert, eique nihilominus annos sedis tribuit 32. Mitior est alia quam exhibent lectiones quædam ad officium sancti Nicetæ Aquileiensis episcopi, quas vulgarunt Agiologi Bollandiani, tomo IV Junii ad diem 22, licet lectiones illæ nec perantiquæ sint, et certe nullius unquam fuerint usus in ecclesiastica liturgia Aquileiensis Ecclesiæ, quidquid in contrarium asserat absque idoneo teste præcitatus Lirutus; ideoque potius censeri possint privati alicujus tentamen pro sancti Nicetæ nostri cultu augendo, prout alia quoque supersunt ejusdem generis specimina quoad alios cœ-

licolas Aquileiensis diœcesis in ms. codice non antiquo, qui servatur in hac publica archiepiscopali bibliotheca. In his itaque lectionibus asseritur, quod Nicetas « Aquileiæ migravit ad Dominum anno Christi 458, decimo kalendas Julii. » Hæc saltem epocha decessus Nicetæ non pugnat cum epocha signatæ eodem anno a divo Leone Magno ad Nicetam eumdem epistolæ, XII *kalendarum Aprilium*; quæ unica est certissima ac synchrona Nicetæ Aquileiensis episcopatus epocha. Unde autem lectionum earum auctor, recentioris plane dixerim ævi; unde hausit Nicetam hunc post tres menses a data Leonis epistola e vita migrasse? Dandulum itaque potius quis non sequatur etiam in anno signando quo Nicetas episcopus Aquileiensis ad superos evolavit, prout eumdem secutus est clarissimus De Rubeis? Ita namque scribit super hac re Venetus Chronologus : « Nicetas Aquileiensis episcopus, tantis angustiis et laboribus circumseptus, elapsis ab inthronizatione sua annis 30 mensibus 9, senectute etiam oppressus, obiit anno 485. » Dies quoque illius obitus non est prætereunda; quæ certe ex consensu omnium Martyrologiorum quæ Nicetæ hujus meminerunt, incipiendo ab illo vetustissimo quod sancti Hieronymi nomine insignitum fuit, non alia esse potest quam dies *vigesima secunda Junii*; in qua nempe, non modo illius memoria, sed etiam, ut in plurimis videre est, illius *depositio* indicatur. Atque hæc sint de præcipuis Nicetæ Aquileiensis epochis, tum assumpti videlicet episcopatus, tum obitus, de quibus aliquid dicere oportebat.

Ad epocham nunc illius episcopatus indubiam, ac sane illustrem, gradum facere juvat; ad memoratam scilicet epistolam divi Leonis Magni ad eumdem, hoc apposito tempore : *Data* XII *kalendarum Aprilium, consulatu Majoriani Augusti*: quæ propterea ad annum spectat 458, **184** qui quartus fuit Nicetæ episcopatus annus. Inter tot pastoralis officii munera, quibus difficillimis illis temporibus inclarescere debuit diuturnus Nicetæ triginta annorum episcopatus, hoc unum nobis, post opuscula de quibus infra erit sermo, restat episcopalis illius sollicitudinis certissimum monumentum. Quale vero, quamque præclarum! En initium hujus epistolæ, quæ est 159 in editione Veneta Balleriniorum, in editione Romana Cacciarii 133, et in editione Quesnelli 129 : « Regressus ad nos filius meus Adeodatus sedis nostræ diaconus, dilectionem tuam poposcisse memoravit, ut de his a nobis auctoritatem apostolicæ sedis acciperes, quæ quidem magnam difficultatem dijudicationis videntur afferre. Sed pro inspectione temporalium necessitatum adhibenda curatio est, ut vulnera, quæ hostilitatis adversitate illata sunt, religionis maxime ratione sanentur. » Post hujusmodi ingressum, septem sequuntur epistolæ capita, quorum hæc summa. Primum : *De feminis, quæ occasione captivitatis virorum suorum, aliis nupserunt.* Secundum : *An culpabilis sit, qui locum captivi mariti assumpsit.* Tertium : *Restituendam esse uxorem primo marito.* Quartum : *Excommunicandas esse mulieres ad primum maritum redire nolentes.* Quintum : *De his qui captivi cum essent, idolothyta fame vel metu compellente comederunt.* Sextum : *De his qui metu vel errore rebaptizati sunt.* Septimum : *De his qui semel baptizati sunt, sed ab hæreticis.* Ita vero, post datum hisce dubiis responsum, epistolam claudit sanctus Leo : « Hanc autem epistolam nostram, quam ad consultationem tuæ fraternitatis emisimus, ad omnes fratres et comprovinciales tuos episcopos facies pervenire, ut in omnium observantia data prosit auctoritas. »

Quod prima fronte sese nobis offert ex hac divi Leonis ad Nicetam epistola, est infelix sane Aquileiensis Ecclesiæ status ex Attilana clade secutus, qui multam propterea ac singularem medicationis operam exigebat, quam, nonnisi apostolica sede consulta, episcopi præstare tuto ac uniformiter potuissent in tot gravioribus rebus quæ tunc occurrebant. Pastoralis deinde elucet Nicetæ Aquileiensis sollicitudo in suorum curandis morbis, juvandisque necessitatibus; maxima quoque prudentia, ac in apostolicam sedem obsequium, ut sibi diffidens, illius posceret in difficilioribus auctoritatem. Diaconum fortasse apostolicæ sedis ipse expetivit, qui præsens adesset, propriisque lustraret oculis suæ Ecclesiæ statum, atque auribus perciperet querimonias præcipue maritorum, qui e captivitate reduces aliis nuptas viris uxores suas inveneruat. Fortasse et ipse sanctus pontifex Leo, miseratione ductus erga Aquileiensium calamitates, et instaurandæ disciplinæ zelo adactus, diaconum illum Adeodatum, motu proprio, veluti legatum suum ac visitatorem, ad Aquileiensem Ecclesiam aliasque per Italiam destinavit, medendis levandisque jacturis, quas in rebus fidei ac morum barbaricus turbo reliquerat. Hæ Nicetæ nostri consultationes, hæc divi Leonis epistola, testantur interim vigens tunc quoque institutum, ut Romana sedes undique ab episcopis consuleretur in gravioribus ac dubiis rebus, sive doctrinæ, sive communis ecclesiasticæ disciplinæ, prout tot alia exstant exempla tum priorum tum subsequentium sæculorum, quæ in his ingenitam auctoritatem apostolicæ sedis ostendunt. *Consultationes synodicas Orientis et Occidentis*, quæ ad Damasum Romanæ urbis episcopum vehebant, et in quibus eumdem *juvabat* in responsionibus exarandis sanctus Hieronymus, ipse memorat sanctus doctor **185** epistola ad Ageruchiam, quæ 123 est in editione Vallarsii, num. 10. Rem vero totam exornant cumulatissime eruditi ecclesiasticæ disciplinæ tractatores, et nuperrime illustravit solertissimus Selvagius Antiquitatum Christian. Institut. libro I, capite 16, § 7, ita ut nihil hic addere opus sit. Extrema epistolæ sancti Leonis verba digna sunt quæ perpendantur ob memoratos comprovinciales Nicetæ nostri episcopos, ad quos sanctus pontifex præcipiebat ut per Nicetam sua epistola perveniret, *ut in omnium observantia*, ut ipse ait, *data prosit auctoritas*. Clarissimus De Rubeis in monumentis, capite 17 num. 1, ad hæc eadem verba ita scribit : « Comprovinciales metropoleos Aquileiensis antistites erant hoc ævo Istri, ac Veneti, aliique ex Rhetia secunda et Norico. » Probabile igitur est, aut hos omnes provinciæ Aquileiensis episcopos, aut saltem plerosque, maxime vero Altinatem, aliosque terrestris Venetiæ qui tunc erant, in eadem fuisse cum Aquileiensi metropolitano necessitate, et omnium harum Ecclesiarum sollicitudinem gessisse Nicetam, cum consultationes suas ad apostolicam sedem per diaconum Adeodatum direxit.

Ad opuscula nunc descendamus, quæ Gennadius memorat, et ad eorum etiam unumquodque singillatim. « Niceas (inquit Gennadius de Viris Illustribus cap. 22, ex Bibliotheca Ecclesiastica Joannis Alberti Fabricii) Niceas Romacianæ civitatis episcopus. composuit simplici ac nitido sermone competentibus ad baptismum instructionis libellos sex. In quibus continet primus, qualiter se debeant habere competentes, qui ad baptismi gratiam cupiunt pervenire. Secundus est de gentilitatis Erroribus : in quo dicit suo pene tempore Melodium quemdam patremfamilias ob liberalitatem, et Gallarium rusticum ob fortitudinem ab ethnicis esse inter deos translatos. Tertius liber de Fide unicæ Majestatis; quartus adversus Genethliologiam; quintus de Symbolo; sextus de Agni paschalis Victima. Edidit et ad lapsam Virginem libellum, pene omnibus labentibus emendationis incentivum. » Post Gennadium, paucis immutatis aut demptis, ita scribit Honorius Augustodunensis de Scriptoribus Ecclesiasticis libro II, capite 22, ex eadem Fabricii Bibliotheca : « Niceas, Romacianæ civitatis episcopus, composuit simplici et nitido sermone sex competentibus ad baptismum instructionis libellos. Ex quibus primus est de Competentibus baptismi; secundus de gentilitatis Erroribus; tertius de Fide unicæ Majestatis; quartus adversus Genealogiam (*al.* Genethliologiam); quintus de Symbolo; sextus de Agni paschalis Victima. Condidit et ad lapsam Virginem libellum pene omnibus labentibus emendationis incentivum. » Post Gennadium

et Honorium, ita Joannes Trithemius, de Scriptoribus Ecclesiasticis num. 118, itidem ex Fabricii Bibliotheca. « Niceas Romacianæ urbis episcopus, vir in divinis Scripturis studiosus et eruditus, ingenio acutus, sermone apertus et nitidus, scripsit ad ædificationem legentium non contemnendæ lectionis opuscula, de quibus subjecta feruntur : Ad competentes qui ad baptismum disponuntur præparatorium lib. 1; de Erroribus gentilitatis lib. 1; de Fide unicæ Majestatis lib. 1; adversus Genealogiam (*al.* Genethliologiam) lib. 1; de Symbolo quoque lib. 1; de Victima Agni paschalis lib. 1; ad Virginem lapsam lib. 1. » Hæc sunt quæ de Nicetæ Aquileiensis scriptis opusculis nobis reliquit antiquitas.

Patet ex his quod, uno excepto libello *ad Virginem lapsam*, omnia **186** Nicetæ Aquileiensis opuscula ad competentes sunt. Quinam vero antiquitus in Ecclesia competentes? Exploratam quidem rem attingimus, sed ab instituto hoc nostro minime alienam, immo etiam argumento necessariam; utpote quæ omnibus pene Nicetæ opusculis cognoscendis perquam opportuna. Sacramentum nempe baptismatis, quod initio nascentis Ecclesiæ omnibus tradebatur, nulla interposita mora, simul ac animum ostendissent pietatis ac religionis plenum, ac fidei mysteria præcipua percepissent, ut patet ex Actibus apostolorum capite VIII ac X; tradi postea cœptum fuit diligenti adhibita cautione, ut vita prius ac fides eorum qui petebant sedulo probarentur, quoniam experientia compertum erat non satis tutam fuisse fidem eorum omnium qui mox ab ostensa Christianæ vitæ amplectendæ voluntate baptismo donati fuerant. Institutus itaque in Ecclesia fuit, hujus probationis gratia, catechumenatus; qui etiam in duos, tres, aut quatuor gradus pro locorum aut temporum diversitate tributus fuit, quos percurrere oportebat qui Ecclesiæ nomen dabant, priusquam salutari lavacro abluerentur, præstituto etiam singulis gradibus congruo tempore; quod tamen aut produci quandoque aut breviari solebat, prout catechumenorum fervor ac diligentia, aut ex adverso tepor ac segnities exigere videbantur. Supremus catechumenorum gradus erat competentium; eorum nempe, qui emensis in catechumenatu cæteris gradibus, facto in Christiana institutione sufficienti progressu, datis non ambiguis pietatis, religionis ac constantiæ signis, habita insuper debita probatione, proximi erant ad regenerationis lavacrum accipiendum. « Competens intelligitur legitimo examinis numero examinatus, » aiebat sanctus Zeno Veronensis libro II, tractatu 27. « Dies salutaris advenit, officiis sacramenti Dominici, omnibus omni genere munerum largus. Namque piis mercedem sacerdotibus præstat... competentibus remissam omnium peccatorum. » Idem ibi tractatu 50, de Pascha 6 : in Vigiliis namque potissimum Paschæ competentes baptizabantur, et ita *remissam* obtinebant *omnium peccatorum*.

Quare vero dicti fuerint competentes catechumeni baptismo proximi, rationem tradunt unanimiter Latini Patres, maxime vero sanctus Augustinus pluribus in locis; a *petendo* nimirum baptismate, atque a *simul* unanimiter *petendo*, dato nomine inter eos qui proxime essent baptizandi. « Pascha appropinquante, dedit nomen inter alios competentes. » Ita sanctus doctor in libro de Cura pro Mortuis. « Qui paulo ante vocabantur competentes, modo vocantur infantes. Competentes dicebantur, quoniam materna viscera, ut nascerentur, petendo pulsabant; infantes dicuntur, quia modo nati sunt Christo, qui prius nati fuerant sæculo. » Ita sermone 228 ad populum et infantes, id est ad nuper baptizatos, in die Paschæ, num. 1 : « Quid aliud sunt competentes quam simul petentes? Nam quomodo condocentes, concurrentes, considentes, nihil aliud sonat, quam simul docentes, simul currentes, simul sedentes : ita etiam competentium vocabulum non aliunde quam de simul petendo atque unum aliquid appetendo compositum est. » Ita idem sanctus Pater, sermone 216 ad competentes capite 1. Eadem ipsissimis pene verbis habet etiam sanctus Cæsarius, sermone 68, qui in appendice Augustiniana Sermonum est 267. Hinc clarissimus Mazochius rem explanans, pro sua omnigena eruditione, Kalendarii Neapolitani volumine III, pag. 678, ita scribit : « Nam quia non seorsim, **187** sed simul uno in loco nomina dabantur, hinc a simul petendo competentes dicebantur : id quod non prius fiebat, quam satis congruo tempore inter audientes catechismum imbibissent. Hujus ritualis petitionis vestigium hodiedum servatur illis verbis, *Quid petis ab Ecclesia Dei*, etc. » Habemus igitur quinam fuerint, tum re, tum nomine, competentes ii ad quos sex numeratis opusculis sermonem habuit Aquileiensis noster Nicetas. Ii nimirum, qui jam satis eruditi Christianæ religionis principiis, et Christianæ vitæ præceptis instituti, baptismum petebant, et in proxime baptizandorum ordine positi erant; qui proinde solidiori quodam divini Verbi cibo, separatim ab aliis catechumenis, nutriebantur; qui Symbolum accipiebant memoriter ediscendum atque reddendum postea statis diebus ante baptismum; quibusque nonnulla alia Christianæ religionis aperiebantur, quæ antea illis concredita minime fuerant. Hinc ratio patet opusculorum Nicetæ ad competentes : primi scilicet, *Qualiter se debeant habere competentes qui ad baptismi gratiam cupiunt pervenire;* secundi, *de Erroribus gentilitatis;* tertii, *de Fide unicæ Majestatis;* quarti, *adversus Genethliologiam;* quinti, *de Symbolo;* ac demum sexti, *de Agni paschalis Victima.* Nunc ad singula venianus.

Primum Nicetæ ad competentes opusculum, quod nobis Gennadius indicat quodque deperditum cum quatuor aliis dolemus, *continebat*, ut ipse scribit, *qualiter se debeant habere competentes qui ad baptismi gratiam cupiunt pervenire.* Hujus opusculi titulum paulo diversimode nobis exhibent duo nostrates alias citati codices Gennadiani, membranaceus Forojuliensis seu Civitatensis, et Guarnerianus chartaceus oppidi Sancti Danielis : habent enim similiter ambo : *Qualiter credere debeant competentes qui ad baptismi gratiam cupiunt pervenire ac agere;* nimirum *qualiter credere debeant*, et *qualiter agere competentes qui ad baptismi gratiam cupiunt pervenire.* Quænam præferenda sit lectio, non ausim dicere : dixerim tantum lectionem nostrorum codicum apertius ac clarius indicare opusculi illius argumentum, quale verisimiliter erat; quodque ex lectione nimis generali, quæ in editionibus Gennadii habetur, non satis elucet. Videas interim quo prima Nicetæ nostri ad competentes institutio tendebat; ut scilicet intelligerent qui in competentium gradu erant positi, atque ad baptismum suscipiendum proximi, quanta fide præstare deberent, et qua vitæ ratione excellere, ut ad regenerationis gratiam digne possent pervenire. Opusculum hoc Joannes Trithemius qui forte illud præ oculis habere potuit, ac propterea quid reapse esset cognoscere, uno ac simplici vocabulo præparatorium appellavit; seu quia veluti introductio esset ad alia ad competentes opuscula, seu quia quædam esset generalis ad baptismum præparatio, seu etiam quia utrumque complectebatur, ut verisimile valde videtur. Quandoquidem vero datum nobis non est opusculum illud cognoscere, illius saltem ideam quamdam ab aliquo ejusdem argumenti sanctorum Patrum opusculo hauriamus.

Inter sermones a divo Augustino habitos ad competentes, unus exstat, qui 216 est in Maurinorum editione et veluti præparatorius esse videtur ad baptisma quod erant accepturi, necnon et ad instructiones quibus erant in eodem gradu instituendi. Hic namque de competentium statu ac nomine ipso, iidem admonentur; ac de profectu ex sermonibus audiendis. Hic de mundi despectu, ac de regni cœlestis acquisitione; hic de sensuum refrenatione **188** ac de pugna adversus diabolum; hic de eorum cooperatione Christo patri et Ecclesiæ matri in nova accipienda per baptismum nativitate, ac de habendo desiderio hujus re-

generationis; hic demum alia ad rem opportuna ut gratia accipienda servetur, et ut digni etiam sint qui ad mensam Domini post lavacrum accedant. Ita sanctus Augustinus : et probabiliter eodem sensu, aut parum dissimili, etiam beatus Nicetas in præparatorio illo opusculo quod amisimus, et cujus titulum tantum nobis servavit Gennadius.

Inter catecheses sancti Cyrilli archiepiscopi Hierosolymitani, φωτιζομένων dictas, seu *Illuminandorum* (quo nomine iidem illi veniebant qui baptismo proximi erant et competentes apud Latinos dicebantur), exstat omnium prima, immo ante primam ipsam posita, quæ procatechesis appellatur, seu prævius catechesibus sermo; quæ etiam, ad Trithemii sensum, præparatorium dici potuisset. Scopus porro hujus procatechesis Cyrillianæ est ut illuminandos moneat qua mentis sinceritate, quo spiritus fervore, qua cordis munditie, qua animi puritate ad baptismum accedere debeant; ut iidem interim intelligant superiorem ordinem, ad quem ex aliis catechumenatus gradibus ascenderunt, in quo ea percipere poterunt, quæ minime cæteris concreduntur; ut ad catecheses propterea audiendas festinent, ut in his perseverent, ut in perpetuum servent quæ in his audierint et didicerint, et ut nihil interim pandant aliis infra se positis ac nondum illuminandis; ut demum ordinem in conventu et in catechesibus audiendis servent, ut orationibus insistant, ut diaboli insidias et infidelium tentationes devincant. Ubi vero illuminandos suos sanctus Cyrillus hortatur ut perseverantes sint in catechesibus audiendis, hæc ad rem nostram notatu dignissima leguntur num. 10 ejusdem procatechesis ex editione et interpretatione clarissimi Touttée. « Perseveres in catechesibus; etiamsi nostra prolixior futura sit oratio, tu ne umquam animo deficias. Arma enim accipies contra adversariam potestatem : arma capies contra hæreses, contra Judæos, Samaritas et Gentiles. Multos habes hostes, multa tela accipe; cum plurimis jaculo decertas, addiscendum tibi quomodo transfigas Græcum, quomodo pugnes contra hæreticum, contra Judæum et Samaritam. Et arma quidem parata sunt, gladius vero spiritus promptissimus : manus autem contendere oportet per bonam voluntatem, ut bellum Domini prælieris, ut oppositas potestates debelles, ut invictum te ab omnibus hæreticorum molitionibus præstes. » Ita sanctus Cyrillus. Quidni igitur et Nicetas noster Aquileiensis eumdem ac Cyrillus Hierosolymitanus in procatechesi sua habuerit scopum, aut certe consimilem, in primo suo præparatorio opusculo *ad competentes* in quo, Gennadio teste, disserebat, *qualiter se debeant habere*, seu *qualiter credere, qualiter agere competentes, qui ad baptismi gratiam cupiunt pervenire?*

Ubi etiam animadvertas velim, Cyrillianarum subsequentium catecheseon rationem in hac procatechesi peculiariter indicatam, eam fuisse, ut ex iis illuminandi arma caperent, quibus opportune decertarent et contra hæreticos et contra gentiles; necnon et contra Judæos et contra Samaritas, qui inibi habebantur veluti indigeni Christianorum hostes. Post primum vero *Præparatorium* suum *ad competentes* opusculum, nonne idem ac Cyrillus egit Nicetas noster in aliis libellis suis, in secundo nimirum *de Erroribus gentilitatis*, in tertio *de Fide unicæ Majestatis*, in quarto *adversus Genethliologiam;* **189** arma præbens competentibus, ut sese defenderent et a gentilibus, et ab hæreticis et a Judæis? Unus ipse quintus qui superest, *de Symbolo*, ubi competentes tam sæpe data opera admonentur atque edocentur adversus errores et errorum magistros, satis indicat hunc profecto fuisse Nicetæ scopum, ut competentes in suis instructionibus paratos faceret contra Christianorum dogmatum osores ac temeratores. Probabiliter itaque in primo suo *Præparatorio ad competentes* libello Nicetas noster eosdem etiam præmonuit, Cyrilli more, instructiones suas quas essent audituri, eo spectare, ut ipsi arma caperent, quibus pro suscepta fide adversus quoslibet adversarios strenue dimicarent. Peculiare tamen aliquid habuisse primum Nicetæ nostri libellum, quod in consimilibus sanctorum Augustini et Cyrilli lucubrationibus non apparet, fragmenta quatuor ejusdem libelli quæ fortunate supersunt, et de quibus infra cum aliis erit sermo, satis ostendunt. Ubi enim ex fragmento primo satis intelligimus libelli argumentum reipsa fuisse quale hactenus conjiciebamus ex Gennadii enuntiatione, et ex aliorum hujus generis sermonum recensione : ex tribus aliis, secundo nempe, tertio ac sexto, insuper deprehendimus, nonnulla quoque, præter ea quæ argumenti illius potiora essent, exposuisse Nicetam in eodem libello competentibus suis; maxime vero de abrenuntiatione facienda ac de abrenuntiationis valore, necnon et de exorcismis eorumque ratione; quæ omnia præparatorio sermoni ad competentes, æque ac alia de quibus diximus, optime conveniebant.

Sequitur opusculum Nicetæ nostri secundum, itidem deperditum, *de Erroribus gentilitatis*. De hoc ita Gennadius, ex editione qua utimur Joannis Alberti Fabricii in Bibliotheca Ecclesiastica, et ex aliis quoque quæ habentur : « Secundus (*libellus*) est de gentilitatis erroribus : in quo dicit suo pene tempore Melodium quemdam patremfamilias ob liberalitatem, et Gadarium rusticum ob fortitudinem ab ethnicis esse inter deos translatos. » Duo nostri citati codices Gennadiani paululum hic quoque ab editionibus discrepant hoc modo : « Secundus de gentilitatis erroribus, in quo indicat suo pene tempore Melchidium quemdam (seu Melgidium) patremfamilias ob liberalitatem, et Garadium (seu Graduim) rusticum ob fortitudinem ab ethnicis in deos relatos. » Exigua est nominum variatio, quæ nullius videtur momenti, et quam propterea sufficit indicasse. Quod ad rem pertinet, dubium nullum est, competentes peculiares suas accepisse institutiones *de Erroribus gentilitatis*, etiam dum in præcedentibus catechumenatus gradibus mererent. Sive enim ex gentilitate ad Ecclesiam accesserint, sive ex fidelibus nati parentibus ad adultam ætatem distulerint regenerationis accipere sacramentum, ut tunc, secluso mortis periculo, videtur in usu fuisse; adversus errores gentilitatis par erat ut catechumeni ex professo munirentur, ob vigentem adhuc, et ubique diffusam gentilium superstitionem, pro qua penitus exstinguenda tantopere laborabant illius ætatis episcopi, etiam in Italiæ sinu, et in ipsis clarioribus urbibus constituti, ut capite præcedenti ostensum fuit, dum Zabeo responsum dabamus super hac ipsa re. Non omnia tamen catechumenos in inferioribus gradibus catechumenatus positos accepisse ab eorum institutoribus contra errores gentilitatis, vel inde patet, quod gentilitatis errores in eo etiam siti erant, et ut quasdam Christianas veritates inficerent, quas, saltem plene atque perfecte, ex Ecclesiæ tunc temporis disciplina, non licebat catechumenis aperire; et ut **190** sanctioribus quoque Christianorum rebus perperam acceptis insultarent, quæ similiter eisdem catechumenis ex eadem Ecclesiæ disciplina nondum explicabantur.

Uberiora itaque ab Ecclesiæ pastoribus acceperint necesse est catechumeni, etiam super gentilitatis erroribus, cum ad competentium gradum pervenissent, ut ad baptismum paratiores atque instructiores accederent; iis solum exceptis, quæ nonnisi jam baptizatis tradebantur. Ubi nempe de Deo adversus gentilitatis errores competentibus sermo erat, qui Dei existentiam, qui Dei unitatem, qui omnipotentiam, providentiam, justitiam, misericordiam, aliaque ad hæc spectantia atque his similia jam edocti fuerant in tyrocinio præcedenti; libere eos poterant pastores ad interiora perducere, ut Christianum dogma, exempli gratia, de Trinitate eisdem exponerent ac commendarent, ut Patris et Filii et Spiritus sancti nomina, in quibus erant baptizandi, eisdem aperirent, et ut cætera eos edocerent super hac re, quæ Christianum hominem scire ac credere necesse est, quæque non prius eisdem, enu-

cleate saltem, tradi sinebat vigens tunc arcani ecclesiastica disciplina. Hic quoque, arrepta occasione tres in uno Deo distinguendi personas, earumque explicandi relationes, locus erat latius insectandi erroris gentilium, qui non modo plures colebant deos quos a majoribus accepissent, sed qui etiam inter deos referre homines ipsos audebant è vivis ereptos cum aliqua aut præstantiæ fama aut opinione virtutis. Hic namque reseranda etiam erat competentibus fides vitæ æternæ, et spes erigenda ejusdem consequendæ, qua non deos quidem, sed divinæ gloriæ participes Christiani se futuros esse confidunt. Hic quoque resurrectionis carnis articulus mature ingerendus erat competentium mentibus, qui postea in Symbolo ex ordine traderetur; ut supra paganorum exspectationem fidei Christianæ excellentia innotesceret, qua non modo animæ, sed etiam corporis beatitudo perpetua et creditur et exspectatur.

Ubi vero gentilitatis errores erant insectandi in tot absurdis, quæ non minus false quam maligne Christianis gentilitas impingebat, jam non sat erat ostendere competentibus Christianam religionem puram atque immunem esse ab omni inquinamento atque flagitio, utpote quæ puritatem vitæ atque morum innocentiam exigeret a sectatoribus suis; quod ipsi abunde didicerant vel in primis institutionibus, quas acceperant jam a suo in catechumenorum disciplinam ingressu : sed deducendi erant ad ipsa Christianæ religionis instituta sublimioris sapientiæ plena, atque gentilibus prorsus impervia, intimius cognoscenda; quibus, exempli gratia, sensuum custodia ac coercitio, corporis castigatio, odium sui, inimicorum dilectio, et alia hujusmodi præcipiuntur; quibusque, hominibus perfectiora æmulantibus, consiliorum cœlestium aperitur via, ut vel in terra degentes vitam quodammodo angelicorum spirituum vivere videantur. His nimirum et omnes gentilium criminationes adversus Christianam religionem plenissime confundebantur, et competentes ipsi in Christianæ religionis puritate atque excellentia intimius perspicienda proficiebant, ut ita demum quotidie aptiores evaderent ad baptismi gratiam obtinendam. Hæc erant itaque, aut his pene similia, quæ competentibus dicerentur adversus gentilitatis errores ab Ecclesiarum pastoribus, juxta eorum temporum disciplinam. Quidni eadem tradiderit et Nicetas Aquileiensis competentibus suis in opusculo, quod amisimus, *de Erroribus gentilitatis ?*

Tertio loco recensetur a Gennadio Nicetæ libellus *de Fide unicæ Majestatis;* **191** qui eodem prorsus modo indicatur et ab Honorio Augustodunensi, et a Trithemio, et a nostris Gennadianis manuscriptis codicibus. Hunc quoque Nicetæ libellum dolemus deperditum : sed nihilominus aliquid adest in antiquis monumentis, unde et libelli scopum et meritum aliquatenus cognoscere valeamus. In Diario Italico clarissimi Montfauconii, pagina 81, publici juris facta fuit epistola Henrici clerici Pomposiani monasterii ad Stephanum quemdam, de Bibliotheca ejusdem monasterii, scripta anno Christi 1093; cui etiam subnectitur Catalogus librorum quibus tunc ipsa constabat, et locupletissimus sane pro illorum temporum conditione: cujus epistolæ meminit quoque Joannes Albertus Fabricius Bibliothecæ Græcæ tomo VI, pag. 429 primæ editionis. In quodam porro ex voluminibus hujus Pomposianæ bibliothecæ, quod recensetur pagina 84 ejusdem Diarii, post *duodecim libros*, ut ibidem dicitur, *Ambrosii de Trinitate*, et itidem *Fulgentii de Trinitate librum* 1, etc., indicatur etiam *Nicetæ episcopi de Ratione Fidei liber* 1. Cum nullius vero Nicetæ episcopi Opera nota sint in ecclesiastica antiquitate priorum quinque sæculorum, præter ea quæ primus omnium Gennadius tribuit Nicetæ suo Romatianæ civitatis episcopo; hinc *liber unus de Ratione Fidei* hic ab Henrico clerico Pomposiano indicatus absolute ut *Nicetæ episcopi*, idem esse videtur ac liber itidem unus *de Fide unicæ Majestatis*, de quo Gennadius scribit; et qui propterea Nicetæ nostri Aquileiensis lucubratio est. Exstabat igitur undecimo cadente sæculo in Pomposiano monasterio liber hic Nicetæ nostri, qui postea interiit; et titulum etiam præferebat *de Ratione Fidei*, quo titulus alter nonnihil explicatur a Gennadio nobis transmissus, de *Fide unicæ Majestatis;* ita ut intelligamus librum hunc non solum egisse de fide habenda in unum Deum, verum etiam de credendi modo, ut inde competentes haberent plenam de fide in Deum institutionem, tum quoad scilicet interiorem credendi actum, tum quoad externam fidei professionem, juxta illud Apostoli : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* x, 10).

Sed illustriora et clariora quoque de hoc libello ex vetustiori monumento videamus. Cassiodorius in libro de Institutione divinarum Scripturarum, capite 16, hæc habet : « Si quis vero de Patre, et Filio, et Spiritu sancto aliquid summatim præoptat attingere, nec se mavult longa lectione fatigare, legat Niceti (*al.* Nicæi) episcopi librum, quem de fide conscripsit, et doctrinæ cœlestis claritate completus, in contemplationem divinam compendiosa brevitate perducetur. Qui voluminibus sancti Ambrosii sociatus est, quos ad Gratianum principem destinavit. » Hic profecto Niceti episcopi liber *de Fide* a Cassiodorio indicatus, non alius censeri potest quam idem liber *de Fide unicæ Majestatis*, qui a Gennadio memoratur velut opus Nicetæ sui quem Aquileiensem episcopum jam probavimus. Clarissimus quoque Tillemontius, *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiast., tome* X, *pag.* 626, *édit. de Venise pour Pitteri*, asserit relata Cassiodorii verba respicere Gennadianum Nicetam (quem tamen ipse, non Aquileiensem, sed Dacum existimat) : verum addit, nescire se an libellum Nicetæ tertium indicent qui est *de Fide unicæ Majestatis* apud Gennadium, an quintum qui est *de Symbolo*, an sex simul collectos qui ad competentes sunt; an potius librum alium a sex illis diversum, qui nobis notus non sit. At quintum Nicetæ librum *de Symbolo* novimus; quem *de Symbolo*, facilius **192** quam *de Fide*, dixisset etiam Cassiodorius, si vere quintum hunc eo loci indicare voluisset. Sex vero simul sumptos ad competentes nequaquam poterat Cassiodorius significare, quia hi sex simul sumpti multo plura habuissent, uti ex Gennadii indicatione patet, quam quæ *ad Patrem et Filium et Spiritum sanctum* pertinent; et quia horum sex librorum lectio, ad *attingendum aliquid summatim de Patre et Filio et Spiritu sancto*, non fuisset *compendiosa* illa *brevitas*, qua quis *perduceretur in contemplationem divinam;* sed potius *lectio longa*, atque ad animum *fatigandum* propria, cujus immo evitandæ causa Cassiodorius legendum proponit Nicetæ librum *de Fide*. Sed neque librum alium a sex illis diversum ex Cassiodorii verbis accipere fas est; cum liber utique *de Fide* ab ipso indicatus, et a Gennadio memoratus sub titulo *de Fide unicæ Majestatis*, aut *de Ratione Fidei* ut in Catalogo bibliothecæ Pomposianæ, ea dare *summatim* ex professo debuerit, quæ *de Patre et Filio et Spiritu sancto* Christianus quisque *præoptat attingere;* cum hæc prima atque præcipua Christianæ fidei rudimenta sint, quæ competentibus quoque pro instituto, et *compendiosa* quidem *brevitate* dabantur. Cum itaque liber Nicetæ tertius, *de Fide unicæ Majestatis*, hic a Cassiodorio absque dubio indicetur; quam præclara de hac Nicetæ lucubratione ex Cassiodorii allatis verbis habemus! Liber hic simpliciter *de Fide* a Cassiodorio appellatur : sed clarius intelligimus ex eodem librum hunc *de Fide* egisse in *Patrem et Filium et Spiritum sanctum*, quoniam ad ea hinc hauriendâ, quæ ad hanc fidem pertinent, lectores suos ipse invitabat. Quidni hæc Nicetæ de Trinitatis fide institutio scopum habuerit præcipuum, non modo competentes suos edocendi ea quæ credere oportebat super hoc Christianæ religionis mysterio, sed etiam cautos maxime reddendi adversus hæreticos, mysterii hujus audacissimos temeratores;

ut competentes tandem de omnibus instructi, apti essent ad reddendam, quatenus oporteret, fidei et spei suæ rationem, juxta illud apostoli Petri : *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe* (I *Pet.* III, 15)? *Compendiosa brevitas* hujus Nicetæ libri hic a Cassiodorio asseritur, et commendatur; qualis nempe esse decebat in sermone ad competentes, qui prolixa nimium oratione fatigandi non erant, ut facilius memoria retinerent quæ audivissent. *Claritatem* quoque *cœlestis doctrinæ* in hoc libello contentæ notat Cassiodorius; quæ *claritas* ad stylum pertinere videtur, *simplicem* scilicet atque *nitidum*, qualem in Nicetæ libellis indicaverat ipse Gennadius, et cujus est *claritatem* rebus afferre. Meritum insuper libelli potissimum laude prosequitur Cassiodorius, cum eumdem asserit et *cœlestem* continere *doctrinam*, et hanc vim habere perducendi legentem *in contemplationem divinam*.

Quod autem hujus libelli et meritum auget et laudem, illud est quod Cassiodorius indicat ultimo loco; hunc videlicet Nicetæ librum *de Fide* sociatum fuisse *voluminibus sancti Ambrosii, quos ad Gratianum principem destinavit*. Notissimi sunt libri hujus sancti doctoris ad Christianissimum principem Gratianum Augustum, *Quinque* nimirum *de Fide*, ac *tres* alii *De Spiritu sancto*, diverso tempore, ac diversa occasione ab eo conscripti, ut morem gereret piæ Cæsaris voluntati, qui eumdem semel atque iterum de hac scriptione rogaverat; et in quibus sanctus præsul totus est ut catholicam de Trinitate astruat fidem, eamque vindicet ab hæreticorum, maxime vero Arianorum, tunc procaciter insolescentium, **193** sophismatibus atque calumniis. Argumenti ejusdem ratio ac natura procul dubio ea fuit, quæ hanc conciliavit Ambrosii ac Nicetæ librorum societatem; ideoque probabile est etiam Nicetæ librum, et catholicum dogma de Trinitate competentibus tradidisse, et illud quoque vindicasse ab hæreticorum illius temporis depravationibus Dignitas insuper Nicetæ libelli *de Fide* talis fuerit necesse est, ut societatem hanc cum Ambrosii libris magis magisque firmaverit. Hujus vero societatis Ambrosii ac Nicetæ librorum, quam sexto sæculo jam factam asserebat Cassiodorius, monumentum habemus etiam undecimi labentis sæculi in paulo a te memorato Catalogo bibliothecæ monasterii Pomposiani, ubi *Nicetæ episcopi liber unus de Ratione Fidei* citatur mox post *duodecim libros Ambrosii de Trinitate*, et *Fulgentii* itidem *de Trinitate librum unum;* et citatur etiam, veluti in eodem volumine cum eisdem Ambrosii libris contentus, atque compactus. Nulli quidem sunt Ambrosii libri *de Trinitate;* sed sub hoc titulo *de Trinitate* notabantur olim iidem *ad Gratianum principem* Ambrosii *libri quinque de Fide*, et *libri tres de Spiritu sancto*, ut admonent clarissimi Benedictini Ambrosianorum Operum editores in admonitionibus prævіis ad eosdem libros : et ideo Nicetæ Aquileiensis liber *de Fide*, seu *de Ratione Fidei*, aut *de Fide unicæ Majestatis*, etiam undecimo labente sæculo sociatus reperiebatur eisdem *voluminibus sancti Ambrosii quos ad Gratianum principem destinavit*, prout de ætate sua Cassiodorius testabatur : qui libri, cum sint tantum octo, ideo *duodecim* tunc fortasse potuerunt numerari, vel quia iidem in partes duodecim secti fuerunt pro exscribentium arbitratu, ut tunc non raro evenire solebat; vel quia illis octo alii quatuor ejusdem Ambrosii annexi fuerunt, etsi non similis argumenti, prout tunc facillime contingere potuit in maxima rei litterariæ obscuritate. Cur vero perierit liber hic Nicetæ, qui undecimo cadente sæculo in celeberrimo Pomposiano monasterio servabatur? Pomposianum nempe monasterium, quod olim non procul a mari situm optima aeris salubritate fruebatur; recedente postea mari a littore, inter silvas et stativas aquas esse cœpit, et ita propterea paulatim saluti infestum, ut jam a *tercentis fere annis illud dimiserint monachi, ad novum atque multum magnificum Sancti Benedicti monasterium translati Ferraria*, ut scribebat D. Placidus Federicius in sua Rerum Pomposianarum Historia, Romæ edita anno 1781, libro I, § 76, pagina 78. Quid igitur mirum, si in illa temporum vicissitudine, et domicilii translatione, multi interierint codices instructissimæ illius Bibliothecæ, atque Nicetæ etiam episcopi *de Fide* liber cum illis?

Quartus accedit Nicetæ liber ad competentes, qui a Gennadio, Honorio ac Trithemio uniformiter nuncupatur, *Adversus Genethlologiam* (al. *Genethlogiam*, aut *Genethliologiam*, aut etiam *Genealogiam;* sed vere ac proprie *Genethlialogiam*). Nostri vero duo codices alias citati, qui idem opus Nicetæ referunt, ambo ipsissimis verbis nonnihil addunt, sane singulare, atque anima lversione dignum, hoc modo : « Quartus (Nicetæ liber) Adversus Genealogiam; in quo plus libero tribuit arbitrio, quam valet. » Primum igitur de Nicetæ libro dicendum; mox de nostrorum codicum Gennadianorum additamento, seu potius de eorumdem censura ad librum. Γενεθλιαλογία, proprium hujusce rei vocabulum, *Prædictio natalitia* est apud Suidam in Lexico G, L, tomo I, pagina 472 editionis Cantabrig. 1705. Hujus namque, seu artis, seu verius præstigiæ professores, genethliaci dicti, et antiquitus **194** astrologi etiam ac mathematici et quandoque Chaldæi nuncupati, ex stellarum positione, quam eo quo quis die natus erat investigabant, futura illius omnia prædicere audebant. « Genethliaci dicebantur qui ex natali constellatione omnia captabant, et prædictiones faciebant. » Ita Pitiscus in Lexico ad hanc ipsam vocem. Pro naturali hominum curiositate cognoscendi futura, maxime vero ea quæ ad uniuscujusque pertinent vitæ successus, plurimum valuit genethlialogia apud gentiles; licet et inter ipsos fuerint qui hujusmodi artem strenue insectati sint, et licet leges ipsæ ethnicorum principum eamdem proscripserint, veluti et privatorum moribus et reipublicæ perniciosam, ut videre est apud Gellium a Pitisco citatum, necnon in Tacito Annalium libro II, cap. 32, et in codice Justinianeo, libro IX, tit. 38, de Malefic. et Mathemat. Cum vero, inducta in orbem Christiana religione, gentilium plurima quotidie fieret ad Ecclesiam accessio qui falsa numina detestabantur; ita tamen ex iisdem non pauci inveniebantur huic genethliacæ superstitioni addicti, ut eam difficile dimittere vellent; et inter ipsos Christianis parentibus natos, ac jamdiu Christianorum numero addictos, aderant qui libenter aures præbebant genethliacis præstigiatoribus; qui de eorum vitæ cursu, de statu, de casibus aut prosperis aut adversis, de vitæ duratione, de mortis genere, etc., oracula venditabant. Ut missa faciam quæ antiqui scriptores nobis tradunt de Priscillianistis hæreticis, qui, inter alia errorum portenta quæ in eorum putidissima societate docebantur, hanc etiam addebant de stellarum in hanc vitam influxu, seu verius dominio, insanitatem; dicam potius, cultos etiam quandoque viros atque honestæ conversationis, in catholicæ Ecclesiæ sinu altos et enutritos, hac fallacia fuisse deceptos : et ipso quinto sæculo, quo Nicetas noster floruit, Sidonius Apollinaris Epistolarum libro VIII, epistola 11 narrabat, Lambridium quemdam amicum suum haud vulgari doctrina præditum, oratoria et poetica facultate egregie excultum, necnon et socialibus virtutibus charum, *quondam mathematicos de vitæ suæ fine consuluisse*, ac tandem, Deo sic permittente, ea ipsa violenta morte necatum, quæ illi a mathematicis prædicta fuerat, necnon eo *tempore* quod ipsi signaverant : « nam quisque, ut ipse addebat, præsumpserit interdicta, secreta vetita rimari, vereor hujusmodi a catholicæ fidei regulis exorbitaturum, et effici dignum, in statum cujus respondeantur adversa, dum requiruntur illicita. »

Quanti propterea interesset Christianæ doctrinæ illis temporibus adversus genethliacorum prædictiones dimicare, et fideles etiam ac competentes instruere ne his auditum fidemque præberent, nemo non videt. Nam præterquam quod ethnica origine atque superstitione genethlialogia laborabat, sicut et cæteræ

varii generis divinationes quæ partem constituebant idololatrici cultus; hæc insuper tota erat ut omnem reapse destrueret religionem, omnem ordinis ac disciplinæ vim ac rationem everteret, omne boni ac mali discrimen tolleret, providentiam divinam auferens ab humanis rebus, arbitrii libertatem hominibus negans, divinæ gratiæ virtutem respuens, fatalismum erigens, ac diram inducens in agendo necessitatem quam sidera voluissent. Frequentes ideo apud Patres tum contra genethliacos (seu mathematicos, seu astrologos etiam dicerent, aut Chaldæos), tum contra eos qui eorumdem opera uterentur; frequentes, inquam, admonitiones, objurgationes, disputationes quoque, tam oblata suis in sermonibus occasione, quam in libris apposite exaratis. Tertullianus, **195** Origenes, Lactantius, Eusebius hanc mathematicorum artem sedulo impugnarunt in suis operibus. Sub nomine sancti Pamphili martyris ex versione Rufini exstat liber Adversus Mathematicos inter Opera Origenis editionis Grynæi tomo I, pag. 758. Macarius monachus Romanus, a Gennadio memoratus de Viris Illustribus, capite 28, et a Rufino Invectivarum seu Apologiæ libro I, capite 11, in ipsa urbe Roma librum scripsit, seu opuscula, circa annum 401, ut notat Ursius Hist. Eccles. libro XXII, num. 26, eodem adjutore Rufino qui tunc ibi degebat, Adversus Fatum vel Mathesim, seu Contra Mathematicos. Quid plura? Christiani quoque principes legibus suis in hujusmodi præstigiatores et sæpe et acriter animadverterunt; uti, exempli gratia, Honorius imperator, qui lex lata, quæ ad annum pertinet 409, et adest in Codice Theodosiano, eos et Roma et urbibus cæteris pelli jussit; et Valentinianus III, qui alia similiter lege, quæ ad annum spectat 425, data Aquileiæ die 9 Julii ad Amaciuum PP. Galliarum, etiam mathematicos, una cum Pelagianis, Manichæis, atque hæreticis omnibus et schismaticis, non modo ab urbibus, sed et *ab ipso aspectu urbium diversarum exterminandos* pronuntiat. Cum satis igitur constet, quid genethlialogia, quid genethliaci fuerint priscis Ecclesiæ sæculis; cum insuper pateat quam perniciosa Christianæ fidei haberetur, quamque Christiano nomini adversa, ideoque undique merito exagitata esset genethliacorum nugacissima vanitas; jam quid fuerit quartus Nicetæ nostri Aquileiensis liber ad competentes *Adversus Genethlialogiam*, a Gennadio memoratus, satis quoque intelligimus; quamvis nihil de eodem, præter nudum titulum sicut de prioribus aliis, habeamus.

Quod animadversione hic dignum videtur, illud est, vix aliud opusculum, ac ne vix quidem, in tota antiquitate aut inveniri, aut indicari ad competentes, quod data opera, et ex instituto ut dici solet, integre agat adversus genethlialogiam, et genethliacos. Adversus hanc impiam nugacitatem, et impios ejusdem professores aut sectatores, pene omnes quidem, qui institutiones scripserunt ad competentes, stylum acuerunt, seu in Symboli seu in orationis Dominicæ explanatione, seu in aliis ad baptismum præviis allocutionibus, ut videre est in tot sermonibus qui supersunt tum Latinorum tum Græcorum Patrum, maxime vero in sermonibus divi Petri Chrysologi, et in Catechesibus Illuminandorum sancti Cyrilli Hierosolymitani: at nullus omnino, ausim dicere, penes ipsos invenitur aut sermo aut tractatus, qui ad competentes dictus fuerit, et hunc unum habuerit scopum, genethlialogiam et genethliacos ex proposito insectandi. Hinc itaque crescit deperditi hujus Nicetæ opusculi jactura et dolor: deest namque in ecclesiasticarum rerum penu veluti annulus, qui in hac disciplinæ parte, rerum seriem nectat.

Non dissimulandus tamen nobis est egregius sancti Zenonis Veronensis tractatus super hac re, qui est 45 librorum, in editione fratrum Balleriniorum: sed hic non ad competentes est ante baptismum, sed ad neophytos post baptismum, ut ibidem indicatur, et titulum habet: *De duodecim Signis;* de eisdem scilicet zodiaci signis, ex quibus genethliaci captabant futurorum divinationem. Hic vero tractatus non est proprie adversus genethlialogiam, quam immo pro certo habet a neophytis suis jam abdicatam atque despectam priusquam abluerentur; sed est quædam elegans et ingeniosa conversio profanarum observationum, quas genethliaci faciebant ex zodiaci signis, in sacrum usum, **196** comparate ad eos qui noviter per baptismum acceptum geniti fuerant ex sinu matris Ecclesiæ, et veteris superstitionis genethlialogiæ memores erant. Præstat ipsum tantisper audire sanctum episcopum suos neophytos alloquentem, ut inde pateat quid super hujusmodi argumento competentibus, quid neophytis tradi par esset. « Ecce, pueri, adolescentes, juvenes, senes utriusque sexus, qui eratis rei, ... mundi estis infantes: et quod est admirabile et gratum, subito uno momento facti ætatibus diversis æquævi. Sed curiositatem vestram bene novi veteris vitæ usurpatione; quod quidem vobis ulterius non licebit. Fortassis requiratis et a nobis qua genitura, quove signo tam diversos, tam plures, tam dispares una uno partu vestra vos peperit mater. Sicut parvulis morem geram, sacrique horoscopi pandam tota brevitate secreta. Igitur, fratres, genesis talis est vestra. Primus vos, qui in se credentem reprobat nullum, non Aries, sed Agnus excepit: qui vestram nuditatem velleris sui niveo candore vestivit... Idem non tumidus cervice, non torvus fronte, non minax cornu Taurus, sed optimus, dulcis, blandus, ac mitis vos admonet Vitulus, ut nulla ullo in opere captantes auguria, ejus sine malitia succedentes jugo, terramque vestræ carnis domando fecundantes, lætam divinorum seminum messem cœlestibus horreis inferatis, etc. » Ita ad neophytos sanctus Zeno; qui etiam per reliqua zodiaci signa eodem modo progreditur, profanitatem genethliacorum in instructionem convertens neophytorum. Atque hæc de libello Nicetæ *Adversus Genethlialogiam*, seu potius hujus occasione libelli.

Quid nunc de censura nostrorum Gennadii codicum manuscriptorum ad eumdem libellum; scilicet, *in quo* (Nicetas) *plus libero tribuit arbitrio, quam valet?* Nostrorum duorum Gennadii codicum manuscriptorum ita peculiare est hoc additamentum, quo Nicetæ libello *Adversus Genethlialogiam* vitio vertitur liberi arbitrii immodica elatio, ideoque auctori tacite culpa etiam inuritur aut Pelagianismi, aut Semipelagianismi; ut nullibi in editis inveniatur, immo nullibi, veluti saltem in aliquo manuscripto codice aliquando lectum, indicetur; si unum excipias Joannem Josephum Lirutum, qui totum quidem Gennadii de Niceta articulum ex altero horum codicum profert, tomo I, pag. 113, sui jam alias citati operis *Notizie delle Vite de' letterati del Friuli*, ubi de Niceta Daco pro ingenio suo sermonem habet; quin ullam tamen addiderit animadversionem ad censuram hanc singularem. Quid autem dicendum vel pro Niceta vel contra super hac re, cum libellus non adsit, unde unice vel argui posset Nicetas erroris, vel a culpa purgari? Quod nobis interim verisimile valde videtur super hoc additamento, illud est, hanc non esse Gennadii scriptionem, sed arbitrium potius alicujus temeratoris, seu etiam amanuensis, et quidem probabiliter hujusce regionis, in cujus tantummodo manuscriptis codicibus, quorum etiam alter ex altero eductus videtur, additamentum hoc exstare cognoscimus. Gennadius certe, ut qui Pelagianismo aut Semipelagianismo nullatenus infensus, numquam in hoc Nicetæ opusculo reprehendisset nimiam liberi arbitrii exaltationem ultra proprias vires, quæ in Pelagianorum ac Semipelagianorum sententia magnæ sunt multaque virtute præditæ. Præterea, si reipsa Gennadius hanc censuram ad Nicetæ libellum *Adversus Genethlialogiam* posuisset, Honorius Augustodunensis, qui Gennadium pene ad verbum ubique fideliter exscripsit in suo de Scriptoribus Ecclesiasticis **197** opere, quique de Niceta nostro ibidem iisdem prope quibus Gennadius

verbis mentionem fecit, de hac singularitate minime siluisset, quæ certe magni erat ponderis, et ad cognoscendam auctoris mentem opportuna. Trithemius quoque, qui a Gennadio et ab Honorio sumpsit quod in suo similiter de Scriptoribus Ecclesiasticis libro refert, quique, ex modo quo de Niceta nostro ejusque lucubrationibus scripsit, videtur ejusdem etiam opuscula præ oculis habuisse, censuræ hujus meminisset, si hanc reipsa in vetustioribus auctoribus invenisset. Non videtur itaque Gennadii fetus hoc additamentum censorium ad Nicetæ opusculum *Adversus Genethlialogiam*, quod nobis exhibent duo Gennadiani codices nostrates.

Sed neque Pelagianismi ullo modo aut Semipelagianismi insimulandus videtur Nicetas noster, ex eo quod fortasse visus fuerit liberi arbitrii vires ulterius extulisse quam par esset. Cum neque Honorius, neque Trithemius quidquam habeant adversus rectam Nicetæ nostri sentiendi rationem super humani arbitrii facultate; quid est quod fidem habeamus incerto auctori, aut potius temeratori Gennadiani hujusce capitis de Niceta, sive etiam amanuensi, qui hanc sibi auctoritatem lædendi Nicetæ nominis arrogavit? Præterquam quod Nicetas noster, qui in illo libello adversus genethlialogiam pugnabat, fatalismum et fatalistas ex professo debuit insectari; quorum erat hominum voluntatem mere patientem facere, et veram inducere in humanis actibus necessitatem, quam singuli homines, juxta genethliacos, ab ipsa origine accepissent ex stellarum imperioso atque ineluctabili influxu. Liberi igitur arbitrii facultatem debuit Nicetas in eo opusculo totis viribus propugnare, ut contra genethlialogiam et genethliacos instructa acie dimicaret : debuit hujus facultatis limites explicare, et quam longe lateque paterent ostendere, ut nullam sibi homines excusationem, prætextu necessitatis ingenitæ, in pravis actionibus compararent. Quid mirum, si causam agens liberi arbitrii contra fatalismum, visus sit Nicetas hujus arbitrii facultatem etiam plus æquo amplificasse ut fatalismum plenius profligaret? Ita namque evenire solet, cum causa aliqua hujuscemodi agitatur; ut nimirum in propriam partem nimius quis videatur, dum veritatem ab hoste læsam propugnat. Ita quoque de eodem libero arbitrio, quantum ad gratiam, animadvertebat sanctus Augustinus in libro de Gratia Christi contra Pelagium et Cœlestium, capite 47 : « quia ista quæstio, aiebat, ubi de arbitrio voluntatis et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. » Non hic, dum ageret adversus genethlialogiam et genethliacos, sermo erat Nicetæ de gratia Dei; sed de libero tantum arbitrio adversus fatalismum et fatalistas, quibus arbitrii libertas nulla erat. Quamvis igitur amplificaverit Nicetas, adversus hujuscemodi hostes, humani arbitrii vires; id erat tantum ut fatalismum genethlialogiæ destrueret, non ut Dei gratiam infirmaret, de cujus juribus tunc non erat cur disputaretur; quæque in conspectu liberi arbitrii, Augustino teste, evanescere quodammodo videbatur. Quis autem nesciat humani arbitrii facultatem, et amplam profecto esse, et talem, ut sine injuria pœnam Deus pro libertatis abusu peccatoribus infligat, et præmia conferat ex justitia pro recto ejusdem usu? Id solum metuendum est, ut aiebat idem sanctus doctor in libro de Gratia et Libero Arbitrio capite 4, ne quæ in defensionem **198** sunt liberi arbitrii « sic intelligantur, ut ad vitam piam et bonam conversationem, cui merces æterna debetur, adjutorio et gratiæ Dei locus non relinquatur; et audeat miser homo, quando bene vivit... in seipso, non in Domino gloriari, et spem recte vivendi in seipso ponere. » Licet itaque effusior fortasse fuerit Nicetas, pro argumenti ratione, in liberi arbitrii patrocinio adversus genethlialogiam, quæ libertatem arbitrii omnimode auferebat; quis umquam sibi persuaserit eumdem adjutorio et gratiæ Dei locum reipsa non reliquisse, ita ut libertate sua bene vivens homo, nihilominus non in seipso, sed in Domino gloriari debeat, et in eodem spem ponere recte vivendi? Repudianda propterea est censura ignoti illius Gennadiani textus interpolatoris, qui certe scrupulosius et subtilius quam par esset illud Nicetæ opusculum investigavit, et dum erratum notare voluit, calumniam reapse intulit. Nunc ad opusculum quintum.

Dum de opusculo Nicetæ quinto agimus, quod est *de Symbolo*, non patet conjecturis locus super illius argumento ac materia : opusculum namque ipsum habemus integrum, quod Romæ erutum e bibliotheca Ghisiana, munificentiæ debemus eminentissimi cardinalis, et litteratorum Italiæ omnium Mœcenatis ac principis, quem immature nobis ereptum adhuc lugemus, Stephani Borgiæ : qui, dum Patavii degeret anno proxime elapsi sæculi nonagesimo nono, illud ibidem edendum tradidit, et eruditorum illustrationi permisit. *Explanatio* scilicet est *Symboli ad competentes*, in qua Symbolum ipsum per partes singillatim exponitur, declaratur, illustratur; atque opportunis ad loca singula monitis, pro temporis necessitate, ac pro audientium captu, instruitur. Opusculum hoc ejusdem naturæ est ejusdemque scopi, ac tot alii sermones de Symbolo ad competentes, qui in sanctorum Patrum Operibus passim leguntur; maxime vero apud sanctum Augustinum, sanctum Petrum Chrysologum, sanctum Maximum Taurinensem, aliosque. Symbolum namque fidei catechumenis non tradebatur, neque explanabatur, antequam ad supremum competentium gradum pervenissent : et tunc, perdurantibus scrutiniis, quæ habebantur proximo ad baptismum tempore ad competentium explorandam capacitatem atque progressum, Symbolum fidei solemniter eisdem tradebatur, addito plerumque sermone ad eorum excitandam in eodem memoriter addiscendo retinendoque solertiam, nec non aliqua ejusdem Symboli explanatione, quæ eorum quodammodo et memoriam adjuvaret, et intelligentiam aperiret. In postremis vero scrutiniis, quæ proximius præcedebant baptismatis susceptionem, Symbolum fidei, quod didicerant, competentes etiam memoriter ac solemniter reddebant, aut semel aut bis aut etiam pluries, pro Ecclesiarum diversa in hac parte consuetudine : et tunc quoque sermo subsequebatur episcopi, quo latius redditum Symbolum explanabatur; et monita quoque in sermone dabantur, seu ad fidem spectantia, seu ad mores, prout res postulabat, et audientium necessitas exigebat. In traditione Symboli, et in Symboli redditione, videri possunt sermones divi Augustini 212, 213, 214 et 215 in Maurinorum editione; nec non sancti Petri Chrysologi sermo 58, aliique in Symbolum apostolorum : alia vero quæ spectant ad veterem hujusmodi disciplinam tradendi Symbolum competentibus atque ab iisdem reddendi, passim illustrantur ab ecclesiasticarum rerum tractatoribus, et notiora sunt eruditis, quam ut hic a nobis debeant explicari.

De Explanatione tamen hac nostra **199** sancti Nicetæ Aquileiensis episcopi quæri merito posset, num censeri debeat ab ipso habita in traditione Symboli ad competentes, an vero in eorum redditione. Consulenda propterea est Explanatio ipsa, ut id quod quæritur dignoscatur. Quod prima fronte in Explanatione Symboli Nicetæ episcopi occurrit, est abrenuntiatio, quæ innuitur jam peracta ab iis quibus Symbolum ibidem explanabatur; ait enim Nicetas : « Qui credit in Christo... abrenuntiat inimico, et angelis ejus, et universæ magicæ curiositati... His ergo malis se homo expediens, has catenas post dorsum suum velut in faciem projiciens inimici, jam symbolica voce pronuntiat : *Credo in Deum Patrem*, etc. » Idem quoque, de abrenuntiatione peracta ab iis quibus hic sermo habebatur, confirmatur in fine Explanationis hoc modo : « Quoties inimicus mentem tuam aut timore,

aut avaritia, aut ira titillaverit, responde illi minaciter, dicens : Et abrenuntiavi, et abrenuntio tibi, operibus pariter, et angelis tuis, quia credidi Deo vivo, et Christo ejus, etc. » Abrenuntiatio porro, prisco Ecclesiæ more, non modo fiebat baptismi tempore, id est proxime ante salutare lavacrum, sed etiam ante solemnem fidei professionem, quæ in redditione accepti Symboli posita erat, et in iterata etiam respo sione verbi *Credo* ad singulas interrogationes de Symboli articulis; quæque locum habebat, aliquot ante baptismum diebus, in scrutiniis quæ præcedebant. « Quæ est enim in baptismo salutari Christianorum prima confessio ? Quæ scilicet, nisi ut renuntiare se diabolo ac pompis ejus, atque spectaculis et operibus protestentur?.. *Abrenuntio enim*, inquis, *diabolo, pompis, spectaculis, et operibus ejus*. Et quid postea? *Credo*, inquis, *in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus*. Ergo primum renuntiatur diabolo, ut credatur Deo : quia qui non renuntiat diabolo, non credit Deo. » Ita ipso quinto sæculo scribebat Salvianus de Gubernatione Dei libro VI, capite 6; sanctus quoque Isidorus, altero post quintum sæculo, libro II de Ecclesiasticis Officiis, capite 24 : « Prima pactio, inquit, est, qua renuntiatur diabolo, et pompis ejus, et universæ conversationi illius. » Videatur super hac re Josephus Vicecomes, de antiquis baptismi Ritibus, lib. II cap. 24.

Quid vero peculiariter de Aquileiensi Ecclesia? Sanctus ipse noster Nicetas testimonium super hac re præbet luculentissimum in tertio fragmentorum Vindobonensium quæ supersunt, quodque ad primum suum, ut videtur, pertinet libellum a Gennadio memoratum, de quo superius dicebamus; ubi competentes suos instituens etiam de abrenuntiationis ratione, aperte ait : « Non enim ante ad confessionem venitur, nisi prius fuerit diabolo renuntiatum. Sicut nec aurilegus ante aurum mittit in sacculum, nisi prius terram vel limum laverit universum. » Sed Ritualia quoque aliquantulum intueri juvat hujus ejusdem Ecclesiæ, ut ipsius clarius adhuc pateat in re de qua agimus concors cum aliis disciplina : Ritualia autem non dicam ejusdem quinti sæculi, quo florebat Nicetas; sed Ritualia certe quæ, quamvis posterioris ævi, vestigia præferebant priscæ illius ejusdem Nicetæ ætatis disciplinæ. Clarissimus De Rubeis in dissertatione sua, de Sacris Forojuliensium Ritibus, etc., capite 26, ex codicibus primum insignis Collegiatæ Ecclesiæ Civitatensis variæ antiquitatis, dein ex aliis quoque hujus provinciæ, necnon et ex Agenda diœcesis Aquileiensis Venetiis impressa anno 1575, ritus profert in Aquileiensi diœcesi vigentes in **200** baptismi administratione, pueris maxime facienda, postquam catechumenorum et competentium gradus, sicuti et scrutiniorum ordo, in desuetudinem jam abierant; quod factum creditur post nonum aut certe post decimum sæculum in universa Occidentali Ecclesia, licet non eodem ubique tempore, ut semper in similibus contingere solet. Hujusmodi porro administrandi baptismi ritus posteriori ætate inductus, constat ex iis omnibus ritibus qui olim obtinebant in catechumenis et in competentibus, quique locum habebant in scrutiniis baptismum præcedentibus, ut notat etiam idem De Rubeis, in dissertationibus Variæ Eruditionis, capite 31, num. 5; ita ut merito dici possit ritum hunc posteriorem, tum quoad substantiam, tum quoad ordinem, compendium quoddam esse veteris ritus; quatenus brevi horæ spatio compleretur, quod olim erat diuturni operis cursus, et exercitatio plurium dierum : quod similiter dicendum venit etiam de Romano ordine qui nunc viget, tum in baptizandis pueris, tum in baptizandis adultis; qui itidem compendiosus ordo censeri potest veterum rituum, qui priscis sæculis obtinebant. In his itaque posterioribus administrandi baptismi ritibus, qui in Aquileiensi Ecclesia ac diœcesi vigebant, renuntiatio semper antecedit tum Symboli recitationem, tum fidei ex Symbolo professionem, sive ubi renuntiatio ipsa semel tantum, sive etiam ubi iterato locum habet ex prisco Ecclesiæ more, ut ibidem videri potest, et maxime in citata Agenda typis edita. Talis itaque fuisse credenda est etiam quinto sæculo Aquileiensis Ecclesiæ disciplina super hac re; ut scilicet renuntiatio semper præcederet in competentibus eorum fidei professionem, ita ut nonnisi renuntiatione peracta Symbolum redderent in scrutiniis quod prius addiscendum acceperant, et interrogationibus responderent ad articulos Symboli, de quibus singillatim exquirebantur.

Cum igitur in *Explanatione Symboli* beati Niceiæ Aquileiensis episcopi appareat jam factam fuisse renuntiationem ab iis competentibus quibuscum tunc ille loquebatur; Explanatio illa propterea credi merito potest habita ad competentes scrutiniorum tempore in eorum Symboli redditione, immo statim post redditionem, ad eorum firmandum in fide propositum, muniendamque vi tutem. Quod vero rem ipsam, quam ex disciplina illius temporis atque ex disciplina quoque Aquileiensis Ecclesiæ propria conjicimus, magis magisque confirmat, verba sunt Nicetæ nostri Explanationis capite 15, ubi, sermonem suum claudens, sic habet : « Quod cum ita sit, charissimi, manete in his quæ didicistis, et tradita sunt vobis. Retinete semper pactum quod fecistis cum Domino, id est hoc Symbolum, quod coram angelis et hominibus confitemini. » Ecce nimirum Symbolum competentibus pridem traditum, *tradita sunt vobis;* a competentibus postea memoriæ mandatum, *quæ didicistis;* inde solemniter ab iisdem redditum, professione fidei facta, *quod coram angelis et hominibus confitemini;* et ita propterea ut monendi essent idem retinere, veluti pactum cum Domino factum, *retinete semper pactum quod fecistis cum Domino, id est hoc Symbolum.* In redditione igitur Symboli, scrutiniorum tempore, habita fuit a Niceta nostro Aquileiensi ad competentes hæc *Symboli Explanatio*. Jam vero ad Libellum seu opusculum sextum.

Sextus ad competentes Nicetæ liber titulum ubique eumdem habet, *de Agni paschalis Victima*. Cum sit liber hic inter deperditos, divinandum quodammodo est illius argumentum : quod tamen, sub metaphorico titulo **201** *de Victima Agni paschalis*, fuisse plane de sanctissimo eucharistiæ sacramento, ambigere minime possumus. Competentes certe, etsi ad penitiora quæque Christianæ religionis cognoscenda mysteria ante baptismum non admitterentur, de hoc mysterio augustissimo eruditi nihilominus aliquando, et saltem ex parte debebant, priusquam ad salutare lavacrum accederent. Quis enim ignorat competentes per sacrum baptisma renatos, et neophytos dictos, ac Ecclesiæ matris infantes, eadem ipsa Paschatis nocte, ab ipso sacro fonte, ac veluti adhuc salutari aqua madentes, ad sacratissimam cœlestis Agni mensam admissos? Rem ostendit multiplici eruditione, tum quoad adultos, tum quoad ipsos pueros, qui sacro baptismate abluebantur; supracitatus clarissimus Vicecomes de Antiquis baptismi Ritibus, libro V, cap. 34 ac sequentibus, nec non alii post eum disciplinæ veteris illustratores, ut non sit opus plura adjicere. Sanctum Augustinum nihilominus quilibet libenter audierit de hac re ita loquentem, sermone 227, qui est in die Paschæ 4, et titulum præfert : *Ad infantes, de Sacramentis*. « Memor, inquit, sum promissionis meæ. Promiseram enim vobis, qui baptizati estis, sermonem quo exponerem mensæ Dominicæ sacramentum, quod modo etiam videtis, et cujus nocte præterita participes facti estis. Debetis scire quid accepistis, quid accepturi estis, quid quotidie accipere debeatis, etc. » En igitur in ipsa Paschæ nocte competentes, jam factos Ecclesiæ matris infantes per acceptum baptisma, *participes* mox effectos *mensæ Dominicæ*, in qua Christi reipsa corpus et sanguinem *acceperant*. Edocendi propterea aliquando erant competentes, et saltem quantum sat esset, super eucharistiæ sacramento, ut nossent quid essent accepturi post baptismum ea ipsa

Paschatis nocte : atque hic propterea fuerit Nicetæ scopus in libello *de Agni paschalis Victima*, qui sextus et ultimus est ex libris seu sermonibus ab ipso habitis ad competentes.

Sermonis nihilominus, qui ad competentes apposite habitus fuerit de eucharistiæ sacramento, vix alia mentio, aut ne vix quidem occurrit in tota antiquitate, uno hoc excepto Nicetæ, qui etiam periit, et cujus tantummodo titulum nobis servavit Gennadius. Quid igitur ita? Sane de eucharistiæ sacramento, nondum initiatis, plena atque absoluta institutio antiquitus non dabatur, ex diligenter tunc custodita arcani disciplina : nondum vero initiati censebantur ii qui salutari lavacro nondum erant abluti, sive catechumeni ii essent, sive etiam competentes. Quapropter sanctus Ambrosius qui librum scripsit de Mysteriis ad nuper baptizatos, ubi etiam tertio loco ex professo agit de eucharistiæ sacramento, quod quidem asserit ab ipsis acceptum statim post baptismum, ita ad eosdem loquebatur capite 1, num. 2 : « Nunc de mysteriis dicere tempus admonet, atque ipsam sacramentorum rationem edere : quam ante baptismum si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potius quam edidisse æstimaremur. » Rationem vero aliam subjiciens hujus silentii sui de hisce mysteriis ante baptisma, ita prosequ tur : « Deinde quod inopinantibus melius se ipsa lux mysteriorum infuderit, quam si eam sermo aliquis præcucurrisset. » Patet hinc, et reipsa nondum initiatos intelligendos esse etiam competentes ipsos ante baptismum, quibus propterea sacramentorum ratio nondum erat insinuanda; et nullum quoque præcessisse sermonem ad eos de eisdem mysteriis, adeo ut inopinantibus mysteria ipsa præbita fuerint. Ac profecto non ad competentes, sed ad infantes, id est ad jam baptizatos, **202** dicti fuerunt a divo Augustino sermones illi qui in die Paschæ de Sacramentis sunt, ut, exempli gratia, nuper citatus 227, et alius quoque 229, in quibus de eucharistiæ sacramento agit, et de eodem uti ab ipsis præterita nocte suscepto post baptismum. Sanctus quoque Gaudentius Brixiensis, nequaquam ad competentes, sed ad egressos a fonte neophytos, id est ad statim baptizatos, tractatum suum habet, seu sermonem secundum, de Ratione Sacramentorum, in quo de eucharistiæ sacramento, quod mox accepturi essent, eos alloquitur. Quid ergo? Prodidisse dicemus Nicetam nostrum sanctissimum eucharistiæ mysterium, qui de eodem librum scripsit, seu sermonem, ad competentes?

Distinguendam atque illustrandam rem esse existimo, ut, quid reipsa Nicetæ fuerit, aut esse potuerit, sermo seu liber ad competentes *de Agni paschalis Victima*, intelligamus. Etsi enim eucharistiæ mysterium ex iis esset quæ nondum initiatis, ideoque ipsis etiam competentibus, patefieri non oportebat; nihilominus, cum ejusdem mysterii participes esse deberent eadem Paschæ nocte, qua per lavacrum regenerabantur, fieri non poterat ut ejusdem omnino inscii atque rudes ad sacram mensam admitterentur. Hæc propterea fuisse videtur super hac re illorum temporum œconomia : ut nimirum nihil omnino competentes, toto eo tempore quo ad baptismum etiam proxime comparabantur, intelligerent de eucharistiæ mysterio; ut de hoc nonnisi instante Paschatis die quam brevissime edocerentur, et ea tantum quæ ad simplicem tanti mysterii fidem spectarent; ut demum neophyti, de hoc ipso mysterio, atque de aliis rebus quæ ex Ecclesiæ disciplina nonnisi initiatis tradebantur, plenius atque uberius erudirentur in reliquis hebdomadæ paschalis diebus. Œconomiæ hujus rationem ex Catechesibus sancti Cyrilli Hierosolymitani aperte intelligimus, eamque hic recolere non absre judicamus. In catechesi namque 13 illuminandorum, id est baptizandorum (qui, ut supra monuimus, apud Græcos iidem erant ac in Latina Ecclesia competentes), cum capite 19 obiter sermo esset de corpore Christi sub specie panis, occasione illius prophetici textus : *Venite, et injiciamus lignum in panem ipsius;* ita illuminandos alloquebatur : « Si te Dominus dignum habuerit, in posterum cognosces, quod corpus ejus juxta Evangelium, figuram ferebat panis. » Illuminandis itaque, id est competentibus, ex silentii religione, eucharistiæ mysterium nondum aperiebatur, sed aperiendum *in posterum* promittebatur, si eos Dominus dignos esset habiturus; id est si sacro baptismate digni esse merentur, auditis catechesibus, peractisque scrutiniis. Quid vero illud *in posterum* ex sancto Cyrillo ? Explicat semetipsum sanctus Pater, de hoc opportuno tempore aperiendi illuminandis eucharistiæ mysterii, in catechesi 18, quæ similiter est ad eosdem illuminandos; ubi capite 32 et 33 in catechesis epilogo ita eos alloquitur. « Fratres dilecti, vos omnes hortatur præceptionis hujus sermo, ut animam ad cœlestium donorum receptionem comparetis. De tradita vobis ad confitendum sancta et apostolica fide, quod licet catecheses in præteritis hisce Quadragesimæ diebus per Domini gratiam diximus... Instante vero deinceps sancto Paschatis die, dum vestra in Christo per lavacrum regenerationis charitas illuminabitur; iterum, Deo volente, de iis quæ consentanea sunt erudiemini : quanta nimirum cum pietate, etc... et quanta cum reverentia atque ordine oporteat a baptismate ad sanctum Dei altare **203** procedere, spiritualibusque et cœlestibus quæ ibi distribuuntur mysteriis frui; ut anima vestra per doctrinæ sermonem prius illustrata per singula cognoscatis impertitorum vobis a Deo donorum magnitudinem. Post sanctum vero et salutarem Paschatis diem, a secunda sabbatorum die inchoando, singulis consequentibus hebdomadæ diebus... alias, Deo volente, catecheses audietis; in quibus rursum singularum quæ in vobis peractæ fuerint rerum rationes et causas erudiemini... Et de iis quæ in altari habentur novi Testamenti mysteriis, quæ hinc initium accepere, quidnam de iis divinæ Scripturæ tradiderint, quæve illorum sit vis ac potestas. Et quonam modo ad ea accedendum sit, et quando, ac quomodo illa habenda sint... Et hæc quidem, si Deus voluerit, a nobis explicabuntur. » Ita sanctus Cyrillus Hierosolymitanus. En igitur quid per illud *in posterum* intellexerit, quoad eucharistiæ mysterii explic tionem faciendam iis, quibuscum tunc loquebatur, illuminandis, seu potius Latino dixeris more competentibus. Duplicem nimirum loquendi occasionem indicavit de hoc mysterio : alteram nempe *instante sancto Paschatis die*, dum jamjam *per lavacrum regenerationis* in Christo essent *illuminandi;* quæ nonnisi brevis atque compendiosa locutio esse poterat, ad excitandam tanti mysterii fidem ac reverentiam; quod in competentibus jam in religione recens institutis operosum esse non poterat : alteram vero fusiorem, *post sanctum Paschatis diem*, in aliis catechesibus; ubi *de iis quæ in altari habentur novi Testamenti mysteriis*, quidve *de iis* divinæ Scripturæ tradiderint, quæve illorum *sit vis ac potestas*, se dicturum promittit. Ut enim hic annotat clarissimus quoque Cyrillianorum Operum editor Touttée, « Cum in catechesibus ante baptismum nefas esset baptizandis mysteria aperire, nec tamen eos ad illa imparatos ac prorsus eorum inscientes admittere oporteret; fusiori illorum expositione in subsequens tempus dilata, in ipsa nocte paschali de ipsis breviter, et quantum per tempus licebat, antequam ad ea accederent, erudiebantur. » Fusiorem illam de eucharistiæ mysterio explanationem, quam Cyrillus illuminandis suis promiserat post baptismum, habemus; eaque est catechesis 22 et mystagogica 4, quæ, juxta præcedens monitum clarissimi editoris, habita ab ipso fuit feria quinta paschali. Breviorem alteram vero, quam se habiturum spoponderat *instante sancto Paschatis die*, id est in ipsa nocte paschali, desideramus : « sed hæ Cyrilli instructiones ipso baptismatis tempore datæ, videntur admonitionibus pro tempore datis, quam concionibus e suggestu habitis similiores, » ut idem pariter annotat eruditissimus illustrator; unde mirum non est eas ad nos minime pervenisse,

utpote quæ fortasse ne scripto quidem a sancto Cyrillo traditæ erant.

Quid nunc igitur de libello seu sermone Nicetæ nostri *de Agni paschalis Victima* ad competentes? Si vere ad competentes habita fuit hæc *de Agni paschalis Victima* Nicetæ sermocinatio, hanc dixerimus brevem fuisse de eucharistiæ mysterio ad eosdem allocutionem, proxime ab eo prolatam antequam ad baptisterium procederent, ideoque *instante Paschatis die*, dum jam jam essent illuminandi; ut post acceptam regenerationem ad sacrum altare accedere possent satis instructi de *Agni paschalis Victima*, cujus participes esse debebant. At vero fueritne ad competentes proprie dictos hæc *de Agni paschalis Victima* institutio; an potius ad neophytos seu ad infantes, **204** quos in Nicetæ librorum recensione Gennadius et Honorius a competentibus non distinxerint, ob maximam postremi hujus libelli affinitatem cum quinque aliis prioribus qui vere ad competentes habiti fuerunt, et quia iisdem dictus fuit auditoribus qui competentes paulo ante fuerant? Id quidem fieri etiam facillime potuit: et tunc libellus hic Nicetæ, seu sermo *de Agni paschalis Victima*, habitus fortasse fuerit ad competentes qui jam essent Ecclesiæ matris infantes, in ipso *Paschatis die* post eucharistiam ab ipsis acceptam, prout illi sancti Augustini superius memorati sermones; aut in reliquis paschalis hebdomadæ diebus, ut illi sancti Ambrosii, qui postea in citatum librum de Mysteriis coaluerunt, et ut catechesis mystagogica 4 sancti Cyrilli Hierosolymitani. Quidni dictus fuerit potius ad competentes jam neophytos, et simul ac egressi fuerunt a fonte, prout ille Gaudentii Brixiensis secundus supra citatus, qui, eodem teste in sermone seu tractatu quinto, habitus fuit *in illa splendidissima nocte vigiliarum* Paschæ, *ut edendi paschalis sacrificii disciplinam rudes neophyti discerent*; ideoque statim post acceptum baptisma, et ante eucharistiæ sumptionem? Hujusmodi quoque esse videtur alter Augustini sermo, cui titulus: *De Sacramento altaris ad infantes*, qui est ordine tertius inter illius sermones ineditos, quos anno 1732 e membranis bibliothecæ Palatinæ Vindobonensis primo vulgavit Vindobonensibus typis clarissimus alias laudatus Michael Denis; qui etiam sermonem hunc *pulchram* appellat *ad sanctam communionem præparationem*, eique locum assignat in editione Maurinorum post sermonem 228.

Unum hic addam super hoc Nicetæ libello seu sermone, quandocumque habitus fuerit, et ad quoscumque seu competentes, seu egressos a fonte neophytos, aut infantes; titulum nempe quem præfert, *de Agni paschalis Victima*, optime respondere argumento totius tractatus seu sermonis secundi sancti Gaudentii Brixiensis ad egressos a fonte neophytos; qui cum sit de eucharistiæ mysterio, totus versatur in exponenda allegoria agni paschalis Judæorum, qui typus fuerat corporis Christi a nobis in altaris mysterio percipiendi; atque ex legibus immolandi comedendique illius typici agni, in Exodi libro scriptis, elegantissime eruit, illustrat atque commendat eas animi dispositiones, quibus fidelis instructus ad sacram novi fœderis mensam ibidem præfiguratam accedere debeat. Quidni et Nicetæ nostri libellus *de Agni paschalis Victima* eumdem habuerit scopum in erudiendis de eucharistiæ mysterio auditoribus, ac sancti Gaudentii Brixiensis sermo seu tractatus? Fieri etiam potuit, ut titulus huic Nicetæ sermoni vel ab ipso auctore vel a Gennadio vel ab aliis poneretur *de Agni paschalis Victima*, potius quam *de eucharistiæ Sacramento*, seu *de altaris Mysterio*, ut vetus arcani disciplina cautius servaretur; et sermonis argumentum, quod interim sub hoc etiam velamine initiati jam satis noverant, nondum initiati, etiamsi ex relatione audissent, nequaquam perciperent. Quid vero si dixerimus, libellum, seu sermonem Nicetæ *de Agni paschalis Victima*, explanationem tantum fuisse illius typici ritus Judæorum, ad præparandos audientium animos ad mysterium suo tempore cognoscendum; quin ad ullam interim mysterii explicationem oratio descenderet? Tunc fortasse ad competentes proprie dictos haberi potuit hic sermo ante baptismum, absque ulla disciplinæ vigentis læsione: et nullus propterea hinc pateret difficultatibus locus, quibus enucleandis hactenus incubuimus; licet cæteroquin, etiam **205** in hac positione, de eisdem dixisse non pigeat.

Ultimus Nicetæ liber, qui a Gennadio aliisque recensetur, jam non competentes respicit, sed pœnitentes: est enim objurgatio quædam, et valde quidem vehemens, *ad Virginem lapsam*, quam præsentem habet pœnitentiam publicam ab episcopo accipientem ob reatum publice notum. Gennadius et Honorius libellum hunc indicant hoc modo: « Edidit (aut *condidit*) et ad lapsam Virginem libellum, pene omnibus labentibus emendationis incentivum. » Duo nostrates alias indicati Gennadiani codices omissa voce *pene*, ita habent: « Dedit et ad lapsam Virginem libellum, omnibus labentibus emendationis incentivum. » Libellus hic jamdiu natus, immo jamdiu solus qui ex septem a Gennadio memoratis innotesceret eruditis, quin tamen certum Nicetæ fetum sese proderet, incerto vagabatur parente; hoc nihilominus felix eventu, quod non indignus habitus aliquando fuit, qui et Augustini, et Hieronymi scriptis accenseretur, maxime vero quod inter Ambrosii genuina Opera locum haberet etiam in absolutissima Ambrosianorum Operum Maurina editione. *Explanatio* tandem *Symboli ad competentes* nuper emersa sub nomine Nicetæ episcopi nodum solvit, et lucem attulit, ut jam Gennadiani Nicetæ opus, cujus *Explanatio* illa *Symboli* absque dubitatione censebatur, et libellus *ad lapsam Virginem* judicaretur: quod eruditis viris, et Zaheo ipsi visum fuit, et nos quoque capite 1 dissertationis hujus data opera confirmavimus. Libellus hic, qui in Veronensi editione Operum sancti Hieronymi a clarissimo Vallarsio adornata locum habet inter supposititia tomo XI, col. 178, titulum præfert, *In Susannam lapsam objurgatio*; inter Opera vero sancti Ambrosii genuina, ubi a Maurinis editoribus collocatus fuit cum aliis sancti doctoris ejusdem argumenti notis lucubrationibus de Virginitate, ac de Virginibus, tomo II editionis Parisiensis in-folio, 1690, titulum habet, *De lapsu Virginis consecratæ*. Hæc varietas titulorum nihil officit huic libello; immo argumentum illius simul collati enucleatius explicant: est enim vera *objurgatio* in *Virginem consecratam*, *Susannam* nomine, quæ *lapsa* fuerat.

Libelli epitomen exscribere præstat ab ipsa admonitione, quam ad eumdem præmiserunt eruditissimi editores Benedictini. « Continetur hoc in opere vehementissima increpatio, qua puellam quæ post promissam ad aras virginitatem vitiari se ab impudico adolescente sæpius passa, etiam conceptum ex eo infantem necasse dicebatur, summo cum animi dolore objurgat ejusdem episcopus. Ingens erat suapte natura hoc flagitium, sed illud multo gravius cum alia multa, tum secuta inde hominum offensio reddiderat. Susanna, sic enim illa vocabatur, e nobili familia ducebat ortum. Cum autem perpetuam servare pudicitiam sibi proposuisset, contrarias expugnare nequivit parentum voluntates, nisi postquam terrificis quibusdam visis ad id se moveri sancte affirmavit. Ipso Domini reviviscentis festo in præcipua basilica, prope altare quo eam neophytorum greges cum cereis accensis deduxerant, vota sua, universo populo respondente, *Amen*, pronuntiavit. Mox ipsi imposito post consuetam exhortationem velo, illam aliis sanctimonialibus junctam idem præsul admisit in asceterium, ubi eamdem idoneis præceptis frequens imbuere non negligebat. Vitam illic haudquaquam duxit ab omni criminis specie ac similitudine ita remotam, quin non multo post ejus castitas adversis rumoribus traduceretur. **206** Hoc impatientissime tulit Susanna. Episcopus vero conjunctis cum ejusdem parente curis, frustra ut auctores hujus calumniæ detecti canonicas luerent pœnas, desudavit. Ea cum fieri cautior hinc debuis-

set, elapsis tamen tribus annis, crimen cujus falsa infamia prius laboraverat, non sine magno Judæorum ac gentilium scandalo vere commisit. Omnem, ut illud celaret, lapidem movit : neque ulla ratione ad ipsius confessionem adduci potuit. Convicta demum apud antistitem, publicæ addicta est pœnitentiæ. Quam cum illa jam cœpisset agere, ipsam acerrima oratione, ex qua constat ista scriptio, idem præsul aggredi instituit. Ubi diritatem sceleris tum adjunctorum enumeratione tum depulsione excusationum oculis subjecit, docet remedium unicum ei superesse, æqualem peccato pœnitentiam. Cujus quidem labores atque dedecus si generose ad extremum usque spiritum toleraverit, promittit fore ut inferni sibi debiti non desitura evadat supplicia. Compellat etiam ejusdem pseudonymæ virginis corruptorem, eique, Balthasaris nec non Sodomitarum et Gomorrhæorum exemplo, declarat, quæ ipsum pœnæ maneant, nisi similes resipiscentiæ suæ ostendat fructus, ad quos eumdem exstimulat, proposita extremi judicii nemini evitanda necessitate. Tandem reversus ad Susannam, ei quotidianam psalmi L recitationem indicit, ac præterea varios suggerit, quibus et se ad dolorem et Deum ad misericordiam moveat, mentis affectus. » Hactenus Benedictini editores; et ita sane Nicetæ nostri libellus.

In hujus autem libelli laudem scribit Gennadius, quod *omnibus*, aut *pene omnibus labentibus emendationis incentivum* sit. Elogio Gennadii, intimum libelli meritum æstimantis, subscribimus libentissime, subscribetque quicumque libellum ipsum perlegerit : at omni elogio majora sunt, quæ apud nos, atque apud ecclesiasticarum rerum cultores, libellus hic meretur, ob pretiosa quæ continet illius quinti sæculi rituum monumenta, tum quantum ad virginitatis propositum ac sacrarum virginum disciplinam, tum quantum ad pœnitentiæ ordinem in iis qui gravioribus delictis obnoxii publica essent humiliatione et afflictione plectendi ex Ecclesiæ instituto. Eruditi viri omnes, qui argumenta illustranda susceperunt tum sacrarum Ecclesiæ veteris virginum, tum publicæ quæ peragebatur pro peccatis publicis pœnitentiæ, libellum hunc *ad lapsam Virginem* veluti thesaurum habuere, unde notitias eruerent ad rem opportunas, quarum etiam plerasque minime alibi invenissent : quod hic nobis ad alia properantibus sufficiat innuisse.

Expensis septem Nicetæ libellis a Gennadio enuntiatis, ex quibus duo tantum integri supersunt, ad fragmenta aliqua seu reliquia nunc gradum facimus deperditorum; unicum in hujusmodi jactura solatium, quo ipso eruditi hactenus caruerunt, quoque fraudati etiam nos fortasse fuissemus, nisi clarissimi viri Michaelis Denis Palatinæ Vindobonensis bibliothecæ præfecti, nuper vita functi, litterarum amor et rei ecclesiasticæ juvandæ exornandæque solertia providisset. Sciens enim eruditissimus vir ex septem Nicetæ libellis a Gennadio memoratis unum aut alterum tantummodo integrum superesse, gratissimum atque utilissimum fore judicavit, si λειψάνα saltem quædam deperditorum haberemus, quæ ipse in uno ex veteribus ejusdem bibliothecæ Latinis codicibus invenit, quos recensendos illustrandosque susceperat. Hæc λειψάνα itaque Nicetæ episcopi, numero sena, publici juris facta fuere volumine II, parte tertia **207** Denisiani operis Vindobonæ editi anno 1802, cui titulus : *Codices manuscripti theologici bibliothecæ Palatinæ Vindobonensis Latini aliarumque Occidentis linguarum;* eaque nunc expendenda singillatim aggredimur.

Non omnia hæc Nicetæ nostri λειψανα vere ac proprie fragmenta deperditorum ejusdem opusculorum dici possunt : sed quædam sunt vere fragmenta, id est loca opusculorum prout in ipsis reperiebantur, et prout ab auctore scripta atque pronuntiata fuerunt, perfecte relata in opere quo codex ille constat, cuique titulus, *Ordo, seu brevis explanatio de Catechizandis Rudibus;* alia vero, potius quam loca opusculorum integra, sensus sunt eorumdem, quos codicis auctor in orationem suam accommodavit, ac veluti sibi ascivit, retentis tamen, prout sermo ferebat atque orationis ductus, ipsis auctoris verbis; atque hæc porro, potius quam opusculorum deperditorum Nicetæ fragmenta, aptiori fortasse vocabulo, quo a veris propriisque fragmentis distinguantur, reliquia dixerimus.

Secundi itaque hujus generis videtur fragmentum seu potius reliquium primum, in quo non Nicetas loquitur, sed ex Niceta, et ex Nicetæ sensibus ac verbis, auctor illius *Ordinis seu brevis explanationis de Catechizandis Rudibus;* ipse namque hic est, qui non competentes docet sicuti Nicetas, sed eos qui in fide ac religione rudes instruere debebant, monet de modo ac ratione docendi, sumpta sibique accommodata Nicetæ doctrina, prout cuique legenti patere potest. *Reliquium* hoc (ita effari liceat) procul dubio pertinet, prout etiam in codice indicatur, ad libellum Nicetæ primum *ad competentes*, *Præparatorium* etiam dictum, in quo ex Gennadio docebat Nicetas competentes suos, *qualiter se debeant habere*, seu potius *qualiter credere et qualiter agere competentes, qui ad baptismi gratiam cupiunt pervenire :* ad hunc enim scopum reliquii hujus verba apprime referuntur : « Instructiones necessarias ad fidem currentibus opus est explorare. . . . . quibus edocentur ad baptismum electi, ut quid dimiserint sciant, et quid desiderant magis intelligant, et quid accepturi sunt, vel quid observare debeant certius recognoscant; quia magnum est quod desiderant, grande est quod inchoant, sive Deus inspiravit, sive homo commonuit et suasit. » Generis vero prioris, ideoque fragmentum proprie dictum, videtur esse fragmentum illud brevissimum Nicetæ secundum, in quo quis catechumenus sit explicatur; atque hoc quoque partem constituisse ejusdem libelli Nicetæ primi ad competentes, verisimile valde videtur, sicuti ipsa voce *ibidem*, fragmento anteposita, signat etiam codicis auctor.

Sequitur fragmentum tertium, cæteris tum præcedentibus tum subsequentibus prolixius, atque tam rerum pondere quam dictione ipsa præstantius. Totum constat ex ipsissimis Nicetæ verbis; ideoque vere ac proprie fragmentum est ex Nicetæ scriptis decerptum, insertumque Operi quo constat codex. Si dictionem *Fragmenti* hujus inspiciamus, elegantissima est oratio, quæ satis ostendit quantum valeret Nicetas etiam in humanis litteris, ac facultate dicendi. Si vero argumentum orationis intueamur, præclara est ad competentes institutio de abrenuntiationis tempore, ratione, ac valore; nec non et gravis suggillatio illius temporis tum virorum tum mulierum, qui peregrino capillorum ductu, et nimium exquisito capitis corporisque ornatu, abrenuntiationi in baptismate factæ contradicebant. Abusuum hujusmodi descriptio in hoc fragmento ita viva est, ac vere pictoria, ut sibi quisque videatur, tum viros tum mulieres a **208** Niceta reprehensos, præsentes conspicere in ipso eorum cultu qui erat reprehensionis occasio. Ab auctore codicis signatur hoc fragmentum veluti pertinens ad libellum eumdem Nicetæ primum ad competentes, cui ascribuntur præcedentia duo; quod valde etiam probabile est ex noto illius libelli argumento a Gennadio indicato, *qualiter* nimirum *se debeant habere competentes qui ad baptismi gratiam cupiunt pervenire;* qui instruendi propterea erant in ipsa præparatoria concione super abrenuntiatione ab ipsis facienda, ut ad baptismi gratiam pervenirent, antequam ad abrenuntiationem ipsam accederent, atque ad alia admitterentur quæ competentium essent.

Fragmentum quartum tribuitur in Vindobonensi codice libro Nicetæ secundo, qui, ut superius vidimus, erat *de gentilitatis Erroribus*. Hoc vero, neque ad libellum Nicetæ secundum penitus pertinere existimamus, neque fragmentum omnimode esse, sed potius excerpta quædam, quæ sibi et orationi suæ ex variis Nicetæ locis auctor codicis accommodavit. Verba illa : « Certe omne peccatum sine dæmonis operatione non fit; quæ omnia opera diaboli, vel ejus pompas esse intelligimus, » facile ad libellum Nicetæ secundum *de gentilitatis Erroribus* pertinere posse cognoscimus : at

quæ continuo sequuntur, nulla facta loci, unde sunt eruta, distinctione : « His ergo malis se homo expediens, has catenas post dorsum suum velut in faciem projiciens inimici jam sincera voce pronuntiat : *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, et reliqua ; » hæc quidem verba sunt ipsissima libelli Nicetæ quinti *de Symbolo*, capite 1, uno excepto vocabulo *sincera*, pro quo legimus *symbolica* in edito ex codice Ghisiano. Quæ vero postea legimus : « De Fide enim sicut in eodem Symbolo continetur, pleniter ad fidem quisque atque ad baptisma pervenire desiderans instruendus est pariter et docendus, ut brevitatem Symboli in corde memoriter teneat, quod quotidie dicat apud semetipsum, antequam dormiat, cum de somno surrexerit, quod omnibus horis in mente habeat ; » omnia hæc sunt potius Nicetæ sensa quam verba, quæ codicis Vindobonensis auctor hausit, sibique ascivit, ex eodem libello quinto *de Symbolo*, capite 15 et 16, ubi hæ admonitiones ad competentes habentur. Reliqua verba : « Similiter et orationem Dominicam, et signaculum (crucis) quo se contra diabolum muniat ; » apud Nicetam ibidem non exstant, sicuti nec sensus eorum, sed neque ubi exstare potuerint facile possumus conjicere ; nisi dicamus peculiarem alium ad competentes libellum scripsisse Nicetam de oratione etiam Dominica, qui Gennadio notus non fuerit, et de signaculo crucis disseruisse aut in primo aut in alio ex libellis a Gennadio indicatis.

Fragmentum quintum, brevissimum omnium, ac veri nominis fragmentum, his verbis constat : « Symbolum est commonitorium fidei, et sancta confessio, quæ communiter ab omnibus tenetur et discitur. » Hæc verba porro in *Explanatione Symboli* non habentur ; et verba sunt, ut videtur, quibus Symboli notio ingeritur iis ad quos primo de Symbolo sermo sit. Quidni hæc dicta fuerint a Niceta in Symboli *traditione* ; et ita alium scripserit libellum ad competentes, in traditione Symboli, qui similiter Gennadio notus non fuerit ? Fragmentum hoc in codice Vindobonensi signatur quidem Nicetæ nomine in libro ad competentes, sed libri numerus non indicatur. Fragmentum demum sextum, itidem vere fragmentum, ac breve quoque, est quædam exorcismorum enuntiatio, sane concinna, et ad exorcismorum **209** rationem generatim reddendam accommodata, sed quæ dicta cursim videtur in sermone qui plura alia complecteretur, ideoque probabiliter in libello Nicetæ primo *ad competentes*, *Præparatorio* a Trithemio nuncupato, prout etiam in codice notatur. Atque hæc de Nicetæ fragmentis, seu reliquiis satis.

Stylus nunc opusculorum Nicetæ nostri dignus est qui perpendatur ; de hoc enim non siluerunt veteres, qui Nicetæ meminerunt. « Composuit simplici ac nitido sermone, ait Gennadius, competentibus ad baptismum instructionis libellos sex. » Idem repetit Honorius Augustodunensis. Duo nostri Gennadiani codices habent, *simplici et mundo sermone*. Trithemius paulo latius ita scribit : « Niceas... vir in divinis Scripturis studiosus et eruditus, ingenio acutus, sermone apertus et nitidus, scripsit, etc. » Cassiodorius quoque, qui, uti superius vidimus, unum ex his Nicetæ libellis commemorat, librum nempe *de Fide* ; eumdem commendat ob *doctrinæ cœlestis claritatem* quam continebat, et ob *compendiosam brevitatem* qua erat exaratus. His testimoniis veterum præcedentibus de Nicetæ stylo, jam quatuor in ejusdem opusculiis admiramur quæ ad stylum spectant, aut quæ ad stylum proxime referuntur ; sermonis nempe simplicitatem atque nitorem, Scripturarum eruditionem, ingenii aciem, compendiosam in scribendo brevitatem.

Sermonis simplicitas atque nitor satis elucent ex ipsa opusculorum, quæ supersunt, lectione, necnon et fragmentorum ; maxime vero ex lectione fragmenti tertii, quod est cæteris, sicuti prolixius, ita et luculentius. Etsi autem aliqua sit elocutionis diversitas inter opusculum *de Symbolo* et aliud *ad lapsam Virginem*, prout diversa argumenti ratio postulabat, ut latius capite primo dictum fuit ; stylus idem nihilominus apparet, utrobique simplex, utrobique nitidus ac mundus, ut suavitatem quamdam redoleat, et peculiarem quidem, quæ Nicetæ nostri stylum a cæteris illius temporis scriptoribus ita distinguit, ut cum nullo prorsus plene atque exacte comparari queat. Cum absque certo auctoris nomine vagaretur superiori ætate libellus Nicetæ nostri *ad lapsam Virginem*, fuit quædam etiam styli propinquitas quæ eumdem aliquando veluti copulavit Operibus divi Hieronymi ac divi Augustini : at non diu latuit manifesta diversitas, qua factum fuit, ut neutrius omnino esse crederetur ; ac proinde ut illum Hieronymianorum Operum editores, critices demum regulis suadentibus, collocarent inter supposititia, editores vero Augustiniani nullum illi locum in editionibus divi Augustini concederent. Ipsi quoque editores Operum divi Ambrosii, qui libellum eumdem genuinis fetibus sancti Mediolanensis præsulis inseruerunt, utpote tanto præsule dignum, non diffitentur stylum libelli hujus non plane conformem esse stylo cæterarum Ambrosii lucubrationum. « Quæ cum ita sint (inquiunt in admonitione prævia ad hunc libellum), nihil jam contra Ambrosium pugnare potest excepto stylo. Licet enim hujusce operis elocutio quibusdam non multum videatur differre ab Ambrosiana ; fatendum tamen est sanctum præsulem, etiam ubi orationem adhibet maxime concitatam, minus densis ac brevibus incisis uti. » Si hanc styli diversitatem inter hunc libellum ac cæteros Ambrosii indubios fetus ipsi Ambrosianorum Operum editores agnoscere coacti sunt, licet eorum esset scopus libellum hunc Ambrosio adjudicare ; magis agnovissent ex libello altero de *Symbolo* si notus ipsis fuisset : stylus enim alicujus melius ac clarius agnoscitur in pacata et simplici oratione, ubi is naturaliter disserit, et eloquio utitur **210** sibi familiari ; quam in oratione concitata, ubi stylus ipse quamdam induit veluti necessario ex dissentis animo turbationem. Stylus itaque Nicetæ nostri, *simplex ac nitidus* non immerito a Gennadio appellatus, stylus sui generis est, qui faciem quamdam suam propriam gerit, qua a cæteris scriptoribus facillime distinguatur, maxime vero a tribus illis majoribus inter Latinos Patres, Hieronymo, Ambrosio et Augustino ; quibus nihilominus attributum aliquando fuisse, etsi per errorem, jure gaudemus.

Ad stylum proxime pertinet eruditio Scripturarum. Hæc porro quam late patet in duobus, qui supersunt, Nicetæ libellis ; qui Scripturarum sensibus ac verbis concinne adhibitis, apteque insertis, undique scatent ! Ingenii acies elucet quoque, ac præcipue in libello *ad lapsam Virginem ;* ubi tanta, et tam apta congerit pœnitudinis argumenta, ut lapsæ animum adigat ad culpæ detestationem, et ad pœnitentiæ labores suscipiendos. Compendiosa denique brevitas Nicetæ stylum distinguit ; quæ procul dubio refertur ad eos quos scripsit libellos ad institutionem competentium, qui prolixo sermone non erant fatigandi. De compendiosa brevitate libelli *de Fide* testem habemus Cassiodorium, cujus verba supra retulimus : compendiosam brevitatem in latissimo Symboli argumento nos ipsi conspicimus in illius *Symboli Explanatione ;* et ita quoque, ut eamdem compendiosam brevitatem in reliquis ad *competentes* opuculis rectissime conjiciamus. Libellus *ad lapsam Virginem* fusiori utitur oratione, atque uberiori eloquentia, prout res exigebat : quod argumento est Nicetam nostrum non in uno tantum elocutionis genere valuisse ; immo eo donatum ingenio fuisse, quo eloquentiores Ecclesiæ Patres, ut dicendi rationem, tum audientium captui, tum rei quam ageret, tum tempori quo disserebat, aptissime accommodaret.

Post opusculorum Nicetæ fragmentorumque recensionem, nec non et post styli ipsius indolem indagatam, non inopportune quæri posset, quo tempore aut loco scripta fuerint a sancto Aquileiensi Niceta indicata opuscula ; num scilicet ante Attilanum

Aquileiæ excidium, an post; num Aquileiæ, an in portu Romatino? Distinguamus primum oportet Nicetæ libellos quos scripsit ad competentes, ab eo quem condidit *ad Virginem lapsam*; dum enim libelli hujus causa fuit peculiaris occasio illius lapsæ virginis objurgandæ, quæ probabiliter semel tantum in toto Nicetæ triginta annorum episcopali regimine locum habuit, originem illi habuerunt ex consueto episcopali munere instituendi quotannis appositis sermonibus, appropinquante paschali solemnitate, competentes ad baptismum, qui passim tunc temporis et ex gentilitate, et ex Judaismo, et ex Christianis etiam parentibus in adulta ætate veniebant. Horum porro opusculorum Nicetæ ad competentes ortum, si vel primis assignemus Nicetæ episcopatus annis, rem dicimus valde consonam veritati, valdeque Nicetæ episcopali zelo convenientem, qui certe pastorale munus a competentium etiam institutione adoriri debuit.

Quinam vero habendi sunt primi Nicetæ episcopatus anni? Jam eruimus conjecturis ex Ecclesiæ etiam Aquileiensis monumentis petitis, Nicetam nostrum, antequam ad episcopalem Aquileiensem sedem conscenderet, unum fortasse fuisse ex auxiliaribus Ecclesiæ Aquileiensis episcopis, qui ad portum Romatinum sederet, ibique vicarias ageret Aquileiensis episcopi partes in amplissimæ diœcesis regimine, antequam peculiaris episcopatus Concordiensis atque etiam Caprulanus exsurgerent; unde Romatianæ civitatis episcopus **211** vulgo dici potuit, et ita etiam a Gennadio appellari. Quidni igitur vel tunc, ideoque in portu Romatino, ac probabilius etiam ante Attilanum Aquileiæ excidium, scripserit Nicetas sex instructionis libellos competentibus ad baptismum? At si res quidem ita se habuit, terminus nihilominus figendus videtur, seu temporis epocha statuenda, ante quam libellus saltem Nicetæ quintus *de Symbolo* ortum habuisse non potuit. Vidimus scilicet libellum Nicetæ quintum *de Symbolo*, et aperte meminisse hæresis Eutychianæ, et eamdem quoque insectatum fusse ipsissimis a divo Leone Magno adhibitis rationum momentis, necnon et pene verbis ipsis, in celebri sua ad Flavianum epistola, quæ communi eruditorum calculo data fuit anno 449. Non igitur ante annum eumdem 449 scribi potuit a Niceta nostro libellus saltem quintus *de Symbolo*, si eumdem scripsit ante Attilanum urbis excidium, et si in portu Romatino positus, ubi auxiliaris episcopi munus egerit Aquileiensis Ecclesiæ; nisi potius dicamus, post evulgatam sancti Leonis Magni ad Flavianum epistolam, Nicetam inseruisse libello suo quinto *de Symbolo*, a se jam pridem confecto, ea quæ ad novam hæresim ex eadem epistola confodiendam spectarent.

Quid vero si Nicetas noster, ante capessitum Aquileiensis Ecclesiæ episcopatum, episcopus nullatenus sederit in portu Romatino pro antecessore, seu antecessoribus episcopis Aquileiensibus? Tunc Nicetas episcopatum inivit Aquileiensem biennio tantum post urbis excidium, anno scilicet 454, ideoque antequam Aquileia caput aliquo modo efferre potuerit e propriis ruinis, ac probabiliter antequam e barbarorum captivitate reduces adessent Aquileienses cives, de quibus sanctus Leo Magnus in epistola ad eumdem Nicetam anno 458, de qua superius dictum fuit. Primis igitur Aquileiensis episcopatus Nicetæ annis, post Aquileiæ excidium, et post annum 454, referendi tunc sunt sex illius ad competentes instructionis libelli: de quibus nihilominus adhuc incertum, num Aquileiæ habiti fuerint, an alibi, et in novo maxime Romatino portu, seu potius civitate Romatiana, quæ jam e Concordiæ portusque veteris Romatini ruinis, utriusque incolis ibidem affluentibus, sufficienter adoleverit; et ubi Nicetas primis episcopatus sui annis, Aquileia adhuc jacente, frequentius commoratus fuerit, unde quoque Romatianæ civitatis episcopus dici potuit.

In tanta rerum incertitudine, non incongruum erit nonnihil hic data opera attingere (quod superius quoque semel atque iterum pro re nata obiter ex parte aliqua factum fuit) de Aquileiæ urbis statu post ejusdem excidium, et toto eo triginta annorum spatio, quo Nicetas vixit episcopus. Quidquid igitur Aquileia capta, crudelissimus egerit Hunnorum rex ferro atque igne, cædibus ac ruinis; non ita tamen in eam sævitum umquam arbitrarer, ut urbem munitissimam, amplissimam, ac populosissimam, qualem historici veteres Aquileiam describunt, publicis privatisque ædificiis solidissimis instructam atque confertam, prout post tot sæcula rudera ipsius quæ adhuc effodiuntur ostendunt, solo penitus æquaverit, et inhabitabilem omnino reddiderit. Hoc nimirum immensi erat operis ac laboris, quibus etiamsi sufficere fortasse potuisset immensus pariter barbarorum exercitus, sufficere illum non sinebat ea prædandi progrediendique cupido, qua in alias quoque Venetiæ atque Æmiliæ civitates præceps ferebatur, quibusque exitium similiter intulit eodem ipso anno 452. Quapropter combustam licet eversamque dixerimus Aquileiam **212** ex Attilana feritate, atque civibus vacuam, qui partim necati fuerint, partim in captivitatem abducti, partim fuga dispersi; non eam tamen ita prostratam dejectamque intelligamus, ut mox, Barbaris ex Italia eodem ipso labente anno egressis, civium plures e fuga reduces illam iterum incolere aliqua saltem ex parte non potuerint, eamdemque non multo post aliquo etiam modo instaurare, illis quoque adjuvantibus qui, Attila insequenti anno e vivis sublato, fractoque inde Hunnorum imperio, incolumes demum ad patrias sedes e captivitate remearunt.

Aquileiæ fatum veteres historici descripserunt, non ea tamen narrationis consensione, ut disputandi conjectandique locum posteris non reliquerint. Muratorius, in Annalibus Italiæ ad annum 452, historica monumenta affert nonnulla de Aquileiæ excidio; plura vero clarissimus De Rubeis in dissertationibus Variæ Eruditionis, capite 20, num. 3, ubi peculiariter, et ad rem nostram apposite inquirit, *quo in loco Nicetam inviserit Adeodatus* Romanæ Ecclesiæ diaconus, de quo in præcitata divi Leonis papæ ad Nicetam epistola; et an illum inviserit *Aquileiæ, quæ sex annorum spatio post cladem Attilanam instaurata fuerit?* Muratorii sententia est, Aquileiam reipsa tunc, saltem ex parte, restauratam fuisse; alias vero aliis temporibus passam fuisse ruinas, e quibus demum emergere non potuit. De Rubeis vero, post allatas historicorum auctoritates, ad eam tandem, quam ultimo loco affert, Liutprandi Ticinensis diaconi ac postea episcopi Cremonensis, qui sæculo decimo scripsit, et *funditus dissipatam a rege Attila Aquileiam* asseruit, nec *ulterius elevatam*; id eo sensu a Liutprando dictum fuisse ait, non quod reapse numquam Aquileia post Attilanam cladem *elevata* fuerit, sed « quod nempe ad primam redierit numquam magnitudinem, neque ita potuerit instaurari, ut cum aliis reparatis civitatibus conferri posset, ac in Venetia provincia caput erigere. » Instaurata itaque recte censeri potest Aquileia post Attilanam cladem, ac denuo a propriis etiam civibus ruina elapsis habitata. Hoc tamen nec tam subito fieri potuit, viribus deficientibus simul atque operibus, neque tanta celeritate, ut temporis spatium aliquod, et satis quidem diutinum, non intercesserit ab excidio ipso ad eam quamcumque instaurationem, qua merito diceretur ex priori solitudinis atque excidii statu egressa.

Quid igitur tam verosimile, quam ut Nicetas primis episcopatus sui annis vix Aquileiæ sederit, et alibi potius, ac maxime in civitate Romatiana, frequentius fuerit? Si hæc conjectandi ratio non improbatur, certe, quod attinet ad Nicetæ libellos sex ad competentes, eos facilius dixeri us in civitate Romatiana ortum habuisse quam Aquileiæ, ubi probabiliter, Niceta ad episcopatum assumpto, et sacræ adhuc ædes reparandæ erant, et alia Ecclesiæ ædificia, ut episcopium, clericorum domicilia, monasterium virorum,

ac monasterium etiam sacrarum virginum, quæ omnia commune urbis fatum, biennio ante, proculdubio non effugerunt; et pro quibus reparandis, non modo prona voluntas, impendia et operæ, sed tempus etiam sufficiens requirebatur.

Aliter nunc dicendum de libello *ad Virginem lapsam*. Licet sacrarum virginum institutum ab ipsis Ecclesiæ incunabulis effloruerit, ut unaquæque diœcesis parumper exculta et Christianæ perfectionis imbuta principiis, agmina earumdem numerare potuerit ad singularem religionis nostræ gloriam, nondum tamen plura erant condita Asceteria iisdem omnibus una simul continendis; et ut plurimum **213** unum erat tantummodo sub unoquoque episcopo, in præcipuo suæ diœcesis loco, ubi ipse frequentius adesse consueverat; dum interim cæteræ aut in propriis domibus viverent, aut in privatis ædibus simul quidem, at privatim quoque collectæ. Monasterium sacrarum virginum in Aquileiensi celeberrima Ecclesia, et in ipsa Aquileiensi urbe, immo in media civitate jamdiu exstitisse, abunde superius conjiciebamus in mantissa ad caput quartum, ubi multa de hac re; et ubi etiam notabamus, quod etiamsi in Attilano excidio monasterium sacrarum virginum Aquileiæ situm communem jacturam probabiliter pertulerit, non longe post reparari potuit, et ita etiam, ut prior in omnibus revivisceret disciplina, qualis in libello *ad lapsam Virginem* splendidissime effulget. Libellum itaque Nicetæ nostri, seu potius sermonem objurgationis *ad lapsam Virginem*, Aquileiæ ortum dictumque verisimiliter existimamus : immo, ut aliquid etiam de tempore addamus quo probabilius habitus fuit, hunc ad postremos potius Nicetæ episcopatus annos pertinere libenter dixerimus; cum demum, ex Nicetæ ipsius pastorali sollicitudine, omnia aut pene omnia quæ ad Ecclesiam spectarent, ad fidelium conventus, ad liturgiæ ordinem ac decorem, ad festorum solemnitatem, et alia hujusmodi quæ ibidem memorantur, ita essent in statum pristinum restituta, ut florentissimæ Ecclesiæ speciem præberent, et ut vix in hac parte Attilani excidii memoria ibidem amplius remaneret, cujus reapse ne minimum quidem indicium in tota illa lucubratione apparet.

Verum Nicetas, qui triginta annorum spatio Aquileiensem rexit Ecclesiam, nihil ne aliud elucubravit præter septem illa opuscula a Gennadio memorata, ejusque exscriptoribus Honorio ac Trithemio, et de quibus hactenus disseruimus? Hoc quoque inquisitione aliqua non indignum existimamus, ut quæ ad Nicetam nostrum spectant, omnia, quoad fieri potest, investigemus. Quæ Trithemius habet de Niceta Romatianæ urbis episcopo in suo de Scriptoribus Ecclesiasticis libro, num. 118, superius nos retulimus ex Bibliotheca Ecclesiastica Joannis Alberti Fabricii Hamburgi edita 1718; ubi septem illa tantummodo Nicetæ opuscula referuntur, ad instar Gennadii atque Honorii : at in editione anteriori Operum ejusdem Trithemii ex Bibliotheca Marquardi Freheri, Francofurti, typis Wechelianis anno 1601, in-folio, post ultimum Nicetæ opusculum *ad Virginem lapsam*, hæc statim verba leguntur : *Et quædam alia;* ita ut ex eodem Trithemio intelligamus, alia quoque scripsisse Nicetam præter illa septem memorata opuscula, quorum titulos dederat. Cujusnam auctoritatis censenda sit hæc Trithemiana editio, quæ allatis verbis hoc loco abundat, et Nicetam nobis exhibet aliorum etiam opusculorum auctorem, non ausim dicere : quamquam et ipsa Trithemii superior enuntiatio, quæ eadem est in utraque editione, scilicet, *Scripsit ad ædificationem legentium non contemnendæ lectionis opuscula, de quibus subjecta feruntur;* satis innuit existimasse profecto Trithemium alia quoque scripsisse Nicetam præter ea quæ ex Gennadio et Honorio tunc ipse subjiciebat. Addam vero, etiam in Martyrologio Romano Petri Galesinii, Mediolani typis impresso anno 1578, Nicetam nostrum indicari hoc elogio : « In Romatiana civitate sancti Niceæ episcopi et confessoris, qui *multis libris conscriptis*, ac vita religiose acta, sanctimoniæ et doctrinæ laude florens, abiit ad Dominum. » Si multos itaque Nicetas libros conscripsit, probabiliter alios scripsisse dicendus est supra septem a Genadio **214** aliisque memoratos.

Et sane in superius citata epistola Henrici clerici Pomposiani monasterii ex Diario Italico clarissimi Montfauconii, seu in librorum Catalogo ejusdem monasterii qui eidem epistolæ annectitur, ubi, pag. 84, indicatur liber *Nicetæ episcopi de Ratione Fidei*, qui certe idem esse videtur ac libellus Nicetæ tertius *de Fide unicæ Majestatis*, de quo antea suo loco dictum fuit; in hoc librorum Pomposianorum Catalogo, post indicatum *Nicetæ episcopi de Ratione Fidei librum unum*, continuo subjungitur : « Ejusdem (*Nicetæ* scilicet *episcopi*), de Spiritus sancti Potentia *librum* I. Ejusdem, de Diversis Appellationibus Domino nostro Jesu Christo convenientibus. » Ipsius igitur Nicetæ nostri Aquileiensis ecce probabiliter opuscula alia duo, a Gennadio et Honorio non memorata; quæ undecimo labente sæculo servabantur in instructissima bibliotheca Pomposiani monasterii, una cum ejusdem libello *de Fide unicæ Majestatis*, et uno eodemque compacta volumine; quæque postea fortasse una cum illo penitus interierunt, cum nullibi, quod sciam, eorum mentio inveniatur, nec ulla hujusmodi in Veterum monumentorum collectionibus aut in sanctorum Patrum appendicibus exstet elucubratio, quæ vere Nicetam nostrum referat auctorem. Quidni et ad competentium institutionem hæc duo quoque Nicetæ opuscula pertinuerint; seu potius ad institutionem neophytorum post baptismum, quibus penitiora Christianæ religionis explicabantur, eisdem antea non commissa?

Joannes Albertus Fabricius in sua Bibliotheca Græca, tomo VI, pag. 430 primæ editionis scribit, quod « in Bibliotheca nova Manuscriptorum Labbei pag. 27 memorantur *sancti Nicetæ Dacorum episcopi, de quo sæpe Paulinus Nolanus, et Martyrologium Romanum ad diem 7 Januarii, tractatus duo; primus* de Vigiliis servorum Dei, *alter* de Bono Psalmodiæ, *ex codicibus Vaticanis*, et *ex bibliotheca sancti Maximi Taurinensis.* » At invenerit quidem Labbeus inter codices Vaticanos et in bibliotheca sancti Maximi Taurinensis sub Nicetæ episcopi nomine hosce Tractatus duos : quis illum certum reddidit ad Nicetam Dacum pertinere, *de quo sæpe Paulinus Nolanus, et Martyrologium Romanum ad diem 7 Januarii?* Dacum proculdubio pronuntiavit Labbeus Nicetam auctorem duorum horumce tractatuum ex præconcepta opinione, quæ tunc omnium pene erat eruditorum contra Baronium; quod Nicetas ille Dacus, sancti Paulini Nolani amicus, et in Martyrologio Romano ad diem septimam Januarii positus, idem esset ac Nicetas Romatianæ civitatis episcopus a Gennadio primum, deinde et ab Honorio ac Trithemio nominatus; et quod Nicetas Aquileiensis alius omnino a Niceta Gennadiano esset, neque alicujus operis auctor haberetur. Horum nihilominus duorum tractatuum nequaquam dixerim auctorem esse Nicetam nostrum Aquileiensem. Binos nimirum hos tractatus, *de Vigiliis servorum Dei*, ac *de Bono Psalmodiæ*, non sub Nicetæ, sed sub *Nicetii* episcopi nomine, ex codice manuscripto San-Germanensi erutos, vulgavit Dacherius Spicilegii tomo III primæ editionis, et tomo I, pag. 221 editionis secundæ in-folio; eosque in monito quod eisdem præmisit, optimis sane conjecturis, tribuit sancto Nicetio episcopo Trevirensi, qui medio circiter sexto sæculo floruit, et prius abbas fuerat cujusdam monasterii, ubi eumdem putat hos tractatus habuisse ad fratres suos instituendos *de Vigiliis et Psallendi Modo*. Quidquid interim sit de conjecturis ac de opinione Dacherii : hi duo tractatus, qui cæteroquin **215** virum doctum et in divinis Scripturis eruditum, multoque pietatis ac devotionis affectu ferventem, suum auctorem ostendunt, nequaquam fe-

tus sunt Nicetæ nostri Aquileiensis, uti vel maxime ex stylo nunc ejusdem sæculis noto cognoscere certissime possumus. Hæc vero dicere Nicetæ nomen nos compulit, impositum titulis duorum horumce opusculorum in Labbei Bibliotheca nova Manuscriptorum : cæterum, non quæ non scripsit, sed potius quæ scripsisse Nicetam nostrum Aquileiensem existimamus, ultra septem libellos a Gennadio aliisque memoratos, inquisitionis hujus nostræ scopus et ratio sunt.

Cur non itaque, præter memoratos e Pomposiani quondam monasterii bibliotheca libros, *de Spiritus sancti Potentia*, ac *de Diversis Appellationibus Domino nostro Jesu Christo convenientibus*, alia quoque elucubraverit Nicetas Aquileiensis triginta annorum spatio, quo Aquileiensem tenuit episcopatum, in maxima rerum ac temporum difficultate, post *bellicam cladem*, cum removenda essent mala quæ *hostilitas* intulerat, et *illata vulnera religionis ratione sananda*, ut sanctus Leo pontifex maximus in notissima sua decretali epistola ad eumdem scribebat? Consultationes propterea, quas Adeodatus Romanæ Ecclesiæ diaconus, Nicetæ Aquileiensis nomine, ad apostolicam sedem attulerat, Nicetas ipse scripto aliquo exaravit, etsi fortasse non epistolari modo, ut capite septimo contra Zabeum conjectavimus. Scripsit quoque proculdubio et ad episcopos suos comprovinciales, cum jussu ipsius sancti papæ Leonis ad eosdem direxit decretalem illius epistolam super consultationibus suis. Cur non et tractatus habuerit ad Aquileiensem populum peculiares super *conjugiis*, ad normam *acceptæ ab apostolica sede auctoritatis*, ut ad priores viros facilius redirent mulieres quæ aliis nupserant, dum illos crederent in captivitate peremptos? Cur non, et super aliis rerum capitibus ejusdem epistolæ decretalis, exhortationes habuerit opportunas, dum medicas manus curandis suorum morbis afferre satagebat? Stylus ipse opusculorum Nicetæ, quæ supersunt, abunde in eodem ostendit et scribendi facilitatem, et copiam in dicendo, et multam in Scripturis eruditionem, et zelum domus Dei vehementem ; ut inde non invite inferamus alia quoque, et quidem non pauca, triginta annorum spatio scripsisse Nicetam, quæ Gennadio aliisque exscriptoribus ejus non innotuerunt, quæque temporis injuria perierunt.

Præterquam quod ex eisdem sex, quos novimus, competentibus ad baptismum instructionis libellis, non ægre conjicimus alios quoque ad eorum similiter instructionem eumdem scripsisse, prout illorum temporum disciplinæ ratio postulabat. Cum *Explanatio Symboli*, quam habemus, dicta fuerit, ut superius vidimus, in Symboli redditione; non omiserit certe Nicetas sermonem alium præmisisse etiam in Symboli traditione, ad quem fortasse spectat fragmentum Quintum Vindobonense, uti suo loco innuimus. Cum orationis Dominicæ recitatio inculcetur in fragmento seu reliquio quarto, ex Nicetæ sensibus; quidni et opusculum seu libellum ipse exaraverit ad competentes de orationis Dominicæ explanatione, prout moris erat, seu cum competentibus traderetur, seu cum a competentibus, sicut Symbolum fidei, stato tempore redderetur? Post baptismum similiter, ad infantes seu neophytos, alia probabiliter exaravit Nicetas ad plenam divinis mysteriis instructionem, quæ ante baptismum non tradebatur, ut puta de baptismi ipsius ritibus ac de confirmationis et eucharistiæ sacramentis; et hoc pro illius temporis disciplina, et celebriorum **216** Ecclesiæ Patrum exemplo, Ambrosii, Augustini, Cyrilli Hierosolymitani, aliorumque, quorum super hac ipsa re jam antea meminimus. Quid vero ex libello *ad Virginem lapsam*? Testatur ipse Nicetas in hoc libello num. 19, *allocutionem* se habuisse ad Virginem illam ea die solemni qua virginitatis velum acceperat. Testatur, num. 28, ex *pastorali* officio suo, se illi et cæteris aliis non defuisse, *commonitione sancta;* id est sermonibus, ut videtur, ad virgines habitis ex professo. Testatur denique et sequenti numero 29, se *hymnum virginitatis exposuisse;* quo fortasse nomine homiliæ intelligi possunt in aliquem psalmum qui de virginitate esset ac probabiliter in quadragesimum quartum, unde sponsarum Christi dignitas emicat. Quanta itaque non invite inferimus elucubrasse Nicetam Aquileiensem, ultra septem a Gennadio memoratos libellos, illo triginta annorum spatio quo Aquileiensem rexit Ecclesiam!

Restat nunc ad hujus capitis complementum, ut de sanctitate Nicetæ episcopi Aquileiensis, ac de ejusdem cultu, tum in Ecclesia generatim, tum apud Aquileienses dicamus. Primo autem loco non est hic prætermittenda clarissimi Muratorii in Annalibus Italiæ ad annum 401 parum certe meditata animadversio super sanctorum titulo, quoad Aquileienses priorum sæculorum episcopos, dum obitum indicaret sancti Romani pontificis Anastasii, cujus in veteribus Catalogis mentio est cum sancti titulo, ut ipse ait; et cujus profecto etiam in Martyrologio Romano memoria recolitur ad diem 27 Aprilis, nec non et festum eodem die Romæ celebratur cum lectionibus propriis in patriarchalibus basilicis Vaticana, Lateranensi, atque Liberiana, ut constat ex earumdem basilicarum propriis sanctorum. Sanctorum titulo donabantur, inquit ille, etiam viventes illorum temporum episcopi, prout etiam nunc Romani pontifices; et ideo sanctos appellatos novimus omnes priorum sæculorum Romanos pontifices, sicuti etiam episcopos Mediolanenses, Ravennates, Aquileienses, Veronenses, etc.; quin tamen hic titulus haberi debeat veluti absolutum eorumdem sanctitatis argumentum, quod comparari valeat cum iis quæ posteriori ævo pro sanctorum canonizatione decreta fuerunt. Suggillare hic voluisse videtur clarissimus vir nimiam quamdam in memoratis Ecclesiis facilitatem colendi sanctorum titulo omnes aut pene omnes veteres suos episcopos, ex eo quod in veteribus monumentis eorum nomina sancti titulo ornata conspicerentur.

Quidquid vero sit de aliis quas nominat Ecclesiis, de quibus hic singillatim dicere non est locus; quod ad nos attinet, non erat quidem cur in earum numero hac de causa Aquileiensem Ecclesiam collocaret. Præter Aquileienses episcopos martyrii gloria coronatos, quorum duo tantum aut tres nobis innotescunt, quibusque cultus hac etiam una ratione cum sanctitatis titulo jure debetur; quotnam sunt cæteri, qui licet viventes sancti titulo decorati fortasse fuissent pro illorum temporum more, sanctitatis cultum inde postea obtinuerint? Quinque priora sæcula integra excurrimus, et tres tantummodo Aquileienses episcopos non martyres sanctitatis titulo cultos novimus, Valerianum videlicet, Chromatium, atque Nicetam de quo agimus; ut propterea Aquileiensis Ecclesia inter eas potius numerari a Muratorio debuisset, quæ non sine magno delectu ac parcitate episcopis suis et sancti proprie dicti titulum, et sanctitatis cultum a primis usque temporibus tributum voluerint. Inter Aquileienses episcopos quinti sæculi adest Augustinus, sancti Chromatii successor, **217** qui vivens sancti et sanctitatis titulo decoratus cernitur in eo Fidei libello qui eidem a quibusdam Pelagii sectatoribus oblatus fuit, et in appendicibus Augustinianis locum habet; quod unicum restat hujus rei monumentum, quantum ad illum attinet; quodque nihilominus satis est, ut Augustinum eumdem sancti titulo, pro illius ævi consuetudine, communiter decoratum fuisse intelligamus. Hujus tamen Augustini episcopi nullus omnino unquam cultus apud Aquileienses. Adelphus quoque, seu Delphinus, Augustini in eadem sede successor, eximiis laudibus, etiam quoad vitæ meritum et pastorale officium, cumulatissime celebratus fuit, non a quolibet de trivio, neque fortuito, sed a viro sanctissimo atque doctissimo Petro Chrysologo Ravennatensi episcopo, in concione habita ex professo eodem præsente, quæ sermonem constituit 136, in novissima ejus Operum editione; et ubi *Adelphi antistitis sanctus animus*, ac *beatus plane animus* prædicatur, nec non et *Hominis Dei* præconio idem commendatur. Num-

quam tamen Adelphus apud Aquileienses sancti proprie dicti titulum et honorem obtinuit. Quid vero de sæculis quinto posterioribus? Duo tantum post Nicetam ad nostra usque tempora Aquileienses episcopi, seu patriarchæ, ut mos subinde invaluit eos appellandi, sanctitatis titulo et honore aucti fuerunt; sanctus nempe Paulinus qui Caroli Magni tempore floruit, et beatus Bertrandus qui medio sæculo quartodecimo Aquileiensem Ecclesiam illustravit; ita ut, exceptis martyribus, quinque demum Aquileienses episcopi inveniantur qui sanctitatis cultum obtinuerint, ab apostolico, ut perhibetur, illius Ecclesiæ exordio ad nostra usque tempora. Quænam aliarum Ecclesiarum, quas Muratorius memoravit aut memorare potuisset, non ampliori suorum sanctorum episcoporum numero gloriatur? A sua igitur censura, quæcumque illa demum sit, excludere debuisset Muratorius Aquileiensem Ecclesiam, quæ certe in episcopis suis sanctorum titulo cultuque decorandis nimium liberalis non fuit.

His præmissis, pro rei veritate in apricum ponenda super sanctis episcopis Aquileiensis Ecclesiæ; ecce ad Nicetæ nostri sanctitatem cultumque descendimus. Romatianæ civitatis episcopum Niceam seu Nicetam a Gennadio memoratum, jam abunde probavimus suo loco, et non esse Nicetam Dacum sancti Paulini Nolani amicum, et esse reipsa Nicetam nostrum Aquileiensem qui sancti Leonis Magni tempore floruit, et ad quem ejusdem exstat decretalis epistola. Satis itaque constat jam nunc de Nicetæ hujus Aquileiensis sanctitate, cum reapse ad Aquileiensem hunc spectent quæcumque tum scriptores antiqui, tum Martyrologia de Romatiano Niceta hactenus prædicarunt. Ad sanctitatem vero alicujus ex veteribus Dei servis probandam, quis nesciat plurimum sane facere vetusta Martyrologia, quæ eorum cum laude meminerint; ubi maxime nihil adversus eos aut veterum memoriæ habeant, aut fama loquatur? Hujusmodi vetera Martyrologia, quantum ad Dei servos qui locum in illis habent, quædam sunt maximi ponderis testimonia, quæ fidem faciunt sanctæ opinionis in qua erant viri illi eo tempore quo Martyrologiis inscripti fuerunt, nec dubitare sinunt rite ac recte pro illorum temporum more opinionem illam invaluisse, et propagatam in Ecclesia fuisse; quidquid interim esse possit de aliqua, seu in pronuntiatione nominis differentia, seu in loci enuntiatione, quæ facile pro regionum, temporum ac scriptorum diversitate evenire solet, quæque rei substantiam et personam minime afficit. In testimoniis porro quæ de **218** Niceta Romatiano, id est de Aquileiensi nostro, ut asserere libere possumus, in fronte hujus voluminis retulimus, non minus quam duodeviginti sunt ex variis Occidentalis Ecclesiæ Martyrologiis, variisque eorumdem potioribus editionibus petita, quorum veluti agmen ducit testimonium peculiare ex Martyrologii vetusto codice ms., quod ex Notkero et Usuardo conflatum perhibetur, fuitque olim in usu apud monachos Mosacenses, diœcesis Aquileiensis; et in quibus omnibus ad diem x kal. Julii ejusdem Nicetæ mentio fit, ac fere semper cum beati, aut sancti, aut sanctæ memoriæ titulo, nec non et cum peculiari aliquo sanctitatis elogio, prout in postremis habetur, ac singillatim in eo quod nunc in Occidentali Ecclesia communis est usus, quodque, post recognitiones Gregorii XIII, Urbani VIII, ac Innocentii XI, præstantissimam gerit auctoritatem doctissimi æque ac eruditissimi Benedicti papæ XIV, cujus opera auctum prodiit et castigatum.

Quandonam vero locum in Martyrologiis obtinuisse Nicetas dicendus est? Arduam rem attingo, disputatuque difficilem; in qua nihilominus conandum aliquid conjecturis arbitror, etsi fortasse nihil inde certi perspectique secuturum sit. Martyrologium omnium vetustissimum communi eruditorum calculo illud certe habetur quod divo Hieronymo tributum fuit, cujusque exemplaria duo aut tria ex variis variæque antiquitatis codicibus prodierunt. Edmundus Martenius ejusque socius Durandus, anno 1717, tomo III Thesauri novi Anecdotorum col. 1547, ex ms. codice monasterii Sancti Germani Autissiodorensis vulgarunt *Martyrologium vetus ab annis circiter mille sub nomine sancti Hieronymi compactum*, ut in ejusdem titulo habetur: in quo tamen nulla Nicetæ nostri mentio, neque ad diem x kal. Julii, neque alibi. *Vetustissimum* aliud *Hieronymi presbyteri nomine insignitum, et abhinc circiter annos sexcentos scriptum*, ut tunc aiebat, ante Martenium et Durandum vulgaverat Dacherius anno 1661, ex ms. codice monasterii Corbeiensis, tomo IV, pag. 517 Spicilegii sui antiquæ editionis, quod in editione altera in-folio exstat tomo II pag. 1, quodque Vallarsius in sua divi Hieronymi Operum præclarissima editione inseruit tomo XI, pag. 475: atque in hoc ad x kal. Julii Nicetæ nostri mentio legitur hoc modo: « Depositio sanctæ memoriæ Niceti episcopi. » Franciscus Maria Florentinius aliud ex aliis, et antiquissimis, et *probatæ fidei codicibus* Italicis decimi aut undecimi sæculi (sed quorum exemplar multo etiam antiquius fuisset, ut ipse affirmat in sexta sua admonitione prævia) edidit anno 1668, *vetustius Occidentalis Ecclesiæ Martyrologium divo Hieronymo tributum, quod nuncupandum esse Romanum a Magno Gregorio descriptum, ab Adone laudatum, proximioribus sæculis præteritum et expetitum, non leviora argumenta suadere* asserit: et in hoc ad diem pariter x kal. Julii ita Nicetæ nostri mentio habetur: « Depositio sanctæ memoriæ Nicei episcopi. »

Quod hic prima fronte animadversione aliqua non indignum videtur, illa est Nicetæ episcopi enuntiatio in his vetustioribus Martyrologiis, non indicato loco cujus esset episcopus; et hoc contra ac postea fecerunt Ado, Notkerus, atque Usuardus, aliique qui ex his martyrologia sua concinnarunt, ubi semper aut fere semper Nicetas hic aut Romatianæ civitatis, aut Romatianæ urbis, aut Romanæ urbis, aut Romatianensis episcopus enuntiatur, ut ex allatis in fronte hujus libri Martyrologiorum testimoniis apparet. Quidni Aquileiensem reipsa absolute ac proprie **219** enuntiare voluerint, nulla Romatianæ civitatis habita ratione, primi illi Hieronymiani Martyrologii confectores, aut ejusdem non longe postea amplificatores, quibus Nicetas fortasse, sicut magis proximus, ita et satis notus; et Ado postea, Notkerus, Usuardus, regionibus nostris extranei ac tempore posteriores, quibus non satis Nicetæ fama ac sedes explorata, Romatianam civitatem sponte addiderint ex Gennadio et Honorio, unde postea eruditis tantarum disputationum occasio? Sed hæc obiter dicta habeantur.

Quoad vero tempus quo in Martyrologiis locum obtinuerit Nicetas noster, in Martyrologiis scilicet vulgo dictis Hieronymianis, quæ primitiva fuerunt, quæque ortum suum, ut Dacherius animadvertebat in monito ad præcitatum a se editum, paulo post divi Hieronymi obitum habuerunt; quis non videat remotissimum esse, et Usuardi, Notkeri, atque Adonis ætatem longe antecedere, seu ex ipsa Nicetæ nominis enuntiatione absque loci additamento, seu ex ipsorum codicum Hieronymianorum ætate ab iis eruditis viris perpensa, quorum opera ac studio prodierunt? Ad genuinum videlicet ac primigenium Hieronymianum Martyrologium Nicetæ nomen procul dubio est posterior accessio, ut patet ex citato nuper martyrologio mille jam tunc circiter annorum dicto, nunc vero mille et amplius absolute dicendo, monasterii Sancti Germani Autissiodorensis, atque ex aliis quoque ibidem continenter editis, eodem scilicet tomo III Thesauri novi Anecdotorum, a viris clarissimis Martenio et Durando; ubi et in dies singulos exiguus sanctorum numerus exhibetur, et Nicetæ nostri nomen ubique desideratur: verum accessio ipsa postmodum facta Nicetæ nominis, nonnisi antiquissima esse debet, ut itidem patet ex aliis Hieronymianis similiter Martyrologiis, quæ Dacherius et Florentinius ediderunt, ubi Nicetæ nomen adest, quæque remotissimæ pariter sunt antiquitatis, ut a sæculo Nicetæ quinto non lon-

ge distare videantur, si maxime ponatur non autographa illa esse, sed potius apographa, ut de suis Florentinius conjiciebat.

Nicetæ nostri sanctitas itaque, etiam ex tam antiqua ipsius nominis in Martyrologiis vetustioribus accessione, clarius elucescit; ita ut non immerito conjiciamus, eumdem cum sanctitatis odore apud suos et exteros quoque ex hac vita migrasse, eumdemque propterea pro illorum temporum more inter cœlites habitum, cujus memoria cum aliis sanctis viris superioris ætatis recolenda esset in die anniversaria depositionis illius. Nihil est hic quod addamus de appellationibus beati, ac sancti, sanctæque memoriæ viri, quibus nomen Nicetæ nostri in Martyrologiis de quibus diximus honestatur. Ipsa nominis alicujus in Martyrologiis recensio, etiam absque ullo seu beati, seu sancti, seu sanctæ memoriæ præconio, satis de illius viri sanctitate testatur : et ita quoque Nicetas noster in allatis in fronte hujus libri Martyrologiorum testimoniis nuncupatus quandoque apparet; scilicet in Martyrologio Gellonensi a Dacherio edito, et circa annum 804 conscripto, ut idem in monito præcedenti animadvertit, ubi simpliciter Nicæ episcopi ad x kal. Julii mentio est. Hujusmodi hodie præconia communis sunt usus in Martyrologio Romano quo utimur; sed non ita olim apud omnes omnino Ecclesias : quinimmo, quod ad beati vel sancti prænomen potissimum spectat, admonuit doctissimus vir Joannes Baptista Sollerius in erudita sua præfatione ad Martyrologium Usuardi, articulo 4, quæ exstat tomo VI, parte 1 Junii Bollandiani, quod quanto rarius **220** sancti vel beati prænomen apponitur, tanto majori vetustate præstant martyrologiorum codices. Fatendum nihilominus arbitror, præconia hujusmodi etiam in antiquis Martyrologiis adhibita ad sanctorum quorumdam nomina, quamdam probabiliter indicare eorumdem nominum majorem celebritatem ac perspectiorem eorumdem sanctitatis notitiam, quæ hisce appellationum adjectionibus quodammodo distinguebatur. Cæterum inter hujusmodi appellationes beati ac sancti, sicut etiam sanctæ memoriæ, non est cur in veteribus Martyrologiis distinctionem requiramus ex vigenti nunc a pluribus sæculis Ecclesiastica disciplina, qua beati inferiores gradu a sanctis censentur in cultu. Voces enim *beati* ac *sancti* apud veteres indiscriminatim sumebantur ad indicandos insignes virtute viros, qui censebantur cœlitibus ascripti, ut erudite rem hujusmodi illustrarunt Fontaninus in dissertatione de Sancto Petro Urseolo, capite 25, Mazochius de sanctorum Neapolitanæ Ecclesiæ episcoporum Cultu, parte II, capite 5, num. 2, annotatione 30, nec non et Benedictus papa XIV, in præclaro opere de servorum Dei Beatificatione et beatorum Canonizatione, aliique.

Animadversionem tamen hic dissimulare non licet, quæ fieri solet a viris clarissimis pene omnibus, qui Baronii opinionem oppugnarunt super hoc Romatianæ civitatis episcopo Niceta a Gennadio memorato; rati nimirum, non Aquileiensem nostrum, sed Dacum illum fuisse, eumdemque propterea qui a sancto Paulino Nolano tot laudibus celebratur. In Martyrologiis, inquiunt, ad diem x, kal. Julii, non Nicetæ Aquileiensis mentio est, sed Nicetæ in Dacia episcopi : et ita accipienda sunt Martyrologia vetustiora, quæ simpliciter Nicetæ episcopi eodem die meminerunt; et ita quoque posteriora, quæ Romatianæ aut Romanæ civitatis, aut Romatianensis episcopi titulum addiderunt. Ad eamdem diem in Martyrologiis mentio quoque est Paulini Nolani : cui additus propterea merito censeri potest etiam Nicetas Dacus, quia ambo viventes fuerant amicitia conjunctissimi, et quia fortasse dies natalis, seu obitus, hujus Nicetæ Daci martyrologis compertus non erat. Ipsa namque Nicetæ Dacorum episcopi mentio, quæ hodie in Romano Martyrologio legitur ad diem 7 Januarii, est posterior additio a Baronio pro arbitrio facta in Martyrologii Romani recensione, Gregorio XIII summo pontifice; ut propriæ serviret opinioni, qua Niceam seu Nicetam, Romatianæ civitatis episcopum, habere voluit pro Nicea seu Niceta, episcopo Aquileiensi. Quod igitur argumentum sanctitatis pro Niceta nostro Aquileiensi sumere possumus ex Martyrologiis, quæ aut simpliciter Nicetam, episcopum, aut Nicetam, Romatianæ civitatis episcopum, exhibent ad diem x kal. Julii?

At viri clarissimi adversæ sententiæ propugnatores, qui Gennadium, dicentem Nicetam, Romatianæ civitatis episcopum, explicare voluerunt ac si dixisset Nicetam in Dacia, episcopum civitatis illius, quæ non Romatiana quidem, sed alio non admodum dissimili modo a scriptoribus et monumentis veteribus dicta fuit, uti suo loco vidimus; Martyrologia quoque eadem Gennadii verba referentia, eadem explicatione donare debuerunt, atque in eumdem sensum simul pertrahere Martyrologia vetustiora, quæ simpliciter Nicetæ; episcopi, ad eamdem diem x kal. Julii memminerunt. Verum quid novi in hac de Martyrologiis animadversione, quod mereatur expendi? Qui Gennadium superius contra eosdem viros clarissimos explicavimus, dicentem Nicetam episcopum civitatis Romatianæ; **221** Martyrologia quoque similiter habentia, eodem sermone interpretati sumus, ut hic actum agere, Martyrologiorum causa, necesse non sit. Cætera vero quæ adduntur, meræ sunt conjectationes, quæ conjectationibus aliis atque, ni fallor, validioribus, facile eliduntur.

Ac primo : vidimus deesse Nicetæ mentionem ad diem x kal. Julii in vetustissimo Hieronymiano Martyrologio, nec non et in aliis quæ subinde generatim citavimus ex tomo III Thesauri novi Anecdotorum Martenii et Durandi : quibus nunc adjicere æquum est, et Bedæ Martyrologium genuinum cum additamentis Flori diaconi distincto charactere excusis, apud Agiologos Bollandianos tomo II Martii; et Rabani Martyrologium, quod habetur in Thesauro Monumentorum, sive inter Lectiones antiquas Canisii ex editione Basnagii, tomo II, parte II, pag. 314; et Wandalberti Martyrologium metricum, quod exstat in Spicilegio Dacherii, tomo V primæ editionis, et tomo II, pag. 40 editionis secundæ in-folio; nec non et Martyrologium Romanum vetus Heriberti Rosweydi, quod videri potest in fronte Adonis Dominici Georgii; sicut etiam Martyrologia alia duo, et vetustissima sane, Fuldense scilicet, atque Ottobonianum, quæ habentur apud eumdem Georgium ibidem in fine operis. In his autem Martyrologiis omnibus, in quibus ad diem x kal. Julii deest Nicetæ nomen; in his, inquam, omnibus, aut fere omnibus (quoniam eorum unum aut alterum, bibliothecarum quarumdam nostrarum nuperrimis vicibus id vetantibus, iterato inspicere non licuit) mentio eadem die habetur Paulini Nolani; ita ut absque erroris periculo asserere possimus, omnia quidem Martyrologia quæ ad diem x kal. Julii habent Nicetam, habere quoque et Paulinum Nolanum; non omnia vero, immo bene multa, quæ habent Paulinum Nolanum, non habere Nicetam : ex quo facile conjicimus, Nicetæ nomen, licet antiquitus insertum Martyrologiis fuerit ut supra conjectavimus, locum nihilominus habuisse, unius saltem ætatis spatio, aut etiam integro sæculo, post Paulinum Nolanum. Cum autem coævi fuerint atque amicitia conjuncti duo illi sancti viri, Nicetas Dacus atque Paulinus Nolanus, quorum etiam alter alterius sanctitati testimonium præbet; alter sine altero, ut verisimile valde videtur, in Ecclesia notus esse non poterat, ideoque alter sine altero Martyrologiis inferendus non erat : aut si alter alterum præcedere in hac honoris significatione debuisset, Nicetas profecto Dacus qui ante Paulinum obiit, uti capite 3 ostendimus, ante Paulinum inscribi debuerat Martyrologiis, seu potius ecclesiasticis tabulis, unde Martyrologia non multo post Hieronymi ætatem, ut dictum fuit, ortum habuere; atque inscribi saltem debebat Paulini ipsius superstitis opera, qui tam effusus in il-

lius viventis laudes fuerat. Quod si post Paulinum, ut constat, insertum Martyrologiis fuit Nicetæ nomen; jam Nicetas hic haberi non posse videtur pro Niceta, Dacorum episcopo, et sancti Paulini Nolani amico, quamvis sub eadem die hoc nomen insertum Martyrologiis fuerit: ideoque Nicetas alter censendus est, qui ad sanctum Paulinum Nolanum minime pertinet; ac propterea Nicetas noster Aquileiensis, qui etiam sancto Paulino Nolano posterior ætate fuit, et pro quo stant tot argumenta quæ in antecessum attulimus. Præterea quomodo ignotus præferri potest martyrologis natalis dies illius Nicetæ, quem Paulino Nolano addiderunt ad diem x kal. Julii; cum Martyrologia non pauca, etiam a nobis in testimoniis relata, quæ illius eadem die meminerunt, et eorum aliqua magnæ vetustatis, nec non et **222** auctorum inter martyrologos clari nominis, ut puta Adonis, Usuardi, Notkeri; cum, inquam, Martyrologia hæc depositionem expresse notaverint illius Nicetæ cujus meminebant, id est diem decessus, quo deposito corpore spiritus ad superos evolavit?

Sed neque tertio loco ferenda est arbitrii imputatio Baronio facta in Romani Martyrologii emendatione, seu potius restitutione; quod ipse omnium primus ad diem 7 Januarii memoriam inseruerit Nicetæ, in Dacia episcopi, qui, juxta illos, non alius, sed idem ipse est ac Nicetas, Romatianæ civitatis episcopus, qui solus ad diem x kal. Julii in omnibus Martyrologiis Baroniano antiquioribus locum habet. Scopum instituti sui, seu potius Romanæ Ecclesiæ, in eo opere, Baronius ipse aperuit capite 8 tractationis de Romano Martyrologio; fuisse nempe, *non novum conscribere Martyrologium, sed vetus ex veteribus exemplaribus restituere.* Necesse est igitur Baronium aliosque lectissimos doctissimosque viros sui laboris socios, ex veteribus mss. exemplaribus Martyrologiorum, quæ Romæ exstabant, quæque ipse consuluerat in opere sibi demandato, maxime autem ex eo fortasse, quod ibidem nominat, Martyrologio ms. Ecclesiæ Vaticanæ; ipsum, inquam, necesse est hausisse et duorum Nicetarum nomina, et distinctos eorum episcopatus, et diversos quoque natalitios dies, ut relicto Romatianensi ad diem x kal. Julii, alium Daciæ episcopum nominatum, ac barbararum ferarumque ibidem gentium institutorem, ad diem 7 Januarii non tam primus collocaret, quam potius restitueret. Ita nimirum de tantæ religionis ac doctrinæ viro, ejusque sociis peritissimis, cogitare fas est in re tanti momenti; etiamsi pro nihilo prorsus habenda essent quæ ipse postea sub Sixto V, in notationibus ad Romatianum Niceam seu Nicetam, illustrationis gratia, et non alia quam privati scriptoris auctoritate, posuit: quia tunc, potius quam Nicetam Dacum diei 7 Januarii a Romano Martyrologio expungere, alia sedes, quam Aquileiensis pro qua stamus, si res postularet, inquirenda esset Nicetæ Romatiano diei x kal. Julii.

Quod vero demum pro Baroniana Romani Martyrologii emendatione, seu potius restitutione, plurimum facit, eæ sunt ejusdem Martyrologii recensiones, quæ subsecutis temporibus habitæ fuerunt. Ut nihil dicamus de accuratissima recensione facta ab Urbano papa VIII, multis accitis etiam tunc doctissimis ac peritissimis viris; ut nihil itidem de alia sub Innocentio papa XI; ad eam animum intendamus, quam novissimus omnium perfecit doctissimus atque eruditissimus pontifex, immo eruditorum doctorumque omnium suæ ætatis et ultra facile princeps, Benedictus XIV. Jamdiu tunc communiter notæ erant eruditis plurium criticorum querelæ super Baroniana opinione Nicetæ Romatiani ad diem x kal. Julii, nec non super additione Nicetæ in Dacia episcopi ad diem 7 Januarii. Eidem pontifici jam dicaverat Adonem suum Romæ impressum anno 1745 clarissimus Dominicus Georgius; ubi ad diem x kal. Julii, pagina 288, indicantur censuræ criticorum super hac re, quibus etiam ipse adhærebat. Sapientissimus vero pontifex in hac Martyrologii Romani recensione sibi animo proposuerat, uti ex suis Litteris Apostolicis diei 1 Julii 1748, num. 2, ad Joannem V Portugalliæ regem; *ut quæ post evulgatas correctiones supervacanea occurrunt, resecentur; quæ vero deficiunt, superaddantur;* prout etiam multis in locis factum fuisse novimus, et non sine rerum matura consideratione, uti ex eisdem Litteris Apostolicis intelligimus. Quid vero **223** actum fuit de Nicetæ in Dacia episcopi memoria ad diem 7 Januarii, quam primus in Romanum Martyrologium intulit Baronius; quæque, juxta criticorum adversariorum placita, *supervacanea* certe *occurrit*, cum sufficere debuisset vetus illa quæ habetur ad diem x kal. Julii sub nomine Nicetæ aut Niceæ, Romatianæ civitatis episcopi, qui idem prorsus est ac Nicetas in Dacia episcopus? Nihil omnino: ut inde intelligamus, nihil *supervacanei* sapientissimum pontificem deprehendisse in Baroniana additione Nicetæ in Dacia episcopi ad diem 7 Januarii; ideoque, ex illius quoque sententia, alium esse Nicetam, Dacorum episcopum, qui in Romano Martyrologio recensetur die 7 Januarii, et alium Nicetam, episcopum civitatis Romatianæ, cujus memoria recolitur x kal. Julii; quidquid secus opinati fuerint critici viri, qui Baronii opinionem etiam ex hoc capite oppugnarunt. Cum porro confundenda non sit horum duorum Nicetarum memoria, ac propterea Nicetas Romatianus diei x kal. Julii alius sit a Niceta Daco diei 7 Januarii: cumque Nicetas Romatianus, sive Romatianæ civitatis episcopus, sit dubio procul Nicetas episcopus Aquileiensis, uti suo loco uberrime dictum fuit; jam Martyrologia, seu vetustiora quæ ad diem x kal. Julii Nicetæ episcopi simpliciter meminerunt, seu posteriora quæ ad eamdem diem Nicetam habent episcopum civitatis Romatianæ, et ita hujus Nicetæ Romatiani sanctitati testimonium perhibent, sanctitatis utique Nicetæ nostri Aquileiensis probatissima argumenta sunt, prout antea notabamus.

Nicetæ autem nostri sanctitas nulla ne alia ratione ostendi poterit, excepta Martyrologiorum de quibus diximus auctoritate? Multa hodie prædicari certe possunt de Nicetæ nostri sanctitate, quæ anteactis temporibus in comperto non erant; cum scilicet non satis constaret num Nicetas Gennadianus idem esset ac Aquileiensis, cum libellus *ad lapsam Virginem* minus certo parente vagaretur, et cum adhuc in tenebris delitesceret *Explanatio Symboli ad competentes*, quæ tantam in agnoscendo Niceta nostro Aquileiensi attulit lucem. Nicetæ Aquileiensis pastoralis cura in difficillimis Ecclesiæ suæ temporibus fulgebat quidem ex epistola divi Leonis Magni ad eumdem data, unde Nicetæ consultationes apparent ad apostolicam sedem delatæ, quæ zeli illius indubia sunt argumenta pro reparandis jacturis quas bellica clades intulerat, curandisque morbis barbarorum incursu ac societate contractis; ut, *statu tunc rerum in meliora converso*, Ecclesia illa ad pristinæ observantiæ dignitatem rediret. At quanta nunc addere possumus, ad viri sanctitatem prædicandam, ex duobus libellis qui supersunt, quique, ut probavimus, genuinus ejusdem sunt fetus?

Vestigia sequimur hac super re sapientissimi prælaudati pontificis Benedicti papæ XIV, in citatis Litteris Apostolicis ad Portugalliæ regem de nova Martyrologii Romani editione: qui sanctitatem ostensurus antiquissimi prædecessoris sui Siricii papæ, cujus nomen in Martyrologium Romanum ipse prior inferre decrevit ad diem 26 Novembris cum elogio *doctrinæ*, *pietatis*, ac *zeli religionis*; illius potissimum Epistolas sibi examinandas proposuit a Petro Coustantio editas in Collectione Epistolarum pontificum Romanorum, ut inde sanctitatis illius erueret argumenta. Quid porro in *Explanatione Symboli ad competentes* Nicetæ nostri, quod similiter doctrinam, pietatem ac zelum religionis non redoleat, unde viri sanctitas comprobetur? Elucet doctrina in mysteriorum et articulorum fidei explicatione, necnon et in

Scripturarum **224** eruditione; pietas in verbis cœlestis gratiæ, quibus abundat oratio; zelus religionis in vindicandis ab hæreticorum fallaciis Ecclesiæ veritatibus, et in instituendis ad vitæ innocentiam et ad veram pietatem hominibus. Quid vero non habet pro Nicetæ sanctitate libellus *ad Virginem lapsam?* Morum illius integritatem, vitæ sanctimoniam, disciplinæ vigorem satis ostendunt ignita illa verba quibus lapsam virginem ejusque corruptorem tam libere potuit objurgare : quisnam enim qui non esset omnino irreprehensibilis, ac semetipsum constantissime non præberet *in omnibus exemplum bonorum operum*, *in doctrina*, *in integritate*, *in gravitate*, prout Apostolus ad Timotheum; quis ausus fuisset tam vehementi oratione in peccantes insurgere, et ita ut hæc oratio a scriptoribus ecclesiasticis singulari laude commendaretur, veluti *emendationis incentivum omnibus labentibus?* Novum etiam zeli illius argumentum eadem elucubratio in eo est, quod, posthabitis humanis considerationibus, lapsam illam virginem, etsi genere *nobilem*, pastorali vigore ac apostolica libertate pro zelo domus Dei publice increpavit, ac publicæ pœnitentiæ laboribus addixit. Quanta vero nobis non suppeditarent sanctitatis argumenta Nicetæ opuscula alia quæ desiderantur, et illud singillatim *de Fide unicæ Majestatis* seu *de Fide*, aut *de Ratione Fidei*, quod Cassiodorius tantopere commendavit in libro de Institutione divinarum Scripturarum, capite 16; uti superius vidimus? Sed sanctitas Nicetæ nostri Aquileiensis satis elucet ex iis etiam perpaucis quæ supersunt; ut inde quoque non invite arguamus sanctitatis illius opinionem jure ac merito antiquitus inolevisse ab ipso decessus sui tempore, et non sine Ecclesiæ auctoritate juxta illorum temporum disciplinam; ideoque illius nomen in Martyrologiis locum habuisse, atque ibidem beati, et sancti sanctæque memoriæ præconia obtinuisse.

Quæ hactenus dicta sunt de Nicetæ nostri Aquileiensis sanctitate, et maxime ex testimoniis Martyrologiorum, satis etiam haberi possunt pro illius cultu generatim in Ecclesia cognoscendo : cultus enim est ipsa alicujus sancti recensio in tabulis ecclesiasticis, et ipsa illius nominis recitatio cum aliis sanctis viris in publicis Ecclesiarum conventibus; ad quod opus Martyrologia a primis Ecclesiæ temporibus exarata fuerunt. At quid nunc de Nicetæ nostri Aquileiensis cultu in ipsa Ecclesia Aquileiensi? Vir clarissimus Alexander Politus e clericis regularibus scholarum piarum in Martyrologio Romano suis *Commentariis* illustrato ac typis edito Florentiæ anno 1751, ad diem 7 Januarii asserere non dubitavit, Nicetæ episcopi Aquileiensis *famam* et *opinionem sanctitatis novissimis* tantummodo *post Baronium temporibus natam* esse, et *percrebuisse apud Aquileienses;* quos etiam imprudentiæ atque temeritatis non timet arguere ob solemnem et anniversarium cultum ab ipsis eidem præstitum *decimo kalendas Julias*, si, absque certo aliquo judicio Romanæ Ecclesiæ, id fecerint ex sola Baronii auctoritate, quam *meram* et *penitus falsam hariolationem* appellavit. Zabeus quoque dissertationis suæ parte I, num. 15, asserit Aquileiensem Ecclesiam sero admodum cœpisse Nicetam suum colere peculiari officio et missa ad *diem decimam kal. Julii*, quoniam sancti hujus mentio nulla in antiquis Aquileiensium *Kalendariis*, nulla in *Missalibus* Aquileiensis veteris ritus, seu manu exaratis, seu typis editis : quod et ostendit, adductis auctoritate et verbis ipsis clarissimi De Rubeis, qui data opera nonnulla in hanc ipsam rem scrutatus fuerat **225** hujusmodi Aquileiensia Kalendaria atque Missalia, prout ex suorum Monumentorum capite 17 habemus, nec non ex dissertationum variæ Eruditionis capite 19. Quid igitur post hæc de Nicetæ cultu apud Aquileienses?

Recentiorem Nicetæ cultum in Aquileiensi Ecclesia arguunt tum Politus tum Zabeus ex defectu Nicetæ nominis in Kalendariis ac Missalibus propriis Aquileiensis Ecclesiæ et Aquileiensis ritus, quæ fuerunt in usu in Aquileiensi diœcesi ac in tota pene Aquileiensi provincia ante annum 1596, quo ex decreto provincialis concilii Aquileiensis, veteri abrogato ritu qui pridem obtinebat, Romanus ubique indictus atque introductus fuit. Verum in Kalendariis illis veteribus atque Missalibus Aquileiensis Ecclesiæ, non modo Nicetas noster desideratur, sed etiam sancti Nicetæ ipsius decessores, Valerianus atque Chromatius, qui notissimi sunt in fastis Occidentalis Ecclesiæ, et de quibus dubitatio nulla, quin ad Aquileiensem Ecclesiam pertinuerint. Adsunt nempe typis edita Missalia tria secundum consuetudinem sanctæ Ecclesiæ Aquileiensis; quorum primum, aliis longe pretiosissimum ac penes me positum, ad annum spectat, ut videtur, 1490 (mutilum est enim tum in fronte tum in fine, et annus propterea editionis conjici potest, sed non certo indicari); alterum ad annum 1517, tertium ad annum 1519; quæ duo servantur in publica archiepiscopali nostra bibliotheca : adest insuper ejusdem Aquileiensis Ecclesiæ Ritualis liber sub titulo, *Agenda diœcesis sanctæ Ecclesiæ Aquileiensis*, typis editus anno 1575, cujus exemplar unum in eadem bibliotheca, et aliud penes me. In his porro quatuor liturgicis libris Aquileiensis Ecclesiæ, quorum postremus non longe est ab epocha qua peculiaris Aquileiensis ritus desiit, et Romano locum dedit; in his, inquam, singulis exstat in fronte Kalendarium, a quo semper absunt tum Nicetas de quo loquimur, tum etiam Valerianus atque Chromatius, sicuti etiam absunt a toto Missalium corpore. Quæ igitur faciunt, juxta Politum atque Zabeum, contra peculiarem Nicetæ cultum in Aquileiensi Ecclesia : æque facerent contra cultum etiam sanctorum Aquileiensium episcoporum Valeriani atque Chromatii, de quibus æque nihil tum in Kalendariis, tum in Missalibus Aquileiensibus ad finem usque sæculi XVI.

Notandum propterea cum viris clarissimis, Joanne Frontono in prænotatis ad Kalendarium Romanum nongentis annis antiquius ab ipso editum § 1, 4 et 11, Theodorico Ruinartio, præfatione generali in Acta Martyrum, num. 18, Stephano Antonio Morcello, præfatione in Kalendarium Ecclesiæ Constantinopolitanæ § 1 pag. 6, ac alibi sæpe in decursu operis; notandum, inquam, non bene illationem fieri de cultu aut non cultu alicujus sancti viri ex inscriptione aut ex defectu illius nominis in veteribus seu civitatis seu diœcesis suæ Kalendariis. Kalendaria enim tum in Orientali, tum in Occidentali Ecclesia eo spectabant in singulis locis, ut festa indicerent sanctorum qui peculiari officio et missa coli consueverant : at non omnes sancti peculiari officio et missa colebantur; sed ii tantum quorum ibidem monumenta exstarent, reliquiæ scilicet, aut loca sacra eisdem dicata, ut puta oratoria, basilicæ, aut cœmeteria. Alii vero sancti, etsi nullum diem sibi festum haberent in Kalendario cum officio et missa; veluti sancti habebantur nihilominus, et colebantur : invocabantur enim in litaniis, repræsentabantur in picturis et in ornamentis altarium, et scribebantur in tabulis ecclesiasticis; quod erat signum cultus eisdem exhibiti, **226** etsi absque peculiari festo die eidem cultui cum officio et missa assignato.

Quod ad Nicetam vero spectat, ac simul etiam ad sanctos Nicetæ decessores Valerianum et Chromatium, qui nullum in Kalendariis veteribus Aquileiensis Ecclesiæ habuerunt diem festum sibi assignatum cum officio et missa; adsunt litaniæ superius indicatæ, Aquileiensis Ecclesiæ peculiares, a Francisco Barbaro patriarcha Aquileiensi edi jussæ post diœcesanam synodum ab ipso habitam Goritiæ anno 1602, et Utini eodem anno impressam; in quibus una cum aliis sanctis universalis Ecclesiæ, et cum peculiaribus Aquileiensis diœcesis seu provinciæ martyribus, confessoribus, virginibus, suo loco invocantur etiam sanctus Valerianus, sanctus Chromatius, sanctus Nicetas. In nuper quidem memorato Rituali libro,

Agenda diœcesis sanctæ Ecclesiæ Aquileiensis, bis leguntur litaniæ Aquileiensis Ecclesiæ propriæ, nimirum in ordine ad inungendum infirmum, ut ibidem dicitur, et in benedictione fontis in pervigiliis Paschæ et Pentecostes; in quibus, etsi quidam ex martyribus et confessoribus Aquileiensibus inveniantur, Valerianus tamen, Chromatius, et Nicetas desiderantur. Verum, cum clarissimo De Rubeis in dissertatione de Sacris Forojul. Ritibus, capite 31, num. 2, minores has litanias appellamus, id est minus prolixas, ad distinctionem aliarum litaniarum, quæ in aliis ecclesiasticis functionibus, maxime vero in processionibus, adhibebantur, quæque, juxta illum, majores appellari possunt, eo etiam sensu quod prolixiores essent ac plurium sanctorum invocationes continerent; quarum ipse litaniarum ibidem specimen etiam præbet ex mss. codicibus Aquileiensibus quos inviserat. Nihil igitur mirum in minoribus hisce litaniis Aquileiensis Ecclesiæ aliquos deesse sanctos viros Aquileienses qui in majoribus fortasse invocarentur; prout etiam plurimi ex omni ordine sancti desunt in litaniis illis, æque minoribus nuncupandis, hodierni Romani Ritus, quæ recitantur in iisdem functionibus benedictionis fontis, et in commendatione animæ morientium, qui tamen in litaniis plenis ac majoribus Rogationum et psalmorum pœnitentialium invocantur. Etsi autem nullus sane præsto sit hodie codex Aquileiensis antiquus unde erutæ dici possint litaniæ illæ majores Aquileienses quas Barbarus patriarcha cum synodo Goritiensi edi jussit, et in quibus tres illi Aquileienses episcopi confessores, Valerianus, Chromatius et Nicetas inter sanctos invocantur, optima ratio nihilominus suadet conjicere litanias illas ab antiquis retro temporibus in Aquileiensi Ecclesia usitatas fuisse; cum capite 24 ejusdem synodi, ubi illas *per nos pridem editas* appellat Aquileiensis præsul, et ubi easdem statis diebus recitandas præcipit in illa suæ diœcesis parte cujus Goritia caput erat, pro peculiaribus tunc ibidem urgentibus belli adversus Turcas necessitatibus; cum, inquam, nihil dicat de nominibus Aquileiensium sanctorum veluti noviter ibidem additis ac insertis: quod certe fecisset, si ita reipsa fuisset; novitas enim hæc erat hujusmodi, quæ meruisset notari, nec non aliqua saltem ratione muniri, ac populis, qui novitates semper demirantur, commendari. En itaque cultum in Aquileiensi Ecclesia tributum Nicetæ, Aquileiensi episcopo, etsi nihil de illo in veteribus Aquileiensis Ecclesiæ Kalendariis, nihil in Missalibus.

Præterea non indignum est animadversione, vetusta Aquileiensis Ecclesiæ Kalendaria et Missalia veterem præseferre universalis Ecclesiæ morem, ab eruditis viris omnibus, qui de hisce rebus sermonem habuerunt, in luce positum, et de quo singillatim **227** videri possunt idem Joannes Fronto, loco citato; Sarnelius, Lettere Ecclesiastiche tomo VI, epistola 37, num. 4; Mabillonius, præfatione in Sæculum v Benedictinum, num. 93 et 97; Muratorius, dissertatione prævia ad Liturgiam Romanam veterem, ab ipso editam, capite 3; et Benedictus papa XIV de servorum Dei Beatificatione et beatorum Canonizatione, libro I, capit. 5 et 6: morem scilicet, quo martyres tantummodo, festo die indicto cum peculiari officio et missa, colebantur, paucis tantum decursu temporis, eisque celebrioribus, inductis confessoribus. In præcitatis namque Aquileiensis Ecclesiæ Kalendariis et Missalibus, si binos excipias (sanctum videlicet Zoilum presbyterum confessorem ibidem dictum, sed nihilominus veluti martyrem ob exhibita, furente Diocletiani persecutione, martyribus Aquileiensibus pietatis officia; et sanctum Syrum episcopum confessorem, Aquileiensis Ecclesiæ alumnum, et episcopum Ticinensibus datum a sancto Hermagora Aquileiensis Ecclesiæ protoepiscopo, ut Aquileiensium fert traditio a Martyrologio quoque Romano ad diem 12 Septembris roborata; qui propterea veluti Ticinensis Ecclesiæ institutor, et illius regionis apostolico prope ævo inter paganorum persecutiones apostolus, etiam absque martyrio proprie dicto cultum peculiarem merebatur); si hos, inquam, binos excipias, soli ex Aquileiensibus cœlitibus sancti martyres, qui suum sanguinem pro Christo profuderunt, locum habent in præcitatis Aquileiensis Ecclesiæ Kalendariis atque Missalibus, cum festo scilicet die ac officio et missa: nec nisi sero tandem, ex confessoribus Aquileiensibus in Ecclesiæ pace defunctis, unus insertus fuit sanctus Paulinus patriarcha Aquileiensis qui Caroli Magni tempore floruit, ut cujus sacrum corpus in insigni Collegiata Civitatensi Ecclesia religiose colitur: insertus namque fuit post sæculum XIII; quoniam in Kalendario Aquileiensis Ecclesiæ ejusdem sæculi, publici juris facto a clarissimo viro Friderico Althano in suo opere de Kalendariis, sancti Paulini nostri nomen non invenitur. Insertus propterea fuit cum jam undique in Ecclesia mos inductus fuisset colendi peculiaribus festis cum officio et missa etiam sanctos confessores; et cum ipsa Aquileiensis Ecclesia locum dedisset præcipuis sanctis confessoribus atque virginibus, qui jam communis essent cultus ob nominis celebritatem in Ecclesia universa.

Cum autem prælaudatus patriarcha Franciscus Barbarus, insignis apud nos ecclesiasticæ disciplinæ instaurator, abrogato veteri Aquileiensium ritu, Romanum amplexatus fuisset; tunc ille, ut Romano ritui a sæculis vigenti, colendi scilicet officio et missa etiam sanctos confessores, plene in omnibus sese accommodaret, cogitare cœpit de inserendis Kalendario diœcesis (quod tunc primum quotannis typis edi apud nos incœpit) etiam sanctis veteribus confessoribus diœcesis suæ, qui jam veluti sancti communiter habebantur atque invocabantur, ut dictum fuit, et in Romano Martyrologio aliisque locum obtinebant; ut ipsi quoque, una cum martyribus nostris, et festos dies haberent, et officium ac missam. Ita siquidem factum fuit: sed non omnes una simul sancti nostri Aquileienses confessores locum in novis Kalendariis obtinuerunt; verum alius post alium, et non sine aliqua etiam alicujus nominis intermissione, sive ex proposito facta, sive ex accidenti nata. In primo namque typis edito Kalendario Aquileiensi ab eodem Barbaro, post invectum ab ipso in peculiari diœcesi sua Romanum ritum etiam ante Provinciale concilium anni 1596, a quo universæ provinciæ indictus fuit; **228** in Kalendario scilicet anni 1595, cujus exemplar sane rarissimum, ac fortasse unicum, servatur in tabulario insignis Collegiati capituli Civitatensis, quodque incipit a die prima Novembris præcedentis anni 1594; in hoc, inquam, primo Aquileiensi separatim typis edito Kalendario, inter sanctos mensium Novembris atque Decembris utriusque anni, sanctos Aquileienses episcopos Valerianum et Chromatium inveni ex Martyrologio, ut ibidem dicitur, ex Martyrologio nempe Romano tunc primum in Kalendarium nostrum suo unumquemque die relatos; sed sanctum Nicetam non inveni. In altero, quod videre licuit, Kalendario Aquileiensi in amplissima bibliotheca, quæ amplius non superest, egregii quondam viri Caroli a Pace, Kalendario scilicet anni 1598 (duobus intermediis frustra quæsitis), sanctum Valerianum quidem inveni; at non Chromatium, neque Nicetam: Valerianum et Chromatium quidem, non vero Nicetam, in tertio subsequentis anni Kalendario 1599: Nicetam tandem, Valerianum atque Chromatium inveni in altero anni 1606 (quia nihil de sex intermediis asserere possum, quæ habere non potui); et ita demum in tota Kalendariorum nostrorum serie subsequenti, quæ, paucis deficientibus, integra nuper exstabat in selectissima bibliotheca congregationis oratorii Neriani hujus Utinensis civitatis. Nihil igitur adversus Nicetæ cultum apud Aquileienses facit, quod Nicetas ipse sero tantum locum habuerit in Kalendariis Aquileiensis Ecclesiæ; hæc enim nupera illius nominis in Kalendariis nostris accessio, non initium cultus fuit, sed potius cultus jam vigentis

complementum; addito nempe eidem peculiari festo die, et officio ac missa, prout etiam cum aliis factum fuit, Chromatio scilicet ac Valeriano, de quorum antiquo cultu in eadem Ecclesia nemo unquam dubium movit.

Cur vero, tot sæculorum cursu, numquam cogitaverint Aquileienses in proprium Kalendarium inferre, et sacro die cum officio et missa honorare tres illos episcopos confessores, dum eodem cultu alios prosequebantur aliarum Ecclesiarum; cur hoc idem neque tunc eisdem in mentem venerit, cum sanctum Aquileiensem patriarcham Paulinum in Kalendarium induxerunt; ratio nulla nobis aptior ac probabilior ea videtur, qua, in re parum dissimili, usus fuit clarissimus canonicus Mazochius in suo opere, alias hic citato, de Cultu sanctorum Neapolitanæ Ecclesiæ episcoporum parte II, capite 8. Agebat ipse de quodam Probo, Neapolitano primævæ ætatis episcopo, qui sub Antonino Vero usque ad Septimium Severum floruisse dicitur, quemque mirabatur inter sanctos episcopos confessores Neapolitanæ Ecclesiæ, prædecessores ac successores suos, locum non invenisse neque in celebri a se illustrato Marmoreo Kalendario Neapolitanæ Ecclesiæ, neque in aliis aut superioris aut posterioris ævi, sicuti neque omnino usquam inter sanctos recensitum in aliis liturgicis libris, licet sanctitatis ejusdem non deessent vetusta pro illorum temporum ratione monumenta; eo ferme modo, quo et nosmetipsi, majori etiam quodam jure, admirati sumus in veteribus Kalendariis nostris tamdiu defuisse tres Aquileienses episcopos confessores, Valerianum, Chromatium, atque Nicetam, quibus nihilominus et sanctitatis cultus etiam apud nos, et inter sanctos recensio a prima antiquitate non deerat. Hoc itaque pacto, pro eruditione sua, nodum solvere sibi proposuit Mazochius. « Quo minus Probus, aliique fortasse plures, ecclesiastica cultura potiti reperiantur, ea una intercessisse causa videtur, quod eorum corpora in obscuro latentia, numquam in apertum **229** prodierint, ut per eam occasionem eorum summaria pro more temporum illorum canonizatio promoveri posset. Nam (quantum ex facto.... simulque ex universa sequioris ævi sacra historia deprehendere possum) sanctorum paulo antiquiorum canonizatio ab inventione corporum sumebat initium. Tum si, quorum reliquiæ repertæ fuissent, eorum sanctitatis fama constaret; exardescebant populi studia, ut ii inter sanctos ascriberentur. Ibi Ecclesiæ pastores populi desideria, quasi divinam vocem, minime contemnenda rati, in eorum de quibus agebatur vitam et sanctitatem inquirebant. Porro si Ecclesiastico judicio de eorum sanctitate constitisset; ad corporum elevationem, atque in decentiora loca translationem procedebatur. » Deinde ita concludit : « Quare hac una de causa mihi videtur tum Probus, tum et forsitan alii.... cultu ecclesiastico claruisse : plane quia, eorum numquam inventis corporibus, defuit occasio, qua studia fidelium inflammarentur ad impetrandam ab episcopis causæ informationem, et quæ hanc consequebantur, nimirum canonizationem, elevationem corporis atque translationem : quorum nunc nomina scripta sunt in libro Vitæ. » Hactenus Mazochius, qui etiam super hac re ad ea se refert quæ scripserat in diatriba anteposita commentario suo in præcitatum Marmoreum Neapolitanæ Ecclesiæ Kalendarium numero 13 notationum, et Mabillonium citat in dissertatione qua agit de sanctorum Canonizatione sequioris ævi. Eadem videas etiam apud Morcellum in Kalendarium Ecclesiæ Constantinopolitanæ, vol. I, pag. 134, ubi de Eudoxio martyre sermonem habet ad diem 6 mensis Septembris.

Post hæc igitur ut redeamus ad tres Aquileienses nostros episcopos confessores, Valerianum, Chromatium et Nicetam; certum est eos ad quartum et quintum Ecclesiæ sæculum pertinere, cum scilicet mos tantummodo incipiebat, ac quibusdam tantum in locis, ut eruditi animadvertunt, publico pleno cultu donandi, festo nempe die officio et missa, etiam sanctos confessores; non sine tamen magno delectu, ita ut ii tantum hoc honore augerentur qui virtutum ac meritorum eminentia gloriam quodammodo ac famam æquarent martyrum, qui soli antea hoc publico pleno cultu potiti fuerant; ut patet ex eo quod factum fuit cum sancto Martino Turonensi episcopo et confessore, qui inter primos habetur e confessoribus in Ecclesiæ pace defunctis, qui hoc pleno ecclesiastico cultu donati reperiuntur, quique idcirco a scriptoribus coævis suis in vitæ merito martyribus data opera comparatus fuit, ut eruditissime animadvertit citato superius loco Benedictus papa XIV. Dubitari interim nequit, tres nostros episcopos confessores cultum saltem aliquem sanctitatis ab initio consecutos fuisse in opinione communi, quæ, permittentibus aut etiam suffragantibus episcopis, legitimæ pro illis temporibus canonizationi æquipararetur; et ita eosdem in Agiologiis seu Martyrologiis locum invenisse, et a fidelibus in invocationibus usurpatos. Insuper certum est, trium horum Aquileiensium episcoporum, Valeriani, Chromatii, atque Nicetæ, nullam hodie haberi sacrorum cinerum reliquiam; neque constare quod exstiterit umquam in tam celebri thesauro Aquileiensis Ecclesiæ, qui sanctorum martyrum Aquileiensium aliorumque aliarum Ecclesiarum reliquiis abundabat, uti ex veteri reliquiarum indiculo celeberrimæ illius Ecclesiæ apud Bertolum nostrum Antichità d'Aquileja pag. 366 : unde argui facile potest sacrorum eorum cinerum memoriam vel a primis temporibus periisse, durante tantum fama nominis **230** et sanctitatis. Jure igitur dici potest, quod prima illa ætate transacta, in qua adhuc raro admodum sancti confessores cultu publico diei festi officii ac missæ donabantur, atque hinc ignotis permanentibus locis ubi corpora sanctorum Aquileiensium episcoporum Valeriani, Chromatii et Nicetæ deposita fuerunt, et eo magis ob infaustas rerum vicissitudines, quibus tunc temporis, ac deinceps tam sæpe obnoxia fuit Aquileiensis urbs ac tota simul Aquileiensis provincia; jure, inquam, dici potest, quod, juxta Mazochium, *defuit occasio qua studia fidelium inflammarentur*, ut sanctis his episcopis confessoribus ea publici cultus plenitudo accederet quæ eisdem cæteroquin debebatur, inscriptio scilicet in Ecclesiæ Aquileiensis Kalendario cum diei festi indictione nec non et officii ac missæ, ac ita hoc honore caruerint ad finem usque sæculi XVI, quo tandem cumulati fuerunt a clarissimo eorum successore Francisco Barbaro patriarcha, de quo superius diximus. Cæterum, quod ad Nicetam nunc nostrum singillatim spectat, de quo solo hic disputatio est, et cujus nomen ab antiquis temporibus in Martyrologiis recensitum vidimus; quis non miretur eumdem in Martyrologiis locum habuisse tot retro sæculis antequam in Kalendario propriæ Ecclesiæ inscriberetur, cum e contrario ex Ecclesiarum particularium Kalendariis potissimum antiquitus coaluerint Martyrologia, ut eruditi observant, et nuper clarissimus prælaudatus Morcellus animadvertit in præfatione ad Kalendarium Ecclesiæ Constantinopolitanæ § 1, pag. 6 et 7 ? Hoc nimirum nisi nostra nos fallit opinio, jamdiu ubique notæ atque exploratæ sanctitatis Nicetæ nostri, nec non et cultus eidem longe lateque apud suos exterosque præstiti argumentum est amplissimum; quo sermonem de illius sanctitate ac cultu libentissime claudimus, ac simul tandem finem imponimus octavo capiti dissertationis nostræ, in quo propositum erat dicere de sancto Niceta episcopo Aquileiensi, ejusque opusculis ac fragmentis; nec non et de illius sanctitate ac cultu.

CAPUT IX.

Nonnulla exhibentur observatu digna, tum quoad dogmata et mores, tum quoad disciplinam, ex sancti Nicetæ opusculis atque fragmentis.

Nulla major Christiano homini ab incunabulis san-

ctæ catholicæ religionis dogmatibus, præceptis, ac institutis imbuto; nulla, inquam, major animi oblectatio, quam, cum sese offert occasio, et ingenii vires suppetunt, cognoscere demum atque perspicere ex sanctorum Patrum vetustis operibus, seu jamdiu editis, seu postea in apricum eductis, nihil se in Christianæ doctrinæ palæstra didicisse, quod a primis illis religionis nostræ magistris per singulas ætates custoditum traditumque non fuerit. Hæc siquidem religionis hujus præstantia, qua a quibuslibet falsi nominis religionibus, quas spiritus erroris invexit, distinguitur; ut nihil umquam novi tradiderit, nihil docuerit, seu in fidei regulis, seu in morum præceptis; et ut in rebus ipsis variabilis disciplinæ unum eumdemque spiritum semper et ubique servaverit. Quare operæ pretium duxerunt quotquot sanctorum Patrum operibus edendis curam adhibuere, ut quæ ad dogmata, ad morum præcepta, ad ritus spectarent, quæque maxime aut novatorum **231** paterent calumniis, aut pravorum hominum contumeliis, notatu digna in eorum præfationibus haberent, quo theologorum et concionatorum, nec non et legentium omnium utilitati simul ac facilitati consulerent; et sub uno veluti aspectu doctrinæ nostræ institutique perfectissima consensio cum veterum magisterio poneretur. Horum igitur vestigia, impari licet conatu, nos quoque secuti, nonnulla hic ex Nicetæ nostri duobus quæ supersunt opusculis, nec non ex deperditorum laciniis investigabimus, quæ ad dogmata spectant, ad morum præcepta, ad disciplinam; ut, quoad per nos licet, nihil desit etiam in parvo tentamine, quod accurate alii ac copiose, tum pro ingenii viribus, tum pro materiæ abundantia præstiterunt. Quamquam, quid opus animadversionibus nostris, si sermo sit de dogmatibus quæ profitemur, aut de potioribus ducendæ vitæ præceptis; cum *Explanatio Symboli* Nicetæ nostri per sese clara sit, et omnia ex ordine tradat quæ nosmetipsi in institutionibus primævæ ætatis accepimus? Pauca itaque quæ de his subjicimus, atque alia quæ adjiciemus, æqui bonique lector faciat.

Totius Christianæ institutionis basis simul ac columen fides est: inde enim Christiani fideles, quasi per antonomasiam, appellantur. Propterea cum quis ad Ecclesiæ fores lavacrum regenerationis acceptu-rus accedit, sacerdoti interroganti quid petat, fidem respondet. Hoc nempe a rationis participe creatura primum Divinitati debetur obsequium, quo et supremam illius eminentiam et propriam profiteatur servitutem; ut nulla prorsus dubitatione iis præstet assensum, quæ ab eadem hominibus revelata fuisse probantur, quamvis humanæ mentis aciem penitus vincant, et rationi etiam repugnantia quandoque videantur. Hic itaque totius libelli *Explanationis Symboli* scopus, ubi præcipua Christianæ fidei dogmata in Symbolo apostolorum contenta traduntur atque explicantur; eaque singillatim, ac fusiori quodam sermone, quæ aut ab hæreticis illius temporis temerata fuerant, ut dogma de vera in Christo Servatore nostro humanitate ab Eutyche ejusque asseclis tunc recens negata; aut quæ difficilius in hominum mentibus assensionem obtinere videbantur, ut illud de vera nostræ carnis futura resurrectione, quod numquam, pene dixerim, non habuit, seu inter paganos, seu inter Judæos, seu inter hæreticos, adversarios. Quæ autem hic sunt quæ peculiarem quodammodo nostram animadversionem requirunt? Fidei integritas in omnibus et singulis articulis ad æternam salutem necessaria a Niceta nostro asseritur in Explanatione sua, capite 9, quemadmodum hodieque in catholica Ecclesia perpetua traditione docemur; ut nihil propterea sibi blandiri possint qui universam catholicam fidem profiteri gloriantur, si vel in uno fidei dogmate claudicaverint: « Nihil de hac Trinitatis professione nuntiabo, ne saluti meæ damnum, et fidei faciam detrimentum. » Ita nimirum competentes suos Nicetas edocebat, ut responderent iis, seu gentilibus, seu Judæis, seu hæreticis, a quibus fortasse in Christianæ fidei dogmatibus tentarentur. « Retinete semper pactum quod fecistis cum Domino, id est hoc Symbolum quod coram angelis et hominibus confitemini. » Ita quoque ad eosdem capite 15. Neque tantum fidei integritas absoluta a Niceta nostro inculcatur; verum etiam ut fidei confessio, ore prolata atque in Symbolo contenta jugiter recolatur admonet ipse; quod nimirum ad res fidei, non modo oris confessione promendas, sed etiam sedulo meditandas atque ad actus interiores fidei frequenter eliciendos facit, quod Christianæ institutionis **232** ac professionis præcipuum semper fuit: ait enim capite 16: « Ita, charissimi, sive sedetis, sive operamini, sive dormitis, sive vigilatis, hæc salutaris confessio volvatur in pectoribus vestris. » Atque hæc de fide, fideique dogmatibus simul sumptis, nunc de aliquibus singillatim.

Quæ catholica docet ac docuit semper Ecclesia de sancti Spiritus operatione atque virtute, quoad donum divinæ gratiæ, quod nempe gratuita hæc sit, et ad salutem omnimode necessaria; hæc eadem docuit competentes suos ipse quoque Nicetas Explanationis capite 7, ubi ait: « Ipse (Spiritus sanctus) dividit gratiarum dona singulis prout vult.... sine cujus operatione nulla potest creatura ad æternitatem pervenire. » Æterna porro hæc vita, cujus exspectatione solamur, cujus causa neque extollimur in prosperis neque dejicimur in adversis; æterna hæc vita quæ æque creditur speraturque a catholicis, ac simul ab omnibus quæ sub cœlo sunt a catholica communione dissidentibus societatibus, comparari ne umquam poterit extra unam catholicam Ecclesiam? Minime sane juxta catholicum dogma; quidquid effutierint omni tempore, ac etiamnum garriant a catholica communione segregati, quibus nulla fortasse hac una infestior catholicorum doctrina est. Hæc propterea omnium temporum catholicorum doctrina fuit, cujus luculentissimum præbet quinto sæculo testimonium etiam Nicetas noster Explanationis capite 10, ubi ad Symboli articulum de sancta Ecclesia catholica sic ait: « Ergo in hac una Ecclesia crede te communionem consecuturum esse sanctorum. Scito unam hanc esse Ecclesiam catholicam in omni orbe terræ constitutam; cujus communionem debes firmiter retinere. Sunt quidem et aliæ pseudoecclesiæ, sed nihil tibi commune cum illis, ut puta Manichæorum, Cataphrygarum, Marcionistarum, vel cæterorum hæreticorum, sive schismaticorum; quia jam desinunt istæ Ecclesiæ esse sanctæ. Siquidem dæmoniacis deceptæ doctrinis aliter credunt, aliter agunt quam Christus Dominus mandavit, quam apostoli tradiderunt. » Quid luculentius ad catholicum dogma confirmandum de communione sanctorum ac de vita æterna in sola Ecclesia catholica obtinenda, exclusis omnino pseudoecclesiis quibuscumque, seu hæreticorum, seu schismaticorum?

Nihil tamen sibi blandiantur fideles catholici, quod ad unam hanc veram catholicam Ecclesiam pertineant, ita ut hoc solo ex capite vitam æternam sibi audeant polliceri, quin totis viribus obnitendum illis sit, ut vitiis careant, ut peccata devitent et ut pie casteque vivant. Hoc nimirum ex doctrina divinitus revelata quotidie docent in catholica Ecclesia animarum curatores; et hoc ipsum docuit competentes suos in *Explanatione Symboli* Nicetas noster capite 15 dicens: « Hanc vitam (æternam) nec gentilis habebit, nec Judæus incredulus possidebit; sed nec vitiis et criminibus serviens Christianus; quia solis est fidelibus et caste viventibus præparata. » Quid vero de pœnarum etiam æternitate, quæ impios manet, censet Nicetas? Hæc scilicet pœnarum æternitas, quæ tam sæpe unanimiter prædicatur in Ecclesia catholica, desidiosos homines ac peccatis servientes mirum angit in modum, ut facile sibi persuadere non erubescant, auxesim hanc esse concionatorum ad timorem incutiendum, potius quam fidei dogma divinitus traditum. Quid non comminiscuntu

de divina bonitate, de divina misericordia, ut pœnarum locum sibi fingeant æternum utique non futurum? Verum quid contra perpetuam hujus **233** dogmatis fidem, quam nobis uno ore tradiderunt Patres, quibusque Nicetas quoque noster concinit? « Impios autem æternæ pœnæ subjiciat, » ait ipse Explanationis cap. 6. « Scio graviora facinorosis servari tormenta, et sine fine impias animas cruciatus manere, non temporales utique, sed æternos. » Ita in libello *ad Lapsam*, capite 8 num. 32. « Quantamvis afflictionem, quantumvis laborem subire esto contenta, dummodo ab æternalibus pœnis libereris. » Ita ibidem num. 34, nec non alibi sæpe.

Catholicæ Ecclesiæ succensent hæretici homines, quod doceat, merita sanctorum, eorumque in cœlo orationes plurimum valere ad indulgentiam peccatorum obtinendam; ac propterea irrident nostras sanctorum invocationes. Utrumque vero tenuit semper Ecclesia, et utrumque dogma fidei est, quibus et Nicetas noster testimonium perhibet. « Si fuisses communi sorte defuncta (aiebat ipse *ad Virginem lapsam* cap. 8, num. 16).... parentes... exsultassent graviter; quia immaculatam præmisissent virginem, hostiam vivam Domino, propitiatricem videlicet delictorum. » En merita sanctorum, eorumque orationes propitiatio apud Deum pro peccatis. « Sanctorum petas auxilium. » Ita ad eamdem, capite 9, num. 40. En invocationem sanctorum lapsæ virgini a Niceta nostro propositam atque inculcatam veluti efficacem ad obtinendam a Domino perpetrati facinoris veniam. Atque pauca hæc de fidei dogmatibus, deque his quæ ad dogmata spectant, ex Niceta attigisse sufficiat.

Nunc quæ spectant ad mores, ad agendæ scilicet vitæ rationem, ad peccata eorumque variam dignoscendam gravitatem, ad pœnitentiam post peccata, nec non et ad sacrarum virginum institutum pro modulo prosequamur. Quid frequentius apud nos in ore omnium concionatorum et parochorum, nec non et pædagogorum, vel in primis Christianæ vitæ institutionibus quas fere ab infantia accipimus, quam recordatio abrenuntiationum in baptismate factarum, diabolo scilicet, et operibus ejus, ac pompis? Nullo nimirum faciliori modo Christianorum animos in officio continemus, quam si sponsiones ab iisdem in baptismate tam solemniter factas mentis oculis subjiciamus; nullo validiori argumento Christianorum vitam perstringimus ab instituti proposito aberrantem, quam si vitam eamdem sponsionibus in baptismate factis comparemus. Hæc propterea frequentissima apud Patres objurgatio Christianorum; maxime vero adversus eos qui nimio corporis cultu vanitatem sectarentur, ac vitæ superbiam ostenderent; eosque præcipue qui spectaculis dediti, choreis ac theatris, indeque sequi ut plurimum solitis, luxuriis et ebrietatibus, Christianum propositum aperte mentiebantur. Jam itaque et Nicetam nostrum videas eadem quinto sæculo prædicantem tum in *Explanatione Symboli*, capite 1 et 16, tum maxime in tertio fragmentorum, ubi competentes suos instituens, eos hortabatur atque docebat, ut *non nudo sermone neque solis labiis* abrenuntiarent, *sed fide fortissima et indubitata scientia*, ut ipse aiebat; et ubi coram ipsis eos elegantissime carpit Christianos, seu viros, seu mulieres, qui, contra ac spoponderant, vitæ cultum delicatiorem et ornatum corporis splendidiorem sectabantur. « Quid dicimus, inquit, de his qui superfluo carnis ornatu jactare se volunt, et videri mirabiles? Tacco de exquisitis inutiliter vestimentorum subtilitatibus. Oro vos, quid faciunt in viris capilli acu crispati, comæ retro quidem cervicem cooperientes, ante autem frontem penitus abscondentes, ita ut nec signo Christi crucis locus liber **234** relinquatur in fronte, et unde se putant habere aliquam gloriam vel decorem, inde turpitudinem et ignominiam contrahant? Similiter et mulieres caput ligantes ut scutum, ut frons tamquam vallis inter duos subsistat colles, ut de auribus pondera lapillorum auro ligata dependeant, ut brachia A onerentur auro, ut cervicem premant catenæ vel lapides, et pedibus sanguineæ calciamentis flammulæ rutilent. Quis usus in his, quæ utilitas invenitur, nisi sola inanis pompa, et mens desiderio infantili corrupta? » Non itaque nostrorum temporum nimia severitas censenda est, si hæc eadem frequenti populo prædicamus: sed hæc est morum doctrina, quæ una cum articulis fidei ad nos usque defluxit, quæque ex majorum traditione in catholica Ecclesia semper prædicabitur ad mores hominum corrigendos, et ad vitam instituendam Christiano nomine dignam.

Quid nunc de peccatoribus, ac peccatis, deque pœnitentia pro eisdem agenda? Peccata ad mortem ducere, et peccatrices animas sub diaboli dominatione esse, quotidie admonemur, et hoc, ut a peccatis abstineamus, et ut peccata patrata defleamus. Eadem porro doctrina exstitit omnium temporum: et huic quoque testimonium perhibet quinto sæculo Nicetas episcopus apud nos in libello *ad Lapsam*, capite 1, num. 4, ubi ait: « Vere hæc est captivitas, ubi animæ a peccato captivæ ducuntur ad mortem, et a diabolica dominatione possidentur. » Peccata graviora esse quæ scandalum præbent fidelibus, quæque infideles etiam blasphemare faciunt nomen Domini, non quorumdam rigidiorum theologorum figmentum, sed doctrina est Scripturarum, quam concors Patrum traditio Ecclesiæ commendavit. Hac itaque doctrina imbutus etiam Aquileiensis Nicetas, *lapsum Virginem* suam ad majorem pœnitentiam excitabat ob patratum crimen, quod scandalo multis fuerat, et infidelibus præbuerat blasphemandi occasionem. Aiebat nempe in eodem libello *ad Lapsam*, capite 7, num. 30 et 31: « Et quidem si tibi soli damnum fecisses, erat quidem tristitia, sed forsitan tolerabilis. Nunc vero quantas animas tuo scelere sauciasti; quantas animas propter te de proposito suo pœnitere fecisti? Quanta labia etiam fidelium inquinata sunt, viam Domini blasphemando? Aperuit in nos gentilitas os suum: adversus sanctam Ecclesiam Synagoga Judæorum per tuum dedecus exsultavit. Quod si is qui unum scandalizaverit, mola circumligatus jactari debet in mare, quid de te pronuntias, per cujus scelus omnis anima sauciata est, et nomen Domini in gentibus blasphematum est? »

Peccata præterea quædam sunt inter homines frequentiora, et ea quidem lethalia, in quibus nihilominus ex multitudine sociorum vellent sibi peccantes indulgentiam et impunitatem facillime impertiri. Quis non audiat hodieque avaros, rapaces, fornicarios et alios hujusmodi, blandientes sibi de sodalium turba, atque ex turba ipsa peccantium minuere satagentes peccatorum suorum gravitatem? His quotidie respondemus, fallacias eorum detegimus: at quam eleganter simul ac solide Nicetas noster in eodem libello *ad Lapsam*, capite 9, num. 41, conversa in violatorem virginis oratione! « Nec tibi de multitudine peccantium similium blandiaris, et dicas: Non solus hoc ego feci, multos habeo socios: sed recogita quia multitudo sociorum impunitatem non facit criminum. » Dignam sane docto et sancto viro sententiam, quæ totam super hac re constituit morum doctrinam.

A peccatoribus et peccatis, ad pœnitentiam veniamus. « Pœnitudo, inquit **235** lapsis necessaria est, sicut vulneratis sunt necessaria medicamina. » Ita *ad Lapsam*, capite 8, num. 33. « Secundum conscientiæ molem exhibenda est pœnitentiæ magnitudo... nec aliud remedium constitutum est post unum baptismum, quam pœnitentiæ solatium. » Ita sequenti num. 34: « Peccator ergo si sibi ipsi non pepercerit, a Deo illi parcetur. Et si futuras pœnas gehennæ perpetuas in hoc parvo vitæ spatio compensaverit, seipsum ab æterno judicio liberabit. » Ita ibidem, num. 36. Hæc autem sunt quæ de pœnitentia prout virtus est, ac de operibus pœnitentialibus prout sunt virtutis pœnitentiæ fructus, ac satisfactoriæ apud Deum actiones, Patres omnes docuerunt, et nosmetipsi quotidie fidelibus prædicamus.

Jam vero de virginitatis proposito ac de virginibus quid Nicetas senserit intueamur. Certant quodammodo inter se veteres Patres, cum de virginitatis proposito ac de virginibus sermonem habent, in virginitatis ac virginum laudibus celebrandis, ut cuique notissimum esse potest, cui sanctorum Patrum lectio extranea non sit. Hoc nimirum peculiare Christianæ religionis decus est, humanæ philosophiæ prorsus ignotum, ac Synagogæ ipsi penitus incompertum; ad quod tamen quibusdam, ut ita dicam, veluti gradibus ab ipso mundi exordio Ecclesiam suam Deus sapientissime comparare non destitit, ut præclare sanctus Methodius episcopus et martyr disserebat in Convivio Decem Virginum, pag. 16 et sequentibus editionis Romanæ G et L, a Leone Allatio adornatæ anno 1656. Concinit itaque cæteris Ecclesiæ Patribus et communi Ecclesiæ præconio etiam Nicetas noster, qui de virginitatis proposito ac de virginibus peculiarem habuit scribendi occasionem, licet tunc valde infaustam, in sæpe citato libello objurgationis ad virginem quamdam Ecclesiæ suæ, quæ lapsa fuerat. De virginum namque instituto loquens capite 2, num. 5, ejusdem libelli, *gloriam* appellat *virginitatis* quam misera illa perdiderat, et *gloriam* hanc sæpe etiam in libelli decursu commemorat, ut quanti institutum hoc ipse faceret satis appareat.

Quid vero virgo sacra apud Nicetam fuerit, ipse loquatur. « Eras (inquit eamdem compellans ibidem, num. 6), eras virgo in paradiso Dei, utique inter flores Ecclesiæ; eras sponsa Christi, eras templum Dei, eras habitaculum Spiritus sancti.... Incedebas in Ecclesia tanquam columba illa de qua scriptum est: *Pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in specie auri.* Splendebas ut argentum, fulgebas ut aurum, quando cum sincera conscientia procedebas. Eras tanquam stella radians in manu Domini, nullum ventum, nullas belli nebulas pertimescebas. » Et hæc quidem de sacra virgine, quoad status sui excellentiam, et quoad animæ dignitatem. Quid autem de corpore virginali? *Membra dicata Christo* sacrarum virginum membra pronuntiat Nicetas, capite 4, num. 13. *Sacrum virginis corpus* dixerat sanctus Ambrosius de Virginibus libro II, capite 3, numero 20. *Sacrata Deo corpora* virgines appellaverat sanctus Hilarius Pictaviensis in epistola seu lib. I ad Constantium Augustum, num. 6. *Membra Christo dicata* ipsissimis Nicetæ nostri verbis virgines dixerat sanctus Cyprianus, epistola 60 in editione Baluzii. *Carnem sanctificatam* et *carnem Christo traditam*, scripserat Tertullianus in libro de Velandis Virginibus, capit. 3 et 16.

Sed quid de virginitatis gloria ac de virginibus Deo sacris in communi tunc hominum opinione; quæ certe, etiam inter Christianos, non eadem semper est ac sana præsulum et virorum præstantiorum doctrina? **236** Præclarum sane super hac re orbi universo reliquerat exemplum non longe ab initio quarti sæculi piissima Constantini Augusti mater Helena, quæ Jerosolymis cum esset, ut Rufinus noster Aquileiensis refert Historiæ suæ Ecclesiasticæ libro I, capite 8, « Virgines quas ibi reperit Deo sacratas, invitasse ad prandium, et tanta eas devotione curasse dicitur, ut indignum crederet, si famulorum uterentur officiis, sed ipsa manibus suis, famulæ habitu succincta, cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam manibus infunderet, et regina orbis ac mater imperii famularum Christi se famulam deputaret. » Quid autem quinto sæculo de iisdem virginibus earumque proposito virginali? Intelligimus ex Niceta nostro Christianorum familias summæ honoris ac laudis gloriæ sibi tribuisse ex aliqua sacra virgine, quam Ecclesiæ dedissent. Siquidem supracitato capite 4, num. 15, asserit quod virginis illius lapsæ pater eam *sibi*, dum integra erat, *singularem suam gloriam computabat*, et quod mater quoque *per* illius *virginitatem consolabatur gemitum partus sui.* Hæc certe erat Christianorum illius ætatis communis ubique opinio; A cujus illustrandæ gratia non incongruum erit ea hic inserere, quæ divus Augustinus de sacra virgine Demetriade, ex clarissima Aniciorum Romana familia, scribebat anno 413 aut 414, epistola 150 Maurinæ editionis ad nobiles viduas Probam et Julianam, virginis illius alteram matrem, alteram aviam, quæ eumdem de velationis qua filiæ, qua neptis solemnitate certiorem per litteras fecerant: « Quis verbis, inquit, explicet, quis digno præconio prosequatur; quantum incomparabiliter gloriosius atque fructuosius habeat ex vestro sanguine feminas virgines Christus, quam viros consules mundus? Nam volumina temporum, si magnum atque præclarum est nominis dignitate signare; quanto est majus atque præclarius cordis et corporis integritate transcendere? Magis itaque gaudeat puella nobilis genere, nobilior sanctitate, quod sit per divinum consortium præcipuam in cœlis consecutura sublimitatem, quam si esset per humanum connubium prolem propagatura sublimem. Generosius quippe eligit Aniciana posteritas tam illustrem familiam beare nuptias nesciendo, B quam multiplicare pariendo, et in carne jam imitari vitam angelorum, quam ex carne adhuc numerum augere mortalium. » Hæc sanctus doctor; cui concinit etiam divus Hieronymus epistola 130 ex editione Vallarsii ad Demetriadem ipsam, quam num. 1 appellat *primam in orbe Romano nobilitate et divitiis*, et ubi, num. 6, matrem illius et aviam sibi gratulantes inducit, « quod nobilem familiam virgo (Demetrias) virginitate sua nobiliorem faceret; » sicuti num. 3 Demetriadis patrem Olybrium jam vita functum, feliciorem dixerat, « qui Demetriadis proaviæ nobilitatem insigniorem reddidit, Demetriadis filiæ perpetua castitate: » ex quibus omnibus clarius adhuc elucet, præclarissimas quoque Christianorum familias maximæ sibi gloriæ tribuisse, si quando aliquam ex progenie sua sacram virginem Ecclesiæ contulissent. Hæc autem priorum temporum communis existimatio virginitatis, merito nos ipsos erigit, apud C quos, ex perpetua Ecclesiæ doctrina, non minor angelici hujus status ratio habetur: sed ultra pergamus.

Præclara licet ac sublimis virginitatis gloria haberetur, res ardua nihilominus ac difficilis censebatur virginitatem profiteri; ita ut non modo vis nulla fieret puellis ut stadium hoc ingrederentur, sed etiam ut difficultates illius obeundæ vitæ eisdem præ **237** oculis ponerentur; et nonnisi sero tandem, multisque adhibitis probationibus, ac divina explorata voluntate pro donis gratiæ tanto operi necessariis, atque iis demum ultro volentibus, ac vim quodammodo facientibus, copia daretur profitendæ in conspectu Ecclesiæ virginitatis, ut ex eodem Nicetæ libello, capite 4, num. 17 et 18, ubi hæc omnia cum lapsa virgine peracta fuisse Nicetas ipse testatur, antequam ad virginitatem solemniter Deo dicandam admitteretur. Eadem porro est ratio quæ semper obtinuit in catholica Ecclesia, sacrarum virginum constituendarum; ex probata scilicet earumdem libera D voluntate, ac patefactis divinæ vocationis indiciis: cui tantæ curæ si quando fortasse exitus non respondit (quod tamen divino Spiritu protegente raro admodum contigit), minus certe indiligentiæ præpositorum parentumve tribuendum fuit, quam artibus ejusdem antiqui ac vaferrimi illius serpentis, qui lapsam etiam sanctissimi Nicetæ nostri virginem decepit.

Ad quid reipsa illorum temporum doctrina ferebat de puellis virginitatem professis, quoad propositum seu sponsionem servandæ integritatis? Virgines nimirum hic intelligimus illius instituti, cujus erat lapsa illa virgo Nicetæ; virgines sacras, quæ scilicet non privatim virginitatis voluntatem explicuissent ac Domino etiam in corde suo spopondissent, sed quæ publice et in conspectu Ecclesiæ virginitatis institutum professæ fuissent, accepto nempe velo ab Ecclesiæ præsule, aliisque peractis de more, solemni die ac coram

præsenti populo cæremoniis, de quibus infra ; quæque propterea non simplex continentiæ votum emisisse dicendæ erant, sed prorsus solemne, si tunc ea vocabula, posterius inducta ad eamdem rei substantiam indicandam, in usu fuissent. De his porro virginibus, illorum temporum doctrina idem profecto ferebat, quod semper postea dictum ac servatum fuit de virginibus iis quæ se voto solemni obstrinxerunt servandæ castitatis, dum solemnem emiserunt professionem in aliquo ex approbatis ab Ecclesia virginalibus institutis ; nimirum propositum illud servandæ integritatis veram omnino ac gravem induxisse obligationem, animam afficientem atque conscientiam ; propositum illud fuisse perpetuum, indissolubile atque irrevocabile, et irritum quoque reddens quodcumque posterius intentatum vinculum eidem adversum. Videas propterea Nicetam nostrum in eodem *ad Lapsam* libello capite 5, num. 19, solemnitatem velationis illius virginis, *nuptias* appellantem illius cum *Sponso* suo ac *Domino*, et *fidem* postea commemorantem quam illa tunc eidem *pollicita* fuit ; *fidem* utique peractis *nuptiis* respondentem, ideoque indissolubilem atque perpetuam. Videas sequenti num. 20 actionem illam velationis nuncupatam a Niceta *copulam spiritalem*, ab ea virgine *factam* cum Christo, *inter innumerabiles testes Ecclesiæ*, *coram angelis et exercitibus cœli*. Cum vero sibi objecisset sanctus præsul, num. 21, ad excusationem illius lapsæ, illud Apostoli I Cor. VII, *Melius est nubere quam uri ;* en quomodo et auctoritatem simul rectissime interpretatur, et rem totam declarat super virginitatis proposito in iis quæ velum accepissent. « Hoc dictum (Apostoli) ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Cæterum quæ se spopondit Christo, et sanctum velamen accepit, jam nupsit, jam immortali juncta est viro. Et jam si voluerit nubere communi lege conjugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. » Atque hoc eodem sensu iterum Nicetas, capite 9 num. 39, dum, conversa oratione in juvenem illius virginis corruptorem, ipsum de duobus simul criminibus objurgat **238** uno scelere perpetratis, de adulterio nempe ac de sacrilegio, dicens : « De te autem quid dicam, filio serpentis, ministro diaboli, violatore templi Dei ; qui in uno scelere duo crimina perpetrasti, adulterium utique et sacrilegium ? Satis ita confirmavit sanctus præsul quid sibi voluisset velatio illa solemnis quam lapsa virgo acceperat, cum duo distinguit crimina in illius corruptore, adulterium nempe et sacrilegium ; adulterium scilicet, utpote in jam *nuptam* et *copulatam viro immortali*, viro nempe qui numquam morti obnoxius, numquam proinde locum sponsæ relinquit novis nuptiis licite ac valide ineundis ; sacrilegium vero utpote in nuptam ac copulatam viro immortali *Christo Domino*, cujus spiritalis copulæ præcellentiam ac sanctitatem peculiari etiam quodam modo revereri ipse debuisset. Vox ipsa porro *adulterii*, utrobique a Niceta usurpata post datam de nuptiis ac copula spiritali doctrinam, id simul ingerit animo, quod nuptiæ celebratæ per illud non tolluntur, et vinculum maritale non solvitur, juxta catholicam de matrimonii sacramento sententiam. Censuit igitur Nicetas virginitatis propositum publice a virginibus emissum cum solemni susceptione velaminis, non minus ac postea semper in virginibus solemni voto sacratis, fuisse perpetuum indissolubile atque irrevocabile, nec non et irritum quoque faciens quodcumque vinculum contra illud intentatum. Dum hæc vero tam fidenter Nicetas asserit de virginitatis proposito, ac de vi illius in virginibus quæ velum solemniter accepissent, dubitari nequit quin ex communi tunc Ecclesiæ doctrina in re tam gravi sit ille locutus. Hujusmodi autem doctrina, quæ quinto sæculo ex Nicetæ loquendi modo communis omnino apparet, doctrina proculdubio fuit etiam præcedentium sæculorum : quod et ostenderunt viri docti plerisque adductis illorum temporum monumentis ; ita ut ex ipsorum sententia eos merito errasse dicamus, qui negarunt per quinque priora sæcula irritas Ecclesiæ judicio fuisse nuptias illorum qui solemniter castitatem voverant. Sed jam ad ea quæ disciplinæ sunt gradum faciamus.

Dum hic disciplinam quinti sæculi ex Nicetæ opusculis atque fragmentis eruere nitimur in iis Ecclesiæ usibus seu ritibus, de quibus ibidem mentio est ; non is est animus, ut eamdem in omnibus disciplinam hodie quoque vigere ostendamus, prout de dogmatibus fidei ac morum doctrina factum fuit. Quædam ex disciplina illorum temporum adhuc vigent ; quædam alia sunt illius disciplinæ vestigia ; quædam etiam ex vetusta illa disciplina omnimode obsoleverunt, ut novis pro temporum ratione institutionibus locum darent. Hoc tamen in hac etiam disciplinæ varietate præclarum admiramur, quod Ecclesiæ spiritus unus semper idemque fuit, quo omnia et singula moderata est pro locorum et temporum diversitate, filiorum necessitatibus indulgentissima, modo rigorem tenens, modo remittens, modo vetera instaurans, modo veteribus nova substituens ; de hoc uno in hac agendi ratione sollicita, ut omnes semper Christo homines lucrifaceret, atque ut inter omnes maxime servaret *unitatem spiritus in vinculo pacis*. Singula itaque ex ordine percurramus.

Disciplina quæ competentes respicit, prima est quam in Nicetæ opusculis intuemur, et de qua plura jam superiori capite diximus, dum singula Nicetæ opuscula recensebamus : sed hic peculiaris quidam ritus circa Symbolum fidei competentibus traditum, et a competentibus redditum, recolendus est. Competentes igitur compellans Nicetas in *Explanatione Symboli*, capite 8, post expositam de Trinitate doctrinam, ita loquebatur : **239** « Hanc Trinitatis fidem, fratres, in cordibus firmate vestris. » In hunc eumdem sensum ita ex fragmento seu reliquio Nicetæ 4 habemus : « Ad fidem quisque atque ad baptisma pervenire desiderans instruendus est pariter et docendus, ut brevitatem Symboli in corde memoriter teneat. » Vetus hic, ni fallimur, Ecclesiæ disciplina innuitur, Nicetæ quoque tempore vigens, qua Symbolum fidei competentibus, ex vetustiori adhuc obtinente arcani religione, oretenus tradebatur, et qua Symbolum fidei oretenus quoque ab iisdem reddebatur, vetito prorsus quocumque scriptæ paginæ adminiculo, etiam in memoriæ subsidium cæteroquin opportuno. Sanctus certe Augustinus, sermone 212 in traditione Symboli, num. 2, præclarum habet super hac disciplina testimonium. « Brevem, inquit, sermonem de universo Symbolo vobis debitum reddidi.... Nec ut eadem verba Symboli teneatis, ullo modo debetis scribere ; sed audiendo perdiscere : nec cum didiceritis, scribere ; sed memoria semper tenere atque recolere. Quidquid enim in Symbolo audituri estis, in divinis Scripturarum litteris continetur. Sed quod ita collectum et in formam quamdam redactum non licet scribi, commemoratio fit promissionis Dei, ubi per prophetam prænuntians testamentum novum dixit : *Hoc est testamentum quod ordinabo eis post dies illos, dicit Dominus, dando legem meam in mente eorum, et in corde eorum scribam eam* (*Jerem.* XXXI, 33). Hujus rei significandæ causa, audiendo Symbolum discitur ; nec in tabulis, vel in aliqua materia, sed in corde scribitur. » Sed digna quoque sunt quæ recolantur in hanc ipsam rem alia ejusdem sancti doctoris verba ex sermone, qui inscribitur de Symbolo ad cathecumenos, et reipsa dici debuisset in traditione Symboli ad competentes, atque extra numerum est aliorum sermonum in novissima ejus Operum editione. « Accipite, inquit, filii, regulam fidei, quod Symbolum dicitur. Et cum acceperitis, in corde scribite, et quotidie dicite apud vos : antequam dormiatis, antequam procedatis, vestro Symbolo vos munite. Symbolum nemo scribit ut legi possit : sed ad recensendum, ne forte deleat oblivio quod tradidit diligentia, sit vobis codex vestra memoria. Quod audituri estis, hoc credituri : et quod credideritis, hoc etiam lingua reddi-

turi.... Hoc est enim Symbolum quod recensuri estis et reddituri. » Ita sanctus doctor : ubi animadvertendum est, ita reapse, ex fide tutiorum Augustini operum editionum, legi debere allata verba ; cum lineola scilicet, quam *virgulam* dicimus, inter vocem *diligentia*, et *sit vobis* ; non vero cum puncto post vocem *diligentia*, sicut alicubi eumdem Augustini textum adductum legimus, prout infra videndum erit. Punctum enim ibidem positum sensum textus reddit omnino diversum, et priori ipsius Augustini clarissimo loco prorsus contrarium.

Aliud illustre testimonium hujuscemodi vigentis disciplinæ medio circiter quinto sæculo, et in celebri Ravennatensi Ecclesia sua, exhibet nobis sanctus Petrus Chrysologus sermone 58 in Symbolum apostolorum, ubi competentes Symbolum accepturos ita instruebat. « Accepturi Symbolum, hoc est pactum vitæ, salutis placitum, et inter vos et Deum fidei insolubile vinculum, pectora parate, non chartam ; sensum acuite, non calamum ; et audita, non atramento, sed spiritu ministrante describite : quia committi non potest caducis et corruptibilibus instrumentis æternum et cœleste secretum, sed in ipsa arca animæ, in ipsa bibliotheca interni spiritus est locandum : ne profanus arbiter, ne **240** improbus quod dilaceret discussor inveniat : et fiat ad contemnentis et ignorantis ruinam, quod confitentis et credentis donatum est ad salutem. » Hæc sanctus doctor. Sed et exeuntis quoque ejusdem quinti sæculi documentum pro eadem de Symbolo disciplina præbet Romana Ecclesia in Sacramentario Gelasiano apud Muratorium Liturgia Romana vetus, tomo I, col. 540 editionis Venetæ in-folio, ubi in præfatione Symboli ad electos hæc habentur : « Intentis itaque animis Symbolum discite : et quod vobis, sicut accepimus, tradimus, non alicui materiæ, quæ corrumpi potest, sed paginis vestri cordis ascribite. »

Quid vero post hæc Aquileiensis Ecclesia? Præsto est Rufinus noster celebri suo in Symbolum apostolorum Commentario, num. 2; ubi etiam disciplinam hanc, Symboli non scribendi, traditionem apostolicam appellat, dicens : « Idcirco hæc non scribi chartulis aut membranis, sed retineri credentium cordibus tradiderunt (apostoli), ut certum esset hæc neminem ex lectione, quæ interdum pervenire etiam ad infideles solet, sed ex apostolorum traditione didicisse. » Præterea Aquileiensis ipsa adest vetus Liturgia apud De Rubeis dissertatione de Sacris Forojuliens. Ritibus, capite 11, eruta ex vetustis Aquileiensis Ecclesiæ codicibus, ubi in officio scrutinii ad competentes, quod nuncupatur in aurium aperitione, eadem primo repetuntur electis ipsissima verba quæ paulo ante retulimus ex Sacramentario Gelasiano, cui simillimum officium illud est; deinde hæc alia, quæ in Gelasiano non habetur, peculiaris eisdem additur admonitio de Symbolo non scribendo, inter iteratas hac de causa, quæ ibidem indicuntur, Symboli recitationes. « Hoc autem Symbolum non in charta, aut cera, aut fragili calamo, vel stylo mortali scribi permissum est : sed infigi animis nostris præceptum est graphio fidei et calamo verbi divini, quod penetrat venas, et omnia secreta rimatur. » Ita ibi. Hæc verba porro quamdam redolent antiquitatem, dicere audemus, Sacramentario Gelasiano vetustiorem. Quidni hæc ipsa fuerint antiquiora ac veluti propria Aquileiensis Ecclesiæ verba in hoc ipso scrutinii officio ; quæ etiam post Gelasianum acceptum retenta fuerint, eidemque inserta? disciplina itaque omnium erat Ecclesiarum generatim sæculo quinto, a quibus Aquileiensis non recedebat, ut Symbolum fidei oretenus competentibus traderetur, oretenus a competentibus ediscerctur, oretenus redderetur, excluso quocumque ejusdem scribendi modo : et ad hanc propterea disciplinam respexit Nicetas verbis illis superius allatis ex capite 8 Explanationis, atque ex fragmento seu potius reliquio ejusdem 4.

Non hic est tamen omnino prætereunda singularis opinio clarissimi Petri Lebrunii, tomo II Dissertationum Liturgicarum, quoad Symbolum apostolorum ; quod ille affirmabat per quatuor aut quinque Ecclesiæ priora sæcula non modo a competentibus, sed a nemine prorsus litteris exaratum, et Christianorum memoriæ tantummodo fuisse commendatum. Illum clarissimus Muratorius egregie refellit in dissertatione de Rebus Liturgicis, capite 1, præmissa operi supracitato Liturgia Romana vetus, ad quam lectorem mittimus : sed nonnihil profecto et Muratorius ipse ibidem allucinatus est, dum ex Augustini potissimum loco superius relato in sermone de Symbolo ad catechumenos, et ab eodem perperam lecto, cum puncto scilicet sensum periodi claudente post vocem *diligentia*, loco simplicis virgulæ uti ibidem monebamus, nititur ostendere liberum semper cuique indiscriminatim fuisse **241** Symbolum scribere, etsi non ut legendo recitaretur, certe ut in memoriam ex scripto, si opus esset, revocaretur ; neque aliud sibi velle Patrum monitiones de Symbolo litteris non tradendo, nisi Symbolum ipsum tanti esse pretii, ut quisque fidelium memoriæ tradere, ac sæpe recitare jubeatur, ipsum in mente potius quam in charta scriptum retinens. Verum allata tum Augustini, tum aliorum loca veterem ritum proculdubio firmant, quo competentibus omnimode vetabatur Symboli scriptio, ut fidem juxta Apostolum *ex auditu* haberent, atque ut extra spem positi juvandæ ex scripto memoriæ Symbolum et diligentius addiscerent et tenacius retinerent ; nec non ut arcani quoque disciplina servaretur, qua sicuti cavebatur ne Symbolum catechumenis traderetur antequam ad competentium gradum pervenissent, ita et caveri debebat ne forte ex pluribus quæ a competentibus scribi poterant ejusdem exemplis, aliqua in manus pervenirent eorum quibus illud habere nondum licebat ; sicut etiam ob quamdam Symbolo debitam reverentiam, qua conveniebat ut illud ex ore potius quam ex charta acciperent competentes, uti ex allatis textibus intelligimus. Dicamus igitur oportet, tum contra Lebrunium, tum contra Muratorium, vetitum quidem reipsa fuisse antiquitus competentibus Symbolum scribere etiam ad proprium usum, dum in competentium ordine permanebant ; minime vero vetitum fuisse Symbolum scribere episcopis, presbyteris, aliisque de clero, quibus docendi onus incumbebat, sicuti neque fidelibus quibuscumque e tirocinio Christianæ institutionis egressis.

Quæri nunc posset, quamdiu hæc disciplina in Ecclesia perduraverit? At monumenta quæ attulimus, disciplinam hanc ubique vigentem ostendunt toto sæculo quinto ; cum scilicet multi ex Judæis atque gentilibus quotidie et ubique ad ecclesiam venirent, et catechumenorum ac competentium institutio præcipua esset episcoporum clerique cura. Desiit igitur fortasse, cum adaucto ubique Christianorum numero, immo provinciis per orbem ex integro Christianis factis, catechumenatus disciplina, prout fuerat ab initio instituta, pedetentim obsolevit.

Cæterum, ut de Aquileiensi Ecclesia aliquid distinctius attingamus, occasione hujus ritus a Niceta nostro memorati : in quibusdam Collectaneis dictis de Antiquis Ritibus baptismi eorumque Significatu, quæ exstant cum epistola Maxentii patriarchæ Aquileiensis ad Carolum Magnum de Significatu rituum ac cæremoniarum baptismi, apud Bernardum Pezium, tomo II Thesauri Anecdotorum novissimi, quæque non improbabiliter ab eodem Maxentio collecta dixerimus in suum et Ecclesiæ suæ usum, utpote quæ, ut admonet clarissimus editor, in eodem ipso codice et apud eamdem Maxentii epistolam consistebant ; in his, inquam, Collectaneis dictis sub num. 4 eumdem legimus Rufini textum a nobis superius relatum, de Symbolo non in membranis scribendo, sed cordibus retinendo; unde inferimus eumdem tunc quoque apud Aquileienses viguisse usum, quoad competentes, Symboli nimirum non scribendi, sed oretenus tantum accipiendi. Maxentius autem Aquileiensem rexit Ecclesiam ab undecimo

circiter noni sæculi anno, ut apud De Rubeis in Monumentis. Præterea Aquileiensis ordo scrutinii in aurium aperitione superius memoratus, qui monitionem illam præbet Sacramentarii Gelasiani, aliamque insuper suam propriam, de Symbolo a competentibus non scribendo, uti vidimus; quamdam temporis notam habet, quam in citata dissertatione sua, capite 10 expendit idem De Rubeis, et unde colligit scrutinium **242** illud in usu Aquileiæ fuisse nono certe aut etiam decimo Ecclesiæ sæculo. Hac igitur etiam sera ætate monitiones illæ fiebant in Aquileiensi Ecclesia inter scrutinia baptizandorum, de Symbolo ab eisdem non scribendo : atque hæc demum de hujusmodi ritu dixisse sufficiat.

Competentes itidem respicit ritus alter renuntiationum ab eisdem faciendarum, antequam redderent acceptum Symbolum. Hujus ritus meminit Nicetas Explanationis capite 1, et fragmento 3. Sed cum de hoc plura dixerimus superiori capite, dum libellum Nicetæ quintum *de Symbolo* recenseremus; hic hujus ritus sufficiat meminisse. Symbolum fidei appellat pactum Nicetas a competentibus cum Domino factum, communi tunc inter Patres dicendi modo e divinis Scripturis hausto, iisdemque usitatissimo; quo significaretur fides veluti Domino data a competentibus in Symboli redditione coram testibus, et a qua propterea illis recedere non licebat. « Retinete semper pactum quod fecistis cum Domino, id est hoc Symbolum, quod coram angelis et hominibus confitemini. » Explanationis capite 15. Hoc nimirum erant competentes singulari vinculo obstringendi, fidei scilicet semel datæ atque solemniter Christianæ religionis conservandæ, ob grave periculum apostasiæ quod tunc imminebat, ex numero non exiguo, paganorum maxime, quibuscum erat vivendum. Aiebat præterea Nicetas, fragmento 5, *Symbolum esse commonitorium fidei;* atque hoc ab omnibus communiter *teneri* ac *disci.* Satis apto vocabulo *commonitorium fidei* Symbolum appellabat, seu ratione habita ad fidem datam, ut jam dicebamus, Christianæ servandæ religionis in Symboli redditione, seu habita quoque ad mysteriorum fidei professionem in eo contentam : quod autem addit, Symbolum *ab omnibus communiter disci atque teneri*, perpetuum firmat Ecclesiæ morem, quo Symbolum fidei vel ipsis pueris baptismate renatis, cum primum balbutire incipiunt, perdiscendum tradimus, et quo ab omnibus omnino ejusdem professionem exigimus. Quam frequens in scriptis Patrum exorcismorum mentio ante baptismum ! Horum autem meminit quoque Nicetas in fragmento suo 6, ubi quid exorcismi sint, et ob quam causam ante baptismum adhibeantur, breviter simul ac elegenter indicat. Hujusmodi igitur exorcismorum ritum in baptismatis administratione ex perpetua Ecclesiæ traditione sancte retinemus. Quod spectat autem ad *Neophytos*, id est recens baptizatos, die sancta Dominicæ Resurrectionis; ecce Nicetæ quoque testimonium de ritu luminum, hoc est *cereorum* ardentium, quos manu gestabant donec Liturgiæ ordo compleretur; nec non et de vestibus candidis, quas tunc induebant in signum gratiæ atque innocentiæ in baptismate acceptæ : « In tanto tamque solemni conventu Ecclesiæ Dei, inter lumina neophytorum splendida, inter candidatos regni cœlestis, etc. » Ita *ad Lapsam*, capite 5, numero 19. Utrosque hos ritus in infantium baptismate hodie quoque aliqua ex parte servamus, et in baptismate adultorum ex integro retinemus.

Alia nunc nos vocant, quæ ædium tunc sacrarum cultum respiciunt, et nonnulla nobis exhibent quæ in Christianorum ibidem conventibus agebantur. Vigiliarum morem memorat Nicetas, uti plene ætate sua vigentem, in libello *ad Lapsam*, capite 6, numero 22; morem scilicet ducendi in sacris ædibus inter divinas laudes noctes illas quæ præcipuas anni festivitates præcederent. Hæc autem, non cleri tantummodo, sed et totius populi, ut notissimum est, consuetudo erat, cujus vestigium aliquod nobis **243** nunc superest in sola nocte Nativitatis Dominicæ. « Noctem convertistis in diem per sacras istas vigilias . nolite rursus diem in noctem per ebrietatem et crapulam, ac meretricios cantus convertere, » aiebat ad populum sanctus Joannes Chrysostomus, homilia 59 in Martyres. At præclarum præbet harum vigiliaraum exemplum in Occidentali Ecclesia ipso Nicetæ quinto sæculo Sidonius Apollinaris Epistolarum libro v, epistola 17, ubi mentionem facit vigiliarum pro anniversaria solemnitate sancti Justi episcopi Lugdunensis; et ubi *ingens populus* ad has vigilias præsens asseritur *sexu ex utroque, quem capacissima basilica non caperet, et quamlibet cincta diffusis crypta porticibus*. Sed ad Nicetam nostrum. Non vigiliarum modo Nicetas ibidem meminit, sed lucem etiam notat vigiliarum, tantamque lucem quæ oculos perstringere posset : « Quomodo oculos tuos non perstringebat lux vigiliarum? » Quis hic non videat Aquileiensis Ecclesiæ cultum, decorum sane ac splendidum, et jam tunc in luminaribus præsertim sacrarum ædium effusum? *Numerosa lumina* in vigiliis solemnitatis sancti Justi memorabat Sidonius ipse loco nuper citato.

Sed et cantus quoque hymnorum spiritalium ibidem a Niceta memoratur, veluti in Ecclesia sua obtinens : « Quomodo, inquit, ... aures tuas non penetrabat hymnorum spiritalium cantus? » Jam tunc igitur in Aquileiensi Ecclesia obtinebat ritus cantandi psalmos et hymnos in conventibus sacris; quem ritum ex Oriente acceptum primus adoptaverat in Occidente sanctus Ambrosius, et quem postea cæteræ Ecclesiæ, causa spiritualis utilitatis inde manantis, protinus suum quoque fecerunt, uti ex Augustino intelligimus Confessionum libro ix, capite 7. Jam vero cantum Ecclesiæ suæ Nicetas commemorat, non qui aures mulceret, sed qui *aures penetraret*, atque inde præcordia afficeret, sanctosque affectus gigneret : quæ utique cantandi ratio ea fuit, quam in sua Mediolanensi Ecclesia invexit sanctus Ambrosius, cujusque effectus sane mirificos in se ipso expertus fuit sanctus Augustinus, qui in citato Confessionum libro, capite 6, ita ad Deum conversus fatebatur : « Quantum flevi in hymnis et canticis tuis, suavesonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter ! Voces illæ influebant auribus meis, et eliquabatur veritas tua in cor meum : et exæstuabat inde affectus pietatis, et currebant lacrymæ, et bene mihi erat cum eis. » En igitur quid sibi vellet etiam in Aquileiensi Ecclesia cantus de quo Nicetas loquitur; cantus scilicet qui *aures penetraret.*

Meminit demum Nicetas loco citato etiam lectionum cœlestium, quæ in Ecclesiæ suæ conventibus habebantur; id est lectionum sacrorum librorum, quæ sacræ Liturgiæ partem constituebant; atque harum lectionum notat etiam virtutem : « Quomodo... mentem tuam non ventilabat lectionum cœlestium virtus? » Ab Ecclesiæ exordio sacræ lectiones veteris Testamenti usurpatæ fuerunt in ecclesiastica Liturgia, deinde etiam novi, simul ac Evangelia et reliqua scripta apostolica prodierunt, ut ex monumentis antiquioribus habemus : sed sæculo quinto, ut Mabillonius aliique animadvertunt, jam erat in usu penes Ecclesias earumque ministros libellus quidam, cui nomen *Comes* (quod præsto semper esset sacris templi ministris), et antiquus sane, ita ut eum nonnulli sancto Hieronymo, quamvis perperam, attribuerint; qui libellus lectiones indicabat singulis diebus adhibendas in sacris. Numquid et in Ecclesia Aquileiensi hujus libelli usus Nicetæ ætate? Probabiliter sane : etenim eodem **244** loco memorat Nicetas peculiares novi Testamenti Lectiones, quæ juxta illum *ventilare mentem* debuissent lapsæ illius : deinde subdit numero 23 : « Hæc tanta et tam terribilia non tibi veniebant in mentem, cum ad illud opus nefarium tua membra peterentur, etc.? » Oportebat igitur statis per annum temporibus verba illa in Ecclesia Aquileiensi tunc temporis lecta fuisse, ac pluries præteritis etiam annis eadem verba recurrente tempore in Ecclesia lecta virginem lapsam audisse, ut juste a Niceta de oblivione cœlestium earum lectionum exprobrari merue-

rit. Hoc autem facile suadere videtur, ordinem quemdam etiam Aquileiæ in usu positum, qui per anni circulum lectiones in sacris adhibendas indicaret; et hunc non alium fuisse quam libellum *Comes*, qui eodem sæculo communis jam erat usus. Hic liber *Comes* maximæ tunc erat utilitatis, addam etiam necessitatis, Ecclesiæ ministris ad legendas in sacris conventibus, debito ordine, justoque modo singulis vicibus, et quæ diebus singulis convenirent, divinas Scripturas; quarum exemplaria tunc, indivisa atque integra, magna religione servabantur hac de causa in ecclesiarum sacrariis. Nos a sæculis hoc *Comite* non indigemus, qui Scripturarum lectiones jam sectas in partes, suoque ordine dispositas, ac per dies singulos distributas habemus in nostris ecclesiasticis libris, qui typorum gratia in omnium manibus versantur.

Quid vero virtus cœlestium illarum lectionum, quam notat Nicetas? Virtus procul dubio eisdem insita indicatur, juxta illud Apostoli (*Hebr.* IV) : *Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis.* At virtus illa probabiliter etiam ex ministrorum legentium pronuntiatione venicbat, seu lectiones illæ simpliciter legerentur, seu etiam cantarentur *cum liquida voce et convenienti modulatione*, prout etiam nunc in Ecclesiis cantari solent; et cujus cantus *magnam utilitatem* agnoscebat sanctus Augustinus Confessionum libro x, capite 33.

Sed jam nos revocat sacrarum virginum institutum, de quo, quid doctrinæ Nicetæ Aquileiensis tempore esset, jam vidimus supra; ut nunc, quæ ad disciplinam quoque pertinent, exploremus. De sacris scilicet etiam nunc eisdem virginibus loquimur, quæ castitatem publice in Ecclesia profitebantur, accepto solemniter ab episcopo sacro velamine, aliisque peractis ad hujusmodi sacrum ritum cæremoniis. Monasterium itaque virginale in primis a Niceta nostro memoratur in libello *ad Lapsam*, capite 7, num. 28 : « Oblita domum patris tui, ut scriptum est, ad monasterium virginale transisti. » Ubinam vero situm hoc monasterium virginale Aquileiensis Ecclesiæ sub Niceta? Aquileiæ nimirum, et *in media civitate*, ut non ægre colligimus ibidem ex capite 4, num. 12. Prius sacras virgines in Ecclesia exstitisse solemne propositum virginitatis professas, quam earum receptacula, in quibus una simul diversarentur ac communi quadam regula viverent, res explorata videtur apud eruditos, ubi sacratarum virginum primævæ ætatis exempla complura, quæ propriis in domibus morabantur, aut solæ, aut certe paucis sociabus unitæ. Asceteria quædam nihilominus exstitisse sacrarum virginum, vel a primis Ecclesiæ temporibus, maxime vero in Orientis partibus, eruditi itidem probare contendunt. Præclarum quiddam de primis et antiquissimis sacrarum virginum cœtibus animadvertit clarissimus Alteserra in opere cui titulus Asceticωn, **245** sive Originum rei monasticæ, libro III, capite 2, ubi ita scribit : « Temporibus apostolorum nequaquam auditum est nomen monachorum : ab ipsis tamen apostolis sacrarum virginum et viduarum collegia in Ecclesia esse cœpere. » Quidquid autem sit de collegiis his sacrarum virginum apostolicis, quæ ad instar fuerint asceteriorum posterioris ævi; de re scilicet haud quidem satis hactenus explorata; certum tamen ex monumentis veteribus jam videtur, sacrarum virginum societates, post datam a Constantino Ecclesiæ pacem, publice exstitisse etiam in Occidente, easque virgines una simul sub quadam disciplinæ regula vixisse in ædibus ad hoc institutis, quæ monasteria vocarentur; etiamsi nihilominus consuetudo quoque vigeret ut quædam ex his sacris virginibus, etiam accepto ab episcopo sacro velamine, vitam domesticos inter parietes agerent, uti patet de celebri illa Demetriade ex Aniciorum progenie de qua superius dicebamus ex epistolis sanctorum Augustini atque Hieronymi, nec non et de Marcellina sancti Ambrosii sorore, aliisque.

Non multis abhinc annis prodiit liber Italice scriptus, cui titulus, *Delle Monache di Sant' Eusebio, primo monastero d'Occidente*, cujus alteram editionem vidimus Vercellis cusam anno 1785, in forma octavi, uti aiunt. Longe absumus ut ea hic infirmare velimus, quæ eruditus auctor asserit primo et secundo hujus operis capite de fundatione et loco hujusce monasterii, sicut etiam de ejusdem regula : sed ea nihilominus firmioribus niti momentis cuperemus, ut quemlibet possent etiam persuadere, sicuti profecto eruditum atque delectant. Hoc autem si vitium est, non est sane operis, sed peculiaris illius argumenti, quod, ob defectum hac in parte monumentorum indigenorum, sterilitate quadam laborat sua, aliunde propterea supplenda, uti reipsa ab auctore abunde suppletur eruditione omnigena ab omni antiquitate petita, qua libellum instruxit, et gratum reddidit sacræ antiquitatis cultoribus. Demus nihilominus, quarto vergente sæculo, aut etiam circa medium ejusdem sæculi, Vercellensem Ecclesiam, Eusebii episcopi merito, sacrarum virginum monasterium habuisse, prout virorum habebat, qui simul et monachi erant et clerici, unde tantopere Eusebii episcopi memoria celebratur. Demus insuper hoc *primum* reipsa fuisse in Occidentis partibus sacrarum virginum monasterium. Quid interim de virginali monasterio Aquileiensi censebimus, post medium tantum quintum sæculum a Niceta nostro primum memorato? Conjicere sane possumus, neque prorsus invite, ad quartum Ecclesiæ sæculum pertinere etiam virginale monasterium Aquileiense, immo ad ipsam Eusebii Vercellensis ætatem, si vel ea recolamus quæ in mantissa ad caput quartum hujus dissertationis attigimus; et si mentem præsertim ponamus ad nonagenariam ætatem illius sacratæ virginis Columbæ, de qua ibidem ex nostrate lapide Osopiensi, quæque verisimiliter ad virginale monasterium Aquileiense pertinuit.

Celebratissimum Ecclesiæ Aquileiensis clerum ibidem jam vidimus sub Valeriano episcopo, qui anno circiter 368 aut 369 episcopatum Aquileiensem inivit. Celeberrimum itidem monasterium virorum eodem tempore Aquileiæ sanctitatis ac doctrinæ fama florens agnovimus : cultamque simul virginitatis laudem a sequiori sexu ex divi Hieronymi testimonio intellexinus. Quidni et monasterium jam tunc steterit virginale, merito illius cleri tantis laudibus celebrati; præsertim vero si recolamus, magis semper interfuisse tutelæ ac decori virginum providere, communi earumdem habitaculo constituto, quam **246** monachorum disciplinæ? Præterea nonagenaria illa sacrata virgo Columba, quæ anno 453 obiit, uti ibidem ex Fontanini animadversionibus innuebamus, quæque ad monasterium idem virginale Aquileiense verisimiliter pertinuit de quo Nicetas noster loquitur, uti ipse quoque eruditus præsul eodem loco ex iis quæ præmiserat procul dubio deduxisset, nisi aliam a nostra de Niceta hoc libelli *ad Lapsam* auctore sententiam cum communi tunc eruditorum calculo amplexatus esset; illa, inquam, nonagenaria Virgo ætate ipsa sua ostendit monasterium virginale Aquileiense ad quartum sæculum pertinere. Ac certe Fontaninus idem Commentarii sui capite 16, virginem Columbam sacratam fuisse conjicit a Valeriano Aquileiensium episcopo, qui anno circiter 388 aut 389 ad superos evolavit, ut apud De Rubeis in Monumentis; etiamsi eamdem dixerimus non ante vigesimum suæ ætatis annum sacrum velamen virginitatis accepisse : quamvis, pro tunc ibidem asserta, et obtinente in his regionibus disciplina, etiam junioris ætatis puellæ judicii maturitatem præseferentes hujus voti compotes fierent, uti ex monumentis quæ idem profert, ac maxime ex quodam lapide Vercellensi apud Gruterum pag. 1170, num. 1, ubi virgo quædam demortua indicatur anno ætatis suæ 13, quæ jam tunc « Texerat.... sacros casto velamine crines. » Jam igitur cum virginali mona-

sterio Aquileiensi, quantum conjectando licet, prope accedimus ad Eusebii Vercellensis ætatem, cujus extrema pars primos tetigit episcopatus annos Valeriani Aquileiensis. Sed adhuc aliquid tentandum est.

Quisnam fuit qui ex Oriente in Occidentem monasticam utriusque sexus disciplinam aut invexit, aut certe commendabiliorem reddidit et ampliavit? Magnus nimirum ille Athanasius, divo Hieronymo teste, epistola 127, num. 5, ad Principiam virginem, dum exsul a sede sua Alexandrina Italiæ partes peragraret. Athanasius porro, et Aquileiæ quoque tunc fuit, hospes Fortunatiani Aquileiensis episcopi, Valeriani prædecessoris, anno 348, ut apud De Rubeis in Monumentis, capite 6, num. 5, et ecclesiasticis Aquileiensis Ecclesiæ conventibus cum Fortunatiano episcopo operam dedit. Quidni auctor tunc ipse fuerit Fortunatiano eidem Aquileiensi, ut virgines sacras ibidem degentes in unum invitaret locum, et monastica Orientis disciplina erudiret; et ita monasterium virginale Aquileiense jam tunc Athanasii Alexandrini studio, et Fortunatiani Aquileiensis episcopi cura ortum habuerit? Hoc autem dixisse sufficiat de virginali monasterio Aquileiensi a Niceta memorato, ut idem multo Niceta vetustius intelligamus, ac certe non ita posterius monasterio virginali Eusebii Vercellensis; etiamsi hoc fortasse fuerit in Occidente *primum*, ut auctori præcitati opusculi placuit.

At quotenis virginibus sacris constitisse putabimus virginale monasterium Aquileiense sub Niceta? Monasterii hujus virgineos choros memorat ipse *ad Lapsam*, capite 6, num. 22, dicens : « Quomodo tibi.... non veniebat in mentem.... processus in Ecclesiam inter virgineos choros? » Hæc autem dicendi ratio numerum procul dubio indicat non exiguum sacrarum virginum in illo monasterio virginali degentium. Ac profecto cum frequentiora tunc temporis non essent, prout postea fuerunt, in una eademque ecclesia, in una eademque urbe, saltem in Occidente, sacrarum virginum monasteria; illud unum aut alterum, quod exstabat, abundare debuit virginibus ex universa diœcesi ibidem collectis. Jam vero, ut de numero etiam sacrarum virginum in monasteriis antiquitus viventium nonnihil **247** dicamus; si de Ecclesia Orientali loquamur, ubi monastica tum virorum tum mulierum primum viguit disciplina, mirabilia sunt quæ ex ecclesiasticis monumentis habemus de numero virginum ibidem in monasteriis degentium vel ipso quarto Ecclesiæ sæculo. Sanctus Ambrosius in libro de Virginitate, capite 7, num. 36, ab eodem scripto, ut editoribus Maurinis visum fuit ex indiciis quæ Ambrosius ipse suppeditat, circa annum 378, hæc habet : « Discite quantas Alexandrina, totiusque Orientis, et Africana Ecclesia quotannis sacrare (virgines) consueverint. Pauciores hic homines prodeunt quam illic virgines consecrantur. » Ac profecto ex Historia Lausiaca Palladii, capite 34, habemus, quod in Tabennensi solitudine, quæ est in Thebaide, *tercentarum virginum* monasterium exstitit sub Helia abbate, qui illarum curam cum laude gessit per annos quadraginta. Non sine autem stupore maximo intelligimus ex Rufino nostro, de Vitis Patrum, libro I, capite 5, unam Oxyrinthi civitatem in Ægypto, ex relatione episcopi loci illius sibi facta, continuisse *sacrarum virginum viginti millia*, nec non et decem millia monachorum. Quid vero de monasterio virginali quod in sancta Bethlehem civitate fundaverat celebris Romana vidua Paula, Gracchorum et Scipionum sanguine clara, sed longe clarior Christiana humilitate atque pietate; et de qua Hieronymus epistola 108 ad Eustochium filiam, ex editione præcitata Vallarsii? « Plures virgines, inquit ille, quas e diversis provinciis congregarat, tam nobiles, quam medii et infimi generis, in tres turmas monasteriaque divisit; ita dumtaxat, ut in opere, et in cibo separatæ, psalmodiis et orationibus jungerentur.... Unumquodque agmen matrem propriam sequebatur, etc. » Magnam virginum copiam Bethlehemitici monasterii hic certe cognoscimus, ex ipsa dicendi ratione. Adeo vero monasterium hoc virginale decursu temporis sub Paula crevit, ut idem Hieronymus ibidem dicere potuerit num. 30, quod *fratrum et sororum*, id est monachorum et virginum, *immensam multitudinem* Paula moriens reliquerat.

At non eadem eo tempore in Occidentis partibus, et in Italia ipsa, virginum copia in virginalibus monasteriis. Præclarissimos habuit de virginitate sermones sanctus Ambrosius ad populum suum, qui postea eodem auctore in opuscula coaluerunt, quorum tituli : *De Virginibus ad Marcellinam sororem; de Virginitate; de Institutione Virginis; Exhortatio Virginitatis.* Sed conquerebatur idem sanctus præsul, sermonibus suis se parum aut nihil proficere apud Mediolanenses suos; ubi, matrum etiam opera, prohibebantur puellæ virgines prodire ad audiendum ipsum de Virginitate dicentem : atque asserebat de Placentino potius, de Bononiensi, ac de Mauritania quoque ad se venire virgines ut velum acciperent, prout libro I de Virginibus, capite 11. Ipse autem eodem loco summis laudibus extollit virgines præsertim Bononienses, *quæ mundanis se deliciis abdicantes, sacrarium virginitatis incolunt* (id est monasterium virginale), *relictoque parentum hospitio, tendunt in tabernaculis Christi, indefessæ milites castitatis.* Verum quotis demum virginibus constabat monasterium hoc Bononiensium virginum, adeo ab Ambrosio celebratum, ad pudorem simul atque fervorem in Mediolanensibus excitandum? Non amplius certe quam viginti, ut idem fatetur; licet parvum hunc numerum, ex copia fructus amplificare gestiat. « Sine contubernali sexu (aiebat sanctus doctor) contubernali pudore provectæ ad vicenarium numerum et centenarium fructum. »

248 Quid iisdem prope temporibus ipsa Ecclesiarum omnium princeps Ecclesia Romana? Testis est sanctus Hieronymus supracitata epistola 127 ad Principiam virginem de Laudibus Marcellæ viduæ, num. 5, quod hujus Marcellæ tempore, id est circa medium sæculum quartum, « nulla nobilium feminarum noverat Romæ propositum monachorum, nec audebat propter rei novitatem, ignominiosum, ut tunc putabatur, et vile in populis nomen assumere. » *Prima* propterea quæ *Romanæ urbis virgo nobilis esse cœpit*, juxta eumdem Hieronymum, epistola 22, num. 15, ad Eustochium, data anno Christi 384, Eustochium ipsa fuit, Paulæ filia, quæ una cum matre in Bethlehemitico monasterio vixit. Quod itaque ad ipsam Romam pertinet, ubi monasticum propositum *rei novitas* erat juxta Hieronymum, nulla prorsus ante Marcellam videntur ibidem fuisse virginalia monasteria; atque hæc tandem cœpisse post Athanasii illuc adventum, immo et Petri qui Athanasio in episcopatu successit, ac Romæ et ipse fuit anno Christi 373 vel 374, et a quo probabilius Marcella ipsa « monasteriorum in Thebaide, Pachumii, et virginum ac viduarum didicit disciplinam, » ut Hieronymus ipse supracitata ad Principiam epistola, num. 5, et Vallarsius in notationibus. At quam tenue exordium tunc habuit primum illud Marcellæ Romanum monasterium feminei sexus! Una scilicet et altera tantum constitit, Marcella nempe vidua, et Principia virgine, quæ *suburbanum agrum pro monasterio habuerunt, et rus electum pro solitudine*, ut Hieronymus ibidem, num. 8. Harum tamen duarum exemplum veluti semen fuit fecundissimum, unde brevi Romæ orta virginum monasteria, atque hæc multarum virginum numero aucta : « Multoque ita vixistis tempore, subdit Hieronymus, ut ex imitatione vestri, conversatione multarum gauderemus Romam factam Jerosolymam. Crebra virginum monasteria, monachorum innumerabilis multitudo; ut pro frequentia servientium Deo, quod prius ignominiæ fuerat, esset postea gloriæ. » Brevi igitur, id est jam anno 412, quo hæc scribebat Hieronymus, ex principio tam exiguo, ea Occidens habuit in sacrarum virginum cœtibus, quæ Orienti amplius non invideret, et ita, præsertim Romæ, abundare cœperunt virginibus mo-

nasteria, ut millesimum numerum longe excederent, et ut non minus quam tria millia reperirentur Gregorii Magni ætate, id est sæculo exeunte sexto, ut ex ejusdem epistola 26 libri VII, alias 23 libri VI. Nil propterea mirum, si etiam Aquileiæ, Nicetæ nostri ætate, id est quinto inclinante sæculo, monasterium virginale, quod ibi positum erat, sacris virginibus abundaret, quæ vere choros virgineos constituerent. Sed ad alia virginalis disciplinæ capita procedendum.

Ipsa nunc virginum initiatio expendenda venit, quæ peculiariter a Niceta nostro in libello *ad Lapsam* indicatur capite 5, num. 19 et 20. Solemnis nempe velationis ibidem mentio, in qua sita erat virginalis propositi publica et plena professio; divini quoque altaris, ubi velationis cæremonia peragebatur; diei sanctæ Dominicæ Resurrectionis, qua post baptismatis solemnitatem, inter neophytorum candidatorum lumina, virgines procedebant, ut *velamen* acciperent, quo spiritales earumdem nuptiæ cum Christo rege significabantur: « Non es memorata diei sanctæ Dominicæ Resurrectionis, in qua divino altari te obtulisti velandam? In tanto, tamque solemni conventu Ecclesiæ Dei, inter lumina neophytorum splendida, inter candidatos regni cœlestis quasi **249** Regi nuptura processeras. »

Mulierum velationem in ecclesia gravi quidem sermone præcepit Apostolus I Cor XI, quod præceptum non modo mulieres nuptas respicere, sed etiam non nuptas, ac maxime virgines ex proposito pluribus ostendebat, tertio ineunte sæculo, Tertullianus in libro de Velandis Virginibus, quem scripsit anno 210, ut Pamelio visum, adversus abusum tunc alicubi exortum, quo virgines sacræ incedebant non velatæ: ubi inter alia hæc capite 16, notatu dignissima habet, atque ad rem nostram opportuna: « Adimple habitum mulieris (velando scilicet teipsam, o virgo), ut statum virginis serves. Mentire aliquid ex his quæ intus sunt, ut soli Deo exhibeas veritatem: quamquam non mentiris nuptam; nupsisti enim Christo: illi tradidisti carnem tuam, illi sponsasti maturitatem tuam. Incede secundum sponsi tui voluntatem. Christus est qui et alienas sponsas et maritatas velari jubet, utique multo magis suas. » Hæc ille.

Velatione autem, vel a primis Ecclesiæ temporibus, peractam fuisse publicam et solemnem virginum initiationem, monumenta testantur. Virginum nimirum velatio spiritale connubium indicabat, quod virgo inibat cum Christo sponso; quemadmodum velatio quoque novæ sponsæ adhibebatur apud Romanos in ritibus nuptialibus, ut satis notum eruditis. Licet vero exemplum aliquod in divinis Scripturis appareat velationis hujusmodi in Rebecca, ut primum vidit Isaac sponsum suum, Geneseos XXIV, ac hodie quoque vigeat inter Hebræos exemplo Ruth Moabitidis, Ruth III, 19, ut novimus ex Buxtorfio Synagogæ Judaicæ capite 39; velandi tamen virgines consuetudinem, ad connubium earum spiritale indicandum, in Ecclesia inductam fuisse facilius crediderim ex more sæcularium nuptiarum qui tunc in Romano orbe vigebat, quique inter Christianos ipsos priscis temporibus locum habuit, omni tamen idololatriæ superstitione sublata, immo etiam velationis ejusdem usu ad divinam matrimonii originem ostendendam sanctificato; ut præsertim patet ex epistola 1 Siricii papæ ad Himerium Tarraconensem episcopum, cap. 4, apud Coustantium, data circa annum Christi 385, ubi velationis conjugalis inter Christianos mentio est; et ut constat quoque ex divi Ambrosii epistola 19 classis I, eodem tempore data ad Vigilium episcopum Tridentinum, num. 7, ubi conjugii Christiani sermo, quod *sanctificari oporteret velamine sacerdotali et benedictione*, id est velamine per sacerdotem sponsæ capiti imponendo, ut Maurini editores ad hunc locum annotant. Flammeum, seu etiam flammeus, velum illud conjugale apud veteres vocabatur: et flammeum quoque, ob rei similitudinem, appellatum fuit virginale velamen inter Christianos; ut apud Hieronymum in epistolis supracitatis, apud Ambrosium in operibus similiter quæ scripsit de Virginitate et de Virginibus, ac apud alios passim, ut eruditis itidem notum. Cujus rei porro denotandæ causa velatio conjugalis apud Romanos primitus adhibita? « Flammeo amicitur nubens (aiebat Festus Pompeius Grammaticus) ominis boni causa, quod eo assidue utebatur flaminia, id est flaminis uxor, cui non licebat facere divortium. » Quid non simile ad hanc ipsam innuendam rem, perpetuam scilicet atque indissolubilem sacrarum virginum cum Christo sponso unionem, in Ecclesiæ precibus ad hæc usque tempora, dum virginum capiti in earum initiatione velamen imponitur? « Accipe velamen sacrum, quo cognoscaris.... te Christo Jesu veraciter humiliterque, toto cordis annisu, sponsam perpetualiter subdidisse. » **250** Ita in Pontificali Romano, de Benedictione et Consecratione virginum: neque dubium ullum quin ex vetustioribus Ordinibus, etiamsi fortasse hodie desideretur in Liturgicis Collectionibus quas habemus veteris Romani ritus; neque dubium pariter ullum, quin ex primæva prorsus Ecclesiæ disciplina. Videtur igitur non immerito velationis virginum cæremoniam originem duxisse ex conjugali veterum, tum ethnicorum, tum Christianorum etiam, velatione, ad indicandum spiritale virginum, nec non et indissolubile quoque, cum Christo connubium; prout *ominis boni causa* prius inductum fuerat apud Romanos conjugale velamen, quo scilicet, etsi non omnimode apud illos admitteretur, optaretur saltem indissolubilis nuptiarum nexus, ad exemplum uxoris flaminis quæ hoc velamine *assidue utebatur* juxta Festum, et *cui non licebat facere divortium;* et prout idem velamen etiam adhibebatur in connubiis Christianorum, ad absolutam nempe, ex Christianæ religionis institutis, vinculi conjugalis perpetuitatem indicandam.

Quod nunc spectat ad vetustiora velationis virginum monumenta, adest pro primo Ecclesiæ sæculo in Martyrologiis memoria, ad diem 7 Maii, *Beatissimæ atque Illustrissimæ Dei famulæ Flaviæ Domitillæ*, ut legimus apud Adonem; quæ etiam ibidem dicitur, sicut et alibi quoque, « a sancto Clemente sacro velamine ad integritatis perseverantiam consecrata. » Duo hic habemus: et sacro velamine sacratas fuisse ab ipso Ecclesiæ exordio in Romana Ecclesia Christianas Virgines; et sacrum ipsum velamen adhibitum reapse fuisse ad *integritatis perseverantiam* indicandam, id est perpetuam virginum hujusmodi cum Christo sponso unionem, prout *ominis boni causa*, juxta Festum, uti antea dicebamus, velabantur eodem tempore apud gentiles hominum sponsæ ad perpetuitatem iniri seu ineundi connubii saltem auspicandam, et prout similiter apud Christianos ad perpetuitatem eamdem reapse et absolute asserendam. Nos quidem non latet, Adonem aliosque martyrologos Flaviæ Domitillæ virginis et martyris prolixum, quod exhibent, elogium hausisse ex Actis sanctorum Nerei et Achilei, quæ apud eruditos in sinceritate claudicare videntur, et in quæ *immitius* etiam *præter suum morem fertur* Tillemontius, tomo II, uti admonet clarissimus Dominicus Georgius in Adonis Martyrologio a se illustrato, ad hanc ipsam diem 7 Maii. Eodem itaque Georgio præeunte, humanius certe Acta illa haberi merentur, quæ, potius quam falsa, interpolata alicubi Baronius judicavit, quæque Henschenius Bollandianus optimæ fidei esse censuit. Non est autem cur interpolationem suspicemur in eo quod Flaviam Domitillam a sancto papa Clemente virginem consecratam dicant sacro velamine, si, post ea quæ supra attulimus de velaminis usu, quis etiam tunc esset in Romana Ecclesia virginitatis cultus et ardor intueamur. Quinam vero tunc fuerit, satis edocent epistolæ illæ duæ ejusdem sancti papæ Clementis, de Virginitate, seu ad virgines, quas primum vulgavit e ms. codice Syriaco, cum versione Latina, Lugduni Batavorum anno 1752 Joannes Jacobus Wetstenius, quasque in suam novam Bibliothecam Veterum Pa-

trum, veluti genuinum fetum ejusdem sancti pontificis, inseruit tomo I, Syriace ac Latine, aliisque duabus addidit ad Corinthios Græce et Latine ejusdem sancti Clementis jampridem notis epistolis, Andreas Gallandius. In his porro noviter detectis epistolis, quarum prima est ad Virgines fratres et ad Virgines sorores, id est ad virgines utriusque sexus, et agit de virginalis ducendæ vitæ ratione, **251** altera vero de conversationis cautione cum virginibus sororibus adhibenda; in his, inquam, epistolis elucet studium jam tunc flagrantissimum inter Christianos profitendæ virginitatis, necnon et præsulum cura ut vitam virgines ducerent professæ virginitati non imparem. Huic propterea tanto de virginitate ac de virginibus apparatui ipso Ecclesiæ primo sæculo, quis jure suspicabitur mentionem sacri velaminis accessionem esse posteriorem in Flaviæ Domitillæ Virginis initiatione?

At ipsa Romana Ecclesia aliud nobis suppeditat hujus velationis exemplum vetustissimum in quadam pictura, quam Bosius et Aringhius invenerunt in cœmeterio Priscillæ via Salaria, et habetur icone expressa tomo II Romæ Subterraneæ ejusdem Aringhii pag. 395, quamque iterum evulgavit illustravitque clarissimus Franciscus Blanchinius in notationibus ad Anastasium Bibliothecarium, tomo II, pag. 128. Hæc pictura refert pontificem sedentem ac veluti manum imponentem virgini sacræ coram eo stanti cum velo, quod ambabus manibus tenet quasi ab eodem tunc acceptum : refert quoque presbyterum quemdam pontifici astantem, ac veluti operam suam præbentem huic sacræ rei. Multa hic consideratione dignissima sacræ antiquitatis cultoribus super pontificali cathedra ac pontificis vestimento, necnon super vestibus tum virginis tum presbyteri, sicut etiam super singularum earumdem trium personarum gestu ac sese habendi ratione. At, quod nostra nunc interest, conveniunt præcitati eruditi viri, quibus alii quoque astipulantur, initiationem hic exhiberi Christianæ virginis per sacri velaminis traditionem; pontificem illum sedentem, esse sanctum Pium papam primum, patria Aquileiensem, qui circa medium secundum sæculum Romanam sedem tenebat : presbyterum astantem, esse Hermam, seu Hermetem, Pastorem etiam dictum, ejusdem Pii pontificis fratrem; virginem vero, sanctam Praxedem, seu sororem illius sanctam Pudentianam. His duobus exhibitis primi et secundi sæculi monumentis, en quanta gaudeat antiquitate velationis virginum cæremonia a Nicetà nostro memorata et perpetuo quoque Ecclesiæ usu per sæculorum seriem ad nos usque deducta.

Velamen porro hoc, quod sacrum nunc quoque appellatum audimus, sacrum itidem appellavit Nicetas, ibidem, capite 5, num. 20 suæ *Lapsæ* dicens : « Sacro velamine tecta es; » et sacrum pariter ac sanctum tota appellavit antiquitas, *Flammeum virginale sanctum*, dixerat Hieronymus epistola ad Demetriadem 130 num. 2; *Crinem sacro velamine consecrandum*, scripserat Ambrosius de Institutione virginis, capite 17, num. 108, aliique similiter passim. Unde vero sanctitatem hanc virginale velamen accipiebat? Ex divino certe altari, unde sumebatur ut virginum capiti imponeretur, et probabiliter ex quadam etiam supplicatione peculiari ad sanctificationem illius a Deo impetrandam; uti postea quoque utrumque in usu semper fuit, ac videri potest in Pontificali Romano, de Benedictione et Consecratione virginum; ac propterea : « num melius maforte me quam altare velabit, quod sanctificat ipsa velamina? » aiebat puella quædam apud Ambrosium de Virginibus libro I, capite 12, num. 66, quæ ad altare confugerat cum a parentibus invita urgeretur ad nuptias.

Plura de hoc virginali velamine apud veteres quæri adhuc possent; cujus nimirum formæ esset, cujus materiæ, cujus qualitatis, cujus pretii, cujus coloris : sed ne longiores simus, hic sufficiat generatim innuisse, virginale velamen, etiamsi a flammeo nubentium ortum duceret, diversum tamen **252** ab eodem fuisse in hoc præsertim, quod virginale quamdam in omnibus præseferret humilitatis, devotionis, paupertatis ac castimoniæ significationem. Diversitatem hanc ostendit divus Ambrosius in libro de Virginitate capite 5, num. 26, ubi ad virginitatem puellas dum hortaretur, et suum panderet dedicandi virgines desiderium, ita scribebat : « Utinam possem flammeum nuptiale pio integritatis mutare velamine! » En igitur velamen sacrarum virginum diversum a velamine nuptiali; ac certe tum forma, tum materia, tum qualitate et pretio et colore. Præterea quid virginale velum, quoad formam maxime, necnon materiam, colorem et cultum, et quoad præcipuum ipsius scopum obnubendæ faciei, reipsa fuerit, ex Tertulliano aliquanto clarius intelligimus in alias citato libro de Virginibus Velandis, capite 15 : « Confugit (virgo), inquit, ad velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat adversus ictus tentationum, adversus jacula scandalorum, adversus suspiciones, et susurros, et æmulationem, ipsum quoque livorem.... Quis audebit oculis suis premere faciem clausam, faciem non sentientem, faciem, ut dixerim, tristem? Quicumque malus cogitatus ipsa severitate frangetur. » En virginum itaque velamen totam faciem cooperiens, et claudens; immo non faciem modo, sed totam etiam corporis superiorem partem, *quasi* nempe *clypeum;* en virginum velamen *tristitiam* quamdam enuntians, et *severitatem* etiam præferens; ideoque nulla præstans materiæ nobilitate, nullo cultus splendore, nulla coloris fulgentis illecebra. Quis hic non videat velum virginum subsequentium etiam sæculorum, ac virginum maxime claustralium, a Tertulliano jam sæculo ineunte tertio indicatum?

Hæc autem solemnis virginum velatio consecratio appellatur a Niceta, ibidem, num. 20 : « in illo die consecrationis tuæ, etc. » De virginibus loquens etiam Tertullianus, libro citato, capite 13, aiebat, quod virginali suo proposito *ipsam naturam Deo consecrabant.* Sanctus quoque Ambrosius virginum consecrationem memorat in libro de Virginitate, capite 7, num. 36, et alibi sæpe. In Sacramentario Gelasiano, apud Muratorium Liturgia Romana Vetus, tomo I, col. 632 editionis Venetæ in-folio legitur hæc oratio secreta in una ex missis quæ titulum quoque habent, *Consecratio sacræ virginis :* « Munera, quæsumus, Domine, famulæ et sacratæ tuæ N., quæ tibi ob consecrationem sui corporis offert, simul ad ejus animæ medelam proficiant. » Eadem loquendi ratio de virginibus solemniter velatis etiam nunc viget : et titulus adest hujusmodi in Pontificali Romano; scilicet, *De Benedictione et Consecratione virginum;* ubi, post peractam functionem, hæc quoque habetur episcopi monitio ad præpositam seu abbatissam monasterii : « Vide, et quomodo istas consecratas Deo serves, et repræsentes immaculatas, etc. »

Hæc autem virginum consecratio per sacri velaminis impositionem, ut ex Niceta monuimus, ad divinum altare peragebatur; quemadmodum et deinceps semper factum fuit ex Pontificali Romano, loco nuper indicato. Hujus consecrationis ad divinum altare meminit quoque sanctus Ambrosius de Virginibus libro I, capite 12, num. 66, ubi egregium illud facinus referens supradictæ puellæ, quæ invita a parentibus et propinquis urgebatur ad nuptias : « ad sacrosanctum, inquit, altare confugit. Quo enim melius virgo, quam ubi sacrificium virginitatis offertur? Ne is quidem finis audaciæ. Stabat ad **253** aram Dei pudoris hostia, victima castitatis : nunc capiti dexteram sacerdotis imponens, precem poscens, nunc justæ impatiens moræ, ac summum altari subjecta verticem. Num melius, inquit, maforte me quam altare velabit, quod sanctificat ipsa velamina? Plus talis decet flammeus, in quo caput omnium Christus quotidie consecratur, etc. » In sermone quoque, quem habuit ad virginem Ambrosiam

mox sacro velamine consecrandam, libro de Institutione Virginis, capite 17, num. 108, conversa ad Deum oratione, ita loquebatur : « Quibus (exemplis) hæc quoque famula tua ad hujusmodi virtutis gratiam lacessita, tuis assistat altaribus, non rutilanti cæsarie flavum deferens crinem flammeo nuptiali dicatum : sed illum crinem, quo evangelica illa mulier (sancta Maria) pedes Christi sedula pietate detersit, et domum totam effuso implevit unguento, sacro offerens velamine consecrandum. »

Præterea dies sancta Dominicæ Resurrectionis a Niceta indicatur, qua velationis virginum solemnitas agebatur post baptismatis collationem, et præsentibus neophytis candida veste indutis ac lumina sua portantibus. Festivitati scilicet in Ecclesia omnium maximæ velationis virginum solemnitas servabatur, quæ Ecclesiæ gaudia, ob novæ prolis accessum et ob Christi Resurrectionem, ex castissimo quoque virginum cum eodem immortali viro connubio ampliaret. Quin etiam ad hanc festivitatem Dominicæ Resurrectionis virginum velatio peculiariter quodammodo pertinebat, ob virginum conditionem, qua veluti filiæ resurrectionis efficiebantur, divo Cypriano illis dicente in libro de Habitu Virginum circa finem : « Quod futuri sumus jam vos esse cœpistis. Vos resurrectionis gloriam in isto sæculo jam tenetis, per sæculum sine sæculi contagione transitis.... Angelis Dei estis æquales. » Ac profecto dies sancta Dominicæ Resurrectionis, ætate etiam divi Ambrosii, dies erat velationis solemnis virginum toto orbe, eodem teste in libro cui titulus, *Exhortatio Virginitatis*, capite 7, num. 42, ubi ita legimus : « Venit Paschæ dies, in toto orbe baptismi sacramenta celebrantur, velantur sacræ virgines. » Non ita tamen paschæ dies erat velandis virginibus destinatus, ut aliis quoque præcipuis per annum festivitatibus non conveniret. Ac certe ex eodem divo Ambrosio habemus libro III de Virginibus, capite 1, quod Marcellina virgo, illius soror, Romæ in basilica Sancti Petri *virginitatis professionem* fecerat die *Natali Salvatoris* nostri; cujus etiam diei convenientiam ipse approbans, addebat : « quo enim melius die, quam quo virgo posteritatem acquisivit? » Præter vero diem Paschatis, et diem Dominicæ Nativitatis, alios quoque dies assignavit antiquitas virginum velationi; et in Sacramentario Gelasiano supra citato, ubi benedictiones, orationes, et missæ pro hac functione, titulum legimus hujusmodi : « Consecratio sacræ virginis, quæ in Epiphania, vel secunda feria Paschæ, aut in apostolorum natalitio celebratur. » Hodie tandem in Pontificali Romano præscribitur, quod « benedictio et consecratio virginum fieri debet in Epiphania Domini, vel in Albis paschalibus, aut in natalitiis apostolorum, seu in Dominicis diebus. »

Licet autem velaminis impositio præcipua esset initiationis virginum cæremonia, non tamen in hac sola sita erat eadem initiatio, sed huic accedebat etiam mutatio vestium. Habitus propterea virginalis meminit noster Nicetas *ad Lapsam*, capite 6, num. 22; id est *habitus* sacrarum virginum peculiaris; ac certe tum materiæ simplicitate, tum colore, tum **254** forma. « Aliud pallium virginum est, aliud adolescentiæ circumforaneæ, » aiebat etiam sanctus Ambrosius, de Virginitate, capite 14, num. 88. Ipse vero, de Virginibus libro III, capite 1, initiationem describens Marcellinæ sororis Romæ celebratam, hujus mutationis habitus mentionem facit veluti eodem initiationis tempore peractæ : « cum Salvatoris Natali ad apostolum Petrum virginitatis professionem vestis quoque mutatione signares. » Probabile quoque est, virginales has vestes jam tunc peculiari aliqua oratione benedictas fuisse : ac certe hujusmodi benedictionis formula apparet in Sacramentario Gelasiano, loco supracitato, cum enuntiatione, *Benedictio vestimentorum virginum*, ac postea, *Oratio super ancillas Dei, quibus conversis vestimenta mutantur*. Hujus autem mutationis ratio in prima oratione indicatur, ubi hæc *indumenta* dicuntur *humilitatem cordis et contemptum mundi significantia*. Eadem vestimentorum virginalium benedictio, et in ipsa actione eorumdem assumptio, etiam nunc usurpantur, veluti in Pontificali Romano præscriptæ : immo ibidem eadem quoque benedictio vestimentorum virginum legitur, quæ in Gelasiano Sacramentario habetur; ut inde intelligamus, quanta hujusmodi ritus gaudeat etiam antiquitatis auctoritate.

At quisnam tunc sacrarum virginum initiator? Lapsæ virginis Aquileiensis initiatorem non obscure se prodit Nicetas episcopus in libello ad eamdem, capite 5, num. 19 et 20. Episcoporum autem officium reipsa fuisse, prout postea semper fuit, sacrarum virginum initiationem, vetera monumenta testantur. « Ab universis episcopis dictum est : Chrismatis confectio et puellarum consecratio a presbyteris non fiant. » Ita canone 3 concilium Carthaginense II anni 390, apud Labbeum, conciliorum curis Coleti tomo II, col. 1245. » Ut presbyter, inconsulto episcopo, virgines non consecret, » statuerat canone 36 concilium Carthaginense III anni 397, apud eumdem Labbeum ibidem col. 1404. Ad episcopos igitur pertinebat ordinario jure virgines consecrare, si hoc facere vetabantur presbyteri, et si hoc iis omnino non licebat, episcopo inconsulto. Præterea virginum consecrator, episcopus dicitur, quasi antonomastice, apud Hieronymum, epistola 69 ad Oceanum, num. 9, ex editione Vallarsii. In epistola vero 130 ad Demetriadem, num. 2, ita eamdem virginem sacram sanctus doctor alloquebatur : Scio quod ad imprecationem pontificis flammeum virginale sanctum operuerit caput; » pontificis scilicet Aurelii, Carthaginensis episcopi, a quo velationem virginitatis Demetrias in Africa degens acceperat. Etiam Marcellina virgo, divi Ambrosii soror, Romæ velationem acceperat a *beatæ memoriæ* Liberio papa, ut ipse testatur Ambrosius de Virginibus libro III, capite 1. Ambrosius quoque solemnem prodit velationem a se factam Mediolani Bononiensis virginis Ambrosiæ, neptis clarissimi viri Eusebii, cui hac de causa librum suum inscripsit de Institutione Virginis. Denique virgines illæ quæ Mediolanum veniebant *de Bononiensi, de Placentino* et *ex ultimis infra ultraque Mauritaniæ partibus*, ut illic velarentur, quia illic *sacrari gestiebant*, eodem Ambrosio teste de Virginibus, libro I capite 11, Ambrosium episcopum proculdubio velatorem omnes habuere; nisi dicere velimus Ambrosium episcopum sermonibus et libris suis jam tunc ubique diffusis tantopere laborasse ad amorem virginitatis in puellarum cordibus accendendum, et segniorem postea fuisse ad fructum operis sui manu veluti propria capiendum.

Non modo autem episcopi tunc virgines **255** consecrabant; sed consecrationis cæremoniam allocutione aliqua seu sermone ad præsentes virgines, antequam velationem acciperent, honestabant. Id factum fuisse in die velationis ejus cum lapsa virgine Aquileiensi Nicetas testatur capite 5, dicens : « Non es memorata qualis ad te die illo facta est allocutio : *Aspice, filia; intuere, Virgo*, etc.... His tunc in illo die consecrationis tuæ dictis, et multis super castitate tua præconiis, sacro velamine tecta es. » Id factum fuerat etiam cum sacra virgine Marcellina a Liberio papa, cujus allocutionem tunc habitam, etsi non quoad ipsa pene verba, quoad sensus saltem suo stylo prolatos, nobis servavit Ambrosius citati de Virginibus operis libro III, capite 1, 2 et 3. Ipse quoque Ambrosius, ab eruditis *doctor virginitatis* merito appellatus, hunc usum habebat sermocinandi in sacrarum virginum velationibus; et sermonem quem habuit in solemni consecratione supradictæ virginis Bononiensis Ambrosiæ, illa ad Aram stante priusquam sacro velamine obnuberetur, ipse nobis servavit in præcitato libro de Institutione Virginis; qui liber, si unum et alterum demas caput, totus eodem sermone constat, ut Maurini editores notant in admonitione prævia. Nunc quoque viget hic ritus, ut

virgines alloquatur episcopus, vel etiam quisquis alius episcopi loco, in earum solemni velatione; seu antequam velum accipiant, ut in Pontificali Romano præscribitur; seu post velum acceptum, ut quorumdam locorum fert usus: et exstant typis editi sermones, tum ab episcopis, tum episcoporum auctoritate a presbyteris ad virgines habiti in earum nuptialibus festis, qui totam redolent primævæ institutionis fragrantiam; quemadmodum illi, cedro prorsus digni, quorum hic meminisse operæ pretium ducimus, quique nuper posthumi Utinensibus typis prodierunt, præclarissimi undequaque viri Francisci Florii, hujus metropolitanæ ædis præpositi, ac præsulum nostrorum vicarii generalis, jam alias in hac lucubratione merito laudati. Atque hæc de initiationis virginum cæremoniis ac solemnitate.

Ipsa nunc earumdem sacrarum virginum conversatio aliquid a nobis exquirit in iis de quibus apud Nicetam nostrum mentio est. Ac primo *processus* virginum *in ecclesiam* a Niceta memoratur, non singillatim quidem, sed agminatim, et *choro* facto; ad sacros videlicet fidelium conventus, ad *hymnorum spiritalium cantum*, ad *lectiones cœlestes* audiendas, ad totum nempe Liturgiæ ordinem; necnon et ad ipsas *vigilias* noctis, juxta Christianorum omnium eo tempore consuetudinem, uti *ad Lapsam* capite 6, num. 22. Cum nimirum tunc temporis nondum essent in una eademque civitate satis multiplicatæ sacræ ædes, neque earum peculiaris aliqua virginalibus monasteriis addicta, cumque virginalia ipsa monasteria non ita essent omnino clausa, uti postea sapientissime factum fuit pro majori sacrarum virginum tutela; et his aliquando liberum erat e monasterio egredi pro aliqua necessitate, et necesse quoque erat eisdem prodire ut ad sacras ædes accederent, divinisque mysteriis ibidem cum Christiano populo interessent. Generalem propterea regulam pro egressu quocumque sacrarum virginum e monasterio tradebat sanctus Hieronymus in sæpe citata epistola ad Demetriadem 130 num. 19, ita scribens: « Quæ vivunt in monasterio, et quarum simul magnus est numerus, numquam solæ, numquam sine matre procedant. De agmine columbarum crebro accipiter unam separat, quam statim invadat et laceret, cujus carnibus et cruore saturetur. » Hæc de monasteriis virginalibus **256** Africæ, ubi Demetrias virgo degebat; licet ipsa virginitatem domi suæ servaret cum matre et avia vivens, uti superius notabamus. Cæterum ibidem ipse divus Hieronymus eas commendabat virgines, quæ pudoris ac verecundiæ gratia, neque ad ecclesiam ipsam prodibant festis quibusdam diebus, in quibus major esset frequentia populi: « Scio ego sanctas virgines, quæ diebus festis, propter frequentiam populorum, pedem domi cohibent; nec tunc egrediuntur, quando major est adhibenda custodia, et publicum penitus devitandum. » Sed hoc fortasse ad eas sacras virgines pertinebat, quæ non in monasterio, sed domi suæ, aut solæ, aut cum paucis sociabus vivebant; quæque, potius quam festis, aliis per hebdomadam diebus ecclesiam adibant ut sacris interessent. Sanctus quoque Ambrosius in Exhortatione Virginitatis, capite 10, numero 71, hanc cautionem sacris virginibus inculcabat, maxime vero *adolescentulis*, ut raro scilicet etiam ad ecclesiam progrederentur: quod tum virginibus in monasterio degentibus, tum domi suæ viventibus, dictum facile existimaverim: « Attende, virgo, sacræ præsertim professionis.... Nullus sit tuus sine matre processus, quæ sit anxia custos pudoris. Ipsa quoque ad Ecclesiam progressio rarior sit adolescentulis. » Matrem fortasse genitricem intellexit, quæ domi et ubique custos esse deberet filiæ virginis sacro velo donatæ; licet et matrem similiter dixisse potuerit præpositam monasterii virginalis in sensu divi Hieronymi.

Sed disciplinam super hac re Bethlehemitici virginum monasterii sub Paulæ senioris institutione ac cura nobis exhibet idem sanctus Hieronymus, epistola 108, ad Eustochium num. 19: « Die tantum Dominico, inquit, ad ecclesiam procedebant, ex cujus habitabant latere. » Duo hic providentiæ capita animadvertenda veniunt, quæ in Paulæ senioris laudem cedunt, necnon et divi Hieronymi ac episcopi loci, qui proculdubio eidem in monasterii institutione a consiliis fuerunt; cavisse eam nimirum ut monasterium suum virginale non longe ab ecclesia locaretur, quo brevissima virginibus via esset ad ecclesiam accedendi; et nihilominus non quotidie eas, immo nec pluries per hebdomadam, sed die tantum Dominico ad ecclesiam accessisse, ut certe cautius earumdem pudori provideretur. Si conjectare licet, etiam monasterium virginale Aquileiense sub Niceta episcopo, quod *in media civitate* situm superius dicebamus, proximum erat ecclesiæ loci; maxime vero si recolamus virgines illas in Ecclesia adfuisse etiam vigiliis cum reliquis Christi fidelibus, ad quas proinde noctu incedere necesse erat, quibusque minus erat conveniens ut virgines sacræ adessent, si non quam brevissimo viæ tractu ad ecclesiam accedere potuissent. Si hæ porro virgines monasterii Aquileiensis etiam ad sacras vigilias in ecclesiam prodibant, frequentius fortasse quam solis Dominicis diebus Ecclesiæ sacris intererant. Virginum tandem devotioni simul ac pudori cumulate providit posterior ætas, cum unicuique earum monasterio, immo et unicuique earumdem sodalitati indulsit, ut peculiares sacras ædes haberent, unde solatia religionis acciperent, quin pedem extra sua septa moverent.

Peculiare tamen quiddam super sacrarum virginum in sacra æde Aquileiensi mansione nobis exhibet Nicetas, quod nullibi fortasse in tota antiquitate memoratum invenias; quodque ad Aquileiensis Ecclesiæ ejusque præsulum institutorum commendationem maximam facit. Notissima est veteris Ecclesiæ sanctissima disciplina, qua cavebatur quam diligentissime, **257** ut in ædibus sacris mulieres a maribus discreta statione consisterent. Virginibus quoque sacris, in ea sacrarum ædium parte quæ ad mulieres pertinebat, locus dabatur a cæteris ejusdem sexus distinctus, ubi una simul sacris adessent mysteriis: unde « quando simul estis in Ecclesia.... invicem vestram pudicitiam custodite, » aiebat sanctus Augustinus ad illas scribens, epistola 211, num. 10. At quid de Virginibus in Aquileiensi Ecclesia convenientibus tradit nobis Nicetas? Locum nimirum in Aquileiensi ecclesia non modo easdem habuisse peculiarem, prout ubique terrarum habebant, sed locum etiam tabulis separatum, ac fortasse a solo quoque tantisper sublatum, quo honor dignitatis earum ex ipsa etiam loci distinctione patesceret: « Nonne vel illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti?..... Oblita es propositum.... oblita es Ecclesiam totam, oblita gloriam virginitatis, oblita honorem dignitatis, etc. « Ita *ad Lapsam* Nicetas, capite 6, num. 24 et 27.

Quid insuper, in sacrarum virginum gratiam, Aquileiensis, Nicetæ tempore, ferebat Ecclesiæ consuetudo; seu potius, ut aptiori ad rem ipsam utamur vocabulo, elegantia? Locus ille, in quo virgines sacris astabant, ornatus erat præceptis ex divina Scriptura petitis, atque in pariete scriptis, quæ virginitatis propositum respiciebant, illudque commendabant; ut vel ex hoc uno intelligas quanti fieret apud Aquileienses virginalis professio: « Nonne vel illa præcepta, quæ oculis tuis ipse scriptus paries ingerebat, recordari debuisti, etc.? » ut ibidem Nicetas prosequitur. Sed aliud quoque peculiaris honoris argumentum, quo sacræ virgines donabantur in Aquileiensi Ecclesia inter divina mysteria, notat Nicetas; atque erat *osculum* pacis, quod illæ proculdubio inter divina mysteria, prout moris erat, a sacro altari accipiebant, quodque postea ab eisdem, veluti a traduce purissimo sanctitatis, sibi communicari gestiebant religiosæ ac nobiles matronæ ibidem sacris præsentes: « Ad quem (locum) religiosæ matronæ et nobiles certatim

currebant, tua oscula petentes, quæ sanctiores et digniores te erant. » En quæ nobis præclara circa sacrarum virginum in sacris ædibus disciplinam, ex Aquileiensis Ecclesiæ more, vel unus in libello suo *ad Lapsam* servavit Nicetas; quæ fortasse neque ex illo umquam habuissemus, nisi occasio illi fuisset, quamvis profecto infausta, eumdem scribendi libellum, quo tot argumentis undecumque petitis lapsam illam virginem objurgavit.

Præterea ex hoc eodem libello cura quoque enitet illius temporis episcoporum erga sacras virgines; quæ posita erat in dilectione spirituali eisdem exhibita, sicut etiam in commonitione sancta ipsis peculiariter habita : « Et certe non habes quod de nostra negligentia conqueraris : quodcumque enim ad officium pastoris pertinet, et tibi et omnibus non negatum est. Dilectio spiritalis adhibita, commonitio sancta non defuit. » Ita, capite 7, num. 28. Talis nimirum erat cum sacris virginibus suis Aquileiensis Nicetas, cujusmodi ante illum fuerant erga easdem celebriores Ecclesiæ præsules, qualesque postea semper fuerunt quicumque in virginibus sacris Ecclesiæ catholicæ decus, angelorum socias, Christique sponsas respexerunt. « Nunc nobis ad virgines sermo est; quarum quo sublimior gloria est, major et cura est. » Ita sanctus Cyprianus sermonem suum ad virgines inchoabat, et curam suam præcipuam erga illas testabatur, in peculiari libello quem scripsit, de Habitu
258 Virginum : « Audite me itaque, virgines, ut parentem, audite, quæso vos, timentem pariter ac monentem, audite utilitatibus et commodis vestris fideliter consulentem. » En quomodo ibidem ipse erga virgines suas et *dilectionem spiritalem* ostendebat, et *commonitionem sanctam* impertiebatur. De divo Ambrosio, cujus sæpe hic sensa retulimus, non est quid addamus; cum constet libros suos, quos de argumento virginitatis habet, coaluisse ex sermonibus quos dixit, seu cum ad amplectendam colendamque virginitatem hortabatur, seu cum ad virgines instituendas erudiendasque accederet. Quis autem nesciat sanctum Augustinum in Hipponensi Ecclesia sua cœtum virginum collegisse, optimisque institutis ordinasse, sub præposita sorore sua, necnon præposito quoque presbytero qui illarum curam spiritalem gereret? His ipse et *dilectionem* certe exhibuit, et præbuit *commonitionem* : et exstat illius epistola 211 alias citata, quæ sollicitudinis suæ erga easdem testis locupletissima est, quæque ad informandos sacrarum virginum cœtus semper in Ecclesia habita fuit veluti norma absolutissima monasticæ perfectionis.

Asserit demum Nicetas ibidem, num. 29, se *Hymnum* etiam *virginitatis* exposuisse virginibus suis, *quo et gloriam propositi, et observantiam pariter decantarent.* Homilias fortasse Nicetas hic significare voluit, a se habitas ad virgines sacras super aliquo psalmo, ac probabiliter super psalmo XLIV, qui a versiculo decimo usque ad ultimum, ut notant etiam Maurini Ambrosianorum operum editores ad hunc locum, multa continet quæ ad *gloriam* pertinent, et ad *observantiam* virginalis propositi; ut hac spiritali ejusdem psalmi intelligentia illectæ virgines eumdem lætius ac suavius in suis spiritualibus exercitationibus *decantarent.* Cum vero nihil hic de presbytero aut alio ex ecclesiastico cœtu appareat, qui monasterio virginali Aquileiensi præesset, prout apud Augustinum in Hipponensi suo; reliquum est ut ad Nicetæ meritum conjiciamus, eumdem sibi hanc spartam peculiariter reservasse, propriis scilicet veluti manibus colendi irrigandique spiritalis hujus viridarii sanctitatis atque pudoris; quod etiam ex pluribus dicendi modis in toto opusculo usurpatis non invite colligimus. Atque hactenus de quinti sæculi apud Aquileienses disciplina, quæ sacras virgines respicit.

Ad aliud nunc disciplinæ genus Nicetæ libellus *ad Lapsam* nos accit; ad eam videlicet publicæ pœnitentiæ rationem quæ tunc obtinebat ob peccata, præsertim publica, graviora : eo enim totus spectat Nicetæ libellus, ut lapsam virginem, necnon et corruptorem illius, pro gravissimo scelere perpetrato, ad publicam pœnitentiam agendam impellat atque informet. Quod primo nobis occurrit in hoc Nicetæ libello super pœnitentiali illius temporis disciplina, ea est praxis, tum in Orientali, tum in Occidentali tunc Ecclesia vigens, qua majus nimirum et gravius, atque hinc majori etiam pœnitentia expiandum, peccatum aliquod habebatur, quod peracta inquisitione innotesceret, quam si illud ultro peccator confessus fuisset. Ita propterea ad lapsam virginem, quæ scelus suum celare tentaverat, quodque nonnisi inquisitione peracta compertum fuit, loquebatur Nicetas, capite 8, num. 37 : « Grandi plagæ alta et prolixa opus est medicina : grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem. Nam non est dubium levius esse crimen, ubi peccatum suum ultro homo confitetur, et pœnitet : at ubi celat mala sua, invitus detegitur, et nolens publicatur; illud gravius scelus est. Quod tibi utique provenisse negare non poteris. Et ideo **259** fortius dolendum; quia peccatum est fortius. » Disciplinam hanc veterem multis de more suo adductis tum Græcorum tum Latinorum Patrum testimoniis, necnon et hoc ipso Nicetæ nostri (quod ille existimabat Ambrosii), probat atque illustrat Morinus in suo Commentario Historico de Sacramento pœnitentiæ libro II, capite 6. Unum nos hic afferimus confirmationis gratia, et pro rei de qua agimus affinitate, Augustinum in supra citata epistola 211, qua virgines monasterii sui instituebat, et quomodo etiam puniendæ earum essent culpæ docebat quæ virginale propositum læderent. « Quæcumque, inquit num. 11, in tantum progressa fuerit malum, ut occulte ab aliquo litteras vel quælibet munuscula accipiat; si hoc ultro confitetur, parcatur illi et oretur pro ea. Si autem deprehenditur atque convincitur, secundum arbitrium præpositæ vel presbyteri, vel etiam episcopi, gravius emendetur. » En igitur gravius reipsa peccatum, et majori etiam animadversione mulctandum, ex illorum temporum praxi, quod veluti invito peccante deprehendebatur, quam si eodem sponte aperiente innotesceret.

Patet insuper ex hac disciplina, fuisse tunc aliqua *etiam occulta* peccata, quæ publica essent confessione pandenda, ad publicum subeundum pœnitentiæ remedium, prout illud fuerat virginis lapsæ apud Nicetam, et prout illud fuisset de quo Augustinus : patet quoque inquisitionem tunc viguisse in Christianorum mores, ad eorum maculas investigandas; et delationem ad Ecclesiæ præsules, ut iidem pro sua auctoritate ac prudentia cognoscerent, corrigerent, vindicarent. Laudatus Morinus rem hanc illustrat in opere supracitato, necnon Jueninus in suo Commentario Historico et Dogmatico de Sacramentis, dissertatione 6, de Pœnitentia, quæstione 5, de Confessione, et quæstione 6, de Satisfactione; aliique post eos, quibus, ut opinamur, non satis fecerunt qui in contrariam iere sententiam. Ex tota hac veteri disciplina, quæ paulatim cum pœnitentiæ ordine in Oriente primum, dein in Occidente descivit, una, quantum ad episcopum, inquisitio adhuc viget in Christianorum mores, pro eo pastoralis officii munere, quo creditæ sibi plebis tenetur incolumitati prospicere, et singulorum saluti providere, ut præsertim ex Pontificali Romano in ordine ad visitandas parochias : quantum vero ad plebem, pro eo charitatis præcepto quo *unicuique mandavit Deus de proximo suo*, viget onus deferendi seu ad Ecclesiæ præsules, seu ad secundi ordinis pastores, pro rerum gravitate, Christianos eos, seu qui contra fidei integritatem aliquid obloquantur, seu qui morum pravitate Christianam lædant professionem.

Sed quid nunc de peculiari peccato virginis sacræ, quæ se violari clanculum permisisset, ac postea detecta esset invita? quid de pœnitentia huic expiando peccato debita? Distinguit Nicetas inter Virginem sacram, quæ post acceptum sanctum velamen, post nuptias scilicet cum Christo initas, voluerit nihilominus

nubere communi lege conjugii; et inter virginem sacram, quæ occulta et furtiva turpitudine constuprata fuerit, et fingat postea se esse quod reapse non est. Illam porro adulterium perpetrasse dicit, ancillam mortis effectam : hanc autem bis adulteram appellat; et quia reipsa datam Christo fidem violaverit, et quia virginem nihilominus sese finxerit, quæ amplius non erat. « Et jam si voluerit (sacra virgo) nubere communi lege conjugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Si hoc ita est, quid de illa dicendum est quæ occulta et furtiva turpitudine **260** constupratur, et fingit se esse quod non est? Habitu virgo, facto non virgo : bis adultera, et in actu, et in aspectu. » Ita Nicetas *ad Lapsam*, capite 5, num. 21. De hac nunc igitur sacra virgine agimus *bis adultera* juxta Nicetam, quia scelus occulte perpetravit, et virginitatem habitu virginali nihilominus simulavit : ac de virgine sacra quæ nullatenus sponte vulnus suum aperuerat, sed quæ convicta, tandem invita ad confessionem compulsa fuerat. Miretur autem nemo, tanti hic factam a Niceta Lapsæ hujus simulationem, ut eam propterea *bis adulteram* appellaverit; cum constet quanta religione semper caverint antiqui Patres, ut, ad peculiarem honorem servandum integræ virginitatis, nulla viduarum quamvis continentiam profitentium velum acciperet; et ut virgines ipsæ, quæ absque propria culpa, per vim puta barbaricam, virginitatis jacturam fecerunt, corpore quidem, non item mente pollutæ, amplius in sacrarum virginum numero ac cœtu non censerentur; ut pluribus conciliorum et Patrum allatis testimoniis ostendit Ferdinandus de Mendoza, de concilio Illiberitano libro II, capite 27, in Conciliis Labbei cura Coleti tomo I, col. 1152 et seq. Nihil propterea, his perspectis omnibus circumstantiis, nihil hoc scelere gravius in hac sacra virgine; quæ nullam etiam de vi sibi facta excusationem afferre potuerat, quæ immo de suo voluntario consensu ex criminis iteratione convicta fuerat, ut capite 4, num. 12 et 13.

Quoti igitur temporis pœnitentia huic lapsæ virgini indicta fuit a Niceta; et quomodo peragendam docuit ipse? Quod ad tempus attinet, usque ad extremum vitæ indicitur a Niceta huic lapsæ pœnitentia, et quidem, ut prima fronte videtur, absque spe obtinendæ, præter quam a sola Domini misericordia, absolutionis et veniæ. « Sed tu (inquit capite 8, num. 38) quæ jam ingressa es agonem pœnitentiæ, insiste, misera : fortiter inhære tamquam in naufragiis tabulæ, sperans per ipsam te de profundo criminum liberari. Inhære pœnitentiæ usque ad extremum vitæ, nec tibi præsumas ab humana die veniam dari; quia decipit te qui hoc tibi polliceri voluerit. Quæ enim proprie in Dominum peccasti, ab ipso solo te convenit in die judicii exspectare remedium. » Duriuscula sane videtur Nicetæ sententia in Lapsam suam, de exspectanda a Deo *solo* misericordia et venia, absque ullo Ecclesiæ clavium adminiculo; de qua sententia erit dicendi locus sequenti capite decimo. Cæterum non est quod miremur, si *usque ad extremum vitæ*, pœnitentiam indicat Nicetas huic Lapsæ pro crimine perpetrato. In virgines namque sacras, quæ pactum virginitatis sua culpa non servassent, semper animadvertit antiquitas severioribus pœnis, pro disciplinæ ratione quæ juxta locorum ac temporum differentiam obtinebat; et non nisi erga eas quæ magis sexus fragilitatem quam pravam animi voluntatem ostendissent, aliquanto mitiorem se exhibuit. Hujusmodi fortasse fuerant virgines illæ de quibus ad Pomponium scribebat Cyprianus, epistola 62 in editione Parisiensi Balutii : atque ideo de earum pœnitentia ita decernebat : « Si de eis aliqua corrupta fuerit deprehensa, agat pœnitentiam plenam, quia quæ hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est, et ideo æstimato justo tempore postea, exomologesi facta, ad Ecclesiam redeat. » Pœnitentia utique *plena* in sensu Cypriani, pœnitentia intelligi debet, etiam quoad *justi temporis* durationem, quæ tunc esset omnium rigidissima, licet non **261** usque ad extremum vitæ producta; ad distinctionem aliarum minorum pœnitentiarum, quæ plenæ non erant, quæque propterea minori quoque temporis spatio explebantur. Quid vero idem Cyprianus in alias virgines sacras, quæ prava sua voluntate sexus infirmitatem superassent? Severiorem proculdubio se in eas exhibuit, ita ut numquam ad reconciliationem se eas admissurum testaretur. Ita namque subdebat : « Quod si obstinate perseverant, nec se ab invicem separant, sciant se cum hac sua impudica obstinatione numquam a nobis admitti in Ecclesiam posse, ne exemplum cæteris ad ruinam delictis suis facere incipiant. » Duplicem hanc peccantium virginum rationem, adeoque duplicem in easdem animadvertendi modum exhibet canon 13 celeberrimi concilii Illiberitani, quem hic emendatum afferre operæ pretium existimamus ex superius laudato opere Ferdinandi de Mendoza, apud Labbeum, loco supra citato. « Virgines quæ se Deo dedicaverunt, si pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini inservierint, non intelligentes quid amiserint, placuit, nec in fine dandam eis esse communionem. Quod si sibimet persuaserint, quod infirmitate corporis lapsæ fuerint, et toto tempore vitæ suæ hujusmodi feminæ egerint pœnitentiam, et abstinuerint se a coitu, eo quod lapsæ potius videantur, placuit, eas in fine communionem accipere debere. » En hic in uno eodemque culpæ genere duplicem gravitate reatum, et diversa quidem animadversione mulctandum : mitior tamen animadversio ea est quæ totum vitæ tempus in lapsa virgine exigit ad agendam pœnitentiam, ut veniam tandem *in fine* accipere mereatur. Lapsus virginis Aquileiensis apud Nicetam erat sane gravissimus multiplici ex capite, uti vidimus; ideoque non immerito eidem indicta fuit pœnitentia *usque ad extremum vitæ*, ut veniam a Domino sperare posset.

Sed quonam præsertim modo, quibusque actibus, hæc erat pœnitentia peragenda? *Agonem pœnitentiæ* appellat Nicetas pœnitentialem cursum, quem jam erat ingressa lapsa illa virgo; et hoc ex communi tunc loquendi modo, quo pœnitentium labores et afflictiones, ac veluti contentiones aptissime indicabantur, tam animæ quam corporis, ad præstandam satisfactionem et ad veniam impetrandam. In hoc autem pœnitentiæ agone hæc potissimum lapsæ virgini facienda indicuntur a Nicetа, capite 8, num. 35. *Omnis* in primis *cura vitæ hujus interimenda* illi erat, nihilque cogitandum præter spiritualem mortem in quam peccato suo inciderat, modumque reviviscendi. Deinde *lugubris vestis* erat accipienda, et *mens ac membra singula*, digna castigatione punienda. En habitum virginalem in pœnitentialem mutatum, cujus peculiaris etiam color et forma, pœnitentibus usitata, voce *lugubris* aliquatenus indicatur. *Amputatio* quoque *crinium* præscribitur in pœnitentiæ signum; unde apparet intonsas eo tempore penes nos sacras virgines fuisse, contra ac alibi, ac præsertim in Ægypto ac Syria, esset in usu, ut Hieronymus docet epistola ad Sabinianum 48. *Defluant* insuper *oculi lacrymis*, aiebat ad lapsam Nicetas, *pallescat facies*. Neque hic satis. « Denique totum corpus injuriis et jejuniis maceretur, cinere aspersum et opertum cilicio perhorrescat... Sensus etiam crucietur. » Hæc de exterioribus pœnitentiæ signis ac de corporis afflictationibus Nicetas ad lapsam agendæ pœnitentiæ causa : ubi si per *injurias* corpori inferendas ad ejusdem macerationem, flagellationem etiam intelligas, aliasque id genus acerbiores castigationes, quarum **262** tam sæpe mentio est in Vitis sanctorum qui *carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis*, nihil certe intellexeris quod non apprime conveniat cum pœnitentiali illius temporis disciplina; quæ dum postea descivit in pœnitentium criminibus expiandis, remansit semper apud ferventiores Christianos qui innocentiam cum pœnitentia conjunxerunt, et pœnitentialibus afflictionibus usi sunt pro Christianis virtutibus facilius excolendis.

Quid nunc ad concipiendum animo, nutriendumque

dolorem perpetrati propudii? Præclara sunt quæ congerit Nicetas, capite 10, e divinis Scripturis, ut mentem lapsæ pœnitudinis sensibus impleat, linguamque tum oris, tum cordis dirigat ad Domini misericordiam implorandam. Sed dignum notatu quod primo loco eidem suggerit, ut quinquagesimum psalmum quotidie recitet usque ad versiculum decimum nonum: « Et primum quidem nullo die quinquagesimus psalmus intermittatur; quia in tali negotio cantatus est: et usque ad versiculum illum : *Cor contritum et humiliatum Deus non spernit*, cum lacrymis gemituque percurre. » En quanta commendatur antiquitate psalmi hujus quinquagesimi recitatio inter pœnitentium afflictationes et preces, qui hodie quoque tam frequenter indicitur pœnitentibus a presbyteris confessariis in partem satisfactionis, confessione audita. Non integer tamen quinquagesimus psalmus lapsæ virgini a Niceta dicendus indicitur, sed usque ad versiculum decimum nonum, omissis duobus aliis quibus psalmus completur. Etenim non psalmorum verbosa et nuda recitatio, quasi in labiorum piam exercitationem, pœnitentibus indicebatur, sed sensuum potius qui in psalmis continentur meditatio; et ideo psalmi eisdem recitandi dabantur ad eam usque ipsorum partem quæ ad animi dolorem exprimendum, et ad misericordiam implorandam vehementius urgebat, ne sensibus aliis, quamvis sanctissimis, abstracti quodammodo, compunctionem semel in corde ortam intermitterent. De hoc eodem psalmo quinquagesimo non in totum recitando, sicut etiam de aliis similiter intercidendis pro opportunitate actionis, exempla habemus in antiquis pœnitentialibus libellis, quos addidit Morinus operi suo de Sacramento Pœnitentiæ. In antiquo namque Pœnitentiali Romano ibidem, pagina 565 Venetæ editionis, sub titulo : *Incipit ratio ad dandam pœnitentiam :* hæc habemus : « In primis dicit psalmum tricesimum septimum totum, *Domine, ne in furore tuo arguas me*, et postea dicit *Oremus*. Et dicit psalmum centesimum secundum, *Benedic, anima mea, Domino*, usque, *renovabitur sicut aquila juventus tua.* Et dicit psalmum quinquagesimum, *Miserere mei, Deus*, usque, *iniquitates meas dele.* Post hæc dicit psalmum quinquagesimum tertium, *Deus, in nomine tuo*, et dicit *Oremus.* Et dicit psalmum quinquagesimum primum, *Quid gloriaris*, usque, *videbunt justi, et timebunt*, et dicit *Oremus*, etc. » In alio quoque Pœnitentiali similiter antiquo ibidem, pagina 581, sub titulo, *Ordo pœnitentis ad mortem*, post orationes, et alia, hæc leguntur : « Deinde psalmos, *Domine, ne in furore tuo*, usque *Cor meum conturbatum est in me, et lumen oculorum meorum non est mecum. Miserere mei, Deus, secundum magnam*, usque, *Averte faciem tuam a peccatis. Benedic, anima mea, Dominum, et omnia interiora mea*, usque, *Sicut aquilæ juventus.* » En psalmum quinquagesimum, aliosque, in re pœnitentiali antiquitus adhibitos juxta Nicetæ morem, prout res postulabat, quin eorumdem integritatis **263** ratio haberetur.

Verum si tali tantæque pœnitentiæ subjiciebatur virgo sacra fœdifraga; quid ejusdem violator, adulterii simul reus et sacrilegii, ut superius innuebamus? In hunc quoque vehementer stylum convertit Nicetas, capite 9 ejusdem opusculi, hac eumdem acri oratione percellens : « De te autem quid dicam, filio serpentis, ministro diaboli, violatore templi Dei : qui in uno scelere duo crimina perpetrasti, adulterium utique et sacrilegium? » Ad pœnitentiam vero descendens huic violatori infligendam, eumdem similiter perpetuæ addicit pœnitentiæ : « luctu et fletibus continuis, dum in corpore tuo immundo anima illa tenebrosa versatur, remedium tibi in die necessitatis acquire. » Ita ibidem, num. 42. Vehementior videtur Nicetas in virginis stupratorem, quam in ipsam virginem lapsam, ea etiam fortasse de causa, quia ad pœnitentiam capessendam non ita facilem se is exhibebat; ideoque ita illum etiam alloquebatur : « Ne quid a pastore ovi morbidæ vel morituræ medicamini denegatum sit, do consilium : Petas ultro carcerem pœnitentiæ. » Nondum igitur virginis violator ad pœnitentiam accesserat; secus ac lapsa, quæ agonem pœnitentiæ jam erat ingressa, cum ad eam sermonem haberet Nicetas.

Quid vero huic in pœnitentiæ cursu agendum erat, ad corporis afflictationem et ad cordis compunctionem? *Catenarum* usum illi proponit Nicetas ad *viscera obstringenda;* gravius nimirum aliquid et acerbius quam lapsæ indixerat, quæ sexus gerebat imbecillitatem : unde colligas in pœnitentiis olim infligendis, seu potius in pœnitentialibus afflictationibus, habitam fuisse rationem et sexus et virium. Quam frequens porro catenarum usus legitur in Vitis sanctorum, inter eorum voluntarios cruciatus ad corpus castigandum redigendumque in servitutem, ne unquam spiritui rebelle insurgeret! Desinant delicatuli nostri ac male feriati homines cachinnis excipere, quod religiosi viri ac perfectionis Christianæ studiosi ex vetustissimis pœnitentium institutis sibi quandoque nostra etiam ætate asciscunt, etsi non ut corrigant quod deliquerint, certe ut aliquid in se coerceant ne delinquant, et ut crucis Christi mortificationem semper in suo corpore exsultantes circumferant. Neque catenas solummodo, sed et *jejunia* et *gemitus* indicit Nicetas huic virginis corruptori, ad *animam cruciandam.* Communia hæc nempe pœnitentiam agentibus erant, sive feminis, sive viris. *Petat* insuper *sanctorum auxilium*, addebat Nicetas, et *jaceat sub pedibus electorum :* atque hæc omnia eodem capite 9, num. 40. Per *sanctorum auxilium* probabilius intellexit Nicetas opem sanctorum in cœlis degentium; quam invocandam ait, ad peccatorum veniam a Domino facilius impetrandam : sed et *sanctorum* nomine significare potuit presbyteros quoque aliosque de clero, quorum se intercessionibus pœnitens commendaret. *Jacere* vero *sub pedibus electorum*, illa erat pœnitentium ante fores ecclesiæ prostratio ad singulos fideles ecclesiam adeuntes, ac veluti provolutio ad pedes ipsorum, ut eorum orationibus adjuvarentur : quæ omnia copiose illustrantur a rerum hujusmodi tractatoribus, quin hic diutius super his immoremur. Atque hic demum finis sermoni de disciplina, seu de iis quæ ad disciplinam spectant, occasione opusculorum fragmentorumque Nicetæ Aquileiensis episcopi.

264 CAPUT X.

Nonnulla expenduntur, quæ a sancto Niceta aut minus exacte, aut durius dicta videri possent.

Alia nunc nos manent, quæ Nicetam ipsum attingunt, ejus nempe rectam sentiendi docendique rationem : suntque nonnulla in Nicetæ opusculis posita, quæ ab eodem aut minus exacte, aut durius dicta videri possent; et in quibus propterea Nicetas aut vindicandus, aut explicandus venit.

De fide loquens Nicetas Explanationis capite 2, eam appellat credulitatem : « Bene incipit a credulitate confessio; » ait ille, explicare incipiens priora Symboli verba : *Credo in Deum Patrem omnipotentem :* Gentes quoque nominans capite 8 quæ Evangelio credidissent, eas gentes credulas dixit; « Hanc regulam fidei apostoli a Domino acceperunt, ut in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti omnes gentes credulas baptizarent. » Quid sibi vult in ore Nicetæ hæc *credulitas*, quæ in communi sermone defectum sapit, et quamdam animi infirmitatem veræ fidei adversam; utpote quæ, aut sumitur pro nimia facilitate credendi; quæ actus est levitatis; aut pro opinione infirma et imbecilli, quæ in fidei dogmatibus sine gravi piaculo locum non habet? Idipsum scilicet Augustino, quoad primum hujus vocis sensum, objiciebat olim illius amicus Honoratus, Manichæorum fraudibus deceptus, in libro quem sanctus doctor ad eumdem scripsit, de Utilitate credendi, capite 9, num. 22. « Ipsa credulitas (aiebat ille) a qua creduli nominantur, vitium quoddam mihi videtur esse : alio-

quin hoc nomen non pro convicio objectare soleremus. Nam si suspiciosus in vitio est, eo quod non comperta suspicatur : quanto magis credulus, qui in hoc a suspicioso differt, quod ille incognitis aliquam, iste nullam tribuit dubitationem. »

Absit tamen ut *credulitatis* et *creduli* voces a Niceta nostro usurpatas, aut hoc aut alio pravo sensu accipiamus. *Incredulitas* sæpe in novo Testamento nominatur, ad fidei defectum innuendum : *incredulos* quoque in novo ac veteri frequenter legimus, veluti in fide errantes. Si contrariis vocibus *credulitatis* ac *creduli* usus est Nicetas, id fecisse jure dicemus ad sensum Scripturarum, et ad id significandum quod *incredulitati* et *incredulis* contrarium esset; plenam scilicet *fidem*, perfectumque *fidelem*. Hoc ipso sensu, ad Scripturarum rationem, *credulitatis* et *incredulitatis*, vocibus usus fuit sanctus Zeno libro I, tractatu 1 de Fide ex editione Veronensi Balleriniorum, dicens : « Abraham placuit Deo credulitate sine lege, et Judaicus populus displicuit Deo incredulitate cum lege. » En vocem *credulitatis* adhibitam sensu prorsus *incredulitati* contrario; ideoque non ad vitium in fide indicandum, sed ad plenitudinem fidei ostendendam. Præterea frequens in Patribus, tum ante Nicetam, tum Nicetæ ipsius ætate, *credulitatis* vox ad fidem veram perfectamque significandam, ac præsertim, ut videtur, ad ipsum fidei internum actum designandum, quo adhæremus divinis veritatibus, et unde ad confessionem ore faciendam procedimus. « Ridere nostram fidem consuestis, atque ipsam credulitatem. » Ita Arnobius Adversus Gentes libro II, **265** fidem a credulitate distinguens, rem scilicet credendam ab ipso actu credendi. « Sufficiat nobis dicere unam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas, æquales, coæternas.... Sufficiat nobis memorata credulitas, » aiebat sanctus Hieronymus, epistola 15 ad Damasum papam, num. 4, ex editione Vallarsii. *Credulitatem majorum*, pro recta fide actuque credendi ea quæ a majoribus accepimus, dixit Xistus papa III, in epistola ad Joannem Antiochenum, apud Coustantium, Epistolæ Romanorum pontificum. « Qui crassitudine carnalis ingenii passionis ejus mysteria comprehendere non valemus; credulitate rectæ fidei, quæ præstitit, teneamus. » Ita sanctus Maximus Taurinensis, sermone 38 de Tempore, aperte credulitatem sumens pro interiore actu fidei, quo religionis mysteria indubitanter tenemus.

Sed nihil hac in re apertius, nihil enucleatius sancto Petro Chrysologo sermone 60 in editione Sebastiani Pauli, ubi suos veluti gradus in fidei professione constituit, et ubi in quo credulitas locanda sit, et quid reipsa credulitas valeat, aperte distinguit. « Sermo, inquit, creat auditum, auditus concipit fidem, credulitatem parturit fides, confessionem credulitas nutrit; confessio perpetuam dat salutem. » Credulitas itaque est quæ fidem, animo semel, ex auditu conceptam, assensu intimo amplexatur et sequitur; et confessionem inde ore promendam antecedit et nutrit; ideoque est proprie actus internus fidei, quo rebus credendis firmus præbetur assensus, et unde ad confessionem externam venitur. Hinc præclare Nicetas in Explanatione aiebat, quod *Bene incipit a credulitate confessio*, id est ab intima animi persuasione qua indubitanter credimus et unde vox *credo* erumpit, qua exterius confitemur quod intus in corde tenemus. Præclare quoque gentes credulas dixit quæ in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti essent baptizandæ; credulas nempe, non ab aliqua in assensu præbendo seu præstito levitate, non a quadam opinandi ratione hæsitationi simul obnoxia, sed a firma interius fide, quæ confessionem præcederet, ad baptismum suscipiendum necessariam.

Hoc plane sensu *credulitatis* vox etiam in actis Liturgicis invenitur usurpata : unde in Missali Gallicano veteri, in officio traditionis Symboli, apud Muratorium Liturgia Romana vetus tomo II, col. 710 alias citatæ editionis Venetæ in-folio, ita legimus : « Adhibendum est itaque credulitatis salubre compendium; ubi imbecilla mens capere non potest cœleste secretum. » Mentis igitur actio est credulitas, quæ *imbecillæ menti* subsidio datur. Sed clarius quoque in veteribus codicibus Liturgicis Ecclesiæ Aquileiensis apud De Rubeis, dissertatione de Sacris Forojuliensium Ritibus capite 11. Ibi enim in officio scrutinii, quod appellatur in aurium aperitione, hæc ad competentes invitatio fiebat : « Venite, filii : venite, quia venit tempus fidei, credulitatis dies, confessionis hora. » Deinde ibidem in subsequenti *Expositione Symboli* : « Si credidisti, noli dubitare. Noli facere de credulitate perfidiam. Noli vitium sociare virtuti. » En hic credulitatem, ad sensum Chrysologi, a fide et confessione distinctam : en credulitatem virtutem dictam, et ab omni prorsus dubitatione discretam. Clarissimus De Rubeis animadvertit ibidem capite 12, Aquileiense scrutinium præcitatum, idem ferme esse ac illud quod in codice Gelasiano habetur. Verum in Gelasiano codice, apud Muratorium opere supra citato deest omnino tum invitatio prædicta ad competentes, tum subsequens *Symboli Expositio*, ubi credulitatis **266** mentio est. Quidni ex Nicetæ *Explanatione Symboli* in Aquileiensem liturgiam vox *credulitatis* manaverit? Hæc tamen eadem vox et in Romanis Ordinibus veteribus locum habuit, et hodie quoque non semel legitur inter preces Romani ritus qui communiter obtinet ac etiam in administratione baptismatis.

Ad aliam nunc procedimus Nicetæ nostri doctrinam, quam tradit Explanationis capite 6, ubi de Symboli articulo agit : *Inde venturus est judicare vivos et mortuos*. « Crede, inquit, quoniam hic ipse Christus Dominus noster veniet cum angelis et virtutibus eorum tam vivos quam olim mortuos judicare, ut reddat singulis secundum opera eorum. » Verbis illis, *tam vivos quam olim mortuos judicare*, videri potest Nicetas docere, ad universale judicium accessuros, absque morte præcedente, eos quos in fine mundi judicis adventus vivos repererit : quod certe a communi sentiendi ratione alienum cognoscimus, qua docemur subeundam esse ab omnibus omnino hominibus mortis pœnam; et omnes quoque homines juxta Apostolum, resurrecturos esse, quod nonnisi morte interveniente fieri potest. Doctrina quidem Nicetæ nostri explicationem aliquam non prorsus invita pateretur, qua eumdem concepisse animo judicaremus, *vivos* eos, quos nominat e regione ut ita dicam cum *olim mortuis*, non prius ad judicium accessuros, quam mortem et ipsi, licet ad modicum, immo ad minimum temporis spatium, pertulerint; ita ut *vivi* illi mox morituri intelligantur, ut una cum *olim mortuis* et ipsi quoque *nuper mortui*, redivivi tandem omnes ad judicium sistantur.

Verum Nicetæ doctrina, etiam priori et obvio verborum illius sensu accepta, explicatione hic non indiget, sed defensione. In re scilicet numquam ab Ecclesia peculiari canone definita, atque tunc maxime temporis in utramque partem agitata, licuit Nicetæ doctrinam, seu potius opinionem tenere ac tradere quam clarissimus Touttée e congregatione Sancti Mauri, in notationibus ad sanctum Cyrillum Hierosolymitanum a se illustratum, ad catechesim 15, num. 23, aiebat communem opinionem esse Græcis Patribus et Latinorum quoque permultis : « Multos nempe secundo Domini adventu adhuc viventes deprehensum iri, et una cum redivivis ejus judicio, non prius obita morte, sistendos. » Ut Græcos Patres omittamus, pro quibus sufficere potest idem sanctus Cyrillus catechesi citata, quæ est de judicio postremo, ubi eodem num. 23 apertissime huic inhæret opinioni, tamquam penitus exploratæ, suisque auditoribus omnino perspectæ; nonnihil immoremur illustrationis gratia in Latinis, ut Nicetæ nostri explicatio ab omni censura immunis appareat.

Sanctus certe Augustinus, in libro de Fide et Symbolo, quem scripsit adhuc presbyter anno circiter

393, capite 8 ita scribebat : « Credimus etiam *inde venturum* convenientissimo tempore, et *judicaturum vivos et mortuos*. Sive istis nominibus justi et peccatores significentur; sive quos tunc ante mortem in terris inventurus est, appellati sint vivi, mortui vero qui in ejus adventu resurrecturi sunt. » In Enchiridio quoque de Fide, Spe et Charitate, quod scriptum judicatur post annum 420, aut eodem etiam anno hæc habet capite 55 : « Duobus autem modis accipi potest, quod vivos et mortuos judicabit : sive ut vivos intelligamus, quos hic nondum mortuos, sed adhuc in ista carne viventes inventurus est ejus adventus; mortuos autem qui de corpore, prius quam veniat, exierunt vel exituri sunt : sive vivos justos, mortuos autem injustos; quoniam **267** justi quoque judicabuntur. » Ita sanctus Augustinus articulum Symboli de judicio futuro vivorum et mortuorum explicabat; ut absque ulla censura liberum cuique esset vivorum nomine comprehendere etiam eos quos vivos postremus Christi adventus offendet, quique ad judicium una cum mortuis suscitatis venturi sint absque morte.

Rem nihilominus data occasione penitius inquirendam sibi proposuerat sanctus doctor; quod et fecit, epistola præsertim 193 ad Mercatorem, capite 4, quæ ad annum pertinet 418, deinde et de Civitate Dei libro XX, capite quoque 20, qui liber, ut conjicere possumus ex iis quæ annotant suis locis Maurini editores, post annum certe 425 scriptus fuit. In illa porro epistola, allatis Apostoli verbis I Thessalonicensium IV : *Et nos viventes qui reliqui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, et ita semper cum Domino erimus*, hæc pro sententia alias a se exposita scribebat : « Reverâ quantum ad verba beati Apostoli pertinet, videtur asserere quosdam in fine sæculi adveniente Domino, cum futura est resurrectio mortuorum, non esse morituros, sed vivos repertos in illam immortalitatem, quæ sanctis etiam cæteris datur, repente mutandos, et simul *cum illis rapiendos*, sicut dicit, *in nubibus* : nec aliquid aliud mihi visum est, quoties de his verbis volui cogitare. » Hærebat tamen sanctus doctor dum alia ejusdem Apostoli verba perpenderet I Corinthiorum XV : *Stulte, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur*; et alia quoque ibidem : *Omnes resurgemus* : seu, ut nonnulli codices : *Omnes dormiemus*; ex quibus a mortis subeunda sententia nullus hominum exceptus omnino videtur, ut immortalitatem perpetuam adipiscatur. Quid igitur sanctus doctor in hoc apostolicæ locutionis veluti conflictu? Relatis iterum verbis Apostoli I Thessalonicensium, quæ a postremis viventibus in adventu Divini judicis mortem arcere videntur : « Vellem, inquit, de his audire doctiores, et si modo potuerint hæc ita exponi, ut in eis possit intelligi, omnes homines qui vivunt, vel post nos victuri sunt, esse morituros, corrigere quod hinc aliquando aliter sensi. Neque enim debemus indociles esse doctores. » Nihilominus propensionem suam pro immortalitate ultimorum viventium aperire non desinens, et majorem quamdam vim in verbis Apostoli ad *Thessalonicenses* se videre arbitratus, postulabat potius quomodo alia ad *Corinthios* relata verba ad prioris opinionis sensum essent accommodanda; ac propterea ita prosequebatur : « Si enim in his verbis Apostoli (*Ad Thessalonicenses*) nullus alius sensus potuerit reperiri, et hoc eum intelligi voluisse claruerit, quod videntur verba ipsa clamare; id est quod futuri sint in fine sæculi et in adventu Domini, qui non exspolientur corpore, sed superinduantur immortalitate, ut absorbeatur mortale a vita : huic sententiæ proculdubio conveniet quod in regula fidei confitemur, venturum Dominum, judicaturum vivos et mortuos; ut non hic intelligamus vivos justos, mortuos autem injustos, quamvis judicandi sint justi et injusti; sed vivos quos nondum exisse, mortuos autem quos jam exisse de corporibus adventus ejus inveniet. Quæ si ita esse constiterit illa verba excutienda erunt (*Ad Corinthios*), quomodo sic accipiemus, *Tu quod seminas non vivificatur nisi prius moriatur*; et *Omnes resurgemus*, sive, *Omnes dormiemus*, ut non adversentur huic sententiæ, qua quidam creduntur **268** etiam cum suis corporibus in æternum, non degustata morte, victuri. » Anceps nihilominus super hac difficultate sanctus Augustinus, en quomodo, converso ad Mercatorem sermone in fine epistolæ, eumdem alloquebatur, ut clarius aliquid de eadem intelligere posset : « Cæterum quod attinet ad quæstionem resurrectionis, propter illos, qui creduntur non esse morituri, sed ex hac mortalitate ad immortalitatem sine media morte transituri, inquisitio diligentior adhibenda est; et si quid hinc absolutum ac definitum disputatione rationabili atque perfecta vel audisti, vel legisti, vel etiam ipse cogitare potuisti, sive adhuc audire, aut legere, aut cogitare potueris, peto mihi mittere non graveris. Ego enim (quod confitendum est charitati tuæ) plus amo discere quam docere, etc. » Ita sanctus doctor Augustinus, anno 418, de vivorum et mortuorum intelligendo sensu, quod spectat ad judicium, dum rem data opera inquireret.

Sed quid libro XX de Civitate Dei, post annos circiter septem ab eodem scripto, ubi rem eamdem iterum sibi enucleandam proposuit? Verbis denuo allatis Apostoli tum ad Thessalonicenses, tum ad Corinthios, a priori sua opinione nonnihil hic declinare videtur; ita ut verba illa ad Thessalonicenses, ubi immortalitas ultimorum viventium asserta apparet ut idem Augustinus aiebat, explicanda hic potius asserat verbis aliis ad Corinthios, ubi omnium omnino hominum mors, omniumque resurrectio prædicatur. Hic namque totus est sanctus doctor, ut possibilem illorum ultimorum viventium mortem asserat ac resurrectionem, etiam in illo brevissimo ac minimo temporis spatio; et ut alia quoque Scripturæ verba conciliet, quæ contra eorum mortem facere videbantur. Quæri solet, inquit, utrum illi quos hic viventes inventurus est Christus.... numquam omnino morituri sunt; an ipso temporis puncto, quo cum resurgentibus rapientur in nubibus in obviam Christo in aera, ad immortalitatem per mortem mira celeritate transibunt. Neque enim dicendum est, fieri non posse, ut dum per aera in sublime portantur, in illo spatio et moriantur, et reviviscant. » Deinde post aliqua : « Si ergo sanctos, qui reperientur Christo veniente viventes, eique in obviam rapientur, credederimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, et ad eadem mox immortalia redituros, nullas in verbis Apostoli patiemur angustias, sivi ubi dicit, *Tu quod seminas*, *non vivificatur*, *nisi moriatur*, sive ubi dicit, *Omnes resurgemus*, aut *Omnes dormiemus*; quia nec illi per immortalitatem vivificabuntur, nisi, quamlibet paululum, tamen ante moriantur; ac per hoc et a resurrectione non erunt alieni, quam dormitio præcedit, quamvis brevissima, non tamen nulla. Cur autem nobis incredibile videatur, illam multitudinem corporum in aere quodam modo seminari, atque ibi protinus immortaliter atque incorruptibiliter reviviscere, cum credamus, quod idem ipse Apostolus apertissime dicit, in ictu oculi futuram resurrectionem, et in membra sine fine victura tanta facilitate tamque inæstimabili velocitate rediturum antiquissimorum cadaverum pulverem? » Demum semper huic sententiæ insistens, alterique respondens difficultati, quam hic brevitatis gratia omittimus, ita caput illud 20 atque rem totam concludit. « Quomodo autem sit futurum quod nunc pro nostræ ratiunculæ viribus utcumque conjicimus (scilicet quomodo postremi illi viventes **269** et morituri sint et resurrecturi tam exiguo temporis spatio, ut antea fieri posse demonstraverat), tunc erit potius, ut nosse possimus. Resurrectionem quippe mortuorum futuram esse in carne, quando Christus venturus est vivos judicaturus et mortuos, oportet, si Christiani esse volumus, ut credamus. Sed non ideo de hac re ina-

nis est fides nostra, si quemadmodum futura sit, perfecte comprehendere non valemus. » Hactenus sanctus doctor super quæstione, de modo accipiendi vivos illos et mortuos quos venturus Dominus in fine mundi judicabit; num scilicet vivi illi, quos reperiet, morituri sint, an non, antequam ad judicium accedant : ubi quomodo ipse in utramque partem anceps fuerit satis apparet; ac demum quomodo ad eam magis deflexerit, quæ etiam ultimorum illorum viventium mortem, subitamque resurrectionem admittebat. Quid igitur si Nicetas noster post medium quintum sæculum, id est non ita longe ab Augustini ætate, in re non satis explorata, et in utramque partem disputata, steterit pro opinione, quæ Græcorum Patrum communis erat, et ad quam inter Latinos divus etiam Augustinus propenderat aliquando?

Sed eadem Nicetæ ætate, et in Italiæ sinu, alii quoque Latini Patres id docebant quod Nicetas noster docuisse videtur de postremo judicio viventium; qui scilicet absque morte ad immortalitatem perpetuam essent transituri. Ita namque sanctus Petrus Chrysologus in tribus suis sermonibus in Symbolum apostolorum, eumdem articulum de judicio vivorum et mortuorum explicabat. « *Inde venturus est judicare vivos et mortuos.* Esto vivos; mortuos quemadmodum poterit judicare? Sed illi vivunt, qui nobis mortui computantur. Ergo resurrecturos eos confitemini ad judicium, quos infidelitas existimat deperisse : ut qui mortui fuerint, et qui reperientur vivi, pariter suorum reddant actuum vitæque rationem. » Ita sermone 57. « Judicat vivos, judicat et mortuos, quos utique judicaturus exsuscitat. » Ita sermone 59. « *Inde venturus est judicare vivos et mortuos.* Quia veniente Christo, resurgent mortui, sistentur vivi, ut pariter causas reddant de suorum ratione factorum. » Ita sermone 60. Sanctus quoque Maximus Taurinensis eamdem cum Niceta nostro et cum divo Petro Chrysologo videtur referre sententiam in sua homilia 83, cui titulus, *De Traditione Symboli.* « Vivi autem, inquit, judicandi referuntur, ac mortui, ut omnium hominum esse apud Deum cura credatur; » cura scilicet tum eorum qui mortem subierunt, tum eorum qui adventu judicis præventi mortem non obibunt, ut obvius verborum sensus innuere videtur. Communior itaque Nicetæ ætate adhuc erat inter Latinos Patres opinio, quod sub vivorum nomine in Symbolo habendi essent illi, quos viventes adventus Christi judicis reperiet, quique absque prævia morte judicium subire deberent cum vivis aliis a morte suscitatis.

Sed et post Nicetæ ætatem aliquamdiu hæc opinio in Occidente perduravit, ita ut nonnisi paulatim et quasi per gradus obsoleverit, et alia tandem plene obtinuerit, quæ morituros eos quoque affirmabat quos extrema dies vivos reperiet, prout communis nunc fert sententia, quæque procul dubio etiam ex disputatis a divo Augustino, citato de Civitate Dei libro XX, majorem vim sumpsit. Hujus rei documentum exhibet liber, cui titulus, de Ecclesiasticis Dogmatibus, capite 8, in appendice Isidoriana 13, tomo VII, pag. 322, Operum sancti Isidori Hispalensis **270** novissimæ editionis Romanæ clarissimi Arevali, ubi ita legimus : « Quod autem dicimus in Symbolo, in adventu Domini vivos ac mortuos judicandos, non solum justos et peccatores significari, sicut Diodorus putat, sed et vivos eos qui in carne inveniendi sunt, credimus qui adhuc morituri creduntur; vel immutandi sunt, ut alii volunt, ut suscitati continuo, vel reformati cum ante mortuis judicentur. » Auctor hujus libri, qui divo Augustino primum, deinde et Gennadio Massiliensi tributus fuit, ex recentioribus investigationibus putatur Bracharius quidam Hispalensium episcopus, a sancto Isidoro quartus, qui sæculo exeunte VII vixit. Videantur ejusdem Arevali Isidoriana, capite 83, Operum prædictorum tomo II, pag. 31 et sequentibus. Sæculo igitur etiam septimo, quamvis potior, ut ex allato textu apparet, haberetur opinio sentientium vivos quoque illos, quos Christus judex reperiet, non prius judicio sistendos quam mortem et ipsi, licet brevissimam, obierint, ut cum aliis ante mortuis suscitentur; non prorsus rejiciebatur altera, quæ vivos illos, absque prævia morte, et tantummodo cum immutatione vel reformatione quæ resurrectioni quodammodo responderet, judicio sistendos asserebat; quoniam et hæc proponebatur saltem secundo loco, explicationis gratia, ad Symboli articulum percipiendum. Sed hæc demum in hujus rei illustrationem ac simul ad Nicetæ nostri super hac re defensionem, dixisse sufficiat.

Tertiam pariunt difficultatem quæ Nicetas habet Explanationis capite 7, ubi articulum Symboli exponit : *Credo in Spiritum sanctum.* « Credis, inquit, et in Spiritum sanctum. Hic Spiritus sanctus unus est sanctificans omnia, qui de Patre procedit. » Quid sibi volunt hæc verba : *de Patre procedit?* Numquid processionem sancti Spiritus a solo Patre, non autem et a Filio, tenuit ac docuit Nicetas? Verum non Nicetas solus in Symboli expositione ita locutus est, mentione scilicet prætermissa processionis Spiritus sancti etiam a Filio : simillimo namque modo et alii Patres, tum ante Nicetam, tum eadem Nicetæ ætate, locuti sunt in Symboli expositionibus quas habuere ad competentes. « Credimus in Spiritum sanctum, de Patre procedentem, nec tamen Filium, » aiebat sanctus Augustinus sermone 214, in Traditione Symboli, num. 10. « Secundum evangelicam veritatem, sicut Filius a Patre exivit, ita et Spiritus a Patre procedit; » docebat sanctus Maximus Taurinensis supracitata Homilia 83, de Traditione Symboli. Difficultatem itaque, quæ nobis in allatis Nicetæ verbis occurrit, viderat ante nos in consimilibus nunc relatis divi Maximi Taurinensis clarissimus illius Operum novissimæ editionis Romanæ illustrator Bruno Brunius superius a nobis laudatus, eamque pro eruditione sua enodare sibi proposuit peculiari notatione, quam eidem homiliæ subjecit, quæque ad rem quoque nostram pro Niceta uberrime facit; unde nonnulla opportune mutuari licet, quæ grata lectoribus futura atque argumento necessaria existimamus.

« Mirabitur nemo, inquit ille, Maximum dixisse Spiritum sanctum a Patre procedere, neque addidisse eum quoque procedere a Filio; id enim egit cum aliis Patribus, qui illos hæreticos oppugnarunt facientes Spiritum sanctum Filio inferiorem; nam Eunomius eum *jussu Patris, operatione et potentia Filii procedere docebat.* Præcipue ergo tunc temporis doctrina catholica circa processionem Spiritus sancti a Patre versabatur; et explicitam confessionem **271** eum quoque a Filio procedere, Ecclesia non requirebat; nam satis illi erat, ut Spiritus sanctus verus Deus ab omnibus crederetur et coleretur. Postea vero quam ex cineribus Macedonii, atque Nestorii a Græcis excitatus fuit error, quo negabant Spiritum sanctum a Filio procedentem, tunc visa est Ecclesiæ necessaria obortæ hæresis proscriptio, et ab utroque, Patre scilicet et Filio, processionis confessio. Primum in Hispania illa accepta invenitur, celebratis hac de causa pluribus conciliis, et particula *Filioque* ad Symbolum addita. Tres insuper aliæ Synodi, Gentiliacensis, Forojuliensis, et Aquisgranensis Græcorum errorem damnantes eam probarunt. » Deinde post alia ita prosequitur Brunius : Ut de sancti Maximi, inquit, hoc de dogmate doctrina agam; « is processionis quidem Spiritus sancti ex patre meminit; ex Filio autem, explicate non meminit. Neque erat opus, ut in tradendo Symbolo hujus explicatam mentionem faceret; cum nulla tunc a novatoribus contra catholicum dogma excitata esset contentio, et una omnium, Occidentalium præsertim, esset de Spiritu sancto etiam ex Filio procedente doctrina. » Pergit deinde clarissimus illustrator, et ut sanctum Maximum suum clarius adhuc vindicet a suspicione negatæ processionis Spiritus sancti etiam a Filio, convertit se ad similes Maximo Augustini locutiones, quarum nos quoque unam pro Niceta nostro attuli-

mus ex sermone suo 214, in Traditione Symboli. « Profecto, inquit Brunius, sanctus Augustinus, si præter tractatum de Fide et Symbolo, capite 8, et sermonem de Traditione Symboli.... ubi ita prorsus, ut Maximus disserit, memoratque ex Patre procedentem Spiritum, omittitque explicatam processionis ejusdem Spiritus ex Filio mentionem; si præter eos tractatus, inquam, nullos de Trinitate alios perscripsisset; indeque quisquam conclusisset, Augustinum non concessisse Spiritus processionem ex Filio, næ is conclusor vehementer errasset. Nam etsi in indicatis tractatibus hujusce ex Filio processionis non meminit, credidit tamen reipsa Spiritum sanctum ex Filio item procedere, ut ex libro II Contra Maximinum capite 14, exque ejus de Trinitate libro XV, capite 27 constat. Quare si Maximus tractatus edidisset de Trinitate, in eamque incidisset quæstionem, non dubito quin Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere affirmasset.... Alioqui hoc etiam restaret, ut Patres Constantinopolitanæ I œcumenicæ synodi, quod Spiritus sancti ex Patre processionem memorarint in Symbolo, tacuerint τὴν ex Filio (confer tom. I Conciliorum ad annum 381, pag. 814 edit. Paris. an. 1714), in negatæ processionis ex Filio crimen vocarentur, quo quid dici potest iniquius? » Hæc eruditus vir pro sancto Maximo Taurinensi: quæ æque et pro Niceta nostro, ejusdem ætatis episcopo, dicta censemus; ut nihil proinde miremur, ipsum quoque competentibus Symbolum explanantem, processionis quidem Spiritus sancti a Patre meminisse, ejusdem autem etiam a Filio explicate nihil dixisse.

Si hic vero aliquid addere pro Niceta nostro allatis viri clarissimi animadversionibus supervacaneum non sit, nonnulla quæ adhuc suppetunt æqui bonique faciat lector. Si Nicetam videmus, Augustinum et Maximum, dum articulum competentibus explanarent de fide in Spiritum sanctum, solius meminisse processionis Spiritus sancti a Patre, omissa professione explicata processionis ejusdem etiam a Filio; id fecisse non immerito **272** judicabimus, ut Symbolum apostolorum quod explanabant, non aliis quam Symboli Constantinopolitani additamentis hac in parte enuclearent, facta sibi quodammodo religione aliquid addendi, quod ad fidem explicatam spectaret, et ibidem adjectum non haberetur; maxime vero cum nihil tunc contra peculiarem fidem processionis Spiritus sancti etiam a Filio in hæreticorum hominum officinis tentatum esset. Quis enim ignorat, quam sæpe calumnia ab hæreticis inusta fuerit catholicæ Ecclesiæ, de temerata in sacrorum dogmatum explicationibus Nicæna fide tercentorum duodeviginti Patrum, necnon et fide Symboli Constantinopolitani centum quinquaginta? Quis etiam nesciat quantopere allaboratum repugnatumque fuerit, antequam vox *Filioque* ad hanc processionem Spiritus etiam a Filio indicandam, Symbolo adderetur, et communiter reciperetur; ob reverentiam scilicet erga Nicænos Patres atque Constantinopolitanos, eorumque Symbola fidei, in quibus de hac processione Spiritus a Filio nihil? Celebre superest responsum super hac re sancti Leonis papæ III ad legatos concilii Aquisgranensis, qui approbationem additionis vocis *Filioque* in Symbolo ab eo poscebant. Processionem namque sancti Spiritus etiam a Filio in eo concilio declaratam probavit ille quidem, sancteque retinendam dixit, additionem vero vocis *Filioque* in Symbolo non probavit; tum quia nihil addendum esse censuit ad ea quæ Nicæni et Constantinopolitani Patres in suis Symbolis *divina illuminati sapientia*, uti aiebat, admiserunt; tum quia opus non esse addebat, ut omnia fidei dogmata Symbolo insererentur, prout neque illi inseruerunt in Symbolis suis omnia prorsus, quæ jam tunc perspecta atque inconcussa habebantur. Videantur Acta collationis legatorum illorum cum Leone III apud Sirmondum, tomo II Conciliorum Galliæ, ad annum Christi 809, necnon in Conciliis Labbei, cura Coleti, tomo IX, col. 278 et sequentibus.

Præterea, ut clarius adhuc Nicetæ fides vindicetur circa processionem sancti Spiritus, non a Patre solum, sed etiam a Filio, quamvis de ea explicate nihil in *Symboli Explanatione;* animadvertere juvat, quam communis tunc in Ecclesia hujusmodi fides esset, ut eum propterea ab hac communi fide alienum fuisse neutiquam existimemus. Divum Augustinum a clarissimo Brunio citatum vidimus ex libro II Contra Maximinum, capite 14, et ex libro de Trinitate XV, capite 27, quibus nos addere possumus capita quoque 26 et 28, ubi diserte ac luculenter agit de processione Spiritus sancti a Patre et Filio. Non minus autem perspicue ac copiose idem agit sanctus doctor tractatu 99 in Joannem, num. 6, 7, 8, ubi collatis invicem docteque perpensis novi Fœderis testimoniis, catholicum dogma processionis Spiritus sancti etiam a Filio, fidelium suorum, quos alloquebatur, cordibus ingerebat: atque hoc quidem, nulla erroris contrarii facta mentione; ita ut communis tunc fidei hæc processio haberetur, quamvis solius processionis a Patre mentio esset in Symbolo Constantinopolitano. Sanctus quoque Leo Magnus, hujus processionis Spiritus sancti a Patre et Filio, veluti receptæ ubique doctrinæ, mentionem habet epistola 15 ad Turribium Asturicensem, capite 1, quæ ad annum pertinet 447. « Quam impie, inquit, sentiant de Trinitate divina, qui et Patris, et Filii, et Spiritus sancti unam atque eamdem asserunt esse personam.... nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de utroque processit (*al.* procedit), etc. » Quis igitur sibi persuadeat, in tanta hujus **273** doctrinæ luce apud catholicos, cæcutisse Nicetam, ut processionem sancti Spiritus etiam a Filio non admitteret, quod apertis eam verbis in sua *Explanatione Symboli* non docebat? Quinimmo domesticum hujus fidei testem habebat ipse, Rufinum nempe, presbyterum olim Ecclesiæ suæ, qui in uberrima illa sua Symboli explanatione, tantopere a scriptoribus commendata et ubique nota, Commentario nimirum in Symbolum apostolorum, num. 35, hujus processionis Spiritus sancti etiam a Filio, veluti doctrinæ omnibus exploratæ, apertissime meminit. « Ille, inquit, Pater intelligatur, ex quo omnia, et quia ipse non habet Patrem; iste Filius, tamquam qui ex Patre natus sit; et hic Spiritus sanctus, tamquam de utroque procedens, et cuncta sanctificans. » Non potuit itaque Nicetas aut dogma processionis hujus ignorare, aut ab hoc dogmate dissentire; cujus professio nullum tunc peculiarem adversarium patiebatur, et communis erat in Ecclesia doctrinæ.

Quin etiam (addere liceat) dogmatis hujus professionem quamdam fecisse videtur Nicetas ipse in hac eadem Explanatione sua, etsi non eo loci ubi de Spiritu sancto proprie loquitur, id est capite 7, alibi saltem, id est capite 9, ubi Trinitatis doctrinam perstringens atque inculcans, hæc habet: « Si quis hæreticus sub nomine Christiano aut Christum tibi creaturam facit, aut Spiritum sanctum alienum esse a Patris et Filii gloria persuadet, sit tibi tamquam ethnicus et publicanus. » Scopus quidem Nicetæ his verbis est, ut fidem firmet Divinitatis etiam Spiritus sancti, quæ in quæstionem vocata pridem fuerat, atque a Constantinopolitanis Patribus demum asserta, necnon et in Symbolo patefacta, confessione explicata processionis ipsius a Patre, cujus Divinitas a nemine in dubium vocabatur, aut vocata olim fuerat: at dum asserit Nicetas alienum Spiritum sanctum non esse a *Patris* et *Filii* gloria, et ita Filium addit Patri in Spiritus Divinitate confirmanda; hoc videtur dixisse ex intima persuasione processionis etiam hujus Spiritus ab utroque, Patre scilicet ac Filio, unde Divinitas sancti Spiritus luculentius proculdubio manifestatur.

Unum hic, data occasione, adjicere placet, quod ad Nicetam quidem proxime non pertinet, sed quod ad Aquileiensis Ecclesiæ fidem comprobandam circa processionem sancti Spiritus etiam a Filio optime fa-

cit; quodque Nicetam quoque respicere quodammodo potest; utpote ex præsulibus ejus Ecclesiæ a quibus fidei hujus traditio manaverit. Vox *Filioque*, quæ apostolica demum sede consentiente, et tota Occidentali Ecclesia plaudente, inserta Symbolo fuit ad solemniter et explicate profitendam processionem sancti Spiritus etiam a Filio; quæque in Hispania primum sexto exeunte sæculo obtinuerat, deinde septimo in Galliis quoque ac in Germania, ut eruditi animadvertunt; a quonam primum in Italiam invecta legitur? Is nempe fuit sanctus Paulinus patriarcha Aquileiensis in Synodo ab ipso habita Foro-Julii anno 796, in causa, ut præfert titulus, sacrosanctæ Trinitatis et Incarnationis Verbi divini; ubi Symbolum Nicæno-Constantinopolitanum legimus cum voce *Filioque* suo loco inserta, et ubi, mox post Symbolum, Symboli expositionem habemus, in qua similiter dicitur : « Spiritus sanctus verus Deus, vere et proprie Spiritus sanctus est : non genitus, nec creatus, sed ex Patre Filioque intemporaliter et inseparabiliter procedens. » Exstat hæc synodus in Conciliis Labbei, cura Coleti, tomo IX supracitato, col. 51 et sequentibus : necnon inter Opera ejusdem sancti Paulini a Joanne Francisco Madrisio collecta et illustrata pag. 65; ubi etiam, quoad vocem **274** *Filioque*, ejusque in Italiam invectionem a sancto Paulino Aquileiensi primum factam, digna est quæ legatur ejusdem Madrisii dissertatio quinta, ibidem, pagina 229 et sequentibus.

Quæ quarto loco ex Nicetæ nostri locutionibus difficultatem facere possent, sunt ea quæ habet Explanationis capite 13, ubi de carnis resurrectione sermo est. « Cum homo, inquit, ex hac vita deficit, non anima moritur, sed ea recedente solum corpus emoritur; et putrescente in terra corpore, anima pro suo merito aut in loco lucis, aut in loco caliginis reservatur; ut in die adventus Domini de cœlo, cum venerit cum sanctis angelis suis, resuscitatis omnibus, et animæ revocentur in corpora, et justa sit bonorum malorumque distinctio. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum : impii vero et iniqui in tenebras inferi, ubi *erit fletus oculorum, et stridor dentium*, sicut scriptum est. » Dum ait Nicetas, post mortem corporis animam *reservari pro suo merito aut in loco lucis, aut in loco caliginis*, usque ad *diem adventus Domini de cœlo cum angelis suis;* constituitne locum aliquem a cœlo diversum, ubi animæ justorum ad illum usque diem collocentur; et locum similiter aliquem ab inferis diversum, ubi ad illum usque diem sint animæ impiorum? Dum ait quoque, illa *die, resuscitatis omnibus, et revocatis animabus in corpora, justam* fore *bonorum malorumque distinctionem, et tunc justos sicut sol refulsuros in regno Patris eorum, impios vero et iniquos in tenebras inferi;* numquid putavit Nicetas, ante illum diem, non satis *justam*, neque pro merito, esse *bonorum malorumque distinctionem;* sicut etiam ante illum diem *justos* non esse *refulsuros sicut sol in regno Patris eorum*, ideoque neque *impios* et *iniquos* ante illum diem in *tenebras inferi* detrudendos? Fuitne igitur Nicetas ex eorum numero qui putarunt coronam gloriæ pro vitæ merito justis non esse reddendam nisi in die judicii, sicuti neque impiis pœnam; et interim justorum animas a corpore solutas, ad illum usque diem Christi consortio et beatifica Dei visione privari; sicut etiam a gehennæ incendiis interim eximi animas impiorum?

Si hæc Nicetæ Aquileiensis elucubratio nota eruditis fuisset cum Thomas Burnetius Anglus suum scriberet librum de Statu mortuorum et resurgentium, qui lucem aspexit Londini anno 1726, ipse proculdubio non omisisset hoc quoque Nicetæ textu suam fulcire sententiam, quam ex jamdiu obsoletis nonnullorum veterum opinationibus revocavit; tum solum scilicet justis præmia, injustis supplicia esse retribuenda, cum universum genus humanum Christus in judicium adducet; et interim mortuorum omnium ac morientium animas in statu quodam *quietis*, *silentii* ac veluti *dormitionis* ad illum usque diem novissimum permansuras. Nihil certe ille non movit, nullum propemodum sanctorum Patrum auctorumque antiquorum non torsit, ut communem Ecclesiæ veteris doctrinam esse sententiam illam ostenderet, et ut catholicos criminaretur, qui juxta Florentini concilii definitionem firmissime tenent : « Illorum animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus.... sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, et intueri clare ipsum Dominum trinum et unum, sicuti est; pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius : illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox infernum descendere, pœnis tamen **275** disparibus puniendas. » Jam pridem catholici theologi post sanctum Thomam, Sixtus Senensis, Alphonsus de Castro, cardinalis Bellarminus, Vasquius, Petavius, aliique argumentum hoc illustrarunt adversus dissentientes ab Ecclesiæ catholicæ fide, multis productis explicatisque Patrum sententiis, e quibus traditio catholici dogmatis in Scripturis sanctis clare firmiterque fundati emergit; quidquid interim sentire potuerint eorum nonnulli aut Millenariorum errore præventi, aut peculiaribus opinionibus suis in re nondum ab Ecclesia definita indulgentes : at omnium accuratissime rem totam ab ovo recensuit, illustravit atque perfecit clarissimus Muratorius, libro edito contra ipsum Burnetium, cui titulus : *De Paradiso, regnique cœlestis Gloria, non exspectata corporum resurrectione, justis a Deo collata :* ubi evidentem hujus dogmatis revelationem demonstrat ex Scripturis, ejusdem perpetuam in Ecclesia professionem ex Patrum doctrina aliisque Ecclesiæ monumentis ostendit; ubi etiam, sanctorum Patrum dictis ac sensibus mature discussis, numerum minuit eorum qui pridem censebantur in oppositam abiisse sententiam, et ubi præsertim sententias explicat ac peculiares dicendi rationes sanctorum Hilarii, Ambrosii, Augustini atque Bernardi, qui aliquando visi sunt non modo ab Ecclesiæ dogmate postmodum definito, sed etiam a semetipsis in re hujusmodi discrepare.

Quid nos interim de Niceta nostro censebimus, cujus verba neque a Burnetio in suam sententiam assumi potuerunt, neque a Muratorio aliisque catholicis illustrari? Nulla quidem labes Nicetæ fidei integritati inferri posset, etiamsi ille aut cum Millenariis, aut cum paucis aliis reipsa sensisset, justorum beatitatem, impiorumque pœnas ad mundi hujus finem judiciique extremi diem differendas : licuit enim cuique in re nondum ab Ecclesia definita atque innoxie in utramque partem disputata; licuit veluti in proprio *sensu abundare*. Verum tam longe est, in ea fuisse Nicetam nostrum opinione, ut etiam eumdem contrariam tenuisse ipsa prolati textus verba demonstrent. Ait Nicetas, post corporis mortem, *animas reservari pro suo merito, aut in loco lucis, aut in loco caliginis*, ad diem usque adventus Domini, in quo *animæ revocentur in corpora*. Animarum porro a corpore separatarum (quocumque in statu eædem sint, dum a corpore permanent separatæ) quædam est *reservatio* totum illud tempus quod intercedit ab earum a corpore separatione, usque ad novam cum corpore unionem : ad hanc quippe novam unionem in Resurrectione futuram, vere ac proprie *reservantur*. Neque *reservantur* solummodo ad hanc novam cum corpore unionem animæ defunctorum; sed *reservantur* etiam ad universale judicium una cum corpore subeundum : nam, quantum etiam ad hoc judicium, reapse animæ *reservantur*, quoadusque dies a Domino præstitutus adveniat. Ex ingenio autem suo hanc *reservationis* vocem Nicetas neutiquam usurpavit : cui enim in hujusmodi sensum non pateat hæc eadem vox in *Petri* ac *Judæ* epistolis repetita : *in judicium reservari; in diem judicii reservare; in judicium magni diei reservavit?*

Quid nunc de *loco lucis* et de *loco caliginis*, in quibus *animæ pro suo merito reservantur?* His verbis intellexisse Nicetam non dubitamus veram in cœlis beatitudinem a justorum animabus obtentam seu obtinendam, simul atque a corpore exierunt aut exibunt; necnon veram apud inferos supplicii pœnam, in quam animæ impiorum injiciuntur, in ipso excessu earum a corpore. Non est prætereunda vel ipsa *loci* vox, qua Nicetas utitur, ad sensum proculdubio **276** sibi familiarissimum Scripturarum : quæque propterea, quod spectat ad animas justorum, respicit ea Christi verba ad discipulos suos, Joan. XIV : *Vado parare vobis locum;* et, quod attinet ad animas impiorum, alia fortasse quæ unanimiter apostoli dixerunt de Juda prævaricatore, Act. I, *Ut abiret in locum suum*. En igitur *loca* seu receptacula animarum post mortem, in quibus *pro suo merito reservantur* ad diem *adventus Domini* juxta Nicetam.

Sed quid proprie *locus lucis* pro animabus justis? Ipsa mentio *loci* animarum justarum a corpore sejunctarum, qui non alius a Niceta intelligi potuit, quam ille, quem Dominus se apostolis *in domo Patris* sui paraturum spopondit; ipsa, inquam, hujus *loci* mentio statim ingerit animo inenarrabilem illam in cœlis cum Christo beatitatem apud Deum et Patrem, qua felices illæ animæ perfrui debent simul atque a corpore separantur; modo nihil luendum supersit; non enim Nicetam fugiebant reliqua Christi verba eodem sermonis contextu dicentis : *Et si abiero, et præparavero vobis locum : iterum venio, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis :* quæ verba, utpote manifeste dicta de Christi adventu ad mortem uniuscujusque ex illius discipulis, ac de eorum cum ipso tunc ineunda perpetua societate, necnon et cum ipso mansione *ubi ille est*, scilicet in gloria Dei Patris, qui est *lux vera*, et *lucem inhabitat inaccessibilem;* non aliam animo ingerere possunt sententiam, quam æternæ cum Christo beatitatis in cœlo, absque ulla temporis post obitum dilatione, prout fert catholica fides. En igitur *locum lucis* in naturali atque obvio sensu Nicetæ pro animabus justorum a corpore separatis.

Quod autem hunc profecto sensum *locus lucis* habeat in ore Nicetæ, alia consimili modo a sanctis Patribus, vel primis Christi sæculis, usurpata verba demonstrant. « Multos sustinuit labores; atque ita martyr effectus, discessit ad debitum gloriæ locum (τόπον τῆς δόξης). » Ita de sancto apostolo Petro aiebat sanctus Clemens, illius discipulus ac successor, epistola prima ad Corinthios, capite 5, apud Cotelerium, Patres Apostolici, tomo I, pag. 150 editionis secundæ Amstelod. 1724. « Sinite me purum lumen haurire. Cum illic fuero, homo Dei ero. » Ita sanctus Ignatius martyr, de semetipso martyrum morti destinato, epistola ad Romanos capite 6, ibidem, tomo II, pag. 28 : « Persuasi, quod hi omnes in vacuum non cucurrerunt, sed in fide ac justitia; et quod in debito sibi loco sint apud Dominum, cum quo et passi sunt. » Ita sanctus Polycarpus epistola ad Philipp., capite 9, ibidem, pag. 189, loquens de sancto Paulo cæterisque apostolis vita functis. « Colloca eum in sinu Patriarcharum, prophetarum, apostolorum, omniumque qui tibi a sæculo placuerunt; ubi non est tristitia, dolor, gemitus, immo locus piorum sedatus, et pariter quieta terra rectorum, eorumque qui in ea vident gloriam Christi tui. » Ita in oratione *pro fratribus qui in Christo requieverunt*, libro VIII, capite 41 Constitutionum Apostolicarum, ibidem, pariter tomo I pag. 423 : quæ Constitutiones, etsi Clementis non sint cujus nomen præferunt, eruditorum tamen calculo conscriptæ videntur primis Ecclesiæ sæculis, et memorantur ab Athanasio, Eusebio, Epiphanio aliisque. En *locum*, en *lumen*, pro animabus justorum e corpore egressis; verba nimirum, ut ex iisdem constat testimoniis, indicantia *gloriam* cœlestem, mansionem *apud Dominum*, *visionem gloriæ Christi*, et quidem post mortem illico obtinendam, si nihil expiandum remaneat. **277** Quis sibi persuadeat non eodem prorsus sensu *locum lucis* dixisse Nicetam, in quo animæ justorum corpore exutæ reservantur? Præterea catholica Ecclesia, quæ tam sæpe pro animabus justorum piacularibus pœnis addictis preces fundit, ut iisdem liberatæ, quamprimum in cœlis mercedem et gloriam sibi debitam consequantur, nonne iisdem quotidie utitur Nicetæ verbis : ut *lucem* scilicet *sanctam* adeant, ut in *locum lucis* ascendant? « Sed signifer sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti et semini ejus.... Lux æterna luceat eis, Domine, cum sanctis tuis in æternum. » Ita in omnibus missis defunctorum. « Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas deprecamur. » Ita quotidie in canone missæ ad defunctorum commemorationem. *Locus* igitur *lucis* juxta Nicetam, in quo justorum animæ reservantur post excessum a corpore ad diem usque resurrectionis atque universalis judicii, non est *locus* quidam a felici illa beatitate diversus, quæ justorum est merces et *corona justitiæ quam reddet in illa die justus judex;* sed est beatitas ipsa, quam, statim ab interitu corporis, animæ justorum quibus nihil luendum supersit consequuntur, quæque in eo sita est, ut Dei visione fruantur, et in Dei *lumine* ipsum *videant lumen*, ut personat regius Psaltes.

Similia ex adverso dicamus oportet de *loco caliginis*, in quo juxta Nicetam reservantur animæ impiorum. *Caliginis* vocem, luci oppositam, usurpavit Nicetas ad sensum Judæ apostoli in Epistola sua, versu 6, ubi de angelis prævaricatoribus loquens, eos dixit *in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservatos;* ad sensum quoque Apostoli Petri, II Petr., II, 17, qui hæreticos carpens, eos dixit *fontes sine aqua, et nebulas turbinibus exagitatas, quibus caligo tenebrarum reservatur*. Quis porro *locus* ille *caliginis*, ubi prævaricatores angeli jam vinculis æternis addicti sunt, ibique in judicium magni diei reservantur, atque ubi pravi quoque homines et a vera fide extorres conjiciendi post mortem sunt; quis, inquam, *locus* ille *caliginis*, nisi *locus* in quem abiit Judas prævaricator ad pœnas proditionis suæ luendas : et quis *locus* hic Judæ, nisi *locus tormentorum*, *cruciatus* et *flammæ* apud *inferos*, in quo *loco* statim post mortem *sepultus* fuit *dives* ille *qui induebatur purpura* et *bysso*, et *epulabatur quotidie splendide*, despecto Lazaro mendico *qui jacebat ad januam ejus*, ut Lucæ XVI? *Locus* igitur *caliginis*, a Niceta memoratus pro animabus impiorum e corpore egressis, non differt ab inferno, non differt a gehenna ignis, ubi animæ cruciantur statim post corporis mortem, et minime exspectata universalis judicii die.

Sed adhuc movere possent quæ addit Nicetas, *in die* nempe *adventus Domini de cœlo cum sanctis angelis suis, resuscitatis omnibus, et revocatis animabus in corpora*, *justam* fore *bonorum malorumque distinctionem;* atque *tunc justos* refulsuros *sicut sol in regno Patris eorum, impios vero et iniquos in tenebras inferi* conjiciendos, *ubi erit fletus oculorum et stridor dentium*. Verum nihil difficultatis hæc exhibent Nicetæ verba contra præsentem beatitudinem animarum justarum, et præsens supplicium animarum impiarum, si recolamus ea verba tantum respicere corporum resurrectionem et revocationem animarum in corpora : quia tunc sane, et tunc solummodo erit *justa distinctio* inter bonos et malos, cum hæc distinctio sub ipsum reapse cadens aspectum omnibus apparuerit; cum scilicet boni et mali iterum homines esse **278** cœperint per novam conjunctionem animarum cum corporibus suis, unde ratione primævæ originis hominum compago consistit. *Justa* quoque tunc erit distinctio inter bonos et malos, id est perfecta atque completa, ob corporum consortium seu ad gloriam seu ad pœnam, quibus antea solæ animæ afficiebantur. Quod autem addit Nicetas : « Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum; impii vero et iniqui in tenebras

inferi, ubi erit fletus oculorum et stridor dentium. » Hoc itidem ad corporum glorificatorum conditionem pertinet quoad justos, et ad corporum damnatorum infelicitatem quoad impios et iniquos : corporum namque glorificatorum proprie *tunc* erit fulgere sicut sol in regno Patris, sicut corporum damnatorum in tenebris inferi *tunc* erit similiter flere oculis, et stridere dentibus. Præterquam quod, aiens Nicetas, *in die adventus Domini de cœlo, resuscitatis omnibus et revocatis animabus in corpora, justam* demum futuram *bonorum malorumque distinctionem*, atque *tunc justos* refulsuros *sicut sol in regno Patris eorum, impios vero et iniquos in tenebras inferi* detrudendos, *ubi erit fletus oculorum et stridor dentium;* hoc ipse loquendi modo, ad eam respexit, quæ sanctorum Patrum, sacrorum interpretum, necnon et theologorum nostrorum communis est sententia, qua docemur, sanctorum animas, ante corporum resurrectionem ac universale judicium, nondum potiri perfecta illa et consummata felicitate quæ eisdem debetur, sicuti neque animas impiorum toto affici judicii pondere quod merentur; ideoque post resurrectionem ac universale judicium augendam esse sanctorum beatitudinem, et impiorum pœnam, quocumque demum ex capite augmentum hoc repetatur, quod hic inquirere nostrum non est.

De hoc interim augmento, seu beatitatis in justis, seu pœnarum in impiis, en quomodo sentiebat sanctus Augustinus. « Habent, inquit, omnes animæ cum de sæculo exierint diversas receptiones suas. Habent gaudium bonæ; malæ tormenta. Sed cum facta fuerit resurrectio, et bonorum gaudium amplius erit, et malorum tormenta graviora : quando cum corpore torquebuntur. » Ita tractatu in Joannem 49, num. 10. Sed luculentius rem eamdem persequitur sanctus doctor sermone 280, in Natali martyrum Perpetuæ et Felicitatis, num. 4, ubi comparationem quamdam instituit inter præsentem statum animarum a corpore sejunctarum, et statum earumdem post corporum resurrectionem ac universale judicium. « Quid, inquit, cum resolutæ his vinculis animæ martyrum post labores periculosi certaminis, triumphis angelicis exceptæ atque refectæ sunt . . . .? Qua nunc jucunditate spiritaliter epulantur? Quam securi in Domino, et quam sublimi honore gloriantur, quis terreno docere possit exemplo? Et hæc quidem vita, quam nunc beati martyres habent, quamvis jam nullis possit sæculi hujus felicitatibus vel suavitatibus comparari, parva particula promissionis agitur, immo solatium dilationis. Veniet autem retributionis dies, ubi, corporibus redditis, totus homo recipiat quod meretur. Ubi et illius divitis membra quæ quondam temporali purpura decorabantur, æterno igne torreantur, et caro pauperis ulcerosi mutata inter angelos fulgeat : quamvis etiam nunc ille guttam ex digito pauperis apud inferos sitiat, et ille in sinu justi deliciose requiescat. Sicut enim plurimum distat inter lætitias miseriasque somniantium et vigilantium; ita multum interest inter tormenta vel gaudia mortuorum et resurgentium : non quod spiritus defunctorum sicut dormientium necesse sit falli; sed quod **279** alia est animarum sine ullis corporibus requies, alia cum corporibus cœlestibus claritas et felicitas angelorum, quibus æquabitur resurgentium multitudo fidelium : in qua gloriosissimi martyres præcipua sui honoris luce fulgebunt, ipsaque corpora in quibus indigna tormenta perpessi sunt, eis digna in ornamenta vertentur. » Hæc sanctus Augustinus; apud quem simillima videas etiam sermone 328 in Natali Martyrum, quæ hic ne longiores simus omittimus.

Patet hinc quænam sententia esset Augustino de statu, tum justorum, tum impiorum, post resurrectionem; licet justorum beatitatem et gloriam, etiam ante resurrectionem, inenarrabilem et inexplicabilem agnovisset, et impiorum quoque tormenta gravissima. Simili porro modo etiam Nicetas, postquam animas dixit *pro merito* reservari, seu in *loco lucis*, seu in *loco caliginis*, id est seu in loco beatitudinis cum Christo in cœlis, seu apud inferos in loco tormentorum, cruciatus et flammæ; augmentum demum reliquis verbis suis asseruit, seu beatitudinis, seu tormentorum, post resurrectionem et judicium; et augmentum hoc explicavit per *justam bonorum* eo tempore futuram, *malorumque distinctionem*, necnon et per justorum *tunc fulgorem sicut solis in regno Patris eorum*, impiorumque et iniquorum *in tenebras inferi* detrusionem, *ubi erit fletus oculorum et stridor dentium* : et ad hoc etiam augmentum accipiendum *in die adventus Domini de cœlo cum sanctis angelis suis*, non immerito dixit animas interim *reservari;* quia, ratione justorum, quicumque etiam felicissimus status est quædam reservatio, donec cumulus felicitatis eisdem accedat; et ratione impiorum ac iniquorum, reservatio similiter est præsens eorum quamvis acerbissima statio tormentorum et cruciatuum, donec in novissimo die ex fæce calicis iræ Dei, quæ nondum est exinanita, *bibant omnes peccatores terræ.*

Quintam exhibent difficultatem alia Nicetæ verba, quæ habet in libello *ad Virginem lapsam*, capite 8, num. 36; ubi post hortationem huic lapsæ factam ad pœnitentiam publice agendam, juxta formam ab ipso eidem propositam, pro crimine perpetrato, eam demum ad spem veniæ a Deo obtinendæ ita erigit et invitat. « Talis vita, inquit, talis actio pœnitentiæ, si fuerit perseverans, audebit sperare, etsi non gloriam, certe pœnæ vacationem. » Videtur namque Nicetas hic innuere pro quibusdam, puta pro pœnitentibus de gravioribus delictis, prout erat illa virgo lapsa, aut etiam pro frigidioribus Christianis parum in Christiana militia meritis; innuere, inquam, videtur medium quemdam statum in alia vita inter æternam beatitatem et damnationem, ubi neque sit gloria neque pœna : qui certe status, etsi concedatur parvulis sine baptismo decedentibus, ut fert benignior Theologorum sententia, Ecclesia non reclamante; minime sane conceditur adultis, quos pro vitæ merito aut supplicia manent aut præmia; uno excepto temporario illo purgationis statu pro animabus justorum, quibus aliquid luendum supersit cum ex hac vita migraverint. Quid igitur dicendum de hac Nicetæ opinione, cui Ecclesia neutiquam suffragatur?

Animadvertere oportet primo cum theologis ac eruditis, similes dicendi modos inveniri quandoque apud veteres Patres, tum Græcos, tum Latinos. Sanctus Gregorius Nazianzenus in celebri sua oratione de Moderatione in disputationibus servanda, etc., quæ est 23 in editione Parisiensi Fed. Morelli 1609, ex interpretatione Jacobi Billii, ita scribebat pagina 458 : « Tu majus aliquid salute quæris, nempe alterius vitæ gloriam **280** et splendorem : mihi vero salutem consequi maximum est, et futuras pœnas vitare. Tu viam minime tritam et inaccessam ingrederis : ego tritam atque calcatam, et qua multi ad salutem perveneruint. » Oratione autem 40 in sanctum baptisma, ubi etiam opportune eos objurgat qui baptismi susceptionem differebant usque ad extremum vitæ, cum scilicet inter baptismum et mortem parum aut nihil temporis intercedebat, hæc habet pagina 644 : « Inter gratiam ac mortem temporis aliquid intercedat : ut non solum pravæ litteræ deleantur, verum etiam earum loco meliores inscribantur, nec solum gratiam habeas, verum etiam præmium consequaris, nec ignis tantum supplicium effugias, verum etiam gloriæ hæreditatem percipias, quam negotiatio dono adjuncta conciliat. Nam parvis quidem atque abjectis animis amplum ac præclarum videtur, pœnam vitare : at qui magno et excelso animo præditi sunt, ad mercedem quoque aspirant. » En Gregorii Nazianzeni sensa Nicetæ nostro similia; quibus nimirum statum aliquem videtur asserere, qui sit salutis quidem status, quatenus nempe non damnationis; sed status nihilominus præmii expers mercedis ac gloriæ, sicut etiam supplicii ignis atque aliarum pœnarum. Similia ferunt loca Athanasii quoque in sua exhort. ad monach., et Origenis homilia 17 et 35 in Matthæum, quæ hic indicasse sufficiat.

Quod ad Latinos Patres et scriptores spectat, adest sanctus Ambrosius, qui epistola 71 classis II, ad Horontianum hæc habet: « Is qui sub ictu mortis convertitur, et confitetur Dominum Jesum, mereatur incolatum paradisi (ut latro, de quo ante dixerat): qui vero multo ante se exercuit, et Christo militavit, acquisivit populorum animas, pro Christo se obtulit; habeat paratum stipendiis suis Dei regnum, cujus se remuneratione donatum gaudeat. Ideoque Petro dicitur: *Tibi dabo claves regni cœlorum*. Ex latrocinio conversus requiem habet, in apostolatu probatus accepit potestatem.» In libro quoque de Fide Resurrectionis, num. 93: « In ipsa morte, inquit, quiescunt alii, vivunt alii. Bona quies, sed vita melior.» En hic paradisum latronis a Dei regno distinctum, statum requiei et quietis a statu vitæ et gloriæ; tertium proinde, seu medium statum, animabus quibusdam a corpore egressis assertum absque gloria et absque pœnis, si Ambrosii verba prout sonant accipiamus. Quin etiam in appendicibus Augustinianis, tomo XVII Augustini Operum editionis Venetæ in-4° col. 1951, adest sermo cui titulus, *Sermo de Symbolo*, consarcinatus, ut admonent Maurini editores, ex Rufini præcipue aliorumque segmentis; ubi capite 18, col. 1966, eadem de hoc medio statu opinio videtur occurrere; ait enim illius auctor, seu consarcinator, quicumque is demum sit: « Verum has pœnas, hos cruciatus (ignis æterni gehennæ) non solum evadere, sed etiam æternam beatitudinem, si modo de malis nostris pœnitentiam agimus, possumus acquirere.» Videtur hic namque statuere evasionem pœnarum, distinctam ab acquisitione æternæ beatitudinis; et statum proinde quemdam medium indicare in alia vita, ubi sit tantum pœnarum et cruciatuum evasio, absque beatitudinis æternæ adeptione.

Accedit Aurelius Prudentius in Hamartigenia, ubi sub libri finem, preces Deo fundens pro anima sua tum cum corpore soluta fuerit, ita effatur:

O Dee cunctiparens, animæ dator.....
Confiteor (dimitte libens, et parce fatenti),
281 Omne malum merui: sed tu bonus arbiter aufer,
Quod merui: meliora favens largire precanti.
Dona animæ quandoque meæ, cum corporis hujus
Liquerit hospitium.....
Ne cernat truculentum aliquem de gente latronum,
Immitem, rabidum, vultuque et voce minaci
Terribilem, qui me maculosum aspergine morum
In præceps, ut prædo trahat, nigrisque ruentem
Immergat specubus, cuncta exacturus ad usque
Quadrantem minimum damnosæ debita vitæ.
Multa in thesauris Patris est habitatio, Christe,
Disparibus discreta locis, non posco beata
In regione domum: sint illic casta virorum
Agmina, pulvereum quæ dedignantia censum,
Divitias petiere tuas.....
At mihi tartarei satis est si nulla ministri
Occurrat facies, avidæ nec flamma gehennæ
Devoret hanc animam, mersam fornacibus imis.

Deinde ita statim prosequitur Prudentius:

Esto, cavernoso, quia sic pro labe necesse est
Corporea, tristis me sorbeat ignis averno:
Saltem mitificos incendia lenta vapores
Exhalent, æstuque calor languente tepescat.
Lux immensa alios, et tempora vincta coronis
Glorificent: me pœna levis clementer adurat.

Totum hunc Prudentii locum referunt eruditi, catholici simul atque heterodoxi, ad purgatorii pœnas a Prudentio evidenter assertas; quibus astipulatur etiam novissimus Prudentii carminum editor clarissimus Faustinus Arevalus in eruditis Prolegomenis ad absolutissimam editionem suam Romanam, quibus Prudentiana nomen dedit, capite 17 pag. 151 et sequentibus tomi primi. Et quidem si de posterioribus Prudentii versibus, *Esto*, *cavernoso*, etc., sermo sit; dubium nullum, ad purgatorii pœnas eumdem respexisse: verum in præcedentibus satis aperta est illius locutio de cœlesti gloria beatorum, et de infernalibus damnatorum pœnis. Dum itaque idem dixit, se non *poscere beata in regione domum*, sibique *satis esse si nulla tartarei ministri occurrat facies*, *nec flamma gehennæ devoret* suam *animam mersam fornacibus imis*, indicasse proculdubio videtur statum aliquem medium inter cœlestem gloriam et gehennæ pœnas; quem statum cupiebat animæ suæ post mortem et post expiatas etiam in purgatorio *labes corporeas mitificis vaporibus lenti incendii*, quia majus aliquid non licere sibi *poscere* præ humilitate sentiebat. Quare Prudentii sensum assecutus nobis videtur auctor, ab Arevalo ipso ibidem relatus, cujusdam notationis apud Fabricium Bibliothecæ Vet. Latinæ lib. IV, cap. 2 editionis Venetæ 1728, ubi dicit, in fine Hamartigeniæ subjici preces, « quibus auctor ait, sufficere sibi, si modo in tartara non detrudatur, licet pœnæ luendæ sint in purgatorio.» Cum purgatorium porro, ex ipsa purgatorii notione, Prudentius nescire non posset æternum non fore, quid est dicere, *sufficere sibi si modo in tartara non detrudatur;* nisi sufficere reapse sibi, etiam post purgatorium, statum aliquem medium inter cœlestem gloriam et gehennæ flammam? Quæ tamen omnia dicta sint, quin aliquid detractum velimus animadversionibus prælaudati **282** Arevali, qui Prudentii verba nititur in rectum sensum explanare, et omnia ad purgatorium unice referre, ne Christianum piissimum poetam haberemus veluti spe dejectum cœlestis gloriæ obtinendæ.

Prudentio hic annectimus Salvianum, ejusdem Nicetæ sæculi scriptorem. Hic namque libro III Adversus Avaritiam, capite 18 divites objurgans, de censu proprio augendo sollicitos, de hæredibus locupletandis, atque etiam morti proximos nihil cogitantes de suorum peccatorum redemptione, oblatione aliqua opum suarum in remedium animæ propriæ, ita eos carpit: « Quid ergo causæ est, ut non vel moriens et in ultimis situs, id saltem supremæ oblationis officio, et omni rerum tuarum ambitu agas, ut, si mereri a Deo potes, locuples ac beatus sis; sin autem id non potes, certe vel pro hoc merearis, ut miser non sis, certe non uraris, certe non torquearis, certe tenebris exterioribus non injiciaris, et ardentibus sine fine flammis non decoquaris.» Quid est, pro eo qui mereri non potest ut *locuples* post mortem sit ac *beatus*, id est ut cœli gaudiis perfruatur; quid est, inquam, vel illud mereri, ut *miser* non sit, ut non *uratur*, ut non *torqueatur*, etc., nisi mereri saltem, ut in eo tertio quodam statu sit, ubi neque beatitudo adsit neque damnatio, neque gloria neque pœna? Hunc igitur tertium statum pro adultis baptizatis admisisse videtur etiam Salvianus, qui eodem Nicetæ nostri sæculo scribebat; ut proinde mirum non sit, in hoc eodem Salviani sensu, sicut in sensu etiam præcedentium scriptorum ac Patrum quos retulimus, Græcorum ac Latinorum, Nicetam nostrum aliquatenus aberrare potuisse, ut tertium quemdam et ipse statum pro adultis baptizatis crediderit, qui neque digni essent qui cœlestis beatitatis compotes fierent neque qui æternis inferni pœnis addicerentur.

Verum aberravitne reipsa Nicetas; aberrarunt cum Nicetâ alii quoque scriptores et Patres, quorum verba perspeximus Nicetæ conformia? Hoc nimirum est quod secundo loco animadvertere juvat; num relata Nicetæ verba, sicuti et alia aliorum quæ attulimus, justa donari possint interpretatione; ut non eumdem quem extrinsecus præferunt, sed verum et catholicæ doctrinæ conformem sensum exhibeant. Immunes certe a quibusdam peculiaribus opinionibus, non plane consentientibus cum universali Ecclesiæ doctrina, quæque postea penitus obsoleverunt, veteres omnes Patres atque scriptores nequaquam dixerimus: ita ut non admodum solliciti simus, si reapse Nicetas noster, aliique cum eo, tertium illum statum, de quo diximus, in futura vita, pro adultis baptizatis, admiserint, ex perperam intellecto, ut eruditi notant, quodam Apostoli textu, Rom. x, versu 9. Nondum videlicet tunc omnia, quæ præcipua fidei capita non constituebant, ita erant explorata ut postea fuerunt, cum per

virorum doctorum disputationes, res, quæ antea veluti latebant, in apricum deductæ sunt. At, quod nunc ad rem nostram attinet, placet in primis eruditissimi viri Jacobi Billii sententia in Scholiis ad supracitatam orationem vigesimam sextam Gregorii Nazianzeni, ubi ejusdem ibidem sensa expendens, necnon et alia orationis quadragesimæ prout supra, pronus est ut existimet sanctum doctorem, nequaquam *salutem* seu pœnæ vitationem a cœlesti gloria separasse, atque ita statum quemdam medium inter beatitudinem et damnationem pro adultis baptismate donatis admisisse; sed potius per *salutis* vocem aliosque consimiles dicendi modos, significare voluisse extremum beatitudinis gradum atque infimam cœlestis illius domus mansionem, pro iis qui nihil amplius meruerint **283** quam pœnæ vacationem. Hac sentiendi ratione, quæ Nazianzeni verbis nequaquam refragatur, facile in rectum sensum exponuntur etiam aliorum dicta quæ attulimus, et maxime Nicetæ nostri *ad Lapsam*, quorum causa hæc scribimus. *Gloriam* namque, quam ipse dubitabat Lapsam suam non posse promereri, seu potius quam, uti aiebat, ipsa *sperare* minime *audebit* pœnitentia sua quamvis sincera atque perseverante, intellexit proculdubio gradum aliquem gloriæ altiorem, innocentiæ, quam ipsa perdiderat, reservatum; et *pœnæ vacationem*, intellexit extremum illum beatitatis gradum quo nihil in cœlo inferius, ubi pro meritorum ratione *mansiones* donantur; et gradum propterea illum, qui (si ita loqui fas est) pro sua exiguitate veluti confinis est postremo pœnarum gradui damnatorum.

Præterea nullæne adsunt super hac re Nicetæ ipsius aliæ locutiones, unde clarioribus fortasse verbis, obscuriora quæ nunc nos urgent explicare possimus; prout ab eruditis feliciter factum fuit cum aliis Ecclesiæ Patribus veteribusque scriptoribus? Digna certe sunt animadversione quæ notant Maurini Ambrosianorum Operum editores ad duo relata loca Ambrosii, maxime vero ad alterum ex libro de Fide Resurrectionis, ubi medium illum statum, de quo agimus, nuda illius verba inspicientibus insinuare videtur. « Certe frustra sunt, inquiunt, qui ex hujusmodi locutionibus opinionem de medio inter gloriam ac pœnas statu affingunt sancto antistiti : namque infinitis locis immortalitatem suppliciis ἀ μέσως opponit, ut in hac ipsa oratione, num. 8, *pœnæ addictos, immortalitati debitos*. Quod quidem si Joannes Dallæus attentius considerasset, easdem loquendi formulas minore invidia traduxisset libro II de usu Patrum capite 4. » Salvianus quoque (ut cæteros nunc prætereamus) qui eadem Nicetæ ætate floruit, mentem suam super hac ipsa re clarius manifestaverat eodem citato libro Adversus Avaritiam, capite 3; ubi de statu animarum a corpore sejunctarum loquens, nullum omnino inter damnationem et gloriam statum medium pro eisdem agnovit. « Ecce iturus es (inquit, avarum hominem compellans), iturus es, infelicissime omnium, ad examen sacrum, ad tremendum illud intolerandumque judicium, ubi peregrinanti animæ atque anxiæ nullum potest omnino esse solatium, nisi sola tantummodo bona conscientia.... ubi reo homini nullum est adjutorium, nisi sola mens larga, nisi pœnitentia fructuosa.... ubi denique pro diversitate meritorum, aut summum bonum invenies, aut summum malum, aut immortale præmium, aut sine fine tormentum. » Ubinam hic medius ille status, neque gloriæ neque pœnarum, quem Salvianus superius allato loco tam absolute innuere videbatur? Obscura igitur per clara optime enucleantur, si scriptores scriptoribus conferamus, ubi plures adsint unius ejusdemque scriptoris elucubrationes, aut ubi prolixior eadem sit elucubratio, et causa scriptori non desit rem eamdem iterato attingendi. Tentandum propterea aliquid hujusmodi est etiam in Niceta nostro : quod fortasse facilius cederet, si alia illius, quæ interierunt, superessent opuscula.

Verum non abest omnino ab iis etiam Nicetæ scriptis quæ interitum evaserunt, unde rectam illius mentem assequamur in ea de qua agimus re; et unde vera interpretatione donemus ambigua quæ habet *ad Lapsam*, capite 8, ex quibus medius ille status prima fronte apparet, qui neque sit gloriæ status neque pœnæ, sed *pœnæ* tantum *vacatio*. In superius namque expensis verbis *Explanationis Symboli*, capite 13, ubi de futuro universali judicio loquitur : « Tunc **284** justi, inquit, fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum : impii vero et iniqui in tenebras inferi, ubi erit fletus oculorum et stridor dentium. » Duo hic status a Niceta distinguuntur, *justorum in regno Patris*, et *iniquorum in tenebras inferi*. Ubinam igitur etiam hic apud Nicetam tertius ille, seu medius, status absque gloria et absque pœna, ubi sit tantum *pœnæ vacatio?* Notandum vero quod in *Explanatione Symboli* ita loquitur Nicetas; in lucubratione videlicet, quæ fidei dogmata tradit, quæque simul fidei auctoris sui testis est locupletissima. Tertium itaque, seu medium, hunc statum pro baptizatis adultis nequaquam agnovit Nicetas : ac merito propterea clarissimi Billii interpretatione donanda sunt ejusdem verba *ad virginem lapsam*, capite 8, ut ipse scilicet innuere voluerit lapsam illam, per sinceram suam ac perseverantem pœnitentiam, non *gloriam* quidem illam *audere sperare*, quæ innocentes in cœlo manet multumque promeritos, sed gloriam aliquam nihilominus infimi gradus, quam ipse per *pœnæ vacationem* significavit. Et gloriam certe aliquam indicare voluisse Nicetam per hanc *pœnæ*, quam dixit, *vacationem;* verba etiam illa, ni fallimur, satis docent, quæ ipse ibidem in os lapsæ illius, quam alloquebatur, veluti infundebat, ut iisdem orationem suam compleret, qua misericordiam a Domino eam deprecari debere inter pœnitentiæ labores edocebat, quibusque verbis *libellum* illum suum sanctus episcopus claudit : « Hoc mihi donum, hanc mihi gratiam de tuo fonte præstari cupio, Deus, ut in æternum tibi confitear. » Qui porro postulat ut *in æternum confiteatur Deo;* quid, quæso, postulat, nisi ut in cœlo post hujus vitæ cursum compos sit alicujus saltem gloriæ beatorum, de quibus solis recte dicitur, juxta Scripturarum loquendi modum, quod *in æternum confiteantur Deo? Pœnæ* igitur *vacationem* satis, ut videtur, explicavit Nicetas etiam in ipso *ad Lapsam* libello, non quidem per statum aliquem medium inter gloriam et damnationem, sed per ipsum gloriæ statum in cœlo cum beatis; etsi gloriæ fortasse exigui aut infimi gradus. Quidni vero per verba illa, *etsi non gloriam*, intenderit Nicetas peculiarem illam tantum atque sublimiorem in cœlis gloriam virginibus destinatam, quam certe sperare numquam ausa fuisset post lapsum suum virgo illa fœdifraga quantalibet pœnitentia, ut optime annotant ad hunc locum laudati Maurini Ambrosianorum Operum editores? Adhuc itaque facilius in rectum communis doctrinæ sensum Nicetæ nostri verba habeamus ac suscipiamus oportet; ut tertium illum statum post mortem, pro baptizatis adultis, eumdem neutiquam admisisse judicemus.

Gravius nunc aliquid sexto loco expendere aggredimur, quod ad rectam Nicetæ fidem spectat in re magni momenti. Novatianorum enim et Montanistarum errori Nicetam favisse suspicati sunt aliqui, super peccatorum remissione, in suo *ad Lapsam* libello capite 8, num. 58, ubi ita lapsam suam alloquebatur : « Inhære pœnitentiæ usque ad extremum vitæ, nec tibi præsumas ab humana die veniam dari; quia decipit te qui hoc tibi polliceri voluerit. Quæ enim proprie in Dominum peccasti ab ipso solo te convenit in die judicii exspectare remedium. » Esto, quod usque ad extremum vitæ pœnitentiam agere debeat virgo hæc lapsa, juxta disciplinam de qua capite præcedenti dictum fuit : quid est nunc, quod *præsumere* ipsa non debeat *ab humana die* sibi *veniam dari;* id est quod sperare non possit ab Ecclesiæ clavibus adjutorium sive absolutionem a peccatis, et quod illam *decipiat* qui hoc eidem *polliceri voluerit;* **285** quoniam quæ *proprie in Dominum peccaverat, ab ipso solo,*

non autem ab ullo homine, eam *convenebat exspectare remedium in die judicii?* Aliqua ne igitur sunt peccata, juxta Nicetam, Ecclesiæ clavibus non subjecta, prout Montanistæ ac Novatiani docebant; quæ ideo solius Dei judicio reservabantur, etiam post datam actamque ad usque vitæ exitum pœnitentiam?

Hanc senserunt in Nicetæ verbis difficultatem tum theologi, tum eruditi; ex quibus, si lubet, videas Natalem Alexandrum *Historiæ Ecclesiasticæ* sæculo III, dissertatione 22, prope finem, necnon Benedictinos Ambrosianorum Operum editores admonitione in librum hunc *ad Virginem lapsam*. Quinimmo difficultatem hanc tanti fecerunt, Bellarminus præsertim ac Possevinus, ut in verbis illis sententiam viderint prorsus Novatianam, quam duobus libris de Pœnitentia impugnat Ambrosius, ideoque ex hoc etiam capite libellum hunc Ambrosio abjudicaverint. Verum, ut Nicetæ mentem hoc loci intimius exploremus et securius assequamur, ut eumdem etiam ab omni prorsus Montanistarum ac Novatianorum errore vindicemus, distinguamus oportet in re hujusmodi doctrinam a disciplina. Aliud namque est negare Ecclesiæ facultatem peccata aliquot graviora remittendi; ut puta mœchiam, homicidium, et lapsum in idololatriam; quod Montanistarum et Novatianorum capitale erat, et in quo præcipue a catholica doctrina dissentiebant: et aliud quorumdam similiter criminum reis, etiam post actam ex Ecclesiæ instituto pœnitentiam usque ad extremum vitæ, pacem nihilominus ac communionem denegare; quæ severior quidem nonnullarum Ecclesiarum ac quorumdam episcoporum, priscis Ecclesiæ sæculis, et quinto etiam Nicetæ nostri, disciplina fuit. Quis autem dixerit Nicetæ verba, de quibus agimus, potius sapere Montanistarum ac Novatianorum damnatam doctrinam, quam catholicorum disciplinam alicubi, Nicetæ etiam ætate, vigentem?

Communis interim apud Patres invenitur distinctio peccatorum, ad sensum Scripturarum, inter *peccata* videlicet *in Deum*, et *peccata in fratres* seu *in homines*, ut videre est apud Morinum, de Sacramento Pœnitentiæ, pluribus in locis; ubi etiam intelligas quam acriter locuti sint adversus peccantes *in Deum*, quamve difficiliorem his veniam semper ostenderint, ut ad majorem pœnitudinis sensum pro peccatis hujusmodi eos excitarent, majoresque pœnitentiæ labores exigerent. Inter peccata porro *in Deum* merito recensebat Nicetas suæ virginis lapsum, quem tam sæpe in eodem libello et *adulterium in Dominum*, et *fidem Domino non servatam* appellaverat. Quin etiam, ex peccatis hujusmodi *in Deum*, dubium nullum est lapsæ hujus peccatum inter graviora locum habuisse penes Nicetam; seu quia pravæ voluntatis potius quam humanæ fragilitatis indicia manifesta præferebat, seu quia aliorum etiam peccatorum habuerat consectaria, seu quia ad idem demum aperiendum invita prorsus adacta fuerat, prout capite præcedenti suo loco dictum fuit. Quis igitur miretur Nicetam, ex sententia canonis 13 concilii Illiberitani, quem citato capite superiore retulimus ubi disciplinam pœnitentialem attigimus; quis, inquam, miretur Nicetam nostrum virginem illam lapsam in earum numero habuisse, de quibus Patres illi sanxerunt his verbis: « Placuit nec in fine dandam eis esse communionem, » id est peccatorum absolutionem, ut viri docti verbum illud *communionis* ibidem intelligunt; ideoque eidem dixisse, ne sibi *præsumeret ab humana die* veniam dari, quoniam quæ *proprie in Dominum peccaverat, ab ipso solo* eam *conveniebat exspectare* **286** *remedium?* Numquid Montanistarum aut Novatianorum tinctos errore Illiberitanos Patres dixerimus, qui lapsas ex prava potius voluntate quam ex infirmitate virgines, etiam in exitu vitæ *communione*, hoc est absolutione, privarunt? Non id certe eos decrevisse, quia nullam agnoscerent in peccatis hujusmodi relaxandis Ecclesiæ facultatem, vel ipsum verbum *placuit*, quod usurpant, satis ostendit; unde eorum peculiaris hac super re voluntas emergit, quæ disciplinam dumtaxat respicit, non doctrinam: quasi nimirum dixissent, *placuit*, id est visum fuit expedire, neque in fine dandam imposterum *communionem* hujusmodi reis, quæ cæteroquin ex Ecclesiæ potestate dari posset, quæque data hactenus fuit.

Multam quidem disputandi materiam et hic et alii Illiberitani canones theologis et eruditis præbuerunt, ubi severior quædam disciplina in re pœnitentiali statuta fuit, et ubi non uno in loco negatur *communio*, absolutio scilicet, quorumdam criminum reis etiam in exitu vitæ. Verum non alia de causa id factum fuisse communis sententia est, nisi ut facilius homines absterrerentur a gravioribus hisce peccatis, de quibus nullam sperare possent ab Ecclesia indulgentiam; et ut reapse nulla aut pene nulla adesset occasio severitatis hujusmodi adhibendæ. Hodie quidem severitatis hujus vestigium non exstat: sed ex hac etiam veteri severitate vigens disciplina processisse videtur, qua quorumdam peccatorum absolutio, extra mortis articulum, uni summo pontifici reservata est, et quorumdam quoque singulis episcopis in propriis diœcesibus; ut aliqua saltem, aut major aut minor, obtinendæ ab Ecclesia veniæ difficultas promptiores homines reddat in his fugiendis criminibus, et ita generatim Christiani nominis sanctitati salubriter consultum sit. Alia similiter priscis sæculis obtinebant disciplinæ capita duriora, quæ postea aut ex parte aut ex integro in desuetudinem abierunt: atque de his generatim rationem reddens sanctus Augustinus, epistola 185, ad Bonifacium, num. 45, aiebat, quod multas cogunt invenire medicinas multorum experimenta morborum: » ubi etiam de quodam agens disciplinæ rigore erga clericos ob crimen aliquod pœnitentia functos, ita scribebat: « Ut constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ: alioquin contra claves datas Ecclesiæ disputabitur, de quibus dictum est, *Quæ solveritis in terra, soluta erunt et in cœlo.* » Disciplinæ itaque rigor, qui, ob commune bonum Ecclesiæ, Patres Illiberitanos induxit ad *communionem*, id est absolutionem, lapsis ex prava voluntate virginibus, etiam in vitæ exitu, denegandam, licet de Ecclesiæ clavium virtute non dubitarent; rigor hic disciplinæ, non autem Novatiani aut Montanistici dogmatis persuasio, Nicetam quoque nostrum adegit, ut lapsæ suæ *communionis* itidem, omnis scilicet veniæ ab Ecclesia obtinendæ spem adimeret, et Dei unius misericordiæ eam reservaret.

Severior quidem hujusmodi disciplina, etsi Illiberitanorum Patrum auctoritate probata, numquam tamen communis Ecclesiæ disciplina fuit, ut notant eruditi, neque diu locum obtinuit. Quinimmo abusus fortasse hujus severitatis, qui in damnum demum cederet disciplinæ, id effecit, ut in desuetudinem tandem abiret, et ut Romani præsertim pontifices, benignitati potius quam severitati semper studentes, illam non semel improbarint. Quinto tamen sæculo eamdem adhuc obtinuisse, ita ut ea, alicubi **287** tunc quoque locum habente, uti potuerit cum lapsa sua Nicetas absque censura, ex eorumdem Romanorum pontificum epistolis colligimus, qui hac super re eodem sæculo ad episcoporum consulta respondebant. Ita namque initio sæculi quinti, anno videlicet 403, scribebat sanctus Innocentius papa I, ad Exsuperium episcopum Tolosanum, epistola 6 apud Constantium, Epistolæ Romanorum pontificum, col. 792 editionis Parisiensis; qui Exsuperius eumdem interrogaverat quid de iis observari oporteret, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul et reconciliationem communionis exposcebant, et contra quos Illiberitani præsertim canones stare videbantur, ut ipse annotat hoc loci eruditus editor. « De his (inquit sanctus pontifex) observatio prior, durior; posterior, interveniente misericordia, inclinatior. Nam consuetudo

prior tenuit, ut concederetur pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, merito negata communio est ; concessa pœnitentia, ne totum penitus negaretur : et duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam depulso terrore, communionem dari abeuntibus placuit, et propter Domini misericordiam, quasi viaticum profecturis, et ne Novatiani hæretici, negantis veniam, asperitatem et duritiam sequi videamur. Tribuetur ergo cum pœnitentia extrema communio : ut homines hujusmodi vel in supremis suis, permittente Salvatore nostro, a perpetuo exitio vindicentur. » En ex Innocentii verbis duplicem in eadem re disciplinam, *duriorem* veterem, *inclinatiorem* alteram, utramque vero, pro temporis diversitate quo inducta fuit, laudabilem; atque illam quidem, quamvis duram et Novatianismo specie tenus affinem, a Novatianorum tamen placitis reapse alienam. En duriorem illam suo adhuc tempore alicubi obtinentem, cum posteriorem interroganti Exsuperio præferendam ea ætate suadeat. Videri potest et alia ejusdem pontificis ad Decentium Eugubinum epistola ordine 25, ad annum spectans 416, apud eumdem Coustantium citatæ editionis col. 862, ubi capite 7, morem Romanæ Ecclesiæ eidem ostendit; non sinendi scilicet, ut quisque *de sæculo absque communione discedat.* Exstat et alia Cœlestini papæ I, ordine 4, anni 428, ad episcopos provinciæ Viennensis et Narbonensis, ibidem, col. 1067, ubi capite 2 *pœnitentiam morientibus denegantes* graviter reprehendit.

Sed sancti Leonis Magni epistola in editione Balleriniorum 108 Theodoro Forojuliensi in Gallia episcopo inscripta, et ad annum pertinens 452, id est ad ipsam Nicetæ nostri ætatem, inspicienda est; quæ multum ad Nicetæ ipsius defensionem effundit luminis super severiori sua, quam sequitur, disciplina, negandæ veniæ in quibusdam majoribus *in Deum* criminibus, etiam post totius vitæ cursus pœnitentiam. « His (inquit sanctus pontifex, capite 4) qui in tempore necessitatis, et in periculi urgentis instantia, præsidium pœnitentiæ, et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda : quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio... In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrymas gemitusque negligere, cum ipsam pœnitendi affectionem **288** ex Dei credamus inspiratione conceptam. » Capite vero sequenti, post notatam illorum Christianorum incuriam, qui differunt de die in diem converti ad Dominum, et tempus sibi satisfactionis in fine vitæ constituunt, eligentes illius temporis angustias, quo vix inveniat spatium vel confessio pœnitentis, vel reconciliatio sacerdotis, ita prosequitur : « Verum, ut dixi, etiam talium necessitati ita auxiliandum est, ut et actio illis pœnitentiæ, et communionis gratia, si eam, etiam amisso vocis officio, per indicia integri sensus postulant, non negetur. At si aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul et pœnitentiæ et reconciliationis beneficium consequantur : servata tamen regula canonum paternorum circa eorum personas, qui in Deum a fide discedendo peccarunt. » Hactenus sanctus Leo ad episcopi Forojulieusis instructionem super peccatorum reconciliatione antequam e vita discedant. Hic interim obiter liceat annotare, ex hoc divi Leonis textu, sicut etiam ex alio prius allato sancti Innocentii papæ primi ad Exsuperium Tolosanum, ex his scilicet recte perpensis, confirmari, *communionis* vocem ab Illiberitanis Patribus, canone 13, et alias quoque adhibitam, ac sæpe eodem sensu etiam postea priscis temporibus repetitam, idem valuisse ac veniam et absolutionem a peccatis, prout antea dictum fuit : de quo, si lubet, videas præsertim Selvagium Antiquitatum Christianarum Institut. lib. III, cap. 9, § 4, et cap. 11, § 4 et 5, necnon clarissimum præsulem Joannem Devotum Institutionum Canonicarum lib. II, tit. 2, sectione 4, de Pœnitentia, § 87.

Ut autem ad divum Leonem revertamur, atque ad scopum allatæ ex eodem pro Niceta nostro auctoritatis : non hic quidem ipsissima res est de qua Nicetas, ut constat; sed eadem nihilominus ratio est disciplinæ, concedendæ ne scilicet, an negandæ in mortis articulo veniæ quibuslibet peccatoribus, pœnitentiam simul ac veniam uno tempore flagitantibus, prout Forojuliensis episcopus Romanum pontificem consuluerat. Atque hic profecto *pœnitentiæ* mentio est, simulque : *reconciliationis* illico post datam pœnitentiam in fine vitæ largiendæ; ut prorsus numquam contingat dare tunc pœnitentiam, et nihilominus reconciliationem veniamque negare, ita ut peccator *a Deo solo exspectet remedium;* nisi tantum de *personis eorum*, agatur, *qui in Deum a fide discedendo peccarunt*, cum quibus solis servanda dicitur *regula canonum paternorum*, *durior* scilicet aliqua agendi ratio ab antiquis canonibus indicta, de qua Innocentius supra; atque ea ipsa fortasse, quam cum lapsa sua ad normam illorum canonum, uti diximus, servavit Nicetas; quamque in primo et secundo ex canonibus præcitati concilii Illiberitani, necnon in postremo canone 22 concilii primi Arelatensis anni 314 statutam habemus, ut hujusmodi scilicet apostatæ neque in fine vitæ communionem accipiant, prout apud Labbeum, Conciliorum cura Coleti tomo I, col. 992, et col. 1453. Concludamus igitur, Nicetæ nostri verba *ad Lapsam*, capite 8, num. 38, nequaquam Montanismum aut Novatianismum sapere, sed tantummodo rigidam quamdam præ se ferre disciplinam; quæ justis de causis inducta olim fuerat, pro gravioribus *in Deum* delictis, apud quasdam Ecclesias; quæ auctoritate gaudebat venerabilium Conciliorum, simul ac praxi episcoporum per orbem non infimi gradus; quæ ipsius Nicetæ quoque tempore adhuc obtinebat, maxime vero in Gallia; quæque etiam **289** ex divi Leonis sententia, etsi non amplius in tot criminibus quæ antiqui canones respiciebant, sicut neque fortasse in peculiari eventu alicujus sacræ virginis lapsæ, qui Nicetæ eventus fuit; in apostatis tamen, *qui in Deum a fide discedendo peccarunt*, adhuc erat retinenda. Quid vero si dixerimus, potuisse Nicetam lapsæ suæ mentionem facere durioris illius veteris disciplinæ, ut ita eam, quæ peccatum confessa fuerat invita, et amplius terreret, et ad majores pœnitentiæ fructus faciendos adigeret; quin ipse tamen propositum habuisset eam absque reconciliatione communionis dimittere saltem in exitu vitæ, aut etiam post justum temporis spatium inter pœnitentiæ labores summo fervore peractum? Utcumque demum sit, jam nulla in Nicetæ verbis, de quibus agimus, remanet difficultas, quæ fidem ipsius labefactare ullo modo videatur: quod hic nostrum erat ostendere.

Difficultatem aliquam septimo et ultimo loco facessere possent Nicetæ verba quæ legimus Explanationis capite 7, ubi, de Spiritu sancto ipse disserens, videtur in ea esse sententia, ut peccata in Spiritum sanctum prorsus irremissibilia arbitretur, tum in hoc sæculo, tum in futuro; ita ut non solum Ecclesiæ clavibus non sint subjecta, sed neque omnino ab ipso Deo misericordiam et veniam obtinere unquam possint; ait enim : In quem *Spiritum sanctum si quis blasphemaverit, non habet remissionem neque in hoc sæculo, neque in futuro*, sicut ipse Dominus pronuntiavit. » Verum Nicetas nostra hic defensione non indiget; habet enim prolatæ sententiæ defensorem ipsum Evangelicum textum, immo ipsissima Christi Domini verba, quæ ex Evangelio in suum sermonem Nicetas assumit, nihil iis addens, nihil demens, ut veluti severiorem ex sensu suo sententiam redderet. Ita namque Dominus noster Matthæi

xii, 31 et 32 : « Ideo dico vobis : Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. »

Joannes quidem Morinus in alias citato Commentario suo Historico de Sacramento Pœnitentiæ libro ix, capite 28, multis adductis sanctorum veterum Patrum testimoniis probandum sibi proposuit, antiquos Patres plerosque crimen unicum adeo exsecrabile judicasse, ut illius reis veniam neque ab Ecclesia, neque a Deo umquam esse concedendam dixerint ; atque hoc crimen præcipue illud esse, quod ex Evangelio crimen in Spiritum sanctum nuncupatur. Natalis vero Alexander, Historiæ Ecclesiasticæ sæculo iii, dissertatione 22, paulo ante medium, contra Morinum ostendit Patres reipsa nullum agnovisse crimen, quod a Deo et ab Ecclesia remitti non possit, quantumvis aliquorum verba specie tenus id præ se ferre videantur ; quod et facit, pleraque expendens loca Patrum a Morino ipso relata, addens quod ille non semel omisit, et obscura clarioribus conferens et explanans, ut nihil super hac re desiderandum supersit. Cum Nicetas noster nihil omnino dicat in allato Explanationis suæ loco ex sententia propria, sed unice referat Christi verba quæ attulimus ; non est cur illi gratis adpingamus sensum a communi aliorum Patrum sensu alienum, ut irremissibilia prorsus docere voluerit, tum in hoc sæculo tum in futuro, peccata in Spiritum sanctum. Nicetas igitur, ex communi aliorum Patrum mente, non potuit non intelligere ideo irremissibilia peccata in Spiritum sanctum tum in hoc sæculo tum in futuro, non quia reipsa **290** peccatum aliquod hujusmodi remitti absolute non possit et a Deo et ab Ecclesia, neque quod nusquam reapse condonetur ; sed quia remittitur difficilius, quoniam qui in Spiritum sanctum peccant, seu, exempli gratia, fidem semel susceptam voluntarie ac nemine persequente deserentes, seu Dei opera negantes et naturæ viribus unice tribuentes, seu alio quovis modo in Spiritum blasphemantes, et dona gratiæ Dei minime agnoscentes ; hi omnes majus apponunt gratiæ impedimentum ad misericordiam obtinendam, nullamque habent peccati excusationem, seu ex ignorantia, seu ex infirmitate, prout alii peccatores ; et ita in finalem etiam impœnitentiam, ut plurimum, a divina justitia derelinquuntur, ob quam sane habere non possunt *remissionem neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

Quid vero si verbis illis Nicetas indicare voluerit hæreticos Macedonianos, vere blasphemos in Spiritum sanctum, quia illius divinitatem, et cum Patre et Filio æqualitatem negabant ? Probabilius sane videtur eo loci Nicetam, post assertam sancti Spiritus divinitatem, ejusque a Patre processionem, post explicata sancti Spiritus opera ad animarum sanctificationem, et beatæ æternitatis consecutionem, prout ibidem apparet, communire tandem voluisse competentes suos adversus hujusmodi hæreticos, eorumque errorem, qui directa blasphemia est in Spiritum sanctum ; per quam Spiritum ipsum ita a se excludit creatura humana, ut dum in hac impietate perseverat, impos reddatur ad pœnitentiæ affectum, ad cordis compunctionem, et ita etiam ad indulgentiæ remedium. Hoc prorsus modo eadem Christi verba, eademque Nicetæ ætate, referebat sanctus Leo Magnus, sermone 75 de Pentecost. 1, capite 4, dicens : « Macedonianos pariter detestamur, qui licet Patri et Filio tribuant æqualitatem, Spiritum tamen sanctum inferioris putant esse naturæ : non considerantes eam blasphemiam se incidere, quæ neque in præsenti sæculo, neque in futuro sit remittenda Judicio, dicente Domino : *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei ; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Permanens itaque in hac impietate sine venia est, quia excludit eum a se per quem poterat confiteri ; nec umquam perveniet ad indulgentiæ remedium, qui patrocinaturum sibi non habet advocatum. Ab ipso enim est invocatio Patris, ab ipso sunt lacrymæ pœnitentium, ab ipso sunt gemitus supplicantium : *et nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* xii, 4). » Hactenus sanctus pontifex. Nihil igitur est cur suspicemur Nicetam nostrum a communi Patrum et Ecclesiæ sententia descivisse, dum peccatum seu blasphemiam in Spiritum sanctum ex Christi Domini voce asseruit *remissionem non habere, neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

Hic tandem finis esto dissertationis nostræ de sancto Niceta episcopo Aquileiensi. Prolixitatem primo aspectu, uti in præfatione præoccupavimus, accusaverit quispiam ; maxime vero in auctore illustrando, cujus Opera quæ supersunt, quæque nunc primum conjuncta eduntur, paucis constant paginis. Prolixitatem nos quoque non inviti fatemur, quam tamen, cum primum tabulæ manum admoveremus, neutiquam prævidebamus ; quamque cæteroquin in illustrando Ecclesiæ Patre quinti sæculi, nondum satis noto, frustra prorsus expensam nemo facile judicaverit. Sed utinam hoc uno tantum laboret vitio lucubratio nostra. Plura utique deprehendet **291** lector castigatione digna : neque nos ii sumus qui temere persuasum habeamus numquam errasse ; quamquam ab erroribus præcavere animus semper fuerit. Libuit in argumento suapte natura sterili, neque uberiori calamo utrinque plene hactenus agitato, hac illac pervagari amœnitatis gratia, atque longius etiam quam par esset quandoque discurrere ; licet demum ad centrum, uti aiunt, etiam procurrentes lineas quas diximus referri putemus. In hoc vero discursu non interdum offendere, tenuitatis nostræ quodammodo non fuisset. Quod præcipuum operis erat, id confidimus perfecisse ; ostendentes nimirum contra opinionem potissimum viri clarissimi Joannis Prosdocimi Zabei, quem hic, in exitu quoque scriptionis, honoris causa nominatum voluimus ; ostendentes, inquam, Niceam seu Nicetam illum, Romatianæ civitatis episcopum a Gennadio, aliisque post eum scriptoribus appellatum, atque auctorem recens detectæ *Explanationis Symboli ad competentes*, necnon et jamdiu noti libelli *ad Virginem lapsam*, aliorumque similiter opusculorum quæ Gennadius idem recenset, quæque aut interierunt aut adhuc latent, non esse Niceam seu Nicetam Dacum sancti Paulini Nolani episcopi amicum, ejusdemque laudibus celebratum ; sed esse reipsa Niceam seu Nicetam episcopum nostrum Aquileiensem, qui sancti Leonis Magni tempore floruit, et ad quem ejusdem sancti pontificis percelebris exstat epistola. Difficultates erant solvendæ sententiæ huic repugnantes ; seu quæ ab eodem viro clarissimo in dissertatione sua productæ fuerant, necnon et ab eruditissimo Michaele Denis Palatinæ nuper Vindobonensi bibliothecæ præfecto ; seu quæ probabiliter producendæ essent adversus momenta, quibus innititur propositio nostra : idque præstitum fuit, prout res postulabat ; ac nonnullis præsertim ad trutinam revocatis variæ eruditionis capitibus, et expensis Aquileiensis quoque Ecclesiæ quibusdam peculiaribus monumentis quæ fortasse, post illustrium etiam virorum exercitationes, novam aliquam investigationem non respuebant. De Nicetæ insuper persona, ætate, patria, cæterisque ad eumdem pertinentibus rebus, quæ quæri poterant, hic pertractari ex instituto debebant ; sicut etiam de opusculis illius, tum quæ supersunt, tum quæ desiderantur, deque locis quæ in superstitibus, necnon in desideratorum laciniis, notatu utcumque digna erant ; ne quidquam deesset, quod ad argumenti dignitatem gravitatemque spectaret. Hoc similiter, pro moduli nostri ratione, actum a nobis fuit ; et ita quoque, ut facile videamur peccasse potius nimietate rerum quam parcitate. Quidquid igitur sit, quod a nobis hactenus allaboratum est ; conatum hunc qualemcumque indulgenti animo suscipiat lector, paratosque nos semper sciat nostra deserere, meliora sectari.

APPENDICULA.

VETERA MONUMENTA DUO CAPITULI AQUILEIENSIS,

Alterum duodecimi, alterum sæculi decimi tertii, de quibus in dissertatione mentio est capite sexto, parte prima, *pag.* 116 (*Col.* 979).

I.

Ex autographo tabularii Canonicorum Aquileiensium de anno 1183.

Nos Liuprandus Aquileiensis Ecclesiæ decanus, Oto diaconus, Joannes diaconus, Hermannus diaconus thesaurarius, Gompertus diaconus, Joannes diaconus, Rambaldus diaconus, Otacus diaconus, Mainardus subdiaconus, Artuicus subdiaconus, Rempotus presbyter, Petrus subdiaconus, Hermeinardus subdiaconus, Wernerius presbyter, Rodulfus diaconus, Megenardus presbyter, Eliseus presbyter, Leonardus diaconus, Magister Aldigerius acolythus, Thomas acolythus, Petrus presbyter de Utino, et Vodescalcus subdiaconus, omnes canonici ejusdem Aquileiensis Ecclesiæ, Bertoldus vicarius Domini patriarchæ, Natalis presbyter vicarius Concordiensis episcopi, Dominicus presbyter vicarius Tergestini episcopi, Joannes presbyter vicarius comitis, sicut jamdudum proposuimus, ita coram Deo et sanctis ejus promittimus manutenere justitiam Aquileiensis B Ecclesiæ, et prosequi ipsam coram Domino papa contra Gabrielem præpositum, qui contra privilegium institutionis communis vitæ a Vodalrico patriarcha apostolicæ sedis legato, consentiente cuncto capitulo, confectum, et contra privilegium beati patris nostri Lucii papæ de confirmatione ejusdem communis vitæ per nuntios nostros nobis directum veniens, administrationem communis totius vitæ per comminationem propinquorum suorum, nobis propter timorem personarum nostrarum consentientibus, abstulit, et injuste detinet; et quidquid Domino papæ super hac controversia statuere placuerit, nos cum omni obedientia et devotione volumus recipere.

Et ego Liuprandus presbyter Aquileiensis decanus dico, etc.

Omissis.

Ego Dominicus presbyter vicarius Wernardi Tergestini episcopi dico, etc.

Omissis.

Ego Natalis presbyter vicarius Concordiensis episcopi dico, etc.

Omissis.

Nos omnes prænominati canonici addimus ad hæc, et uno ore testificamur, quod per mediatores nostros obtulimus præposito redditus duodecim marcarum annuatim, si ipse vellet quiescere et non auferre nobis administrationem. Sed ipse nobis, consilio fratrum suorum et aliorum qui in rusticos nostros A modo dominantur et bona eorum diripuerunt, respondit quod nihil reciperet nisi sibi administrationem traderemus. Quod ipse præpositus præter debitum factum indebita exactione rusticos exspoliavit, et idem fecit sacerdotibus postquam accepit administrationem, unde multi ex rusticis nostris, sicut ipsi dixerunt, jam de mansis nostris aufugissent, nisi ad manus et potestatem nostram umquam redire sperarent. Et damus licentiam nuntiis sic jurandi in animabus nostris. † Signum suprascriptorum canonicorum, qui hoc rogaverunt fieri.

Petrus Vener. Caprulanæ Ecclesiæ presbyter et canonicus atque palatii Venet. notarius rogatus a decano et ab aliis fratribus suprascriptis, sicut ex ore eorum singillatim audivi, ita scripsi, complevi, et roboravi, anno Domini millesimo centesimo octuagesimo tertio, octavo die exeunte mense Octobr., indictione secunda, Caprulis.

II.

Actus Capituli Aquileiensis de anno 1260.

Nos Asquinus decanus cum capitulo Aquileiensi, videlicet venerabilibus episcopis Bonacursio Emoniensi et Conrado Justinopolitano, Artico de Castelerio, Vuodolrico decano civitatensi, Vuarnerio de Cucanea, Magistro Henrico de Pulcinico, Magistro Valtero, Alberico cantore, Rozio de Osopio, Bonafide, Rodulfo de Moruzio, Magistro Villielmo scholastico, Conrado de Brazaco, Ricoldo præposito Concordiensi, Vuodalrico de Cucanea, Ferrarino, Leonardo de Feugnaco, Berardo præposito sancti Felicis, et Hermanno de Utino canonicis Aquileiensibus, statuimus et juramento interposito firmiter promittimus servare indulgentiam diminutionis numeri canonicorum usque ad 24 factam in Ecclesia Aquileiensi per venerabilem patrem D. G. patriarcham Aquil. auctoritate sedis apostolicæ, nec contrafacere vel venire aliquo modo vel ingenio, aliquem eligendo vel recipiendo in canonicum, et in fratrem, communiter vel divisim, vel alicui assignando præbendam C aliquam seu locum in choro et capitulo atque stallum in præjudicium numeri supradicti canonicorum. Immo nos prædictam indulgentiam diminutionis numeri canonicorum usque ad 24 factam, pro posse bona fide, quantum de jure poterimus, defendemus. Si quis autem canonicorum contra hoc fecerit, vel attentare præsumpserit, per annum sit a præbenda Aquil. suspensus. Ad cujus rei certitudinem et stabilem firmitatem præsens statutum fecimus nostri sigilli pendentis munimine roborari. Actum in capitulo Aquileiensi, currente anno Domini 1260, die sexto intrante Martio, sexta indictione.

INDICES

IN OPERA S. PETRI CHRYSOLOGI.

INDICULUS ALPHABETICUS SERMONUM S. PETRI CHRYSOLOGI

A

De Adam primo et novissimo, CXVII, 520.
S. Adelpho episcopo, CXXXVI, 567.
De S. Andrea apostolo, CXXXIII, 565.
S. Apollinare episcopo et Mart. CXXVIII, 552.
Apostolorum convocatione, virtute, et paupertate CLXX 644

De Archisynagogi filia, XXXIII, 292; XXXIV, 296; XXXVI, 301.
Auro, XXIX, 281.

C

De Cæco, CLXXVI, 663.
Calendis januariis superstitione pollutis, CLV, 609.
Cananæa, C, 479.
Cathedra pestilentiæ, XLIV, 322.
Centurione, XV, 234; CII, 484.
Charitate paterna in filios, LV, 352.
Christo apostolos pauperes eligente, XXVIII, 278; XXIX, 281; XXX, 284.
apostolos curatum morbos mittente, CLXX, 644.
fabri filio, XLVIII, 333; XLIX, 387.
formas varias suscipiente, CLXX, 644.
fugiente in Ægyptum, CL, 599; CLI, 602.
generato, seu Generatione ejus, CXLV, 588; CXLVI, 591.
jejunante, XI, 219; XII, 222; XIII, 226.
incarnato, seu Incarnatione, CXLI, 577; CXLVII, 594; CXLVIII, 596.
Magdalenam defendente, XCIV, 464.
manducante cum Publicanis, XXVIII, 278; XXIX, 281; XXX, 284.
Matthæum vocante, *ibid.*
nato, seu Nativitate, CXLIX, 598.
resurgente, seu Resurrectione, LXXIV, 408; LXXV, 411; LXXVI, 414; LXXVII, 417; LXXVIII, 420; LXXIX, 422; LXXX, 424; LXXXII, 430.
Resurrectionem suam manifestante,
1° mulieribus e monumento regredientibus, LXXVI, 414; LXXX, 424.
2° duobus euntibus in Castellum, LXXXII, 430.
3° discipulis absente Thoma, LXXXI, 427; LXXXIV, 436.
4° præsente Thoma, LXXXIV, 436.
5° ad mare Tiberiadis, LXXVIII, 420.
6° apostolis recumbentibus, LXXXIII, 432.
templum ingrediente, LXXXV, 440.
tentato, XI, 219; XII, 222; XIII, 226.
Confessione peccatorum, XLVI, 328.
Consecratione episcopi. *Vid.* Episcopi.
Consilio impiorum, XLIV, 322.
Cursu pro corona gloriæ, CXIX, 524.
S. Cypriano martyre, CXX, 526.

D

De Dæmoniaco, XVII, 243.
Dæmoniacis duobus, XVI, 238.
Dæmoniaco surdo et muto, LI, 342; LII, 344.
Dei paterna in nos dilectione, LV, 352.
Deo, ut videatur, CXXXI, 557.
Delicti, abundantia propter legem, CXII, 507.
Delicto fratri remittendo, CXXXIX, 572.
Dilectione Dei. *Vid.* Dei.
Discipulis illotis manibus prandentibus, CLXXI, 647.
Dispensatore fideli, XXVI, 272.
Divisione Ecclesiæ et Synagogæ, CLXIV, 630.
Divisionem hæreditatis petente, CLXII, 625.
Divite et Lazaro, LXVI, 386; CXXI, 529; CXXII, 533; CXXIII, 536; CXXIV, 540.
Divite agrum feracem habente, CIV, 490.
Drachma perdita, CLXIX, 641.

E

De Ecclesiæ et Synagogæ divisione, CLXIV, 630.
Eleemosyna, VII, 205; VIII, 208; IX, 211; XLI, 314; XLII, 317; XLIII, 320.
Eleemosynæ fructibus, XIV, 231.
Epiphania et Magis, CLVI, 611; CLVII, 614; CLVIII, 616; CLIX, 619; CLX, 620.
Episcopi consecratione, CXXX, 556; CLXV, 633; CLXXV, 656.
Exsultatione spirituali, et peccatorum confessione, XLVI, 328.

F

De S. Felicitate, CXXXIV, 564.
Fermenti parabola, XCIX, 477.
Ficu infructuosa, CVI, 495.
Fide, sub qua reposita est salus, CX, 503.
Fidelium unitate, CXXXII, 561.
Figura sæculi vitanda, et forma Salvatoris assumenda, CXX, 526.
Filiis duobus, prodigo et frugi, scilicet prodigi abscessus a patre, I, 183.
Reditus ad patrem, II, 187.
Patris occursus ad filium, III, 190.
Livor senioris in prodigum redeuntem, IV, 194.
Judæus et Gentilis in his figurati, V, 197.
De Filio viduæ a mortuis excitato, CIII, 487.
Fuga Christi. *Vid.* de Christo.

G

De Gentili populo, V, 197.
Gentilium vocationis lætitia, VI, 202.
Gentium superstitione in kal. Jan., CLV, 580.
Gratia per Christum habita, CXII, 507.
Gratiæ legem abrogante, CXV, 515.
Gratiæ servis ac legis, CXIV, 512.
Gratitudine hominis in Deum, CLXI, 622.

H

De Hæmorrhoissa, XXXIII, 292; XXXIV, 296; XXXV, 299; XXXVI, 301.
Hæreditatis divisionem petente, CLXII, 625.
Herode, et D. Joanne Baptista, CLXXIII, 650.
Homine, ut sit hostia et sacerdos Deo, CVIII, 499.
Homine orante Deum, ne arguat in ira, XLV, 325.
Hominis gratitudine in Deum, CLXI, 622.
Hostia corporis et animæ Deo rationabiliter offerenda, CIX, 501.
Hypocrisi, VII, 205; IX, 211; CLXXII, 648.

I

De Igne cœlesti, CLXIV, 630.
Impiorum consilio, XLIV, 322.
Infantium nece, CLII, 604; CLIII, 607.
Infidelibus ducendis ad Baptismum, X, 214.
Infirmitatis spiritum habente, CV, 492.
Injuria æquo animo toleranda, XXXVIII, 306.
Invidia IV, 194; XLVIII, 333; XLIX, 387; CLXXII, 648.

J

De Jejunio, VIII, 208; XLI, 314; XLII, 317; XLIII, 320.
Jejunio quadragesimali, XII, 222; XIII, 226; CLXVI, 634
Jejunio et tentatione Christi. *Vid.* de Christo.
Jejunio Pharisæorum et discipulorum Joannis, XXXI, 287.
Joannis Baptistæ Annuntiatione et Conceptione *a Sermone* LXXXVI *ad* XCII, 441-458.
Joannis Bapt. Prædicatione, CXXXVII, 568; CLXVII, 636.
Joannis Bapt. Decollatione, CXXVII, 549; CLXXIV, 653.
Joanne Bapt. et Herode, CLXXIII, 650.
Jonæ prophetæ signo, XXXVII, 303.
Joseph sponso, CXLVI, 591.
Joseph volente dimittere Mariam, CXLV, 588.
Judaico populo, V, 197.
Judæorum admiratione, LXXXX, 440.
Judæorum livore et obstinatione, CXXXI, 557.
Judæorum pœna, LV, 352.
Justificatione ex Deo per Christum, CX, 503.

L

De Lætitia spirituali, XLVI, 328.
Lætitia vocationis Gentium, VI, 202.
S. Laurentio martyre, CXXXV, 565.
Lazaro a mortuis suscitato, LXIII, 375; LXIV, 379; LXV, 586.
Lazaro, et Divite, LXVI, 386; CXXI, 529; CXXII, 533; CXXIII, 536; CXXIV, 540.
Lege abrogata per gratiam, CXV, 515
Legis et gratiæ servis, CXIV, 512.
Lege, per quam cognoscitur peccatum, CXVI, 517.
Lege, per quam abundavit delictum, CXII, 507.

M

De Magdalenæ conversione, XCIII, 460; XCIV, 464; XCV 467.
Magis. *Vid.* De Epiphania.
Manibus illotis in prandio. *Vid.* De Discipulis.
Manum aridam habente, XXXII, 289.
Manifestato Christo in Resurrectione. *Vid.* De Christo
Marcellino episcopo, CLXXV, 656.
Margarita inventa, XLVII, 331.
Mariæ Virginis annuntiatione; CXL, 575; CXLII, 579 CXLIII, 582; CLXIV, 585.
Mariæ Virginis partu, CLXXV, 656.
Maria sponsa matre, CXLVI, 591.
Maris tempestate sedata, XX, 233; XXI, 237.
Matthæi Publicani et divitis vocatione, XXVIII, 278; XXIX 281; XXX, 284.
Morte, CXVIII, 522; CXXXI, 557.
Morte habita per hominem, CXII, 507
Morte a fidelibus contemnenda, et quare illam permiserit Deus, CI, 481.
Morte pro Christo sumenda, CX, 503.
Muliere spiritum infirmitatis habente, CV, 492.
Muto et surdo, LI, 342; LII, 344.

O

De Oratione, XLIII, 320.
Orationis perseverantia, XXXIX, 309.
Oratione hominis fragilis, XLV, 325.
Oratione Dominica *a Sermone* LXVII *ad* LXXII, 390-404.
Originali peccato, CXI, 505.
Ovium centum parabola, CLXVIII, 639.

P

De Pace, LIII, 347 ; CXXXVIII, 572; CXLIX, 598
Paralytico, L, 339.
Paschali solemnitate, LXXIII, 406.
Pastore bono, XL, 312.
Paterna Dei in nos dilectione, LV, 352.
Paterna in filios charitate, LV, 352.
Paupertate apostolis præcepta, CLXX, 644.
Peccato per legem cognito, CXVI, 517.
Peccato per legem abundante, CXII, 507.
Peccato confitendo, XLVI, 328.
Peccato non inhærendo, ut gratia abundet, CXIII, 510.
Pestilentiæ cathedra, XLIV, 322.
S. Petro episcopo Ravennæ, CVII, 497.
Pharisæo murmurante, XCIV, 464
Pœnitentia agenda, CLXVIII, 596.
Prodigo. *Vid.* De Filiis.
S. Projecto episcopo Corneliano, CLXV, 633.

Q]

De Quadragesimali jejunio, XII, 222; XIII, 226; CLXVI, 634.

R

De Reductione infidelium ad Baptismum, X, 214.
Regni Dei promissione, XXIII, 263 ; XXV, 269.
Regni Dei felicitate, XXIV, 266.
Remittendo fratri delicto, CXXXIX, 572.
Resurrectione carnis, CXVIII, 522.
Resurrectione corporum, CXIII, 510.
Resurrectione Christi. *Vid.* de Christo.

S

De Sagena missa in mare, LXVII, 390.
Salvatoris assumenda figura, CXX, 526.
Salute sub fide reposita, CX, 503.
Scandalo tollendo, XXVII, 275.
Scriba Christum sequi non permisso, XIX, 249.
Sæculi vitanda figura, CXX, 526.
Separatione facta a Christo, CLXIV, 630.
Servo regresso ab agro, CLXI, 622.
Servo vigili, XXII, 259; XXIV, 266.
Servis legis et gratiæ, CXIV, 512.
Socru Petri infirma, XVIII, 246.
Sinapis grano, XCVIII, 474.
S. Stephano protomartyre, CLIV, 490.
Superstitione in kal. Januariis, CLV, 588.
Surdo et muto, LI, 339; LII, 344.
Symbolo apostolorum *a Sermone*, LVI *ad* LXII, 354-371.
Synagogæ et Ecclesiæ divisione, CLXIV, 379.
Syrophœnissa. *Vid.* De Cananæa.

T

De Tempestate maris sedata, XX, 253; XXI, 257.
Tentatione et jejunio Christi. *Vid.* De Christo.
Terrenorum cura despicienda, XXII, 259· XXIII, 263; XXV, 269, CLXIII, 628.

U

De Unitate Fidelium, CXXXII, 561.

V

De Via peccatorum, XLIV, 322.
Viduæ filio excitato, CIII, 487.
Villico iniquo, CXXV, 543; CXXVI, 546
Virtutibus inserviendo, CXIII, 536.
Vita per Christum habita, CXII, 507.

Z

De Zachæo, LIV, 348.
Zizaniis, XCVI, 469; XCVII, 471.

INDEX EVANGELIORUM ET EPISTOLARUM

Quæ in Chrysologo enarrata sunt.

(Ex editione Coloniensi.)

Cum intelligeremus, humanissime Lector, doctas D. Petri Chrysologi Conciones non parum Christianis Ecclesiasticis subservire posse, si omnia in eum ordinem congesta essent, quo sunt Ecclesiastico ritu in Templis explicanda; voluimus diligentiæ nostræ nonnihil adhibere, ut tuum redimeremus laborem. Hunc itaque Indicem tibi confecimus omnium Evangeliorum et Epistolarum, quæ in Chrysologo enarrata invenies.

Die sancto Natali Domini.

Evangelium Lucæ II. Exiit edictum a Cæsare. *Sermone* 175.

Die sancti Stephani protomartyris.

Sermo 154, citra Evangelicam lectionem.

Die sanctorum Innocentium.

Evang. Matth. II. Apparuit Angelus Domini in somnis Joseph. *Serm.* 150, 151, 152, 153.

Die Circumcisionis Domini.

Sermo 155, citra Evangelicam lectionem.

In Epiphania Domini.

Evang. Matth. II. Cum natus esset Jesus. *Serm.* 156, 157, 158, 159, 160.

Dominica intra octavas Epiphaniæ.

Epistola ad Roman. XII. Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei. *Serm.* 108, 109, 110.

Dominica IV post octavas Epiphaniæ.

Evang. Matth. VIII. Ascendente eo in naviculam, 20, 21.

Dominica V post octavam Epiphaniæ.

Evang. Matth. XIII. Simile est regnum cœlorum homini. *Serm.* 96, 97.

Dominica in Septuagesima.

Epistola I Cor. IX. Nescitis quod si qui in stadio. *Serm.* 119.

Feria IV, die Cinerum.

Evang. Matth. VI. Cum jejunatis, nolite fieri. *Serm.* 7 8 22, 166

Feria V, in capite Jejunii.

Evang. Matth. VIII. Cum introisset Capharnaum. *Serm.* 15, 102.

Feria VI, in capite Jejunii.

Evang. Matth. VI. Attendite, ne justitiam vestram. *Serm.* 9.

Dominica I in Quadragesima.

Evang. Matth. IV. Tunc Jesus ductus est. *Serm.* 11, 12, 13.

Feria II post Dominicam I.

In Psalmum XL. *Serm.* 14.

Feria IV post Dominicam I.

Evang. Matth. XII. Tunc responderunt ei quidam. *Serm.* 37.

Feria V post Dominicam I.

Evang. Matth. XV. Egressus Jesus venit in partes. *Serm.* 100.

Feria V post Dominicam II Quadragesimæ.

Evang. Luc. XVI. Homo quidam erat dives. *Serm.* 60, 121, 122, 123, 124.

Sabbato post Dominicam II Quadragesimæ.

Evang. Luc. XV. Homo quidam habuit duos filios. *Serm.* 1, 2, 3, 4, 5.

Feria III post Dominicam III Quadragesimæ.

Evang. Matth. XVIII. Si peccaverit in te, frater. *Serm.* 139

Feria IV post Dominicam III Quadragesimæ.

Evang. Matth XV. Tunc accesserunt ad eum. *Serm.* 171.

Feria V post III Dominicam.

Evang. Luc. IV. Surgens autem Jesus de synagoga. *Serm.* 18.

Feria III post Dominicam IV.

Evang. Luc. VII. Ibat Jesus in civitatem, quæ vocabatur. *Serm.* 103.

Feria VI post IV Dominicam.

Evang. Joan. XI. Erat quidam languens. *Serm.* 63, 64, 65.

Dominica in Passione.

Evang. Joan. VIII. Quis ex vobis arguet me. *Serm.* 131.

Feria V post Dominicam in Passione.

Evang. Luc. VII. Rogabat Jesum quidam Pharisæus. *Serm.* 93, 94, 95.

Die sancto Paschæ.

Evang. Marc. XVI. Cum transisset Sabbatum. *Serm.* 72, 73, 74, 75, 76.

Feria III Paschæ.

Evang. Luc. XXIV. Dum hæc loquuntur, stetit Jesus. *Serm.* 18.

Feria IV Paschæ.

Evang. Joan. XXI. Postea manifestavit se iterum Jesus. *Serm.* 78.

Dominica I post Pascha.

Evang. Joan. XX. Cum ergo sero esset die illo. *Serm.* 84.

Dominica II post Pascha.

Evang. Joan. X. Ego sum pastor bonus. *Serm.* 40.

Feria II in Rogationibus.

Evang. Luc. XI. Quis vestrum habebit amicum. *Serm.* 58.

Die Dominicæ Ascensionis.

Evang. Marc. XVI. Novissime recumbentibus illis. *Serm.* 83.

Dominica III post Pentecosten.

Evang. Luc. XV. Erant autem appropinquantes ei. *Serm.* 168.

Dominica IX post Pentecosten.

Evang. Luc. XVI. Homo quidam erat dives qui habebat. *Serm.* 125, 126.

Dominica XVI post Pentecosten.

Evang. Luc. VII. Ibat Jesus in civitatem. *Serm.* 103.

Dominica XXIV post Pentecosten.

Evang. Matth. IX. Hæc illo loquente ad eos. *Serm.* 53, 54, 55, 56.

Die sancti Andreæ.

Serm. 133, citra expositionem Evangelicam

Die sancti Thomæ Apostoli.

Evang. Joan. XX. Thomas unus ex iis. *Serm.* 84

Die Annuntiationis.

Evang. Luc. I. Mense sexto missus est. *Serm.* 140, 141, 142, 143, 144.

Die sancti Joannis Baptistæ.

Evang. Luc. I. Fuit in diebus Herodis regis. *Serm.* 86, 87, 88, 89, 90, 91, 92.

In festo sancti Petri.

Serm. 107, citra expositionem Evangelicam.

Die sancti Laurentii.

Serm. 133, citra expositionem Evangelicam.

Die sancti Matthæi.

Evang. Matth. IX. Cum transiret inde Jesus, vidit hominem. *Serm.* 28, 29, 30.

Die Decollationis sancti Joannis Baptistæ.

Evang. Marc. VI. Audivit rex Herodes. *Serm.* 172, 173, 174.

De beato Luca Evangelista.

Evang. Marc. VI. Convocavit Jesus undecim. *Serm.* 170.

De uno Martyre.

Sermo. 129, citra textus expositionem.
Serm. 128, sine expositione Evangelica.
Evang. Luc. XII. Noli timere pusillus grex. *Serm.* 22, 23.
Evang. Luc. XII. Sint lumbi vestri præcincti. *Serm.* 24.

De Virgine martyre.

Sermo 134, sine textu Evangelico.

Die Dedicationis Templi.

Evang. Luc. XIX. Ingressus Jesus perambulabat. *Serm.* 54.

INDEX

RERUM ET VERBORUM NOTABILIUM

IN SERMONES D. PETRI CHRYSOLOGI LOCUPLETISSIMUS.

Numerus sermonem indicat; ubi vero omissus est, proxime antecedentem subintellige.

A

Aaron primus pontifex in Lege fuit sacerdotii origo, 89. Filii Aaron puniuntur, 109.

Abacuc. Cur expaverit, *late*, 68.

Abel, portans agnum ad Dei sacrificium, sicut agnus assumitur, 109. Vox ejus in suo effusa sanguine magis sonat, 174.

Abraham. Se mactabat in filio sacerdos et sacrificium, 10. Victima erat illius dilectio. Princeps cœlestis convivii ob humanitatem, 42. Deo Patri obediens, 55. Ejus encomia, 66. Deum, et favores illius recipit, 69. Ablactato Isaac facit epulum, 73. Decrepitus generat Isaac, 90. Se immolabat in filio, 108. Epulonem divitem reprobat, 121. Innocens et dives, 121. Peregrinus, et hospes adjuvat peregrinos, 8. Hospitatur Deum. In gloria est dispensator. Mensa illius egenis præparata. Epuloni non miseretur, 122. Epulonem filium appellat, 123. Deum vidit in humana forma, 131. Moritur, sed non in æternum. Diem natalis Christi vidit, 17. Mortuus corpore, vivit animo. Ex quibus non timeat, sed diligat Deum, 147. Nomen illi mutatur, 154. Manus pauperis est sinus Abrahæ, 8. Filium offerens ligat, 10. Fidem suscipit, 14.

Abscessus mente et loco dicitur, 1. A patre quæ mala producat. 2. Redeat fidenter ad patrem, qui ab eo recessit. 3. Filius recedens a patre dives, nec calceatus rediit. 3

Abscondere virtutes, bonum est, 7. Facultates in sinu pauperum, utile. Abscondere sua, nec accepta largiri, crimen est, 123. Jesus cur se abscondat a Judæis, 131.

Absentia corporis non obest, ubi fuerint corda sociata per fidem, 32.

Absolutio peccatorum datur amore, 94. Justis, non injustis, datur apud inferos a Christo, 125.

Abstinentia est prima hominis medicina, si sit cum eleemosyna, 41. Sanat quod voracitas sauciavit. Iter abstinentiæ ingrediens quid agat, 8.

Abstrahere quos peccatores debeamus a peccatis, ni volumus peccare, 155.

Abundantia ad impietatem effert, 124.

Accipere. Accipimus ea quæ ante non habebamus, 144.

Acquiescere in adversis necessitatis est, velle virtutis, 110.

Accusare. Beatus qui se coram Deo accusat etiam de non cognitis delictis, 123. Insontem accusare est crimina facere, 175. Convictum, velut solum accusatum Deus convenit, 125.

Actus membrorum in corpore mystico qui, 120.

Adam jejunio servatus in paradiso, gula extractus, 12. Vestitur ex tonsione agni Christi, 25. Patria donatus a Christo, 49. Adamatico ex arbore Zachæus jubetur descendere, 54. Soporatus, ut de viro sumeretur virgo, 57. Puteus mortis, 63. Cito cecidit, quia cito credidit, 79. Deducitur a scientiæ ad sinapis arborem, 99. Inventus a Christo

ad ficum, 196. Culpa Adæ omnes obnoxii morti, 110. Ex illius prævaricatione vita amissa. Lamentandus Adæ lapsus, qui fuit cunctorum ruina, 111. Et quomodo hæreditatem Adæ nec libuit adipisci, nec licuit renuntiare. In Adam omnes peccaverunt. Mors ab Adam, vita a Christo. Peccatum per Adam regnavit in mortem, 112. Adam et Christus humano generi dedere principium, 117. Primus Adam factus a Christo novissimo Adam, et ipso auctore figuratus. Plasmatus ex limo, mutatur in carnem. Christi figura, primus, sed habet initium. Adam terra, Christus fructus. Chirographum debiti Adæ solvitur a Christo, 123. Naturæ, et successoribus quid fecerit. 156. In Adam totus grex generis humani, 168. De manu mulieris accepit mortem, 18. Invidia exclusus paradiso, 4. In ætate perfecta creatus, et recreatus quomodo, 151.

Adelphus episcopus laudatur, 39, et 136, *per tot.*

Adjutorium alienum a Deo inutile, 46. Alienum adjutorium requirit, qui hostem intus habet, 171.

Adolescens sensu et ætate dicitur, 1. Juniorem non tempora faciunt, sed mores, 5.

Adorator vacuus indevotus est, 103.

Adhortatio viri probi ac magni non recusanda, 107. Ut sit adorator in inferno, 13.

Adversa, cum vertuntur in prospera, Dominus versat stratum nostrum, 14. De adversis non queratur, qui sibi prospera non precatur, 43. In adversis necessitas voluntati non comparatur, 110. Fortes non prosternunt adversa, 124. Adversa qui non sentit, prospera servare nescit, 131. Adversis non miscenda prospera, 175. Adversa omnia nituntur viribus suis, 7. In adversis homo habet Christum consortem, 70.

Adversitas. Adversitatis mucrone prosternitur in Evangelio, 114.

Adulatio est dæmonis quarta et postrema tentatio, 27.

Adultera fuit synagoga, 115. Adulter Veneri deservit, 155. Adulteros arguit Joannes, 174, ubi plura habentur de materia.

Advocatus noster est Christus, 70. In cœlo sit oratio, jejunium, et misericordia, 43. Effectus hujus advocationis. Paupertatis advocatio in judicio, 14. *Vid.* Patronus.

Ægritudo fragilitatis sanatur abstinentia et eleemosyna, 41. Jussu curatur a Deo, 49. Mulieris incurvæ cur duodeviginti annorum, 105. De ægritudine non sic congratulandum, ut permaneamus in vulnere, 113. Recidiva sæpius lethalis. Quid agendum, si nos commoneat ad reddendam rationem, 125. *Vid.* Infirmitas.

Ægrotus implorat, ut curetur, non quemadmodum, 33. Cur recipiat curam, 35. Ægrotus ex cholera describitur, 38. Cura illius e medico describitur, 2. Medico pareat spirituali, 41. Ejus voluntas non respicitur a medico, quare, 50. Ægri duo uno medicamine curati, 94. Ægrotus per phrenesim se nescit insanum. Cur non omnes a Christo sanati, 102. Salutaria respuit ex infirmitate, non voluntate, 108. Infelix, si post curam non curat tormentum, 114. Ægrotus ex febre, et augmento ejus. Petit sibi noxia. Ingratus Deo medico, 131. Lædens proximum ægrotat febre, et furore, 139. Non recipiat antidotum morborum præter artem medicam et tempus, 156. Pœnitentiæ medicina succurrat ægris, quomodo, 167; qui pro suo curatur arbitrio sanitatem non recipit, 173. *Vid.* Infirmus.

Ægyptus recipit Christum fugientem, 150. Cur illuc fugiat, 151.

Æquitas sine bonitate, sensu cœlesti, sævitia est, 145.

Aer turbatur ventis, 34.

Æstus insultatur ab eo qui artificiosa nuditate indutus est, 122. Æstus corporis nescit, qui umbra divinæ virtutis protegitur, 142.

Ætas nostra ut passionibus perturbetur ad lapsum, 115. Vixit, non defecit in sanctis, 89. Ætates hominum quibus vitiis subjiciantur, 118.

Æternitas, æterna. Excludit tempus, 34. Dolet æternum malum. 22. Æterna caducis emenda, 124. Homines æternos dæmon nec temporales esse permittit, 131. Orandum ut bona æterna credere possimus, 139. Homines nolunt æterna, 144. Quomodo hic æterna designentur.

Æthiops. Spado rapuit baptismum in transitu, 40. Fides illum ante rapuit ad gratiam, quam currus ad Indiam, 61.

Affectio non recipit falsitatem, 55. Violat affectum, 175. Quid incurrat affectionis desertor, 1.

Affectus desperatus quibus probetur, 33. Violatur affectione, 173; carni naturaliter insertus a dæmone commutatur in parricidium, 96. *Vid.* Passiones.

Africa habet martyres diaboli, 13.

Ager humanus in humanum dominum sustinuit, 106. Ager æternus erit in cœlo, 139. Cur igne purgetur exustis sentibus, 164.

Agon. A quibus abstinendum in agone terreno, ut vincamus, 119 In spirituali quid agendum. In eo quæ fiant, *vid.* Certamen.

Agnus Dei tondetur ut vestiatur Adam, 23. Ut a pastore agni colligantur ad causas, 60. In Pascha carnes agnorum non reservantur in crastinum, 73 Abel portat agnum ad sacrificium Dei, 109. Agnus Dei cur in prædicatione percutiat, 164. Per Agnum Dei non penetrat invidia cœlum, 168. Ut Agnum Dei immolent manducantes, 172.

Agricola quis sit, qui colens agrum, se desertat, 4. Male colens, sibi, non terræ causat malum, 7. Gaudet in fructu quod deflet in sulco, 40. Serens fructum sperat, 71. Cantat uberes fructus ad levandum vomeris laborem, 118. Industria reducit silvestria ad cultum, 132.

Aliena prorogare, est plus diripere dando, quam furando, 54. *Vid.* Eleemosyna. Aliena invadere et suis incubare criminosum est, 123. Aliena qui non restituit, ad inferos cum epulone descendet. Alienis malis intendere, quam sit damnosum, 139.

Altum. Ab alto cadit, qui in altum tendit, 151.

Altare corporis Christi recipiat eleemosynas, 103. Dei repleatur, ut horrea nostra abundent.

Ambitio cæca semper, 152.

Amicitia. Ad amicitiam Dei sublimamur, cum mortes despicimus propter eum, 101. Amicitiam subruunt pecuniæ, 126.

Amicus. Habetur ex morum similitudine, 101. Dei fit amicus homo. *Vid.* Amicitia, Sancti, Martyres, Justi.

Amor occultat delicta, 3. Ea non videt. Filium licet contumacem recognoscit, 4. Ex donis cognoscitur amor, 10. Probatur passionibus, 14. Omnia vincit, et alia operatur, ut 40. Oculus amoris acutius intuetur, et vivacius sentit, qui diligitur, 78. Possidet bonos, 80. Quomodo sit inter debitorem, et creditorem contractus amoris, 88. Nemo nolens amat, 135. Amare non potest, qui satis timet, 147. Eo revocatur mundus. Jus amoris non respicit quid erit, ubi plura de natura amoris. Amor nisi ad desiderata pervaserit, necat amantem. Quod amat non potest non videre. Dilectio amplectenda, 53. Amore trahitur filius ad rigorem disciplinæ, 108.

Amor Dei. Est onus, et tollit onus peccatorum, 3. In nos, 23. Reducit, quem judicium repulerat, 48. Cognoscitur ex generationibus animalium, 55. Quomodo redegit virum in parvulum, 62. Amore aguntur omnia inter Deum Patrem, et Filium, 65. Non capitur ab homine, 69. Amor Dei omne debitum remittit homini, 94. Plus amari quam timeri vult Deus, 108. Amor noster erga Deum qualis esse debeat, 147. Amatores Dei cœperunt velle videre Deum. Cupiens videre Deum habet studium pietatis. Natus ad Dei amorem timere non potest, 160. Amor Dei in genus humanum ex correptione et blanditiis, 163. Erga homines varie monstratur, 170.

Andreas apostolus satis ad gloriam habet prærogativam apostolatus et martyrii, 122. Nascitur in monte pro Christo, 133. Laudatur per tot, 133.

Angelus peccavit invidia, 4. Datur ad nostram defensionem, 13. Coram Deo peccans mutatur in diabolum, 26. Consilium impietatis angelum perduxit ad inferna, 44. In consummatione sæculi angeli parebunt sanctis, 47. Angelus dialogat cum Tartaro, 65. Pro nobis excubias facit, 69. Laborem et lassitudinem nescit, 75. Blanditur et terret. Ignorat unde loquatur cum Deo, 86. In angelis nil sinistrum, 87. In judicio erit timor carni, 88. Fugat a Zacharia timorem, 4. Cur illi de solo filio impetrando respondeat. Christum demonstrat. Angelus in terra. *Vid.* Joan. Baptista. Deus invisus angelis, 90. Loquitur virtutes Joan., 91. Præsul synagogæ impetrat inducias, 106. Ab angelis certantes spectamur, 119. Justus supergreditur angelos merito, 120. Angeli pauperem ad sepulturam portant, 121 et 124. Angelis altitudo superius deputata, 123. Christo ministrarunt, 125. Dolent de peccato publico. Est diversa substantia, et imago a Deo, 131. Angelus ad Mariam virg., 140. Metator dicitur, et alia de illo. Angelis invisibile sacramentum incarnationis, 141. Loquitur ad Mariam, 142. Miratur, et quare. Cum metu discutit metum Virginis. Angelis cognata virginitas, 143. Majus est angelicam acquirere gloriam, quam habere. Angelus nobis dubia exponit, 145. Loquitur ad Joseph. Prostrati angeli in cœlo a divino splendore, 147. Ad terras nimio pavore fugati. Angelus inter primos invidit homini, 148. Maluit commutari in diabolum quam hominem plenum gloria videre. Cur angelus ad Mariam. Gaudium annuntiant in adventu Salvatoris, 149. Illis exsultantibus dæmones sunt in confusione. Quando volitante pulvere turbentur angeli, 150. Natum Dominum nuntiant pastoribus, 149. Congratulantur Christo de redito ovis Dominicæ; nec sibi præsidere cum indignantur, 168. Fit diabolus ob scandalum, 27.

Angelus resurrectionis. Sedet super lapidem ad sepulcrum, ut doctor resurrectionis, 74. Ejus gloria refert splen-

dorem nostræ resurr. Cur revolvit lapidem, 75. Sedet, ut illam doceat. Cur ei fulgur, et alba vestis. Post sepulcrum Dominum agnoscit, 76. Ecclesiam duabus in feminis mittit ad sponsum. Revolvit lapidem ad nostram fidem, 77. Et contra Pharisæorum perfidiam. Rationes aliquæ cur sedeat super lapidem. Numquam recedit a Christi sepulcro. Vestitus nostram formam in resurrectione figurat. Cur vocat mulieres ad videndum sepulcrum, 80. Eum fatetur Dominum, qui fuit crucifixus. Cur sedeat in monumento, 82.

Angustiæ proximorum sublevandæ, ut a propriis liberemur angustiis, 103.

Anima. Animarum salus quærenda etiam ad propriam utilitatem, 10. Usque in fine salus animarum esuries Christi, 11. Animæ detur aliquid, 12. Jacet in corpore, ut in lecto doloris, 14. Describitur mortua sine Christo, 19. Ab excelsis cœli non demergenda in sepulcrum auri, 22. Cur Deo offerenda cum jejunio, 43. Ut turbetur stans inter vitia ac virtutes, 45. Destituta virtutibus jacet in stratis vitiorum, 1. Symbolum fidei dicat, 62. Diu ante vocabat Deum, quem ignorabat. Animæ tempore passionis Christi nuntiabant resurrectionem mortuorum, 78. Penetrat muros, 81. Animarum demigrationes reprobatæ, 88. Anima de cœlo est, corpori dominatur, illud vivificat, sempiterna, immortalis, 109. Quibus corporis cruciatibus aggravetur. Est Dei sacrificium. Non exibat de tartaro ante Christi resurrectionem, 123. Animam hic perdunt sancti, ut inveniant in cœlo, 128. Pabulum animæ temperandum, 166. A Christo eductæ animæ a fovea peccati ad sui triumphi gloriam, 170. Innovatur baptismate Christi, 181. Mortificat corpus, cum ab eo recedit, 8. Cupiens repetere cœlum, premitur corporis terra, 14. Ut convivis lædatur, 91. Habet arcam et bibliothecam, 58. Anima dominante corpus servit, 102.

Animalia duo in præsepio, quomodo Judæum ac gentilem significent, 159. Accedant ad præsepe Domini pro cibo vitæ. Sed integrum sumant.

Animus in cœlesti specula perseveret, 12. Animus incumbens parvis magna perdit, 22. Turbatur ancipiti cogitatione, 88. Animus auditorum non diu suspendendus. Suspensus a Christo in regni similitudine invenienda, 99. Animus ex gratia transcendit corporis angustias, et conculcat delicta, 116. A vitiis semel tactus ardet. Ducit gratos ad præmium, ingratos ad pœnam, 124. Devotus ex beneficiis crescit ad obsequium, 142. Est servilis, qui fetentia perquirit, cum regia possit habere obsonia, 163. Animo peregrinamur, 5.

Anna Samuele ablactato sacrificat et lætatur, 73; ejus lacrymæ.

Annus Domini perficitur temporibus, non senescit; currit in circulo, ut nos deducat ad diem retributionis, 73. Qui sint tres anni in quibus Christus fructum quærebat in Synagoga, 106.

Antidota contra morbos quomodo recipienda, 156.

Antichristus subruetur a Christo, 156.

Antiqui dicuntur Judæi plus malitia quam vetustate, 38. Et cur refrenati ad vindictæ vicissitudinem. Antiqui durum veniens a Deo libenter recipiebant, 55. Eorum dignitas ut ad honorem præsentium accedat, 89. Antiquiora perscrutari temerarium, 166.

Anus feta erubescit, abscondit puerperam, risui subjacet, 92 et 154.

Apollinaris primus martyr episcoporum Ravennatum, 128. Cur ita appellatus, et alia de eo usque ad finem serm.

Apostoli offerunt gentes Deo, 18. Cur pauperes electi, 28. Describitur ipsorum paupertas, ac divitiæ spirituales, 28. De labore transeunt ad laborem. Occisi cum Christo occiso resurgent in gloria, 40. Cur piscatores electi, 47. Cur feminæ apostolos præcedant ad sepulcrum, 75. Dicuntur pueri a timiditate, 78. Non crederent corpus surrexisse, nisi manducantem Dominum vidissent. Revocantur ad dexteram. Ut pueri non poterant trahere rete. Apostolus, qui diligitur, primus Dominum videt. Cur pisces captos navigio trahant. Quomodo longi a terra. Feminis non postpositi, sed ad majora reservati, et quæ, 79. Christo victoriam reserunt. Defensi, non credentes resurrectionem mulieribus. Eam discipulis credunt. Tarde credunt ob magnitudinem mysteriorum. Illis non præjudicat mulierum annuntiatio resurrectionis, 80. An ad mensam, vel ad mœrorem recumberent, quando Dominus eis apparuit late, 83. Desperati, et sine fide. Ad mundum invitati, ut spes omnibus essent. Habentur aliis in mortem, aliis in vitam, 89. Apostolico vomere Synagoga fodienda ad fructum, 106. Sunt sal terræ, 120. Apostolorum vox fuit Joan., 127. Ad quod electi a Christo, 151. Ab eo recipiunt virtutem curationum, 161. Exemplo ad humilitatem revocati. Sibi utiles credebantur, verum inutiles apparent. Dominum reliquunt, quare. Quanto tempore ministraverunt discumbenti. Moniti de futura beatitudine. Cur ignis imbre perfusi, 164. Sunt duodecim horæ diei Christi, 170. Ubi duodecim sint figurati.

Aqua frigida febrem auget, 114. Aquæ poculum sitim non exstinguit viatori, 112. Cœlestis gratiæ vitiorum exstinguit incendium, 116. Aqua ab epulone Lazaro negatur, 122. Lateris Christi temperat viam Paradisi, et exstinguit ignem inferni, 123. Diluit chirographum debiti. Aqua est pœnitentium potus, 137. Jordanis aquam Christus intrat, ut lavet peccatum mundi, 160. Quomodo vox Domini super aquas. Cur aquis supernatat Spiritus sanctus in specie columbæ. Cur in sanguinis mysterium convertenda, 160. Urget ignem, et flamma multiplicat undam, 164. Offertur manibus hospitis venientis ad mensam, 171. Aqua exterior ut possit mundare corda. Aqua ardens fluentis inflammatur, et bibentis auget incendium, 172.

Aquila divina protegit nos pennis sapientiæ, 170.

Aquilo quando fecerit totius orbis naufragium, 20.

Arbitrarium hominis quomodo tenebatur a peccato captivum, 114. Cum Evangelio obaudit, est beneficium vocantis. Nostrum ut a Deo moderetur orandum, 67.

Arbor. Illecebrosa arbor aperiendo clausit oculos, 99. Gustus arboris infecerat ora. Sinapis arbor ut sanet. Infructuosa ut succedatur, 106. Infecunda palmitibus fecundis inimica. Post Evangelium infructuosa excidetur. Est tota in semine, 111. Seminis vitium est totius arboris vitium. Non dat fructum, quæ vernali tempore tota candescit in flore, 162. Noxia radicibus dissipat nexa monumenta majorum, 162. Ut arbores ambulantes visi sunt homines a cæco illuminato, 176. Arbores nascuntur in tempore, et cum tempore evanescunt. *Vid.* Radix, Aspectus.

Archisynagogus. Cur petat Christum imponere manum super filiam, 33 Dedit viam hæmorrhoissæ perveniendi ad Christum, 34. Quid ex illa discere possit. Stultus cur. Domino occurrit, et quid agat, 36. Est pater Synagogæ. Et quomodo. Cur annos duodecim ejus filia haberet. Filia quando suscitetur a Christo, 63. Indignantur, quod Christus sabbatis curet, 105.

Arguere criminosos est odium incurrere, 127

Arma versa in luxum, 27.

Arrogantia in divite et potente dum cessat, est ipse beatus, 136.

Ars succurrit naturæ in opere perfectionando, 132. Etiam in homine mox nato Arte non quærenda, quæ arte inveniri non possunt, 160. Ubi curat, ibi infirmitatis resident lassitudo, 18. Ars nautica. *Vid.* Nauta.

Ascendere. Quando altius quis ascendit, tanto altius cadit, 26. Christus ascendit crucem, 58 et 144.

Aspectus illecebrosus prostravit mulierem, salutaris levavit, 74. Fumo obscuratur. Arboris maculavit oculos mulieris, sepulcri Christi mundat, 77. Aspectus solus rerum non facit judicium esse securum, 145. Humanus Deum capere non potest, 147.

Astrologia nutat conjecturis, fallit arte, fatum ponit, colligit numeros, et alias, etc., 156. Astrologus cœli regem non invenisset, nisi revelasset Deus. Errat cum astris errantibus, 160. Arguitur, quod stellis intendens, salutem negligat, 164. *Vid.* notat. in serm. 157.

Attendere sibi, quis dicatur, 139. Sibi attendit qui alii attendit. Qui sibi et proximo attendit beatus, 155.

Avaritia vitatur eleemosynis, 7. Nascitur de divitiis. Ejus simulacrum est jejunium sine misericordia, 8. Suadetur a dæmone in Quadragesima, 13. Per eam gravius fit aurum, 29. Calcanda, 54. Ejus rabies mitigatur, 104. Ejus tenebris se mancipat, qui lucem misericordiæ fugit. Generat penuriam. Cognoscitur per aurum, 116. Ex ea homo multa aliis recondit ad sui cruciatum, 122. Parentes negat, etc. Est radix omnium malorum, et quomodo, 162. Est schola impietatis, 30.

Avarus est invidus, 4. Computat perdidisse, quod alter habet. Quomodo servans substantiam perdat, 7. Est dives pœna, non censu, 22. Custos alienorum. Punitur in alio sæculo. Ejus cupiditati fit satis a Christo, quomodo, 25. Largitas illi quid sit, 28. Ejus mala, 30. Custos alienorum, non Dominus suorum, 42. In ipsum sacculum se redigit avarus. Servus divitiarum, et quomodo conculcare possit avaritiam, 54. Derelinquit quæ sunt futuræ vitæ, 114. Accusat aurum, 116. Quærens semper non habet semper, 104.

Auctor mali si exstinguatur, malum nil valet, 11. Despicit inimicitias, qui illarum calcat auctorem, 14.

Auctoritas jubentis tollit præsumptionem dicentis, 70. Auctoritas dicentis contumeliis evacuatur, 131.

Auditor accipit a doctore quod meretur, 86. Non diu suspendendus animus auditoris, 88. Postulet a Deo desiderium audiendi, 96. Auditorum animi a Christo suspensi, 99. Causæ sæculi tacentur quia debito modo non audimus eas, 101. Fastidium accipit ex frequentata lectione, 130.

Ex lassitudine, 122. Debite audit, cum animi vires sunt reparatæ. Qui decrevit errare, audit quod vult, non quod est, 131. Ad quid hortetur, ut audiat cum fructu, 136. Temerarius auditor verbi Dei quid faciat, 156. Malo auditori quid eveniat, 158. Ubi non est, vacat clamor, 167. Verbi Dei ut se accommodet prædicatori, 173.

Auditus noster longo sermone oneratur, 96. Ut sit perfectus, animi sit et corporis, 61. Malus tollit bonam visionem, 78. Piissimo auditu temperanda intelligentia Scripturarum, 126. Cur Deus cognita, velut audita imputat, 125. Audita nescire cruciatus est, 132.

Aves sordidæ innumeræ ad columbam unam, 171. Criminum crucis hasta a cordibus pellendæ. Aves sunt dæmones in aera volitantes, 29.

Aurum de terræ profundo ad animæ sedem deferatur, 22. Habet sepulcrum. Est grave, sed per avaritiam fit gravius, 29. Natura malique effectus auri late. Una salus mittere aurum ad cœlum per manus pauperum. Auri mala ab exemplis. Perdit mores hominum, naturam, Deum. Ubi dives auri vena, ibi tota ars, pro habendo impenditur, 91. Aurum non est avaritia, sed per illud cognoscitur ipsa, 116. Latet in terra, 139. Debetur regi, 157.

Austera et fortia sunt amica virtutibus, 74.

B

Baculus pastoralis contra lupum furentem arripiendus, 173.

Bajulus noster Christus est, 15. Nostrorum bonorum est pauper, 25. Misericordiæ nescit lassescere, 170.

Balaam. Quod scandalum objecerit populo Israelitico, 27. Ut maledico benedicat ore, 69. Non fuit propheta, 159

Baptismus. Cur datur post exorcismos, 52. Baptizati ante catechismum, 58. Ex eo nil remanet veteris delicti, 60. Ejus anima est fides, 83. Novum baptisma Magdalenæ, 93. Figura est triduanæ sepulturæ Domini, 113. In eo resurgit homo, vitæ novitate. Potest lavare sordes Judæorum, 137. Qualis fuerit bapt. Joannis. Qualis Christi. In Jordane tota Trinitas, et cur, 157. Ejus effectus a baptismate Christi qui. Christum Joann. baptizavit accepturus veniam, 160. Suo baptizanti Christus non servit, sed imperat sacramentis. Cur Christus baptizatur in suo sanguine 164. Ejus forma ex diluvio universali, 166. Fontem baptismatis aperit Quadragesima. Domini baptisma unum est lavandis animabus et corporibus, 171. Diluit conscientiam ad salutem. Oculi peccatoris baptizati gutta roris sancti, 176. Forma baptismatis ex Christo, et cur talis, 80. Filius rediens figura hominis baptizati, 137. Baptismata peccatorum lacrymæ, 93. Lacrymæ fuere baptismata matrum innocentium occisorum, 152. De illius virtute, 54.

Beatitudo. Ejus qualitas docte explicata, 24. Prænittitur a David in Psalmis, ut homines ad victoriam provocet, 44. Perfectæ beatitudinis est panis eucharisticus, 72. Æterna est tactus Christi in cœlestibus, 76. Perfruuntur ea viatores, et qui, 89. In ipsa beati non cessant ab officiis hic sancte actis, 121. Cur scientes illam per fidem non quærunt habere post mortem. 124. Promissa servientibus Deum, 161. Est vere vita, 11. *Vid.* Gloria, Æterna, Regnum.

Beatus qui vigilat, 22. Qui anticipat dolos hostium, 27. Beati facti a Christo municipes sanctæ civitatis, 50. Beati qui exspectant Dominum in spe, 71. Et quos culpa non percutit, nec querela tetigit, 91. Beatus qui se a Deo accipere bona, mala recipere credit. 125. Beatus qui sibi et aliis providit, 155. Beati curis præsentibus liberati, 165. Beati æterna vident, etc., 176.

Bellum indicendum peccatis in Quadragesima, 12 et 13. Habet præmium pro æqualitate certaminis, 22. Bella Balaam quale, 27. Bella superata a multis, qui carnis pugnas perdiderunt, 41. Bella cogitationum discipulorum et pax, 84. Ubi non est pax misericordiæ, ibi intestinum est bellum, 104. Bella mortis quæ, 118. Bellum ex pecunia, 126. In bello pro rege mori virtus, sed major pro eo consummare certamina, 128. Bellicosus fugit arte, non timore, 150. Bella mundi prosternens cupit Christum ad se venire, 158. Bellandi novus ordo, cum de homine contra hominem gentes exeunt bellaturæ, et quæ, 171. Tuba magistri bellorum, 14.

Beneficia devotum animum augent ad obsequium, non ad arrogantiam, 142. Pro beneficiis quomodo quis reddet obsequium, si non videat largitorem? 147.

Bestiæ dimicaturo cum bestiis ante pronuntiantur præmia, 44. Jussæ a Deo subjacere humanæ potestati, non arti, 148. Tota bestiarum feritas ad unam ovem laniandum, 171. Crudeliores cum nequeunt prædam capere. Bestiæ fuit puella saltatrix, 127 et 174. Qui siut, qui in bestiam transeunt. 11 et 23.

Bethleem dicitur domus panis, et cur Dominus nascatur in ea, 156.

Biga. Bigam ascendit Trinitas, 170. Quid ibi egerit.

Blandimenta serviunt vitiis, 74. Illis ducitur animus puerilis ad prudentiam, 108. Homini peccanti blanditur Dominus, 161.

Blasphemiæ Judæorum contra Christum docentem, 131.

Bona opera figurantur in lucernis ardentibus, 22. Offendunt malos, 32. Celanda, 59. Habent fructus sui laboris, 97. Sunt facienda, 158. Facienda ex debito, 161. In eis habemus adjutorem Deum, 11.

Boni bonos possidet amor, 80. Eis vita paratur, 66. Confusio bonorum et malorum non turbat bonos, sed facit, 47.

Bonitas mater virtutum, 31. Bonitate Dei suscipitur, 81. Malis exosa, 131. Bonitas sine æquitate apud Deum non habetur e converso, 145.

Bonum pauperis in alio sæculo extrahet lacrymas ab his qui hic de suo gavisi sunt malo, 47. Bona creatoris præcedunt, post sequuntur mala diaboli; 96. Quando et quomodo sumatur malum ex bono, 113. Bona pro malis recipere indigne malum est, 123. Bona a Deo accipere, mala recipere credidit fidelis. Obfuerunt diviti bona, 124. Dissipata a gallico, 125. Bona non agnoscuntur, nisi malorum cognitione, 131. Boni creator Deus, 11.

Brevitas amica sermonis, 132. Brevitas humani corporis deformem reddit, 165. Brevitas temporis ad pœnitendum non timenda, quare, 167.

Bysssus extulit divitem ad luxum. 124. *Vid.* Purpura, Epulo.

C

Cadaver sepultum in limo nescit vermium morsus, 121. Vivum quale, 50.

Cadere. Cito cadit humana fragilitas, quæ socios despicit, 170. Elevati validius præcipitantur in ruinam, 13.

Cæcus juxta viam jussione sanatur, 176. Natus vero luto, et quare. Tertius cæcus extra vicum, et alia. Natus tenebris, non lumini. Cæco ante fides quam oculi dantur. Cur interrogatus an videat. Videbat auroram, non lumen. Iterata cura vidit. Iste cæcus fuit Judæus.

Cœlestes ut vestiantur, 82. Cœlestis regio peccatorem non capit, 83. Terreni homines ut cœlestes fiant, 117. Auguste audire cœlestia desideramus, 124. In cœlestibus quis non erubescit mendicare, 125. Cœlestia cupientes irretiri non valent laqueis terrenorum, 129. Ad cœlestem habitationem dirigamus desiderium. Ex verbis Domini cœlestia intelliguntur, 139. Homines cœlestia spernunt, terrena comparant, 144. Cœlestia qui dederit, non amittit, et accipiens sibi singulariter non recondit, 162. Non despicienda, 163. Ea cogitanti non desunt carnalia. Cœlestem apparatum habebit homo. Cœlestia quæramus apprehendere, 125. In cœlestibus stabilis homo, qui erat nutabundus in terra, 57.

Cœlum cœlo ruentes cœnum petunt, 16. Cœlum qui possidet, quid illi cum terra? 25. In eo cur necessarii sacculi. De cœlo cadit, in cœlestibus qui deliquit, 26. Divites cœlum respicientes conculcant terrena, 54. Cœlum sit possessio terrenorum, 71. Cœlum pulsat homo, sed ejus pondera non sustinet, 90. Cœlum aere toto firmatum portat aquas, nec portatur, 101. Quid pulchrius cœlo? Fuse loquendum de eo, quod nos transmittit ad cœlum, 117. Necessitate movetur. Cœlo mutanda terra, 124. Clamat de peccato publico, 125. Suscipere, tenereque divites potest. Stellis fulget luminibus, 130. A cœlo per Adam ejecti ad illud per Christum reducti, 159. In cœlo clara oculis humanis, obscurantur, 160. Ad cœlum pervolat pœnitens 167. Ab eo cum diabolo fugata invidia, 168. Invidia tentatum, 172. Cœlo jungitur, qui a terra separatur, 164. Cœlum caligant terræ nubes, 41. Regnum nostrum in cœlo quale, 144.

Cain fratricida ob invidiam, 4 et 172. Mortis dedicator, 96. Pontifex ingratus. Quid egerit, 109. Stipulam gestans sibi fomentum invenit, per quod exureretur. Ex terrore mortem petiit, 147. Livore Zeli voluit esse solus, 4.

Caiphas cur prophetat ore profano, 49.

Calor. Quando calor restinguatur in febriente, 114. Frigore nutritur incendium. Calor divitis in inferno, 122.

Calumniari. Qui præterita calumniari nititur, præsentia videre non meretur, 96. Verus miles calumniam non ingerit, sed repellit, 137.

Camelus describitur, 167

Cananæa repentina fide habuit quod petebat, 60. De illa, *ibid.*

Canis. Prodit extraneum, turbat furem, et relevat curam servulorum, 60. In hominem commutatur, qui se canem fatetur, et in canes, qui se filios esse nolunt. Canes divitis Lazari carnibus pascebantur, 121 et 124. In canibus pietas vicit famem, 121. Lambendo semper curant vulnera

sua. Canes Lazaro objecti, ne ad divitis puteum haberet aquam, 122. Gentilis dicitur canis, cur, *ibid.* Rabidus pane non vescitur, sed carnibus humanis, 174. Extraneus mordet, 40.

Cantica divina. Cum aliis sumenda in reditu peccatoris, 6. Jungenda quadragesimali jejunio, 10. Bona ex cantu David. Cur dicantur, 14. Ad levandum mœrorem. 46.

Cantilena. Ad laborem sublevandum varie, 10. Mercenaria est, ubi non est planctus, 19. Natalis Domini sanctitatis organo resonanda, 91. Animos defessos relaxat, 115. Mista, sed voce consona, est jucunda, 116. Agricolæ, nautæ, militis cur, 118. Resurrectio cantanda, ut mortis formido cesset.

Cantores sunt lænocinia, 127.

Captivus de suo tyranno triumphans magnum illi dolorem ingerit, 113. Criminum captivo spiritualiter odiosa libertas, 127. Captivum dæmonem trahit homo ad Dei præsentiam, 16.

Caput Christi unguento linitur, quia in capite Christi Deus est, 93. Caput Joannis a saltatrice devoratur, 127. Honor capitis ad membra pertendit, 173. Caput viri est Christus, 174. Serpentis caput homini addictum, 173. Vir in capite Christi, 80.

Carnifex ex se nihil facit, ideo miser, qui illius favorem requirit, 17. Invidia est carnifex suorum, 172. Carnifices hominis vermes, 118. *Vide.* Tortor.

Caro. Quomodo versatur, et versat, 14. Non retardat ab occursu Dei, si sarcinæ componantur, 24. Constringenda continentiæ cingulo. Carnis pugna haud superata a fortibus, 41. Expavit, quando Deus descendit in eam, 68. Quomodo mutetur in Spiritum, 71. Resurget ad præmium laborantis, et pœnam peccatoris, 83. Numquam de sua conscientia est secura, 88. Quis illius negotia peragat, 89. Quomodo nimis de se præsumat, 90. Ejus vitia demergunt in lutum, 94. Caro peccati erit in resurrectione caro sanctitatis, 95. Affectus carni insertus ut mutatus a diabolo, 96. Mutatur Deo volente in spiritum, 102. Non insurgat in spiritum, 110. Homo carni deditus est gloriæ immemor, 114. In carne positi cur expositi dicantur, 115. In resurrectione possidebitur a Spiritu, 117. Parvis eget, 122. Natum de ea caro est, 142. In carne præter carnem vivere, est vita cœlestis, 143. Caro hominis promovetur in gloriam Dei ab incarnatione, 145. Cur sumpsit carnem, qui lutum sumpserat, 148. Caro pretiosior luto. Quod caro sentire non potest, est opus superni spiritus, 155. Laxata per indulgentiam deficit a Deo, 161. Humorum varietate concreta, 163. Non credit expleri per solum manna. In luto carnis versatur homo, 161. Tumescit ex crimine, 167. Ad luxuriam inflammata quomodo ruat, 174. Sibi sufficit ad ruinam, non coarctanda cuneis. In Herode quid egerit. Ejus mollities vestium asperitate calcatur, 13.

Cassianus martyr. Vide notat. in serm., 165.

Castitas insigne militiæ Christianæ, 22. Amplectenda, 24. Sacrificanda Deo, ut libido moriatur, 108. Joan. Baptista castitatis exemplum, 127. Inimica impudicis.

Catechumenus nondum natus per baptisma vocat patrem, 69, 70 et 71. Vocat patrem antequam videat matrem, 72. In utero adoptatus in filium, ut liber nascatur, 72. Ante regnat, quam vivat. In utero fatetur se superni germinis esse. Ad baptismum a Nero adducendus, 10. *Vid.* Ecclesia, serm. in Symbol. et Dominicam orationem.

Catenæ horreorum divitis quid egerint, 104.

Cathedra. Quomodo philosophus, Pharisæus, hæreticus ponant cathedram pestilentiæ, 44. Cathedra doctrinæ cœlestis fuit lapis sepulcri Christi, 75.

Causa. Suam facit causam, qui pro altero vult cavere, 151. Causæ rerum ut possint investigari, 101. Facile deviat a justitia, qui in causis non Deum, sed homines pertimescit, 127.

Cellaria. Vilia despicienda, ut manducemus omnia, quomodo, 163.

Centesimus numerus quid, 168. Centesimus fructus debetur Deo, 126. Ad centesimum fructum, qui pervenire avet, centurionem imitetur, 25. Hic desideratur ab auditoribus divini verbi, 136.

Centurio. De illo *vide* 15 et 102, *per tot.*

Certamen. Proponitur magnitudo præmii juxta certaminis magnitudinem, 22. Gravissima certamina subituro prius coronæ pronuntiantur, 44. Certare volens a quibus abstineat, 119. Hic certandum pro corona cœlesti, 144. *Vid.* Agon., Bellum, Luctari, Miles, Præmium.

Chaldæi siderum scrutatores, 156. Astrologi unum Deum sine Deo non adorant, 10. Tot diis serviunt in cœlo, quot sideribus, *ibid. Vid.* Magus, Astrologia.

Charitas nos Deo jungit, 4. Sine Deo est, qui charitatem non habet, 53. Servetur, 6. Dolum non habet, 55. Dei erga hominem, 69, *per tot.* Charitate portamur, 81. Per illam debitum Deo compensatur, 94. De præteritis subvenit; custos sanctitatis, 14. Divinæ nil simile redhibet homo, 110. Christi charitatem non habet, qui ei non credit, 119. Donum Dei, 135. Mixta sit libertati in correptione fratrum, 139. Erga Deum quid egerit, 147. Significata in auro, 159. Si est charitas non perit, 162. Est hæreditas major, meliorque, 3. Crescit morte, 164. Violatur ab invidia, 172. Muneribus probatur, 10.

Chirographum. Necessarium usque ad debiti restitutionem, 62. Paterni debiti Adæ quale ante Christum, 123. Illud aperuit, delevit Christus. Chirographa dominicorum debitorum saltem media solvenda, 125. Moderanda pio assensu, 126. Cur villicus laudatur de chirographis domini sui evacuatis, 126. Olei chirographum ad gentes pervenit.

Chorus quid sit. *Lege* 4. *Vid.* Symphonia.

Chrisma. *Vid.* Oleum, Unguentum.

Christianus. Principatus militiæ Christianæ est jejunium, 8. Supplex reditus Christiani ostenditur in figura filii prodigi, 1. Quos arietum filios ad Christum ducat, 10. Non timeat dæmones, 17. Eorum tranquillitas, 20. Gloriosus vocatur, 22. Dicuntur utres novi, 31. Participes gloriæ sub jugo pietatis, 35. Eorum puericia animatur levioribus mandatis, 38. Virtutibus superet vitia, 5. Eorum primordia cur instituantur injuriis, 38. Oratione, jejunio, ac misericordia munitus non timet, 43. Discat ab exemplo Hebræorum, 46. Navigatione perducitur ad patriam, 50. Non moretur in viis Judaicæ perfidiæ. Sua transmittat ad cœlum, 54. Doctrina Christiana. *Vid.* Doctrina. Christianus sanctificet nomen Christi actu suo, 69. Quando gentilis deroget nomini Christiano, Est designatus, non promotus ad divinum germen, 71. Exspectet Dei hæreditatem. Scit creaturas addictas suæ servituti, 89. Manducat de Christo, 93. Vocat et perducit ad Christum, 102. Gentem Hebræam diligit, cum Christum ex ipsa fuisse fatetur. Verbo tantum, non corporali præsentia sensit Domini virtutes. Crudeles Christiani in pauperes et captivos, 103. Christiani fiunt per manus impositionem, 105. Pontifex, et hostia ordinatus a Paulo, 108. Quomodo ambulet in novitate vitæ, 113. Quomodo portet sui auctoris imaginem, 117. Ut resurgat. Ne mortem timeat, resurrectionem meditetur, 118. Accipit coronam gloriæ, 119. Non polluatur gentilium spectaculis, 155. Abstrahat errantes a peccatis, 155. Diabolo renuntiat, 158. Ut per aliam viam redeat ad cœlum, 159. Certus de vita, regno, immortalitate, non sit anxius de vestitu, 163, *et per tot serm.* Fidelis simpliciter et doctus de fide differunt, 166. Judæis duriores Christiani, qui mundum sequuntur, et nollent venire judicium, 167. Lucernam matris Ecclesiæ sequatur, 169. Pœnitudo Christiani populi claruit in uno peccatore pœnitentiam agente. Se filium Dei credens, generi respondeat, 10. Ex quo dicamur Christiani, 60. Moritur legi, ut vivat gratiæ, 115. Insigne militiæ Christianæ est balteum castitatis, 22. Ut Christianorum membra debeant operari, 120. Ut Christianorum primitivæ Ecclesiæ fuerit nativitas dedicata, 175.

Chrysologus. Suo tempore fuit magna tempestas in Ecclesia Dei, et quæ, 20 et 21. Ei prædicanti vox defuit, 35. In fin. sermonis brevitate utebatur, 36. Diluculo cum fratribus stabat ante Dominum, 39. Scientiam Scripturarum a Deo petebat. Ut se excuset cum S. Adelpho episcopo, 39 et 136. Quid pro salute infidelium faceret, 40. Suo tempore fuit pestilentia et fames, 45. Suo tempore piscabantur gentes toto orbe pro Christo, 47. Auditores illius se comprimebant, 51. Parvulos in fide Symbolum docebat, 56. Senes ad fidem adducebat, 61. Baptizabat gentes etiam ante absolutum catechismum, 58. Gentes vocabat ad fidem, 59. Ut silerent auditores Symboli, 59. Vetat mysteria fidei dari libris, sed memoriæ tradi jubet, habetur in serm. de Symb. 56, ad 62. Docendo parvulos totus redigebatur in parvulum, 62. Docebat catechumenos orationem Dominicam, 71. Labore vigiliarum et lassitudine jejunii siluit a prædicatione, 74. Peregrinatus a suis rediens conciones resumit, 75. Fatigatur ex itinere. Ex compassione non valuit passionem Domini explicare, 77. Scripturas Deo revelante exponit, 82. Rationes illius cur siluerit in prædicatione, 86. Lacrymatur populus in dicto silentio. Auditores suos passim vocat fratres, 88 et alibi. Unguentum Domini esse cupit, 93. Sacramenta Evangelii Deo auctore exponit, 94. Revelante Spiritu sancto, 95, 97 et 109. Scripturam non exponit ob fastidium auditorum, 101. Dolet non dari pecunias altari pro redemptione captivorum, et pro pauperibus, 103. Ejus concio ad horæ spatium producebatur, et ultra, 112. In eo erat Christus, 116. Quem dicat compendiosum sermonem, 120. Differebat ad audientiam alteram, quod uno sermone explicare non poterat, 122. Sobrie Evangelium exponebat, 125. Deum orabat, ut scientiam infunderet mentibus auditorum, 126. Concussa illius viscera ex Herodis impietate, 127. Prædicat, dum Ravennæ consecratur archiepiscopus, 130. In eo sermone agit de officio episcopi. Laudat imperatricem: rogat sacerdotes

orare pro principibus ad fin. Fratres sanctos appellat auditores. 141. Vitam, salutem, gloriam suam auditores appellat, 147. Arguit gentilium corruptelam, 155. Prædicat ante sacrum, 160. Brevi sermone res amplas concludit. Sermone latino prædicat : colligitur ex 159. Consecrat D. Projectum in episcopatum Fori-Cornelii, 165. *per tot.* Sacris initiatus a S. Cornelio. Consecrat Marcellinum in Vicohaventiæ episcopum, 175, per tot. Corripit jejunium varium, et intemperatum, 166. Prædicat ante diem primum Quadragesimæ. Quid ovibus suis circa suam prædicationem suadeat, 173. Prædicat e gradu, et a sede sacerdotali. Non nisi per Deum se aptum agnoscebat ad intelligentiam Scripturarum, 5. Hortatur catechumenos ad baptismum cito suscipiendum, 5, et serm. 59. *Vid.* Petrus episcopus.

Cibus. Cruditas ciborum quos generet morbos, et illorum resecatio, 41. Cibi parantur relaxandis mentibus post laborem, 93. Ut sumendus a convivantibus, 127. Dominus edit multiplices cibos, servus autem semicoctam cœnulam, 161. Homo non credit sibi satis esse unicum cibum, 163, Salutaris cibus est febrientibus amarus, 164. Cibus animæ temperandus, 166. Noster cibus ut in crapulam deducatur a diabolo, 12. Agresti cibo frenatur Luxuria, 13. Cibus datus mortuis, 17.

Cilicia. Fiunt ex pilis caprarum, 167. Detergunt immunditiam corporis.

Cingulum, indicium servitutis, 24. Castitatis sumendum. Eo constringenda caro.

Cinis terram saginat, 164.

Circumspicere. Christum circumspicere quid sit, 32.

Civitas, Civis. Splendor civitatis principem ad habitandum invitat, 171. Civis civem a peccato abstrahere debet, 155. Civis solvit censum, miles stipendium percipit, 166. Civium invidia, 48. Civitas perfidiæ descripta, 95.

Clamor ad Dominum habendus, ubi nostra, vel fratrum pericula videmus, 20. Clamor cessat ubi non est auditor, 167.

Clavis regalis aulæ ut primam aperit januam, cæteras quoque mansiones penetrales reddit, 44. Quare Pharisæus acceperat claves scientiæ, 172.

Cœna divitis descripta, 161. Domini cœnam præpararunt apostolis super mensas Ecclesiæ. Cœna Petri quomodo instructa, 163. Herodiana. *Vid.* Herodes.

Cogitatio. Peccata cogitationis non vitantur, 30. Cogitationes humanæ mysteria Dei non penetrant, sine Deo, 81. Extra se nemo potest cogitare, 104. Vana hominis cogitatio. Divitis dissipata. Ante responsionem est maturi judicii, 140. Quæ debeat homo cogitare, ut utile Deo, inutile sibi tribuat, 161. Deus humanas cogitationes exponit, 163. Per cogitationem non pervenit homo ad quod per fidem pervenit. Malæ cogitationes de homine contra hominem exeunt, 171. Ut nomine Domini ac cruets signo vincantur. Cogitationum familia confusa versatur in tecto conscientiæ, 15.

Cognitio malorum præstat cognitionem bonorum, 131.

Columba. Alæ columbæ sumendæ ad aereas potestates vitandas, 98. Columba Noe nuntiat discessisse diluvium, et columba Spiritus sancti mundi cessasse naufragium, 160. Ad columbam innumeræ aves sordidæ, 171.

Columna ignea ad expellendas ignorantiæ tenebras, 170. Nubis columna ad temperandos animorum æstus.

Communio cum fratre in præsenti, erit etiam in futuro, 4. Communio compellanda sermone communi, 45. Communionem Dei sacrilegus spernit, 30. *Vid.* Unio.

Compassio. Erga proximos nulla, 20. Causat dolorem. Compassio Christi patientis quid in auctore nostro causaverit, 77. Christi erga prodigum redeuntem, 3.

Compensatio possibilium et usitatorum pro maximis si non fiat, nulla est excusatio, 114.

Concessa. Perdit, qui captat inconcessa, 152.

Concionator. Cessat a concione ob nimium æstum exemplo auctoris, 51. Benigne audiatur, 76. Sine Christo non habet quod auditoribus reddat, 77. Fastidio auditorum Scripturam, ut tenetur, non exponit, 101. Prædicet ad fructum, 136. Tacet dicenda, ne contumaces fiant contemptores, 137. Dicit ut facturus faciat, et ipse non offendat. Jubeat auditores orare pro verbo Dei suscipiendo, 144. Silet, stupidus magnitudine mysterii, 146. Dicendo breviter laborem relevat, 96. Deo sibi gratiam dicendi, auditoribus desiderium audiendi postulet. Quomodo sit piscator et auceps, 107. Servit interdum festinationi, et tempori, 112 Libentius auditor, cum doctrinam vario modo declarat, 116. Ante cœlos conscendat, quam alios conscendere doceat, 120. Ut audiatur cum fructu, 136. Se excusat, 138. Ex tempore prædicet, 139. Faciat quæ docet, 167. Sit et ipse in habitu pœnitentis. Quid populo suadeat circa prædicationem audiendam, 173. Facta Dei tantum liberaliter non exponat, 95. Ut auditores in prædicatione percutiat exemplo Christi, 104. *Vid.* Sermo, Doctor Magister,

Concordia est, dum per unius Domini ordinem familia diversa voluntate sit una, 68. Concordia orantium omnia impetrat, 132. *Vid.* Unio. Depicta concordia in tabulis regum, vel fratrum, ad quid, 149. Dæmon illam scindere quærit. Concordia cœli, et terræ nexa quæ, 148.

Concupiscentia. Ad illam perducit formæ decus, 116. Concupiscentiis famulari, est vivere peccato, 113. *Vid.* Fragilitas. Nati de concupiscentia, *vid.* Natus.

Condemnatio. Ab adventu Christi condemnationis humanæ sententia cessavit, 90. Illa manente condemnatus non justificatur, 110. Per Christum soluta mortis condemnatio. Æterna condemnatio est ira Dei, 137.

Confessio fidei, et peccatorum. Nos per januam fidei introducit, 6. Spreta mortem meretur, 29. Cur et quomodo confitendum, 29 et 30, a confusione et pudore prohibetur, 34. Peccatorum confessio ut ad Christi pedes facienda, 94. Ut peccatum remittatur sine confessione, 34. Quomodo confessio Deum præveniat, 46. E specula confessionis veniæ largitor videtur, 54. Est ingressus vitæ salutaris, 56. Fit ore. Sit inflammata, 57. Quæ salutem dat, unde sit, 60. Fidei confessio fit ore ad salutem, 61. Ad quid valeat, 71. Fructibus confessionum odore agri, 73. In exitu vitæ convertendum ad confessionis advocationem, 125. Confessio significata in myrrha, 159. *Vid.* Peccator.

Confessor sanctus quotidie moritur pro Domino, cum vincit hostes, 128. In eo perfectior virtus quam in martyre. Optat Christum ad suam palmam venire, 158. *Vid.* Sancti. Justi.

Conflictus divitis et pauperis in terra spectatur in cœlo, 124.

Confusio inhæret vitiis, 31. Bonorum et malorum in hoc sæculo non turbat bonos, 47. Mixtura bonorum et malorum pensabitur separatione. Confusio futuri judicii timenda, 125. Criminum. *Vid.* Crimen.

Congregatio, seu cœtus. Et concilia sanctorum omnia impetrant, 132. In oratione negligens sanctorum cœtum dissipat corpus Christi Ex unitate membrorum salus, ex separatione pernicies. In congregatione bona, in separatione mala. *Vid.* Concordia, Unio, Charitas.

Conjuges. Sit unus spiritus in eis, et una virtus, 91. A Deo junguntur et quomodo, 99. Mors conjux diaboli, 158.

Conjugium. Singulare est, quando in duobus una mens est, 89. Non requiritur ab eo qui hic vult certare, 119. Cur permissum sacerdotibus in veteri lege, 92. Connubio peccatorum tota mundi figura dissoluta, 120. *Vid.* Matrimonium.

Conscientia expulit hominem a Dei conspectu, 6. Mala impellit ad ruinam, 75. Caro haud secura de sua conscientia, 88. Ex arbore scientiæ frigida, ex arbore sinapis calida fit, 99. Humanis conscientiis aptantur illecebræ temporales, 114. Calor conscientiæ epulonis in tormentis, 122. In inferno anhelat flamma sui criminis. Per Evangelium Christus conscientiam pandit, 125. Reus in judicio de conscientia plus erubescet quam de incendio gehennæ. Quando conventa a villico, 126. Ex bona conscientia nullum est supplicium damnati, 135. Dolosa nil palam audet, 158. Diluitur Christi baptismate, 171. Timor et tremor conscientiæ, 36.

Consensus factis semper est æquale, et quomodo, 155.

Consilium. Ex consiliis proditur diabolus, 13. Scandalosum Balaam, 27. Consilium impietatis quid fecerit, 44. *Vid.* Impius. Consilio impietatis recepto nil pietatis remanet, 104. Quis secum consulat: Cui deest humanum consilium, mox subvenit divinum, 175.

Consolator. Non deest ei, cui imminet persecutor, 86. Malus consolator diabolus, 13.

Consuetudo deficit, cum miracula geruntur, 153.

Consummatio sæculi ut futura sit, 47.

Contagio gentilis quando sæculi contagionem vitaverit, 23. Dicitur peccatum carnale, 59. Oves rabidæ contagione luporum laniarunt pastorem Christum, 100.

Contemptus Dei facit nobis tempora mala, 43. Contemptus provehit ad patientiam, 124. Contemptores legis, ut contumaces fiant, 137.

Contentio mater dissensionum, 110. Furiosa contentio elongaverat a nobis vitam. Ne sit in hæreditate contentio, tollatur avaritia, 162.

Contentus quisque debet esse doni sibi a Deo dati, 120.

Contritio ut procuranda, 125. Ad eam convertatur homo, dum ad rationem vocatur. Ut gradatim acquiratur, 167.

Controversia inter quos geratur, 122.

Contumax et rebellis fit peccator, dum contra legem prævaricatur, 116. Ex contemptore fit contumax, 137. Pietas est, de lege non instruere contumacem.

Conversio peccatoris in Matthæo publicano. Lege, 28 et 30. Homo peccat, et Deus convertitur, 45. Conversio sensuum, adversa depellit, 46. Hodie fiat conversio. Conver-

sio subita ad fidem, 60 et 61. Peccatoris conversio aliquando debetur sacro magistro, 107. Conversio peccatoris a Christo rogata, 108. Conversio a peccatis Christus veniam promittit, 125. Dominus judicium moratur, ut peccator convertatur, 167. *Vid.* Pœnitentia, Timor.

Convictus penes Deum ut accusatus convenitur ad veniam habendam, 125.

Convivium peccatorum cur Jesus adiret, 29 et 30. Convivia sunt noxia animæ, 41. Secretum convivii non præsumit intrare non invitatus, 93. Convivium pœnitentiæ Magdalenæ mirabile. Semper vivit, qui Christo convivit, 95. In Christi convivio datur quid quid continetur in creatura. Qualiter faciendum convivium, 127. Natales sanctorum non celebrantur in profusioribus conviviis, 129. Describitur divitis convivium, 161. Convivio quærimus superare pondus operis et laboris, 170. Omnia polluta in convivio Pharisæorum, 171. Convivia longa quid mali parturiant, 174. In domo Petri Christus non quærebat convivium, 18. Convivium Herodis. *Vid.* Herodes, Cibus, Ebrietas, Eucharistia.

Coquinæ squalores perquirens, cum regium habeat apparatum, totus est animi servilis, 163.

Cor ex ventre onerato deponitur ad vitia, 2. Corde intramus ad Deum, 6. Cor penetratur a solo Deo, 50. Inter cor et linguam est salutis negotium, 56. Satiatur igne cœlesti, 57. Cor arca, et bibliotheca fidei, 58. Tollendum cor lapideum perfidiæ, 65. Cor est cœlum, in quo regnat Christus, 75. Nec corde peccare, maximum est, 89. Dei est patefacere cordis arcanum, 94. Corde loquimur ad Deum, 97. Corde, non corpore, jungimur Deo, 102. Quomodo tumultuationibus dissolvantur corda, 116. Ut sulcata et sata germinent corda, 119. Ut Deus tentaverit aperire cor divitis, 121. Cor simulatur a peccatore, ut pœnitentiam a se extorqueat, 125. Corda illuminanda a Deo, 126. Franguntur lacrymis parvulorum, 128. Corda, non verba judicat Deus, 142. Corda hominum innumera crimina patiuntur, 171. Qua aqua corda mundentur. Ut peccata cordis vincantur. Deus invitatur ad habitandum in corde mundato. Deus de cordibus facta metitur, 9. Quid habitet in corde, 15. Aula cordis non est sine vitiorum strepitu. Cordibus per fidem sociatis non officit absentia corporis, 32. *Vid.* Animus, Mens, Sensus.

Cornelius centurio habuit Spiritum sanctum ante baptisma, 60. Corneliensis Ecclesia a Chrysologo specialiter dilecta, 165. Cornelius episcopus Fori Cornelii Pater spiritualis Chrysologi. *Vid.* notat. in eo.

Corona. Subituro gravissima certamina pronuntiantur coronæ, 44. Eremitis coronæ debentur, et certantibus in mundo, 107. Ad coronam gloriæ hortati ab Apostolo, 119. Multi currunt, sed catholicus accipit coronam. Pro corona ut currendum, *ad fin.* Tot coronas accipimus quot vitia superamus. Vincenti reservata corona, 128. Militantibus in terra dantur coronæ cœlestes, 144. *Vid.* Miles, Triumphus.

Corpus nostrum est mystica navis, 8. Mortificatur cum anima recedit ab eo. In quid reducatur a dæmone per crapulam et ebrietatem, 12. Quid sit. Est lectus doloris nostri, 14. Mortuum sine anima, 19. Humana corpora vinum novum accipiunt, 31. Corporis præsentia nil prodest dum mens abest, 52. Corpus breve nemini doleat, 54. Lavandum, ut Domino appropinquemus, 59. Corporis resolutio ad melius promovet, 101. Corporum occisores non timendi, quare. Corpus est servus, pretiosius, 102. Infirmatur ad mortem. Est tecum, *vid.* Tecum. Quando corpus sine corpore Deo offeratur, 108. Est hostia, si sit sine peccato. Vivit, quando. Corpus e terra regitur ab anima, 109. Corpus capiunt peccata, et alia. Corpus comitetur animam ad cœlum. Corpus febrientis describitur, 111. Corporales licentiæ a luxurioso contemnendæ, 113. Corpus peccati. *Vid.* Peccatum. Quibus magis torqueatur corpus in febre, 114. Corpus Christi liberavit nos a crimine, 115. Corpus et angustia animi, 116. A corrupto corpore scelera scatent, 120. Corpus mysticum reformatum a Deo, ut esse debeat. Corpus nostrum ad quid ornetur virtutibus. Pauperis corpus cur plenum vulneribus, 121. Pecunia dominatur corporibus, 126. Corporis divisa conjunctio, et conjuncta divisio quid nos doceat, 132. In uno corpore Deus homoque miscetur, quomodo, 142. Frena corpori non laxanda, 161. Corpus diversis constat membris, 163. Corpus pulchrum si sit procerum, ad quod fide pervenitur, non cogitatione, 165. Ejus incremento nil majus. In limo corporis versatur homo, 161. Corporum curationes a Deo fiunt, cur et quomodo, 176. *Vid.* Membra, Christus homo.

Correctio secreta dum non prodest, succedit publica confusio, 127. Correctio criminosi parit odium. Joannes corrigit a simili, 137. Fraterna est, increpare ut judex, remittere ut frater, 139. In ea charitas sit libertati mixta. Et quomodo facienda. Qui nil de correctione cogitat, de venia nil sperat, 158. A Deo correptus mox solatur, 163. Quomodo corripiatur servus Dei ab ipso Deo in Pharisæos intonante, 171.

Corruptio deperit in resurrectione, non caro, 117. Corruptio germana mortis quid homini suadeat, 118. Est rerum semper noverca, 146. Fragilitatis humanæ corruptio ex sanie vitiorum, 167. Corruptum corpus. *Vid.* Corpus.

Corvus avis describitur, 163.

Crapula et ebrietas quæ mala faciant, 1. Cibus noster a dæmone in crapulam deducitur, 12. Diabolus dominatur crapulæ, 13. Ut vicit fortes, 41. Avarus indigeriem crapulæ ructat ad cœlum, 121. Mens oppressa crapulis male judicat, 173. *Vid.* Ebrietas, Cibus.

Creata. Omnia creata a Deo sunt bona valde, 89. Bona a principio, mala facta a diabolo, 96. Solo jussu facta, iterum sola jussione solvenda, 101. Creata perire dolor est. Quid creatis pulchrius? Eorum descriptio, 103. Per se non sunt mala, sed per ea datur occasio delinquendi, 116. Res creatæ, fuerunt tamquam Deus ab homine adoratæ.

Creatio ex nihilo, 48. Creatio et recreatio ex una eademque potestate, 80. Creatio et nostra recreatio a Trinitate tota, 157.

Creator. Cognoscitur per contemplationem creaturæ, 89. Creator omnium Christus fidelibus in salutem, infidelibus est in ruinam. Non constringitur legibus naturæ, 90. A principio fecit omnia valde bona, 96. Creatori non perit creatura, sed vetustas perit tempori, 101. Creatori simus devoti, ut nobis sit creatura devota, 103. Creator ab humana ratione non capitur, 151.

Creatura. Nescit an potissimum miretur, quod Deus homo, vel quod homo Deus sit, 72. Tempore passionis Christi tota ei compatitur, 77. Fugit injuriam Creatoris, et quomodo, 78. Non obsistit, sed deservit Creatori, 84. Stat inter vitia et virtutes, 89. Tentata arte dæmonis, 96. Homihis creatura juncta Deo in uno corpore, 140. Tota non capit Deum, 140 et 142. In ortu Christi non est deleta creatura, 144. Terror creaturæ, quæ Deum videre non poterat, 147. Mala ob id. Tota concurrit ad prandium Creatoris, 163. Omnes creaturæ pavent ad Dei conspectum, 6. *Vid.* Creator.

Credere. Corde creditur ad justitiam, 56. Totum habet homo, qui credit, Deum auctorem, 56. Credenda divina mysteria, 59. Quomodo credimus in Deum. Fides unde, 60. Quod credendum est, cordi, non chartæ mandandum, 61. Quod corde credimus, ore fateamur. Credenda remissio peccatorum, et carnis resurrectio quare, 61. Interrogatio quomodo non convenit credenti, 62. Credendo nobis veniam damus, desperando labimur in peccata. Nolunt referri visa, qui volunt audita non credi, 66. Credens se filium Dei generi respondeat, 68. Quid valeat credere ostenditur, 71. Dementia hominis nolle credere quod sibi desiderat evenire, 74. Alte dubitat, qui altius credit. Nec decipitur, qui difficile credit, 79. Cito credere, est cito cadere. Mundus credidit non viso Christo, 83. Cautelæ est tarde humilia de Deo credere, 90. Zacharias in se habuit regulam credendi, 90. In pace multi credunt in Christo; at in persecutione pauci martyres, 97. Jesus se Deum obscure manifestat ad credulitatem nostram, 102. Priores futura, posteri præterita credunt, et quomodo, 110. Sine causa credit, qui se natum ut periret credit, 118. Resurrectio credenda monstratur exemplis. *Vid.* Resurrectio. Christo fideliter credendum, 119. Credere non meretur revertenti ab inferis, qui Christo non credidit, 123. Credulitas sentit Deum, 131. Magi principes credulitatis gentium, 159. Quæ Christianus credere habeat, et quomodo, *late*, 83. Christo noluerunt credere Judæi, 123. Et ne ab aliis ei credatur tentant, 131. Eleemosynarius credit æternam in alio sæculo vitam, 54.

Creditor quando sit debitor, et e converso, 88. Cœlestis totum debitum charitate compensat, 96. Cœlestis præsens ubique et semper est, 126. Nec fraude prævenitur.

Creditum. Quanto majus est; tanto majus debitum, 26. Differre est inverecundi debitoris, mox solvere honesti, 123. Credita Dei dissipans, quid, 125. Creditum innocentiæ servans, usuram pœnæ non solvit, 167. Divinum creditum humana cautione non eget, 62.

Crimen. Crimina filii sustinet pater, qui nuditatem non sustinet, 3. Amatores criminum virtutes accusant, 32. Crimen conscientiam vitiat, 62. Beati quos crimen non tangit, 91. Criminum suffragia ex mala divini verbi interpretatione, 113. Criminibus succumbere, est vivere peccato. Exempti ab omni crimine per corpus Christi, 115. Increscunt crimina, dum succiduntur, 116. Crimen per peccatum dominatur. Origo criminum est furor, 117. Criminum confusio quid agat mali, 120. Crimen, non persona perit in resurrectione, 117. Criminum magnitudo perdit virtutum magnitudinem, 127. Aves criminum hasta crucis pellendæ, 171. Testes criminis Herodis qui, 174. Quod est criminis,

non putetur esse naturæ, 11. Criminis magnitudo ex loco, persona et officio probatur, 54.

Cruciatus non est parvus, quando, 132. *Vid.* Afflictio.

Crudelitas furit, quando se dilatam videt, 152. Semper possidetur a phrenesi, 173. Cur Marti se adjiciat crudelis, 155. Crudelibus misericordia non ferenda, 127. Crudelis in pauperem fit sævior in se, 123.

Crux portanda post Deum, non ante, 54. Est lignum vitale. Per crucem majora reddita quam amiserimus per arborem paradisi, 60. Ardenter accepta ab Andrea et Petro, 133. Eam nobis volebat auferre diabolus, 130. Crucis hasta pellendæ sunt aves criminum, 171. In arbore crucis vela mentis tendenda, 8.

Culpa et ultio omnia auferebant, 42. Ex culpa quid acciderit naturæ, 87. Ex culpa perdimus fiduciam vultus, 93. Culpa unius defluxit ad omnium pœnam, 111. In resurrectione culpa perit, non homo, 117. Culpa damnata in ortu Christi, 144.

Cultus divinus ratione præstandus, 109.

Cunabula materna suscipiunt hominem vagientem, 133.

Cunei. Sunt agmina vitiorum, 43. Haud necessarii ad carnem arctandam, 174. Cunei hostium, 152.

Cupiditas. Præceps ad censum quid faciat, 1. Acquiritur de quæstu, de habendo, 7. Est mors, vel nox, 8. Ei jejunat, qui pauperi non jejunat. Satisfacit avarorum cupiditati Christus, quomodo, 25. Opprimit cupiditas, 29 et 30. Manum aridam facit, 32. Quis incendia cupiditatum non læsus a fumo transire potest? 89. Cupiditas divitiarum, 104, *per tot.* Humana illudit mentem, 117. Quomodo fiat humana mendicitas, ut inhumana cupiditas prodatur, 121. Præceps et incauta quid faciat, 162. *Vid.* Avaritia, Divitiæ.

Cura terrenorum despicienda, 163. Nulla cura est dura, cui vita est chara, 167.

Curatio mulieris incurvæ quæ, 105, *per tot.* Curæ inimicus, qui curam, nec sanari desiderat, 113. Sanatus, si non permanet in cura, peccat : item si relinquat ignem, ferrum, medicamenta, 114. Non curat, qui infirmantis exspectat arbitrium. Peccatum facit curam esse languiorem, 116.

Curiosi stellarum et orbis, sed propriæ salutis ignavi, a Domino arguuntur, 164. Nimia curiositas improbata, et damnosa. *Vid.* Astrologus.

Currere qui scit melius, coronam accipit, 119. Ut hic currant Judæi, philosophi, hæretici, et Christiani pro corona gloriæ. Currere debemus fideli cursu pro corona quomodo.

Cyprianus martyr de diabolo triumphans virtutum nobis reliquit exemplum, 129. In die mortis illius adstabat turba malorum, in festivitate multitudo fidelium lætatur.

D

Damnatus. Damnati novissimo judicio inhabiles sunt ad cœlestia, 122. Damnatus cur filius vocetur ab Abraham, 123. Nil habent cum misericordia, 124. Sunt in ira Dei, 137. De felicitate beatorum magis torquentur quam de gehenna, 66. *Vid.* Infernus.

Daniel vidit Deum Patrem judicare, et Christum, quomodo, 131.

Dapes variæ ex hominum sententia debent enutrire corpus, 163. *Vid.* Epulæ.

Dare Deo debemus quod vult, ut quod volumus recipiamus ab eo, 41. Qui non dat, non queratur, si non accipit, 103. Da Deo quod potes, et eris acceptus, 110. Nostra dare debemus in eleemosynam, alienaque celeriter reddere, 123.

David propheta agit medicum peccatorum in primo psalmo, 44. Ut oret pro venturo Messia, 45. Et pro se, licet sanctus. Psalmi dicuntur Davidica cithara, 115. Prophetica melodia, 116. David, persequente Saul, recipit vicinia, 150. Davidica cithara personanda in reditu peccatoris, 6. Quid egerit David fistula et cantu, 10. Pater Joseph vigesima octava generatione, 145.

Dæmoniacus ut curetur a Christo, 51. Cur debeat afferri ad Christum. In eo patiebatur dæmon. Cur Christus requirat in eo tempus passionis. Quomodo patiatur, 17. *Vid.* Obsessi.

Dæmon. *Vid.* Diabolus.

Debita Deo reddenda, vel orandum, ut dimittantur, etiam non intellecta, 123. Debita remissa a Christo in passione. Priora pro nobis Christus solvit, 125 Debita solvere vix sufficienti non sunt augenda indebita, 137. Petere plus debito, est exigere fraudem, non tributum.

Debitor non solvens pacta callidus est, 5. Verecundia utitur, dum ejus credita diffamantur, 9. Verecundus mox promissa solvit, 36. Semper debere anxium est, 88. Ubi creditor est debitor, et e contra, ibi contractus est amoris. Debitoribus ditatio crescit ad gratiam creditoris, 89. Ejus promissio exspectanda. Debitum Deo charitate compensatur, 94. Quantum debeat homo Deo-Debitoris inverecundi est, aut differre credita, aut promissa denegare, 123. Honesti vero mox utraque solvere. Homo se accuset debitorem Deo. Si debitoris auferatur pudor, violatur innocentia, 126. Humanum est, quod debitor quærat compendia fraudulenta. Debitor noster, et debiti exsecutor est Deus, quomodo, 25. Debitorum modos solvere, lucrosum, 126.

Decalogus. Ejus præcepta si non observentur, quid mali eveniat, 169. In eo latebat Christus.

Defensor legis fit ejus inimicus, quomodo, 96. Defensor debet esse miles, non concussor, 137. *Vid.* Miles.

Deformitas invitati est injuria invitantis, 23. Deformitas hominis ex brevitate corporis, 163.

Deicidæ fuere Judæi, quomodo, 172, *cum notat.*

Delicta. Qui delicta discutit, prodit, 3. Ea non videt vis amoris, 21. Compensantur dolore, 30. In delictis habetur homo voluntarius, 35. In judicio de delictis misericordes non judicabuntur, 42. Dulcia lenocinantur delictis. 74. Qui in delictis perambulat, in verticem habet diabolum, 105. Nostra delicta morte Christi deleta, 110. Prævenienda delicta, ut conculcentur, 116. Quomodo decipiant nos. Non poterant ante superari, quam peccatum per Christum exstingueretur. Delicta habent lethalia blandimenta, 117. Delicta finientur in resurrectione carnis, 117. Delictorum morbis ablata est imago conditoris, 120. Delicta remissa a Christo patiente, 125. Proximo dimittenda, 139. Utile est ante delicta sibi veniam providere, 2. Quomodo effuganda de cordibus nostris, 171. *Vid.* Peccatum, Vitium, Crimen, Debitum.

Descendere jubetur Zachæus, ut ascendat, 54.

Deserta. Disciplinarum, non hominum, non locorum erant, ad quæ Joannes prædicabat, 167.

Desiderium. Christianorum dirigendum ad cœlestem habitationem, 129. Malum est propriis desideriis mancipari, 132. Est filius amoris, 147. *Vid.* Amor.

Desperare. Qui desperat, ad omnia peccata dilabitur, 62. Desperato potest Deus reddere quod promittit, 90. Ad eorum curam ibat Christus, 16. Deus desperatis dat salutem, 65.

Desperatio inter omnia mala pejor in adversis venit semper extrema, 83. Exprobrata apostolis. Procul sit a peccatore, 94. Desperatio serva mortis quid persuadeat homini, 118. Prosternit hominem, 71.

Destructio. Ab ea semper incipit diabolus, 104. Destructio corporis peccati qualiter fiat, 113.

Devotio cauta remuneratur, servitus præsumptrix punitur, 109. Penes Deum sit magis cauta quam penes homines. Perfecta devotio hoc debet imagini quod regi, 147.

Devotus animus infulis beneficiorum crescit ad obsequium, non ad superbiam, 142.

Deus dicitur homo 5. Ejus nomen et misericordia, 6. Vita animæ, 19. Exsecutor et debitor, 25. Soli, et medico æquiparatus, 55. Jussu omnia facere potest, 34. Est ubique præsens semper totus, 54. Mors apud illum est somnus. Deus, qui ubique est, quo se ipsum fugiat non est, 37. Magnus Dominus vel in corpore nostro, 46. Ex nihilo cuncta perficit. Curat jussu, 49. Cruciat dæmones, 52. Ejus providentia, 18. Ut iram habere dicatur, 43. Nostrorum non indiget, 22. Quomodo ministrat gloriam beatis. 24. Ad ejus conspectum omnia pavent, 6. Post jejunium non quærit panem, 12. Est Dominus sanitatis, 15. Quomodo dicatur uti passionibus, 32. Non inquinatur sensibus, vel humanis cogitationibus, 33. Vulnera peccatorum, non corporum, Dei conspectum offendunt, 33. Audit tacentes, videt absconditos. Non minoratur in homine. Non potest sordidari ad tactum creaturæ suæ, 36. Ubi Deus, nullum est peccatum, 44. Non manducat neque esurit, 11. Dei bonitas, 23. Videt cor hominis, 50. Creator boni, 11. Dat posse quod jubet; et facit quæ præcipit. Hominem manu, cætera verbo creavit, 33. Dat et tollit temporalia, 46. Deus solus, sed non solitarius, 57. Deus Pater habet Filium, et quomodo. Multos filios habet per gratiam, unum tantum per naturam. Filius Dei coæternus Patri, 58. Filius est germen permanens in æternum intra æternum Genitorem, 59. Deo nil addi potest, 58. Deus unus est, sed Trinitate, 60. Deus Pater ut generet Filium, 60. Omnipotens, 60 et 62. Est omnipotens; in se, ex se, et semper secum habet Filium, 61. Deus nec fraudat, nec fraudatur, 62. Furata tenet, negata possidet. Deo salva est ratio sua semper. Filius Dei semper fuit, 62. Deus Pater Filium generat, nobis dum revelat, 62. Deum nec absentant loca, nec tempora repræsentant, 63. Ex se dat, non a se petit. Deo non fetet, quod homini fetet, 65. Auctor temporum. Inter Patrem et Filium omnia geruntur amore. Dei promissio certa, 68. Inaccessus mente se communicavit homini, 69. Deus homo factus patitur adversa. Moritur. Docuit orare. Ut Deus sit panis.

71. Deus homo est pavor sanctorum, 72. Deus est regnum et totam in se regni continet potestatem, 72. Non minoratur in carne, 76. Non videtur in loco perfidiæ, 80. Dei Filius contulit humanitati, quod semper cum Patre possedit, et Spiritu. Recreat ad salutem, qui creavit ad vitam. Deus Trinitatis nomen est, 83. Deus omnipotens, quia omnia peccata donare potest. Deus est, qui vivit ex morte, resurgit ex vulnere, 84. Non discit litteras, sed docet, 85. Dat loqui, et tacere, 86. Deus quis sit, absque quo non est alius, quomodo, 88. Omnia a Deo creata sunt bona, 89. Desideratus, incognitus, et angelis invisus, cognoscitur ex Joanne, 90. Claudit et aperit ora hominum; facit ex sterili fecundam, et e contra. Potest facere quod vult, et desperato reddere quod promittit. Deo velle est facere; dare, promittere. Apud Deum nullus reatus, ubi nulla culpa, 92. Cum stat, corripit, cum sedet judicat; prostratis conjacet, cum decumbit, 93. Deus est in capite Christi, et in pedibus evangelizantium pacem. Omnia bona a principio fecit; quidque fecerit homini, 96. Deo non perit, quod ipse custodit, 97. Testis fraudis et laboris. Dei infirmum fortius est hominibus; stultum sapientius; minimum tota magnitudine mundi magnificentius, 98. Quod vult potest, 100. Auctor vitæ, non mortis, 101. Ut valeant cognosci ejus profunda mysteria, 101. Cur mortem cum auctore non exstinxit a principio. Ejus jussio firmat aquas super cœlum, etc., in carne se manifestavit obscure, ut fidei daret locum, 102. Verbo fecit omnia, et refecit, ex nihilo creavit, ex aliquo reparat. Deus est via, veritas, et vita, 108. Non est auctor mortis, 112. Deus fraude non prævenitur, 126. Corporeis oculis non videtur, 131. Nec quantus est, sed quia est. Est diversa substantia, et imago ab angelo. Deus Pater loquitur ad Filium, cum dicit: *Faciamus hominem ad imaginem nostram*. Ante humana in corpore suscepit obsequia, quam beneficia homini divina concederet, 136. Deus est Verbum, 137. Deus super Joannem, etc., 137. Intra thalamum suum solam Virginem capit, 141. Totum est possibile Deo. Attendit corda, non verba, 142. Teneri locis non potest, qui totus ubique est, 143. Non est ejus injuria incarnatio Verbi, et quomodo. In utero plasmator hominis. Deum cœpit Virginalis uteri magnitudo, 144. Deus verus de Deo vero, homo verus de Maria. Deo radiante, aspectus animorum sauciatur, 146. Deus in carne honor creaturæ, non injuria Creatoris, 148. Deus fugit homine persequente, 150. Finiri non potest, 158. Deus Pater testis sui Filii, cur, 160. Est nobis rex, dominus, et pater, 163. Nescit arctari tempore, 167. Cur magna relinquens amat minora, 168. Sic sequitur perdita, ut teneat quæ reliquit. Amissa sic invenit, ut quæ servata sunt, non amittat. Capit omnia, nec ab ulla creatura ipse capitur: se coarctat in nostro corpore, 170. Immensus circuit, apparet, videtur in locis. Cur appareat in rubo, columna, nube. Humanum cum vult Deus, facit esse divinum, 102. Profusus in largiendo, non erit in reddendo durus, 25. Deus non potest mentiri. Cur claudit vel aperit oculos, 21. *Vid.* Pater cœlestis, Trinitas.

Deus erga homines. Dei Patris amor in filios, 5. Pater cœlestis. Dei affectus in malos filios ad eum redeuntes, 5. Pietas miscuit hominem et Deum, 5. Pastoris inducit personam ad ovium utilitatem, 6. Miseretur salva justitia. Quid det pro humana misericordia, 8. Agit nobiscum ne quid pereat in alio sæculo, 9. Corda metitur, non manus, nec loca. Gratis dat omnia, quæ habemus. Parva possit, maxima redditurus, 9. Adjuvat non in bonis, 11. In nos jejunat. Ad nos descendit diaboli milites superaturus, 12. E cœlis ad inferos descendit, ut esset resurrectio mortuorum, 13. Qualis amor Dei in pauperes, per totum. Quod pauperi injuria est, Dei est honor, 14. Cibus pauperis saginatio Dei. Ejus bonitas est circa malos, 15. Quare in homine ad hominem venerit. Homines quærit, non humana, 18. Mittit flagella ob culpas nostras, 20. Dormit quando nos invadunt tempestates. Sibi immutabilis nobis mutatur, 23. Eleemosynariis centesimam usuram promittit, 25. Suscipit pauperes, et divites non repellit, 28. Velatur humano corpore, nos ne terreat, 29. Abstergit humana vulnera, 36. Amore pauperis vendit regnum fragmento panis, 41. Tantum petit ab homine, quantum scit illum habere. Dei misericordia differt judicium ad mortem, 42. Est debitor misericordi. Homo peccat, Deus convertitur quomodo, 45. Nobis militat ad salutem, 46. In humanitate charitatem ostendit, 47. Humanis se aptat angustiis, ut salvet nos, 48. Quos odit, declinat. Parens per sæcula, 49. Ex gratia subvenit infirmo ad alterius fidem, 50. Deus revertitur ad peccatores, si ipsi convertantur ad eum, 20. Deus, quem videt, ad gloriam vult videre, 54. Quærens peccatorem, non peccata, sed hominem quærit. Hominem inter peccata quærit, et pro ipso Tartara penetrat. Oblationes, ex rebus alienis non acceptat. Amor Dei cognoscitur ex generatione humana, 55. Deus Pater dat totum ad salutem. Vocat populos per ora sacerdotum, 62. Deus quærit Symbolum a nobis, ut nos credamus. Dat nos se non videndo videre. Amari ab homine perquirit. Dat vitam mortuis, desperatis salutem, fetentibus vigorem, 65. Fecit creaturas ad servitutem hominis, 69. Etiam angelos. Se communicavit homini. Tentat nos, cum sinit ire ad laqueos tentationum, 70. Commodavit Christum terris, ut diabolum vinceret. Ut sit panis, 71. Amore Dei in utero adoptati, ut liberi nascamur, 72. Dat hominem sentire divina, 79. Et cogitare divina, 81. Gratius odoratur sanctitatem cordis quam incensum Arabiæ, 87. Currit per veniam hominum, 90. Delinquentium gemitus esurit, sitit lacrymas peccatorum, 93. Delictum nostrum charitate compensat, 94. Majora tribuit quam rogatur, 95. Quid homini fecerit a principio, 96. Refert ad messem collectionem zizaniorum et tritici, quomodo, 97. Vocat omnes absque discretione personarum, 99. Martyribus amicus, 101. Creavit omnia propter hominem, 103. Repetit animas sanctorum, 104. Per Paulum rogat hominem per misericordiam, cur, 108. Per misericordiam dilatat viscera, et alia facit. Fidem, non mortem quærit. Placatur voluntate, non nece. Deo placet homo, si bene vivat: placatur hostia Deus si sancte offeratur, et si immaculata, alias exacerbatur, 109. Acceptat ab homine id quod ipse dare potest, 110. Naturam fecerat ut homines crearet ad vitam, 111. Pro magnitudine vulneris adhibuit magnitudinem medicinæ, 113. Homini, non peccato largitus est gratiam. Infundit pietatis imbrem ad delenda peccata. Hominem perquirit hominis tantum amore, 114. Avidus inquisitor humanæ salutis; quomodo, 121. In paupere clamat ad divitem. Spretus in paupere, non subvenit, ut pater, 122. Omnibus pro suo munere prospexit ad salutem, 123. Pauperem et divitem e conspectu ponit, ut vicissim curentur, 124. Morienti Deus apparet ad judicium, 125. Hominibus formam hominis demonstrat, ut videatur, 131. Dat munera divina. Cum fugit peccatorem, parcit, 21. Deo unitas accepta non singularitas, 132. Merita martyrum Dei dona sunt, 135. Hominem resumpsit ex utero mulieris, 143. Nascitur, ut reficiat naturam. In ambiguis aperit veritatem, 145. Amore mundum invitat, timore labentem, 147. Cur humanam assumpserit naturam, non angelicam. Voluit se videri in homine, cur, 148. Deus adest, cui non est homo qui adsit, 156. Quæ beneficia dederit homini, et quæ reparaverit amissa, 161. Deus requirit nostram servitutem, humano more, cur. Redarguit dubitantes de suis promissis, 163. Dubium in fide mittit ad corvum, cur. Quos corripit, mox solatur. Quantum se deponat hominis more. Pater noster curam sumit de nobis. Mori non potest, cui vita Deus est, 166. Recipit peccatores, quos sanctificat, cum propinquat, 168. Deus non est criminis receptor, sed hominis. Gaudet de reditu peccatoris. Amor in nos ostenditur, ex quo, 170. Cur protegat sicut Aquila et Gallina. Errantem ovem quærit ut pastor. Mutat et commutat sua officia, ut nos mutet in melius. Operariis suis præmia promittit. Dedit nobis omnia. Beatis ostendit æterna et gloriosa, 176.

Homines erga Deum. Ad Dei conspectum intramus corde, et per gratiam, 6. Ad ejus conspectum omnia pavent, sed homo exsultat, et cur. Deo debemus quod nascimur et sumus. Deo negare quod vult, est velle sibi Deum negare, quod desiderat, 8. Deo filii arietum afferendi, et qui, 10. Ad Deum ducendus est proximus, etiam trahendo illum, 10. Deo aliquid dandum, 12. Iter ad Deum impeditur a dæmone, 16. Ad Deum per Deum pervenitur. Deo consignandæ opes in paupere, ut serventur, 23. Non movendus loco, 34. Tactus a creatura non sordidatur, 36. Publice laudandus ob gratias acceptas. Fugitur Deus a peccatoribus, 38. Qui audit supplicantem, Dei auditum sibi aperit, 43. Quod non placet astare Deo, est surreptio diaboli. Dei contemptus facit nobis tempora mala. Deo vero cognito gaudendum, 46. Dei lumine opus est in opere Dei, 51. Revertitur ad peccatores, si ipsi convertantur ad eum, 20. Oblationes ex alienis rebus Deus non acceptat, 54. Amor Dei cognoscitur ex generatione humana, 55. Dolor non posse de Deo loqui, quod sentitur, 57. Munera Dei cum redduntur, non amittuntur, 59. Accedentes ad Deum sint mundi corpore et animo. Quod sit Deus, credendum, 61. Qui Deum videre cupit, visionis ejus teneat mensuram. Humana quæ Dei sunt homo non capit, 62. Terribilius, quod homo detur cœlo, quam quod Deus detur terris, 67. Sed amantius quod judicem mutaverit in patrem. Dei nomen aut honoratur ex nostro actu, aut blasphematur, 67. Divina beneficia nos expavent, 68. Cum timore custodienda. Qui se filium Dei credit, generi respondeat. Ejus amorem non capit homo, 69. Omnia divinitus gesta sunt pavenda, 70. Timor cum Deo loqui, 86. Coram Deo magnus, quantus erit penes homines? 88. Apud Deum esse justum muneris est divini, 89. Cautelæ est tarde de Deo humilia credere, et tardius contumelias sentire, 90. Amore

deletur debitum cum Deo, 94. Deus inhonoratur si ejus facta humano modo tantum exponantur, 95. Miratur homo quod Deus vexetur humano in corpore, 102. Apud Deum sit cauta devotio, et cur, 109. Divinæ charitati non potest homo simile redhibere, 110. Homo sit peccator, ut Deus sit justus, 112. Deo quis tantum famulatur, quantum mundo servivit, 114. Homo est debitor Deo, cur. Coram Deo non glorietur homo de justitia, merito, etc., 123. Qui in causis hominem, non Deum timet facile a justitia deviat, 127. Homo sequatur Deum, non præcedat, quomodo, 131. Exasperatur Judæus videns Christum Deum, cur, 131. Quæ a Deo petenda, 132. Deum timent omnia quæ timentur, 144. Tristabatur creatura non valens Deum videre, quomodo, 147. Amor erga Deum qualis esse debeat. Amans cupit videre Deum. Homo in terrenis est Dei vicarius, 148. In se vadit, qui in Deum vadit, 152. Vero Deo contradicit, qui se Deum facit, 155. Dei imaginem portare recusat, qui Idoli portat personam, 155. Deum quærere et nescire quærere, magis necessitas est quam reatus, 157. Paulus Dei amore peccabat in Deum ex ignorantia. Deum nasci non vult profanus, 158. Soli Deo tenetur homo servire, 16. Dubitans de præsentibus, cum futura jam sentiat, deputatur ignibus gehennæ, 163. Cum Deo commorantibus vitæ subsidia non desunt, 166. Deum non violat peccator propinquans, 168. Peram, panem et æs, quod portare debemus, Deo jubente, 170. Invitatur ad habitandum splendore civitatis, templi et cordis, 171. Dei Filium dum Joannes revelat, suscipit mortem, 174. Servi Dei stant, non jacent, 15. Mala patiuntur ad coronas.

Dextera Domini est Christus, 53. Virtus est opus dexteræ, quomodo, 9. Christus revocat apostolos ad dexteram, 78. Fugiamus quæ a sinistris sunt; si a dextris astare desideramus, 9. De dextera ad sinistram transire quid sit, 168. *Vid.* Sinistra.

Diabolus, seu dæmon, auctor desperationis. Quid desperato faciat, et mercenario suo, 2. Vellet homines criminosos fieri, criminumque magistros, 2. Nec sinit eos exsatiari, quare. Diabolus est mendax, et porcus, et quibus pascatur, 5. Saginatur vitiis. Non tollit famem. Auctor mali, et quæ mala agat, 11. Tentat primordia virtutum. Exstinguit bona in ipso ortu. Nequam per se, nequior provocatus, 12. Saturatur ex culpis. Cibum in crapulam vertit. Qui sint ejus milites, et quid agant. Dolis pugnat, ubi non suppetunt vires, 13. Dominatur crapulationi. Elevat ut præcipitet. Lapsus quærit. Sæpe victus non cedit. Promittit ut fallat. Dum petit adorari, quæ faciat mala. A Domino repercussus contra nos sævit. Etiam tempore quadragesimali, et quomodo. Est inimicitiarum princeps, 14. In monumentis habitat, 16. Gestit homines sepelire vivos. Mala patitur, ut homines intereant. Quibus fraudibus utatur, ubi aperte non potest expugnare. Curat ne homo redeat ad Deum, 16. Non possidet hominem, nisi a divina servitute subductum. Injuste lamentatur de tempore, 16. Mutat fetores. Cœnum petit. Mittitur in gregem porcorum. Cur porci moriantur. Omnia perdere cupit. Cruciatur de vita hominis, vivos ingerit sepulcris, mortuis cibos apponit, 17. Culpa diaboli ad hominis pœnam redundat, et quomodo. Cur regna promittit, habitetque ipse in sepulcris, 17. Promittit superna, ut ad inferna protrahat. Adulatione utitur. Timet, et simulat. Et cum legione ad unum. Est miles desidiosus. Sordibus, et cœno delectatur. Ejus odor nec sustinetur a porcis. Avis cœli nidificat, et fructificat, 19. Ex angelo effectus diabolus, 26. Ejus laqueus est superbia. Abstulit humana, dum divina promisit, 27. Ejus scandalum. Scandalum fecit diabolum. Describitur ut spiritus, 52. Quomodo humanis angustetur sensibus, surdus mutusque dicatur. Antiquus refuga, sensus hominum obsessit, 52. Fallit homines, ut mala obsessi credantur naturalia, incurabilia, lunatica. Pacem penitus evellit, 53. Diaboli latrocinium collocavit hominem in speluncam, 65. Ab eo est omne malum, 67. Diabolus dicitur malum, quare, 70. Ut nos decipiat, et trahat in peccata, 71. Tentatio diaboli est prævia ministra ejus, 72. Mundum reddidit immundum; hominem traxit ad mortem; et affectum commutavit in parricidium, 96. Bonis mala superseminavit ad nostram ruinam, et quæ. Fraude contendit, ne creatura in suo statu consistat, 96. Seminat hæreses inter fideles, inter sanctos peccatum, inter pacificos lites, dolos inter simplices, inter innocentes nequitiam, cur, 96. Laborat justos capere, non possidere peccatores. Ad ruinam hominem impellens derelinquit, ut intereat. Gaudet nostris malis, et alia. Hominem non vult habere, sed perdere; cur. Servis dormientibus superseminat zizania, 97. Infamat Dei servos, ut pœnam vice præmii reportent. Nostrum damnum suum computat lucrum. Dæmones dicuntur aves rapaces, voraces, aereæ, 98. Machinatus est in vitam, 101. Incipit a destructione, 104. Ejus descriptio in muliere incurvata, 105. Obsecundat malis voluntatibus, et turpissima servitute dom natur. Arte decipit. Oneribus peccatorum deprimit homines ad terram. Equitat in verticem eorum, qui perambulant in delictis. Ad pejora impellit, qui suo studio vadunt ad mala. Quomodo honoret servitutem sibi ab homine factam, 114. Conturbat passiones hominum ad lapsum, 115. Habet pro conjuge mortem, 118. Qui contra D. Appollinarem fecerit, 128. Promittit mala, non bona, homines nec æternos vult, nec temporales, 131. Angelus commutari maluit in diabolum, ne hominem plenum gloria videret, 148. Feminam Evam dolis aggreditur. Insanit ad firmitatem fidei, et tentat scindere concordiam, 149. Volebat nobis auferre crucis vexillum, 150. Quid sentiret de virtutibus Christi vir facti. Nato Salvatore, genuit numerosa portenta, et cur, 155. Diaboli locum tenens fuit Herodes, 155. Circuit ut devoret, 170. Mentitus fuerat se Deum. Invidia fecit diabolum ex angelo, 172. Christi passionem degustabat in capite Joannis, sitiens, 174. Quomodo sit supersator, 96. Dæmonis surreptio, quod oraturi mane non intramus Ecclesiam, 43. Christus et homo erga diabolum. Diabolo qui se jungit, est dæmon unus, 5. Diabolo ignota sint nostra bona, 7. Eo victa vitia nil valent, 11. Impugnandus dimicante Christo. Christo vincitur, ut cedat Christianis, 2 Capitur suo laqueo, quando primis tentationibus resistitur. Coram Christo perdit artes, 16. Signa sunt diabolo ad ruinam. Non prævalet vigilantibus, et sobriis, 12. Jejunantibus nobis esurit. Deus descendit, ut diabolus vinceretur. Reprimitur a Christo ejus ausus, 12. Ex consiliis proditur, 15. Cavendi dæmones, non timendi, 16. Fugantur solo nomine Christi. Ab homine trahuntur ad Christi præsentiam. Dæmones non cedunt, nisi victi; non lædunt, nisi jussit. Ex vitiis nostris habent potestatem nocendi, quam ex virtutibus perdunt. Christi transfretatio liberavit nos a dæmone, 17. Ad nutum Christi torquetur dæmon, homo liberatur. Ab obsessis patitur mala. *Vid.* Obsessi, Dæmoniacus. Timet inermem, fugit armatum, 17. Nisi Deo permittente, nec prævalet contingere porcos. Quando homo cœperit sequi dæmones, 38. Non est dæmon, qui Christo non cedat, 51. Dæmon torquetur in obsesso. Diabolus confunditur a Christo, 52. Fugatur, et vincula solvuntur. Diabolo non detur locus, 53. Statim paret Christo, ne mora sibi sit damnosa, 65. In terra fit diaboli voluntas, 70. Dæmonis insidiæ a Domino vigilante panduntur, 97. Quomodo mala dæmonum vitentur, 98. Nil potest in homines cautiores, 105. Christo regnante, diabolus peribit, 139. Superatur a Christo in publico conflictu, cur, 151. Qui jocatur cum diabolo, non gaudebit cum Christo, 155. Diabolo renuntiant, qui festinant ad Christum pervenire, 158 Mitis bellator expugnat diabolum, 170. Vincitur a suis olim victis. Quid valeat ad Deum, 172. Divinæ virtutis est dæmonem proprio truncare mucrone, 57. Dæmon captivus hominis ab adventu Christi, 18.

Dicere ex ordine proposito sæpe non possumus religiosa necessitate, 114. Auctoritas dicentis contumeliis vacuatur, 131. Dicere timet concionator, ne auditoribus contemptoribus obsit, 137.

Dies qua Jesus locutus est de sero, quæ fuerit, 21. Dies gratus, sed gratior serenus, 41. Dies Dominicus a Christiano servandus, 105. Dies moritur, et resurgit, 118. Die non tenetur conditor dierum, 131. Christus propter nos diem suscepit et tempus. Dies illustratur corona martyris, 135. Dies verus illuxit, quando Dominus natus est, 159. Dies salutis agnoscendus, 164. Christus æternus dies, 170.

Dignitas. Dignitatem non invadit, qui sine infulis dignitatis est, 109. *Vid.* Domus.

Dii gentium criminosi, 57. Ignorentur ab eo qui vult scire Deum. 61. Captivitas multis diis servire Dii fecerant non videre Deum, quem homines videbant, 62. Ut infamarentur in kalend. Januarii, *late*, 155. Dii multi a dæmone figurati, ut unus, verusque Deus nesciretur, 16. Gentes diis innumeris serviebant, quia verum Deum ignorabant, 18.

Dilabi. Dei nutu cuncta dilabuntur, 176.

Dilatio. Debitoribus dilatio crescit ad gratiam creditoris, 89. Differtur sermo, cum tempus dicendi elapsum est, 121.

Dilectio. *Vid.* Amor, Pax, inimicus.

Diluvium ad expiationem mundi, 69 et 165. Ab eo tempore aperitur sacramentum jejunii quadragesimalis, et non ultra, cur.

Dimittere. Peccata in nos dimittere debemus ex Dei mandato, 139. Alias nobis non dimittentur. Quomodo dimittenda. Dimittendum proximo, 68. *Vid.* Oratio Dominica.

Discere. Humana ut possimus, tota vita brevis est quanto magis divina, 112. Ut discatur, 101.

Discessus Dei ab anima causat ei mortem, 19.

Disciplina aspera sensibus immaturis recipitur amore, 108. Disciplina opifex succurrit naturæ imperfectis, 132. Disciplina quadratæ fidei est in Quadragesima, 11

Discipuli Christi confugiunt ad eum in tempestate, 20. Suscitant Christum. Quare ad dormientem confugiant, 21. Cur Christum sequantur ad suam patriam redeuntem, 49. Eorum impotentia in curando dæmoniaco magistro attribuitur, 51. Ut fugent dæmones a gentibus. Non sanant dæmoniacum, cur, 52. De resurrectione Christi nutantes revocantur ad fidem, 76. Pueri vocantur, quia erant parvuli in fide. Discipuli Domini in tenebris passionis relicti. 78. Dicuntur fratres Domini, 80. Magistrum fide sustulerunt vivum. Conflictus fidei perfidiæque discipulorum, 81. Pace confirmati a Domino. Confortati. Christum à mortuis rediisse credebant in anima cum sola imagine carnis. Bella cogitationum discipulorum. Verba Christi ad discipulos : *Videte manus meas et pedes,* declarata per discursum aureum, 81. Invitantur ad renovanda vulnera. Tardius credidere ex amore. Et ex magnitudine causæ. Pœna Dominicæ passionis transierat ad discipulos, *late,* 83. In orbem missi, ut sint spes omnibus qui sibi desperationis causa fuere. Eorum in credendo mora est firmamentum nobis. Terror ex Judæis, et facinus mortis Christi concluserat domum, et corda discipulorum, 84. Conflicti Christo ablato, sed reddito pacifici. Internam æternamque pacem illis offert Christus. Missi a charitate Christi ad patienda mala. Etiam ad remittenda peccata. Discipulus est injuria magistro, si illius non sequatur institutum, 94. Et discipuli probitas laus est magistri. Discipuli credebant Domini tactum esse solo corpore, 100. Discipulorum labor et pœna in discendo litteras, 101. Discipuli Christi armantur ad Synagogæ interitum, cur et quomodo, 137. Eorum fuga excusatur a Christi fuga in Ægyptum, 150. An culpabilis fuerit, 133. Discipulis Christi beatitudo promissa, 161. Cur bini a Christo missi, 170. Cur probibentur tollere quidquam in via. Quomodo ederent non lotis manibus, 171. Discipulus scientiam non obtinet, si pro sua voluntate doceri contendit, 173.

Discordia concors inter ignem et aquam, 164. Discordias gentium pacificus præliator aufert, 170. Discordias et lites suscitat diabolus in Quadragesima, 13.

Discretio inter fidelem et infidelem ex quo sumatur, 96. *Vid.* Separatio.

Discutere delicta, prodere est, 3. Discutere aliquid est illud ampliare, 115. Discussio severa dicentem audientemque onerat, 126.

Dispensator. Parabola de fidei dispensatore omnes tangit, 26, *per tot.* *Vid.* Dux, Ecclesiastici, Paterfamilias, Pauper, Servus.

Dispensator bonorum non incubator est dives, 121.

Dives pœna, non censu, qui custos est auri, 22. Confundetur in alio sæculo. Cor habet vel in cœlo, vel in terra. Quanto plus habet, tanto amplius debet, 26. Divites sancti, quomodo divitias possederunt, 28. Dives semper vult dare, cum declinat ad pauperem, 39. Dives malus ut puniatur, 47. Dives misericors tot servos habet quot nummos, 54. Inhumanus, ex filio Abrahæ fit filius gehennæ, 54. Dives det pauperi et Deo, 66. Despiciendo pauperem quid habeat. De eo, 104. Describitur dives congregans divitias. Quomodo intra se cogitet, se usus consiliario. A divite interrogatur diabolus, qui erat in corde ipsius. Dives avidus non habet semper. Ignarus de præsentibus, disputat de futuris, 104. Claudens horrea pauperi, sibi claudit. Cur stultus. Cogitata perdit. Vigilet in opere bono. Sit dives in misericordia, ut spiritualiter sit dives. Divitem deglutit infernus, 121. Est dispensator, non incubator divitiarum, 121. Servus est opum. Ignobile sepulcrum pompæ. Durior adamante. Semper eget avarus. Ejus cum paupere conflictus, 124. Dives pauperem videat, et e converso. Diviti perit, quod pauperi negatur, vel spargitur ad pompam. Homo dives erat Christus, et quomodo, 125. Dives in tempore, mendicus in sempiternum erit dives malus. Divitis virtus in humilitate, 136. Dives serviens Christo quam peram, panem et pretium habere debeat, 170. *Vid.* Avaritia, Avarus, Epulo.

Divina contraria sunt humanis, et e converso, 21. Cur humanis insinuentur exemplis, 39. Largitas divina, *fuse per tot.*, 39. Divina scire, Dei munus est, 76. Item sentire, 79. Quando se miscuerunt humanis, 89. Quod tempus sufficiat ad divina intelligenda, 112. Divinus sensus verbis celatur humanis, 139. Divina verba modis humanis non pensanda, 146. Bonis divina succurrunt, cum desunt humana, 156 Divina generatio testem nescit, 160. Divina beneficia homini data naturalia, et supernaturalia, 161. Divina hæreditas quare dari, nec dividi potest, 162. Lex docuit penetrare secretum sensus divini, 162. Lex docuit penetrare secretum sensus divini, 168. Mancipata divinis officiis ministeriis purificanda, 171. Divina servitus præponenda humanis affectibus, 19. Divinum humano auditu non accipiendum, 74. *Vid.* Trinitas.

Divinatio fugienda, quare, 18. *Vid.* Astrologus.

Divinitas nec initium capit, nec recipit finem, 57. Nil sinistrum recipit, 57 et 59. Nec Trinitate dividitur, nec unitate confunditur, 60. Deitas una in Patre, et Filio, et Spiritu sancto, 61. Non est humano modo æstimanda, 67. Divinitatis et humanitatis cognatio sempiterna pavenda, 72. An mirabilius quod Deus homo, an quod homo Deus, 72. Deitas Trinitate distincta, non est unitate confusa, 83. Nescit exteriora. Uterum Marianum ingressa absque virginitatis detrimento, 84. Deitas non clauditur mente carnali, 131. Nota per Christum, 151. Externam non recipit nationem, 160. Deitatis plenitudo ubi habitet, 6. Divinitas crassata mysterio, quomodo, 84. *Vid.* Trinitas, Deus.

Divisio. Cain ex mala divisione Deum offendit in sacrificio, 109. Cupiditas vellet facere Christum auctorem divisionis, 162. Bonorum cœlestium non petenda divisio, 162. Ut tres in duo, et duo in tres dividantur ex Christi doctrina mystice, 164.

Divitiæ. Quæ mala agant. Et eorum cupiditas. Quomodo serventur, 23. Quomodo possideri debeant, 28. Divitiæ quid Matthæo publicano fecerint. Ut prosint respicientibus cœlum, 54. Relinquendæ a serviente Deo, 170. Sunt onera gravantia. Earum fallax illecebra quando fugatur, 104. Illarum finis, 121, *per tot.* Num sint criminosæ per se. Cur in Abraham et epulone diversos operatæ sint effectus. Divitiæ pereunt homini, non crimini in inferno, 122. Animus, non divitiæ, ducit ingratos ad pœnam, 124. Ex eis tumor mentium, 136. Non sequuntur morientem, 170. Hic sumus earum prorogatores, 125.

Docere non debent mulieres, sed discere, 82. Quomodo Paulus docuerit, 101. Labor est docere, 163.

Doctor docens omnibus profutura loquatur, 43. Disputat lecta, ut optime intelligantur, 52. Doctori præstandus benignus auditus, 76. Hoc accipit doctor, quod meretur auditor, 86. Ut fiat deprecator, 96. Supplicat discipulum, ut velit scire, 101. Quando possit obscurare sacram Scripturam, 112. Doctor verbi Dei ante cœlos conscendat quam homines doceat penetrare cœlos, 120. Teneat sensus moderatos Scripturæ, et cur, 125. Malus, si obedientes non doceat, pius non docendo contemptores, 137. Doctor noster sit Christus in insinuandis præceptis, 163. Doctor faciat quæ docet, 167. *Vid.* Concionator, Scriptura sacra, Evangelium, Magister.

Doctrina Christiana prius ad verbum discenda, ut deinde mysteria intelligantur, 56. Cur Christi doctrina fit obscura mysteriis, 96. Sit varia in docendo rudem, 106. Quomodo variis declaranda, 112. Ejus ordo moderandus, ut aliud non impediatur ex alio, 114. Evangelica tripartito ordine sermonis salutifere præbetur, 115. Cœlestis vario modo, deprompta suavius aperit sacramentum Ecclesiasticæ scientiæ, 116. Moderata sumatur ex sensibus Scripturæ, 125 et 126. Cœlestis a scribis corrupta, 158. Doctrina familiaris a Christo tradita, 161. Est filia humilitatis. Doctrina fidei est utilior simplicitate, 166. Doctrina in dictis scientia est, in factis virtus, 167. *Vid.* Verbum Dei, Concio, Scriptura sacra, Evangelium.

Dolor compensat et delet peccata, 30. Vis doloris in arduis languoribus sæpe dat consilium, 35. Revocat dolor quod blandimenta depulerunt, 64. Dolor est perire cœlum, etc., 101. Dolor major est habita perdidisse quam non habuisse, 123. Dolor provehit ad virtutem, 124. Revocat interdum dicentem a serie electionis. Dolor quando nos compellit ad reddendam rationem quid agendum, 125. Quæ moverint auctori nostro dolorem, 175. Dolor superhumanus est, cum est propter Deum, 57. *Vid.* Afflictio, Mœror.

Dolus polluit labia, 62. Dolositas fremit se deceptam, 152.

Dominari. Omnibus dominatur, qui propriis non tenetur, 22. Christianus dominetur elementis, 113. Dominatio sempiterna ex servitute Christi, 114. Vera dominatio est famulatus Dominicæ sanctitatis, 115. Patris, et Filii una est nobis dominatio, 61. *Vid.* Præsidere.

Dominus, cum domi occisus est scelere servorum, ad totam domum vindicta pertendit, 78. Manumittens servos, 96. Terrenus exigit sollicitam servitutem, 109. Non dominum, sed villicum hic quisque se agnoscat, 125. Est super servum, 137. Abstrahat servum a peccatis, ne peccet et ipse, 155. Domino nascenti parantur laquei a servo contumace, 158. Dominus cœnans, et servus ministrans describuntur, 161. Quidquid egerit circa servum, justitia est. Ex sibi præstita servitute intelligat quomodo debeat servire Deo. Fidelibus servis justa cibaria ministrat, 163. Est nobis Deus. Non quare, sed quid fieri velit Dominus inquirendum, 166. Ad dominum pertinet peculium servi, 15.

Domus ampla duos non capit ex invidia germanos, 4 Domum patris habitent filii ubi multa bona, 1. Terrenam domum cur Dominus cœli intret, et quando, *late,* 18, *per tot.* Domum nostram intret Christus, 54. Ex apparatu

mansionis dignitas hospitis innotescit, 92. Elisabeth domus mystica ut reparetur. Claustra domus non prorumpit extraneus, 93. Domus propria gratior post tempus, 114. Domui Mariani uteri qua pensione fuerit a Deo satisfactum, 140. Ad eam nullus pervenit præter viam, 142. Domus mundi pro homine facta, 148. Quid sit sua domus sapit, qui sentit alienam, 151. Ejus ornatus invitat auctorem ad habitandum, 171. Domus penetralia tripudiare, et lætari dicuntur, 175. In domo sua cur est propheta sine honore, 48. *Vid.* Habitaculum, Hospitium.

Donatio Christi perpetua, 125. Dono Dei largientis unusquisque sit contentus, 120. Nec alterius donum velit occupare. *Vid.* Munera.

Dormiens est homo, cum male facit, 22. Profunde dormit, qui non excitatur ad sonum cœlestium nuptiarum. Dormire dicitur peccator, 54. Profunde dormientes tota nocte, quid perdant, 39. Dormientibus solent imagines corporeæ apparere, 81. Irruere in dormientes signum debilitatis, 97. Cum servi dormirent, Dominus vigilabat, quando.

Drachma perdita et inventa describitur, 169. Multa dubia circa illam solvuntur.

Dubia firmanda sunt, 112. In dubiis vitandum judicium, et Deo remittendum, 145.

Dubitans. De divinis promissis arguitur, 163. Cur ad corvum mittatur. Invectiva contra illum. Deputatur ignibus mortis, et gehennæ, et quare.

Duodenarius. Numerus apostolorum per quaternarium format tripartitam quadrigam, et ad quid, 170. Duodecim patriarchæ distincti in duodecim tribus, et alia figura sunt apostolici numeri, 170.

Dux militum quam redditurus sit Deo rationem, 26. Dux vitiorum. *Vid.* Mercenarius.

E

Ebrietas vires enervat, 12. Potus noster in ebrietatem diffunditur a dæmone, 12. Ebrietas mundum demersit, et alia mala fecit. Ebriis cominatur diabolus, 13. Est ebrietas sacrilegium in sacerdote, 26. Ebrietas quid sit et effectus, 26. Demergit corpus, 41. Ex vino est, et in ea non est Spiritus sanctus, 88. Filios noctis facit, 104. Cognoscitur per vinum, 116. Ebrius vinum accusat. Ebrietatis incendia in epulone, 124. Ebrietas calicis Domini sobria abolet lamenta peccatorum, 137. Ebrietas terrena deformis, decora cœlestis. Divini amoris quid egerit, 147. Mens ebria ut male judicet, 173.

Ecclesia rogat pro eleemosynario, 14. Navem Ecclesiæ ingressus Christus, mare sæculi turbatur, 20. Placatur. Ecclesiæ tranquillitas. Tempestas. Sponsa Christi, et thalamus ornatus, quomodo, 22. Ecclesia quando a Christo desponsata, 31. Figuratur in hæmorrhoissa, 35. Dum Christus ad Synagogam tendit, Ecclesia fundebat sanguinem humanum, 36. Ecclesia accessit retro ad Christum, quomodo. Quale vestimentum tetigit. Ecclesiæ dum Christus attendit, moritur Synagoga. Mane ad orandum ecclesiam intrare debemus, 43. Et quare id non fiat. Ut ex templis idolorum fiat Ecclesia, 51. Ecclesia est in Deum, 57. Conjuncta Christo, 58. Gloria Christi, 59. Consors divinitatis Christi, 60. Perpetua sponsa Christi, 61. Est in Christo, et Christus in ea, 62 Si generat est cœleste mysterium, 67. In partu ipso quantam det filii gloriam, 68. Mater virgo generat nos beatos, et quomodo, 72. Figuræ illius. Ablactat filios in Pascha, 73. Ejus filii diversarum ætatum quomodo nutriantur. Nos hortatur ad pœnitentiam. In Ecclesia claresci sabbatum in die Dominico, 75. Duæ Mariæ deferunt typum Ecclesiarum ad Dominicum sepulcrum, 75. Ecclesia ex duobus populis veniens una est. Sponsa cur salutata a Christo, 76. Reducta a Christo ad fidem suæ fidei stationem, 78. In femina figurata loquitur, 82. Ecclesia una figura in duabus feminis et discipulis duobus. Habet corpus Christi ad manducandum, 95. Figura in Magdalena peccatrice, 95. Lacrymatur, quia Christum abeuntem non vidit, 95. In judicio Christus ad Ecclesiam revertitur Synagogam increpans. Semper recipit redeuntes. 98. Sponsa, et hortus, in ea satum granum sinapis, 98. Accipit a Domino fermentum, 99. Ecclesiæ lacrymæ impetrabunt resurrectionem mortuorum, 103. Figurata in muliere inclinata, 105. Ecclesia curat per impositionem manus. Ut pariat Christo filios, 117. Ejus intercessio ut liberavit animas ex inferioribus locis, 123. Quid pro Apollinari consecuta sit a Christo, 128. Exsultavit in consecratione Chrysologi, et quare, et quomodo, 130. Ejus conventus non contemnendus, 132. In ea quisque maneat, ut sit aliquid. Præter Ecclesiam vitam quærere, quæ mala. Illuminata incenso heptalismi S. Felicitatis, 134. Ecclesia sponsa figurata in Maria virg., 146. Ecclesiæ pax et hæreticorum ira, *late*, 149. Ejus figura, quod anteponenda erat Synagogæ, 151. Ex fuga Christi habet innocentes martyres, 153. Habet mensas, super quas cœnam Domini apostoli præpararunt, 161. Ecclesia et Christus divisi ab hæreticis, et a Synagoga uno spiritu junguntur, 144. Ecclesia filia Synagogæ. Illius nurus. Ex resurrectione Christi tota in ejus conjugio. Corneliensis chara Chrysologo, cur, 165. Ecclesia erat mulier drachmarum, quomodo, 169. Est lucerna ardens, qua Christum invenimus. Ecclesia in principio sui partus iter fecit, 175. Vicohaventina, ut lætabunda genuerit Marcellinum episcopum, 175. Virginitatis coronam parturiendo magis conquirit. In ea Judæus lucem fidei videt per libertatem gratiæ, 176. Ante ecclesiasticam administrationem mundentur a sanguine manus, 18. Ecclesia Ravennas. *Vid.* Ravenn., Templum, Festivitas.

Ecclesiastici. Ut verbum Dei, et doctrinam cœlestem dispensare teneantur, 26. A principio circa cœlestia peccantes quodnam periculum subeant, 26. Inde crimen sumunt peccantes, unde alii veniam impetrant. Tangunt Christi corpus, nec curantur ob fidei carentiam, 55. *Vid.* Concionator, Christianus, Sacerdos, Lectio.

Edictum Cæsaris edicto, et pagani obtemperaturus occurrit Dominus, 175.

Eleemosyna. Sit comes jejunii, et maxima inde bona, 8, *per tot.* Impetrat divinam misericordiam. Publicata est hostilis, etc., 9. Venditur, non donatur. Ubique facienda, dummodo non terræ, sed Deo sit nota. Sit secreta ob pauperis verecundiam. In ea dextera nesciat sinistram, et quomodo. Eleemosyna in Quadragesima dissuadetur a diabolo, 13. De ea optime toto serm. 14. Eleemosyna prima tractatur in cœlis, 14. Facit beatum. Est auxilium adversus sæculi mala. Tota Ecclesia rogat pro eleemosynario. Eleemosyna ditat, et quomodo, 22. Secure nostra servat. Nobis servatur a Deo, 22 et 23. Eleemosyna libenter a paupere ponatur in cœlum, 25. Erogata reconditur. Sanat manum aridam, 32. Eleemosyna cum jejunio quas afferat virtutes et bona, *late*, 41. Semper sit cum oratione et jejunio. Ubi dicuntur effectus, *late*. Quomodo credat vivere post mortem eleemosynarius, 54. Facta de toto, vel parte, quid. Offerenti damnosa, cum fit de fraudibus, vel bonis alienis, 54. Eleemosynam quærit Deus ex eo tantum quod habes, 103. Quid nobis prosit. Eleemosynam qui de suis non facit, criminosus est, 123. Nostra danda, aliena vitanda. Facienda est eleemosyna ab eo qui jejunare non potest, et cur, 166. Facienda in gaudiis natalium, 127. Supplicat pro delictis, 107

Elementa peccatorum finientur, quando, 47. Elementa mundi peritura, 101. Prædicant jugiter resurrectionem hominum, 118. Serviebant Christo, 125. Deus auctor elementorum, 160. Ventorum turbines elementa confundunt, 41.

Elias. Quid egerit suffragio orationis, jejunii et eleemosynæ, 43. Currus æthereus eum vexit ad cœlum, 92. Ejus lingua clavis cœli, 127. Tamquam reus fugit a facie mulieris. Occurrit in monte ad videndum Christum promissum, 131. Esurit victum Viduæ, ut saturet, 136. Ex timore mortem repetebat, quam prius fugerat, 147. Ad latebras illi domus satis est unius viduæ, 150 Missos contra se igne cœlesti consumit, 151. Ad cœlum levatus Quadragesimali jejunio, 166, 12. Cur ei non obsit igneus currus, 166.

Elisabeth. Sterilis, et decrepita cur pariat, 87. Sterilitas illius aperitur hora incensi. Ejus laudes, 89. Dicitur filia Aaron, et cur. In ea servata generositas stemmatis sacerdotalis, 91.

Ambo justi. Declaratur varie. Corpore sterilis, virtutibus fecunda, 91. Cur partus ejus dilatus optime. Concipit. Ejus virtutes et Zachariæ narrantur ad gloriam Joannis, 91. Ut præpararetur ad conceptum, 92. Totum Domino tribuit, et se occultat. Tacet ex verecundia. Ex illius taciturnitate vox nascitur. Cur Maria mittatur ad eam, 142. *Vid.* Zacharias, Joan. Baptista.

Eloquentia. Voluptas eloquentiæ deponenda, quando poscitur fortitudo scientiæ, 18. Eloquentia sæcularis superstitionem invenit, et substantiam naturalem, et Dei notitiam amisit, 5.

Eloquium imperitum prodere præstantius quam officiosum negare sermonem, 107.

Emere servanda, non perdenda solemus, 80. Homo emptus est a Deo, 161.

Epiphania dicitur, quia trino modo Deitas Christi illuxit in ea, 157. In ea magi Deum muneribus confitentur. In ea Christus in nuptiis aquas saporavit in vinum. Et baptizatur in Jordane, cur. Est solemnitas una de trina ostensione Christi. Revelat multis modis Deum humanatum, cur, 160. Tribus modis revelat. *Vid.* Magus.

Episcopus. Dum consecratur Chrysologus, facit sermonem hic in ordine, 130. Ubi et officium episcopi describit,

et virtutes. *Lege totum serm.* Episcopus ait, subditos esse vitam, salutem, gloriam suam, et eos debet docere quæ scit, 147. Episcopus sponsus, et filius suæ Ecclesiæ sponsæ et matris, quomodo, 175. Zachæus episcopus, 54. Cornelius, Projectus, Marcellinus. *Vid. suis locis.*

Epistola. Dulcis usque dum veniat, qui misit, 62.

Epulæ diaboli, quæ, 12. Numquid per se damnandæ, 121. Epulæ divitis et pauperis, 124. Epulis nostris interest Christus, 127. Festa sanctorum non solemnizantur in epulis, 129. Dantur operario ad laborem levandum, 170. Epulæ cruentæ Herodianæ cœnæ, 174. *Vid.* Convivium, Ebrietas, Cœna, Potus.

Epulo dives. Ejus cum Lazaro stupendæ vices, 66. Sursum Lazarum gratis respicit. Pungitur a pœna. Cur clamat. Negatam misericordiam petit. Sitit aquam. Cur magis cruciatur in lingua, 66 et 124. Pro malis a Deo recepit bona, 66. At nunc pro bonis mala. Stultus putans apud inferos mutare locum. Lazari felicitate torquebatur. Frustra petebat mitti ad suos. Abraham dicitur suus non pater. In epulone petimus omnes, Oh! si quis veniret a mortuis; sed id esset gratis. Dives epulo ab inferno deglutitur, 121. Illius mors, et vita a vita et morte Lazari devicta. Funera divitis et Lazari describuntur. Ejus culpa. Cur divitiæ hunc fecerunt criminosum. Divitiarum captivus. Ad ferrea viscera ejus projecit Deus conflatorium pauperis. Pauperis vocem audire contemnit. Canes epulone mitiores, et alia de hoc descriptive. Oculos sursum levat, sed contra se, 122. Abraham patrem vocat, sed frustra, 4. Controversia inter eum et Lazarum e diversis loco et situ. Quare non possit ex Abraham misericordiam consequi. Adhuc crudelis in Lazarum, et cur, 4 et 123. Lazaro invidet, 122. Cur ad stratum ejus non mittatur Lazarus. Qua torqueretur flamma. Non erat damnatus novissimo judicio. Lingua magis uritur, quæ insultavit pauperi, et hic gustum habuit. Temporalia illi periere, non crimini. Gutta et mica illum reddidit misericordem. Aquam putei sui Lazaro negavit. Vinctas habet manus, ne aquam sumat, cur. In Lazarum inmitis, in se magis crudelis fuit, 123. Cur filius dicitur ab Abraham. Criminosus, quia recepit bona. Deum sibi debitorem credidit. Impius, quia pius non fuit in alium. Pro malis bona recepit indignus. Patrem vocat quem amisit, mentitur in pœna. Fratribus suis non sufficeret Lazarus ad profectum. Hi fratres figurant Hebræos. Descriptiva contrapositio divitis cum Lazaro, 124. Accepit ante animæ quam corporis sepulturam. Semper vivit pœnæ. Ejus cum Lazaro immutatio. Stulte petit misericordiam a patre, quam negaverat fratri. Cur petit Lazarum mitti. Putat stilla exstinguere ignem inferni, qui vinis multis incendia ebrietatis non exstinxit.

Eremus. Eremi cultores Petrum episcopum videntes quid discant, 107. Eremi dicuntur squalentes, 13.

Errare qui decrevit, audit semper quod vult, non quod est, 131.

Error. Erroris materia per Christum fit occasio salutis, 157. Errori succurritur a Deo judicio pietatis ab exemplis.

Esuriens. Esurientes vitia plus delinquunt, 2. Esuriem sentire et vincere est laboris humani, eam non habere divinæ virtutis est, 11. Esurientem tentat diabolus.

Eucharistia cum humilitate et pavore sumenda, 15. Cur quotidie sumpta non sanet nos a peccatis, 33. Ut det medicinam peccatis, 34. Indigne sumpta dat vulnus. De illa gustum hic et in patria satietatem capiemus, nam est prælibatio mensæ beatæ et viaticum, 68. Hic sumitur in altari, et de ea in æternitate vivitur, 70. Est corporis mentisque virtus. Eucharisticus panis ut fuerit factus, 71. Et effectus. Dicitur panis quotidianus, quia jugis, 72. Perfectæ beatitudinis panis est. Si Christus se manducandum dedit hic, quid faciet in gloria? 95. Est viaticum. Est regale convivium. Datur in Ecclesia ad salutem. Quomodo caro Christi manducetur, scit Christianus pius. Fuit præparata per apostolos Domini super mensas Ecclesiæ, 161. Eam novit tantum fidelis. Ut sumenda sit, 172. Mundities nostra in ea sumenda innuitur, 91. *Vid.* Panis, Oratio Dominica.

Eunuchus voluntaria castitate transfertur in obsequium Christi, et mutat Palatii insulas, 56.

Euphemia plus solvit in fructu quam promisit in flore, quæ manente virginitatis flore ad fructum martyrii pervenit, 97.

Eva scandalum accepit ab oculo, 27. Melius illi si fuisset sine oculo et manu, quam sine justitia originali. Item si in paradiso fuisset impedita, 74. Quæ vidit arborem scientiæ, videat arborem sinapis, ut sanetur, 99. Mors ad omnes per eam. Eva maledicta fuit per naturam mater morientium, 140.

Evangelium dicitur pannus rudis, et principium texturæ ex vellere agni Dei, 31. Pannus tinctus sanguine Christi. Hinc pannus non immittitur Judaicæ vetustati. Evangelicæ lectiones commoda præsentis futuræque vitæ largiuntur, 34. A discipulis prædicandum omnibus, 83. Ejus aurora quando, 86. Ejus lectiones sunt bonis intelligentiæ salutaris, at malis occasio erroris, 89. Ejus sensim promovet ad altiora, 92. Quadriga Evangeliorum homines transmittit ad cœlum. Evangelicam segetem cum hæretica zizania inimicus confundit, 96. In eo celatur sensus divinus, 99. Quod Evangelio obediamus est ex vocante Deo, 114. Servitus Evangelii quid operetur in nobis. Mira pietas ex evangelica doctrina, et cur. Ejus metuenda principia intonantur ad suscitandos hominum sensus, 115. Illius auctoritas mentes reparat ad laborem, 115. Libentius auditur, cum vario modo declaratur, 116. Declarandum cum moderato sensu, et cur, 125. Quid agat in homines Evangelium. In eo plurimæ quæstiones velantur, nec faciles, quæ ab homine solvantur, 126. Ejus sanctio fuit Joannes, 127. Vilis non habeatur evangelicus sermo simplicitate sua, 132. Gentibus præparatum a Joanne, 137. Ex eo coronæ æternæ, 144. Ejus apices, litteræ, syllabæ, verbum, nomina, personæ plenæ divinis figuris, 146. Quæ loquatur, et non loquatur, Evangelium, 156. Mulieres typus evangelicæ prædicationis. 76. Totum plenum mysticis sensibus, 169.

Evangelistæ utuntur mystico sermone 79. Evangeliorum profunditas nos promovit in altum, 173.

Evangelizantes pacem sunt pedes Christi, 95. Et vestigia ipsius, 76.

Evector pietatis nescit lassescere, 170.

Exactor avidus de solutionis tarditate conqueritur, 77. *Vid.* Publicanus.

Excelsa contueri ne præsumas, et cur, 164.

Excubiæ deputatæ cunabulis Christi fuerunt Innocentes. 152. *Vid.* Vigiliæ.

Excusatio non est ubi usitata præcepta sunt pro maximis repensanda, 114. Excusatio dicentis in principio orationis, 138. Excusatio non relicta Herodi, 152. Ea caret, qui facinus ipso judice teste committit, 26.

Exemplum bonum prodest, 34. Vernaculis exemplis Dominus nos informat ad capienda divina, 39 et 47. Christus exemplo hominem reformat, 48. Exemplis insinuatur Dei affectus, 55. Dat spem, 74. Exemplo confirmamur, 108. Singularitas non admittit exemplum, 153. Cur Deus det exempla externa et vilia, 163. Cur Christus descendat ab exemplo fœdissimæ avis ad exemplum floris odorati, 163. Exempla roborant præcepta, 166. Comprobant factum, 175. Judæus sit exemplum utile Christianis, 46. Exempla multa generant fastidium, 29.

Experientia vires naturæ demonstrat et hominis, 90

Explorator. Exploratores terram quadraginta diebus circumeuntes quid significent mystice, 166.

Exponere facta Christi litteraliter et mystice debemus, 95.

Expugnator suus esse non potest cui est intus inimicus, 171.

Exspectare. Servus hic Dominum exspectans in gloria talionem habebit, 24. Longa exspectatio magnæ promissionis fatigat mentem, 130.

Exsultatio. Qui intrat exsultans ad Deum, est liber a reatu, 6. Et cur id audeat. Qui possint exsultare Domino, 46. Et quomodo. Exsultatio sit communis in natalitiis sanctorum, 129.

Extraneus. Extraneus non intercedit apud patrem, 2. Qui se negat patri, et extraneo se committit, quid inveniat, 1.

Ezechiel eximius prophetarum, 40 diebus jacens latere uno captivitatem futuram dum præfigurat, absolvit, et ratio, 166.

F

Faber. Fabri filius dicebatur Christus, cur, 48. Et cujus fabri esset filius, 48 et 49.

Facere debemus quæ a Domino jussa audivimus, 102. Fecit Christus quæ mandavit 151. *Vid.* Facta Christi.

Facies. Ex facie tantum non sunt res judicandæ, 145. Simulata facies exclusa in jejunio a Deo, et cur, 7.

Facultates. *Vid.* Divitiæ.

Falsitas. Exemplum falsitatis in villico cur dicatur pium, 126. Inter nuntia falsitatum judex animus non invenit verum, 131. Falsitas ex obstinatione. Falsitas sola semper veritatem impugnat, 169.

Fama. Famæ Christus non credit, sed inquirit, cum terra accusat, 125. Si fama versæ substantiæ nos præcedat ad Patrem forte tempus moriemur. Famæ carpitur ob pecuniam, 126. Quis famam quærat de hominis ruina? 171. Eleemosyna ad famam data est hypocrisis, 9. Fama virtutum respondet ad nominis gloriam, 67. Ex turpitudine et infamia sepelitur fama, perit gloria, 1.

Fames est tortor gulæ et luxuriæ, 1. Reducit filium ad patrem, 11 et 5. Simulacrum famis est jejunium sine misericordia, 8. Esuriem non habuit Christus per quadraginta dies, 11. Esuriem vincere humanum est, non habere divi-

num. Ex fame diabolus judicat posse tentare. Fames tempore Chrysologi, 45. Fames Christi non est pro cibo, sed pro suorum charitate, 78. Provehit ad jejunium, 124.

Fastidium sumitur ex frequentato sermone, 120. Ex lassitudine tam dicentis quam audientis, 122.

Febris. Ut ex frigido humore succendatur, 114. Quid agendum, cum febris a villicatione nos excludit, 125. Febre æstuat frater qui fratrem lædit, 139. Febrientibus cibus salutaris amarus, 164. Febris æstuabat in domo Petri, 18. *Vid.* Phrenesis. Ægrotus, Infirmus. Arefacta membra longa febre ut curentur, 41.

Felicitas sancta tot habuit filios quot mundus dies, 134. Mater luminum, fons dierum, et alia de illa, *per tot*, 134, *cum notat.*

Felicitas prima est non peccasse, secunda peccatis veniam invenisse, 34. Unica felicitas justum in omnibus esse, 91. Prima felicitas est perpetua innocentia, 167. Felicitas aliena est invido cruciatus, 172.

Felix. Ex felicitate aliena livor, 122. Dolor est felicem videre illum quem aliquando putavimus infelicem, 123.

Ferculum. Crudelitas fuit caput Joannis Baptistæ, 174.

Feræ innumeræ ad unam ovem, crudeliores, quod capere nequeunt, et vorare, 171.

Feritas lenitate mitigatur, 6.

Fermentum est similitudo regni Dei, 99, *per tot*, et cur dicatur granum accipi ab homine, fermentum a muliere, 99. In eo tres farinæ mensuræ ut Trinitati applicentur. Fermentum habent fides, perfidia, et resurrectio. Est sacramentum cœlestis doctrinæ. Non est moles magnitudinis, sed tumoris, 172.

Ferrum duratum in teneris uberibus, quando, 152.

Fertilitas erit ei qui fuerit largus in pauperes, 104.

Fervor est obsequium rationabile, 109.

Festivitas ecclesiastica non est infructuosa, 85. Non consecranda pro nostris voluntatibus, sed pro suis virtutibus. Diem festum e cœlo nobis præstat Deus. Natalitia Domini a sole revocata, 87. Festivitatis gaudium habeat misericordiam in egenos, 103. Festivitates cœlestes Judæus decimis honoravit, Christianus vel centesimis honoret. Earum pompa reddidit obstinatos Judæos, 11. In festivitatibus sanctorum eorum laudes referendæ in quantum sufficit, 122. Gaudia festivitatum hominum sint cauta, quomodo, 127. Festivitates sanctorum non celebrantur in epulis profusioribus, sed in imitatione sanctorum, 129. Annuæ celebrantur ad nostram recordationem. Ecclesia lætatur in sui filii festivitate, 130. Festivitas martyris ut celebretur, 155. Festivitas septimi mensis, 139. Festivitates Domini suis vocabulis causas suas eloquuntur, 157. Epiphaniæ fit quotannis ad hominum memoriam, 160. In festivitatibus procurandum, ut omnes ad Dei gratiam recurrant, 10. *Vid.* Solemnitas, Sabbatum, Epiphania.

Fenus. Triste est semper vinculis fenoris alligari, 88. Christus dedit, non accipit in fenore, et promittit se exacturum, 123. *Vid.* Usura.

Fetor. Quod alienis operis eversori fetet, non fetet sui operis amatori, 65. Fetor Lazari ad ostendendum divinum miraculum. Deus fetentibus dat vigorem. *Vid.* Lazarus, Martha.

Ficus. Quomodo tegit Adam, et Zachæum, 54. Arbor pro similitudine data, 106. Producit grossos in florem, sed projicit, 106. Symbolum Synagogæ. Non signat præsentia, sed indicat futura. Ad eam currit post culpam Adam, et sub ea quærit illum Christus. Non tegebat, sed nudabat verecunda, et stimulabat pudorem. Sterilis stercoratus.

Fiducia impetrandi postulata tunc est, quando oratori rex dictat supplicationem, 70. Fiducia nostra ex familiaritate Christi, 144. Fiducia data credituris ex fuga Christi, 150.

Fidelis. Christus fidelibus ministrabit epulas, infidelibus sententiam, 24. Eis Vesper lucescit, 75. Gaudeat invenisse Christum verum Deum, 88. Illum non latet divinus sensus celatus in verbo Dei, 99. Dignus dicitur Dei auxilio, 102. Fidelibus semper notus Christus, 131. Cum fideli Deus est, cum infideli homo, quomodo, 145. Fideliter currentibus occurrit Christus, 80. Fidelis clarior sole, 36.

Fides. Pater divinus fide quæsitus statim adest, 3. Fides non requirit arbitros, 9. Ad fidem ducendi sunt infideles, 10. Et qui, et a quibus. Quibus, et quomodo danda sint fidei signa, 11. Per fidem salus gentium, 18. Dæmonisque debellatio. Cur modica fides discipulorum Christi, 21. Fides subito curat quod ars diu non curat, 33. Dat salutem, 34. Nebulæ fidei mulieris hæmorrhoissæ fugantur, 36. Fides stat per orationem, jejunium et eleemosynam, 43. Cur a Christo respiciatur fides offerentium paralyticum, 50. Fides patris filio prodest, infidelitas obest, 51. Fides et confessio, salutis sacramentum, 56. In corde, non in chartis ponenda. Auditu capitur. Fidei compendium est corde credere, et ore confiteri, 56. Fidei sacramentum purgat labia immunda, et alia facit, 57. Non committenda chartis, 57 et 58. Qui fidem quærit, rationem non quærit, 58. Compensatur a Deo. Unde fides colligat argumentum resurrectionis Christi. Fides ex auditu, auditus ex verbo, 59. Res sequitur in fructu, si fides præcessit in semine, 60. Fides tradenda memoriæ, non libro. Perfidis fide sacramentum perniciosum. Radicata fides in profundo pectoris extollitur in cacumen credulitatis, 61. Fidei confessio fit ore ad salutem. Fide homo designatur incola cœli, etc., 62. Reverenter amplectenda. Fidei confessio cito remunerata, 68. Quid valeat fides, 71. Fides mulieris de sepulcro, 74 et 77. Fidei fundamenta super petram, 74. Docuit resurrectionem Christi, 76. Recepit Christum ab inferis, 77. Fides mulierum turbata in passione Christi. Stabilita, 18. Fides discipulorum Christi altius requisita, 81. Mulierum cæca, 82. Fidem suscepturos a terra divisos, magos, Græcos, Romanos, prophetatum, 83. Moritur qui sine fide est, et quomodo. Fides curat morbos, 83. Paulatim perfidis infundenda, 87. Fides primum ex credulitate. Fides dat verbum, infidelitas negat, 90. Fidei mentitur, si quod facit magus, non facit Christianus, 91. Fides requiritur in conceptu et partu Virginis, 92. In fide putati pares, aliquando sunt dispares, 97. Fide accedimus ad Deum. Fides habet suum fermentum, 99. Inclinat Dei voluntatem ad revelanda secreta, 100. Ea jungimur Deo. Fides gentium rapuit, quod sprevit perfidia Judæorum. Et fecit vim ut raperet patris hæreditatem. Christus se Deum ita manifestat, ut etiam sit locus fidei, 102. Fides servos promovet in amicos. Vivit et viget in gentibus. Fidem quærit Deus, non mortem, 108. Fides offerenda Deo ad perfidiæ destructionem. Vexillum fidei erectum ad Judæorum et gentium salutem, 110. Salus tota in fide. Fides est dux viæ Christi, in qua stamus Fides unde tota esset periculis plena, lex aperuit, 116. Tota spes fidei est in resurrectione mortuorum, 118. Accipienda fides, quia datur gratis. Fides et devotio martyrem facit, 128. Fides sola attingit Deum, 131. Fidelis agnoscit quod nescit infidelis. Fides non arsit in Laurentio, sed ardentem consolata est, 135. Fidelem tenet promittentem. Orandum ut augeatur ad æterna bona credenda, 139. Fide cognoscitur Verbi incarnatio, 141. Sine fide ne minima operum Dei assequi possumus. Fides ratione Dei subsistit, non hominis. De fide Evangelii codicilli sumendi ad coronas æternas, 144. Fides promissionis factæ David impletur in Joseph, 145. Corda mortalium ad fidem excitata per Christum, 151. Significata in thure, 159. Fides gentium dedicata ex credulitate magorum, 160. Eo pervenit fides, quo non perveniunt cogitationes humanæ, 163. Auget nos ad mensuram Christi, 163. Christus ad fidem promissi auditores perducit exemplo. Differentia inter simpliciter fidelem, et scienter fidelem, 166. Ad firmitatem fidei dæmon insanit, 149. *Vid.* Perfidia, Confessio. Qui auditu fidei secretum conscendit, ad totam rem pervenit, 142. Ne fidei germina necarentur, tempora partita sunt in stillicidia, 143. Christum non tangit manu, qui fide prius non tangit, 76. Flumine linguæ bibitur fidei auditus, 79.

Figura, seu parabola filii prodigi tribus de causis profertur, 1. Figuræ dicuntur a Domino ad nostram correctionem, 2. Prodigi figura quomodo applicetur nobis. Quomodo Hebræo et gentili attribuatur, 5, *per tot.* Figura de fideli dispensatore omnes tangit, 26. Paralyticus figura Judæorum, publicanus gentium, 30. Manum aridam habens cujus figura sit, 32. Hæmorrhoissa figura Ecclesiæ, 35. Figuris præsentibus futura mysteria nascenda 36. Joannes figura Christi. Jacob figura Christianorum, 73. Christus loquitur in parabolis et obscure, cur, 96. Figura de grano sinapis, 98. De fermento, 99. Parabolæ traduntur de rebus notis omnibus, et cur, 99. Dicuntur ad instruendos populorum animos, 106. Adam figura Christi, 117. Figura villici iniqui pertinet ad populum, 125. Est figura populi gentilis, 126. Filii redeuntis ad patrem significat hominem baptizatum, 137. Figura Ecclesiæ sponsæ est Maria virgo, 146. Christi est Joseph. Figura Christi fugientis in Ægyptum quid significet, 151. Duo animalia præsepii sunt figura duorum populorum, 159. Populi Judaici figura rubus, 164. Figuræ adimplendæ, 166. Figura ovis perditæ explicatur, 168. Drachmæ perditæ, 169. Fratres epulonis figura Hebræorum, 123. Dæmoniacus figura populi gentilis, 52. *Vid.* Forma.

Filius indignus prærogativa filii, quando non possidet bona cum patre, 1. Prodigus quo ausu petierit portionem a patre. Beatus, si pater substantiam ejus teneat. Infelix, et quomodo si sine patre possideat. Convivens parentibus et propinquis, quæ bona. Patri ingratus transit in bestiam, 2. Apud patrem intercessore non eget. Cur dicit: *Non sum dignus vocari filius*. In libertate, ad quæ mala tendat. Ut caveat diabolum, maneat cum patre. Et ut fruatur semper paternis bonis. Filiorum peccata redimuntur osculo, 3. Filii peccatores redeant ad patrem. Filius abscedens dives

a patre, redit discalceatus. Senior filius ob invidiam perdidit bonum frugalitatis, 4. Ignarus filius judicans patris pietatem, 4. Filius est substantia patris. Filius senior est Judæus; junior gentilis, quomodo, 5. Filius cœlestis patris veniam petat, et panem. Filius non generatur absque Dei auctoritate, 6. Patri non credens nescit se filium, 7. Est patri ingratus, si illum non honoret muneribus, 10. Filii sint grati erga parentes, 33. Fabri filius. *Vid.* Faber. Filius Dei nil requirat præter cœlestem patriam, 49. Filius quando repleatur dæmone, 51. Filius suspectus de largitate patris quid agat, 54. Filius Dei probatur, qui non obscuratur vitiis, etc., 67. Filius generi respondeat, 68. Impetrat a patre quæ sancta sunt, 70. Multa prece non laborat. 71. Filius petit ex necessitate, pater dat ex charitate. Placet justa petens, displicet stulta requirens, 71. Filii degeneres puniuntur. Dura tempora dominationis paternæ, propter spem hæreditatis. 71. Filii Dei hæreditatem vivente patre possidebunt. Filii militant Deo, antequam parentibus nascantur, 72. Filius non est uni tantum genitus, qui cunctorum est creatus ad gaudium, 88 Filius decrepiti vinum nescit. Laudatur ex gloria patris, 89. Filius dicitur illius cujus vitia, seu virtutes habet. Quod parentes de filiorum meritis judicent, e cœlo est, 107. Filius magis impius ex pietate patris, 123. Vocatus sub nomine filii, et damnatus graviter dolet. Filius quod patitur judicii est, non furoris. Qui genitoris opera non facit, negat genus. Filius ditat, qui plenissimam charitatem relinquit, 162. Pro se sollicitus filius culpat superstitem patrem, 163. Prodigum non passus est esse in secundis pater, 3. *Vid.* Pater.

Fimbria vestimenti Christi, quam tetigit hæmorrhoissa. *Vid.* Hæmorrhoissa. Quæ sit hæc fimbria mystice, 34.

Finis quem justo dat Christus in morte non suscipit finem, nec interficit, sed perficit, 114. Finis delictorum erit in resurrectione carnis, 117.

Flagellum Dei est propter culpas nostras, 20. Super nos inundat. Deus dormire dicitur, ideo excitandus, quomodo. Homines a Deo flagellati penuria pestilentiaque, peccatis tamen inhærebant, 45. Ex contemptu Dei venit, 43. Flagella Dei cessabunt, si convertamur ad Deum, 20.

Fletus. Flendum est, quod unius delicto totus mundus fuerit condemnatus, 111. *Vid.* Lacrymæ, Planctus.

Flores camporum grati, sed gratior panis, 18. Grati sunt flores, sed usque dum perveniatur ad poma, cur, 62. Multi flores multitudinem fructuum pollicentur : sed ventorum flabris exanimati, paucissimi ad fructum perseverant, 97. Quando aliud appareat habeatur in specie. Hortus Ecclesiæ flagrat sempiternis floribus, 98. Flores odorati sumuntur a Christo ad nostrum exemplum, 165. *Vid.* Lilium, Rosa.

Flosculi verborum non quærendi, sed fructus in explicatione sacræ Scripturæ, 18. In frutice horrenti flosculi miri odoris germinantur, 49. Flosculi legales deceperunt Judæos, 106.

Femina. Feminæ apostolos præcedunt ad ministerium, quæ ordine sequuntur discipulos, 75. Deferunt typum Ecclesiarum ad Dominicum sepulcrum, 75. Cur venerunt videre sepulcrum, non Dominum, 75. Femina generat nobis Christum ex sepulcro. Feminæ duæ figura Ecclesiæ, 76. Tenent typum evangelicæ prædicationis. Fide tangunt vestigia Salvatoris. Femina mortis interpres fit nuntia resurrectionis, et alia, 79. Non præponuntur apostolis. Per virum et feminam causa mundi finitur, 99. Per feminam vitam meruimus, 142. Femina virgo seducta maritum virginem inducit ad esum cibi, 148. Fit materia totius ruinæ, quæ facta fuerat ad solatium singulare. Hincque primum hominis peccatum. Feminarum pericula si Joannes non evasit, quis inter eas vivens securus evadet? 174. *Vid.* Mulier.

Fons frigidus sitienti lætus, 46. Ore angusto manans magis fluviorum laticibus ampliatur, 61. Ut sensim crescat, 59. Fons Solymæ abundat, cum impellit angelus, non cum sitit hauritor, 86. Fons non sitit, 110. Fontes natura grati, salsedine ingrati, 111. Fluvius deservit fonti, 11. Si ejus vena ditatur suo irriguo, felix, 136. Siticulosus fons in pectore Pharisæorum, 172. Fons veniæ. *Vid.* Veniæ. Christus fons voluit dilui, 90.

Forma seu figura sæculi ab Apostolo correpta, 120. Quæ sit, declaratur ab eodem. Ad formam Christi nos revocat Apostolus, et quomodo. Variæ formæ a regibus Persarum sumptæ ridiculæ, 120. Formam passionis Christi Petrus et Andreas in se ipsis exprimebant, 133. Cur formæ variantur a Deo, 170. Imperfectis oculis grandescunt formæ, 176.

Fortis malis non turbatur, 47. Fortis miles provocat palam spectantibus omnibus, 97. Fortes non prosternunt adversa, 124. Fortium sudor superatur a lacrymis parvulorum, 128.

Fragilitas est febris, quæ erumpit in phrenesim vitiorum, 41. Quæ sit, et multa de illa, 41. Mala quæ veniunt ex ea. Ut curetur. Fragilitas semper tendit ad lapsum, 42. Humana quos effectus producat, 45. Ejus descriptio, 68. Ut succumbat in conflictu, 68. Humana circa divina quanta sit, 90. Humana jubetur tantum dare Deo quantum dedit mundo, 114. Humana ut passionibus in qualibet ætate perturbetur ad lapsum, 115. Humana succumbit portatura Deum, 142. Corrumpitur sanie vitiorum, 167. Cito cadit; quæ socios despicit, 170. Innata cogit nos peccare, 34. *Vid.* Infirmitas, Passiones.

Frater oratione, jejunio et lacrymis juvandus, 20. Fratri qui subvenit, sibi subvenit. Quis frater dicatur apud Hebræos, 49. Cur discipuli a Domino fratres dicantur, 80. Fratres epulonis figura Hebræorum, 123. Frater est in febre et furore, fratrem cum lædit, 139. Christus frater noster factus est, 162. Invidus animus fratri, patri gratus non est, 4. Invidus credit damnum, dum conspicit cohæredem. Fratrem vult perdere Hebræus per invidiam, 5. Fratrum pictura cum concordia quid significet, 149.

Fraterna charitas orat Dominum in periculis fratrum, 20. Per eam abstrahendi sunt peccatores a perditione, 155. Ubi non est, nec gratitudo erga patrem, 4. *Vid.* Unio, Concordia, Amor, Proximus.

Fraus lædit homines, 62. Fraudis manent pœnæ, 97. Fraudes timere non potest, cui deperire nil potest, 97. Quando fraus sit pia, 125. Fraus villici, 126. Ex ea tota perditur fides. Creditor supernus fraude non prævenitur. Villici quare probata a Domino, 126. Fraus in se reversa colliditur in Herode, 152. Felix quæ, 35.

Fremere. Cur Christus in resurrectione Lazari fremat variæ rationes, 65.

Fructus factus post terram, dat vitam et substantiam, 117. Centesimus quando debeatur ab homine suo auctori, 126. Fructus a terra non habet homo ante laborem, 142. Fructum copiosum quando villicus habet, dominum venire ad lucrum suum cupit, 158. Interpretantis mysticas Scripturas, 96.

Frugalitas summum bonum est, 4.

Fuga sumenda de hypocrisi, alias cademus, 7. Fugiendum a facie mulieris, 127. Nostra fuga excusatur ex fuga Christi, 150. Fuga bellicosi ars est, non pavor. Fuga potentis se subducentis infirmo, cur. In persecutione melius est fugere quam negare, 150. Fuga utilis, 151. Fuga martyris non comprehensi necessaria. De invidia statim sumenda, 172. Devoti militis non est sui ducis describere fugam, 150. Fuga discipulorum Christi, dum ipse capitur, an culpabilis, 133.

Fugientes ut revocet, Christus fugit, 150. Fugientes homines excusantur fuga Christi. Domino fugiente non est indignum fugere servum, 151. Fugiens Deus peccatorem, parcit, 131.

Fulgur non illuminat, sed dat pavorem, 64. Fulgur angeli resurrectionis Christi, 74. Fulgura cum aliquid dissolvunt, sensus, mentesque hominum corripiunt, 171.

Funus divitis et pauperis describitur, 121.

Fures de necessitate nascuntur, 7. Sua largiantur, qui furabantur aliena, 113. Qui semel cœpit furari, nec desinet in oculis Domini, 126. Fur amat noctem, 158.

Furor est irrationabile obsequium, 109. Furor est fratris, proximo cum ipse deliquit, 139. Furor fratris in fratrem ægritudini ascribendus. Furor nescit carere dementia, et quomodo, 173.

Furtum hæmorrhoissæ nullum dedit furato detrimentum, 33. Fuit pium, quia fide attrahente commissum. Fuit felix, 35. Furtum tota celeritate reddatur, 123. *Vid.* Latro.

Futurum datur intelligi ex præsentibus, 47. Futura non accipit judæus, quia de præsentibus est ingratus, 48. Futura jam facta sunt Deo, 70.

G

Gabriel Angelus apparuit, locutusque fuit Zachariæ, et est servus Dei, 90. *Vid.* Maria virgo, Angelus.

Galla Placida, mater Valentiniani imperatoris, interfuit consecrationi Chrysologi archiepiscopi, 130. Possedit augustam Trinitatem, et quam, et cur. Sacerdotes rogantur orare pro illa, et filio Augusto.

Gallina, Gallus. Deus sicut gallina nos educat, ducit, vocat, et descriptive, et cur, 170. Gallus quid impendat hospiti, 21.

Gaudium habet pater plus de venia in filium, quam de justitia, 3. Gaudendum cum cæteri gaudent, 6. Ad gaudium cur terra vocetur. Gaudium David cum agni Christiani nutrirentur lacte, 6. Gaudium nostrum est cooperari Deo in salutem animarum, 10. Socius in labore etiam in gaudiis habendus est, 40. Ut gaudium conveniat cum lacrymis, 46. Gaudium de malo pauperis luctu compensabitur, 47.

Gaudium post lacrymas, 65. Ex resurrectione Lazari. Gaudia desiderata vix creduntur, et dant stuporem, 81. Gaudium gratius post mœrorem, 84. Gaudium festivitatis sit cum misericordia in egenos, 103. Gaudia cauta sint in festivitatibus, 127. Sumendum gaudium ex victoria, et exemplo sanctorum, 129. Gaudium cum Ecclesia est in pace. Hæretici in ira, 149. Gaudiis non miscenda tristitia, 175.

Gazophylacium Christi est manus pauperis, 8.

Gehenna, quæ exurit reos, innocuis deservit, 166. Ejus ignibus qui deputentur, 163. *Vid.* Infernus.

Gemitus noster non necessarius, quando, 166.

Generatio hominum et animalium ostendit divinum amorem, 55. Duplex, qua nascimur, et qua renascimur, 126. Generatio divina testem nescit, 160. Primordia generantis sunt omnibus duriora, 175. Via generatur in via, quomodo. Hominis non sit sine Deo, 6. Generatio Verbi divina. *Vid.* Trinitas, Divina.

Generosus animus facile contemnit quæ magna putat, 29. Ut delicta præveniat, et conculcet, 116.

Gentilis populus dicitur filius junior, 5. Beneficia quinque naturalia fuerunt ei portio substantiæ. Hæc poterant illum ducere ad cognitionem Patris cœlestis. Fuit in principio mundi idololatra. A Deo peregrinus non loco, sed animo. Sæculari scientia dissipavit patris substantiam, 5. Dæmonis idololatra. Nec veritatem didicit. Ejus stultitia. Recessus a Deo ad gulam. Gentilis a Deo permissus, ut ex malo fieret bonum. Rediit ad Patrem. Peccavit in cœlum idololatrando. Ad congregandas dispersas gentes, Deus induit personam pastoris, 6. Gentilis sanatur in vespere, 18. Est idololatra. Ad gentes Christus venit non carne, sed Verbo. Gentilis extra quatit Domini navem, 21. Ut insurgat contra fideles, 40. In dæmoniaco figuratus non sanatur, nisi a Christo, 52. Gentilis veniens ad Christi fidem prius exorcismis purgatur. Lætatur gentilis se deos fugisse profanos, 57. Derogat nomini christiano, 69. Cæcitas in parte facta in Israel, donec plenitudo gentium intraret, 73. Salus gentium et Judæorum a Christo juncta, 78. Gentilis credit non viso Christo, 83. Gentes exteræ, quæ susceperunt fidem. Gentilis fecit sibi creaturas esse Deos, 89. Fides gentium rapuit quod Judæorum perfidia sprevit, 100. Et vim fecit Christo. Canis quomodo lambat Christum panem, 100. Gentilis, id est Christianus alios ducit ad Christum, 102. Diligit gentem Hebræorum. Tantum gentili Christus est junctus, quantum a Judæo disjunctus. Gentilis laudatur ex fide. Gentium vocatio et obedientia. Gentilis sacrilegus, 103. Deorum monstris obsequens Deum verum ignorat, 111. Cur per naturam superbire non debeat, 110. Gentilis figuratus in villico iniquitatis, 126. Convenitur ad reddendam naturalis boni rationem. Gentilis jam Christianus Judæum interrogat. Gentiles Christiani effecti, quomodo Judæis prudentiores sint. Gentes a Joanne præparantur ad Evangelium et pœnitentiam, 137. Cur simulacra finxerunt, 147. Christus venerat ut gentes introduceret ad fidem, 151. Gentes anteponendæ Hebræis, 151. Gentiles suos deos fœditatibus trahunt videndos, 155. Gentiles vindices injuriarum Dei, et quomodo. Gentilis asinus agnovit Dominum suum, et quomodo, 159. Gentium credulitas dedicata ex fide magorum, 160. Sata gentium a Christo purgata igne artifici, 164. Gentilium conversio operata ab apostolis, qualis, 51. Fuit bestia, quomodo, 23.

Genus. Temerarius est qui discutit de genere, 72. Genus negat, qui genitoris opera non facit, 123.

Gladius vitalis quando occidit, non dat mortem, 108.

Gloria comitatur virtutes, 31. Christi resurgentis sepelivit injuriam morientis, 75. Gloria filii laus est patris, 89. Major est innata quam quæsita, 89. Ad gloriam nascitur qui liber est, 101. Gloriæ tantum subjiciatur homo, quantum fuit subjectus turpitudini, 114. Ad coronam gloriæ hortamur ab Apostolo, 119. Pro ea currunt Hebræus, philosophus, hæreticus, et Christianus, sed hic unus illam accipit. Pro æterna gloria certandum, et contra quos. In gloria ut sancti exerceant officia pia, hic ab eis præstita, 121. In gloria sancti vident cruciatus malorum, 122. Gloriam æternam laboremus possidere, 124. Gloria æterna hic paratur quomodo, 144. Nostra ut sepeliatur, 1. In ea sancti vident quidquid est divini luminis, honoris et gloriæ, 176. *Vid.* Beatitudo, Æterna. In gloria non erit tempus, 82.

Glorificare Deum debemus publice post gratias acceptas, 56.

Gratia Dei nos ducit ad illius conspectum, 6. Ut infirmis detur a Deo. 50. Quomodo justificat peccatorem abortivum, 56. Gratia Dei audimus, et respondemus de fide, 58. Gratiæ agendæ de præstito, 65. Gratia facit hominem terrenum esse cœlestem, 72. Gratia vocamur, 81. Intromittit in templum quod lex deducit ad januam, 86. Joannes Baptista, ut pervenit ad gratiam, 88. Gratia referatur ad gloriam nominis Dei. Per eam justificamur, 91. Gratiæ singularis est, esse in omnibus justum. Præveniens, et efficax, ut ducat ad Christum, 93. Gratiam agnoscere indignus est, qui legem abscondit, 96. Gratiam habere justi fatentur, per quam stant, et sine qua pereunt, 97. Gratia etiam reprobis offertur, 100. Gratia a domino spreta datur servo. Gratia vocat ad Deum, 102. Gratia Christi redimus ad vitam, 112. Ut gratia abundet, non permanendum in peccato, 113. Data est a Deo homini, non data peccato. Gratia manumittente liberantur a servitute peccati qui sub lege sunt, 114 Gratia vocat hominem servum, qui est vere liber. Adoptat hominem in Dei filium. Per gratiam solvendum quod per naturam non potest, 126. Gratiæ baptismatis effectus, 137. Qui gratiam invenit, timere nescit, 142. Gratia Spiritus sancti docet mysticos sensus in Evangeliis latere, 169. Lavat unicum gratiæ lavacrum, 171. Gratiæ libertas, 176. Ad Dei gratiam quilibet ducatur, 10. Mariæ gratia. *Vid.* Maria virgo. Dei illius liberali gratia, *fuse*, *per tot.* Gratiæ magnitudo cognoscitur ex magnitudine reatus, 54. Gratia perseverans quando, 68.

Gratus Deo sit dives, quando pauper in malis est gratus, 124. Gratiora sunt accepta, quam possessa, et inventa magis quam subjecta, 69. Resurrecturus homo sit gratus Deo, 101.

Grex dæmonum mittitur in gregem porcorum, cur, 16. Quare Christiani vocantur pusillus grex, 22. Grex mitis quomodo vicit varia genera bestiarum, 25. Imitatur Christum. Vincit cum perdit.

Gula ducit ad famem, 1. Epicurus de gula auctor desperationis, 5. Gulæ complacere noli, dum jejunas, 12. Adam e paradiso gula extraxit, 12. Gulæ pretio mulier emit mortem, 63.

Gutta quam petit epulo ad quid, et quid egerit, 124. Gutta et mica sufficit ad refrigerium pauperis. Gutta roris sancti Christo oculos peccatoris baptizat, 176. Ex ea resurrectio credibilis ostenditur. *Vid.* Mica.

H

Habita perdidisse major est dolor quam numquam habuisse, 123.

Habitaculum innocens torquetur sedere habitatoris, 17. *Vid.* Domus.

Habitus. Ad quid mutetur a Deo, 170.

Hæmorrhoissa. Occulto vulneri ut remedium quærat, 33. Ancipitibus cogitationibus cumulata. Fide curatur. Cur stabat a longe, nec loquebatur. Cur furatur sanitatem. Ad fidem furtumque confugit, 34. Ut agebatur procellis cogitationum. De summitate fimbriæ ad summum Deitatis pervenit. Quomodo accessit retro. Fides illius, 34 et 35. Docuit quantum sit corpus Christi tangere, 35. Ut habeat veniam tacita confessione, 34. Ut Christus ad illam conversus sit. Media inter vulnus pudoremque quid fecerit, 35. Conscia doloris, non peccati, accessit retro. Cur tetigit fimbriam. Scientia, sacramento, et fide magna. Est figura Ecclesiæ. Dominus non quæsitus illi occurrit, 36. Inter ipsam et Dominum est commercium furtivæ salutis. In multitudine est sola cum Christo. Cur quærit Christus quis tetigit vestimenta sua, 36. Deus laudatur in ea. Ante curam latet ex verecundia, post venit in medium, ut gloriam Deo referat. Cur annos duodecim infirmitatis haberet. Ejus pudor celatus etiam a Chrysologi silentio, 86. Tangens Domini fimbriam non eam polluit, sed ipsamet sanatur, 94. De ea, 100.

Hæreditas filiorum, id est, Judæorum translata ad gentes, 100. Adæ parentis nostri crudelis, quam nec placuit adipisci, nec licuit renuntiare, 111. Hæreditas melior non est vinculo divinæ charitatis, 162. Mundana quæ secum mala teneat. Est pugna, est noverca filiorum. Divina hæreditas dari, sed dividi non potest. In hæreditate non est contentio, si removeatur avaritia.

Hæres erit Christianus beatus patre semper vivente, 71. Homines hæredes Adæ sui, et necessarii, 111. Bona collata amiserunt, mala adepti sunt. Bonorum mundanorum hæres quid petierit a Domino, 162. Hæredes ditat, qui illis plenissimam charitatem relinquit. Christo per gratiam cohæredes sumus. Hæres impatiens est, qui patris fatigatur ad vitam, 1.

Hæreses tot pene Ecclesia patiebatur, quot divinæ legis erant quæstiones, 21. Ad quid hæretica zizania a dæmone superseminata est Evangelio, 96. Hæreses Arii et Photini, 109. Omnes Deum blasphemarunt. Hæresis est dicere, Christum corpus aerium assumpsisse, 144. Item quod Pater sit major Filio, 2. Hæreses sunt circa nativitatem Christi, 145.

Hæreticus intra, gentilis extra Dominicam navem quatit, 21. Blasphemat Christum, 24. Quasi canes extranei dente rabido carpunt Christianos, 40. Sedit in cathedra pestilentiæ, 44. Est contra generationem filii æternam, 60 Post sepulturam Christi dicit : exspectet, 62. Pascitur in

juriis Christi. Christum esse Deum credat, et qua ratione, 88. Redeat ad Ecclesiam, 98. Cognoscat Dominum venisse ad servos. Perdit Deum per naturam, inveniet per fidem. Currit pro corona gloriæ, sed eam non accipit, 119. Assertio fidei hæreticorum est venenata, jejunant, dant eleemosynas, sed frustra. Hæreticus non credit post causam, 142. Ubi generet perfidiæ suæ nebulas, 144. Quomodo in ira sunt, cum Ecclesia est in pace, 149.

Hebræus, seu Judæus. Ejus invidia ostenditur in figura filii prodigi, 1; *item*, 4, *per tot*. Judæus fuit filius senior, 5. Ejus portio substantiæ fuit lex divina, 5. Non ingreditur Ecclesiam ob invidiam. Gentilem judicans ex pristinis moribus se privat gaudiis paternis, 5, 31. Loquitur, sed non facit. Est cum patre per sanctos Hebræos. Habet omnia quæ patris sunt, etiam Christum. Sed per invidiam omnia perdit. Christus manibus Judaicæ gentis operatur salutem, 18. Ejus manus immunda a Christo mundatur. Miratur cur Jesus misceatur conviviis peccatorum, 29. Figuratur in paralytico, 30. Judæi sunt germen viperinum, 31. Eorum insidiæ et doli erga Christum. Sunt utres veteres. Vinum novum Evangelii non habebunt nisi Christiani fiant, 31. Hebræus non recipit Christum Synagogam intrantem, 32. Hebræus jungitur Herodianis, ut Christianos invadat. Error Hebræorum pravior fluctibus maris. Infamat Judæus resurrectionem Christi, 37. Ut quærat Christum. Condemnabitur a Ninivitis et regina Austri. Quomodo faceret vindictam, 38. Sit utile exemplum Christianis, 46. Lex spiritualis Judæorum quomodo amissa, 44. De Christi miratur ex indignatione, 48. Tentat obscurare virginitatem Mariæ. Nequitia Hebræorum contra Christum, *late*, 49. Fatetur veritatem invito. Quid dicat de Christo et discipulis ejus dæmoniacum curare non valentibus, 51. Diabolo nequiores. Conversi ex hominibus in canes, 55. Vident Christum petram, serpentem, scorpionem. Ultra sepulturam nil aliud dant Christo, 62. Ad Lazari resuscitatum non convertuntur, 64. Judæorum Pascha non conjungitur cum nostro, 73. Dies illis vertitur in noctem, 75. Cæcus peccata taxat pretio, emit sanguinem Redemptoris, et perfidiam resurrectionis Christi, 76. At pecuniam perdidit, se et posteros occidit. Dolet Christum resurrexisse, non illum occidisse. 80. Emit, ut perdat. Vult Christi resurrectionem esse furtum. Discipulos perdere quærit. Quid causaverit in morte Christi, 81. Quare Christum scire miratur, cum non didicerit, 85. Hebræorum sanctitas usque ad tempus Herodis, 86. Cur illis a Christo in parabolis prædicatur, 96. Laniat pastorem, 100. Rogant pro gentili, non pro se, nec pro filiis, 102. Odit gentem suam. Judæus amatus, laudatus a Christianis. Ibat corpore, non mente cum Christo. Hebræus quantum se a Christo sejungebat, tantum Christus jungebatur gentili, 102. Inimicus Christiano. Hebræorum repulsa. In eis signa et virtutes nil proficiunt. Cœlestes sensus terrena intelligentia pervolvit, 105. Præter rationem quærens Deum, amisit, 109. Excolens legem sine ratione legis, auctorem legis interemit. Non debet excoli, per legem, 110. Perdidit templum, sacerdotium, sacrificium, incensum, purificationes, devotionem solemnitatum, 114. Circumciditur, quia præsentis bonis abscissus est. Maledictus quia in omnibus offendit. Per legem currit pro corona gloriæ, 119. Sed eam non accipit. Christo credere de bonis cœli et malis inferi noluit, 123. Interrogatur a gentili facto Christiano, 126. Cur deberet centum cados olei. Relictus in filium sæculi, et est minus prudens gentili Christiano. Exasperatur videns Deum hominem, 131. Hebræos omnes perfidia excepit. Livor ejus et blasphemiæ erga Christum docentem Lapides tulerunt, ut se, non Deum, occiderent. Sordes illorum flumen lavare potest, 137. Nuncupantur genimina viperarum, 137. Judæi a diversoriis Dominum excluserunt, quem jumenta suis in præsepibus susceperunt, 141. Pavet Judæus, quod Christus nascatur, 146. Partus Virginis Judæo celatur, ne occidatur. Venit Christus ut de contemptu legis veniret Judæus, 151. Castigatur illorum perfidia fide gentium. Judæus fugavit Dominum, Ægyptus recepit. Gentes antetponendæ Judæis in fide, 151. Turbatur infantia Christi, 158. De venia non sperant, nec de correctione. Nuntius salutis Judæo male audienti conversus in ruinam. Domino nascenti parat mortem. Bos Hebræus Dominum suum agnovit, quomodo, 159. Crudelitas Judæorum notata ex fide magorum, 160 Cespes Judaicus pro tritico lolium, pro vitibus spinas dedit, 164. Ut dividatur pater in filium, et filius in patrem allegorice. Gloria Christi est illi pœna. Judæus pater Christi a filio per invidiam separatur. Judææ prædicatur a Joanne, 167. Judaica domus cæca, 169. Fuit prius homicida legis quam Christi. Decalogi corpus retorsit in Christum. Judæi si Dominum Deum credidissent, ad ruinarum barathrum non venissent. Lavat ad purificationem vasa, non seipsum, 171. Deicidæ fuerunt ex invidia, non facto, sed voluntate, 172. Judæus est cæcus a Christo sanatus, quomodo, 176. *Vid.* Pharisæus, Scriba, Lex.

Herodes similis Vulpi, 19. Inimicus Christo. Mala quæ fecit Hebræis, 86. Sacrum morem sacerdotii violavit, 89. Non est ausus in Zachariam. Rex nefandus. Ejus opprobria viginti enuntiantur, 127. Sanguinem Joannis absorbuit. Judex perversus, et quomodo. Furit, quia arguitur. Ejus puella saltatrix, 5. Infra *vid.* Saltatrices. De natali suo mortuus est. Occidit infantes, 146. Per Herodem diabolus quærebat Christum ad mortem, et cur, 150. Pro temporali regno quærit exstinguere æternum, 152. Dolet se illusum, innocentes necat. Ejus vitia. Fugitur a Christo. Mala in quæ cadit. Quærit Christum gladiis. Rector populi quid mali agat. Omnia paravit ad accusationem, et pœnam, nil ad excusationem. Herodes tyrannus quid fecerit Judæis, 156. Infantia Christi turbatus, descriptive, 158. Cur occulte vocat magos. Timet regnum, non Deum. Cur dicit *renuntiate mihi*. Erat locum tenens diaboli. Ad quid vellet ire ad puerum. Significat diabolum, 159. Ex invidia sævit in pueros, 172. Ignorans confitetur, quia in Christo resurgit occisus, 173. Cur Joannem resurrecturum occidit? Testis criminis sui. Laudatur ironice. Cur tacet, quare decollaverit Joannem? Herodes et Herodias nomine et vita consimiles. Quid illa fecerit et ob eam quid Herodes. Judicat secundum crapulam. Herodianæ cœnæ cruentas epulas terra et cœlum horruit, 174. Filius noctis, non diei. Vocat omnes potestates in socios convivii, in testes criminis. Suam credit Herodes filiam saltantem cum impudicam vidit. Caro in Herode oppressa crapulis, quid promitteret, et cur. Ejus convivium quid causaverit. Dum honestatem abjurat, virtutem jurat. Interemit pœnitentiam in morte Joannis. Herodes et Herodias nomina sociata crimine, vocem occidere credunt: eorum contrapositiones cum Joanne. Herodiani juncti Hebræi, 32. *Vid.* Saltatrices, Ebrietas, Jejunium, Joan. Baptista, Historia. Relatio historica ad altiorem intelligentiam sublimanda est, 36. Qui puræ historiæ tantum adhæret, dictione Deum inhonorat, 95.

Homicida nil habet amoris, 152. Homicidium damnavit Joannes occisus, 174.

Homo. Videlicet bona hominis. Filius Dei appellatur, 10. Quod nascitur, quod est, debet Deo totum, 6. Respondeat generi, 10. Lapides ut convertantur in homines, 13. Ad Christi præsentiam liberatur a pœna, 16 et 17. Diu noctuque vigilet, et ad quid, 21. Sua in cœlo reponat, 22. Sibi parcat, 23. Obligatur exigua cartula, 25. Habet, quod dat pauperi, 41. Ad Deum confugiat, 45. Ad vocem Dei convertatur, 46. Illi salus ab egressu et ingressu Domini, 49. Per generationem nascitur, ut divinum agnoscat amorem, 55. Sæpe nascitur in septimo mense, 56. Habet ex Christo novum ortum, 57. Accessurus ad Deum mundetur, 59. In obscuritate noctis lucernam Verbi Christi petat, 64. Quod homo detur cœlo, terribilius est quam quod Deus detur terris, 67. Filius Dei per gratiam, et servus, 67. Omnia creata propter hominem, 69. Redeat ad Deum amantem, 70. Clamet ad Deum: Libera nos a malo. Deum vocat Patrem, postquam Deus jussit, 71. Vitam cœlestem ostendat. Filius Dei designatus in habitu servitutis. Quod homo Deus, creatura miratur, 72. De matris utero patrem fatetur in cœlis. Semper parcens crimina non timeat. Humanæ cogitationes. *Vid.* Cogitatio. Homo sibi sit medicus per fidem, 83. Quantum debeat Deo, 94. Absolvitur amore. Homini comparatur regnum cœlorum, 96. Quæritur in vocatione Dei, non persona discernitur, 99. Homo mundo jucundius, sed non utilius, et quare, 101. Ut agere debeat gratias. Initio suscitatus ex limo, in fine resuscitabitur ex pulvere, 103. Omnes homines, ut sint hostia et sacerdotes, 108. Veniat ad placitum Deo sacrificium, 109. Placet Deo, ex eo quod bene vivit. Fit hostia, si sancte se offerat. Si dat, quod potest, acceptus est, 110. Moriatur pro Christo. Sit peccator, ut Deus sit justus, 112. Per gratiam conditoris redit ad vitam. In baptismate fit domicilium virtutum, 113. Homo novus commutet vitia in virtutes. Hominem Deus perquirit solo hominis amore, 114. Homo moritur legi, 115. Deo, non terræ, fructum deferat. Ut præveniat et conculcet delicta, 116. Per Christum cœpit libertatem quærere. Doctus a lege, unde esset virtus ardua, etc., et delicta multiplicia. Duo homines, Adam, scilicet, et Christus humano generi dedere principium, 117. Homo terrenus ut fiat cœlestis, imaginem Creatoris portet, 7. Homo justus major cœlo et angelis, 120. Si non habet nummum, det pauperi manum, 122. Accuset se debitorem Deo, et oret, ut dimittat, 125. Coram homine gloriatur de justitia, etc., coram Deo non. Est villicus Christi ad colendum mundum, 125. Cupit bona facere, quando mors tempus adimit faciendi. Homines se villicos, non dominos agnoscant. Sequatur Deum, non quærat præcedere, 131. Deus in forma hominis demonstratur, ut possit videri. Hominis pietas et ars hominem perficiunt, 132. Ejus industria ut honoretur a Deo. Eisdem cursibus redit ad

vitam quibus dilapsus fuerat ad mortem, 142. Factus ex limo intacto, 148. Deo pretiosus. Ad quid factus sit. Domus mundi pro eo facta. Factus de terra, ut esset dominus terrenorum, et de cœlestibus participaret, quomodo. Imago Dei, vicarius Dei in terrenis. Homo proprietas Dei, qui ante erat similitudo. Creatus cum imperio terræ, ut delicias possideret. Sine homine non poterat salvari homo, 151. Perfectus ad vitam factus, reparatus in vitam perfectam. Abstrahat homines a peccatis, 155. Magis debet Deo quam homini, 161. Quid homini fecerit Deus in naturalibus. Quid in supernaturalibus. Liber a servitute omnium, soli Deo serviat, 161. Ei peccanti blanditur Dominus. Per gratiam cohæredes Dei, 162. Divisionem cœlestium non petat. Quomodo debeat habere hæreditatem cum Christo. Et omnia manducet, quid faciat, 163. Deus tendit hominem in formam Christi, ut sit decorus. A Deo correptus mox solatium accipit. Habet Deum patrem, apparatumque cœleste. Ante productus ad mortem, jam productus ad vitam, 166. Dei beneficia in homines ex variis formis et habitibus Dei, *late*, 170. Quid det invitatis ad opera. Ut triumphet de diabolo. Homo non horreat hominem, 176. Duce manu cæcum lucis faciat nescire orbitatem. Homo semper vivit cœlesti verbo, terreno pane non semper, 11. Ex quibus fiat angelus, ac Deitatis habeat honorem, 43.

Hominis mala. Peccavit invidia in paradiso, 4. Servus dominorum crudelium, 6. Post jejunium quærit panem, 12. Facilis ad lapsum, difficilis ad ascensum. Cadit, et Deus ascendit, 13. Servi hominis jacent, et mala patiuntur ad pœnam, 15. Homo nequit in desperatione suis subvenire servis. Vivus sepelitur a dæmone, 16. Ab eo impeditur, ne ad Deum eat. Obsessus quomodo torqueatur a diabolo, 17. Miratur de potestate Christi, 20. Propter peccata flagellatur a Deo, 20. Quando est ignavus, et dormiens, dicitur Christus dormire in sua navi, 21. Bestia, et quomodo, 23. Callidus generat scandalum, 27. Figuratus in eo qui habebat manum aridam, 32. Ejus dura conditio quæ, 34. Voluntarius in delictis, invitus in pœnis, 35. Solitus horrere magis quam curare vulnera, 36. Impietatis consilio e paradiso pulsus, 44. Homine quid infirmius? et quomodo, 45. Peccat, et Deus convertitur, quomodo, 45. Est in obscuritate noctis, 64. Non capit natura gratiam orationis Dominicæ. *Vid.* Oratio Dominica. Sursum per gratiam levatus, jacet subtus per naturam, 68 Non capit magnitudinem divinæ charitatis, 69. Propriis viribus non liberatur a diabolo, 70. Dolet se mori, et ne resurgere possit, oppugnat, 74. Homo timuit angelum cum respexit, 88. Numquam securus de sua conscientia, 88. Ejus natura imbecilla ad divinas virtutes, 90. Nimis de se præsumit ante experimentum. Nascitur ad labores, gemitus, pericula : vult bona, et non facit, et alia ejus mala, 90. Noscit culpas corporum, vitia mentis ignorat, 91. Corde peccat, cogitatione, dubitatione, trepidatione, 91. Quod supra homines est, homo referre non sufficit. Vacat hominis sermo ubi adest præconium angelicum. A paradiso delicjarum ad mortem huc detractus, 96. Cur pereat morte, 101. Creaturas sibi deos fecit. Ex pulvere factus naturæ totum, se sibi, Deo nil dedit, et cur Deus permittit illum in pulverem revocari, 101. Sterilis, vel ingratus, homo e vita meretur excidi, 106. Homo ignavus si populis præsit, sibi et multis fit noxius. Homo vix moritur pro justo, quia necessitate ducitur ad mortem, 110. Per hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors, *late*, 111, *per tot.* Salvari non poterat sine Christo, cur, 111. Homines participes culpæ Adæ, et socii pœnæ, 112. Prius receptaculum vitiorum, 113. Nil habet suum. Non prævalet obedire legalibus mandatis, 114. Carni deditus et mundo nil in se, quod futuræ vitæ est, relinquit. Passionibus tota vita conturbatus, 115. Homo vetus, totam perdidit disciplinam, 115. Homo sine Christo peccata cognoscebat non ut vinceret, sed faceret, 116. Hominis robur ab incendio vitiorum in favillam redigitur. Ut cœpit velle virtutes, sed vitia sequi. Captivus, et servus sub lege. Ut nascatur in peccatis, 117. In vitiis sepultus, 120. Homo hominis est sepulcrum. Homo hominem negligit, 121. Idem homo et filius qui dissipavit substantiam, 125. Homines se villicos agnoscant, non dominos. Qui homines, non Deum in causis timet, facile a justitia deviat, 127. Homo non intuetur quantus est Deus, sed quia est, 131. Dæmon non vult homines æternos, immo nec temporales. Cur homo moriatur. In cunabulis homo latet in homine, est corpus, et non est, 132. Ex timore homines tracti ad idola, 147. Est sibi vilis, qui Deo pretiosus est, 148. Ex invidia diaboli quæ bona perdidit. Ejus mala ex peccato originali. Obscuritatibus ignorantiæ involutus, 160. Cur magis debeat Deo quam homini, 161. Deo nullam dependit servitutem. Inutilis ad divina et humana. Versatur in luto carnis, in limo corporis. Partem substantiæ perdidit, unde paradisi exsul factus est, 162. Homo ingratissimus omnium. Erat cum Christo in paradiso, et extra Christum periit. Dubitans de divinis promissis arguitur, 163. Ante diluvium nati producti ad mortem, 166. Mentes et sensus hominum correpti a malo fulguris, 171. De homine contra homines gentes exeunt bellaturæ. Quærunt famam hominis de ruina. Homines sunt ut arbores ambulantes, 176.

Hora dicitur punctum, et momentum temporis, 112. Horæ duodecim diei Christi sunt duodecim apostoli, 170.

Hortus Ecclesiæ quomodo cultus et satus mystice, 98. Producit germina sua, 130.

Hospes. In hospite suscipitur Christus, 39. Hospite suscepto Christus subvenire tenetur suscipienti. Hospitis meritum ex apparatu mansionis innotescit, 92. In hospitis figura Deus apparuit Abrahæ, 131. Fuit hospes Chrysologus, 138, *per tot.* Mundanus hospes receptus quid agere soleat, 18. Qui e propriis sedibus injuste expellunt hospites, ut puniantur, 47.

Hospitium humanitatis fit templum Deitatis, 144. Ejus indignitas in hospitis manet injuriam, 15. Hospitium nostræ carnis Deus intravit. *Vid.* Habitaculum, Domus.

Hostia et sacerdos est homo, quæ mactatur et vivit, et quomodo, 108. Hostia viva est Christus, quomodo. Totus homo sit hostia placens Deo, 109. Et erit, si se Deo sancte offerat. Immaculata Deum placat, exasperat maculata. Hostia viva, et rationabile obsequium, quomodo Deo offerendum. Hostia jejunii quomodo offerenda, 13. Quam hostiam offerre Deo debeamus, quæ et nobis maneat, 43.

Hostis terrenus non prævalet cœlestibus, 12. Repentinus perniciosus, 27. Magis ducem quam militem petit, nec obsidet mortuos, sed viventes, 96. Melius est sæpe regi suo de hostibus referre victoriam quam semel mori, 128. Hostem proprio mucrone turbare, insigne virtutis, 157. Tolerabilior est hostis cum muros arietat extrinsecus, 171. Qui hostem intus habet, per se liberari non valet. Iniqui in alios ut puniantur, 67.

Humana cum sapimus cæcamur ex nobis, 76. Salus humana reparatur iisdem lineis quibus perierat, 77. Humanum, Deo volente, fit divinum, 102. Ad humana perdiscenda brevis est tota vita hominis, 112. Quæ Dei sunt, non capiuntur a nobis, 62.

Humanitas Christi ostendit charitatem, 47. Ubi non est humanitatis indicium, ibi Deitatis est signum, 153. Humanus sensus non est in eo qui fratri suo peccata non dimittit, 139.

Humilitas centurionis, 15. Hominum ex nostra imbecillitate sumenda, 88. Elevat nos ad mensam cœlestem, 100. Voluntaria magna virtus, 136. Quæ excusat a dicendo, cogit ad obediendum, 138. Est mater doctrinæ, 161. Acquisivit quod superbia amisit, 23.

Hydrops bibendo sitit, 7.

Hypocrisis quid sit, effectus, nomina, et mala, 7. Laborat frustra. Naufragat in portu. Hypocrita est usurarius. De remediis creat morbos. Sibi damnum, non Deo causat. Hypocrisis est jejunium sine misericordia, 8. Quid agat hypocrisis, 9. Cæca est, et cæcat oculos. Fugienda, et cur, 9. Est species arte composita, quæ aliud in re agit, aliud promit vultu, 172. Hypocrisis cum invidia quid agat. In secreto hypocrita facit nil secretum, 9.

I

Idolum. Graviora pondera Synagogæ sarcinis idolorum, 105. Ad idolorum lupanaria confugit Synagoga, 115. Idola periere ad apostolorum prædicationem, 170. De idololatria, 5, *ad fin.*

Ignarus stulte loquitur, 19. Decipitur a grossis fici, 106. Ignari non recipiunt Christum.

Ignavia hominum dicitur somnus, 21. Ignavus nimis est qui post exemplum invenitur incautus, 79. Ignavus dicta et facta obscura Christi non intelligit, 96. Ignavos prospera non erigunt, 124. Ut obsit ignavus aliis præsidens, 106.

Ignis divinus nescit exurere misericordem, 42. Anhelat inclusus in carne, et alia mala facit, 57. Cœlestis mundat labia. Satiat cor. Friget in lapide, latet in ferro, 96. Et eorum collisione flammatur. Ignes terreni non admovendi divinis, 109. Febrilis ex humore frigido succenditur in corpore, 114. Quod est ignis segeti, hoc vitia sunt humano corpori, 116. Epulonis qualis fuerit, 122. Inferni ex parte sanctorum a Christo exstinctus, 123. Inferni stilla aquæ non exstinguitur, 124. Ignis a Christo spargitur verbis, 164. Cultor igne purgat agrum. Eo purgantur sata gentium. Cur super apostolos. Ignem urget aqua, et ignis multiplicat undam. Ignis gehennæ reos exurens innocuis deservit, 166. Ignis in rubo, in columna, 170. Ignis Spiritus sancti. *Vid.* Spiritus sanctus.

Ignorantia. Peccans ex ignorantia illius plagas non vitabit, 26. Peccata ignorantiæ non vitantur, 30. Secum habet

fastidium, 98. Ignorantia hominum quid fecerit, 112. Vitia necantur ignorantia, 116. Hominis ignorantia sublata a lege, 116. In nostra ignorantia peccatum sepultum. Ignorantiæ Deus subvenit ex pietate, 157. Obscuritatibus ignorantiæ involuta mortalitas, 160.

Illecebræ temporalis vim humanis conscientiis Apostolus aptavit, 114. Contra illecebras peccatorum certandum pro cœlesti gloria, 119. Ab illecebris superatus non vult Christum venire, 158. Eas quare homo sustinere cogatur, 117.

Illuminatio est a Deo, 126. Illuminatio Ecclesiæ facta a filiis sanctæ Felicitatis. 134. Magorum illuminatio. *Vid.* Magus.

Imago Christi portanda a nobis, quomodo, 117. Perfecta devotio hoc dat imagini quod regi, 147. Imago Dei est homo, 148. Regum vel fratrum depictæ imagines cum concordia, cur, 149. Imaginem Dei portare noluit, qui idoli portat personam, 155. *Vid.* Magus.

Immolare Deo debemus viscera virtutum, et quomodo, 108. Vita virtutum Deo immolatur morte vitiorum. Deo optima immolanda, 109. *Vid.* Oblatio, Sacrificium.

Imperans. Imperantis ira subdito jus est, 161.

Impetrare aliis pœnitentiam impudenter præsumit, qui sibi ad veniam nil providit, 123.

Impietas. Quid homini creato jam fecerit, 137. Semper febrit, 173. Incauta assumit criminis testes, arbitros facinoris, 174. Ut doceat, 44, *et de ea per tot. ser.*

Impius recedens a Deo a se obiit, nec stat in consilio, 44. Fertur modo ad cœlum, modo ad terras, se nescit. Quid fecerit consilium impietatis. Saporem trahit de pinguedine peccatorum. A Deo recedit, cum deliquit. Impio grassante, pius turbatur, 47. Declinatur a Deo, 48. Interdum loquitur invito veritatem, 49. Impium vult Deus redire, non perire, 51. Impiis imputandum, si gratiam non recipiunt charitatis, 55. Impius ruit, destruitur, stare non potest, 75. Possessus a terra, et morte in resurrectione justorum, 77. Terret impium timor, 80. Certior factus a Thoma de Christi resurrectione, 84. Timebit supernam potestatem, 88. Stat in triviis, 89. Sui ipsius consiliarius. *Vid.* Consilium. Eorum animæ repetuntur a ministris Tartari, 104. Ex pietate patris magis proditur impietas filii, 123. Impius non est, qui in alium pius non est. Impius et justus apud inferos ante Christi Resurrectionem erant, 123. Qui sibi impius, cui pius? Impiis non ferenda pietas, 127. Proprietate quam det mercedem. Impius si est contra justum, sibi lethalis est, 173. *Vid.* Peccator.

Impudicus. Impudicis inimica castitas, 127. Impudica ex impudico nata, 174.

Incedere. Qui non stat in triviis peccatorum, incedit, et alia facit, 89. Inceduut qui virtutibus currunt, et ad mandatorum plenitudinem perveniunt, 9.

Incensum Arabicum non tam libenter odoratur a Deo, quam sanctitas cordis sinceri, 87. Incensum est thuris et puræ supplicationis. Incensum Ecclesiam illuminans mystice quale, 134. Debetur Deo, 157.

Incendium febrile exstinguitur calore, nutritur frigore, 114. Inexstinguibile ex ardore vitiorum, 116. Incendia cupiditatum quis fumi nescius transit, 89.

Incredulitas Filia mortis, quid persuadeat homini, 118.

Indigna non petenda a Deo et cur, 132. Promissio non redditur indigno, 100.

Indocilis ad excelsa contendens mergitur in profundum, 119. Vitatur a Christo ad illius salutem. Fatigat ingenium magistri, 106.

Indulgentia. Tempore indulgentiæ pœnitendum, 46. Indulgentia legis antiquæ erga sacerdotes, 92. Indulgentia magna ex magno reatu, 93. *Vid.* Venia, Remissio, Pœnitentia. Indulgentia decubit, ut peccatores levaret ad veniam, 30. Jus indulgentiæ est penes hominem, qui proximo debita dimittit, 71. Quæ res petant justorum indulgentiam, 43.

Industria hominis ut honoretur, Deus occultat divinum in humano sermone mysterium, 132, et alia, etc., 96, *a principio.*

Infantia, infans. Filiorum ut fuerit olim tradita diabolo, 31. Infans dæmone repletur, quando a parentibus offertur diabolo, ut curetur. Gloria Christianæ infantiæ, 68. Infantia Ecclesiæ tempore S. Apollinaris, 128. Infantia totum obtinet, plus lacrymis quam virium ratione. Homo in infantia latet in homine, et hominis labore proficitur, 132. Habet vagitum ex verbo Dei, 144. Infantes non condemnantur descriptive, 152. Infans lætus moriens describitur. Infans omnem hominem non hostem respicit, sed parentem. Passionis ignara rapuit martyrii palmas, 153. Infans lacrymis uberum nutrimenta disquirit, 158. Vincit barbariem, potestatem, etc., et amorem expostulat. Infantia Christi turbat Jerosolymam.

Infernus. Devorando Christum, jejunium incurrit, 37. Christum Judæis ablatum dat gentibus. Præparat mansionem Christo. Dirumpitur vita deglutita, 57. Ejus tremenda servitus, 65. In eo non est venia, 66. Mala ejus docemur a Christo. Resurgente Domino inferna sistuntur, 74. Amisit carceratos Domino ad illum descendente, 78. Carcer illius destruitur, 82. In eo peccatores vivunt pœnæ, pereunt vitæ, 96. Ejus flamma non tam linguæ quam mentis et conscientiæ, 122. Membra quæ hic magis peccarunt, magis in inferno torquentur. Ei non resistit purpura, et nudus in eo sudat. Ante Christi resurrectionem tenebat impios et justos, 123. Ejus portæ æreis januis et ferreis vectibus claudebantur animabus. Christus illum aperuit. Parens inferni est mors, 118. In eo damnati mentiuntur, 123. Non crederemus ab inferis revertenti. Ejus mala vitare conemur, 123 *et* 124. Est fovea peccati, 170. Rapit peccatores nudos ad pœnam. In eo gemitus et stridor, 174. *Vid.* Damnati, Gehenna, Ignis, Tartarus.

Infidelis. Illis perniciosum fidei sacramentum sine fide, 60. Sacramentum fidei non divulgandum scripto inter infideles, 61. Illis tenebrescit dies, 75. Est indignus, 102. Se ipsum demergit in obscurum incredulitatis, 151. Nec audit, nec videt, quod fidelis audit, etc. Eorum pœna redundat ad gloriam fidelium, 132. Baptizati et instructi a Chrysologo, 58, 57, *per tot.*, et 56-62, 67-72. *Vid.* Perfidus.

Infidelitas cavenda, ne nos reducat sub potestate diaboli, 18. Incredulitate Hebræorum nec unus dæmon captivo fugatur ex corpore, 51. Patris obest filio. Callida non habet excusationem, 102. *Vid.* Perfidia.

Infirma. Cum recitantur, animos deponunt, 150.

Infirmitas non stat ibi, ubi Christus est, 18. Homine nil infirmius, et cur, 45. Infirmus recurrat ad medicum cœlestem. Infirmitati nullus locus est, ubi virtus est sociata virtuti, 57. Ubi infirmitas est ignota, Christus illuc primum curam vertit, 94. Infirmitas humana vult, et non potest, 100. Incurvabat mulierem, 105, *per tot.* Oculorum non sustinet magnitudinem lucis, 112. Infirmitas culpanda, ut fratri detur venia, 139. Alia corporis, alia mentis, 164. Cur eadem varie curata sit a Domino, 176. Nutu Christi pereunt infirmitates. Familiaris dum fit publica, dolorem affert et pudorem, 15. Ejus lassitudo remanet, ubi ars curat, non virtus, 18. *Vid.* Ægritudo, Fragilitas, Febris.

Infirmus turbatur malis, 47. Infirmum non curat, qui illius arbitrium quærit et exspectat, 114. Versatur in strato, 14. Stulta sunt illius desideria, 50.

Infula. Qui dignitatis infulam non habet, nomen dignitatis non invadit, 109. Mors quando infulas suæ potestatis amisit, 10. Infulas divinæ potestatis in se perdit, qui proximo peccata non dimittit, 139. Æternas infulas quis habeat, 144. Eunuchus infulas palatii mutavit, 56.

Ingenium periti magistri ut fatigetur in docendo rudes discipulos, 106. Depravatur dolis, 116.

Ingratitudo hominis ægroti erga Deum medicum quid causaverit, 131.

Ingratus ad pœnam ducitur, non divitiis, vel paupertate, sed animo, 124. Homo est omnium ingratissimus, 162. Ut merito puniatur, 66.

Inimicus. Inimico parcendum, *late*, 38, etiam exemplo Christi. Ei dimittere proficuum, 67. Illi dimittenda peccata, alias, etc., 68. Inimico qui totum dimittit, nihil de suis delictis Domino debet, 70 et 71. *Vid.* Venia, Diabolus. Inimico dimittenda peccata, *late*, 129. Inimicus extraneus et internus quæ mala faciat, 171.

Iniquitas condita ab Herode evaginatur, 152. Illi semper est amica iniquitas, cui est æquitas odiosa. Est in plateis, 95.

Injuria æquo animo toleranda, *per tot.*, 38. Est divina philosophia tolerare injuriam. Injuria proximum afficientes phrenetici sunt, ideo pietate curandi, 38. Christus indignatur, dum pro honore sibi fertur injuria, 48. Injuria Creatoris fugitur a tota creatura, 78. Injuria humani corporis sublata in Nativitate Christi, 144. Sine humanis injuriis humanæ injuriæ non poterant amputari, 151.

Innocens, sine Christo non habetur in terris, 30. Innocuorum resurrectio erit terror impiis, 77. Quis innocens inter gurgites vitiorum, et vitæ lubricum? 89. Innocens vocatus ad reatum, dum purgari æstuat, stimulat cognitorem, 97. Dum innocens punitur, reatus redundat ad judicem, 112. Innocente reum accusante, gratis judex pro misericordia rogatur, 122. Innocens non facile condemnatur a reo, 173. Si accusetur, quid, 175. Innocens ab initio, qualis erit in fine? 91.

Innocentes martyres ab Herode occisi, 146. Quare, 146 *et* 152, *per tot. optime.* Solum, quod nati sunt fuit illis crimen, 152. Sunt milites innocentiæ Christi, excubiæ cunabularum. Nati martyrio, non sæculo. Mœrores in gaudium commutarunt. Ipsi in sanguine baptizati, matres eorum in lacrymis. Moriuntur lætantes. Præmoi regi suo, quam commori gestiunt, *descriptive*, 153. Martyres gratiæ

quomodo. Eorum martyrium virginitati comparatum. Christus fugit, ut illos habeat, non Synagoga teneat. Occisi ob Christi infantiam, 158.

Innocentia nostra non ex nobis, sed ex patris cœlestis venia, 4. Intromittit nos ad Dei conspectum, 6. Numquam nuda, 73. De innocentia male se glorians homo ducitur in debitum et pœnam parentis, 112. Pro ea moriatur, qui hactenus illam exstinguere molitus est, 113. Christi resurgentis amplectenda. Unde esset innocentia difficilis, diu ignoravit homo, 116. Auferlur a pecunia, 126. Ejus inimicis fit odiosa libertas, 127. Innocentia prima felicitas, et quomodo, 167. Qui creditum innocentiæ servat, pœnitentiæ non solvit usuram. *Vid.* Justus, Integritas.

Insidiator latitat in noctibus, appetit dormientes, fugit vigilantes, 97.

Insipientia interdum fallitur, sed affectus non decipitur, 25.

Instrumentum quod fuit perditionis, potest esse occasio salutis, 126.

Intelligentia est de occultis, non de visis, 14. Ejus vis in videndo pauperis nuditatem. In paupere intelligitur adesse Christus. Minor intelligentia Scripturarum generat perniciem, 52. Hominis acuitur ab obscuris Domini verbis, 96. Est magna arbor, 98. Altitudine sensus tota levatur ad cœlum. Humanarum et divinarum rerum non habetur perfecte in tota hominis vita, 112. Christianus sese intelligat, 113. Intelligentia potest benigne relevare quos onerat severa discussio, 126. Humana non facile capit sensus evangelicos.

Intentio. Ex ea judicat Deus, non ex operibus, 9.

Interna peccata ut emundentur et propellantur, 171.

Interpres litteræ quid agat, 32. Verbi Dei. *Vid.* Verbum Dei.

Integritas est pœna corruptis, 127. Integritas testis innocentiæ fugat timorem, 144. Integritas Mariæ V. *Vid.* Maria Virgo.

Intercessio Ecclesiæ. *Vid.* Ecclesia.

Intrare possumus ad Dei conspectum, si non loco, vel corde, 6.

Invenire. Qui quod amisit invenit, donat culpas, iram vertit in gaudium, dolorem mutat in gratiam, 168. Jucundius nobis perdita invenisse quam non perdidisse servata. Magis delectant inventa quam subjecta, 96.

Invidia Hebræorum in Christianos, 4, *per tot.* Non admittit pietatem nec charitatem. Dissipat rationem naturæ : malum antiquum, et alia Malum angeli, et hominis, ac Hebræi, armat contra Christum, quatit cor et animam. Vitanda. Pellit gaudium. Non patitur socium. Simulat; mentitur. Dolet de bono alterius, non de suo proprio damno. Invidus est avarus. Invidia perdit omnia bona, 5. Invidet sibi, qui elevatus ad summa, se ad humilia dejicit, 25. Ut jungat, consueta disjungere, 31. Cæcat et tenebrat mentem, 48. Mala illius ab exemplis, 48. Malum incurabile. Et alia multa de ea. Fuga vitatur. Invidia Hebræorum in Christum, 49. Diabolus invidiæ spiritus quid agat, 97. Invidia Judæorum privavit illos lege et gratia, 102. Invidia epulonis in Lazarum, 122. Grave est malis, eos videre felices, quos aliquando habuere contemptui. Invidia claudit oculos, 131. Quo feratur, apparet ex immanitate Herodis, 152. Invidus quid mali agat, 168. De cœlestibus cum diabolo fugata, 168. Invidia Pharisæorum, 172. Invidia carnifex suorum quid mali agat. Qui hanc recipit, sua sustinet supplicia. Bonum alterius invido est pœna; est malum multiplex; statim fugienda. Est morbus. Quid suaserit peritis in lege. Mala quæ fecit invidia, *late ab exemplis*. Spoliata a Christo suis commodis. In Pharisæis quid egerit. Invidia cum hypocrisi suis propinat. Fax invidiæ. *Vid.* Livor, Zelus. Est oculus nequam, 139.

Ira exstinguenda in ipsis scintillis, 38. Alias sanguine non sedatur. Ut vincatur. Quomodo sit in Deo, 45. Cur David petat argui a Deo, sed non in ira. Ira ventura est æterna damnatio ad tartara, 137. Ira imperantis subdito jus est, 161. Nutritur a dæmone, quomodo, 16.

Isaac gaudet cum fit hostia, 55.

Isaias evangelista non minus quam propheta, 57. Tactus dolore, quia quod sensit de Deo non potest annuntiare. Purgatur a seraphim. Cur Deum habitu regio viderit, 131. Prædixit virginem Deum parituram, 146.

Iter ad Deum fit non pedum gressu, sed mentis incessu, 3. Iter ad Deum Patrem est compendium viæ salutaris. Iter gentium a Deo ad diabolum fuit animo, non loco, 5. Iter Jejunii ingrediens cæteras curas deponat, 8. Iter Christi ad mortem et gloriam, 19. Itineris terreni homo incassum diu sudores pertulit et labores, 175. Iter præbuisse pauperi plus est quam panis dedisse fragmentum, 176.

J

Jacere. Hominum servi jacent, et cur, 15. Jacemus in vitiis, et jacemus oppressi, 54.

Jacob plus mysticus quam dolosus, nos figurabat sub pellibus hircorum, 73. Ei vianti occurrit Deus conviator, et luctat cum eo, 131. Quid agat Deus cum eo, ut ametur, non timeatur, 147. Cur illi mutatum nomen, 154. Jacob ante triumphat quam vivat, 70.

Jacobo apostolo quare non commendata beata Virgo, 49.

Janua clausa non denegat ingressum egressumque suo creatori, 84. Janua mortis fuit homo, per quem peccatum intravit, 111. Janua inferni. *Vid.* Infernus. Januæ inferi confractæ sunt ariete crucis Domini, 123.

Jejunium quid possit facere, ostenditur ex fame prodigi, 2. Et ex aliis. Est prima virtus nobis, 7. In jejunio quid sit ungere caput, lavare faciem. Jejunium sine misericordia esurit, alget, 8. Misericordia est ver terræ jejunii, et alia. Variæ definitiones, seu epitheta jejunii, 8. Vincit duce misericordia. Ejus alæ sunt misericordia et pietas. Sine misericordia est simulacrum famis, et avaritiæ, et hypocrisis. Jejunium sublevatur cœlesti symphonia, 10. Arma jejunii sumenda contra diabolum, 11. Tempore jejunii quid agendum, 12, *per tot.* Jejunium nostrum est esuries diaboli. Essentia et virtus. Vincit diabolum, 12 *et* 13. Jejunans creditur Deus, 13. Cunctis virtutibus anteponitur. Timetur a diabolo. Diaboli tentationes tempore jejunii quæ. Hostia jejunii quomodo Deo offerenda. Sit voluntarium. 51. Est aratrum sanctitatis. Cur discipuli Christi non jejunant, etc., *late per tot.*, 51. Jejunium purgat corpora a squalore carnalium delictorum, 31. Verum jejunium non admisceatur fraudulento. Jejunandum Christi præcepto. 41. Sit cum misericordia. Et ita multas habebit virtutes. Fuse jejunium sine pietate jejunat, 42. Sine misericordia est fames avaritiæ, et alia, 1. Semina jejunii jactanda in pauperum lacrymas, 42. Vacillat sine misericordia. Sit cum misericordia et oratione, 43, *per tot.* Jejunium habet lassitudinem. Deo offerendum, ut voracitas cesset, 108. Quadragesimale cur institutum, et ut debeat fieri, *late*, 166. *Vid.* Abstinentia, Quadragesima.

Jephtæ filia moritur gaudens, 55.

Jericho. Cur per eam ambulat Christus, 54.

Jeroboam scandalum fecit in populo, 27.

Jerosolyma quare turbatur Christo nato, 158.

Jesus cur fabri et Mariæ filius appellatus, 48. Dicitur Jesus a salute, 57 *et* 59. Filius unicus per naturam. Jesus Hebraice, Salvator Latine, 60. De Maria natus Dei Filius est. Nomen Jesu cœlum et infernum submisse confitetur, 61. Dicitur Salvator, 142 *et* 144. In eo nomine tota majestas Deitatis adoratur, et ab omnibus, 144. Virtus et potestas. Quis sit Jesus natus ex Virgine, 145. Jacet in stabulo, 152. Natalis Jesus quis, et ad quid, 156.

Joannes Baptista, quid egerit virtute jejunii et orationis, 43. Ejus Epitheta, 86. Erat lucerna sensim demonstrans Dominum, 87. Dicitur angelus, quando. Exsultat in utero. In utero propheta. Filius sacramenti, et alia ejus epitheta, 88. Gaudium cunctorum, magnus coram Domino. Cur non sit potaturus vinum. Ejus privilegia. Præcursor Christi. Habuit spiritum Eliæ. Etiam et Christum virtutibus repræsentat. Astrictus vinculis, exstinctus adulteriis, 89. Cur non moritur communi morte. Angelus in terra Deo obsequium præstitit. Laudatus ab originali gloria parentum. Est totus sanctitas, 89. Omnia prima debeantur ei, etiam primogenita. Ut Angelus nascatur, quid factum sit. Ejus encomia ex angelo, 90. Quid fecerit Christo, et cur, 90. Nascitur ex sterili, cur, 90. Prius dedit patri veniam, quam diluerel peccata populorum. Dicitur filius ex singularitate, 91. Major homine, par angelis, et alia, 91. Lucifer, præco, tuba, angelus; et alia quæ antelucanus fecit, 91, *optime.* Miratur se peregrinus in utero, 92. Vox, tuba, præco nascitur ex silentio, 92. Ejus encomia, 127. Traditur adulteræ. Alligatur, ut veniæ locus non sit. Herodem corrupit, ne periret. Offendit, quia arguit. Ejus decollatio optime descripta. De morte sua natus est, 127. Gentibus præparat novalia Evangelii, 137. Quare verbum Domini super Joannem, non ad Joannem. Quare vox, non verbum. Cur venit ad Jordanem. Ejus baptisma quale. Corripit exemplo, ut mores naturamque possit immutare. Appellat Hebræos genimina viperarum. Christum in Jordane tenet, veniam accepturis, 160. Intrepidus inter cœlestia. Natus ad Dei amorem, 2. Doctor et magister pœnitentiæ, 167. Pœnitentiam suadet. Per quæ deserta prædicaret. Accepit vestimentum de pilis camelorum. Cum vesceretur locustis et melle. Lucerna ardens Christum drachmam invenit, 169. Quomodo ex dicto Herodis resurrexerit, 173. Venit ad omnium medicinam. Effusione sui sanguinis exstinxit germina tota serpentis antiqui. Ejus caput in disco pretioso fertur, 174. Erat, ut lucerna super candelabrum, ut

judex in tribunali. Occisus damnavit homicidium. Toto orbe clamat occisus. Nascitur, quando perit Herodes. Contrapositiones Joannis et Herodis. In multis superstat Joseph. Major inter natos, quia arguit adulteras : et licita mulierum consortia calcavit. Pericula feminarum non evasit. Major in natis mulierum ex jejunio, 12. In utero Deum agnoscens matri refert, 70. *Vid.* Herodes.

Joannes evangelista ne Christum abnegaret aufugit, 150 Quare ei fuerit commendata beata virgo, non Jacobo ejus fratri, 49. In passione fugit nudus, sed fuga coopertus est, 78. Fugit in passione, quare, 170.

Jonas propheta fuit figura Domini, 57, *per totum.*

Jordanis. Cur alveum Jordanis intrat Christus, 160. Et quæ facta sint in eo. Si fugit ad præsentiam legalis Arcæ, cur non fugit ad præsentiam Trinitatis.

Joseph. An amittat virginitatem incarnatione Verbi, 140. Quomodo justus, si conceptum sponsæ noluit discutere, 145. Fuit pius et justus. Describitur ejus animus æstuans. In eo tota Davidis prosapia nuncupatur, 145. Vigesima octava generatione a David natus. In eo fides promissionis impletur. Sponsæ causas ne timeat admonetur. Erat securus de conscientia Mariæ. Angeli locutio cum Joseph circa Virginis conceptum. Sponsus figura Christi sponsi Ecclesiæ quomodo impleat figuram passionis Christi in altero Joseph adumbratam, 146. Joseph maritus nomine, conscientia sponsus, anxius de sponsa prægnante, *deseriptive*, 175. Mox ei angelus occurrit, et cur. Timebat, quia erat in causa maximus pavor, 175.

Joseph patriarcha comparatur Joan. Baptistæ, 174.

Jubilatio dulcis oves ad pascua ducit, 6. Ut Deo jubilandum, 46 *et seqq.* Qualis jubilatio ad quam David invitat, 6. Pastoralis inclinat oves ad pascua, 23.

Jubilæus adducit ad totam plenitudinem veniæ, et remissionis, et quomodo, 139.

Judas fecit scandalum scandalorum, 27. Lapidem Christum traxit ad scandalum pusillorum, ut non panem vitæ, sed doloris conficeret. Quid illi fecerit aurum, 29. Ut quatit navem Christi, 57. In ejus animo diabolus doli fructum concipiens crimen peperit proditoris, 19.

Judæus. *Vid.* Hebræus.

Judex facit ex arbitrio proprio, carnifex ex alieno, 17. Judex sustinebit judicii sui supernum judicem, 26. Cum vult ignoscere, hominem respicit, non culpam, 54. Cur Deus judex noxiorum personam suscepit, 90. A reo supplicante tactus non maculatur, 94. Ad judicem non intrat non vocatus, 102. Ad illum redundat reatus, si pœna percellit innoxium, 112. Eum gratis ille rogat, quem innocens confessor accusat, 122. Judex Deus visus a Daniele, 131. Judex quos arguat et judicet, 152. Judex in tribunali resplendens fuit caput Joannis in disco, 174.

Judicium. In finali judicio Deus cætera tacens de misericordia in pauperes clamabit, 14. Pauper erit advocatus in die judicii. Et Judex debitor est illi qui feneratur pauperi. Per judicium omnia deperierant, sed misericordia succurrit, 42. Servatum in die mortis, ut pœnitentiam agamus. De crimine non judicatur, qui facit misericordiam. Vicinum judicium quid sit operatum in homines, 47. Separatio in judicio consolatur sanctos, 47. Quare Christus judicatur ab Hebræis, 49. Fiet judicium de vivis et mortuis, quomodo, 57. Judicium non credit, qui male vivit, 59. Ex eo contremiscit terra, 77. Est terror impiorum. Judicium manifestabit quis fuerit quisque, 97. Judicium Dei tempus messis hominum. Profunda judicia Dei quomodo possint cognosci, 101. Ejus securis arbores steriles succidet et cremabit, 106. Miser, cui in judicio non miseretur genitor, 122. Gestit Deus venia prævenire judicium, 125. Ad judicium vocamur tempore mortis. In judicio non est tempus pœnitentiæ, sed pœnarum. Judicium Herodis perversum. 127. Ira ventura erit judicium impii, 157. Judicium evadit, qui ante delictum veniam sibi prævidit, 139. Judicium ut custodiatur, causa temperanda est, 144. In dubiis judicium fugiendum, et Deo remittendum. Judicium prævertendum pœnitentia, 167. Christiani nollent venire judicium. Quia adhuc non venit, est, quia Dominus nos ad se ire desiderat. Ne judicemur, judices nostri simus. Judicium crapulæ, et vini quale, 173. Confusio impiorum in Judicio ex quibus causis erit, 22.

Jumenta Christum natum fatentur, 141. Et suis suscipiunt in præsepibus, 141 *et* 156.

Jussio superioris temeritatem tollit dicentis, 70. Jussio Dei appendit cœlum, 101. Sic terram, mare. Jussu solo omnia creata, et sola jussione solvenda. Jussio et sanctitas imperantis cogit loqui etiam sermone sterilem, 107. Ad jubentis arbitrium timor obedientis invigilat, 109. Jussioni parere est virtus, 138. *Vid.* Præceptum.

Justi spernunt auram popularem, 21. Justi nomine tantum, sed facto injusti a Christo repelluntur. 28 *et* 29. Christus non vocat justos, quia omnes reperit peccatores, 30. Justi Domino exsultant, 46. Dent inducias malis, 47. Justus turbatur ex apparitione Angeli, 88. Esse justum apud homines est virtus humana, apud Deum est muneris divini, 89 *et* 91. Ex quibus dicantur justi Zacharias et uxor. Justus roboratur in perfectum virum tribulatione, patientia, probatione, spe, 110. Justis dabit Christus vitam, regnum, gloriam. Quomodo dicat justus : Ego moriar pro Christo. Justi in morte illudunt mortem, et ad vitam transferuntur, 114. Justi cœlo majores, pares angelis, immo meritis superiores, 120. Justum aliquem patiuntur paupertate et miseriis cruciari ad pietatem malorum, 122. Accusant se ipsos apud Deum, ut ipsos Deus excuset, 123. Justi et impii ante Christi resurrectionem erant apud inferos, licet diversis in locis. A Christo descendente ad inferos absoluti. Eorum mors pretiosa coram Domino, 174. Et est mors eorum vita. Cupiunt Christum ad palmam eorum venire, 158. *Vid.* Sancti, Confessor, Innocens.

Justificatio. Montes justificationis sunt a nobis ascendendi, ut beatitudine perfruamur, 89. Pauci incedunt in omnibus justificationibus. Manente condemnatione justificari non potest condemnatus, 110. Justificati sumus per Christi resurrectionem.

Justitia nostra ne fiat coram hominibus quomodo intelligatur, 9. Per se sibi abundat ad gloriam. A Deo genita cœlum exspectat. An occultari possit. Hypocrisis non est justitia. Se locans humanis oculis non exspectet mercedem divini patris. Justitiæ tantum serviatur, quantum hactenus iniquitati, 114. Laboriosa est, 116. Non ferenda ab injustis, 127. A justitia deviat, qui in causis homines, non Deum pertimescit. Injustis inimica, 131. Sine pietate est crudelitas apud Deum, 145. Justitia est, quidquid fecerit Dominus erga servum, 161. Justo si desit humanum consilium, subvenit mox divinum, 175. Salva justitia miseretur Deus, 6.

Juvenis insipiens dicitur juvenis, quamvis sit ætate senex, 5. *Vid.* Adolescens.

L

Labia immunda habebat Isaias, 57. Talia nos habere deflendum. Labiis mundatis passionem et resurrectionem Christi referamus. Labia a dolo polluta, 62.

Labor philosophorum. *Vid.* Philosophia. Cantilena levatur, 10. Ubi non est labor, ibi nec fructus adest, 14. Vincitur usu et exercitatione, 28. Humanus labor apostolorum profuit divino labori. Ex labore fructus. Ad labores descendit Joan. per gratiæ dignationem, 88. Gloria ex labore superatur a gloria ex origine, 89 Labor communis habeat commune lucrum, 91. Labor illius qui scripturas mystice interpretatur, 96. *Vid.* Sudor. Labore acquisita magis delectant. Labor requiritur ad agnoscenda profunda judiciorum, 101. Labor et pœna in discendo litteras. Labor ex quiete, et e converso, 103. Labor susceptus a certantibus in agone pro corona, 119. Labor doctoris sumitur a Christo pro nobis, 163. Labor itineris viatoris hominis diu incassus, 175. Deus in nostro labore socius cur, 147. Labori proprio nemo invidet, 97.

Lacrymæ pauperum jejunium rigant, 42. Cœlum rigant. Qui Deum verbis non orat, nec lacrymis orabit, 43. Beati, qui lugent mundo, 46 Lacrymæ a gaudio et dolore producuntur, 46 *et* 64. Cordis affectum testantur, 46. Iniquus lacrymabitur in alio sæculo de bono pauperis, 47. Reparant perdita ex cibo, 66. Lacrymæ Magdalenæ, Judæorum et Christi ex diverso capite, 64. Pro peccatis Deo lacrymandum, 65. Lacrymæ impetrant filios, 73. Lacrymæ mulierum potentissimæ, 79. Eorum sunt arma. Filiorum lacrymæ ex natura, 89. Deus silit lacrymas peccatorum, 93. Peccatorum lacrymæ rigant cœlum, terram diluunt, exstinguunt gehennam, et delent divinam sententiam. Sunt baptismata peccatorum. Lacrymæ viduæ impetrant resurrectionem ejus filii, 103. Sunt jucundæ, quæ emunt gaudium immortalitatis, 107. Lacrymæ parvulorum sunt arma potentissima, et cur, 128. Lacrymæ sunt potus pœnitentium, 137. Lacrymæ fuere baptismata matrum innocentium occisorum, 152. Martyrii gaudio non caret, lacrymas martyrii qui fudit. Infans lacrymis uberum nutrimenta disquirit, 158. Lacrymæ abluunt ulcera reatus, 167. Domi Petri non vina fundebantur, sed lacrymæ, 18.

Lædens. Lædentem proprio mucrone truncare, est insigne divinæ virtutis, 57.

Læsus. Læsis quod longum est, breve est ad lædentes, 16. Læsus dimittat fratri, 139.

Lamentari non potest de morte, qui voluntarie recipit illam, 23. Parturiens lamentatur ex dolore, natus ex natura, 89.

Lancea doloris fixa in cordibus discipulorum Christi, 83.

Lapis sepulcro Christi advolutus mortem, revolutus resurrectionem probavit, 74. Lapidis sepulcri encomia. Revolutus ab angelo ad fidem resurrectionis, 84 *et* 75; et

ad alia, 75. A Judæis constitutus ad januam mortis, fit cathedra vitæ. Revolvitur ab angelo ad salutem, fidem, ad evolutionem mortis, 77. Ei angelus insidet, ut præses, et ob alia. Lapis claudebat ostium cordis mulierum, 82. Lapis magnus plus merito quam forma. Non potest obsistere Christo resurgenti, 84. Ædificantes turrim providerunt sibi lapides, ut altius caderent, 131. Judæi lapides attulelerunt, ut se occiderent, non Deum.

Laqueus. Herodes cecidit in laqueum quem tetenderat, 152. Laqueus diaboli, 11.

Lascivus formam accusat in ejus lapsu, 116. *Vid.* Luxuria.

Lassitudo. Generat fastidium et dicenti, et audienti, 122. Lassari nescit, cui panis Deus est, 166. Nec bajulus misericordiæ lassatur, 170.

Latro evangelicus in ipso momento mortis paradisum invasit, 60. Rapuit veniam, 167. Quando solvebat pœnas latrocinii, 61. Latro in occulto tendit insidias, 158. Latro callidus dicitur, 173.

Lavare. Ante mensam lavandæ sunt manus, 171. Multa lavacra legis lavant, et non lavant, sed lavacrum gratiæ lavat. Et quomodo. Lavanda sunt quæ divinis mancipantur mysteriis. Corda lavanda a peccatis, quomodo.

Laurentius, martyr passione insignis, 135, *per tot.*

Laus Patrum redundat ad gloriam filiorum, 89. Viros illustres laudare quomodo debeat orator. *Vid.* Sacrificium laudis.

Lazarus a Bethania forma vincendæ mortis, exemplum resurrectionis, 63. Ejus resurrectio est signum signorum, 63. Resuscitatur quatriduanus, ut servus, et cur. Ejus infirmitas tantum significatur Christo amanti. Christus in eo dat locum morti. Cur gaudeat Christus in morte Lazari. Si mulier non fuisset in paradiso, Lazarus non moreretur. Lacrymatus Lazarus a tribus diverso modo, 64. Ejus mors ad Dei gloriam. Gaudium ex resurrectione illius, 65. Cur Christus fremat. Spelunca quid, 65. Cur tolli lapidem jussit. Martha dixit, quod fetet. Quod quatriduanus. In Lazari resurrectione dialogus tartari cum angelo, et alia *fuse*, 65, *ad fin.* Cur ligatis manibus et pedibus surgit, *pulchre.* Lazarus propinavit nobis gustum resurrectionis. Est argumentum resurrectionis Christi, 81.

Lazarus Pauper. Stupendæ vices illius cum divite, 66. Pro malis recepit bona. Vulnera Deo in hostiam offerebat. Ut jacuit ad divitis januam. Ejus mors et funus cum funere divitis, 121. Ponitur pro conflatorio divitis, et alia mire et descriptive, 14, *ad finem.* Pectus judicis et arcana possidebat, 122 *et* 124. Non fecit bona, sed recepit mala, 123. Cur beatus. Mortalium miseria cognoscitur ex Lazaro et divite, 124. Contrapositio Lazari et epulonis. Non fractus malis. Curari ab epulone debeat. *Vid.* Epulo, Dives.

Lectio ecclesiastica peritis et simplicibus prodest, 20. Quod pandit verbo, tempus commendavit exemplo, 20 *et* 21. Evangelica bonis est salutaris intelligentiæ, malis occasio erroris, 89. Sedula et iterata profundam scientiam præstat, 120. Frequentata fastidium generat audienti. Pars illius differtur, ne longitudo fastidium generet auditoribus, 122. Lectio prolixa trahit in longum, 173. Legere vel aurem legentibus præbere idem est, 159.

Lectus doloris nostri est corpus nostrum, 14. Lectus paralytici jubetur portari in testimonium sanitatis, 50.

Lex naturæ quæ, 5. Lex Dei quæ in principio mundi. Divina docuit, quod humana sapientia ignorabat, 11. Prodidit diabolum mali auctorem. Legis antiquæ suppellex studiis Judaicis attrita, 31. Lex Evangelii pannus rudis dicitur, et est principium texturæ, quomodo. Præcepta legis non suffecerunt commendare nobis divinum amorem, 55. Lex adducit ad januam, quos gratia intromittit in templum, 86. Legalibus in tabulis Deus descripsit normam disciplinæ, 88. Lex antiqua illicita prohibuit, licita non negavit, supra naturam nil potuit, 92. Lex fidei janua, gratiæ nuntia, Evangelii prævia, etc. Legem satan veracibus præceptis cur dæmon mendacibus fucavit inventis, 96. Cur in lege celatur sensus divinus, 99. Qui sine lege erat, in lege positis demonstrat legis auctorem, 102. Flosculis comparata, 106. Lex cum ipso homine cœpit; sed Adam mox prævaricatus est, ut accepit: Moyses prævaricatoribus promulgavit acceptam, 111. Per legem mors regnavit, quia gravius prævaricatores, quam peccatores devoravit. Fecit copiam, non diminutionem delictorum, 112. Vulnus hominis prodit, et supernum medicum venire denuntiat. Attrahit in cutem internum vulnus, et gladio præceptorum apostema aperit antiquum. Nec vulnus claudere, nec perfectam dare sanitatem per se valebat. Ampliavit vulnus, et quomodo. Ægrotantem levavit, fovit, et ad medicum perduxit. Lege exclusa cultores illius arguuntur, 114. Lex exspectans hominis voluntatem cultorem suum non solvit a peccato; sed crimine prævaricationes obligat, quomodo. Qui sub lege sunt, peccato incurvantur. Lex non obtinuit cum Synagoga speciale consortium, 115. Lex despexit Synagogam. Legem non deseril, qui ad ejus auctorem recurrit. Non lex homini; sed homo moritur legi. Lex reum astringit, punit criminosum. Per legem passiones peccatorum notiores dominantur membris humanis, 115. Lex non proficit, sed ducit ad mortem. Homo sine Christo, lege armabatur ad crimina, non victurus sed facturus, 116. Lex data a Deo ad salutem, per hominem facta est ad sui ipsius ruinam. Prodit, quod hostiliter latebat in humano corpore, quomodo. Ex ea cœpit homo velle virtutes, sed sequi vitia. Sub lege homo servus, et captivus. Lex pervenit ad gentes, cur, 126. Summa legis fuit Joannes, 127. Data non uni, sed omnibus, 132. Per legem legis scientia quærenda, 148. Quid per eam Christus promiserit, 150. Christus fugit in Ægyptum, ut staret legis veritas. Lex impugnabatur a Paulo per zelum legis, 157. Lex divina docuit penetrare secretum sensus divini, 168. In legis Decalogo latebat Christus, 169. Multa legis lavacra non mundant, quod unicum gratiæ lavacrum lavat, 171. Occultata a Pharisæo ob invidiam. 172. Sub legis velamine nil videbat Judæus, 176. Ejus umbra transit. *Vid.* Synagoga, Hebræus.

Liberalitas Dei ample ostenditur, 39.

Libertas est serva penes extraneum, 2. Libertas hominis a servitutibus inimicorum decantanda, 6. Probatur libertas a virtute, 101. Liber nascitur ad gloriam. Libertas naturæ recepta per Christum, dum tollit peccatum mundi, 111. Præsumpta et vaga postponitur devotæ famulationi, 114. Libertas mentitur in peccato. Libertas peccati pro fructu dat pœnam et confusionem. Libertas quando et quomodo quæsita ab homine, 116. Odiosa libertas captivis criminum, inimicis innocentiæ, 127. Libertas misceatur charitati in corrigendo fratre, 139. Libertas sine fine in cœlo. Libertas incerta hominem perdidit, 161.

Libido. *Vid.* Luxuria.

Licita qui requirit, multiplici coruscat in lumine, 22.

Ligare. Qui ligat veniam, locum veniæ non relinquit, 127.

Lignum. Ex ligno pendit vita credentium, ubi mors pependerat perfidorum, 57. Per lignum mors et vita, 59. Per lignum mors venit et mortificatur, 60. Ligno redempti, ligno consummantur ad palmam Petrus et Andræas, 133.

Lilium. Ejus gloria et præcellentia, 163. In crastinum petit. Ariditati et incendio clibani deputant. Epitheton virginitatis et castitatis, 22 *et* 98.

Limites. Limitibus affixi tituli indicant Dominum prædiorum, 154.

Lingua naturalis chara simplicibus, et doctis dulcis, 43. Susurronis et bilinguis est laqueus mortis, 53. Inter cor et linguam versatur salutis sacramentum, 56. Si lingua interpres mentis non potest evaporare sermonem, dolore cruciamur, 57. Lingua maledicta contaminat, 62. Cur lingua divitis magis crucietur in inferno, 66, 8 *et* 122. Lingua in capite caput mali, 124. Lingua flumen fidei, 79. *Vid.* Epulo.

Lites procul sint a nobis, ut servemus charitatem, 53. Præscribuntur triginta annorum spatio, 145. Cupiditas credit Dominum arbitrum litium, 162. Ad litigatoris arbitrium Christus arbiter esse non poterat, 162. Lites non sunt, ubi avaritia non est.

Litteræ epistolares dulces: sed usque dum veniat ipse qui misit, 62. Ut labore et pœna litteræ discantur a discipulis, 101. Littera vetus totam perdidit disciplinam, 115. Cur sensus lateat in littera, 132. Interpres tantum litteræ quid agat, 52.

Livor. *Vid.* Invidia, Zelus.

Locus. Non de locis, sed de sensu Deus operum colligit qualitatem, 9. Locorum mutatio inutilis, ubi non est conversio sensuum, 46. Deus loci capacitate non clauditur, 77.

Locustæ pastus figura pœnitentiæ, cur, 167. Ut locusta debemus a loco peccati in locum pœnitentiæ exsilire.

Longinqua ne ambias conspicere, et cur, 164. Longinqua mundi et peregrina, quæ, 2.

Loqui debemus secundum tempus, 57. Loqui in Ecclesia non datur mulieribus, 82. Cum Deo loqui expavescimus, 86. Loqui debemus, imperiti licet, quando adest jussio imperantis, 107. De eo quod nos æternat loqui longo sermone debemus, 117.

Lorica impenetrabilis est amor, 40. Lorica Lazari pauperis, qualis, 124.

Loth fugit ignem ex misericordia, 42. Per manus angelorum extractus a flammis, 10. Per jejunium exstinxit incendium, qui per ebrietatem incesti est adustus incendio, 12.

Lucerna ardens significat opera bona alios ædificantia, 22. Habeatur in manibus, 24. Testimonium innocentiæ. Est bonum exemplum. Lucerna verbi Christi ostendit mysteria cœlestia, 64. Furem prodit, 54. Lucerna erat Joannes, 87, 127 *et* 169. Lucerna templi illis non est necessaria quibus sidus cœli perlucet, 156. Lucerna cordis

accendenda, ut drachmam scientiæ salutaris quæramus, 169. Non lucebat Ecclesiæ sine igne divino. Lucerna est mater Ecclesia. Caput Joannis in disco erat lucerna ardens super candelabrum, 174. Lumen lucernæ succendit olei pinguedo, ut ad noctis solatium perluceat, 8.

Luctari. Mundo præsente difficilius; sed gloriosius, 107. Quomodo spiritualiter luctandum in Quadragesima, 13.

Luctus profanus est adhibere extranea lamenta super cadaver, 19. Beati qui lugent mundo, 46.

Ludus præsentis vitæ dignoscitur ex mutatis vicibus Lazari et epulonis, 124. Non est de impietate ludus sumendus, nec de sacrilegio, 155. Cum serpente nemo securus ludit.

Lumbi a servis vigilantibus præcingendi cum lucernis in manibus, 24. Et cur lumbi præcingendi.

Lumen. Lumine Dei opus est in opere Dei, 51. Lumen tenerum oculis teneris, 64. Lumina a Christo supplentur cæco nato, 176. *Vid.* Oculi.

Luna a diabolo infamata, 52. Non lædit, sed servit homini. Cur lunæ incrementis obsessi torquentur. Quid luna gratius? 101. Luna lumine suppari soli, 103. Sanctus erit lucidior luna, et quomodo, *descriptive.* 120.

Lupus. Luporum feritas dicitur astuta, 173. Eorum contagio, 100.

Lutum quo factus est homo supplet lumina Celidonio, 176. Limo intacto factus homo; Christus natus corpore intacto, 148.

Lux multiplex perquiritur ab eo qui licita facit, fugitur ab eo qui illicita peragit, 22. Luce recedente, redeunt tenebræ, 44. Lux in nocte resurrectionis, 77. Gratior post tenebras, 84. Luminibus obscuratis sensim refundenda: est oculis condita, 87 *et* 112. Lux misericordiæ, 104. Lucent in cœlis martyres, qui in terris putabantur exstincti, 108. Ejus magnitudo oculos non hebetat, verum infirmitas luminum claritatem fere non potest, 112. Lucis auctor Deus, densis in tenebris invenitur a magis, 157.

Luxuria. Quæ mala parturiat, quæque protrahat, 21. Desperationi similis, 5. Dicitur contagio, 59. Totam profanat sanctitatem, 27. Luxuriosus contemnat etiam licentias corporales, 113. Qui luxuria ardet, mavult cum ea perire quam redire, 127. Luxuriosis adversa frugalitas. Ex ea nascitur impietas. Homo luxuriosus, id est immodice profundens helluo partem principalem substantiæ perdidit, 162. Luxuria petit castitatis interitum, pudicitiæ necem, mortem sanctitatis, 174. Titillabat in Herode. Luxuriosi dicuntur porci diaboli, 2. Qui ad luxuriam alios inducit dicitur mercenarius diaboli. Luxuriosi non satiantur, et quare. Agresti cibo mundi frenatur luxuria, 13.

M

Magister dicitur Christus, quia factor et rector elementorum est, 21. Magistro addicitur, et scholæ affigitur, qui scire cupit, 101. Paulus quomodo docuerit. *Vid.* Paulus. Peritus, ut rudes discipulos doceat, 106. Magistro reseranti scripturæ quæstiones, qui convertitur, debet absolutionem, 107. Magisterium stat de scientia; sed ejus auctoritas constat ex vita, 167. *Vid* Doctor, Concionator, Præceptor. Magister criminum. *Vid.* Mercenarius, ut magistro faciat injuriam discipulus, 94. *Vid.* Discipulus.

Magnus dicitur quis animo, licet corpore sit pusillus. 54. Magnus coram Deo, quantus erit penes homines? 88. Magna relinquere, amare minora, Dei potestatis est, non cupiditatis humanæ, 168.

Magus. Cur oculos committat stellæ, 64. Incola noctis ducitur a stella ad lumen, 87. Rigat auro cunabula Christi, 103. Munere et adoratione Deum nasci fatetur, 117. Claritatem Dominici ortus habuit a stella, 144. Deum adoravit in terris, 145. Ex Magorum nuntio Herodes molitur perdere Christum, 146. Magus signifer diaboli, fit dux Christi, 150. Errat per astra, 156. Ortum Christi stella duce non cognovit. Venit ab Oriente ad Orientem, jussus a Deo venire. Plus cœleste de magis quam de stella signum est, et quare. Cognovit stellam servam, et conservam. Insultat Judæis. A mago non quærunt Judæi de Christo. Expositio verborum: *Ubi est, qui natus est rex Judæorum.* Ex stella jussa nolens cognoscit magus Christum. Deum se invenisse in humana carne miratur. Christum Deum muneribus confitetur, 157. Cultor siderum, noctis incola Christum lucis auctorem ex gratia, invenit. Ducitur per stellam, ut materia erroris fiat per Christum occasio salutis. Apud eum ignorantia et error erant in culpa, non voluntas. Erant magi de genere Noe, et per Deum Christum nasci didicerant. Jussus magus adorare, testari, et videre, 158. Ei pie interroganti datur responsum impium. In sereno Christianæ fidei ad Dominum pervenerunt. Dant munera Domino creditorisque scientiæ thesauros. Per viam innocentiæ ad sua redeunt. Magus gentilis a stella Dominum natum cognovit, 159. Inter duo animalia Christum inveniunt. Duces fidei nostræ, et principes credulitatis. Ut quærat, et Deum inveniat magus, 160. Carnem lucidiorem sole, luna, stellis in terris contemplatur. Non discutit, sed credit Deum regem, moriturum, et gaudet invenisse. Judæum prævenit confitendo Deum manibus. Ex fide magorum credulitas gentium dedicata.

Mala propria cum dolore, externa festinanter audiuntur, 2. Permittuntur a Deo, ut inde bona sequantur, 5. Quæ mala a diabolo sint, 11. Malum est accidens, non creatum, et quomodo. Mala a Deo propter nostras culpas, 20. Mala temporalia si dolent, quid æterna? 22. Quibus mala videantur gratiora bonis, 25. Mala ex morbis peccatorum, 38. Mala tempora faciat nobis Dei contemptus, 43. Mala temperantur, 86. Mala inducta in mundum a diabolo, 96. Malum est accidens, non naturale. Passiones peccatorum a lege ampliatæ, quomodo, 115. Mala recipere, bona accipere a Deo credit fidelis, et qualiter, 123. Et quam bonum mala recipere. Mala pauperis ei profuerunt, 124. Mala dinumerat Christus, et pœnam minatur, et veniam permittit, quomodo, 125. Mala non bona promittit dæmon, 131. Malorum cognitione agnoscimus bona, quam sint bona. Mala a Deo non petenda, cur, 132. Mala declinanda, 158. A malo liberati omnes. *Vid*, Oratio Dominica.

Maledictio. Si maledictus est, qui in uno offendit, quoties maledictus est qui in omnibus? 114.

Mali de bono quærunt malum, et alia, etc., 32. Quam mansionem sibi eligant, 47. Eis tormenta parantur, 66. Semper stulti, 97. Invident bono illorum, quos spreverunt. 122. Torquentur videre felicem, quem aliquando miserum putaverunt, 123. Malos qui monet, offendit. 127. Illis bonitas exosa, 131. Herodes malus omnibus, suis pejor, pessimus sibi, 152. *Vid.* Oratio Dominica.

Malignus ut omnia in malum interpretetur, 168.

Malitia origo vitiorum, 31. Non relinquitur vel in pœnis, 122. Convertit homines in viperas, 137. Mammona id est pecunia quomodo dominetur, optime, 126.

Mandata Dei. Colles ipsorum intrepide ascendendi, ut gloria perfruamur, 89. Nemo, vel pauci incedunt in omnibus mandatis et justificationibus. Mandatum non præterit, sed ille deficit mandato, qui a mandato labitur, 115. Ex illis peccator accipit occasionem, ut sit etiam contumax et prævaricator, 116. *Vid.* Lex, Preceptum.

Manna pavit Hebræos 40 annis, 166.

Mansio. *Vid.* Domus, Habitaculum.

Manus arida hominis curati a Christo figurat genus humanum, *late*, 32. Tetigerat vetita. Ariditas nostræ manus quando dissolvatur. Et alia multa. Quomodo et quando aruerit manus. Cur surgat in medium, qui manum aridam habet. Jussione solvitur ariditas manus, quæ fuerat jussione devicta. Manus arida in Ecclesia quæ sit, et quomodo curanda. Manu Dei homo creatus, et recreatus, 33. Manus dextera Domini Christus est. Manus impositio curat in Ecclesia gentilem, 105. Expandere manus est habitu rogare, 108. Cur manus epulonis ligatæ, 122. Manum ad mensam det pauperi, qui nummum dare non potest, 122 *et* 176. Manus Dei assumpsit carnem in nostram reparationem, 148. In magis loquuntur manus, quomodo, 160. Lavandæ manus pro mensa, 171. Manus Domini in faciendo, reparando, componendo hominem, 176. Deus non de manibus, sed de cordibus, facta metitur, 9. Cur Christus tenuerit manum febrientis varie, 18. Manus sanctificantur in operibus bonis, in malis polluuntur. Dominus manufecit hominem, et manu homini supplet lumina, 176.

Marcellinus episcopus Vicohaventiæ Ecclesiæ laudatus, 175.

Mare jejunii qui ingrediuntur quid agant, 8. Mare Christo fit via, *descriptive*, 20. Cur sævit usque ad periculum Christi. Ex sedata maris tempestate Jesus creditur Deus. Mare sæculi turbatur, cum illud intrat Christus, et placatur. Mare sanguinis humani in terris, quando, 20. Mare quando mater, 146. Maris procella facta est ad fidem, 21. Judæorum error pravior fluctibus maris, 32. Mare sæculi quid sit mystice, 47. Maris descriptio cum Ægyptios submersit. Mare diluit sordes Petri, 78, Habet iter molle, 90. Frenatur ob Dei præceptum a tenuibus arenis, 101. Mare quid utilius? Mare evangelicum ut navigetur, 168. *Vid.* Mundus, Sæculum.

Margaritæ evangelicæ, quæ sint. Margarita etiam perquiritur inter stercora, 44.

Maria Magdalena fuit bajula nominis matris Christi, 74 *et* 64. Ejus lacrymæ pro morte Lazari, 64. Cur venit ad monumentum, 74. Venit ipsa, sed altera; eadem mutata. Prohibetur tangere Christum, quia non credebat esse Deum, 76. Quod Maria tangat, et non tangat, distinguuntur, 76. Venit Maria, et altera Maria declaratur, 77. Venit mulier, redit Maria. Quid quærit in domo Pharisæi non

vocata ? 93. Jussa a Domino venit. Venit retro pro venia. Mensam pœnitentiæ cum symphoniis parat, quomodo. In ea reatus magnus, et indulgentia magna. Erat peccatum civitatis ex mala fama. Cur ad decumbentem accedat. Credit sibi Christum propitium, quia cum Pharisæo manducat. Oleum portat, quia medicinam requirit. Cur stetit secus pedes. Illos lacrymis rigat. Suis lacrymis baptizata, quomodo, et capilli sanctificati. Lacrymæ illius sunt documentum satisfactionis. Ungit ex sacramento humanitatis. Proprium vulnus agnoscens medicum perquirebat. Cur Christus ad Magdalenam conversus Simoni loquatur, 94. Imitanda Magdalena a peccatore in pœnitentia. Magdalena est figura Ecclesiæ, 95

Maria Virgo. Ejus virginitas a Judæo obscurata; sed declaratur quos fratres habuerit Christus, 48 *et* 49. Si Maria filios habuisset, non fuisset a Christo commendata Joanni; et cur ei, et non Jacobo. Maria stupuit, ut vir repararetur ex Virgine, 58. Virgo, et mater non potuit esse, nisi per Deum, 58. Deum virgineo portabat in templo, 59. Virgo genuit, 60. Salus mulierum, quia prima recepit Christum, 64. Maria ante per gratiam a Christo suscepta, quam homo liberatus a peccato. Anhelat viro referre vitam. Sine Maria mors non fugatur, nec vita reparatur, 64. Uterum Virginis habitavit Christus, ut mortui resurgant, quomodo. Concepit integra virginitate, 84. Ut partus ex virgine credatur, conceptus sterilis præmittitur, 87. Ut ad Virginis conceptum et partum perveniamus, removeatur carnis intelligentia, 92. Per Mariam rediit omnibus vita, 99. Fermenti evangelici implet typum. Mariæ virginis conceptus et partus non exæquandi mulierum partubus, cur, 117. Virgo ante, in, et post partum, quomodo. Ejus uterum Spiritus sanctus arcana luminis sui admixtione fecundat. Cur salvatur ab angelo aligero, 140. In salutatione offertur ei plenitudo gratiæ. In ea Dominus est. Mater viventium per gratiam. Turbatur de sermone, non de aspectu angeli. Cogitat ex prudentia. Quam pensionem domus, et uteri mercedem exigat a Deo intra se suscepto. Animus Mariæ mirabilis. Quæ homini sunt necessaria ad Mariæ secretum pectus penetrandum, 141. In ejus pectore tota Divinitatis requiescit majestas. Conceptus Virginis credendus, non discutiendus. Angelus Mariæ fugat metum duabus ex causis ortum, 142. Maria Hebraice, Latine Domina, et cor. Fuit gratia plena, ut largo imbre totam infundat creaturam. Angelus miratur, et timet, cur. Christum genuit præter fastidia materni doloris. Virgo concipit et parturit. Ejus virginitas solidata in conceptu et partu. Genuit Salvatorem. Cur interrogando non incurrat, uti Zacharias. Ex ea factus est vir. Virginitatem vovit, in not. cur Dei virtus illam obumbret. Quem sanctum sit paritura. Mittitur ad Elisabeth. Se confitetur ancillam. Credit verbo, et concipit Verbum. Quia mittitur ad illam angelus, homo aliud non quærat, 143. Virginitas quanta. Gratia qualis. Plenitudo gratiæ. Verbum descendit, sicut pluvia in vellus. Ante præcursorem Dominus erat cum ea. Benedicta, quia virgo, et mater. Major cœlo, fortior terra, orbe latior. Turbatur, quia sensit Deitatis ingressum. Deus injuria non afficitur in incarnatione, et quomodo. Concipiendo invenit gratiam, et pariendo non amisit virginitatem, 144. Cur timere non debeat. Reperit intra se Verbum. Magnum erat templum Deitatis. Concipit in utero, ut conceptus sit veritas, non figura. Ei salva omnia, quia omnium genuit Salvatorem. Virgo concipit et parit cœleste germen. Christus vocatur Mariani uteri fructus ob illius virginitatem perpetuam, 145. Dicitur mater virginitate manente, et conjux permanente pudore. Parit hominem, Christum Deum. Concipit de spiritu, parturit Emmanuel. Ex ejus utero Christus non suscepit, 146. Virginitate sponsa, fecunditate mater. Mater ante conceptum, post partum virgo mater. Quid fecerit, cum sit virgo. Cur Christus nascitur ex desponsata. Maria figurat Ecclesiam sponsam. Cur nascitur Christus ex matre Maria. Maria semper mater, et prævia salutis humanæ quomodo. Mariæ nomen quid sit, *fuse*. Quid sit : Virgo concipit, parturit, etc., 148. Ut Christus nascatur ex Virgine. Quia ex Virgine est conceptus, cessat humanus pudor. Cur angelus ad Mariam mittitur. Mysterium virginei partus aperire non est humani sensus, 153. Quod Virgo concipiat, pariatque divinum est. In utero Mariano Christus ovem amissam invenit, 168. Ut pareret primogenitum totius creaturæ viam totius patriæ percurrit, 175. *Vid.* Partus, Christi nativitas, Christi incarnatio, Virginitas.

Martha. Quid dixerit Christo in morte Lazari, et ejus responsio, 63, 64. Quam utile fuerit Marthæ occurrere Christo, culpas fateri, et ab eo exspectari, 64. Cur dixit : *Lazarus fetet*, 65.

Martyres. Voluntarie mortem obeunt, 23. Sanant morbos peccatorum, 38. Quid patiantur pro Christo, 79. Martyres pauci in persecutione, 97. Eorum gloria conquiritur effusione sanguinis, 98. Sunt rosæ. Scripti in catalogo amicorum Dei, 101. Morte nascuntur, fine inchoant, et in cœlis lucent, 108. In agone certaminis vitia mortemque vicerunt, 119. Eorum felicitas ex sævitia persecutoris, 127. De morte nascuntur. Non tam mors quam fides et devotio facit martyrem, 128. In morte martyris astat turba, sicut et in annua festivitate; sed modo diverso, 129. Natales martyrum annua lætitia celebrantur ad memoriam facti. Natalis illi est dies, cum pro rege fundit sanguinem, 135. Crudelitas persecutoris illusa multiplices martyrum cumulavit triumphos, 154. Eorum merita sunt Dei dona, 155. Festa illorum celebrentur oratione ferventi, et imitentur. Martyr comprehensus teneat constantiam, non comprehensus fugiat persequentem, et cur, 151. De patientia subeat palmam, non de temeritate discrimen. Martyres fugientes Paulum martyrem Paulum fecerunt. Vere vivunt, qui pro Christo merentur occidi, 152. Martyrium venit per gratiam, non ex merito. Est munus divinum. Non habet coronam per Christum, qui sua virtute currit ad martyrium. Innocentes martyres gratiæ, 153. Ex fuga Christi. Martyr inchoat vivere, cum pro Christo meretur occidi, 174. Martyres diaboli in Africa qui, 13.

Mater laborat in vanum, cum non adest in germine auctoritas Conditoris, 6. Currit præceps post filium, 54. Data matris discutere non licet, 55. Vera non est, quæ filios amare nescit, ut fecit supra Felicitas, 134. Maria semper mater, quomodo, 146. Castra ad sinus matrum; ferrum duratum in uberibus; lac fusus ante sanguinem, 152. Matres innocentium baptizatæ in lacrymis suis. Passæ in martyrio filiorum debent esse consortes præmii. *Vid.* Innocentes, Pater, Filius.

Matrimonium. Ejus dignitas est procreatio filiorum, alias grave carere virginitate et filiis : onera matrimonii sustinere, et ad fructum ejus non venire, 92.

Matthæus. Quomodo vocatus a Domino in discipulum. Cur vocatus, cum esset dives, *ad fin.* Quare sedebat, 29. Non relinquit, sed mutat telonium. Usurarius per ignorantiam. Mirabilius illius conversio, 30. Comparatur paralytico. Figura gentilium.

Medicina. Vigor medicinæ pro magnitudine vulneris, 113. Medicina pauperis est dives, et e converso, 124. Sera non est sine dolore, 131. Sit pro modo vulneris, 167. Medicina pœnitentiæ succurrit ægris.

Medicus. Ex tactu vulnerum non computat injuriam, sed honorem, 35. Ejus cura circa phreneticum, 38 Corporali et spirituali medico parendum, 41. Cura medici in sanando ægrum, 44. Medicus qui non affert sanitatem, et cum infirmo non infirmatur, nescit curare, 50. Vadit ad ægrum, 54. Sine medico poculum vitæ fit lethale, 60. Homo est sibi medicus per fidem, 83. Tangens vulnera non polluitur a putredine, 94. Rogat, non compellit ægros austera recipere remedia, 108. Non vulneri, sed curæ proficit et saluti, 113. Congaudet sanitati, non putredini. Medico ingratus, qui semper curari æstuat, nec sanari. Non exspectat in cura arbitrium infirmi, 114. Anticipat. Gratior medicus, qui morbos quam qui morbis ingerit seram medicinam, 151. Non fit ingratus, qui per dolorem revocat ad salutem, 167. *Vid.* Ægrotus, Morbus, Vulnus.

Membra non separantur a capite, 57. Quæ servierunt dæmoni, serviant Deo, 93. Infirma vario passionum genere vexantur, 116. Invicem consentiant, nec unum occupet alterius officium, 120. Omnia membra credant suum esse, quod fecerit unum. Membra vitiorum et virtutum ab Apostolo declarantur. Homo sua membra debilibus impertiatur, 122. Singula membra habent proprium officium, 132. In eorum separatione pernicies, in unitate species. Illorum pœna ad dolorem injuriamque capitis redundat, 175 *Vid.* Corpus.

Mendaces. Quo casu repellantur a Christo, 28, 29. Ne queunt cognoscere veritatem, 131.

Mendicitas. Fit humana, ut prodatur inhumana cupiditas, quomodo, 121. Dives in tempore, mendicus sempiterne est miser, 125.

Mens nostra quomodo fiat amens, 12. Imbecillis nescit dispensare mysteria corporis Domini, 49. Mentem tollit peccatum, 78. Mentis auditus lætior sit post mœrorem, 79. Migrat a se nimio pavoris excessu, 88. Mens una in duobus, quando, 89 Acuitur ex verbis obscuris, 96. Descriptio mentis intelligentiæ, 98. Ad Deum pervenimus mente, non corpore, 97. Mente eumdem cum Jesu, 102. Mentibus ini que dominatur pecunia, 126. Fatigatur a longa exspectatione magnæ promissionis, 130. Mens simulata palam nil audet, 158. Jaculo peccati configitur, 167. Hominum corripitur a malo fulgoris, 131. Mens ebria, ut male judicet, 175. In mentis domo familia cogitationum incondita versatur, 15. Nihil est præsentia corporalis, ubi est mentis separatio, 32. *Vid.* Animus, Sensus.

Mensa. Ad mensam nostram sedeat Christus, 54. Mensa acquirit nobis debitorem. Si Lazarus fuisset ad Epulonis

mensam, ille non esset in tormentis, 66. Mensis sedere, mortuo Domino, non est filium servorum, 83. Mensa regis. *Vid.* Rex. Ad mensam divitis non admissus Lazarus, nec ad stratum cruciatus ejus admittitur, 122. Ad mensam ducendus est pauper debilis data manu. Mensa pauperis et divitis per contrapositionem, 124. Nostra ut præparanda, 127. Ante mensam lavandæ manus, 171. *Vid.* Convivium, Prandium, Cibus, Vinum, Gloria, Beatitudo.

Mercenarius. Dura servitus mercenarii, 2. Qui sint, qui fiunt dæmonis mercenarii, et quæ agant. Cur dæmon suos mercenarios mittat ad porcos. Mercenario debita pro labore merces, 5. *Vid.* Operarius.

Merces quæ ab impio pro pietate recipiatur, 127. Operarius recepturus mercedem optat adventum patris familias, 158. Serviendo Deo merces tua sit tibi in pretium, 170.

Meretrix. Facta est Synagoga, quomodo, 115. Quando spem salutis et vitæ amisit, fit mercenaria diaboli, et quæ mala agat, 2. *Vid.* Maria Magdalena.

Meritum nostrum non salvat nos, sed divina misericordia, 45 Joannes Baptista meritum conquisivit, antequam illud sciret quærere, 88. Meritum hospitis innotescit ex apparatu mansionis, 92. Nemo de meritis, nec de operibus glorietur, 110. Ex collectis manipulis meritorum ad centesimum fructum pervenitur, 119.

Metator Domini fuit Joannes Baptista, 127, 91. Fuit angelus ad Mariam, 140. Deus metitur cunis, 48.

Metus suscitat sensus nostros, 115. *Vid.* Timor.

Mica. Accipit totum, qui micam dat pauperi, 8. *Vid.* Gutta, Nummus.

Miles a tuba ducitur ad bellum, 6. Commilitandum hic pauperi, 9. Præliantes cantu incitantur, 10. Miles in vere procedit ad campum, 15. Miles peritus recipit disciplinam a tuba, 14. Desidia militis quando sit, 17. Expeditus a curis divitiarum Christo militare potest, ut regnet, 22. Quam rationem reddat, 26. Miles Christi. *Vid.* Christianus, mittit acquisitum ad patriam, 54. Fidelis, qui regis sui præsentiam sitit, 68. Sperat honores in senectute, 71. Juventutem in periculis agit. Milites sepulcri Christi cur exterriti, 75. Miles Christianus orat ne in tentationem inducatur, 68. Miles rudis ad aciem currit, veteranus sensim incedit, 79. Christus hortatur suos milites non timere interfectores corporis, 101. Penes militem quando fuerit stipendium gratiæ, 102. Non audet se militem profiteri, qui est sine titulo militari, 109. Christus dignatus est nobis militare, 115. Miles ne vulnera timeat, prædas personat et triumphos, 118. Quid agat ut salvetur, 157. Devotus tacet fugam regis sui, et refert constantiam, 150. Innocentes fuere milites coætanei Christi, 152. Cur post victoriam optet regis præsentiam, 158. Militans stipendiis suis derogat regi, 163. Percipit stipendia, quando civis solvit censum, 166. Differentia inter civem et militem. Militum cohors suo regi gestit præmori, non commori, 153. *Vid.* Insidiator, Fortis, Centurio.

Militia christiana quantæ virtutis sit, 38. Teneræ militiæ est de omnibus criminibus solo amore reportare victoriam, 94. Qualis sit cum armis Christi, 144. Militiæ Christianæ invictus principatus est jejunium, 8. Insigne vere est balteum castitatis, 22. Militia sine successore est in regno Christi, 144.

Minister est homo quilibet bonorum suorum, non possessor, quomodo, 125. *Vid.* Divitiæ.

Miraculum. Ejus virtutes sunt a Deo, 48. Miraculum singulare visa non videre, scita nescire, credita non credere, 81. Indicium credulitas ex miraculis discipulorum Christi, 83. Ostendunt Christum esse Deum, 100. Miracula lassant, nec proficiunt in Judæis, 102. Quid fecerit miraculum Christi, 105. Cum miracula gerunt, consuetudo deficit, 153. Signa seu miracula quibus præstanda. 11. *Vid.* Signum.

Misericordia Dei et hominum. Per eam ablata est amarissima mundi sententia, 6. Dei misericordia non est sine justitia. Et comes jejunii, *per tot.* Alia jejunii, 8. Per terrenam misericordiam perveniitur ad divinam. Revocat sententiam condemnatoriam. Liberat peccatores, et sanctos restituit. Divina emittitur per misericordias pauperum. Eam vendunt, non donant hypocritæ, 9. Facienda omni loco, et tempore quomodo. Testis, et remunerator misericordiæ Deus. Misericordia fidenter petitur a misericorde, 14. Misericordiam volo, quomodo interpretetur, 28 Quomodo prosit juncta jejunio, 41. Est anima jejunii. Eam vult Deus. Pro ea dabit regnum. Sit cum oratione jejunioque, *late*. Qui non dat alteri, sibi tollit : qui pauperi seminat, sibi metit, 42. Ipsa arat cœli campos. Est maxima operum Dei. Ni subvenisset misericordia, opus Dei periisset. Differt judicium ad mortem, ut pœnitentiam agamus, 42. Per misericordiam reddit Deus, quod per judicium deperierat. In judicio ante Christus de misericordia disputat, quam de reatu judicet. Nil nocet in terra, cum est in cœlis patrona misericordia. Facienda cum oratione et jejunio, *late*. 43. Quomodo sit sibi forma misericordiæ homo, 43. Misericors tot servos quot nummos habet, 54. Dum perditur pax misericordiæ adest bellum intestinum, 104. Misericordiæ lucem fugiens, se mancipat tenebris avaritiæ, 104. Cur Paulus obsecrat nos per Dei misericordiam, 108. Per illam crimen evadens Paulus factus est apostolus. Per eam rogat Deus homines, ne vindicet per rigorem. Ipsa assumenda, ut avaritia deleatur. Ab epulone despecta, 121. Non est pro reo, qui accusatur ab innocente, 122. Misericordia est pariiri membra propria debilibus. Major dare manus pauperi ad mensam quam nummum. Fratri negata stulte petitur a patre, 124. Ad suffragium misericordiæ recurrendum in vitæ extremo, 125. Non serenda crudelibus, 127. Dulcis temperat amara pœnitentiæ, 167. Ejus bajulus non lassescit, 170. *Vid.* Venia, Indulgentia, Pietas, Eleemosyna, Charitas.

Missa. *Vid.* Eucharistia, Sacrificium.

Mista. Plus est discernere mista quam prohibere misturam, 97.

Moderator pius ascribit causæ, non homini, quidquid accidit, 48.

Mœror. Somno mœroris consternati discipuli, 81. Sed mœror vertitur in gaudium, 84. Ex mœrore fit sero. Caligini mœroris nullæ tenebræ noctis comparentur. In mœrore adest solatium, 86.

Monere malos, offendere est, 127. *Vid.* Corrigere.

Monumenta majorum solvuntur, ac dissipantur a noxiis arborum radicibus, quomodo, 162.

Mora tristem facit exspectantem; at grandis promissio relevat onus exspectationis, 24. Mora solventis compensatur usura, 77. De mora exspectationis, 150.

Moralia magis explicanda populis quam doctrinalia, 2.

Morbus peccatorum quæ mala fecerit hominibus, et quomodo sanetur, 38. Morbo sanato tamen in cura permanendum, 104. *Vid* Infirmitas, Ægritudo, Medicus, Cura.

Mores juniorem vel seniorem faciunt, non ætates, 5. Ex pristinis malis moribus si quem judicamus, horremus, 5. Mali hominum mores tempore Chrysologi, 47. Diversi sexus moribus redduntur in unum, 89. Morum imitatio facit amicos, et conjungit, 101. Quot mores homini, tot Paulo fuere passiones. Mores arguuntur per Evangelium, 125.

Mors vituli vita filii est, et totius familiæ sagina, 3. Mors ex diabolo, 11. Auctor mortis incubat mortis mansiones, 17. Mors non accedit ubi est Christus, 18. Mors animæ est discessus Dei ab ea, 19. Mors justi libens, injusti non, 22. Voluntarie moriens non conqueritur, 23. Voluntaria mors potestatis est, coacta necessitatis. Apud Deum mors somnus est, 34. Mors unius pro salute multorum, 37. Mors pastoris utrum commoda gregi, 40. Quomodo innocens moriatur, qui vixit in crimine, 42. Mors moritur morte, 57. Mortificata per lignum, 60. Mors ad gloriam resuscitantis non lamentanda, 63. Ad pœnam peccati data. Mors a muliere, a qua et vita, 64. Plus conturbat exemplo. De morte non potest non dolere mortalis. Est ex delicto hominis. Mors dura, sed durior janua ejus, etc., 65. Mortis rapacitas Dei plasma in speluncam includebat, 65. Mors quid perdiderit in resurrectione Christi, 74. Quo pacto non fuissent incrementa mortis. Quæ dedeceat servus agere in morte Domini, 85. Secunda mors non est in æterna vita. Qui ex morte vivit, Deus est, 84. Regnavit ex culpa hominis, 90. Mors nata a discordia humanam scindit charitatem, 96. Mors sanctorum somnus est, peccatorum mors est. Mors ad omnes per Evam, 99. Despiciens mortem, fit Dei amicus, 101. Mors sanctorum. *Vid.* Sancti, Martyres, Justi. Antiqui de bono mortis scribentes scopum non attigerunt, 101. Diabolus mortis auctor. Cur Deus mox mortem cum auctore non exstinxerit. Moritur homo, ut quid fuerit, sic videat. Mors corporum facit vitam de temporali sempiternam Mors permissa a Deo, quia suscitare potest. Corpus nostrum ad mortem infirmatur, 102. In morte deponimus paleas vetustatis, 108. Ea instante non congregandum, 104. Mors expenditur et punitur in sacrificio Christi, 108. Morte nascuntur martyres. Non potest mori, qui vitali gladio meretur occidi, 108. Ex culpa Adæ nos habet obnoxios, 110. Mors pœna peccati, ut infulas amittat. Homo vix moritur pro justo; quia ad mortem non tam voluntas quam necessitas ducit. Est volenti subjecta, dominatur nolenti. Mors inter homines reparatio pietatis fit per Christum commendatio divinæ charitatis. Mortem nolens generat natura, 111. Quod moritur homo, id debet Adæ, 20. Homine est acquisita posteris, non a Deo facta, 112. Mors penes homines est etiam criminum pœna. Ex peccato est hominis. Moriatur homo peccato, non Deo, 113. Quo causa mors moriatur morte, 114. Mors peccatorum vitam finit, inchoat pœnam. Justorum non interficit, sed perficit. Mors per Christum moritur, 116. Mori numquam libet, 118. Formido mortis

resurrectione calcatur. Mors desperationis Domina, mater incredulitatis, germana corruptionis, inferni parens, diaboli conjux, omnium malorum regina, impugnans omne genus hominum, et quo ordine, *fuse*. Ejus bella, *optime*. Ipsa invincibilis. Inflexibilis. Cur scribentes de bono mortis erraverint. Mors provehit ad vitam, 124. Ejus tempore apparitio suprema constringit, judicium vocat, 125. In morte benefacere cupit homo. Quos præoccupet, 125. Immatura ex quo procedat. In periculo mortis ad pœnitentiam convertamur. De morte sua nascitur martyr, 127. Semel mori pro rege, quid, 128. Mors ex dæmonis suasione, 131. Omnis, qui nascitur de conditione mortali, moritur. Per mortem vult Deus hominem transire ob suam ingratitudinem. Mors occisa a bellatore cœlestis militiæ, 133. Mortem non meretur illa quæ vitam parturit, 145. Mors abstulisset nobis bonum, si Christus occisus fuisset in utero, 146. Mors ipsa pavore levior, 147. Mortem sentiunt innocentes ante vitam, 152. *Vid.* Innocentes. Mortis causa facta est per Christum causa vitæ, 157. Morte non separatur charitas, sed crescit, 164. Cui Deus vita est, mori non potest, 166. In ejus articulo etiam locus pœnitentiæ, 167. Justorum est coram Domino pretiosa, 174. Eorum mors est vita. Mors nutu Dei finitur, 176. Mors philosophanda, 54.

Mortalis. Cur vita nostra mortalis dicatur, 1.

Mortui plangendi, non cantandi, 19. Mortui quomodo mortuos sepeliant. Mortuus citius resuscitatur a Deo quam dormiens ab homine, 34. Mortui judicandi resurgent, 62. Mortui non plangendi cum gentibus, 65. Habent vitam a Deo. Mortui resurgendo peccatoribus non prodessent, 66. Resuscitati a Christo sunt argumentum resurrectionis ejus, 81. Plangit mortuos qui nescit illos creatos ex pulvere, 101. Cur a Christo in vita non omnes resuscitati, 102. Quomodo simus mortui peccato, non peccatum mortuum sit, 113. In mortuos sævit corvus crudelior ferro, 163. Cur Christus discipulo non permiserit sepelire mortuos, 19. Gentes cibos apponebant defunctis, 17.

Moyses fit Deus suffragio orationis, eleemosynæ et jejunii, et quæ mirabilia faciat, 43. Iterum ejus mirabilia, 66.

Moysi se communicat Deus, 69. Honor funeris illius, 83. Cur non faciem, sed posteriora Dei tantum videat, 131. Occurrit in monte, ut promissum conspiciat Christum. Ut amet Deum, et alios doceat amare, quid a Deo recipiat, 147. Jejunio quadraginta dierum totus mutatur in gloriam divinitatis, 126. Meruit sancire legem, cur. Jejunium Moysem divini fervoris fecit lumine perlucere, 12.

Mulier. Taceat in Ecclesia, domi discat a viro, 26. Lascivæ mulieres quod bellum egerint, 27. Mulier dedit formam delendi peccatum tacita confessione, 34. Consilium impietatis qualem pœnam dedit mulieri, 44. Si mulier non fuisset in paradiso, non moreretur Lazarus, 63. Lacrymas quæsivit, et pretio gulæ mortem comparavit. Currit pro morte quæ cucurrerat ad mortem, 64. Quæ prima peccaverat, prima curatur. Mater viventium per Deum, mater mortuorum per diabolum. Periisset mulier, si ante Christus ad virum pervenisset, et quomodo, 64. Suscitat virum de sepulcro ventris sui. Increpatur a Christo. Fraus mulieris collocavit virum in speluncam, 65. Mulier ad sepulcrum fetorem sentit, cur. Sero currit ad veniam, quæ mature cucurrerat ad culpam, 74. Vespere quærit Christum, quæ perdiderat Adam in matutinis. E paradiso perfidiam sumpserat, fidem vero de sepulcro sumit : rapuit de morte vitam, quæ de vita rapuerat mortem. Ut fiat mater viventium, 74. Est resurrectionis nuntia, quæ fuerat ruinæ. Decepta ex visione arboris, reparatur videndo sepulcrum. Utinam impedimentum peccati habuisset in paradiso. Vitale colloquium habet cum angelo. Venit ad sepulcrum; sed redit Maria, quare, 77. Adam duxit ad inferos, Christum recepit ab inferis. Sepulcrum est mulieris opprobrium, 77. Ex eo fidem recepit. Prima ad perfidiam, ad mortis auctorem, ad diabolum; et prima ad fidem, ad Salvatorem, ad angelum, 77. Sepulcrum Christi ingreditur, ut consurgat ad fidem. Mala, quæ ex muliere fuerunt, et cur ad lacrymas paratæ, *optime*, 79. Cur ad sepulcrum lacrymantes. Ferunt pro Christo lacrymas. Quomodo non derogat apostolis præcurrens ad resurrectionem, 80. In sepulcro vident effectum peccati. Absolvitur a reatu. Non præponitur apostolis. Fit socia passionis, et fide resurgit. Timet, et gaudet. Mulieres salutantur a Christo, tenent pedes ejus. Mulier est in pedibus Christi. Sequitur, non præit virum. Devota erga mortuos, 82. Dubiam lucem corporis et animi sustinent. Cur fugiant de monumento. Tacent, quia audire, non loqui, discere, non docere, datum est eis, et quando loquitur mulier Ecclesiam repræsentat, 82. Tactus malæ mulieris urit male conscium, parem polluit, suspectum notat, hominem malæ voluntatis infamat, 94. Mulier peccatrix fit bona, si Dominum tangat. Neque mulier sine viro, neque vir sine muliere in Domino, 99. Mulierem domestica cura domi constringit, 99. Accipit a Deo fermentum fidei, quæ a diabolo acceperat perfidiæ; et cur abscondit in farinæ satis tribus. Mulier quæ fermentum accepit, est Ecclesia. Describitur mulier, quæ spiritum habebat infirmitatis, 105. Figura est Ecclesiæ. Cur incurva in Synagoga. Ejus malitia quæ, et mala quæ fecit Adæ et posteris, 127. Abstulit vitam mundo ob unius arboris pomum; fugiendæ ab Eliæ exemplo. Mulier nova bellua, ut caput Joannis truncat. Reddat ad se virum, quem perdidit per se, 142. Mulier habens drachmas decem declaratur, 169, *per tot. Vid.* Femina, Sepulcrum, Hæmorrhoissa.

Mundus. Ejus latitudo tota ex livore est duobus fratribus angusta, 4. Est belli campus cum diabolo et vitiis, 14. Ejus naufragium, quando, 20. Conversus ad obedientiam Christi, 20. Finis illius, 47. Peccatores nollent mundum transire, 66. Fabrica mundi elementis dissonis consonat, 68. In arca Noe fuit semen mundi, 69. Vespere mundi. *Vid.* Vespere. Mundus contendit vitare necem sui Domini, 78. Tota mundi compago se devolutam credebat ad primum chaos in morte Christi, 78. Sed Dominus suscitat ad gloriam, 78. Discipuli mittuntur in mundum ad Evangelium prædicandum, 83. Credidit auditui tantum. Quem Deus faciens vocavit mundum, inimicus inficiens reddit immundum, 96. Sterilis fecundatus, 99. Jussione factus, jussione solvetur, 101. Mundo præsente luctari difficilius est, sed gloriosius, 107. Ejus figura et reformatio, *late*, 120. Mundus principum est ludus, 124. Mundus est ager hominis, 125. In mundo petit Deus rationem a nobis, ne petat in judicio. Mundo dominatur pecunia, 126. Gloriosum est mundum cum suo principe contemnere, 128. Septem accipit dies, 134. Erit vere mundus, quando mors non erit, 139. In mundo parantur, quæ in cœlis habere debemus, 144. Christum nasci triste mundanis est, 146. Perire maluit quam timere, 147. Vanis erroribus occupatus ex timore. Amore reducitur. Pro homine factus, 148. Quod de mundo non est, non potest subjacere mundano intellectui, 153. Columba in Jordane indicat mundi naufragium cessasse, 160. Sordescens squalore vitiorum lavatur diluvio, 166. Moritur diluvio, et tali renascitur baptismate. Totus aperitur fonte baptismatis gentibus innovandis numero quadragenario. Jam puer nunc senex, et interitui proximus, 167. Christiani sequuntur mundum fugientem. Ejus superbia inclinatur a mansueto victore, 170. In secundo adventu Christi semper visionem sui auctoris habebit, 83.

Munera probant amorem, 10. Qui Patrem muneribus non honorat, ei est ingratus. Divina hominem expavent, pro quibus cautior esse debet, 68. Zacharias munera suspiciens divina, condemnatur, 88. Divina qui reddit, non amittit, 59.

Murmuratio Pharisæorum et Scribarum superba a Domino compressa, ex quibus vitiis augeatur, 168.

Musica ad funera non conducenda, 19.

Mutatio in hac vita potest esse de hæretico in fidelem, de peccatore in justum, et e contra, 97. Lamentanda in divite et paupere, 121. Epulonis et Lazari, 124. Mutatio officiorum Dei fit ad mutandum hominem in melius, 170.

Myrrha morituro offertur, 157.

Mysterium cœleste non semper debet publicari cum scitur, 86. Pretiosum in vilitate jacet, 99. Evangelicæ lectiones sunt divinis mysteriis obscuratæ, 126. Cur divinum mysterium occultatur in humano, 132. Ejus magnitudo et altitudo cogit comperendinare, 144. Quæ humanis oculis clara videntur in cœlo, sunt profundis obscurata mysteriis, 160. Mysteria Christianæ fidei scienter investigata, quid prosint, 166. Cœlestis mysterii declaratio a Deo oranda, et quomodo facienda, 64.

Mystica dicta, et facta Christi quare sint talia, 96. Mystica expositio divinæ Scripturæ facienda, 95.

Natalis dies hominis lacrymis et querelis abundat, 89. Sanctorum dies natalis est, cum de terra transferuntur in cœlum, 129. Iste dies non celebratur epulis, sed imitatione. Celebratur quot annis ad nostram recordationem. Natalis sanctorum est ex martyrio vel morte, 133. Natalium solemnitas teneat in exsultatione mensuram, 127.

Nationes feræ a Christo pastore ad lenitatem reductæ, 6.

Nativitas regis festivitate et symphonia honoratur, 91. Ab ortu Joannis ad ortum Salvatoris accedimus ex Evangelio, 92, 88. *Vid.* Christi nativitas, Maria Virgo. In nativitate Christi cur auctor taceat, 146. Nascimur ad dolores, cum dolore, etc., 87. *Vid.* Filius.

Natus. Quomodo nondum natus vocat patrem, 67. *Vid.* Catechumenus. Natus lacrymatur ex natura, 89. Nati ex terreno Adam, ut fiant cœlestes, 117. Nati de concupiscentia, ut per Christum renascamur. Natus de carne caro, de spiritu spiritus est, 142. Cur Joannes major in natis mulierum, 174. Nati in diversis mensibus, 56.

Natura. Portio naturalis, et lex naturæ data homini a Deo, quæ et qualis, 5. Miratur de partu Virginis, 57. Na-

tura infans ad virtutes, crescit per Deum, 85. Longo usu natura aut producitur, aut obtunditur, 87. Felix Deum concipiens, et cur, varie. Generat ad dolores, devorat partus suos. Cur sterilitate pasceretur. Liberata a servitute mortis per nativitatem Domini. Natura hominis imbecilla supernam potestatem sentiens trepidabit, 88. Natura lege constringitur, non auctor, 90. Trepida ad Deum, imbecilla ad divinas virtutes. Alta de se præsumit, priusquam se rebus probet. Ei imperat Deus. Miratur in conceptu Elisabeth, 92. Sibi sufficit ad obsequium creatoris, 93. Quid sit peccatum ipsi naturæ, 111. A Deo facta, ut homines crearet ad vitam: generat mortem obnoxia peccato. Nollet suos partus exstingui. Dum condolet, amissam suspirat libertatem. Sed illam recepit dum Christus peccatum mundi sustulit. Sibi per se subvenire non potuit, ideo auctor illam in se suscipit reparandam. Naturæ peccata tribuere, est vivere peccato, 113. Natura humana ex peccato prona ad lapsum, 116. Portet ex gratia imaginem Christi, 117. Paucis contenta, 122. Non perfecit omnia, ut arti aliquid relinquat, 132. Decoratur ex arte. In rebus præsentibus infirmata. Joannes optat naturam venenosi germinis immutare, 137. Humana natura roboratur ad portandum Deitatis gloriam, 142. Ejus incrementum præter naturam quis non suscipit, 142. Vulnerata lethaliter cœpit esse origo mortis quæ erat initium vitæ, 143. Curatur nativitate Christi, et fit vivificatio filiorum, 143. Natura virgo rerum mater, 146. Quod natura non habet, est auctoris, 153. Docet quid valeat infantia, 158. Naturam fecit Deus, 160. Quomodo hebetudo naturæ nostræ proficiat in vigorem Divinitatis.

Naufragium mundi cessare indicavit Spiritus sanctus in forma columbæ, 160.

Navis. Ecclesiæ navem dum Christus intrat, mare sæculi quomodo perturbetur, 20. Sedatur tamen a Christo. Navis Christi quando fluctuabat. Quoties Christus nostra dormit in navi, irruit procella, 21. Dominica navis extra quatitur a gentili, intra ab hæretico. Navis Ecclesiæ indiget Christo, 50. Cur illam ascendat ipse. Navis corporis nostri ut armanda in Quadragesima, 8. Fluctus navem demergit.

Nauta intrans mare cæteras curas deponit, 8. Peritus regit navem in tempestate, in sereno quilibet, 20. Intrat mare lucra sperans, 71. Cantat portus et lucra, ne pertimescat ruinas, 118. Artem navigandi invenit, 168. Cantu superat marina discrimina, 10. Vigilat, et cur, 24.

Necessaria providet Deus suis operariis, 170.

Necessitas facit furem, 7. In causis desperatis est sæpe magistra, 35. In adversis voluntati non potest comparari, 110. Necessitatis est acquiscere, velle virtutis. Religiosa necessitas compellit oratorem discedere ab ordine proposito dicendi, 114. Necessitas naturæ quid fecerit homini, et quid gratia, 117. Provehit ad voluntatem, 124. Peccandi abolebitur in gloria, 139. Necessitas magis est quam reatus, quærere Deum, et nescire quærere, 157. Fragilitas jus necessitatis imponit, 41.

Negare Deo quod vult, est sibi negare quod desiderat, 8, 38. Gratias petentibus non negat Deus, 39. Improbus petitor est, qui quod aliis negat sibi postulat, 43. Nequeunt negari promissa, quando negata solvuntur, quomodo, 89.

Negligentia. Peccata negligentiæ vitari non possunt, 30.

Negotiator. Ex margaritis est Dominus, et quomodo, 47.

Nequitia spiritualis descripta, 52. Perditorum ligat manus Christo, 100. Cordis confundit judicium, 131. Cui nequitia sodalis est, ille fas nefasque confundit, 152. Gentes nequitiarum Christo propugnante vincendæ, 171.

Ninivitæ. Quare surrecturi sunt in judicio contra Judæos, 37. Salvati ex misericordia, 8.

Noe parens novi sæculi habet in arca totius sæculi partum, et cur, 147. Ejus columba quid indicaverit, 160. Vector novi sæculi, 163. Servata a Noe apponuntur cœnæ Petri. In arca custoditus a jejunio, 12. Servavit mundum, 14. Semen sæculi, 69.

Nomen imponitur regibus a triumphis, 57. Dei nomen quomodo sanctificandum in nobis. *Vid.* Oratio Dominica. Nominum mutatio potest esse, ubi non est varietas personarum, 125. Diversa nomina possunt imponi eisdem personis. Nomina sanctorum sæpe indicant merita et insignia, 154. Gloria et injuria nominis ex bona et mala fama, 69.

Nonagesimus nonus numerus in sinistra latet clausus, addito uno mox transit ad palmam dexteræ, quomodo, 168, *cum notat.*

Nostra largienda, licet non sint nostra sed putentur, quomodo, 123.

Novalia ut purgentur, 164.

Novitas vitæ qualis esse debeat, 113. In novitate spiritus serviamus Domino, 115.

Nox. Quare de nocte vult Dominus e cubili inquietari a nobis, 39. Ut oratio facta in media nocte prosit. Quod malum sit tota nocte dormire. Nox mutatur in lucem, resurgente Domino, et lætatur a servitute tenebrarum liberata, 77. Dicitur terra, 170. Tenebrat diem, 74.

Noxia. Specie noxiorum sæpe dantur filiis salutaria, 25. Arbor noxia quid faciat monumentis majorum, 162.

Nubes speciem rerum obscurant, 74.

Nuditas filii non sustinetur a patre, 3. Nec in pede. Hominis tegitur venia, calet vestita fide, 99. Epulo indutus erat artificiosa nuditate, 122. Nudus erit in tartaro, qui dives esse noluit in cœlo, 125. Alget nuditas Adæ tecta a Christo, 106.

Numerus centesimus, octogesimus, quinquagesimus, quadragesimus, septenarius, nonagesimus nonus, duodenarius. *Vid.* suis locis. Numerare per dexteram et sinistram manum, 168, *cum notat.*

Nuntius sponsalium Dei dat arrham, dotem suscipit, 140. Duobus Christi nuntiis duorum populorum monstratur vocatio, 170. Joannes Baptista nuntius fervens, 91.

Nuptiæ facibus sunt amicæ, 22. Castitas earum. Christi cum Ecclesia quomodo decorentur. Ad clamorem harum nuptiarum Christiani suscitentur. Cur nuptiis interfuerit Christus varie, 157. Felices, quibus Christus est præsens.

Nutritor pueri optime describitur, 62. Totus redactus in parvulum habet mendacium proprietate, etc. S. Paulus factus nutritor, quomodo. Pater non irridet nutritorem parvuli imitatorem. Chrysologus spiritualis nutritor parvulorum, quomodo.

O

Obediens, invigilat timore ad arbitrium jubentis, 109. Obedienti dicenda dicantur, ne Doctor offendat, 137. Est mansuetus, discutiens vero immansuetus, 143.

Obedientia præstita Deo facit ut nobis Dominus succurrat in necessitatibus, 39. Præstanda Deo circa jejunia, 41. Creaturarum Deo præstita. *Vid.* Creata omnia, Jussio. Obedientia cogit ad orandum, 138. Obedientia fidelium est gratia Dei, 58.

Oblatio facta Deo de rebus alienis damnosa, 54. Publica oblatio regi nascenti paratur, 102. De divitiis Deo facienda, 66.

Obscurum fidei quid operetur, 102. Facta dictaque Christi obscura nostrum acuunt intellectum, 96. Obscura lucidanda, 112. Mortalitas obscuritatibus involuta, 160.

Obsecratio facta a Paulo per misericordiam Dei cur, 108.

Obsequium rationabile placat Deum, irrationabile exacerbat, 109. Ad obsequium regis militaris statio contremiscit. Rationabile est fervor, irrationabile furor. Deo præstandum cum virtutibus et humilitate, quomodo.

Obsessi a dæmone quæ ei mala faciant, 17. Torquentur, et torquent, 51. Ut invadantur a dæmone, 52. Lunaribus incrementis vexantur. Cur ab hominibus liberantur, 170. *Vid.* Dæmoniacus.

Obstinatio dure amputat rationem, 131. Judæorum quærit dicere falsitatem.

Occasio dicitur fumans, et ardore ac sanguinibus incenditur, 126. Ni tollatur, peccata non vincuntur. Delinquendi occasio data hominibus ex creatis rebus. Occasio accepta quæ. Occasio salutis fit interdum instrumentum perditionis, 126. Quod est occasio erroris hæretico, Christiano argumentum fidei sit, 144. Occasio perditionis quando fiat materia vitæ, 156. Occasio inducit in peccatum, *illative*, 13. Ad occasionem peccatorum contumaciter vadens deseritur a Deo, 70. *Vid.* Oratio Dominica. Occasiones peccatorum ut faciant charitatem deseri, 162.

Occidere non vivificare solet dæmon, 131. Tulerunt Judæi lapides ad se ipsos, non Deum occidendum. Non meretur occidi illa quæ vitam parturit, 145.

Occisus pro Christo resurget in Christo, 173. Occiso nemo providere poterat, nisi Christus, qui vitam reparavit occisus, 116.

Occurrere debemus Domino nostro venienti, 22. Occursus patris ad filium misericordiam ostendit, 3. Dominus occurrit gentili, dum esset peccator, 5. Occurrit in Filio per incarnationem. Occursus Dei non retardatur a carne, 24.

Occultum. Aliqua videntur occulta ex profunditate sui mysterii, 85. Occultum in herba manifestatur in spica, 97. Per Evangelium Christus nudat occulta, 125.

Octogesimus numerus totam fidem præfigurat et gratiam, 126.

Oculus. Oculi parentum et propinquorum lucernæ sunt filiis, 1. Oculi Dei vident peccatorem, licet peregre profectum, 2. Illustrant visum peccatoris, 3. Levant oculorum caliginem. Hypocrisis oculis capitur, 7. Oculi Dei claduntur, ne puniant, aperiuntur ut adjuvent, 21. Oculi fuere scandalum Evæ, 27. Dei liberant peccatorem, 28. A Deo visus malis caret, bonis donatur, 34. Sine lumine Dei falluntur oculi humani in Dei opere, 51. Oculus impius Deum videre non potest, 55. Teneri oculi lumine tenero commit-

tendi, 64. In supplicatione sursum elevandi, 65. Maculati aspectu arboris mundantur visione sepulcri, 77. Discipulorum cæcati a tenebris passionis Domini, 78. Amoris intuentur acutius. Mulierum clausi incredulitatis obscuro, 82. Obscuratis oculis sensim lux refundenda, 87. Arbor oculos aperiendo clausit, 99. Sinapis granum claudendo aperit oculos. Oculis negata salus, ut tota esset in fide, 110. Oculus purus conturbatur fumo, 111. Oculi non hebetantur magnitudine lucis, sed propria infirmitate, 112. Oculus ministerium pedis non offendat, 120. Epulonis sursum levati malum ei causant, 122. Oculorum vices mutatæ in Lazaro et epulone. Oculi hominum non intuentur quantus sit Deus, sed quia est, 131. Oculus est pretiosus, si perseverat in corpore, 132. Cæcus ad sua crimina, lucidus ad aliena, et alia, 139. Oculus auctor prævaricationis, et alia mala oculorum. Est Dei, quod oculus arctatur in pupillam, et cur. Vix suffert jubar nascentis solis, 140. Effusus perdit lumen, 164. Angustus oculus non capit multa, excelsa, longinqua. Oculi sanati a Christo tribus cæcis varie, 176. Cur sputo Dominico sanantur, 176. Oculi peccatori baptizati gutta roris sancti. Oculis imperfectis grandescunt formæ, turbantur species, res falluntur, cur. Venia oculos aperit, quos clauserat culpa, 176. *Vid.* Aspectus, Visio.

Odium ex diabolo, 53. Incurrit odium, criminosos qui arguit, 127. Sensus humanus perversus audire non potest quod semel statuit odisse, 131.

Officium. Terrena officia se miscuerunt cœlestibus, cum natus est Christus, et Joannes, 89. Officia a Deo commutata, ut nos mutet in melius, 170. Membrorum non confundantur, 120.

Oleum cur debebat Judæus, 126. Quando sit figura Christiani chrismatis. Oliva a Judæo siccata reviviscit Christiano. Oleum in caput Christi, quando, 160. Quod oleum est lucernæ hoc jejunio est pietas, 8. Ut fiat chrisma, 93.

Omnia. Post Deum sunt omnia, 131. *Vid.* Creatura. Omnia contulit nobis Deus, 23.

Onus onere levatur, 3. Onustus non potest per angustam viam ad opus Dominicæ messis pervenire, 170. Onustus aut tardior incendit ad opera.

Opera. De operibus nemo glorietur in justificatione, 110. Opera genitoris, qui non facit, negat genus, 123. Operum qualitatem de sensu, non de locis colligit Deus, 9. *Vid.* Facta.

Operarius diligens mercedem recepturus adventum patrisfamilias desiderat, 158. Habet ab homine invitante necessaria victus; immo epulas ad superandum laborem, 170. Quanto magis habebit a Deo? *Vid.* Mercenarius.

Opes. *Vid.* Divitiæ.

Opifex habet honorem ex restauratione operis, 145.

Ora gustu arboris venenosæ infecta, 99. Gustu salutaris arboris sanata. Tot ora pauperis quot vulnera, quando, 121.

Oratio fidelium adhibenda ut pastores idonei fiant ad explicandum Scripturam, 5. Orantes timet diabolus, 13. Orationis perseverantia, 39, *per tot.* Affectus et desiderium Dei erga orantes, ut det gratias, *late*, 39. Bona oratio, etiam facta ex necessitate. Pulsat oratio sustinendo moras dantis. Optima cum jejunio et eleemosyna, 42. Hæc tria conjunctim esse debent, *per tot.* 43. Mane orandum, vel humano timore, si non amore divino, 43. Deus orandus dum flagellat, 45. Revocat nobis bona temporalia deperdita, 46. Oratio plurium unitorum quantum valeat, 132. Communionis neglecta quid mali afferat. Ferveat oratio in festis sanctorum, 135. Orandum ut æterna bona credere, videre, et tenere possimus, 139. Christus docuit nos breviter orare, quia cito dare vult, 67. Oratione a Christo ante liberati, quam passione redempti, 24.

Oratio Dominica explicatur, *late*, 67-72, *inclusive ut infra.* Est stupor cœli, pavor terræ, 67, 70, 72. Non capitur ab homine, 68. Est forma orandi data a Deo, 69, 70. Cur Deus vocetur Pater, 68-71. Cur in cœlis esse dicatur, 67, 70. Ut nomen Dei sanctificetur, 67, 72. Regnum advenire, quale et quomodo, *ibid.* Voluntas Dei ut facienda, *ibid.* Panis quem petimus, qualis, *ibid.* Quomodo peccata dimitti oremus, *ibid.* Ne nos inducat in tentationem, quomodo, *ibid.* Ut liberet nos a malo, et a quo, *ibid.*

Oratores magni viros laudantes avos, atavosque commemorant, 89. Eorum excusatio in principio orationis, 186, *per tot.* 138. Finis orationis. *Vid.* Concionator, Doctor, Præceptor.

Orbis. *Vid.* Mundus.

Ordo. Quæ per ordinem non aguntur, ordinem tenere non possunt, 64. Humana convalescunt ordine, 109. Ab ordine dicendi sæpe compellit discedere religiosa, 114. Ordo doctrinæ sic moderandus est, ut aliud non impediatur ex alio.

Originale peccatum. *Vid.* Peccatum mundi.

Origo. Gloria ab origine præcedit gloriam ex labore, 89. Origines causarum interdum non necessarium perscrutari, sed temerarium, 166.

Oscula redimunt peccata filiorum, 3. Salus ex osculo confessionis, 60. Sunt reconciliationis indicium, 93. Oscula cruenta Judæ, 137.

Ossa conturbata a quibus, et quomodo, 45. Ossa Christi astruunt carnis veritatem, 81.

Otium corporis et animæ tollendum in Quadragesima, 12, 13. Quid perdat otiosus.

Oves sunt gentes a Christo pastore reductæ ad caulam, et alia de ovibus suis, 6. Eas dulcedo jubilationis ducit ad caulam. Filii ovium quales Deo portandi, et quomodo, 10. Fetus ovium a pastore perducuntur ad caulas, 40. Ovibus Christi utrum fuerit commoda mors pastoris, *fuse.* 40. Ut jubilent pastori, 46. Ut ei pareant, 53. Oves Judæorum rabidæ pastorem suum laniarunt, 100. Sunt vita, salus, gloria Pastoris, ideo docendæ, quæ pastor scit, 147. Oves Domini cum sunt in tuto, insaniunt lupi, 149. Christus pastor ovis amissæ, 168. Una perdita totum dissipaverat centenarium numerum, et de dextera redegerat in sinistram, quomodo. In una omnes inveniuntur, et quomodo, 2. Ovis hæc fuit Adam. Ad unam ovem tota feritas bestiarum, 171. Bona ut vocem audiat pastoris, 173. Oves suas alloquitur auctor. Si pro suo libito pervagetur, non pervenit ad caulas. Nostri domus est ovile Dei, si ibi balat pecus Dei, 10.

Ovum est verbum Dei, quomodo, 55.

P

Palatium. Vilis et indignus ad fores palatii non propinquat, 141. *Vid.* Domus.

Palmæ sunt verbera parvulorum, non virorum, 58. A Christiano tolerandæ, cur. Palmis faciem non negavit Christus. Palma reportatur de patientia, 151.

Panis de cœlo est Christus Judæis conversus in petram, 55. Panis eucharisticus quomodo confectus, 71. Panis humana ratione datur canibus, 100. Gentilis lambere festinavit panem quem conculcavit Hebræus. Gentilis micas ex toto pane epulatur. Panis non esurit, 110. Panem quærit Deus in paupere, 121, 42. Mica et gutta sufficiunt ad pauperis refrigerium, 124. Dandus pauperi, 137. Quinque panes ampliati, quomodo, 160. De cœlo delapsus quadraginta annis pavit Hebræos, 166. Panem dabit Deus servientibus se, 170. Panis noster sit Christus. Terrestris præparatus a Joseph, cœlestis a Joanne ostensus quid causaverit, 174. De cœlo descendens est Christus, 15. Panis non indiget pane. *Vid.* Eucharistia, Pauper, Eleemosyna.

Pannus novus et rudis, 31.

Parabolæ *Vid.* Figuræ.

Paradisus. Si in paradiso impedimenta peccati fuissent, mors et injuria Creatoris non fuissent, 74. Ante Christi ascensionem flammea rhomphæa in paradisi janua erat, ne illuc homini pateret accessus, 123. Ignea paradisi via temperata ex aqua lateris Christi. Ejus amœna flammeo custode seclusa, 172.

Paralyticus descriptive Matthæo publicano comparatus, 30. Figura populi Judaici. Corporis, non animæ, tendebat ad curam, 50. Jesus cognoscitur Deus in sanatione paralytici. Cur lectum portare jubetur.

Parcere sibi jubetur homo, 23. Tenemur parcere injuriantibus, 38, *per tot.* Qui semper parcit, crimina non timet, 72. Peccantibus in nos parcendum, ut nobis dimittamus, 139. *Vid.* Dimittere, Inimicus, Oratio Dominica, Venia.

Parcus. *Vid.* Abstinentia, Sobrietas.

Pares redduntur a virtute, quos natura fecit impares, 89.

Partus sæpe acerbi sunt, veluti hominis in septimo mense, 56. Talis est partus cœlestis gratiæ. Ut partus Virginis irradiaret oculis perfidorum, præmisit Deus conceptum annosæ sterilitatis, 87. Virginis partus est sine partu. Virginis nobis ignotus, 87. Partus sterilis dat documentum resurrectionis et salutis, 90. Cur partus Elisabeth dilatus, 91. Evangelium de partu sterilis ad Virginis partum nos conducit, 92. Partus Virgineus in via quare, 175.

Paschalis solemnitas novis vetera non connectit: sed novæ regenerationis ablactat infantiam, et alia, 73. Ablactat nos a lacte, ut solidiorem cibum sumamus. Non conjungitur cum vetustate Judaica paschalis solemnitas. Parvuli Ecclesiæ filii, ut in Pascha nutriantur, et ablactentur. Pascha Domini ut celebrandum ex Apostolo, 172. Quomodo in eo immolatur Agnus Dei. In eo Christus natus, et immutatus ad totam lætitiam et gloriam. Paschali tempore sacramenta symboli explicabantur, 56. Est portus, lucrum vitæ et gaudium resurrectionis, 8.

Pascua terrena morsus luporum habent, 170. Porcorum pascua sunt lutulenta.

Passiones. In arduis languoribus passio sibi medicinam

invenit, 35. Passionum particeps, erit et gloriæ, 40. Passionis procella fidem mulierum turbaverat, 77. Tot passiones recepit Paulus docens, quot homini sunt mores, 101. Dejiciunt corpus, 109. Peccatorum dominantur membris humanis, quomodo, 115. Ut urgeant homines in quavis ætate, et lex faciat illas notiores. Resecatæ per legem magis pullulant. Legem vitæ instrumentum, faciunt esse mortis instrumentum. Ut triumphemus de passionibus, quæ extrinsecus exclusæ tentant, 115. Eas amputare haud potest, qui non compatitur, 151. Nostras pertulit Christus, ut tolleret. In passione tacet Christus, 164. Passionibus probatus verus amor, 14. Centurio non videbat in Christo passiones, 15.

Pastor. Pastoris personam induit Deus ad variam ovium utilitatem, 6. Christus pastor animarum quærit socios. Oves committit Petro. Pastor portet agnos tenues. Scit fecunditatem gregis sui, et oves, et fetus commendat. E cœlis pro salute ovium descendit, 6. In oves affectio, 23. Fetus ovium colligit, et ad caulas perducit, 40. Mors Christi pastoris utrum commoda ovibus suis, *late*, 40. Mavult mori quam de suis ovibus mala videre. Pastor Christus moriendo viam vincendæ mortis aperuit ovibus suis. Ut gregem pascat, 46. Officium in plebe, 53. Anhelus it ad ovem perditam, 54. Oves a Deo vocantur per ora pastorum, 62. Cogitur ex officio prædicare, 77. Est mysticus canis, 100. Sancti pastores etiam post mortem suo gregi assistunt in spiritu, 128. Animarum pastor ut vocet suas oves, 147. Eas doceat quæ ipse scit. Pastor animarum beatus, qui se custodiens saluti alienæ providet, 155. Pastores Israel ab angelis cognoscunt Dominum natum, 159. Ad eos sæpius missi sunt prophetæ. Pastor ovis perditæ non est terrenus, sed cœlestis, 168. Cur ex centenario numero unam amiserit, et alia. Christus ut nos in montibus requirat, et suis humeris perducat ad caulas cœlestes, 170. Pastor bonus ut gregi pervigilet, 173. Pastor animarum duobus ex locis prædicare potest. Pastoralis baculus arripitur contra furentem lupum. Pastor vigilat, cur, 24.

Pater cœlestis et terrenus. Cœlesti tempore non clauditur, nec solvitur morte, 1. Tenet filiorum substantiam ex vi amoris et providentiæ. Filio convivens bona affert. Non eget intercessore ad dandam veniam filio, 2. Cooperit filii reatum. Filium cupit redire, non perire. Pastor cœlestis est, cui in cœlo peccatur, 2. Videt longinqua. Filio occurrens veniam largitur, 3. Divinus pater fide quæsitus statim adest. Illuminat filium peccatorem. Misericordia movetur, qui loco non movetur. Ex misericordia super nos cadit. Cadens jacentes erigit. Tollit onus peccatorum. Peccanti filio dat oscula. Curat vulnera filiorum, 3. Patris aspectus quid agat in filium. Filii nuditatem non sustinet, licet crimina sustineat. Plus de venia quam de justitia gaudet. Cito misericors. Restituit innocentiam et honorem. Charitas ejus in filium redeuntem. Moribus filiorum turbatur, 4. Stultus, qui judicat pietatem patris. Charitas tegit filii delicta. Patri non gratus filius qui invidet fratri. Patris substantia est filius. Filium licet contumacem recognoscit. Solus pater quærendus. Nova et futura quærit, filio pauperi. Pater cœlestis duos habet filios, gentilem et Hebræum, 5. Occurrit nobis in incarnatione filii, et cecidit, etc., 5. Osculatur nos. Dedit stolam gloriam immortalitatis. Qualis annulus eo jubente datus est. Calciamenta dedit in prædicatione Evangelii. Vitulum id est filium occidit. Pater terrenus sine Deo in generatione nihil operatur, 6. Positi in domo patris cœlestis symphoniam assumant. Servat nostra bona in cœlis, 7. Patri non credens nescit quid sit, nescit se filium. Sentit amorem ex donis cœlestis Pater, 10. Ei afferendi filii arietum, id est homines. Terreno cœlestis præponendus, 19. Regnum servis suis promittit, 25. Ditare vult servos, non nudare. Pater dat salutaria pueris sub specie noxiorum. Parentum passiones ex affectibus et amore filiorum, 33. Deus compensat opera parentum in filios. Reatus Patris aggravat filium, 51. Pœna filii redundat in patrem. Dum vult misereri filio, affectum cogitat, non delictum, 54. Amat filium, dat illi bona, 55. Mortem non refugit pro filiis. Deus voluit hominem esse patrem, ut divinum amorem agnosceret, 55. Quod a Deo Patre, licet durum veniebat, libenter recipiebant antiqui. Pater dat filio breviter petenti, 71. Sponte præstat. Culpas non videt, cum filium recipit, 81. Ejus laus redundat in gloriam filii, 89. Amore, non potestate trahit filium ad disciplinam, 108. Pater vult esse Dominus. Filium a peccatis abstrahat, 155. Ditat filios, dum plenissimam charitatem relinquit, 162. Dat filiis panem, 163. Est nobis Deus. Ut dividatur in filium, et e contra, *mystice*, 164.

Paterfamilias quid agere debeat, et quam rationem Deo reddat, 26. Caveamus ne ad patrem nos fama præcedat versæ substantiæ, 125.

Pati dignum duxit Dominus, ergo servum pati non est indignum, 38. Patiendo Christus remisit quod ipse inlerat imperando, 123. Patitur Christus in suis, 173. Patitur sepulcrum, 58.

Patientia malis est brevis; ultio tarda bonis, 16. Christi erga peccatores, 19. Præmia patientiæ, 38. Habeatur in petendo bona a Deo, 39. Dei erga nos, 51. Per patientiam exspectamus ea quæ spei sunt, 71. Dei subvenit peccatoribus, et quæ alia bona veniant ex ea, 97. Probat juvenem aptum virtutibus, 110. Ipsa curat lædentem, 139. De patientia venit palma, 151.

Patria. Cur propheta est in ea, et in domo sua sine honore, 48. Redditur Adæ quam perdiderat, 49. Eam Christus habebat ut homo. Nostra cœlum est, a quo per Adam ejecti, per Christum reducti ad illud, 159.

Patronus. Misericordia patrona in judicio quid operetur, 8. *Vid.* Advocatus.

Paulus apostolus collega Petri in grege pascendo, 6. Notitiam Christi per orbem diffudit, 34. Quomodo fuit abortivus et maturus, 56, 58. Subita conversio ejus, 61. Spiritualis nutritor parvulorum, 62. Vidit invisibiliter arcanum Dei, et prodidit non prodendo, 72. Paulum eradicare volebat Ananias, 97. Cur vapulando docuit, 101. Medicus et pater quid egerit, 108. Crimen evadens effectus est Apostolus. Quomodo imperitis se participet, 113. Quid nobis prosit sua doctrina rigorosa, 115. Ejus sermo communiter lectus quid operetur, 120. Cur tertium cœlum conscendit. Martyres fugiendo Saulum fecerunt illum esse Paulum, 151. De persecutore prædicator factus ex pietate per zelum legis legem impugnabat, et in Deum Dei amore peccabat, 157. Cur se verberaret, 161. Missus persecutor, rediit prædicator, 168. Judæus cecidit, ut resurgeret Christianus, cæcatus in lege, ut videret in gratia, 176.

Pavor. *Vid.* Timor.

Pauper bona nostra portat ad cœlum, de hoc habet Deum fidejussorem, 7. Servat nobis quod venter disperdisset, 8. Est sinus Abrahæ, est thesaurus cœli, gazophilacium Christi, 16. Misericordia pauperis emit divinam misericordiam. Pauperi datum nostrum est, non datum ei alterius est, 16, 9, 23, 32. Verecunda paupertas in pavore, 9. Auxilium in conflictu a paupere cibato, 12. Quod est erubescentia pauperis, Dei gloria est, 14. Cibo pauperis saginatur Deus. Peccata pauper excusat. Fert nostra in cœlum libens, quia non deprimitur pondere, sed levatur, 25. Pro uno pauperi dato, Deus dat tibi centum, 25. Pauper quid agere debeat, 26. Pauperiori det; at si non habet, sit illi animus dandi. Pauper terræ dives in cœlo, 28. Pauperi qui fenerari nescit, sanari nescit, 32. Prandium nostrum sit pauperis cœna. Qui dat pauperi, segetem colligit in cœlo. 42. Manducat Deus panem datum pauperi. Quid prosit dare pauperi, 43. Stridebit in alio sæculo, qui nunc gaudet de malis pauperum, 47. Non fraudandus, nec de fraude alicujus danda est eleemosyna, 54. In pauperis hospitio invenitur similitudo regni Dei, 99. De eo quod habet faciat eleemosynam, 103. Ejus sepultura, *late*, 121. Cum suscipitur et hospitatur, quæ bona. In paupere Deus quærit panem. Ejus caro composita in scenam pietatis, quando. Pauperum oppresssores ut sibi obsint, 121. Ejus victus et vita in gutta et mica consistit, 122, 24. Debili danda manus ad mensam, 122. Pauperis et divitis conflictus. 124. Divitem videat, ut videatur, ac vicissim curetur. Gutta negata pauperi frustra petitur ad refrigerium. Perit, quod pauperi negatum spargitur ad pompam. Illis dandus thesaurus noster, ut cœlestia cogitemus, 129. Dives qui apud pauperem diversatur, ante humanitatis debitor est quam largitor, 136. Pauperi danda vestis et esca, 137. Pauper communis est semper, patet omnibus solitarius, 164. Qui pauperum gemitus eleemosynis redimit, a Domino non requiritur illius gemitus, 166. Ei danda manus ab homine, 176. Pauper egenus describitur, 14. *Vid.* Eleemosyna, Misericordia, Pietas.

Paupertas cognata virtutibus; exemplum est athleta, nauta, miles, philosophus, 28. Temporalis vix fertur, quanto magis æterna, 54. Vacat ab excusatione in divino obsequio, 93. Christi appetenda, quæ divitias sempiternas possidet in cœlestibus, 117. Ejus finis, 121, *per tot.* Provehit pauperem ad philosophiam, 124. Ad regnum. Non paupertas, sed animus ducit gratos ad præmium, aut ad pœnam deducit ingratos. Divina sufficit, 170. Est amplum habitaculum Deo, 14.

Pax Christiana facit nos appellari filios Dei, 53. Quid sit, et effectus pacis. Omnia a Deo obtinet. Conservanda ex præcepto nostri regis. Dei est illam plantare. Plebis est gloria pastoris. Custodienda, quare, 53. Amanda. Pax ubi plures sunt voluntate concordes, 68. Terris ablata, quando, 81. Cur repetita discipulis, 84. Ejus bona interna et externa. Divina reddidit nobis vitam, 110. Quomodo pacem habeamus per Deum. Pax mundi quæritur pro commodis, vel servatur pro timore, 138. Pax Christi oranda, et quæ sit. Oratur a Deo. Fulgor pacis Ecclesiam illuminat, 149.

Nomen pacis desiderabile. Est nomen ipsius Christi. Pax Christi nos omnes amplectitur. Deo occurrendum cum muneribus pacis. Est exsultatio angelorum, dæmonum lamentatio. Laudatur a sanctis. Cœlestes et terrestres sibi invicem mittunt munera pacis. Pro pace secuta laudandus est Deus.

Peccata jejunio vincuntur, 12. Pauper excusat peccata, 14. Ea arguit Christus, quando, 21. Quanto majus peccatum, tanto abundantior gratia, 30. Est peccatum, qui se peccatorem negat. In hac vita non possumus vitare peccata cogitationum, negligentiæ et ignorantiæ. Pudet peccata confiteri, 34. Prima felicitas non peccare, secunda veniam invenisse peccatis. Morbus peccatorum quæ mala fecit, 38. De peccato non judicabitur misericors, 42. Ubi peccatum, non ibi Deus, 44. In remissione peccatorum Deus cognoscitur Deus, 50. Nemo sine peccato, 54. Peccata per Christum remittuntur, 57, 59. Alienis peccatis ignoscere utile sibi, 68. Non timenda peccata ab eo qui semper parcit, 72. Ut peccato moriamur, 73. Non capitur peccatum in latissima regione cœlesti, 83. De peccatorum magnitudine non desperandum. Hominibus per homines remittuntur, 84. Peccatum civitatis a solo Christo aboletur, 93. Peccata amore vincuntur, 94. Non peccandum satis, ut major charitas comparetur, 94. Quando erit peccatorum remissio, 95. In peccato non permanendum, ut gratia abundet, 113. Nos mortui peccato : sed peccatum non est omnino in nobis mortuum, 113. Est aculeus mortis. Quis sit, qui peccato vivit. Corpus peccati, ut debeat destrui. Peccatum non regnet, immo conculcetur. Peccatum morietur in alio sæculo. Tribuere peccata naturæ, est vivere peccato. Est accidens peccatum, non creatum a Deo. Habet crudele imperium in peccatores, 114. Mentitur hominem esse liberum. Peccatum non cognovi, nisi per legem declaratur, 126. Peccatum intulit mortem, et pronam fecit naturam ad lapsus. Peccatum auctor delictorum sublatum a Christo. Erat mortuum, et sepultum in ignorantia nostra, 116. Per mandatum revixit, dum peccatorem fecit prævaricatorem. Tyrannus crudelis quid egerit. Instrumentum suæ pœnæ secum portat, 109. Peccatorum connubio tota mundi figura dissoluta, 120. Publicum ut puniatur a Deo tolerante privatum, 125. Commissum punitur a Christo per Evangelium. Peccata remittenda fratri, 139. Peccatum qui dimittit Deus est, 145. Peccata vendere, est convertere veniam in quæstum, 158. Peccatum sordescit, fetet et obscurat, 166. Qui nullum peccatum facit, Deum in suo corpore portat, 168. Peccati fovea est infernus, 170. Peccatis bellum indicendum in quadragesima, 13. Peccatum est paralysis, 15. Deus peccanti homini blanditur, 161. Triviæ peccatorum, 89.

Peccator a se recedit, antequam a Deo, 2. Impius dat, non accipit pretium suæ servitutis, 1. Surgit, dum se jacentem agnoscit, 2. Transit in bestiam. Peregre profectus non refugit accusatores et Dei oculos, 2. Peccator pœnitens quomodo cupiat esse mercenarius. Desperatus de salute, quæ mala agat. Cadit in ruinam mentis et corporis, et in infernum, 3. Est cæcus. Illuminatur ab oculis Dei, 3. Est confusus caligine. Ad Deum recurrat. Est coram Deo, et sine Deo, in se, et non secum, 5. Multæ servitutes peccatoris, 6. Rediens ad Deum exsultandum est, 6. Ejus malum sub prædictis servitutibus. Fugitur a Christo propter ipsius salutem, 19. Licet corpore vivat, mortuus est in anima. Ad Deum conversus flagella cessabunt, 20. Gravius punitur scienter peccans, quam ignoranter, 26. Illi salus ex facto Matthæi, 29. Mortem meretur, cum se peccatorem negat. Et peccatorum magister fit, immo peccatum, 30. Peccatum cognoscat, ac fateatur. Peccator virtutes accusat, 32. Est ex fragilitate innata, 34. Pudet, non mala facere, sed confiteri. Ubi sit prima et secunda felicitas. Cur pœnam recipiat, 35. Morbus peccatorum sanabatur patientia ac morte Christianorum, 38. Peccator saltem deserat reatum, quando illum jam relinquerit reatus, 42. Peccatori omnia sunt perversa, 44. Deus peccatores contemnit. Deus quærens peccatorem, hominem quærit, non peccata, 54. Zachæus peccator ut convertatur, *late*, 54. Peccator sibi dat veniam confidens per Christum peccata remitti, 57. Præterita sibi remissa non credens, dubitat percipere futura bona, 59. Dicit se pœnitentiam acturum, si ex mortuis quis resurgeret, sed ficte, 66. Peccatores judicium refugiunt, et mundum præterire dolent, 66. Magnus homo, qui carne non peccat, maximus, qui nec corde, 89. Currunt ad perditionem peccatores, et alia mala, 165. Dei amore Paulus peccabat in Deum, 157. Peccator cupidus non corrigitur, 158. Illecebris superatus Christum venire non vult. Desinat peccare, et sufficit, quomodo, 125. Hujusmodi peccanti blanditur Deus, quomodo, 161. Quæ mala faciat peccator, de quibus pœnitendum sit, 167. Joannes volebat salvos esse peccatores. A Domino promota spes peccatorum, 168. Peccatores recipiens Deus sanctificat. De redditu peccatoris gaudet Deus. Peccatores dono vocantis, non proprio arbitrio sanantur, 176

Peccatum mundi lavatum a Christo suo sanguine, 164. Adæ peccatum intravit in mundum per culpam, per hominem, 111. Non est natura, neque substantia, sed accidens; et nobis adversatur. Peccatum est naturæ, quod est fumus oculis, febris corpori, dulcissimis fontibus amara salsedo, 5. Est janua mortis. Fera crudelis trino ore devorans. Hæreditas parentis Adæ. Per unum in omnes transiit. In Adam, seu ejus peccato omnes peccaverunt, 111, 112. Peccatum non est versum in naturam; sed per mortem exigit pœnam sibi debitam per naturam, 111. Mors pœna peccati sublata a Christo. Omnes in Adæ peccato eramus, sicut arbor tota in semine. Mors pœna peccati mundi devorabat noxios et innoxios. Peccatum vivit, et desævit in nostram mortem. Ortum ex diabolo, et femina peccatum mundi, quomodo, 148. Per hoc homo ante Dominus omnium, in omnium dejectus est servitutem.

Pectus illud sepulcrum est, in quo Christus adhuc habetur mortuus, et sepultus, 75.

Pecunia. Possessi a pecunia liberantur in Matthæo, 28. Hebræi pecunia compensant delicta, 76. Fidem resurrectionis Christi negat. Datur pro emptione servandorum, non perdendorum, 80. Mundo, mundanisque dominatur 126. Est crudele pondus. Quid mali agat in omnes homines. Inique humanis dominatur corporibus et mentibus. Claudit oculos recipientis illam, 37. Corda corrumpit, redimit mendacium, tollit veritatem. *Vid.* Divitiæ.

Pensio. Quam pensionem uteri sui exegerit a Deo Virgo, 140.

Penuria fructuum venit nobis, quia non subvenimus egeno, 103.

Pera nostra sit conscientia nostra, 170.

Perdere. Habita perdere gravius est quam non habuisse, 123. Perditionis instrumentum fit occasio salutis, 126 Perdita invenisse jucundius est nobis quam non perdidisse servata, 168.

Peregrinus est homo in hoc sæculo, 89. Gratum habet reditum ad propria, 114. Qui eum hospitatur meretur Deum cum angelis suscipere, 121. Peregrinatio dura, etiam inter cives et fratres, 151. *Vid.* Viator.

Perfectio semper est quadrata, 11. Nostra venit ex gratia Dei, 91. Perfectus est, qui de toto facit eleemosynam, 54. Socius vero virtutum, qui de dimidio facit. Perfectæ beatitudinis est panis Eucharisticus, 72.

Perfidia exstirpanda de cordibus, 61. Contractibus semper inimica, 62. Perdidit vitam, 63. Optat aliquem ex mortuis resurgere, qui narret, etc., 66. Nec mortuis, nec Christo credit. De paradiso sumpta, 74. Duxit Adam ad inferos, 77. Volvit lapidem quem fides revolvit a Christi sepulcro. In resurrectione Christi emit mendacium, 80. Ubi est, Deus non videtur. Longa paulatim tollenda fidei claritate, 87. Habet suum fermentum, 99. Nos reddit indignos gratia, 100. Redigit filios in pœnalem servitutem, 102. Quando excepit omnes Hebræos, 131. Ejus arma de fide sumpta, 152. Ejus morbus quid causet, 94. Civitas perfidiæ descripta, 95. *Vid.* Infidelitas, Incredulitas.

Perfidus. Ante Christus perfidis ignotus, 131. Illis obscurata, quæ fidelibus patent, 132. Ex fuga Christi perfidis sublata est materia excusationis, 150. Non vult nasci cognitorem, 158. Perfida Bethsaida, 176. Cadaver perfidiæ quomodo perfidis agebatur obsequiis, 19. *Vid.* Infidelis, Fides.

Periculum despicit, qui tendit ad regnum, 22.

Peritia gubernatoris navis non in sereno, sed in tempestate probatur, 20. *Vid.* Nauta.

Persecutio. In ea melius est fugere quam negare; exemplum in Petro et Joanne, 150.

Persecutor ubi imminet, non deest consolator, 86. Occubuit in morte D. Apollinaris, 128. Persecutorem facit, qui provocat; corrigit, qui declinat, 151. Pro illis orandum, ut sanentur.

Perseverantia in oratione. *Vide* 39, *per tot.*

Pestilentia dicitur anhelans, id est ardens nos devorare, 18. Fuit tempore Chrysologi, 45. Saltatrices pestis sunt, 127. Cavenda quæ de remediis creat morbos, 7. Cathedra pestilentiæ quæ sit, 44, *per tot. Vid.* Contagio.

Petere quid debeamus a Deo, ut sit proficuum, 39, *per tot.* Cur media nocte. Utile est petere ex necessitate. Obediens Christo petat sibi necessaria. Supplex petitor moras exspectat patientissime. Deus juxta vires hominis petit ab eo, 41. Cur petitioni panis opponitur lapis, etc., 55. Suum petere est amoris, non necessitatis, 65. Quæ sint a Deo petenda, 132. Petere plus debiti, est exigere fraudem, non tributum, 137.

Petræ sono accusarunt facinus mortis Christi, 78. *Vid.* Lapis.

Petrus apostolus a Christo habet omnes, etiam agnos commendatos, 6. Cinctus virtute Dei, ut iret ad martyrium, 10. Cur Christum a se exire rogat, 15. In verbo Dei retia

laxat. In domo Petri non vina, sed lacrymæ fundebantur, 18. Cur, et quando domum Petri intrat Christus, 18. Quid egerit Christum sequendo, 29. Negat ante victoriam Domino, quam Dominum, ideo post ipsum vadit, 27. Una cum Paulo dat notitiam Christi, 34. Tardius vidit Dominum, quia facile audivit ancillæ vocem, 78. Nudus ex negatione se demersit in mare indutus, cur, 78. Se præcinxit præcingendus. Ut veteranus miles tarde credit, ne ut puer incurrat, 79. Ei non præjudicatur, quod resurrectio primo a mulieribus nuntietur, 80. Nisi pacem a Christo habuisset, putatus esset aliis inferior, 84. Per pœnitentiam rediit, et potestatem dimittendi aliena peccata recepit, 84. In mari ante supplicat de lapsu, quam de donato gaudeat, 90. Necessitate magis quam voluntate moritur, 90. Frater ejus Andreas illi similis, 133. Venia illos æquavit. Conscendit crucem. Ex timore abscessum Domini petebat, 147. Quia noluit fugere, abnegavit, 150. Dicitur a petra, 154. Princeps apostolorum quid agat. Ei manducaturo apponuntur genera totius creaturæ, 163. Ejus decreto servus adhuc obsistit, 175. Gestivit habere collegam Marcellinum piscatorem. Crucem resupinus ascendit, 14. Negavit in passione Christum, 171.

Petrus episcopus e cœlo habuit vocabulum apostolicum, et privilegium summi sacerdotis, 107. Laudatur, *per tot.*

Pharisæus arguit Christum euntem ad prandium peccatorum, 30. Exhortatur ad salutem. Eorum invidia, 31. Ut impie Christum accuset, 32. Et quia sanat in sabbato. Sedens in cathedra pestilentiæ humanas traditiones decretis cœlestibus anteponit, 44. Confitetur et negat Christum esse Deum, 50. Cur ad illius prandium iverit Christus, 93. Convivium Pharisæi. Christi pietas arguitur ex manducatione cum Pharisæo. Pharisæus arguitur, et docetur, 94. Dominum prophetam non credit. Se ægrum non agnoscit. Instruitur. Cur dicitur catholicus Judæorum, 95. Ructans justitias suos est publicano deterior, 123. Murmur eorum a Domino comprimitur, 168. Ut semper redderentur pejores. In discipulos Domini lavacra superstitionis suæ perquirebant, 171. Nesciebant unum esse Domini baptisma. Credit aqua exteriori mundari. Habuit claves scientiæ legis, sed ne alter intraret, ipse foris permanere maluit per livorem, 172. Hypocrisis penes Pharisæos tumescebat per scientiam.

Philosophus ut Dei cognitionem, et substantiam sibi divinitus datam amiserit, 5. Labor ejus. Sedit in Cathedra pestilentiæ, 44. Ut detumescat ab opinionibus suis, 110. Pro corona gloriæ currit per inanem sapientiam, 119. Sed non accipit bravium. Ejus labor vanus circa Christi nativitatem, 148. Philosophia cura dæmone ficta, 16.

Phrenesis. Phrenesi laborans se insanum nescit, 94. Phrenesis vitiorum unde oriatur, 41. Phrenesis impietatis quid egerit, 38. Synagogæ, 18.

Pietas Domini ostenditur in figura filii prodigi, 1. Refuga pietatis quæ mala incurrat, 1. Patris cœlestis innocentiam restituit et honorem, 3. Est ala jejunii, 8. Fraudem non habet, 55. Pietas cum quis exorat ut precetur, 108. Assumenda ad impietatis destructionem. Dei est ad delenda, non multiplicanda delicta, 115. Divina pietate tantum sanctitati dare jubemur, quantum dedimus iniquitati, 114. Pauper est pietatis conflatorium, 121. Sub specie pietatis aliquando revocamur ad mala, 123. Pietas Christi velat hominum peccata, 125. Ad ejus patrocinium confugimus in vitæ extremo. Cur dicatur quod falsitatis præstet exemplum, 126. Ad lacrymas parvulorum inclinata, 128. Pietas est non docere contemptorem, 137. Non est pietas sine justitia apud Deum, 145. Pius animus dum compatitur, plus pavescit. Pietatis arcem inter ubera oppugnat Herodes, 152. Eam persequitur tota impietate. Qui pietati obsequitur, incipit non esse timori, 160. Piis filiis Deus non denegabit, quod impiis avibus subministrat, 163. Pietas Christi perquirit nos, 170. Pietatis evector non lassescit. Pietas iram vincit, 38. Occultatur a Deo, 39. Non videtur ab impio, 55. Pietate sustinemur, 81. Patris maxima ex filii impietate, 73. Cui pius erit, qui sibi impius est? Ut violetur, 16.

Piscatores a Christo mittuntur ad mare hujus sæculi, 47. Eorum retia. Ecclesiasticus piscator quid faciat, 107. Marcellinus episcopus primum fuit piscator, 176.

Pisces confusi capiuntur; sed discretione eliguntur, 47. Et cito. Christus erat piscis, 55. Capiuntur ad vitam hominis, 175.

Planctus, ubi non est, adest mercenaria cantilena, 19. Diaboli, cur, 52. Deo pro peccatis, non pro defunctis faciendus, 65. *Vid.* Fletus, Lacrymæ.

Planta. Quis poma ante industriam non carpit ex planta, 142. *Vid.* Arbor.

Plebs. Ejus officium ac pastoris, 53. *Vid.* Oves, Populus, Concionator.

Pluvia. Quod est semini pluvia, hoc est resurrecturis Dominicus imber, 176.

Poculum. Frigido poculo ardor propinatur ab hypocrisi, 7. Sanguinem Joannis absorbuit Herodes poculo crudelitatis, 127. *Vid.* Sitis, Aqua.

Pœna ibi sævit, ubi pœnalis reatus exarserat, 1. Ordo pœnarum convertitur ad nutum Christi, 17. Sumitur a culpa, 27. Redimitur inde, unde comparata culpa, 28. In pœnis homo tenetur invitus, 35. Pœnam paritur medicus, ut ægrotum liberet ab ea, 38. Alienam pœnam suum computare solatium, est phrenetici. Pœna eorum qui abierunt in consilium impietatis, 44. Diaboli pœna apparet in cruciatu humani corporis, 51. Filii redundat in patrem. Pœna pungit, quem pœnitudo non punxit, 66. Tota pœna passionis Domini transiit ad discipulos, 83. Pœna dicentis litteras, 101. Quam pœnam olim infans luerit, 111. In ea non deseritur malitia, 122. Datur in membro quod peccavit. Inferorum pœna ut Christi gratia et Ecclesiæ intercessione solvatur, 123. Pœnæ flendæ. Ad premium duxit pauperem, 124. Animus, non divitiæ, ducit ad pœnam. Ei semper vivit, qui semel moritur vitæ, 124. Pœnas inferni æternas evadere quæramus. Pœnam minatur Christus persistenti in peccatis, 125. Pœnarum tempus satisfactionis tempus excludit. Pœnarum tempus in Judicio. Ubi non est pœna peccati, nullum est supplicium damnati, 135. Evaditur, si ante delictum sibi provideatur de venia, 139. Eam timens peccator, nollet Christum ad se venire, 158. Ad pœnam trahitur, qui noluit in obsequium venire.

Pœnitens ante in se quam ad patrem redit, 2. Cognoscit Deo patere omnia. Agnoscit quam malum sit in Dei oculis peccare. Naturalibus amissis non judicat mereri quod est gratiæ. Ut cupiat fieri mercenarius, 2. Surgit de mentis ac corporis ruina, et de inferno, 3. Plus de venia surgit quam corruit de reatu. Est longe, cum tantum est attritus. Ei sufficit pater, 4. De innocente lætatur. Pœnitenti nova perquiruntur. Petit non gloriam, sed veniam, 5. Petit argui a Deo; sed non in ira, 45. Deum medicum adit, 45, 94. Pœnitentes recipiuntur a Petro, et solvuntur a peccatis, 84. Cum pœnitens respicitur a Christo, arguitur oblatrans, 94. Pœnitens triumphat de suo Tyranno, 113. Saltem det tantum Deo, quantum carni, vitiisque concessit, 114. Impudenter aliis pœnitentiam impetrare præsumit, qui sibi nil ad veniam providit, 123. Pœnitentes aquam bibant, 137. Qui pœnitentiam facere debeant, 167. Christianus agat pœnitentiam pro modo vulneris. Pœnitens pennis veniæ pervolat ad cœlum. Curvet genua ad pondera pœnitentiæ. Ut triumphent de diabolo pœnitentes, 170. Redeat calceatus ad cursum anterioris vitæ, 3. Pœnitenti venia permittitur, 125. Ei sufficit ut desinat dissipare, cætera Christus solvit.

Pœnitentia peccatoris verbis lætis describatur, 2. Pandit patrem. Potest fieri in tota vita, 42. Etiam in senecta, et quando amplius peccari non potest. Confitendum tempore pœnitentiæ, 46. Fiat statim. Ad eam hortatur Ecclesia, 73. Ac Petrus se mittens in mare, 78. Pœnitentia erat Joannes Baptista, 88. Convivium pœnitentiæ a Magdalena Christo exhibitum, 93. Ad tempus pœnitentiæ refertur messis nostra, cur, 97. Sera inutilis in divite, 122. Cito facienda, 125. Ut ex corde procuranda. In judicio non est tempus pœnitentiæ, sed pœnarum. Moribundi convertamur ad pœnitentiam. Cur pœnitentiæ usura solvenda sit a Judæo, 126. Ejus via fuit Joannes, 127. Cur temperanda, 166. Cur agenda cum propinquat regnum cœlorum, 167. Ea prævenienda judicium. Pœnitendum cito, quia judicium venit. Si adhuc judicium non venit, est quia Dominus nos exspectat. Facienda etiam in arcto temporis. Ægrotis succurrit, non sanis. Quomodo facienda. Est usura non servatæ innocentiæ. Ad eam per Joannem revocamur. Ejus amara temperantur dulci misericordia. Pœnitentia populi Christiani claruit in uno peccatore pœnitente, 169. Fuit interempta in morte Joan., 174. Ut satisfactione fieri debeat ab exemplo, 64.

Pompa sæcularis obscurat sensus, 117. *Vid.* Dives Epulo.

Pontifex. Ejus officium non coarctandum inter domesticas tantum curas, 88. Primus pontifex legis fuit Aaron, 89. Fuit Zacharias. *Vid.* Zacharias, Abel, Cain, Homo, Sacerdos, Episcopus, Præsules.

Populus. Populis populariter est loquendum, 43. Auditurus Dei legem vestes lavabat et corpora, 59. Christus vitam salutemque junxit duorum populorum, 78. Invitatur ad auditum Evangelicum, 106. Quilibet de populo aptet sibi figuram villici iniqui, 125. Vocatio duorum populorum figurata in duobus nuntiis Christi, 170. Populos vastat invidia, 172.

Porcus est pecus cœnosum, 1. Grex inquietus habet pascua lutulenta. Cur dæmonum grex rogat se mitti in porcos, 16. Grex porcorum non valuit sufferre dæmones.

Cur porci perdantur a dæmonibus, 16. Qui porcorum tradatur servituti, 1. Qui sint porci diaboli mystice, 2. Porcos pascit, qui alios inducit ad peccandum, *ibid.* Dæmon dicitur porcus, et quomodo pascatur a gentili, 5.

Portare Deum tota sanctitate debemus in nostro corpore, 168.

Potestas eadem recreat ad salutem, quæ crearat ad vitam, 80.

Præcedere. Dupliciter præcedere possumus, 137.

Præceptor. Cum docenda facit, auditu instruit, et informat exemplo, 167. *Vid.* Doctor, Magister, Concionator.

Præceptum Domini observandum, si volumus promissa ab eo, 38. Servanda Dei præcepta, 53. Dicuntur fomenta et gladius, 112. Christus, quos docuit præceptis, firmavit exemplis, 151. Sua præcepta Deus insinuat labore doctoris, 163. Præceptis instituta exemplo sunt roboranda, 166. *Vid.* Jussio, Mandata Dei.

Præcingere. Ibi præcingenda virtus, ubi voluntas est comprimenda, 22. Petrus præcinxit se. *Vid.* Petrus apostolus.

Præda. Miles verus non quærit civium prædam, sed stipendium regis, 137. Prædones innumeri ad unam ovem, vel columbam, 171.

Prædestinati Christum sequuntur, 49. Cum sibi adhuc non sunt, sunt Deo, 70.

Præmium statuitur certare debentibus ; et pro magnitudine certaminis, 22. Ad præmium animus gratus ducit, 124. Quando sumitur ex corona, unde reatus jam sumptus fuerat, 133. Quis securus exigat præmium a Christo, 170.

Præscriptio legalis dirimi quæstiones litigiosas intra annos triginta, 145.

Præsens. Præsentia non meretur videre, qui præterita calumniatur, 96. Homo præsentibus sic occupatur, ut nil in se relinquat, quod vitæ futuræ deserviat, 114.

Præsidere. Aliis, cum sit ipse ignavus, sibi et multis est noxius, 106. *Vid.* Episcopus.

Præsules. Ecclesiæ sint dispensatores fideles divini verbi, 26. Angelus præsul Synagogæ, 106. *Vid.* Episcopus.

Præsumptio dicentis non est, ubi est auctoritas jubentis, 70. Ad divinas virtutes ante probationem magna est, 90. Impudens præsumptio aliis velle impetrare pœnitentiam, et sibi nil ad veniam providere, 123. Est semper pessima, 68, 152. Præsumptio scribæ dicentis se velle Christum sequi repudiatur.

Prævaricatio, Lex posita est prævaricationis causa, 111. Quomodo lex obliget crimine prævaricationis, 114. Peccator factus est ex mandato prævaricator ; id est rebellis, et contumax in mandatum, 116. *Vid.* Contumax.

Prævenire quomodo debeamus Deum in confessione, 46.

Prandium nostrum sit in facie auctoris, 127. Regium prandium habere, ac fetentia obsonia perquirere, est animi servilis, 163. Nostri prandii semper Deus præparator assistat. Ad prandium Creatoris tota advolat creatura. *Vid.* Cœna, Convivium.

Preces. Si preces dictantur a supplicando, est impetrandi fiducia, 70. Quid prosint ægrotis, et filio, 108. Solitariæ preces non præponendæ congregationi, 132.

Primordium. Cum primordia bonorum tentantur a diabolo, 11. Si sit malum, qualis erit finis ? 44. Bonum si sit, qualis futurus est finis ? 91. Sunt dura primordia rerum, sed duriora primordia generantis, 175.

Primus qui est, post alterum non est ; novissimus post se alterum non relinquit, 57. Primus est ille, quem generat gratia cœlestis, non natura mortalis, 73.

Princeps primus redeat ad Christum, 78. Invictus militiæ Christianæ principatus est jejunium, 8. Ad principis thalamum non accedit extraneus, immundus, infidelis, 141. Et quomodo quis accedat. *Vid.* Rex, Archisynagogus.

Profanus nasci non vult Deum, 158. Luctus profani qui, 19.

Prohibere aliquid, est de illo admonere, 115. Christi sequela prohibita scribæ, cur, 19.

Projectus. Episcopus Corneliensis consecratus, 165. Laudatur, *ibid. cum nota.*

Promissa. Divinis promissis fidendum, 163. Et qui non credit, tota infelicitate dignissimus est. Promissa negari nequeunt ab eo qui negata solvuntur, 100. Indigno non redditur de jure. Promissa denegare, inverecundi debitoris est ; mox solvere, honesti, 123. Promissio dum exspectatur, accendit animum ; dum datur, suscitat sensus, 130. Dat, non accipit, qui promittit, 88.

Prophetæ. Eorum pavor in sacramento, quod Deus homo fiat, 72. Scit tantum quantum dederit Deus, 94. Deus auctor prophetiæ. In eis celatur divinus sensus, 99. Lamentavere unius populi et hominis discrimen, 111. Silentium prophetarum fuit. Joannes, 127. Mortui sunt ; sed non in æternum, 131. Quid per eos Christus promiserit' 150. Fugit Christos, ut staret fides prophetiæ. Eorum veritas implenda, 156. Sæpius missi ad pastores Israel, 159. Prophetizat Christus, quomodo, 14.

Propinare. Lazarus nobis propinavit gustum resurrectionis, 65. Mera pocula de vase corporis sui Christus bibentibus propinavit, 160. Hypocrisi ministrante quid suis invidia propinet, 172. Ardorem frigido poculo propinat hypocrisis, 7.

Propinquus. Si honorem debeat propinquo, computat servitutem, 48. Ut male honoret, 49.

Proprietas. Ea detenta, cum quid conceditur, parva, vel nulla exigit concedens, 14. Proprium non custodit, sed alienum, qui relinquenda servat, 22.

Prospera neque ignavos erigunt, neque fortes adversa prosternunt, 124. Non servantur ab eo qui non sensit adversa, 131. Quot hominum prosperitates, tot invidorum tormenta, 172. Adversis non miscenda, 175. In prosperis et adversis consors hominis est Christus, 70. *Vid.* Adversa.

Providentia cœlestis attendit quid auditor capere possit, 39. Beati qui divinæ providentiæ credunt, 163, *per tot.* De ea erga servos suos, 170. Dei providentia, 18. Divina providentia occultavit Deitatis pavorem in habitum humanitatis, 6.

Provisor alienæ salutis, et custos propriæ vitæ est beatus, 155. Provisorem fugiens indulgentem, incidit in severum judicem, 1.

Proximus adjuvandus in spiritualibus, 10, 20. Quomodo proximo dimittenda peccata, 139. Non judicandus ex dubiis, vel apparentibus tantum, 145. Qui proximum liberat a peccatis præmium, qui negligit, acquirit offensam, 155.

Prudentiores filii sæculi qui sint ; et quomodo intelligatur, 126.

Psalmus. David primus est princeps psalmorum, 44. Clavis aliorum. Cur in eo dicat, *Abire in consilio, et in via stare.* Psallendum ad provectum salutis, 46.

Publicanus vocatus scandalum fecit, 28. Zachæus princeps publicanorum. *Vid.* Zachæus. Publicanus pressus a diabolo, ne oculos levaret ad cœlum, 105. Reus est, cum plus debito petit, 137. Exactor crudelissimus, 54, *per tot. Vid.* Exactor.

Publicum. Quomodo secreto factum dicatur, quod publice factum est, 9. Peccatum publicum a Deo punitur, quare, 125.

Puer parvulus ut a natura nutriatur, 39. Non nisi bona recipit a patre, 55. Cum parvulis, seu incipientibus in Dei servitio ut agere debeamus, 25. Pueris dantur salutaria, sub specie noxiorum. Pro armis utitur lacrymis ad corda frangenda, 128. Describitur Christus parvulus, et mitis, 164. *Vid.* Infantia.

Pueritia Christianorum animatur levibus mandatis, ut juventus ad gravia accedat, 38.

Pulchritudo corporis non est concupiscentia sed ducit ad lapsum concupiscentiæ, 116. Corporis pulchritudinem concupiscens procerum se esse exoptat, 163. Ut homo sit pulcher, quid faciat Dominus.

Pulsare. Dicimus cœleste secretum preces iterando, et moras sustinendo, 39.

Pulvis. Ex ea factus homo in pulverem cur redigatur ? *fuse*, 101, *ad fin.*

Purificanda sunt mancipata divinis ministeriis, 171.

Purpura divitem ad superbiam extulit, 124. Eam perdidit Herodes, 174. Martyrum sanguine tincta. *Vid.* Epulo, Dives, Martyr.

Pusillus corpore, magnus animo esse potest, 54. Solet petere ovum a patre, 55. Quis sit grex pusillus, 22.

Q

Quadragesimarius numerus sacratus, mysticus, in maximis Dei negotiis adhibitus, 166.

Quadragesima. Ejus pelagus ingrediens quid debeat agere, 8. Annonam portet. Et hæc sit eleemosyna et misericordia. Quid sit misericordia jejunio quadragesimali. Quadragesimali jejunio cantica divina jungenda, 10. Divinum institutum continet quadratam fidei disciplinam, 11. Est tempus spiritualium bellorum, 12. Quid agendum in ea. Est in procinctu mundi hoc jejunium. Diaboli insidias ostendit, 20. In ea virtutes pugnant cum vitiis, 113. Est tempus deponendæ ignaviæ, 18. Quid in ea perdat otiosus. In ea a Christo promissa victoria. In ea angeli dantur ad nostram defensionem. Jejunium quadragesimale inimicos vincit. In ea quales sint dæmonum tentationes. In ea a Pastoribus recipiuntur partus Ecclesiæ ad baptismum, 40. Jejunium quadragesimale curat navigia corporum nostrorum, 60. Quare traditum, 166. Per eam currimus ad fontem baptismatis et salutis. Et evocamur ad cœlum. Et alia multa de ea, 166. *Vid.* Jejunium, Abstinentia

Quadriga est Evangelium, 92. Cur ejus sessionem conscendimus. Tripartita quæ sit, et ad quid, 170.

Quærere. Ad quid Christus quæreretur a Judæo, 37. Quid quærere debeamus a Deo, 39. Anima diu ante Deum quærebat per lapides et ligna, 62. Non habet semper, qui quærit semper, 104. Deum quærere, et nescire, necessitas magis est quam reatus, 157. Arte quærere non debemus, quæ arte inveniri non possunt, 160.

Quæstio de Matthæo publicano cur electus sit a Domino, 28. De Christo a Judæis facta malitiose, 49.

Quæstus publicani non perditur, sed mutatur, 54, 29. Qualis quæstus sit de peccatis, 158.

Qualitas. Operum a Deo colligitur, non de locis, sed de sensu, 9.

Querela. Sunt beati, quos querela non tetigit, 91. Puericia, adolescentia, juventusque est tota querela. Quis incedat sine querela, 89.

Quies non est, ubi servatur aurum, 22. Quies ex labore, et e contra, 103.

Quinquagesimus numerus ad misericordiam pertinet, exemplum ex David, et ex jubilæo, 126.

Quomodo est sermo dubitantis, non credentis, 62.

R

Rabidus panem non vescitur, 174. Fera rabies in convivio Herodis.

Radix alte fixa in excelsum germen se protendit, 61. *Vid.* Arbor.

Ratio dat quietem fessis sensibus, 101. Cum ratione divina et humana facienda, 109. Rationem reddere cito petit Deus, ut debita relaxet, 125. Componenda de nostris, ne aliena reddamus. Amara dicitur vocatio ad reddendas rationes. Ratio humana rerum non capit conditorem, 131. Alia est ratio Dei, alia hominis, 141. Terrena ratione Christi mysterium non judicandum, 148. Qui teneantur rationem reddere Deo, 26.

Ravennas Ecclesia ut primum pareret, sensit dolores, et cur, 173. *Vid.* Apollinaris.

Reatus semper refugit ad velamen, 78. Reatus, non reus perit in morte, et resurrectione Christi, 110. Unde sumitur reatus, inde sumi potest præmium, 133. Sensu carentia per naturam nesciunt reatum, 171. Ejecit homines e Dei conspectu, 6. Reatus relinquatur a nobis saltem, quando nos ipse relinquit, 42. *Vid.* Peccatum, Crimen.

Rebellis. Rebellis cum a Deo declinatur, ei bonum est, 131. Non vult principem nasci, 158.

Recidiva Ægritudo sæpius lethalis est, 113.

Rector populi qualis, et ejus mala, 152. Quam rationem reddat Deo, 26. Ignavus ut sibi, et populis obsit, 106.

Reddere divinum munus, non est amittere, sed habere, 59. Reddendum, si quid sustulimus alienum cito, et cur, 123. Ut debeamus reddere rationem villicationis, 125. Ad eam reddendam dicitur amara vocatio. Qui teneantur Deo reddere rationem, 26.

Redemptio per Christi corpus facta, 115. Hominis a Deo facta est, 161. *Vid.* Reparatio.

Reditus filii prodigi ad patrem, 3.

Regia aula describitur, 42. Regios ortus festivitas honorat et symphonia, 91. Ad regiam servitutem quis non properipit non vocatus, 119. Regia vestimenta nos deserunt in inferno, 122. Quando adest princeps, quæ reverentia et quod obsequium regiæ, 141. Regium apparatum habens, et squalores coquinæ perquirens, degenerem animum habet, 163. *Vid.* Rex.

Regina austri contra Hebræos in judicio, 37. Regina omnium malorum est mors, et cur, 118.

Regnum cœleste promittitur fidelibus certantibus, 22. Regnaturus propria dimittat. Servum velle regnum adire, non timere, quid sit, 23. Regnaturus vilia abjiciat. Ad regnum ascitus proprium, et privatum distribuit indigentibus. Regno promisso excluditur timor; 23. Certus de regno mundana despiciat. Quale sit, quod pater cœlestis promittit. Regnaturi sua præmittant per manus pauperum. Deus vendit regnum fragmento panis, 41. Cœlorum margaritis comparatur, 47. Invadendum, 56. Qui olim regnarint in nobis, 67. Quando sit regnum Dei, 67. Regnum Dei est semper, 69. Est intra nos in spe, 70. Mors et peccatum regnavit in nos. Diabolus ut regnum Dei a nobis elonget, 71. Regnum est Deus Pater, et totam regni in se continet potestatem, 72. Ad promissum regnum qui non anhelat, ignavus. Cœlorum grano sinapis comparatum, *late*, 98. Quale sit regnum cœlorum. Quomodo veniat in nos. Ejus similitudines variæ, et usitatæ, ut ad omnes perveniat, 99. Etiam ad diversum sexum. Regnum peccati in nobis non permittendum, 113. Ut Deus sibi dederit regnum in Christo, 144. Regnum non ambiunt homines, 144. Pro temporali quærit Herodes æternum exstinguere, 152. Regnum cœlorum præmium justorum, judicium peccatorum, impiorum pœna, 167. Cœlorum vicinum esse dixit Joannes, quando mundus adhuc puer erat, quid nunc? Quomodo Christiani regnum Domino differant.

Relatio. Veritas relationis comprobatur indiciis loci, temporis et personæ, 140.

Religio. De religione diabolus tentavit componere ridiculum, 155. Religionis societas, et sacramenti cura inter Joannem et Mariam virginem, 49

Relinquere propria ad serviendum Deo, est præmium exigere securum a Christo, 170. Relinquenda servare, non suorum, sed alienorum custos est, 22.

Remissio peccatorum credenda, 58. Facultas remissionis peccatorum tradita Petro et sacerdotibus, 84. Peccatorum remissio tunc erit, quando tolletur materia tota peccandi, 95. Ejus magnitudo ex magnitudine reatus agnoscitur, 54.

Renovatio creaturæ fiet de vetustate in novitatem, 101.

Reparatio salutis humanæ fit iisdem lineis quibus perierat, 77. Majus est reparare perdita quam illæsa servare, 97. Per mulierem fit hominum reparatio, 99. Ex reparatione creatarum rerum demonstrabitur illas non esse deos, 101. Quomodo nostra reparatio facta fuerit a tota Trinitate, 157.

Reprobi. Eorum nequitia ligat manus Christo, 100. Non arguant Christum, quod gratiam non obtulerit eis. In judicio confusi ex quibus, 22.

Requies ipsa non lassescit, 110. Laboris hominum ex Sabbato, 139. Quies ex Jesu, 54. *Vid.* Quies.

Res familiaris dimittenda ab eo qui vocatur ad regnum, 22, 23. Dicitur res angusta, 88.

Respondere cito, est facilitatis humanæ, 140. At cogitare, est judici permaturi.

Resurrectio mortuorum fuit Christus, quomodo, 13. Citius resuscitatur defunctus a Deo, quam dormiens ab homine, 34. Ejus velocitas exemplis declaratur. Sancti resurgent ex resurrectione Christi, 40. Et hoc certo. Hominis resurrectio fit per Deum, 57. Carnis cur credenda, 58. Corporum ex sepultura Christi. 59. Credenda ob multa exempla. Resurgens vivet in æternum. Caro resurget, ut sumus, et cur, 60. Post eam nec finis bonorum, nec malorum. Christi resurrectio et nostri corporis resurrectio est, 62. Caro putrefacta per Deum resurget. Resurgit vir de sepulcro uteri mulieris, cur, 64. Duplex resurrectio, ex morte corporis, et ex perfidia animi, 65. Gustum resurrectionis Lazaro propinante suscipimus, 65. In Christo resurget occisus pro eo, 173. Qui resurgant in Christo. Caro resurget per Christum, 62. A gloria angeli refertur species nostræ resurrectionis, 74. Etiam a vestitu, et forma, 77. Dementia illam non credere, 74. Homo in sua carne resurget, 76. Innocuis resurgentibus, terror et mors impios possidebunt, 77. Homo restituetur ipsa sui corporis claritate. Habet nostra resurrectio formam ex gestis resurrectionis Christi, 89. Dies ejus æterna, 79. Ætas in ea juvenis, et a dextris, 82. Orandum, ut æternitati resurgamus. Vestes resurrectionis perpetuæ. In ea tolletur tota materia peccandi, et alia, 95. Habet suum fermentum, 99. Resurrectio filii viduæ non miranda iis qui universalem credunt, 103. Ex pulvere suscitabitur homo. Arguitur resurrectio ex temporibus et seminibus. In baptismo resurgimus cum Christo, vitæ novitate, 113. Homo per Christum illam factam agnoscat. In resurrectione caro possidebitur a Spiritu; ubi deperit corruptio, culpa, crimen, 117. De ea transcursim non est loquendum. Est tota spes fidei Christianæ, 118. Probat eam Apostolus. Semper de illa loquendum, ut mortis terror effugetur. Persuadetur ex vicissitudinario ortu, et occasu diei, solis, temporum : ex semine tritici descriptive. Credenda, quia sine pretio promittitur. Promittitur ex verbis Christi, 131. Mortuorum resurrectio est pensio debita utero Mariano, 140. Resurrectio Joannis Baptistæ dicta ab Herode, quomodo, 173. Mors morte succumbit in ea. Per legem promissa. Credibilis monstratur ex illuminatione cæci, 176. Quod est pluvia semini, hoc resurrecturis Dominicus imber. Sepultum in morte surget in vita. Resurgens videbit æterna, et gloriosa. *Vid.* Gloria.

Reus animus post tergum stat ad veniam, 93. Reus convinctus penes Christum, velut accusatus convenitur, 125. Christus factus reus sui rei. Judicem nasci non vult, 158. Facile non potest dictare sententiam contra innocentem, 173. Reus ut ruat, 75.

Rex non admittit cultum plebeium, 75. Quare jussit ligari non indutum veste digna. Quam rationem reddet Deo de sua dispensatione, 26. Rex cœli ubi non subvenit, vacant aliena præsidia, 46. Hostibus se immiscet, cum vult liberare captivum. 54. Reges triumphorum suorum titulis nominantur, 57. In mensa regis manducatur quidquid dominatio possidet, et potestas, 95. Ad eum non vocatus non

intrat, 102. Regi nascenti publica paratur oblatio, 103. Ad ejus obsequium militaris stato contremiscit, 109. Nobilis et fortis hostibus longius occurrit, 116. Reges Persarum ut formas sumant ridiculas, 120. Pro rege succumbere in acie virtus; perfecta tamen est consummare certamina, 128. Non possunt regere, nisi a Deo regantur, 131. Miles currit ad regis stipendia, 137. Eis terribile Christum nasci, 146. Aviditate regnandi quid faciat rex ab Herodis exemplo. Quod regi, hoc imagini debet perfecta devotio, 147. Rege procedente omnia mundantur et ornantur, 149. Devotis militibus procurat annonam, 163. Rex nobis est Deus. Cunctos excellit specie, gloria. Reges urget invidia, 172. Eorum pictura cum concordia quid significet, 149. Rex prævigil in castris, 24. *Vid.* Regia.

Risus. Væ qui rident mundo, 46.

Roma. Ejus exercitus ultor fuit sanguinis Christi, 42. Penes Romanum est fidei doctrina, 102. Romani olim persecutores, nunc exsecutores verbi Christianæ fidei, 20.

Ros de cœlo. *Vid.* Manna. Roris sancti gutta oculi peccatoris baptizantur, 176.

Rosa est in spinis, 49. *Vid.* Flores.

Rubigo. A rebus servatis nutrita, 7. Epitheton verecundiæ, 22. Martyrii, 98.

Rubus portavit, non cepit divinum incendium, 164. Figure populi Judaici. Igneus Deus resplendet, cur, 170. In rubo igneus Deus glomeratur ad Moysen, 69.

Rudis est tardus ingenio, ut magistrum fatiget, 106.

Rusticus audit parabolam a Domino vulgarem de arbore fici, 106. *Vid.* Agricola, Villicus.

S

Sabbatum. Cur sacerdotes Christum observarent, si curaret in sabbato, 32. Pro salute provisum, ideo debet ægrotus in eo curari. Christus quietem mortalibus fessis dedit in sabbato. Illuminatur per Christum, non deletur; ut in die Dominico luceat in Ecclesia, 75. Sabbatum primarium est dies Dominicus, secundarium est Judaicus, et ad quid deputatum, 77. Ut male servetur a Judæo, 150. Benedictum ad requiem laboris humani et divini operis deputatum, 139. *Vid.* Festivitas.

Sacculus. Cur paratur in cœlo, 25. Avarus vel sacculos sequatur. Sacculi Matthæi non requiruntur a Christo, 28. Sacculo jejunare est ultio, non devotio, 42. Ipsum se redigit in sacculum avarus.

Sacerdos ut peccet in cœlestibus, 26. Ex homine in angelum substitutus. Cur pœnam de sacrificio sumant Nabad et Abiud sacerdotes, 26. Ebrietas sacerdotum damnatur. Quomodo sacerdotes Hebræorum observarunt Christum, 32. Sumit quotidie corpus Domini, nec sanatur ex defectu fidei, 33. Sacerdotis gloria est pax plebis, et officium amborum, 53. Prolaturus gratiam, quid dicere debeat, 60. Deus vocat populum per ora sacerdotum, 62. Sacerdotibus tradita a Christo facultas remittendi peccata hominibus, 84. Ejus sermo datur cum Deus vult, non sacerdos, 86. Primus fuit Aaron, 89. Cur legis antiquæ sacerdos jus conjugii haberet, 92. Quomodo fiat persecutor legis, 96. Omnis homo ex Paulo est sacerdos et hostia, 108. Ad hoc hortatur. Saul audens sacerdotium, amittit regnum, 109. Sacerdotes profanaverunt sancta, et in quæstum veniam converterunt, 158. Cur nolent nasci Christum. Judæorum sanctus usque ad Herodis tempora, 86. Sunt pedes Christi, 95, 93. *Vid.* Ecclesiastici, Concionator

Sacramentum pietatis nobis aperitur a Christo, ne fiat erroris occasio, 160. Sacramentis imperat Christus. Sacramenti cura fuit inter Joannem et Mariam virginem, 49.

Sacrificium Deo immolandum, præcipue tempore paschali, et cur, 73. Hominis mirabile, et cur, 108. Istud descendit a forma sacrificii Christi. Optima Deo sacrificanda, 109. Sine ratione quando mutetur in supplicium, 109. De divitiis Deo offerendum, 66. Laudis non persolvit Adam creatus, 101.

Sæculum ejus consummatio. *Vid.* Consummatio, Mundus. Figuram sæculi corripit Apostolus, videlicet, vitam, mores, institutum vanitates, luxuriam, pompam, 120. Mare sæculi desæviens, 20. Contagium sæculi qui vitaverint, 23.

Sal terræ sunt Apostoli, 120. Grana salis incorrupta saliunt si in medullas descendant. Sal ciborum salubre condimentum, si mensura non desit, 125. Nimietas salis amarat cibum.

Salomon probat unde sit sapientia, 48. Inter omnes reges singulari gloria et ornatu speciosus effulsit, 163. Fit rex adhuc parvulus, et populum virtute, non fastu regit, 48.

Saltatrices sunt pestes, 127. De illis *toto serm.* Saltatrix puella describitur, 174. In ea latebat serpens, et ad quid. Erat bellua, 127.

Salutaria cum respuit æger, infirmitatis est, non voluntatis, 108. Fiunt causa periculi, si male sumantur, 156. Velut noxia declinare salutifera, afflictio est, 132.

Salus. Salutem animarum quærere proficuum, 10. Salutem hominum esurit Christus, 11. Quid, cum multorum salus petit unius mortem, 37. Deus est desperatis salus, 65. Humana salus iisdem lineis reparatur quibus perierats, 77, 79. Quomodo speratur, cum sterilis parit, 90. Salus antecedentium et sequentium oculis negata, ut esset tota in fide, 110. Salus non est sine Christo, 111. Ejus occasio fit instrumentum perditionis, 126. Perditorum salus a Deo, est merces uteri Mariæ, 140. Nostra salus elusa, si Christus occisus fuisset parvulus, 151. Salutis alienæ provisor beatus, 155. Ex materia erroris facta est occasio salutis per Christum, 157. Salus perire non potest, 158. Arguuntur a Christo, qui tempus salutis agnoscere nolunt, 164. Salus proximi infirmi ante omnia quærenda, 18. Nemo per se salvari præsumit, 68.

Sancti. Eorum gesta sunt mysteriosa, 37. Separabuntur a malis in judicio, 47. Pavor sanctorum, quod Deus homo factus est, 72. In eis ætas vixit et processit, 89. Eorum lapsibus erigimur, trepidatione fundamur, 90. Tantum scinnt, quantum Deus indulsit, 97. Eis fit mors pretiosa, quare, 101. Eorum animas repetit Deus, 104. Gavisi sunt de adventu Christi, 106. Inter peccatores esse sanctum difficile; sed gloriosum, 107. Ut tres inimicos vincant, 120. Majores cœlo, angelis æquati. Clariores sole, luna lucidiores, et stellis, quomodo, 120. Tot virtutibus elucescant quot cœlum stellis. Permanebunt in claritate Dei, non transibunt cum cœlo, etc. In gloria ut officia exerceant, quæ hic sancta exercuere, 121. Virtutes sanctorum in festis eorum sobrie referendæ, 122. Eis sufficit sua prærogativa ad gloriam. Post Christi triumphum a custodia inferni dissoluti, 123. Post labores quiescunt. Hic perdunt animam, ut illam inveniant in vitam sempiternam, 128. Morientes præcedunt viventes ad tempus, 128. Mortui ut assistant suo gregi. Eorum natalis est cum de terra nascuntur in cœlum, 129. In natali sanctorum imitanda vita eorum proponitur, non epulis indulgere. Eorum virtutes a Deo petendæ. Sanctorum congregatio hic omnia impetrat, 132. Eorum festivitates rite celebrantur oratione et imitatione, 135. Omnia quæ meruerunt, parva duxerunt, si Dominum non viderent, 147. Sanctorum nomina sæpe indicant merita insigniaque illorum, 154. Humana cum desunt, divina succurrunt sanctis, 156. In eorum morte perit infirmitas, non persona, 173. In cœlesti mensa vescuntur cum angelorum choris, 174. Audiunt semper cœlestem symphoniam. Quidquid non assequuntur, expavescunt, 175. Eis semper diabolus inimicus, 11. Stant et subeunt mala ad coronas, 15. *Vid.* Confessor, Martyres. Bealitudo.

Sanctitas. Tota profanatur a luxuria, 27. Immolanda, ut consummetur stultitia, 108. Sanctitati tantum impendatur quantum immunditiæ, 114. Anxia, 116. Animæ et corporis custodienda, 117. Membra sanctitatis donis largitoris sint contenta, 120. Ejus forma fuit Joannes. 127. Sacrilegis exosa. A diabolo versa in sacrilegium, 155. Semper contraria luxuriæ, 174.

Sanguis humanus quando fecit mare in terra, 20. Quando offeratur sine sanguine, 108. Stephani primus fusus in martyrio, 154. Primus effusus in terram fuit Abel justi, 172. *Vid.* Martyres.

Sanitas. Nescit sanari, qui pauperi nescit fenerari, 32. Super effusa ubi dilatum est vulnus, 112. Ingratus medico, qui illam non desiderat, 113. Redit jussu Dei, 176.

Sapiens ex creatis rebus sumit doctrinæ materiam; stultus erroris causam, 89. Unde ex contemplatione creaturæ cognovit Creatorem. Sapientes sæculi a dæmone stulti facit, 96. Mundi sapientes unde se magnos æstiment, 118.

Sapientia facit virum, e contra insipientia, 5. Mundana nescivit quod lex divina docuit, 11. Christi ignoratur ab eo qui Deum ignorat, 48. Est a Deo. Sapientia humana cæcitas est nobis, 76. Domini infinita, 90. Vera Dei sapientia Christus est, quæ fide cordis agnoscitur, 119.

Sara sterilis et anus præparat tres subcinericios panes Dominicæ hospitalitati, *mystice*, 99. Cur illi mutatum nomen, 154. Cur filium vocat Isaac.

Satisfactio. Tempus illius durat usque ad mortem, 125. *Vide* Pœnitentia.

Saul sibi sacerdotium arrogans, regnum amittit, 109.

Scandalum. Triplex, 27. Scandalum et hostis, idem activum et passivum, et ejus effectus. Scandalum scandalorum fuit Judas proditor. Cur lapis molaris alligetur collo scandalizantis, *pulchre*. Scandalum Balaam objectum populo, 27. Publicatum ut puniatur a Deo, 125.

Scena pietatis erat caro pauperis ulcerati, 127. Tragœdia, et comœdia habentur, 173.

Scientia humana quid egerit, 5. Ejus fames quid egerit. Capit res latas in angusto sermone, 5. Dat alimentum salutis, 18. Humana scientia cæcamur ex nobis, 76. Christi merito a Judæo miratur, 85. Habet ramos, 98. Sanctorum quanta, 119. Divina hic ex parte est, in cœlo erit plena. Scientia fecit passiones esse notiores, 115. Est a Deo, 126. Scire meretur ille, qui scire timet, 143. Scientia legis per legem quæratur, 148. Per Deum quæsita, ab hominibus non quærenda, 156. Scientia Dei credituris data a magis, 158. Fidei habet palmam magis quam simplicitas illius, 166. Vera est, quæ est mixta virtuti, 167. Ad quid Pharisæus accipiat claves scientiæ, 172. Ex Pharisæorum scientia quæ mala. Eam non acquirit discipulus, qui vult pro sua voluntate doceri, 173. Scire interrogata ut possumus, 101.

Scribæ Jerusalem quid fecerint de cœlesti doctrina, 158. Scriba præsumens quid audierit a Christo, 19. *Vid.* Pharisæus.

Scriptura sacra doctis confert, et indoctis, 20. Ejus mysteria innumera si singula verba singulis libris essent mandata, nec ad plenum paterent, 64. Sacra sæpe non exponitur in longum ob fastidium auditorum, 101. Æmulis caute declaranda, filiis secure, credentibus confidenter, incredulis constanter, 112. Dum est clara, illi innitendum tota simplicitate. Sacra Evangelii tota mysteriis plena, 146. Sacra, cavendum ne per audientis imperitiam veniat ad animarum detrimentum, 156. Melius per Deum explicatur, orantibus ad hoc fidelibus, 5, ut manifestetur, 96. *Vid.* Evangelium, Doctor, Concionator.

Secretum. Quomodo dicatur secretum, quod coram hominibus sit, 9. Secretum potest esse publicum, et e contra. Sciri non potest, 61. Aperiretur, si homo diligentius attenderet, 101. Christo declaratum, cur, 160.

Segetes aridæ igne consumuntur, cum eis adjungitur, 116.

Semina describuntur; de corruptione suscitantur in propria forma, 105. In semine tota arbor, et vitium seminis est vitium totius arboris, 111. Semini fructus deservit, 112. Docent nostram resurrectionem, 118. Boni certaminis, quæ, 119. Eis dat incrementum Deus

Sempiterna deseruntur ab iis qui temporalibus inhiant, 22. Pro illis laborandum, 124.

Senex dicitur extraneus esse conjugi, 88. Sibi mortuus et soboli negatus. Cur senis filius nescit vinum. Senectus defæcata vitiis, et incendiis juvenilibus exempta. Longa senectus spem posteritatis amittit, 90. Senectutis sacramentum est procedere in virtutibus, 91. Habet membra arida et rugis exarata, 92. Senectus prægnans est omnibus risui, 92. Senex dicitur moribus et sapientia, non tempore vel ætate, 5. Dicitur senectus ætas occidua, 87. *Vid.* Anus.

Sensus nostri quomodo faciant nobis scandalum, 27. Dati ad vitam. Sensus spirituales in avibus cœli, 98. Divinus celatur in lege, prophetis et Evangelio, 99. Sensus nostri suscitantur ex metuenda intonatione Evangelii, 115. Attinentur apostolico vigore. Fucis decipiuntur, 116. Cur modum tenere debeant sensus sacræ Scripturæ, 125. Ille melleus, qui ore profert nil amarum. Humani perturbantur ex virtute Joannis et feritate Herodis, 127. Sensus perversus audire non potest quod semel statuit odisse, 131. Cur lateat in littera, 132. Divinus verbis celatur humanis, 139. Humani ab innumeris vitiis rapiuntur, 171. Sensus licet malevolus, potest esse verax, 173.

Sententia condemnationis humanæ cessavit ab Adventu Christi in mundum, 90. Eam accelerare in reum non vult Christus, 125. Eam fugit, qui accusatorem refugit, 145. Ad eam rapitur qui noluit pervenire ad gratiam, 158. Cognitoris decepta, quæ interemptum non perdidit, sed promovit, 173. Mundi amarissima per misericordiam sublata, 6.

Separatio bonorum et malorum in judicio sanctos consolatur, 47. Vitia separatione vincuntur, 116. In separatione membrorum fœda pernicies, 132. Separatio dat mala, congregatio vitam. Separatio terrena est conjunctio cœlestis, 164. *Vid.* Discretio.

Septimus numerus amplissimus sacramentis, et quomodo, 139. Natus septimo mense, 56.

Sepulcrum habet januam duræ mortis duriorem, et clauditur durissimo lapide, 65. Ejus visus elevat mulierem visu arboris prostratam, 74. Domus mortis fit mansio vitalis. Ex sepulcro fidei nascitur Christus, 75. Lapis ejus quomodo titulus vitæ et mortis. Sepulcrum est pectus in quo Christus adhuc habetur mortuus. Est opprobrium prævaricationis mulieris, 77. Titulus reatus illius, et alia. Mulieres sepulcrum ingrediuntur, ut consepultæ Domino totam fidei resurgerent in salutem. Et Christo consurgerent, 82. Qui mori non potest, sepulcrum timere nescit. Sepulcrum erat domus, ubi recumbebant discipuli propter metum Judæorum, 83. Sepulcrum carcer cadaverum describitur, 118. Homo est sepulcrum hominis, 120. In naturali limo cadaver vermium morsus nescit, prævenit putredines et fetores, 121. Sese sepulcris dæmones mandant, ut homines adhuc vivos redigant in sepulcra, 16. Ad Christi præsentiam de sepulcro exeunt homines, 16. Epulo erat pompæ sepulcrum, 121. *Vid.* Dæmon, Angelus.

Serenitas gratior post tempestatis obscura, 84.

Sero. Declaratur hoc adverbium quando Dominus discipulis apparuit, 84. *Vid.* Vespere.

Sermo. Angusto sermone latæ res non bene aperiuntur, 5. Sermo ornatus est auribus, sicut naribus odor, 18. Accommodetur tempori, 20, 21. Conceptus sermo, dum evaporari non potest, quid faciat, 57. Brevis et subitus, antequam illustret oculos, jam refugit: nec dat lucem, sed pavorem, 64. Divinus sermo sine Deo populis non redditur, 77. Festinus et fugit, et transvolat quæstiones, 82. Mundanus servit humanis ingeniis; divinus est in potestate dantis, non dicentis, 86. Divinus dominatur, non servit. Cum venit audiendus; cum non venit sustinendum. Sacerdotis si differtur, non auferatur. Exuberat, cum dat Deus, 86. Brevis non potest concludere omnia, 86. Totus occupandus in utilioribus, 91. Humanus vocat, ubi est angelicus. Auditor longum fastidit sermonem, 101. Jussus imperantis profertur secure, 107. Officiosus non negatur, licet eloquium sit imperitum. Festinus non revelat divinæ scientiæ secretum, 112. Tripartitus ordo sermonis quid faciat, 115. Sermo Apostoli communiter lectus quid agat, 120. Frequentatus generat fastidium. Differendus, cum tempus dicendi transactum est, 121. Melius auditur, cum vires animi sunt reparatæ, 122. Cur angeli sermo Mariam turbaverit, 140. De die in diem differtur ex magnitudine mysterii, 145. Sermone brevi interdum res amplæ concluduntur, 160. Dominicus sermo imperitis contrarius, et quomodo, 164. Differendus potius, quam festinandus, 173. Sermo angelicus divina loquitur, 156. *Vid.* Evangelium, Concionator, Doctor.

Serpens habet caput addictum homini, 173. Fuit puella saltatrix. Germina serpentis antiqui exstincta ab effusione sanguinis Joannis. Serpens latebat in saltatrice, 174. Tunc tendebat ad mortem Christi. *Vid.* Diabolus, Herodes.

Servare. Servans relinquenda, alienorum custos est, non suorum, 22. Ex avaritia homo multa servat, non sibi, sed aliis; et ad suum cruciatum, 122.

Servire Deo non possunt qui serviunt pecuniæ, 28. Uni Deo servire libertas; pluribus captivitas, 61. Quam utile servire pauperi debili, 122. Domino debemus servire, et quomodo, 161. Ei soli, non aliis, et cur. Attamen totam homini, Deo nullam impendimus servitutem. Ut serviendum Domino ex debito.

Servitus est libera penes patrem, 3. Hominis ante incarnationem Christi, 6. Nostra sit Deo; ne potestatibus iniquis sit, 20. In habitu servitutis manent hic filii Dei designati, 71. Metus indicat servitutem, 101. In tota servitute sæculi fuit notitia Domini, quando, 102. Præsumptrix punitur, cauta remuneratur, 119. Turpissima peccati, 114. In Evangelio non est amissa, sed mutata. Melior devota servitus quam vaga et præsumpta libertas. Evangelica maculam abstergit servitutis. Servitus servitute pellitur. Evangelica tantum Deo dare jubet quantum olim mundo, 114. Servitus peccati tollitur, et succedit servitus Dei. Diaboli habet pro præmio finem vitæ, et inchoationem pœnæ. Servitus Dei est vera dominatio, 115. Tota servitutis conditio abolebitur in cœlo, 139. Sæculi tota tolletur post Antichristum, 156. Præstita hero cœnanti describitur, 161. Facit magnificum Dominum, 170. Divina præponenda humanis affectibus, 19.

Servus Dei stat, hominis jacet, 19. Servus Dei mala patitur ad coronam, hominis ad pœnam. Servus ventris dicitur jumentum, 22. Vult regnum cum timore, 23. Quid agat erga Dominum, 26. Servus Dei injuriantibus parcit, 38. Erit cum Deo in gloria, 40. Tot servos habet misericors, quot nummos, 54. Domi occiso domino servorum scelere, ad totam domum vindicta pertendit, 78. Nulla charitas servorum, quando epulantur recenti adhuc funere Domini, 83. Servi Domini ipsum prævenient, ne de silentio reatum sustineant, 97. Servi Domini ut ad Deum accedant, et illi loquantur, et quid, 97. Non patiuntur videre fœditatem Dominicæ messis. Dei quantam habeant scientiam. Servus rapit gratiam a Domino spretam, 100. Servus est, qui pretio taxatur, 102. Anima dominante, corpus est servus pretiosus. Devotus jussa facit, contumax non facit. Nemo servus fit ex se, sed vocatus, 109. Servus et captivus fuit homo sub lege, quomodo, 116. Sed gratia Dei liberatur. Non vult nasci Dominum, 158. Illi mortem præparat, ut careat servitute, 158. Servus Dei est homo, qui creatus, redemptus et emptus est, 161. Servus cœnæ Domini assistens descriptus 161. Ni vigilet in crastinum manicabit ad verbera.

Ei lex est, quidquid circa illum fecerit Dominus. Ut cognoscat homo quomodo Deo serviat. Suis sumptibus vivens accusat Dominum, 163. Inquirat, non quare velit, sed quid fieri velit Dominus, 166. Servus Deo famulans vacet a terrenis, 170. Quam peram, panem et æs portare debeant. Servi peculium pertinet ad dominum, 15. Manumissus a Domino induto servitutis habitu, 96.

Sibi attendere quis dicatur, et quomodo. *Vid.* Attendere.

Signa indicant rem inveniendam, 159. Signa, seu miracula cui præstanda, et ad quid, 11. *Vid.* Miraculum. Signa diabolo obsunt, 11.

Silentium per quod peccator pervenit ad veniam quale, 34. Cur sileat Chrysologus tempore passionis Christi, 77. Dominus auget et repensat pii silentii usuram. Chrysologi silentium, 86. Silentium et verbum a Deo. Ne simus de eo ingrati Deo. Culpa tacentis non est, si jubetur silentium, 46. Ex silentio nascitur vox, quomodo, 92. Arguit reatum, 97. Ex sterilitate fundi inducitur silentium, 107. Silere virtutes est opus dexteræ; propalare, sinistræ, 9.

Simeon sanctus Dominum videt antequam moriatur, 106.

Similitudines. Cur vernaculæ tradantur, 39. Cur datæ a Christo, 47. Ad docendum ignaros, 106. *Vid.* Exemplum, Figuræ, Vulgaria.

Simplicitas habet gratiam innocentiæ, fructum fidei, non scientiæ, et virtutum præmium, 166. Civem bonum facit, non facit militem fortem. Hypocrisim prorsus ignorat, 172. Cum ea et cum veritate Agnum Dei immolamus, et cur.

Simulacra idolorum semetipsos facientes Dei imaginem amittunt, 155. Nec sunt hæc ludicra, sed crimina.

Sinapis granum simile regno cœlorum, *late*, 98, et cur. Seminandum in nostris mentibus. In integritate ejus grani virtus occulta apparet, si teratur. Sinapis arbor, dum claudit oculos, aperit, 99.

Singulare. Non refertur exemplo, 61. Singularitas Deo non est accepta, sed unitas, 132. Illa non admittit exemplum, 153. Est mala singularitas, 170. A dæmone, cur, 16.

Sinistra. In ea est nobis pars vitiorum, et quæ, 9. Mala sinistræ. Sinistrum non recipit divinitas. In angelis nil sinistrum, 87. Ut ovis Dominica ceciderit de dextera in sinistram, 168. *Vid.* Dextera.

Sitis. Ut curetur frigido fonte, 46, 79. Poculum aquæ frigidæ viatori penitus sitim non exstinguit, 112. Ad tolerantiam provehit, 124. Unda ardenti non exstinguitur, sed augetur, 172. Draconis erga Dominum, 174. *Vid.* Poculum.

Sobrietas cautissima servanda in sensibus evangelicis, et cur, 125. Sobrietas in cibo utilis, 41.

Societas bona, et cur, 170. A divina societate subducti possidentur a dæmone, 16. Societatis amor timorem servitutis aufert, quomodo, 166. *Vid.* Unio.

Socrus dividitur a sponso et sponsa, quomodo, 164. Socrus Synagoga occidit filium, ne videret consortium nurus. Socrus Petri infirma.

Sol. Jubar solis clariorem perficit diem, 8. Ejus radii occultari non possunt, 9. Tangit stercora, nec inquinatur, 94, 35. Hæmorrhoïssa non minor sole, 36. Fraudatores accusat, 54. Oculis lippientibus dat tenebras, 60. Importunum tenebrat aspectum, 61. Eo fugiente, ad noctis solatium, quid de splendore lunæ et stellarum potest remanere? 78. In resurrectione Domini ante tempus occurrit, 82. Totius anni metas temporum percurrit, 87. Revocat festa natalitia. Quid splendidius sole? 101. Habet lucem geminatam, 103. Non indiget luce, 110. Quotidie nascitur et moritur, 118. Sole sancti clariores, 120. Solis radiis erumpentibus visus hebetatur humanus, 146. Ejus splendor illuminat cœlum, 149.

Solatium est in pœnis, cum sunt generales, 101.

Solemnitas. *Vid.* Festivitas.

Solitarius patet omnibus semper, 164. Solus ut possit esse in multitudine, 36.

Solvere. Jussione solvitur manus, quæ jussione fuerat ligata, 32. Quomodo tarditas solutionis a Deo compensetur, 77. Solvere indebita coactus, maxime deprimitur, 137. Solutio cautionem rupit, 62. Solvetur mundus, quomodo, 101.

Somnia revelata a Joseph illi vitam servarunt, 174.

Somnus Christi in navi periclitante, cur, 21. Somnus sæculi est insomnis, 22. Cur somno indulgendum, 24. Mors apud Deum somnus est, 34. Dominus adhibet somnum in muneribus dandis, ut pietatem velet, 39. Est etiam somnus mœroris, 81.

Spectaculum est in cœlo, ubi in terra est conflictus divitis et pauperis, 124. Mala spectacula bonos polluunt, 155. *Vid.* Scena.

Specula cœlestis ostendit mammonam dominari mundo, 126. De specula confessionis Zachæus vidit veniæ largitorem, 54.

Spelunca. Cur memorata in sepultura Lazari, 65.

Spes. Speramus quod non videmus, 62. Exspectemus quod speramus : cum advenit spes cessat, 10. Spe, non re homo designatus, non promotus ad cœlum, 62, 71. Spes non videtur, et per patientiam exspectatur. Omne genus hominum spe subsistit. In spe gloriamur, 110. Spes ad mensuram plenitudinis Christi perducit. Perfectæ virtutis est, quod in re non teneas spei robore possidere. Spes tota fidei Christianæ est in resurrectione mortuorum, 118. Est donum Dei, 135. Spes peccatorum promota ad veniam a Domino, 168.

Spinæ per falcem dum succiduntur, magis accrescunt, 115. Spinæ camporum uruntur, 164.

Spiritus sanctus. Quomodo faciat interdum partus acerbos, 56. Ubi generat, Virgo parturit, 57. Unius substantiæ cum Patre, et Filio, 58. Deus est cooperator Patris, et Filii, 60. Negatus ab homine, negatur Pater, et Filius, 62. Non est in ebrio, 88 Vitiorum victor intrinsecus receptus passiones forinsecus concidens, 115. Mariam fecundat, 117. Unitis illabitur apostolis, 132. In Pentecoste significatus per numerum septenarium, quomodo, 139. De spiritu natus spiritus est, 142. Cur adfuerit cum Patre in baptismo Christi, 157. Cur aquis supernatat in specie columbæ, 160. Cur in igne super apostolos, 164. Ejus ignis mortalium frigida corda succendit, 169. Una cum Patre et Filio cuncta sæcula disponit per omnia ævi spatia, 174. *Vid.* Anima, Trinitas, Deus. *Vid.* serm. 56-62.

Splendor ad cæcitatem ducit, 124. Splendor supernus est velamentum, 142.

Sponsa Christi est Ecclesia, quomodo, 22. Non separatur a sponso, 57. Sponsam suam M. virginem recipit Christus, non præripit alienam, 140. Conjux sponsa vocatur ex divina lege, 145. Mater et sponsa pastoris est ejus Ecclesia, 175.

Sponsalia. A quo bene tractentur, et quomodo, 140.

Sponsus quærens sponsam, jejunia deponit, et totus datur gaudiis, 31. Facit quod vult sponsa. Christus Ecclesiam sponsam salutat, cur, 76. Ad sponsi thalamum quis admittatur, 141. Sponsus Joseph, cur, 146.

Sputum. Sputo Domini sanatur cæcus, 176.

Stare. Stant omnia Dei nutu, 176. Stamus cum bonis operibus erigimur ad profectum, 54. *Vid.* Servus.

Stella. Quid stellis ornatius? 101. Illæ signant tempora noctibus, et viantibus dant ducatum, 103. Quot cœlum stellis, tot virtutibus sancti elucescunt, 120. Unam cœpit habere Christus, 156. Servit magis. Magis apparuit non arte, sed a Deo, *descriptive*, 156. Stella ducens magos erat Christi, non Christus stellæ, et quomodo, *varie*, 156, 157. Et cur per stellam ducatur magus. Cui militant sidera terreno imperio non tenetur, 158. Est lingua cœlorum, 159.

Stephanus. Sic dictus a corona, et cur, 154. Martyrum primus. Et alia de eo.

Sterilitas naturæ, cur, 87. Partus mulieris sterilis dicitur intempestivus, 88. Abrahæ, Saræ, Rebeccæ, et Annæ fecundata, 90. Cum parit, dat documentum vitæ mortuorum, et salutis desperatorum. Est opprobrium, 92. Misera apud homines; non apud Deum, 92. Saræ, 99. Mundi fecundata. Sterilitas fandi silentium indicit, 107. *Vid.* Elisabeth.

Stillicidia rigant, non necant germina, 143.

Stimulus. Stimulis peccati inservire, est vivere peccato, 113.

Stipula. Cain in sacrificio fuit ejus incendii fomentum, 109.

Stultus. Ex creatis rebus causam invenit erroris, 89. Creaturas existimat deos. Dives congregans, 104. Qui turpitudini vitiisque servit, 114.

Sublimitas ducit ad ruinam, 124.

Subsidia vitæ non desunt commorantibus coram Deo et cum Deo, 166.

Substantia data filio facit eum egere, negata divitem servat, 1. Patris est tota in Filio, 4. Hominis sunt beneficia naturalia, 5. Ac libri legis. Servata generat tineam, 7. Direptioni exponitur. Ecclesiæ substantia quæ fuerit, 56. Cœlestis nescit includi terrenis ergastulis, 81. Substantiæ versæ caveamus ne fama ad patremfamilias nos præcedat, 125. Quam substantiam acceperit homo, et perdiderit, 162. Substantia escæ et potus quando portanda, 8.

Succurrere. Succurrunt genti sanctæ divina, quando desunt humana, 156.

Sudare. Qui sudat in interpretatione verborum Christi, habet fructum, 96. *Vid.* Labor.

Superbia perdit quod labor acquisierat, 161. Ut de bono quærat facere malum, 168. Mundi a mansueto victore inclinatur, 170. Murmurantium a Domino compressa, 168. Quod superbia amisit, acquisivit humilitas, 23. Flamma superbiæ quid causet, 94. Ex pompa, quare, 16.

Supplicare. Forma supplicandi est oculos sursum levare, 65. Inter Deum Patrem et Filium non est necessitas supplicandi. Pura supplicatio est incensum Deo gratum, 87.

Supplicium. De eo Dominus perficit argumentum fidei, 90. Damnati nullum est, ubi non est pœna peccati, 135.

Superstitio gentilium irridenda quæ mala fecerit, 5. Ab omni superstitione cavendum, 18. Gentilium in kal. Januarii, 155. Pharisæorum in lavandis manibus, 171.

Surgere. Peccator per pœnitentiam surgit de ruina, de inferno, et plus surgit quam corruit, 3. Item, 2. Surgit Martha prius in fide quam Lazarus in carne, 63. Mulier prostrata visu arboris, surgit visu sepulcri, 74.

Sursum. Quod sursum est, super omnes est, 137. *Vid.* Supplicare.

Symbolum est pactum vitæ, salutis placitum, 58. In corde ponendum. Debet audiri et reddi, 59. Corpore et animo ejus auditores mundentur. Menti, non chartis mandandum, 59, 60, 61. Brevitas illius dat meatus latissimos credulitati, 61. Humano more quid sit, 62. Illud quærit Deus a nobis non per se, sed propter nos. Quisque illud memoriæ mandet. Explicatio illius in parte a morte Christi, 83. Explicatur a Chrysologo, 56-62.

Symphonia ex variis instrumentis, quam auribus Christi Magdalena exhibet, 93. Citharæ Davidicæ ad permulgendos animos ex intelligentia, 115. Fit ex diverso genere, sed voce consona, 116. Cœlestis jugiter auditur a sanctis, 174. Cœlestis cantata in reditu peccatoris, 6. Quando assumenda symphonia spiritualis, 6. Cœlestis quid agat, 10. Pietatis fugat invidum, 4.

Synagoga figurata in socru Petri febrientis, 18. Habet manum aridam, ser. 32. Proruit ante Christum, 33. Figurata in filia archisynagogi, 36. Dum ad eam Christus tendit, Ecclesia gentium sanguinem fundebat. Moritur, dum Christus Ecclesiæ subvenit. Cur sit Hebræorum, non Christi, 48. In ea accubuit Christus, quando occubuit, 95. Ut perdiderit Christum ab Ecclesia inventum, 95. In judicio arguetur a Christo. Semper diruta, nec surgit in fabricam cœlestem, nisi Christianus eam in culmen Ecclesiæ apparaverit, 102. Ejus pondera graviora sarcinis idolorum, 105. Optime comparata arbori fici, 106. In ea Christus nullum fidei fructum reperit. Stercoratur miseratione gentium. Accepta lege ad multa fuit fornicaria, et adultera, *descriptive*, 115. Despicitur a lege. Adulterii accusata. Eam ad Christum nititur Apostolus revocare. Ipsa mortua, non lex. Ejus filii progenies viperarum, 137. Haberet innocentes filios, si Christus non fugisset, 153. Suo marito divisa, *mystice*, 164. Hæres divisa de consortio Ecclesiæ et Christi. Mater Ecclesiæ et socrus occidit filium, ut illius in nurum exstinguat amorem. Christum habebat, et non videbat, 169. Verbum unum, id est Christum ex decem verbis legis perdiderat, et quomodo. Repulit Christum juncta diis gentium. Furata est Dominicam resurrectionem; testes falsos conquisivit. *Vid.* Lex, Hebræus.

T

Talentum. Moritur ante tempus homo qui Dei talentum sibi creditum dissipat, 125.

Tartarus. Tartareus odor nec sustinetur a porcis, 17. Causa ejus cum Christo in resurrectione Lazari, *discursive*, 65. Jussus capere reos tenebat et innocuos. Deo dicit servare præcepta sua. Restituit Lazarum subito, ne eo moram agente omnes resurgerent mortui. Ante Domini adventum justos injustosque tenebat, 66. Domino resurgente corripitur, 74. Ejus lex solvitur, 82. Ejus ministri impiorum animas repetunt, 104. Januæ illius confractæ ariete crucis, 123. Cum sit carcer tartari, quare non curamus a malis evadere? 124. Divites recipit nudos, 125. In eo Herodes mercedem habuit, 174.

Tectum centurionis quare negat Christus intrare, 15. Corpus est tectum repellens divinum accessum, quomodo, 102. Illud Dominus intrat.

Temeritas. De ea subimus crimen, 151. Est, tacita loqui; diu reposita proferre; origines causarum aliquando perscrutari, 166.

Tempestas gravis, et quæ tempore Chrysologi, 20, 21. Dum adest, dicitur Christus dormire in nostra navi. Magna commutatur in maximam tranquillitatem, quando, 21.

Templum Dei est Christianus, 85. In quod Dominus ascendit, ut diem festum e cœlo præstet perfectum. Et ni ascendat, homo cum Christo in cœlum non ascendet. Dei mundandum, 91. Ut servirent sacerdotes templo Salomonico, 92. Factum massa sanctitatis, 99. Templum Deo factum de limo carnis nostræ, 142. Est corpus humanum, 143. Maria est magnum Deitatis templum, 144. Ejus sanctitas Deum invitat ad habitandum, 171. Dei est corpus nostrum, 12. Humana pectora per quæ consurgant in templum Dei, 43. Dei virginis uterus, 59.

Temporalia. Iliis inhians deserit sempiterna, 22. Si temporalia mala dolent, quanto magis æterna? Bona deperdita revocantur oratione ad Deum, 46.

Tempus. Dæmon non observans tempus, de tempore queritur, 16. Exclusum ab æternitate, 34. Tempus attulit temporalitatem. Tempora mala facit nobis Dei contemptus, 43. Tempore indulgentiæ confitendum, 46. De præteritis pœnitendum, de præsentibus gaudendum, de futuris metuendum, quare, 46. Tempus aliquando impedit explicationem mysteriorum Dei, 56. Ad tempus loquendum, 57. Temporis in articulo non negatur gratia, 60, 61. Brevitas temporis expers prædicationis longæ, 61. Deus auctor temporum, 65. Non sinit morari in aliqua re, 72. Zacharias offendit, 88. Præscribit homini, non Creatori leges, 90. Quomodo revocatur, 92. Ad tempus nostræ pœnitentiæ refertur messis, 97. In miraculis Christus tempori servivit, 102. Tempora eundo veniunt, 105. Legem exclusit, 114. Elapso tempore dicendi sermo differtur, 121. Pœnarum excludit tempus satisfactionis, 125. Cito pœnitendum, ne perdamus tempus satisfactionis. Quod exclusit tempus villicationis, includat perpetuitas donationis Christi. Adempto tempore benefaciendi, homo cupit benefacere. Tempora deficiunt ad laborem. Villicationis qui amittit, cito moritur. Tempora nescit auctor temporis; ac Christus propter hominem diem suscepit et tempus, 131. Cum non patitur omnia dici, dicantur aliqua, 134. Ex tempore loquendum, 140. Resipiscendi dandum peccatori, 151. Salus non agnoscentes arguuntur a Christo, 164. Numquam est breve ad pœnitentiam, 167. Tempus non erit in gloria, 82.

Tenebræ vitiis amicæ, 24. Lucem fugant, redeunt luce discedente, 44. Fugatæ in nocte resurrectionis Christi, 77. Occupaverunt discipulos in passione Domini, 78. Mœroris et formidinis quales, 84. Avaritiæ, 104.

Tentatio. In eam vadit, qui ad orationem non vadit, 43. Est vita hominis, 67. Quid sit, 71. Est prævia ministra diaboli, 72. Ejus pondus incurvat, 77. Utilis dum superatur, 113. Quando dicatur Deus inducere in tentationem, 70, 71. *Vid.* Oratio Dominica.

Terra cur vocatur a Davide ad jubilum, 6. Tremuit, quando Dominator ab inferis ascendit, 74. Supernatat liquido elemento jussu Dei, non natura, 101. Quid ea salubrius? Prius facta quam fructus; sed ille pretiosior, cur, 117. Provehit ad cœlum, 124. Cum peccatorem accusat, tunc Deus inquirit, 125. Vernat floribus suis, 130. Ab ipsa producta silvescunt, deficiente Agricolæ solertia, 132. Non fructum ante laborem, 142. In terris a nobis parantur, quæ habeamus in cœlis, 144. Diluvio abluta, 147. Jussa a Deo proferre fructus spontanea servitute, 148. Terra sæviente quomodo trepidet cœlum, 150. Suo cinere saginatur, 164. Purgatur igne, ut reddat fructum. In terra calore germinant omnia, humore nutriuntur. Nostri corporis origo, 166. Prælibavit nostri baptismatis formam. Natos homines ante producebat ad mortem, hos ad vitam producit jam renatos. Terram urit invidia, 172. In terra fit sæpe voluntas nostrorum hostium, 70. Præservat cadaver nostrum a vermibus et putredine, 121.

Terræmotus in Christi resurrectione, 74. Utinam levis turbo fuisset in Paradiso. Maximus erit in judicio, 77. Si conservi præsentiam terra non sustinet, quomodo judicem sustinebit?

Terreni velantur terrenis indumentis, 82. Renati cœlestes imaginem Dei portent, 117. In terrenis rebus Vicarius Domini est homo, 148. Herodes terrenis inhians, irruit in Divina, 152. Ubi nil est terreni usus, ibi totum est cœlestis ordinis, 153. Terrena despicienda, 163. Terrena habere dubitans, cum sentiat jam sibi dari cœlestia, punitur incendio, 163.

Terror noxios prosternens, mox ad conscios recurrit, 77.

Thalamus. Ad sponsi thalamum quis admittatur, 141. Intra thalamum Deus solam Virginem capit.

Thesaurus noster in cœlo repositus conservatur, 7. Vectores thesauri nostri in cœlum sunt pauperes. Thesaurus est cœlis munus pauperis, 8. Regalibus thesauris nummulum anteponens animum plebeium habet, 22. Ad securitatem pone thesaurum, ubi Christus est. Elevat et demergit cor hominis; et quomodo præmittendus in cœlum, 11 et 25. Thesaurus bonorum omnium Christus est, 129. Noster pauperibus dandus. Thesaurus scientiæ Dei a magis datus credituris, 158. Exhauriri non potest ille, de quo sufficit nummus, 14. Temporalis thesaurizatio arguitur a Domino, æterna vero jubetur, 25.

Thomas. Cur vulnera tangere avet, *late*, 84. Ejus curiositas quid potuisset parere. Omnium hominum incertum curavit. Spiritu prophetico cognovit Dominum retinuisse vulnera. Cæteris præstat sponte, quod ille tardius implorat. Necessaria illi vulnerum Christi ostensio, quia putabatur spiritus. Ex vulneribus effudit fidem.

Timor. Cum timore et humilitate communicandum ex centurione, 15. Cessat, ubi est cupiditas victoriæ, 22. Ad eum venit qui vult vitam, 62. Ejus caligo superat tenebras noctis, 84. Timor est cum Deo loqui, 86. Nimius a se mentem expellit, 88. Indicat servitutem, 101. Timor pristini lapsus non debet nostram tardare conversionem, 115. In causis homines, non Deum timere, facile a justitia deviatur, 127. Nemo volens timet, 135. Timet dicens interdum, ne obsit audientibus, 137. Timorem non habet qui invenit gratiam, 142. Non est timor, ubi divinum est negotium, 144. Timor ex majestate Dei invisibilis quid fecerit toti creaturæ, 147. Amare non potest, qui satis timet. Pavore mors ipsa levior. Timor non temperatus amore devotam servitutem efficit contumacem. Timeri non est, qui pietati obsequitur, 160. Timere non potest natus ad Dei amorem. Salutari timore quomodo concipiamur a Domino, 171. Timet, qui perdit, non qui invenit, 144. Quis est, qui non timeat? Timere nescit infans, 150. Timor magister noster, 15. Timor conscientiæ, 36. Timens scire quæ mereatur scire, 143. *Vid.* Pavor.

Tinea claustris clauditur, non excluditur, 7.

Tituli affixi limitibus dominum prædiorum proloquuntur, 154. Tituli servitutis D. Pauli, qui, 161. Inhumanitatis epulonis, 66.

Torques Joseph fuit ex auro, 174. Joannis ex cruore.

Tortor. Domesticum tortorem in se habere semper diligit invidus, 172. Tortor gulæ, ventris et luxuriæ est fames, 1. *Vid.* Carnifex.

Traditiones Patrum temporibus roboratæ a Christiano non disputantur, sed venerantur, 85.

Trahere proximum ad Deum, licet invitum, debemus, et quomodo, 10. Dæmones trahuntur ab hominibus ad Christi præsentiam pro sententia recipienda, 16. Quomodo trahamur a Christo inviti, 50.

Tranquillitas maris Christiani est a Christo, 20. Quando sit ex tempestate, 21.

Transfretare. Quid sit mystica maris transfretatio Christi, 17. Cur, quando turba est circa Christum, ipse transfretat, 19.

Trepidatio aliorum cautela et munimen nostrum est, 175.

Tria exempla protulit Dominus in commendationem suæ pietatis, 55. Tribus testibus pii animantur, impii confutantur. Christus cur tribus diebus mortuus, 59. Tres mensuræ ut Trinitati applicentur, 99. Tria tempora per quæ Christus a Synagoga fructum quæsivit, 106.

Tribulatio. Permissa a Deo, ut ad ipsum redeamus, 5. Tribulatio est prima quæ justi viri conturbat infantiam: sed patientem majora erudit, 110. *Vid.* Adversa, Mala.

Tributa non citra justum exigenda, 137.

Trinitas. Ei placet, quod Filio placet, 23. Tres vigiliæ, et quæ in exspectatione ejus, 24. Quis ad ejus beatitudinem mereatur pervenire, 44. Divina Filii generatio ut sit, 57. Gratia Trinitatis in triduo sepulturæ Christi declarata. Æqua in omnibus. Una Deitas, virtus, gloria in Trinitate, 59. Aperta in *Credo in Deum*, etc., quomodo, 60. Trinitas in personis, unitas in Divinitate, distincta personis, non divisa substantiis. Divinitas nec Trinitate dividitur, nec confunditur unitate. Personæ sunt unius majestatis, et gloriæ. Quid valeat Trinitatis confessio, ostenditur, 71. Deus Pater homines dignatur hæredes, Deus Filius non dedignatur servulos cohæredes; Deus Spiritus sanctus carnem consortem Divinitatis assumit, 71. Deus unus est, in omnibus æqualis majestas, 83. Et alia de Trinitate. Pater est alius persona, sed ipse substantia, et alia de Trinitate, 88. Figurata in tribus farinæ satis, 99. Medius, ex quo Trinitas tota cognoscitur, fuit Joannes, 127. Remunerat ferventes in sui amore, 130. Cur tota in Christi baptismate, 157. Cur ad ejus præsentiam non refugit Jordanis, ut ad arcæ præsentiam, 160. Ut curru, seu quadriga toto orbe feratur, et ad quid, 170. Ascendit bigam, duos populos vocatura.

Tripartitus ordo sermonis præbet salutiferam ecclesiasticæ doctrinæ disciplinam, 115.

Tripudiare dicuntur penetralia domus in exsultatione, 175.

Tristia non miscenda gaudiis, 175.

Triticum. Ex Apostolo docet nostram resurrectionem, *descriptive*, 118. Docet non tam manducare quam sapere; cogit non tam laborare quam credere. Granum tritici est Christus, 126. Judæus pro tritico lolium dedit, 164.

Triumphare de suo tyranno, id est peccato, ut homo possit, 113. De passionibus gratia Christi possumus, 115. Sæculis qui vult mandare triumphum, occultum conflictum non patitur inire, 150. Triumphi singularis trophæum quale, 170.

Tuba ducit militem ad bellum, 6. Militaris quid agat, 14. Spiritualis quid. Cœlestis mentes ovium inclinatas tollit ad divina, 23. Quæ mortuos revocabit ad vitam, erit vox divina, 103. Tubæ materialis descriptio. Quæ in principio mundum vocavit ex nihilo, in novissimo mundum revocabit ex perdito. Tuba divinæ vocis creavit omnia. *Vid. Descriptionem.*

Turba dimittitur, cum a justis auræ populari renuntiatur, et virtutibus studetur, 21. Indocilis ad excelsa contendens mergitur in profundum, 19.

Turbatio. Anima stans inter Dei præcepta et cordis passiones turbatur, 45. Mariæ virginis salutatæ turbatio, 140. *Vid.* Maria V.

Tyrannus. Illo exstincto acies ejus sunt solutæ, 11. Crudelis est peccatum, ingemiscit, cum subjicitur pedibus jam suorum captivorum, 113, 116. Tyrannus est, qui tyranni habitum præsumit, 155.

U

Ultio bonis est tarda, 16. Ultio et culpa auferebant quid quid in mundum venerat; sed misericordia succurrit, 42. Romanus exercitus ultor sanguinis Christi. Christus de ultione confirmat nutantem, 90. *Vid.* Vindicta.

Umbra. Nescit æstus corporis, quem protegit umbra divinæ virtutis, 142.

Unguentum. Cum offertur, est oblatio; chrisma, cum redundat de Dominicis vestigiis, 93. Exsulit divitem ad marcorem, 124.

Unio fraterna subvenit fratribus in periculo corporis et animæ, 20. Omnes unum, et unus omnes sunt, quando Dei spiritus in omnibus vivit unus, 72. Unio conjugum quæ, 89. Plurium in oratione quantum valeat, 132. In Ecclesia unio dat vitam, separatio dat mala, et quæ.

Unitas Patris et Filii ostensa, 23. Et Divinitatis. Deo accepta unitas, non singularitas, 132. Christus venerat ad restituendam unitatem generis humani, 162. Unitas mundi, ac discretio rerum, 103.

Urbs habet delicias, 13. *Vid.* Civitas.

Usura mundi centum ad unum; Deus unum accipit ad centum, 25. In Matthæo videbatur tolli ad cœlum, et Deo grata, 28. In ipso curata. Quomodo usura temporis repensetur a Deo, 77. *Vid.* Fenus. Usura honoris quæ sit, 88. Peccati, quæ, 94. Temporum ad sobolis noxam ex peccato Adæ, 123. Usurarii duri ut silices, 95. Innocens non solvit usuram pœnitentiæ, 167.

Usus adimit laborem, 28. Longus vitæ dat doctrinam, 90. De usu res agendæ, 99.

Utile docere legem obedientem; alias doctor offendit, 137. Utilitas nostra Christus, 161. Ab eo tota est.

Utres veteres Judæi, novi Christiani, ut purgentur, et alia, 31.

Uxor felix, quando ei est cum viro mens una, 89. *Vid.* Unio, Conjuges.

V

Vana gloria. In justitia facienda est vitanda, et cur, 9.

Vellus. Cum sit de corpore, nescit corporis passiones, 113. Ex vellere Agni Christi quid factum sit, 31, 22. Vellus ovium Christi, 40.

Velle et non posse, est humanæ infirmitatis, 100. Velle virtutis, acquiescere necessitatis est, 110. Mors subjecta volenti, dominatur nolenti.

Vendere. Deus regnum vendit fragmento panis, 41. Peccator non accepto, sed dato pretio miseræ se vendit servituti, *Vid.* Emptio.

Venia. Fidenter petitur a peccatore, qui peccanti libenter ignoscit, 68, 72. Alias minime, 71. Veniam habens in pectore, crimina non timet, 72. Tanta venia quanta injuria Domini, 80. Arguitur ex dignatione Christi exhibita aliis peccatoribus, 93. Peccatorum datur solo amore in Deum, 94. Tegit hominem, 99. Repromittitur converso per Evangelium, 125. Christus venia gestit præire judicium. Venia vincta locus veniæ non relinquitur, 127. Fratri data nostrum redundat ad præmium, 139. Bona semper, sed dulcissima cum debetur. Utile veniam sibi providere ante delictum. Quare lege constringatur. Venia relinquitur arbitrio sacerdotis, pœnitenti danda, 139. Septimus numerus veniæ deputatus. Illam non sperat, qui de correctione nil cogitat, 158. Aperuit oculos, quos clauserat culpa, 176. *Vid.* Misericordia, Pietas, Indulgentia, Remissio, Pœnitentia.

Venire. Cur venerit ad nos Deus, *late*, 30. Venit ad timorem, qui vult vitam, 62.

Venter oneratus ad vitia cor deponit, premit mentem, ne supernam valeat sentire pietatem, 2. Vacuandus jejunio. *Vid.* Crapula. Venter accipitur pro internis cordis, 68. Ex utero materno effundimur ad præsentem vitam, 135.

Ventus. *Vid.* Elementa.

Ver. Flatus veris tota facit germina florere camporum,

8. Est tempus quo miles procedit ad campum. Christianus recurrit ad Dei jejunia, 13.

Verbum Dei in Quadragesima audiendum, 12. Omnia Dei verbo facta sunt, 15. Aliud loquendi, aliud faciendi, 15. In eo sunt omnes virtutes. Dimissum a Chrysologo ob nimium calorem, 51. Dicitur ovum, 55. *Vid.* Sermo. Est in potestate dantis, non dicentis, 86. Dominatur, non servit, 86. Obscure prolatum ingenti acuit nostram intelligentiam, 96. In Verbo Dei divinus sensus celatur, cur, 99. Quam varie variis explicandum, 112. Verbo Dei sanatur homo ægrotus, 112. Qui illud sua interpretatione corrumpunt, increpantur a Paulo, 113. Ex eo male interpretato concipiuntur suffragia criminum. Debito auditu capitur, dum vires animorum sunt reparatæ, 122. Quare super, non ad Joannem, 137. Cur attendendum, 139. Dat infantiæ vagitum, 144. Divina verba modis non pensanda humanis, 146. Si præter dogma fidei auditur, fit perditionis occasio, 156. Contrarium imperitis, et quomodo, 164. Ut audiendum, 173. Dei verbum vivit in Verbo Dei, 13. *Vid.* Scriptura, Evangelium, Lex, Trinitas, Divina. Doctor, Concionator.

Verbum obscurum collatione verbi ac sensus resplendet, 96. Verbum super vocem, 137. Verbum judicat, vox prætonat. Corda, non verba judicat Deus, 142.

Veritas interdum dicitur a pessimo invito ob Dei impulsum, 49. Violatur a pecunia, 126. Amara auget odium, 135. A sola falsitate impugnatur, 169. Nescit tumorem, 172. Cum veritate Christum manducamus, cur. Veraci sensu licet malevolo dici potest aliquid, 173. Veritas relationis. *Vid.* Relatio. Verum non invenitur ab animo judice inter falsitatum nuntia, 131.

Vermes carnifices corporis humani, 118. Cadaver in limo nescit vermes, 121.

Vespere est cum finitur dies sæculi, 18. Sero quando fit, 21. Sæculi finis non inchoat diem; sed mutat ordinem, dum agnoscit auctorem, 74, 75. Lucescit fidelibus; infidelibus tenebrescit resurgente Christo, 75. Lucescit, quod solet esse noctis principium, 77. Vesper Judaicæ doctrinæ, 86.

Vestimentum corporis mortificati induendum, 73. Angeli vestimentum nostram formam præfigurat in resurrectione, 77. Terrena indumenta splendent novitate, vetustate sordescunt, 82. Cœlestia vetustate non fœdantur. Numquid per se damnanda? 121. Vestitur quis artificiosa nuditate, 122. Lazari et epulonis. 124. Tunicas carcerans in damnum pauperis frigore consumitur, 137. Vestimenti Lilii gloria, 163. Quid vestimento minus? Nobis præstatur a Deo. Dabit vestimentum Deus servientibus se, 170. Asperum mollitiem carnis calcat, 13. Indumentum carnis sumitur a Verbo, 117. *Vid.* Pannus.

Vetustas non est in creatis rebus quæ perseverant sicut natæ vel factæ sunt, 101. Vetustas perit tempori, non creatura suo Creatori.

Vexillum fidei erectum ad salutem quid faciat, 110. Crucis. *Vid.* Crux.

Via peccatorum, non vitæ carpitur ab homine, vel ex utero, 44. Est lata et spatiosa, quæ ducit ad mortem. Via est vita præsens, in quam venit et vadit homo. Omnes in viam peccatorum venimus: in ea stat, qui permanet in peccatis. Viam pertransit, qui mala patiens vicit. Cur viis peccatorum præmissum impietatis consilium, 44. Quomodo gravius in via peccatorum labitur homo. Via paradisi inflammata temperatur aqua lateris Christi, 123. Per se molesta semper fit, molestior per timorem, 150. Quomodo, et cur Christus generatur in via, 175. Triviæ peccatorum, 89.

Viator fatigatur, quia credit ad destinata pervenire, 71. Sitim penitus non exstinguit poculo aquæ frigidæ, 112. Viator Christo invento petit cœlum, 175. Viaticum vitæ ecclesiasticæ est jejunium, 8. Viator cantilena calles arduos transcendit, 10. Cur vigilat, 24. *Vid* Peregrinus.

Vicarius Domini in terrenis est homo, 148.

Victima. *Vid.* Hostia.

Victoria. Melius est sæpe de hostibus suo regi referre victoriam, quam semel pro illo mori, 128. Gloriosa, si in aperto hostis vincatur, 150. Secreta exemplum posteris non relinquit. Cupidus victoriæ timere nescit, 22. Victoria multorum de gentibus reportata, qui victi sunt a vitiis, 41.

Videre Christum qui quærit, cœlum intueatur, 54. Quantum alteri videt homo, videbit alter ipsi, 139. Multa ne studeas videre, ut te ipsum videas. Videt nihil, qui totum existimat videre, 164.

Viduæ filius quando resuscitatus, 63. Omnibus stupor fuit, 103. Ad lacrymas viduæ suscitatus filius, *descriptive.*

Vigilare debet homo pro salute propria, 21. In nocte ut gallus. In die ter. Et Dominum excitare, ut procella fugiat. Pro beatitudine vigilandum, 22. Plus vigilare, plus vivere est, 24. Vigiliæ ad omnia salutares. Optimum media nocte vigilare ad orandum Dominum, 39. Diluculo vigilandum. Qui vigilat factum videt, 97. Vigilat bonus Pastor pro ovibus suis, 173.

Vigiliæ. Tres tantum vigilias novit exspectatio Trinitatis, et quas, 24. Militum, 27. Christianorum quæ. Semper salutares, 24. In oratione utiles. Vigiliæ Chrysologi, 74. Vigilare in nocte jubemur ad orandum Dominum, 31.

Vilia cur non sint a Deo petenda, 132.

Villa diaboli quæ sit, 2.

Villicus Christi est homo positus ad colendum mundum, 125. Idem villicus et filius appellatur ex diversitate causarum. Dissipavit substantiam et bona. Ut rationem reddat villicationis. Erubescit mendicare. Villicum se quisque agnoscat, non dominum: ministrum temporalem, non perpetuum possessorem. Qui villicationis amittit tempus, non pervenit ad statutum vitæ terminum. Vocatus ad rationes quid agere debeat, *mystice.* Cur laudatur de iniquitate, *late*, 126. Non fraudem, sed pœnitentiam suadet Judæo. Quando optet Dominum ad suum lucrum venire, 158.

Vincula peccatorum solverat Joannes, et vinculis peccatoris alligatur, cur, 127.

Vindicta antiquorum Judæorum, 38. Ad totam domum pertendit, in qua fuerit Dominator scelere servorum occisus, 78. Non sumenda de fratre lædente, sed parcendum, 139. Vindictam differre, est evadere crimen, 145. *Vid.* Ultio.

Vinum novum Evangelii mittitur in utres novos, qui sunt Christiani, 31. Quid mali fecerit, 41. Febrientium vires enervat, non reparat, 60. Parit ebrietatem et vitia, 88. Vinum non est ebrietas, sed per illud cognoscitur ipsa, 116. Ex aqua factum a Christo fuit ostensio Deitatis, 157. Cur ex aqua factum vinum, 160. Vina mutantur in cœnis divitum, 161. Vinum quod cum mensura emitur, et sine mensura bibitur, quid pariat, 174. *Vid.* Ebrietas. Vinum appositum mortuis. *Vid.* Cibus.

Vipera. Quomodo homines peccatores sint germina viperarum, 137. Soboles ingrata naturæ oritur morte genitorum. Viperæ conceptus et parentum mors describitur. Vipera fuit Synagoga cum filiis erga Christum.

Vir resurgit in Christo, 80. Quantum præcellit Dominus angelum, tantum vir mulierem præcedit in honore. Est in capite Christi; mulier in pedibus, 80. Eum sequitur mulier. Per virum et feminam mundi causa finitur, 99. Virum foris exspectat labor. Quomodo mulier reddat virum, *mystice*, 142.

Vires animi cum sunt reparatæ, debito modo sermo auditur, 122. Vires febrientium enervantur a vino, 60.

Virga portatura fructum humani generis Maria est, cui metus fugatur ab angelo, ne frangatur, 142.

Virginitas. Nescit recusare partum suo Creatori, 84. Præmittitur a Deo conceptus sterilis, ut partus Virginis credatur, 87. Virginis conceptus, et partus ignotus. Grave est virginitate carere, et filiis, 92. Laboribus continentiæ comparatur, 98. Liliis comparata. Parit Filium Dei, 142. Quod Virgo pariat, secretum est non discutiendum, sed credendum, 143. Virginitas semper cognata angelis, et major illis, cur. Cum sit in carne, vitia carnis ignorat. Sicuti vellus est. Corruptionis nescia contulit honorem Mariæ, 153. Ejus amore quid fecerit Joannes, 174. *Vid.* Maria virgo.

Virtus pœna facientis de virtute vitium, 7. Est in dextera parte, 9. De dæmone triumphat, 16. Cingulum ejus deponens, nescit vincere vitia corporis, 22. Ut coruscat multiplici in lumine. 22. Illustratur libertate, 31. Eam horret peccator, 38. De necessitate fit virtus, 42. Omnes virtutes sine misericordia vacillant. Christianæ virtutes virescunt in pacifico, 53. Austera et fortia sunt amica virtutibus, 74. Creata nobis a Deo stant media inter vitia et virtutes, 89. Bonorum virtutibus mali opprimuntur. Virtus reddit pares, impares quos dedit natura. Ejus mansiones asperæ. Probat libertatem, 101. Virtutum viscera immolanda Deo, ut artes vitiorum moriantur, 108. Et quomodo id fiat. Perfectæ virtutis est, quod in re non teneas spei robore possidere, 110. Iter arduum virtutum ab homine sit amplectendum, 113. Virtutes expellant vitia, et quæ. Virtuti det tantum homo quantum dedit vitiis, 114. Cœpit homo velle virtutes; sed non attigit, 116. Est ardua. Deficiunt virtutes, dum coluntur. Per Deum in humana mente, ac sensibus dominantur. Ejus præmium accipimus in cœlestibus, 119. Virtutes sanctorum. *Vid.* Sancti. Virtutum magnitudinem perdit criminum magnitudo, 127. Virtus contraria vitiosis. Virtus pro rege mori in acie; sed perfectior consummare certamina, 138. Afflictio est, virtutes, quasi vitia, cavere, 132. Virtutes cum leguntur, animos erigunt ad profectum, 150. Virtus latens posteris exemplum non relinquit. Singularis est, hostem proprio turbare mucrone. 157. Vera est scientia, quæ est mixta virtuti, 167. De necessitate acquirenda. Virtutes proditæ non manebunt, 7. Bellum virtutum et vitiorum est jejunium quadragesimale, 15.

Virtus ubi sanat, ibi languor vestigium non relinquit, 18. In virtutibus currendum, 91. Ubi virtus sociatur virtuti, nullus restat infirmitati locus, 57.

Virtutes supernæ. Cæteros regunt, sed illæ a Christo reguntur, 46. Virtutes sanctorum imitandæ, 129.

Vis facta Christo a fide gentium, 100.

Visa non cernere, cruciatus est, 132. Chrysologo concussa ex impietate Herodis in Joannem, 127. Humana testantur quid valeat infantia, 158.

Visibile facit cognoscere invisibile, 47.

Visio. Visus arboris decepit mulierem, visio sepulcri reparavit, 74. Ejus sinceritas in cognoscenda nativitate Christi, 140. Visio Dei in cœlo. *Vid.* Gloria, Aspectus, Oculi.

Vita nostra mortalis dicitur, et cur, 1. Miser, vivens porcis, cum non possit convivere illis. Cum parentibus et propinquis vivendum. Vita hominis incerta, 10. Vera est impassibilis, et æterna, 11. Viam vitæ non carpit homo, sed peccatorum, 44. Vita præsens est via. *Vid.* Via. Præsens vita gratior paralytico, quam futura, 50. Morte moriente succedit æterna vita, 58. Fide quærenda, 63. Æterna secundam mortem non habet, 83. Est lubrica vita, et in ea lapsus, 89. Rediit omnibus per Mariam, 99. Temporalis vita fit sempiterna per mortem. 101. Non potest mori, qui vitali occiditur gladio, 108. Vita ab alio, quam a se vivificari non potest, 110. Vita mori non potest. Restituta nobis per Deum. Qui vita vivit, Christo, non sibi debet, 111. Vita hominis brevis ad intelligentiam humanarum divinarumque rerum, 112. Reddita per Christum. In novitate vitæ quomodo ambulandum, 113. Christi resurgentis imitanda vita. Futura derelinquitur ab homine, 114. Hominis passionibus conturbata, 115. Conversa in lethale gladium a peccato, 116. A Christo occiso reparata. Quæ ad vitam perpetuam nos transmittunt, longo sermone tractentur, 117. Parum est, quod sufficit vitæ, 122. Quomodo sit ludus præsens vita, 124. Ad vitæ statutum terminum non pervenit, qui villicationis amittit tempus, 125. In periculo vitæ convertendum ad pœnitentiam. Præsentem vitam pro Domino contemnere summum lucrum, 128. Vitam redonat Christus et æternam, 131. Vita redeunte mors non erit, 139. Ad vitam redit homo iisdem cursibus, quibus dilapsus fuerat ad mortem, 142. Vita cœlestis est, in carne præter carnem vivere, 143. Beatus, qui vitæ custos est, et provisor salutis alienæ, 155. Vitæ materia quando fiat perditionis occasio, 156. Causa mortis per Christum facta est causa vitæ, 157. Vita interire non potest, 158. Præsens somno similis, 159. Vitæ subsidia non desunt cum Deo commorantibus, 166. Cum vita chara, nulla cura est dura, 167. Vita oritur nutu Dei, 176. Vita corporis est anima; animæ vero est Deus, 19 In hac vita sumus peregrini, et dolet esse miserum, quid fiet in alia? 22.

Vitis arbori infecundæ subjecta recipit mortiferam umbram, 106.

Vitium. Moritur virtutibus, qui vivit vitiis, 1. Esurientes vitia plus delinquunt, 2. Vitiorum pars in sinistra, 9. Non obsequendum vitiis, quasi concreatis naturæ, 11. Contra vitia sumenda sunt arma. Diabolo victo vitia nil valent. Jejunio vincuntur, 12. Bellum illis in Quadragesima indicendum, et quomodo, 13. Vitiorum strepitus in aula cordis nostri, 15. Vitia dant potestatem dæmonibus nocendi, 16. Vitiis cibatur dæmon, 17. Vincuntur virtutibus, 22. Vitium secandum, non membrum, 27. Tegitur dolis, 31. Superanda vitia virtutibus, 38. Vitia captivarunt victores gentium, 41. Vitia ætatum hominis, 42. Vitia præterire grave est peccatoribus, 66. Illis blandimenta serviunt, 74. Orandum ut vitiis moriamur, 82. Creata a Deo stant media inter vitia et virtutes, 89. Per vitiorum gurgites quis impollutus incedit? 89. Artes vitiorum toties moriuntur, quoties Deo immolantur viscera virtutum, 108. Corrumpunt vitia corpus, 109. In virtutes commutanda, 113. Obsecundare vitiis, est vivere peccato. Vitia non nosse felicitatis est, nosse periculi: vicisse virtutis, 116. Sunt corpori humano, ut ignis aridæ segeti. Securius separatione vincuntur. Gignunt incendium ardens robur humanum. Data lege cœpit homo non detestari, sed sequi vitia, etc., 116. Dum vitia succiduntur, increscunt. Cessent vitia, ut imago Creatoris portetur a nobis, 117. Habent pestiferum pruritum. Vitiorum membra, 120. Sanie vitiorum humana corrumpitur fragilitas, 167. Quot vitia rapiant humanos sensus, 171. Illuc vitia redire nequeunt, ubi Christus commoratur, 171. Vitia omnia ad suorum intendunt læsionem, 172. Vitiis nos obsidet dæmon, 71. *Vid.* Crimen, Error, Peccatum, Delictum.

Vitulus moritur pro filio, et totam saginat familiam, 3. Est Christus pro nobis occisus, et quotidie immolatus, 5.

Vivere in verbo Dei, ut vivamus, 13. Peccatis mortui vivunt in Christo, 36. Post mortem credit vivere eleemosynarius, 54. Vivunt Deo per Christum, qui per Adam mortui erant inferno, 65. Vivere peccato qui dicantur, 113. Vivere semper delectat, 118. Vixit sine causa, qui credidit se natum solum, ut periret. 118. Vivit Deo semper, qui nescit sibi vivere in mundo, 124. Semper vivit pœnæ, qui semel moritur vitæ. Vivit æterne omnis, qui renascitur de generatione vitali, 131. Vivit homo unus in multis, et ex multis quomodo, 132. Aliud est vivere otio et securitati suæ; aliud pro omnibus ferre labores, 166. Inter feminas vivere, non securum est, 174. Homo vivit semper cœlesti verbo, pane non semper, 11.

Vocatio. Vocari pertinet ad gratiam, esse ad naturam, 2. Vocatio Christiana bonos malosque congregat; sed electio divina discernit, 47. Vocat Deus populum per ora sacerdotum, 62. Divina vocatio est ad omnes absque discretione personarum. 99. Christiana virum non separat a muliere. Ad Deum non imus, nisi vocati, 102. Deus vocat Judæos et gentes, 105. Dei vocatio est, quod suo obediamus Evangelio, 114. Vocatio nostra facta a Christo per Evangelium, 125. Ad reddendas rationes vocatio dicitur amara. Quid agendum, cum ad id vocamur. Vocatio duorum populorum figurata in duobus nuntiis Christi, 170. Vocantis dono curantur peccatores, 176.

Voluntas prima in nobis bona, malave reportat a Deo, 5. Voluntas, non necessitas facit peccatum, 92. Quæ non est libera et absoluta succumbit necessitati, 100. Voluntate, non nece placatur Deus, 108. In adversis necessitas non potest voluntati comparari, 110. Peccandi voluntas non tollitur timore hominum, 127. Voluntas ardens vocatur charitas, 135. Qui de voluntate meritum non quæsivit, acquirat vel de necessitate virtutem, 167. Nostra ut constringatur a Deo, orandum, 67. Quomodo in familia fit una. Est fida pax, 68. Voluntas nostrorum inimicorum fit sæpe in terra, 70. Dei in cœlo. Cum Dei fit voluntas, quid sit, 72. *Vid.* Oratio Dominica, Velle, Arbitrium.

Voluptas nescit expleri, 2. Voluptas et desperatio sociæ sunt, 5. Exigua voluptas divitiarum ignem succendit, 47. Ex ea nascitur crudelitas, 127. Cum voluptatibus suis viveret homo, Deus non negavit victus necessaria, 170. *Vid.* Divitiæ, Luxuria.

Vox bajula fidei, 62. Oranda concionatori a populo ut possint audire sermonem, 86. Eam Zacharias amittit, cum vocem percipit, 88. Nascitur ex silentio, *mystice*, 92. Vox unius tantum interdum nil valet, 121. Quomodo vox præcedit, non præcellit Verbum, 137. Verbum judicat, vox prætonat. Quomodo vox Domini super aquas, 160. Occidi non potest; sed magis clamat angustiis corporis absoluta, 174. Vox ad tempus amittitur, 90.

Vulgaria non ignorantur ab eo qui docet profunda, 15. Cur vulgares Christi parabolæ, 99.

Vulgus indocilis intrans naufragia scientiarum mergitur, et Christus illum deserit, 19. Aura vulgi deseritur a justis, qui virtutibus student, 21.

Vulnus. Dominus de vulnere curat infirmantem, 90. Vulnus hominis internum aperitur a lege, sanatur a Christo, 112. Hominis ampliatum a lege. Ubi dilatatum est, supereffusa est sanitas. Medicina adhibita pro magnitudine vulneris, 113. In eo non permanendum. Tot ora pauperis quot vulnera, 121. Vulnus totius corporis Lazari erat lorica, 124.

Vulpis describitur, 19. Est similis Herodi.

Z

Zachæus. Ex humanitate illius ac fide provehimur ad gaudium, 54. Princeps publicanorum, et alia de eo.

Zacharias. Dum exorat obmutuit, licet fuerit genitor clamoris, 86. Nutu imperat, ne quis ejus silentii causas inquirat. Propheta populis, tacet sibi. Recepit verbum a filio. Tacens consolatur Chrysologum. Sanctus inter impios. Ejus meritum, et vita superavit iniquitatem temporis. Exorat ut populus intromittatur in templum. Turbatur et tacet. Silentium ejus vis jubentis. Erat templum Dei, 87. Offerebat incensum supplicationis. Videt angelum a dextris. Turbatur, 88. Tempore placationis offendit, et quomodo. Antistes pro communi salute orat, 88. Laudatur, 89. Ab Herode non fuit læsus in sacerdotio. Erat in sancto conjugio. Incedebat in omnibus mandatis et justificationibus, 89. In eo amputata causatio lamentandi. Castigatus perfidia, et cur, 90. Orat Deum pro humana salute. Cur Deus permittat filium ex sterili senectute, 90. Ex quibus dubitaverit. Expositio verborum: *Unde hoc sciam*, etc. Peccavit venialiter non credendo. Ex se et in se habuit credendi regulam. Egrediens de templo gestabat in ore sterilitatis indicium, et in pectore conceptionis figuram. In eo cœlestis thesaurus latet, 91. Explicantur verba: *Erant ambo justi.* Tacet pœna, 92. Ex silentio ejus vox nascitur. Cur dum interrogat incurrit, et Maria virgo non, 14. *Vid.* Elisabeth.

Zelus. Consuetus disjungere junxit Pharisæos ac discipulos Joannis, 31. *Vid.* Invidia.

Zizania. De zizaniis *per tot.* 96. 97.

INDEX RERUM ET MATERIARUM

IN HOMILIAS SANCTI VALERIANI ET THEOPHILI RAYNAUDI APOLOGIAM.

Numeri in hoc indice paginationem indicantes respondent numeris in textu crassiori charactere.

A

Abraham filium suum offert, 25.

Africa videtur esse patria Massiliensium erroris, 50, *n.* 18.

S. Ambrosii sententia de martyribus, 40. Sentit in materia de gratia et libero arbitrio cum Valeriano, 70, *n.* 8; 76, *n.* 19.

Amicitiam colere quid sit? 15.

Ananias et Saphira fraudulenter agentes graviter puniuntur, 6.

Animalia docent nos servare ordinem disciplinæ, 2. B.

Annianum fuisse illum, qui Valerianus noster, criminatur Parcus charitatis, 36.

S. Anselmi de gratia et libero arbitrio sententia, 154.

Arausicanum concilium habitum anno 529, 41, *n.* 1. Damnat errorem Cassiani, 49, *n.* 15.

Arbitrium liberum molestias levat, quas coactio gravat, 5. Qui voluntarie servit, non est famulus Dei, sed filius, 5. Voluntarius famulatus non ad servitium, sed ad officium pertinet, 5. Voluntariæ et coactæ servitutis discrimen, *ibid.* Arbitrium liberum quomodo defendat S. Chrysostomus, 61. Et S. Bernardus, *ibid.*

Avaritia multa agit, ne audiat voces pauperum, 13, 14. Omnium malorum fons est, 27. *Vid.* Cupiditas.

S. Augustini sententia de auxilio gratiæ et viribus naturæ, 39, *n.* 6. Consentit nostro Valeriano in eadem materia, 73, *n.* 14.

B

Baptismus. Per baptismum acquisivimus libertatem, 5.

Baronii conjectura de Valeriano nostro, 36.

S. Basilius sentit in materia de gratia et libero arbitrio cum Valeriano nostro, 70, *n.* 6.

S. Bassus M. Nicæensis, 35.

Beda eadem docet in materia de gratia, etc., quæ Valerianus noster, 75, *n.* 16.

S. Bernardi sententia de auxilio gratiæ et viribus naturæ, 39, *n.* 6. Non est contrarius nostro Valeriano, 76, *n.* 20.

Bona temporalia, mala nostra sunt, 3. Non sunt in manu nostra, 16.

C

Carnis desideria qui vincit, faciliter vincit tormenta carnificis, 23.

Cassianus ut ut cum Semi-Pelagianistis senserit, semper tamen magno in honore habitus est, 41, *n.* 2; 42, *n.* 7. Cur Semi-Pelagianis accenseatur? 49, *n.* 16.

Celedensis Ecclesia in Syria fuit, 37.

Cella, *Cemelinum*, vel *Cemelium* urbs hodie diruta, sedes S. Valeriani, 34. Cemeliensis episcopus post tempora S. Leonis idem fuit ac Nicæensis, 34.

Christus sit hæres noster, 7. Non longe a nobis quærendus est, 10. Sibi factum reputat, quidquid in pauperes erogavimus, 14. Christo placere qui vult, sæculo prius displiceat, 24.

S. Joan. *Chrysostomus* quid sentiat de auxilio gratiæ et viribus naturæ, 39, *n.* 6. Concordat super hac materia cum Valeriano nostro, 71, *n.* 9. Illum Pelagiani pro sua opinione fuse citant, 72.

Coactio labores aggravat, 5.

Cœlestini Rom. pontificis auctoritas interponitur Semi-Pelagianistarum erroribus, 50, *n.* 18.

Conscientia bona tantum soli prodest, non item aliis, 3. *Vid.* Fama. Male creditur cupidis, 29.

Contemptus mundi necessarius est ad veram conversionem, 25. Item illi, cui animus est cœlestia possidere, 4.

Conversio vera in quo consistat, 2.

Conviviorum luxus castigandus, 27.

Crimen non evasit, qui in judicio sæculari absolutus fuit, 2.

Crudelitatis nomen imponitur disciplinæ, 1. Impedit ab itinere ad cœlum, 4.

Cultus corporis animæ nocet; 29.

Cupiditas nimis impedit iter ad cœlum, 4. Principatum sibi vindicat inter cætera vitia, 9. Oculos valde infestat, 25. Illius effectus recensentur, 22, 27, 28, 29. Ea sublata omnibus vitiis occurritur, 27.

S. Cypriani sententia de martyribus, 40, *n.* 8.

S. Cyrillus Hierosolymitanus sentit in materia de gratia et libero arbitrio cum Valeriano nostro, 90, *n.* 5.

D

S. Joan. *Damascenus* non dissentit in materia de gratia et libero arbitrio a Valeriano nostro, 75, *n.* 17.

Deliciosis non patet virtutis janua, 4.

Desperatio nihil arduum in se suscipit, 1, 5.

Deus cur lamenta nostra aliquando non exaudiat, 6. Ubi sit? 16. Mirabilia operatur per Sanctos, 23. B. Dei auxilium quam necessarium? 16. Ejus servi sumus, 16. Eum videt, qui opera misericordiæ exercet, 2.

Diabolus fur est, 11.

Dilectionis gradus enumerantur, 17. Diligere amantem minoris fructus est, 17. Dilectio inimicorum suadetur, 17. Diligit se ipsum, qui inimicum diligit, 19. Quid sit inimi cum diligere, *ibid.* Hujus dilectionis gradus, *ibid.*

Diligentia naturam vincit, 24.

Disciplina quid et quantum bonum sit, 1. Hanc omnium primo fecit Deus, *ibid.* Cuncta vitia e medio tollit, *ibid.* Non numquam crudelitas vocatur, 1. Quos ad disciplinam hortari debemus sub lege non vixerunt, 2. Eam spernens hostis est animæ suæ, 2. Perversis dura, honestis vero dulcis est, 2. Necessaria est vitiosis, ut pateat janua cœlestis, 3.

Divitiæ incitant ad superbiam, 28.

Domestici nostri qui sint, 11.

S. Dorotheus idem sentit in puncto gratiæ et liberi arbitrii ac Valerianus, 74, *n.* 16.

E

Ebrietas humanum corpus gravans impedit iter ad cœlum, 4. Principatum sibi vindicat inter cætera vitia, 9 Carpitur, 27.

Eleemosynæ necessitas, 22.

Elementa omnia disciplinæ serviunt, 1.

Error communis et vulgatus quam gravis sit, 42, *n.* 8.

Eucherii lucubrationes laudantur ab Hilario Arelatensi, 33. Cognatus fuit S. Valeriani, 35.

Eucherius Lugdunensis concordat cum Valeriano nostro variis in locis, 74, *n.* 15.

Exsultare in Domino quid sit? 15.

F

Fama. Bonam famam negligere non debemus, 3.

Faustus Rhegiensis quantumvis Semi-Pelagiasnimi erroribus infectus, magno tamen in pretio habitus, 41, *n.* 2; 42, *n.* 7.

Fides. In fide consistit spes vincendi omnes difficultates, 23.

S. Fulgentii sententia de auxilio gratiæ, etc., 39, *n.* 6.

G

Garatius Joannes quid in S. Valeriani homiliis carpserit, 40.

Genua urbs Semi-Pelagianorum erroribus imbuta, 50, *n.* 18.

Gloriari in quo possimus, 10, 17. Quando oporteat, 16.

Gottescalcus monachus Suessionensis creditur auctor esse Prædestinatorum, 44, *n.* 4.

Gradus ad paradisum qui sint? 25.

Gratia volentes tantum salvat, 56, *n.* 3. Illam in nobis fieri per creationem contendebant antiqui scholastici, 52.

S. Gregorius Naz. in materia de gratia et libero arbitrio ejusdem sententiæ est cum Valeriano nostro, 70, *n.* 7.

S. Gregorius Nyssen. in eadem materia sentit cum Valeriano nostro, 70, *n.* 6.

S. Gregorius M. itidem, 75, *n.* 16.

Guilielmi Parisiensis perelegans doctrina de spiritualibus nuptiis, 55, *n.* 3.

Gulæ desideria castiget, qui Christo placere disponit, 27. *Vid.* Ebrietas. Effectus gulæ recensentur, 27.

H

Hæretici quinam sint, 41, *n.* 1. Eis non in omnibus contradicendum, 55, *n.* 1. Per umbram sanctitatis simplicibus fucum faciunt, 78, *n.* 2. Probitatis et sanctimoniæ simii sunt, *ibid.*

Hierocles gentilis electionem bonorum in bonis esse, perfectionem autem eorum a Deo esse affirmat, 38, *n.* 5.
S. Hieronymi cum Valeriano consensus in materia de gratia et libero arbitrio demonstratur, 72, *n.* 13.
Hilarius Arelatensis laudat Eucherii lucubrationes, 33.
Hilarius qualis ille fuerit, qui Semi-Pelagianos ad Augustinum detulit? 43, *n.* 2. Resolvitur, fuisse Hilarius Narbonensis episcopus, 44. Ejus querelæ adversus Massilienses, 45, *n.* 7.
S. Hilarius Latinæ eloquentiæ Rhodanus sentit cum Valeriano nostro, 69.
S. Hildegardis agnoscit Dei esse perficere bona opera, quæ nos voluerimus, sicut Valerianus noster, 77, *n.* 21.
Hostiam immaculatam exhibet, qui Domino fideliter servit, 5.
Hugo Victorinus similia docet de gratia et libero arbitrio quæ Valerianus, 76, *n.* 20.
Humilitatis utilitas exponitur, 20. Humilitas sancta quænam sit, 20. Illius effectus, 21. Ejus laudes, 27. Humillimus etiam arrogantia movetur, 28.

I

Ignorantia in rebus ad salutem non datur, 3.
S. Ildephonsus conformis est Valeriano nostro in materia de gratia et libero arbitrio, 75, *n.* 16.
Indicium sæculare quomodo contemni possit, 2.

J

Justificationem nostram ex Deo esse, non tamen sine nostra voluntate pulchre ex S. Augustino probatur, 60.
Justitia nostra ex Deo est, 10. Conjunctam habeat bonitatem, 18.

L

Labor omnia exsuperat, 4. Est spes obtinendæ gloriæ, *ibid.* Etiam otiosis accrescit, *ibid.* Labor noster requiritur ad acquirendam gratiam, 57, *n.* 5. *Id per totum cap.* 6. Pulchra similitudine explanat S. Ephrem, 61. Egregio textu S. Augustinus, 62, *n.* 7. S. Macarius, 58. Laborare nos vult Deus, ut nostra quoque sit victoria, 63.
S. Laurentius Justinianus libero arbitrio et gratiæ tantum tribuit, quantum Valerianus noster, 77, *n.* 21.
Lerinense monasterium plana magnorum montium altrix, 35, *n.* 6.
Lex Christiana amara est dulcis, 18. Legem Christi qui impleat, 19.
Libertas. Omnis homo ad libertatem vocatus, 5.
Lingua indisciplinata multum impedit viam vitæ, 4. A. ejus insolentia describitur, 7. Remedia præscribuntur, 7. Ejus vulnera sunt insanabilia, 8, 40. Silentio frenanda, 8, 25. Quinam loquantur, quive taceant, 8. De otiosis verbis reddenda est ratio, *ibid. et* 9. Otiosum verbum quid sit? *ibid.*
Lugdunensis Ecclesia, quid de auxilio gratiæ et viribus naturæ senserit, 39, *n.* 6. Ejusdem Ecclesiæ opinio de auctore Prædestinatorum, 44, *n.* 4.
Luxuria impedit iter ad cœlum, 4.

M

S. Macarius Ægyptius sentit cum Valeriano nostro in materia de gratia, 69, *n.* 3. Illius egregia prorsus similitudo, quomodo homo peccato mortuus bonum agere possit, 58.
Machabæorum mater laudatur, 25. Eorum pugna describitur, 25.
Manus abscindere quid sit? 10.
Marcus Eremita concors est doctrinæ Valeriani nostri, 75, *n.* 17.
Martyrium ingens bonum, 21, 22, 24, 40. Subire possumus superatis vitiis, 22. Martyrii corona paucis debetur, 24. Martyrum reliquiæ a longinquis terris requiruntur, 24. Eorum corpora in summo honore habita, 24.
Massiliæ præprimis ortæ sunt scintillæ Semi-Pelagianismi, 44, *n.* 3.
Mater quænam vere amet filios suos? 26.
Maxentii Joan. dogma de auxilio gratiæ et viribus naturæ, 39, *n.* 6.
Medicus quem æger decipit difficulter sanat, 6.
Mendacia jocosa lædunt animam et injuria proximum afficiunt, 9. Magnum quandoque excitant incendium. *Ibid.* Remedium contra illa, 10.
Mendicitatis pars est pecunias in secreto possidere, 12.
Miserentis est Dei, quid sit, seu splendida interpretatio S. Joan. Chrysostomi in illa verba S. Pauli : *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, 76, *n.* 7.
Misericordia opus est, ut nobis pateat regnum cœleste, 10, 76. Ejus gradus sunt varii, 11. Multiplices fructus recipit, 12. Non respicit personam, 12. Sit spontanea, *ibid.* Sæpius exercenda, 13. *Vid.* Pauper.
Molanus Joan. primus expunxit Faustum Rhegiensem ex Martyrologio Gallicano, 41, *n.* 2.
Mors sanctorum pretiosissima, 21.
Muto os aperire quid sit? 33.

N

Naufragium patitur qui pondere et mensura utitur iniqua, 29.
Navigationes amore lucri suscipiuntur, 28.
Negligens omnibus periculis subjacet, 27.
Nuptiæ spirituales in quo consistant, 53, *n.* 3.

O

Oculos eruere quid sit? 10.
Odia multis criminibus incusantur, 17. Quomodo vitari queant? 18.
S. Optatus Milevitanus sentit in materia de gratia et libero arbitrio cum Valeriano nostro, 70, *n.* 4.
Origenes in materia de occursu gratiæ et voluntatis sensit cum Valeriano nostro, 68, *n.* 2.
Osculari manum suam quid sit? 66, *n.* 4.
Otiosa verba, *vid.* Lingua.
Otiosis non dantur præmia, 4.

P

Parasitorum mores describuntur, 15.
Parcus charitatis quis sit? 33. Ejus allucinationes in S. Valerianum, 35, *n.* 7. Ejus argumenta, queis evincere conatur S. Valerianum fuisse Semi-Pelagianistam, 37, *n.* 2.
Patientia quibusdam ignavia vocatur, 17.
SS. Patres non omnia ubivis dicunt, 77, *n.* 21. Sanctitatis titulo gaudent, etiams pravis nonnumquam dogmatibus adhæserint, 78, *n.* 3. Ad eorum definitiones in dubio confugiendum, 68, *n.* 1. *Aliquorum speciosa encomia recensentur in Apologia Raynaudi toto capite nono.*
Pauperes etiam tenentur erogare eleemosynam, 14. Illis statim benefaciendum, 7, 14. *Vid.* Misericordia.
Peccator quomodo bonum agere possit egregia similitudine declaratur ex B. Macario, 58.
Pecuniæ quomodo comitentur mortuos avaros et misericordes? 29. *Vid.* Cupiditas.
Pelagius gratiam sanctificantem aperte non sustulit. 51, *n.* 20. Ejus scripta recensentur, 55, *n.* 2.
Semi-Pelagianismus in quo consistat, 43, *n.* 2; 46, *n.* 8. Summa hujus erroris, 49, *n.* 17. Cur Massilienses dicti? 50, *n.* 18. Quæ falso Semi-Pelagianis affingantur? 57, *n.* 20.
Perficere, seu Perfectio in quo consistat, 62, *n.* 8.
Perfidia semper clausam creditorum januam invenit, 5. Pœnas luit, si frequenter judici illuserit, 6.
Perseverantiæ donum est gratia Dei, nec viribus nostris obtinetur, 67, *n.* 6.
Philo quid de auxilio gratiæ senserit, 38, *n.* 5.
Philotheus Constantinopol. in materia de gratia et libero arbitrio tuetur sententiam Valeriani, 76, *n.* 19.
Pœna temporalis quos non affligit, æternum damnantur, 2.
Pœnitentia necessaria vitiosis, 3. *Vid.* Disciplina.
S. Pontius M. Cemeliensis, 34.
Prædestinatorum hæresis unde et quando orta, 44, *n.* 4.
Promissa negasse est inimicitias dixisse, 5. Melius est non promittere, quam promissa non servare, 6. Illa invito solvens nihil præstat, 6.
Prosperi querelæ adversus Massilienses, 45, *n.* 6.
Proximus noster quis sit, 18.

Q

Quadragesima sola contenti ne simus, 26. B. finita ea non est redeundum ad vitia, quæ durante illa cessarunt, *ibid.*

R

Rabanus eodem modo disserit de gratia et naturæ viribus, quo Valerianus noster, 76, *n.* 2.
Religionem non habet, qui studet sæculo, et plus præsenti vitæ quam futuræ, 6.
Richardi Victorini doctrina de nuptiis spiritualibus, 53, *n.* 3.
Rupertus eodem modo disputat de gratia, etc., quo Valerianus noster, 77, *n.* 2.

S

Sacrificium acceptabile est bonitati et misericordiæ studere, 6.
Salviani sententia de Martyribus, 40
Saphira et Ananias fraudulenter agentes graviter puniuntur, 6.
Sancti titulum non meretur, qui Ecclesiam Catholicam sponte deseruit, 78, *n.* 2 *et* 3. Sancti titulo omnes olim

Christiani condecorabantur, 79, *n.* 5. Etiam muta animalia et res inanimatæ, *ibid.* Etiam Hæretici et de fide suspecti, *ibid.* Etiam Idololatræ, *ibid.* Defuncti passim, 80, *n.* 5. Sancti quomodo margaritis similes, 33. Eorum facta ante oculos ponenda, 25.

Scoti Joannis propositio de auxilio gratiæ et viribus naturæ ab Ecclesia Lugdunensi rejicitur, 39, *n.* 6.

Seneca quid de auxilio gratiæ senserit, 38, *n.* 5.

Sententia sæcularis magis est ad confusionem quam ad absolutionem, 2.

Servus utilis non est, qui feriatos dies ad hoc exspectat, ut dormiat, 26.

Silentium laudatur, 17. *Vid.* Lingua.

Soliloquiorum auctor saltem maxima ex parte est S. Anselmus, 66, *n.* 2.

Spectacula quænam hominem Christianum decedant? 15.

Strabus Fuldensis eadem habet de gratia et viribus naturæ quæ leguntur apud Valerianum, 76, *n.* 18.

Superbi sunt non solum divites, sed etiam pauperes, 21.

Superbia est ubi negligitur disciplina, 1. Gravat hominem ad superiora tendentem, 4. Superbiæ vitium carpitur, 20.

Suspicio non facile habetur, nisi ab eo, qui ejusdem vitii reus est, 77, *n.* 22. Cavendum ne falsis de nobis suspicionibus locus detur, 3.

T

Templum Dei quando simus? 16.

Terrenis debet renuntiare, qui vult cœlestibus mandatis satisfacere, 5.

Tertulliani sententia de Martyribus, 40, *n.* 8.

Testamenta quomodo cupiditas impugnet? 28.

Textus truncare aut e medio avellere quid mali exinde sequatur, 67, *n.* 6.

S. Thecla inter flammas pudicitiam custodit, 28.

Theophilactus nihil aliud scripsit de gratia et voluntate nostra, quam Valerianus noster, 76, *n.* 18.

Thesaurus ubi reponendus? 11.

Tinea vermis est invidiæ et avaritiæ, 11.

V

S. Valerianus. Ubi ejus sedes? 34. Vixit sub annum Christi, 450, 34. Plures fuerunt Valeriani Gallorum episcopi, 34. Natione Gallus fuit, *ibid.* Eucherii cognatus fuit, 35. Illustri genere ortus, 35. Ante episcopatum monachus. 35. A. B. An conjugatus fuerit, *ibid.* Habetur pro S. Valerio Lerinensi, 35. A Semi-Pelagianismo immunis est, 37 *et n.* 1, *etc.* Enumerantur quædam loca, e quibus Nicolaus Chichon probare contendit S. Valerianum fuisse Semi-Pelagianistam, *ibid.* A Semi-Pelagianismo penitus abhorruit, 51, *n.* 1. Sancti titulo jure gaudet, 77, *per totum cap.* 10.

Velle quomodo in nobis sit, 64, *n.* 12. Quid significet, 65, *n.* 14, 15 *et* 16, *ac per totum cap.* 8.

Verba otiosa. *Vid.* Lingua.

Via angusta est ad cœlum et spatiosa ad infernum, 3, 4. Quare hæc frequentius et illa rarius curratur, 3. Quodlibet in angustiis impedit, 3. Via mortis qualis sit? 4. Viæ multæ sunt, per quas venitur ad gloriam, 23.

Virtus tendit in ardua, 4. Non sine adjutorio Dei comparatur, 15. Magna in minoribus semper experimentum capit, 24.

Vita nostra ita sit lucida, ut sit omnibus nota, 3.

Voluntarium. *Vid.* Arbitrium.

Voluntas quid possit ostenditur ex Eucherio, 55, *n.* 5. Ex S. Augustino, 56, *n.* 3. Ex S. Ambrosio, *ibid. n.* 4. Ex aliis multis SS. Patribus, *ibid. Per totum illud cap.* 6. Ex S. Prospero, 60, *n.* 3. Velle et Nolle nostrum esse diserte probat S. Joann. Chrysostomus, 61.

INDEX RERUM IN OPERA S. NICETÆ.

Numeri in hoc indice paginationem indicantes respondent numeris in textu crassiori charactere impressis, a col. hujus vol. 875 *usque ad* 0000

A

Abrenuntiationis formula ante baptismum, non eadem ubique priscis Ecclesiæ sæculis, 43. Deerat *pompæ* vocabulum in Aquileiensi formula, S. Nicetæ Aquileiensis ætate; quod tamen ipse addidit in ejusdem formulæ explicatione, 43. Unica, duplex, triplex, et quadruplex obtinebat renuntiatio, juxta rerum ac verborum divisionem, et juxta Ecclesiarum morem, 50. Duplex obtinebat renuntiatio in Ecclesia Mediolanensi, S. Ambrosii ætate; et, ut videtur, etiam in Aquileiensi, 50, 51. Abrenuntiatio fiebat olim a competentibus, non modo proxime ante baptismum, sed etiam scrutiniorum tempore, ante Symboli redditionem, 199, 200. *Vid.* Pompæ.

Abrenuntiationum in baptismate factarum recordatio frequens apud Patres, ad Christianorum animos in officio continendos, etc., 233.

Acclamationes, seu apprecationes, in sepulcralibus inscriptionibus, 78. Defenditur interpretatio Fontanini acclamationis *In sæcula* in sepulcrali inscriptione sacræ virginis Columbæ, 78, 79.

Adelphus, seu Delphinus, episcopus Aquileiensis post Augustinum, eximiis laudibus celebratus fuit coram populo Ravennatensi, et eodem præsente, a divo Petro Chrysologo : et nihilominus sanctitatis cultum numquam habuit post mortem apud Aquileienses, 217.

Adeodatus, Romanæ Ecclesiæ diaconus, Romam secum probabiliter attulit S. Nicetæ opusculum *de Symbolo ad competentes*, 57. Ex hoc fortasse quinti sæculi exemplari eductum fuit apographum Ghisianum sæculi decimi quarti, 57, 58.

Africana Ecclesia. Magnus episcoporum numerus in Ecclesia Africana, quarto et quinto sæculo, tum ex parte catholicorum, tum ex parte Donatianorum, 104. Multi tamen ex his inter catholicos probantur fuisse mere auxiliares sedium vetustiorum, 105, *seqq.* Abusus in his; quibus consultum fuit, et a conciliis Africanis, et ab apostolica sede, 107, 108.

Alexandrina sedes. Alexandrini episcopi potestas, ex Nicæno canone 6, in omnes Ægypti, Libyæ, atque Pentapolis Ecclesias, 103.

Allatius Leo de Nicetis diatribam elucubraverat, quæ intercidit, 177.

S. Ambrosius. Ejus de renuntiatione in baptismate facta monitiones; unde renuntiationis formula in Mediolanensi Ecclesia tunc vigens eruitur, 50. Aquileiæ ordinationem episcopalem contulisse perhibetur S. Chromatio Aquileiensi episcopo, 128. S. Ambrosii libris de Fide et de Spiritu sancto sociatus invenitur sexto sæculo atque undecimo S. Nicetæ Aquileiensis liber *de Fide*, quem Gennadius memorat, quemque nos desideramus, 192, 193. Doctor virginitatis S. Ambrosius ab eruditis appellatur, 255. Illius libri de virginitatis argumento coaluerunt ex sermonibus ab ipso habitis super hac re, 258. Medium quemdam statum inter beatitatem et damnationem in futura vita non admisit, 280, 283.

Anastasius quidam episcopus, in bulla Stephani papæ II, anni 753, dicitur primus episcopus diœcesanorum sanctæ sedis apostolicæ, 98.

Aquileiensis ager multa et sæpe passus est, quarto et quinto sæculo, bellorum causa, 128, 129, 130. Maxime vero ob Barbarorum in Italiam adventum; quibus, omnium Italiæ primus, aut semper, aut fere semper patuit, *ibid.* Barbari, qui sub Odoacre tertiam terrarum Italiæ partem obtinuerunt, tertia quoque proculdubio, et fortasse plusquam tertia, Aquileiensis agri donati fuerunt, 165.

Aquileiensis Ecclesia. Hujus Ecclesiæ veneratio erga epistolam S. Leonis papæ ad Flavianum, 28. Aquileiensis Ecclesia, Italicarum omnium prima, circa annum 369, in S. Valeriano episcopo, metropoleos honore aucta fuit, 60, 120. Aquileiensis cleri celebritas, quarto et quinto sæculo, 74. Intra Aquileiensis Ecclesiæ fines, Romatiana Gennadii civitas, 89, 90, 91. Aquileiensis amplissimæ diœcesis pars fuerunt, ad exitum usque sæculi sexti, Ecclesiæ Concordiensis et Caprulana, 95, 96. Aliæ quoque episcopales Ecclesiæ in Venetia maritima; quæ partim adhuc perseverant, partim evanuerunt, pars olim fuerunt ejusdem Aquileiensis Ecclesiæ, 96. Celeberrimum Aquileiense concilium anni 381, sub S. Valeriano episcopo, 111. Quam late patuerit Aquileiensium episcoporum cura priscis Ecclesiæ sæculis, 118. Nonnulla de sacra æde Aquileiensi sub Fortunatiano et S. Valeriano episcopis : et num hæc cathedralis, more nostrarum, dici posset? 127, 128. Num Aquileiensis urbs fixa esset Aquileiensium episcoporum sedes, ac veluti eorum residentiæ locus? *ibid.* Multas ab Aquileia urbe secedendi causas habuere post S. Valerianum Aquileienses episcopi, 128, *seqq.* Aquileienses episcopi, sæculo

octavo et nono, dicti fuerunt episcopi Forojulienses, et Aquileiensis Ecclesia dicta fuit Ecclesia Forojuliensis, a diuturna sede quam habuerunt Aquileienses episcopi in civitate Fori-Julii, 133, 134.

Intra fines diœcesis Aquileiensis, quarto et quinto sæculo, pagani non pauci exstabant, qui zelum episcoporum Aquileiensium exercebant, 137, *seqq*. Immo in ipsa Aquileiæ urbe aderant, 146. Nulla quoque propemodum erat hæresis, contra quam Aquileiensis episcopus dimicare non posset, atque etiam deberet, ob Aquileiæ conditionem, quæ commercii causa, veluti centrum erat unionis totius orbis; Occidentalis nempe atque Orientalis, 160. Non officit celebritati Ecclesiæ Aquileiensis, quod multi variis hæresibus inquinati, et Aquileiam venirent, et in Aquileiensi etiam ditione commorarentur, 161. Contra Arianorum errorem peculiares habebant rationes agendi, et frequentes etiam occasiones, Aquileienses præsules, 162, *seqq*. Quinto vero sæculo, quo Aquileia, aliæque clarissimæ urbes excisæ fuerunt, et quo Occidentale imperium demum occubuit opera Barbarorum, apud quos omne errorum genus dominabatur, nulla propemodum erat hæresis, contra quam Aquileienses episcopi instituere aciem non deberent, 163, *seqq*. Apud viros ecclesiastici ordinis Aquileiensis provinciæ habuit quidem accessum, vel ab initio sæculi quinti hæresis Pelagiana, 167. Ad episcopum Aquileiensem exstat epistola S. Leonis papæ, super suspectis de hæresi Pelagiana, presbyteris et diaconis, et diversi ordinis clericis, *ibid*. *et* 168. Hi vero quidam erant, ex epistola S. Leonis; non autem plurimi, ut Norisius asserebat, 170. At S. Nicetæ Aquileiensis tempore, nulla Pelagianismi labes in Aquileiensi Ecclesia, 170, *seqq*. *Vide* Pelagiani, et Pelagianismus. Quinam essent comprovinciales antistites metropoleos Aquileiensis, S. Nicetæ Aquileiensis ævo? 185. Aquileiensem Ecclesiam immerito notat Muratorius, quasi nimium fuerit liberalis in episcopis suis sanctitatis cultu donandis, 216.

Aquileiensis Ecclesiæ ritus peculiaris in divinis officiis peragendis abrogatus fuit anno 1596, 225. Recensentur veteris Aquileiensis ritus Missalia tria typis edita, et Ritualis liber, cum eorum Kalendariis in fronte positis, *ibid*. Absunt ab his omnibus Liturgicis libris Aquileiensis Ecclesiæ sanctorum Aquileiensium episcoporum nomina, Valeriani, Chromatii, atque Nicetæ, *ibid*. Rationes afferuntur hujus defectus; et cultus nihilominus astruitur trium horum sanctorum in Aquileiensi Ecclesia, 225, 226.

Vigiliarum sacrarum usus vigebat in Aquileiensi Ecclesia S. Nicetæ ætate; qui etiam harum vigiliarum lucem memorat, 242. Cantus quoque hymnorum meminit S. Nicetas, qui in sacra Liturgia obtinebat; et lectionum cœlestium quæ habebantur, *ibid*., *et* 243. Numquid in Aquileiensi Ecclesia, S. Nicetæ ætate, usus libelli, cui nomen Comes, pro sacris lectionibus Scripturarum? 243, 244.

Aquileiensis Ecclesiæ Symbolum. *Vide* Symbolum Ecclesiæ Aquileiensis. Formula abrenuntiationis in Ecclesia Aquileiensi, S. Nicetæ episcopi tempore. *Vide* Abrenuntiationis Formula. Virginum sacrarum institutum et disciplina in Ecclesia Aquileiensi. *Vide* Virgines Sacræ, *et* Monasterium Virginale. Auxiliarium episcoporum monumenta in Ecclesia Aquileiensi. *Vide* Auxiliares, *seu* Auxiliarii episcopi. Suffraganeæ Ecclesiæ, et suffraganei episcopi Ecclesiæ Aquileiensis. *Vide* Suffraganeæ Ecclesiæ, *et* Suffraganei episcopi.

Aquileiensis urbs. Hujus urbis laudes, ex veterum testimoniis, brevi sermone congessit Nicolaus Madrisius, 47. Multis probatur instructam eam circo fuisse, tum ante Attilanam cladem, tum etiam postea, 46, *seqq*. Celebre Jovis templum habuerat, et Capitolium; collegium Augustalium; Decurionum ordinem, splendidissimum appellatum; et consules, *ibid*. Theatris quoque non caruit, et fortasse neque amphitheatro, 48. Per Attilanam cladem non ita excisa fuit Aquileia, ut solo æquata fuerint majora et solidiora ædificia, quemadmodum circus erat, atque theatra, 49. Romatianam, seu Romanam civitatem dictam aliquando fuisse Aquileiam, scripsit Baronius, 85. Huic tamen De Rubeis, aliique assensum non præbent, 85. Illustrari nihilominus aliquatenus posset, etsi non defendi, Baronii opinio, etiam in hac litterarum luce, *ibid*. Aquileiensis urbs, in qua tyrannus Maximus se receperat, obsidionem ab exercitu Theodosii Magni passa est anno 388, 128. Iterum obsessa fuit et capta anno 424, aut 425, ab exercitu Theodosii Junioris, quod ipsa staret pro Joanne tyranno, 130. Anno denique 452, ab Attila Hunnorum rege obsessa, capta, atque excisa fuit, *ibid*. Aquileiæ conditio, respectu habito ad commercium, tum S. Nicetæ ætate, tum etiam antea, 160, 176. Triennalis Aquileiæ obsidio ab Attilæ exercitu, communiter ab eruditis rejicitur, 182. Aquileiæ status post Attilanam cladem iterum inquiritur, 211. Eruditorum sententiæ super hac re, ex veterum testimoniis, 212.

Archiepiscopi titulus in præsulibus metropolitanis usurpari cœpit in Occidente post sæculum quintum; et sæculo octavo communissimus factus apparet in universa Occidentali Ecclesia, 59. Hujus tituli in Occidente nullum exemplum in monumentis sinceris sæculi quinti, 60.

Arianismus, et Ariani. Arianismum impugnat S. Nicetas in *Symboli Explanatione;* tacito tamen Arii, seu Arianorum nomine, 40. Non statim ab ortu Arianæ hæreseos Ariani homines constituerunt pseudo-ecclesiam a catholica separatam, 41. Hoc tantummodo fecerunt post concilium Sardicense, et conciliabulum Philippopolis, 42. Aquileienses episcopi sæpissime habuerunt, cur contra Arianismum aciem instituerent, 162. Ariani, etsi non ab initio, postea tamen abusum admiserunt rebaptizandi accedentes ad se, 164.

S. Athanasius, Alexandrinus episcopus, Aquileiæ hospes fuit Fortunatiani episcopi Aquileiensis, ibique sacris interfuit, 128. Hic fuit qui ex Oriente in Occidentem monasticam utriusque sexus disciplinam aut invexit, aut certe reddidit commendabiliorem; quique fortasse Aquileiensi episcopo auctor fuit, ut virgines sacras ibi degentes in unum cogeret locum, etc., 246.

Attila Hunnorum rex, Aquileiam obsedit, cepit, expilavit, incendit anno 452, sedente in Aquileiensi episcopali sede Secundo, 130. *Vide* Aquileiensis urbs.

Augustinus, episcopus Aquileiensis, S. Chromatii successor, auctor probabiliter, aliqua saltem ex parte, sermonis 242 in appendice Augustinianorum Operum ultimæ Maurinorum editionis, 64. Huic Augustino Aquileiensi, non vero S. Augustino Hipponensi, oblatus fuit libellus ille Fidei Pelagiana labe infectus, qui in appendicibus Augustinianis editus fuit, 65, 167. In præcitato sermone mentio est paganorum, qui forte noti essent eis qui audiebant, 145. Hic sermo est de Symbolo ad competentes; id est Symboli expositio secundum ordinem articulorum, prout tot aliæ sanctorum Patrum expositiones, 153. Hic Augustinus, sancti et sanctitatis titulo vivens honoratus fuit; cultum tamen post mortem numquam habuit, 216.

S. Augustinus, Hippon. episcopus. Ex quodam ejus sermone ad competentes, arguitur quale esse potuerit argumentum libelli primi S. Nicetæ, similiter ad competentes, qui desideratur, 187. Ejus elogium de sacra virgine Demetriade ex clarissima Aniciorum gente, 236. Ejus textus in sermone de Symbolo ad cathecumenos, perperam lectus a clarissimo Muratorio, 239, 240. Ejus peculiaris cura erga sacras virgines, 258. Ejus inquisitio super judicio extremo ultimorum viventium; num scilicet prævia morte, an absque morte, judicio sistendi sint, 266, usque 269. Ejus sententia de augmento beatitatis in justis, et tormentorum in impiis post resurrectionem et judicium, 278.

Aurilegi, seu aurileguli, quinam sint? 175. Eorum industria communiter nota, 176. Ex his exemplum sumere poterat in sermone ad competentes etiam episcopus Aquileiensis; ac peculiari de causa, 176, 177.

Auxiliares, seu auxiliarii episcopi, priscis Ecclesiæ sæculis, in majoribus diœcesibus, 96, *seqq*. Duplicis erant generis: alii apud primarios episcopos considebant; alii in dissita ac populosiora diœceseon loca mittebantur, 97. Auxiliares episcopi Romanorum pontificum, qui Romæ aderant, urbis Romæ, aut Romæ episcopi dicebantur: tria hujusce rei priorum sæculorum exempla, 97, 98. Posterioribus sæculis, auxiliares hi episcopi Romanorum pontificum, alio nomine donabantur; scilicet, episcopi diœcesani sanctæ sedis apostolicæ, 98. Horum auxiliarium episcoporum prioris generis exempla alia sæculi quinti in Ecclesia Constantinopolitana, atque in Antiochena, 99. Aliud ejusdem sæculi in Ecclesia Occidentali, extra Romam, et extra Italiæ fines, 99, 100. Alterius generis auxiliarium episcoporum disciplina, ex canone Sardicensi, et ex chorepiscoporum instituto, 100, 101. Quid in Ecclesia Romana? 101. Quid in Alexandrina? 103. Quid in Africana? 104.

Auxiliarium episcoporum in genere auctoritas, ex semetipsis, prorsus nulla: dicebantur enim solius nominis episcopi, et nullas civitates obtinentes, 99. Auctoritas auxiliarium episcoporum Romani pontificis, secundi generis, arctis admodum limitibus circumscripta erat, 103. Similiter episcoporum in regionibus Ægypti, Libyæ, atque Pentapolis, quæ Alexandrino episcopo erant subjectæ, 103.

Auxiliarium episcoporum monumenta in Ecclesia Aquileiensi, 109. Primum ex Photii Bibliotheca, ubi duo eodem tempore viventes, et Aquileienses episcopi nuncupati, Marcellus et Alexander, *ibid*. Expenditur sententia clarissimi De Rubeis super hac re, *ibid*., *seqq*. Alterum ex concilio Aquileiensi anni 381, ubi complures episcopi absque sede, 111, *seqq*. Ex quibus tres ad Aquileiensem Ecclesiam absque dubio pertinuisse videntur, 113, 114. Alii quoque verisimiliter ad eamdem pertinuerunt; quia probabile est Aquileienses antistites pluribus in locis pro-

priæ amplissimæ diœcesis episcopos constituisse; atque ibi præsertim, ubi postmodum suffraganeæ hujus primæ sedis cathedrales Ecclesiæ surrexerunt, 116. *Vide* Suffraganeæ Ecclesiæ, *et* Suffraganei Episcopi. Latissime olim patuit Aquileiensium episcoporum cura : pro qua auxiliariorum episcoporum ope indigebant; tum scilicet eorum qui apud ipsos permanerent, tum etiam eorum qui in dissitis regionibus, ipsorum loco, mansione stabili præsiderent, 118. Id ostendunt etiam Acta quæ ipsius Aquileiensis Ecclesiæ exordia exhibent; et unde opinio roboratur originis suffraganeorum episcoporum ex auxiliariis primævæ ætatis, 119. Non abhorrebat ab Ecclesiæ disciplina, quin immo consonum erat, quod episcopi mere auxiliares, tum Aquileiensis, tum aliarum Ecclesiarum, assumerentur ad episcopatum totius diœcesis cum opus esset, 122, 123.

S. Avitus Viennensis episcopus. Ejus sensus, et Opera adversus Eutychianum errorem, 32, *seqq.*

B

Bachiarius monachus. Tria Gennadii errata animadvertit. cl. noster Franciscus Florius in unico Bachiarii articulo, 83.

Baptismales Ecclesiæ, seu plebanæ. Ex modo, quo novæ Ecclesiæ Parœciales ortæ fuerunt, atque oriuntur in dies, ex partibus avulsis ab Ecclesia baptismali seu plebana; modus conjicitur, quo ortæ olim fuerunt etiam suffraganeæ episcopales Ecclesiæ primitivæ intra sinum majorum diœceseon, et ex partibus avulsis ab episcopalibus Ecclesiis matribus, 121. *Vide* Suffraganeæ Ecclesiæ.

Baptismatis sacramentum. Pro sacramento baptismatis institutus olim catechumenatus fuit; et quare? 186. Baptismi administrandi ritus, posteriori ætate inductus, quique nunc obtinet, compendium quoddam est ritus veteris; cum catechumenatus disciplina in sua integritate vigeret, 200. Exorcismorum, luminum, ac vestium candidarum mentio apud S. Nicetam, 242.

Barbarus Franciscus, patriarcha Aquileiensis. Hujus clarissimi præsulis merita indicantur erga Aquileiensem Ecclesiam, et cultum veterum sanctorum ipsius episcoporum, post invectum in diœcesi ac provincia Romanum ritum, 227, 228.

Baronius cardinalis Romatianam Gennadii civitatem Aquileiam dixit; et quare? 85. Nonnulli ex eruditis eidem consenserunt, *ibid.* Longe tamen plures eidem assensum negarunt; et qui? 85, 86. Baronii opinio, seu opinionis fundamentum, etiam in hac litterarum luce, si luberet, posset illustrari, et aliquo modo fulciri, *ibid.* Sed deserendus omnino videtur Baronius, in eo quod Romatianam Gennadii civitatem, ipsam voluit esse Aquileiam : defendendus vero, quod Romatianæ civitatis nomine, ipsum S. Nicetæ intellexit Aquileiensem episcopatum, 87. Defenditur quoque Baronius ab arbitrii imputatione, in eo quod ipse omnium primus in Martyrologii Romani emendatione memoriam inseruerit S. Nicetæ Daci ad diem 7 Januarii, 222, 223.

Beati denominatio, titulus erat honoris, qui sæculo quinto passim dabatur etiam episcopis viventibus; necnon et insignibus doctrina ac pietate viris vita functis, quorum maxime exstarent Opera in Ecclesiæ ædificationem, 60. Beati ac sancti denominatio in veteribus Martyrologiis, quomodo accipienda sit? 219, 220.

Belenus, celebre Aquileiensium numen; cujus templum non procul ab Aquileia, sexto inclinante sæculo, adhuc exstabat, 147.

Benedictus papa XIV, in novissima Martyrologii Romani recensione, ubi supervacanea resecare sibi proposuerat, intactam reliquit mentionem S. Nicetæ Daci ad diem 7 Januarii, a cardinali Baronio invectam, 222, 223. Ipse prior in Martyrologium Romanum intulit nomen S. Siricii papæ; et sanctitatem illius data opera demonstravit ex ejusdem epistolis, 223.

Bessi, Barbara gens, ubinam siti, S. Nicetæ Daci ætate? 14.

Brunius Bruno, editor et illustrator Operum S. Maximi Taurinensis, quæ Romæ prodierunt anno 1784, varia Gennadii errata notavit, 82. Præclare S. Maximum defendit in omissione processionis Spiritus sancti etiam a Filio; et rem totam ea occasione illustrat, 270.

Burnetius Thomas librum scripsit de Statu Mortuorum et Resurgentium, Londini editum anno 1726; quem Muratorius solidissime confutavit, 274, 275

C

Candidæ vestes. Candidas vestes Neophytorum memorat S. Nicetas, 242.

Canonici. Canonici nati metropolitanæ Ecclesiæ Aquileiensis exhibentur in monumentis Aquileiensibus sæculi duodecimi ac decimi tertii. Quatuor ejusdem episcopi suffraganei, Concordiensis, Justinopolitanus, Tergestinus, et Emoniensis, 117, 295, *seqq.* Exempla aliorum episcoporum in Gallia et in Anglia, qui simul canonici erant aliarum Ecclesiarum, *ibid.* At canonicatus quatuor Suffraganeorum Aquileiensum indicare videtur antiquam horum episcoporum Aquileiensem originem; cum scilicet simpliciter auxiliares episcopi essent, in iis ipsis fortasse locis constituti, ubi postea eorum cathedrales Ecclesiæ erectæ fuerunt; *ibid. et* 118.

Cantus. Usus cantus in Ecclesia Aquileiensi inter divina officia, S. Nicetæ ætate, 243, 244.

Caprulensis, seu Caprulana Ecclesia. Nonnisi labente sæculo sexto hæc episcopalis Ecclesia ortum habuit, quæ prius Aquileiensis amplissimæ diœcesis pars fuerat, 96.

Carnis Resurrectio. Cur Aquileienses addiderint vocem *hujus* in Symbolo, ad articulum *Carnis resurrectionem?* 161. *Vide* Resurrectio Mortuorum.

Cassiodorius. Ejus testimonium de S. Niceta; ac præsertim de libello illius tertio *de Fide*, quem Gennadius memorat, quemque nos desideramus, 191. Tillemontii super hac re auctoritas et opinio, *ibid.*

Catechumenatus, et catechumeni. Pro sacramento baptismatis institutus olim catechumenatus fuit; et quare? 186. Catechumenatus varii gradus; quorum supremus erat competentium, *ibid.* Catechumenatus disciplina, prout antiquitus instituta fuit, in desuetudinem abiit post nonum, aut certe post decimum sæculum in universa Occidentali Ecclesia, 200. Vide Baptismatis sacramentum.

Catenarum usum, ad viscera obstringenda, præscribit inter alia S. Nicetas Aquileiensis violatori suæ virginis lapsæ, 265.

Cathedralis Ecclesia. Cathedrales Ecclesiæ, quoad rei substantiam, nonnisi post Ecclesiæ pacem ortum habuerunt; quoad usum vero hujus appellationis, longe etiam post Ecclesiæ pacem, 124, 125. Cathedrales Ecclesiæ, et fixæ episcoporum sedes in locis ubi cathedrales essent constitutæ, pari ubique gradu processerunt, 125, 126. Prima fortasse cathedralium ecclesiarum mentio in Ecclesiastica Politia, et legis episcopis factæ manendi apud easdem, ad exitum pertinet sæculi quarti, 127.

Chorepiscopi, iisdem ac episcopi auxiliares secundi generis, per variarum diœceseon loco constituti; et, prioribus saltem quinque sæculis, in veri episcopatus gradu positi, 101.

Chori sacrarum virginum, 255, *seqq.*

S. Chromatius Aquileiensis episcopus, Tractatu 1 in Matthæum, et agonothetas, et munerarios memorat, et stadium quoque; veluti res suis auditoribus notas, 47, 48. Dictus aliquando fuit episcopus Romanus : sed potius Romatius aut Romatinus dici debuerat, ex portu Plinii Romatino, uti conjiciebat De Rubeis, 93. Aquileiæ ordinationem episcopalem accepisse perhibetur a divo Ambrosio Mediolanensi episcopo, 128. Probabiliter ad portum Plinii Romatinum secessit anno 400, quo Aquileiensis Ager, omnium Italiæ primus, patuit Barbarorum copiis, Alarico duce; ubi etiam cum moram fortasse traxerit diuturniorem, Romatinus seu Romatius episcopus dici potuit, non autem Romanus, 129. Numerantur S. Chromatii successores in Aquileiensi episcopatu usque ad S. Nicetam, 130. Non pauci gentiles, Chromatii tempore, in Aquileiensi diœcesi exstabant, 142. S. Chromatii nomen abest a kalendariis et Missalibus typis editis Aquileiensis ritus; et nihilominus astruitur illius cultus in Aquileiensi Ecclesia, 225, 226. Hujus sancti episcopi nullæ in Aquileiensi Ecclesia notæ sunt, aut fuerunt, sacrorum cinerum Reliquiæ, 229.

Circus. Multa de circo, de pompis, deque spectaculis quæ in circo edebantur, *Vide* a p. 44 usque 50. Circi apud gentes barbaras non exstabant, 45. Multis probatur Aquileiam instructam circo fuisse, tum ante Attilanam cladem, tum etiam postea, 46, *seqq.* Quod Latini circum, Græci stadium, vel agon vocavere, ac etiam hippodromum, 48. Populorum insania erga circenses ludos et spectacula theatrorum, etiam inter majores ærumnas, 49.

Claudianus Mamertus, dictus antistes ordine in secundo a Sidonio Apollinari, id est, ut videtur, episcopus auxiliaris, sancti Mamerti fratris sui, episcopi Viennensis, 99 *et* 100.

S. Clemens papa I. Ejus epistolæ duæ de Virginitate, seu ad Virgines, quæ primum in lucem prodierunt anno 1752, etc., 250.

Clericus Joannes, de scriptorum stylo, 3.

Cluverii Philippi animadversiones ad locum Plinii de Romatino portu et flumine, 90.

Codex Gennadianus San-Germanensis a Lequieno citatus. *Vide* Gennadius.

Codex Ghisianus *Explanationis Symboli B. Nicetæ Aquileiensis episcopi*, cujus auctoritatis censeri debeat? 56

Codex Vindobonensis, unde lipsana habemus opusculorum S. Nicetæ, quæ desiderantur, 173.

Codices Gennadiani duo Forojulienses, qui singulare aliquid protendunt de Niceta Romatiano. *Vide* Gennadius.

S. Columba, virgo Deo sacra Aquileiensis Ecclesiæ, 76. Ejus inscriptio sepulcralis ab eruditis viris edita; atque a Fontanino Commentario quoque illustrata, 77. Nonagenaria obiit Opilione consule, id est anno, 453, ut Fontaninus judicat, *ibid.* Defenditur hæc Fontanini sententia, 78, 79. Consecrata fuit hæc sacra virgo Columba a S. Valeriano episcopo Aquileiensi, ut idem conjicit Fontaninus, 246.

Competentes. Quinam antiquitus in Ecclesia competentes? 186. Quare dicti competentes Catechumeni baptismo proximi? *ibid.* S. Nicetæ Aquileiensis episcopi opuscula sex ad competentes singillatim recensentur, 187, *seqq.* Qui competentes apud Latinos dicebantur, illuminandi appellabantur a Græcis, 188. Pleraque institutionis Christianæ capita competentibus tradebantur, quæ aliis in inferioribus Catechumenatus gradibus constitutis non dabantur, 189, 190. Solis competentibus Symbolum fidei ab episcopo tradebatur, addito sermone, etc., 198. Symbolum fidei competentes ipsi reddebant; et hanc redditionem sermo episcopi subsequebatur, *ibid.* *Vide* Symbolum. Competentibus institutio plena atque perfecta non dabatur de Eucharistiæ sacramento : ingerebatur nihilominus aliquid, ne rudes omnino, post salutare lavacrum, ad sacram mensam accederent, 202, 203. Varia super hac re, occasione opusculi sexti S. Nicetæ Aquileiensis episcopi, *ibid.*, 204. *Vide* Eucharistiæ sacramentum.

Communio. Communionis nomine, viri docti intelligunt peccatorum absolutionem in canone Illiberitano XIII, 285. Similiter in aliis quoque, ubi communio negatur quorumdam criminum reis, etiam in exitu vitæ, 286. Hæc eadem vox, priscis temporibus, eodem sensu usurpata fuit, etiam post concilium Illiberitanum, 288.

Concordiensis Ecclesia. Concordiensium episcoporum, sæculo desinente sexto, seriem aperit apud Ughellum, et apud De Rubeis, episcopus nomine Clarissimus, 95. Ante id temporis Concordiensis diœcesis erat pars amplissimæ diœcesis Aquileiensis, 95, 96. Non suppetit ratio, qua Laurentius ille episcopus, cui Commentarium suum in Symbolum Rufinus nuncupavit, inter Concordienses episcopos collocetur, 95. Concordienses episcopi, in veteribus monumentis Aquileiensibus, exhibentur veluti Canonici nati Metropolitanæ Ecclesiæ Aquileiensis, 117, 295. Concordiensis episcopus, qui Concordiensis appellatur in publicis Actis, episcopus nihilominus vulgo dicitur Portus-Gruarii, ab episcopali fixa sede quam habet in civitate Portus-Gruarii, 133.

Concordiensis urbs. Hujus urbis erat Portus, ante Attilanam cladem, ipse Romatinus Plinii portus ad æstuarium situs, 91. Quis hodiernus Concordiæ status? 95. Ex hac urbe, ob antiquam ejus claritatem potius quam ex portu Plinii Romatino qui amplius non exstabat, aut ex portu Romatino novo qui recens erat, probabiliter nomen sumpsit, sexto cadente sæculo, Concordiensis episcopatus, Suffraganeus Ecclesiæ Aquileiensis, 123.

Cotelerius Joannes Baptista, omnium primus tribuit Nicetæ Gennadiano libellum *ad Virginem lapsam*, 3.

Credulitas, et credulus, quid sint in ore S. Nicetæ? 264. Frequens in Patribus, tum ante S. Nicetam, tum Nicetæ ipsius ætate, *credulitatis* vox, ad fidem veram significandam; ac præsertim internum fidei actum, *ibid. et* 265. Similiter in Liturgicis Actis, ac signate Aquileiensis Ecclesiæ, *ibidem.*

Crines sacrarum virginum intonsas fuisse, quinto sæculo, apud Aquileienses, probat ea crinium amputatio quam S. Nicetas præscribit, inter alia Pœnitentiæ externa signa, virgini lapsæ monasterii sui, 261. *Vide* Virginitas, *et* Virgines Sacræ.

Crucis signum duplex, majus et minus. Conquerebatur S. Nicetas de Christianis illis qui frontem ita capillis tegebant, ut locum liberum non relinquerent eidem terendæ signaculo crucis, 53.

S. Cyprianus episcopus Carthaginensis. Ejus peculiaris cura erga sacras virgines, 257, 258. Expenditur ejus auctoritas super pœnitentia virginibus lapsis infligenda, 260.

S. Cyrillus Hierosolymitanus. Ex ejus procatechesi ad illuminandos, arguitur quale fuerit argumentum libelli primi S. Nicetæ ad competentes qui desideratur, et quem Præparatorium appellavit Trithemius, 188. Ex eodem quoque accipimus qualis Ecclesiæ fuerit œconomia in danda, seu Competentibus, seu neophytis, institutione de sacratissimo eucharistiæ mysterio. 202, 203.

D

Dacia. Daciæ duæ : alia Trajani dicta, trans Danubium, quæ etiam barbara appellata fuit; alia Aureliani, cis Danubium, quæ etiam Romana, et nova, 9. Non in hac nova Dacia, sed in veteri, barbara dicta, episcopatum gessit S. Nicetas Dacus, S. Paulini Nolani amicus, 10, *seq.* Daci Arctoi, quinam ex Paulino habendi sint? 12. Gens Scythica, 14. Daciam illam *mutam orbis regionem* appellat S. Paulinus, 15. Daci Cisdanubiani, Romanæ ditionis, et Romanæ originis, dici non possunt barbaræ atque efferatæ gentes, 156. In hac Dacia Cisdanubiana, ubi Græci simul ac Latini sermonis usus erat S. Nicetæ Daci ætate, Latinus sermo nitidus, comptus, Latinus haberi non poterat, 155. In Dacia vero barbara, ubi reapse Nicetas Dacus episcopatum gessit, Latini sermonis usus nullus tunc amplius esse poterat, 155, 156.

Dandulus Andreas. Ejus de S. Nicetæ Aquileiensis epochis sententiæ expensæ, 181, *seqq.*

Dardania, ab Aureliano Novæ Daciæ addita fuit, 10. Dardania oriundus fuit S. Nicetas Dacorum episcopus, 12. Græca lingua Dardaniæ olim propria fuit : S. Nicetæ vero Daci tempore, Græca et Latina pariter ibidem in usu positæ, 155.

Demetrias, celebris virgo sacra, ex clarissima Aniciorum familia : et quid de ea sancti Ecclesiæ Patres, Augustinus et Hieronymus? 236. Ab Aurelio Carthaginensi episcopo velationem virginitatis acceperat, 254.

Denis Michael, qui publici juris fecit fragmenta opusculorum, quæ desiderantur, Nicetæ Gennadiani; hunc, non Aquileiensem episcopum judicavit, sed episcopum Daciæ, 173. Hujus Nicetæ sex *fragmenta* vulgavit ex codice Vindobonensi sæculi decimi, 173. Ut Nicetam hunc Dacum probaret, ex tertio *fragmentorum* speciosum eruit argumentum, *ibid.* Huic tamen fit satis, 175, 176.

Diphthongus. Diphthongorum ratio sæpissime posthabita in veteribus lapidibus, tum ethnicis, tum Christianis, 79.

Disciplina. Quid animadvertendum sit, dum disciplinam unius aut alterius sæculi, unius aut alterius ætatis, perpendimus ac nominamus? 127. Disciplina alicujus Ecclesiæ argui nequit ex uno simplici ac nudo facto; maxime si hæc disciplina aliena sit a disciplina aliarum, quæ circum eam sunt positæ, Ecclesiarum, 150. Ex priorum temporum disciplina, quædam adhuc vigent; quædam alia sunt illius disciplinæ vestigia; quædam etiam ex vetusta illa disciplina omnimode obsoleverunt, etc., 238.

Disciplinæ rigor in re Pœnitentiali antiquitus vigebat, et maxime ex canonibus concilii Illiberitani, 286. Quid S. Augustinus de durioribus quibusdam capitibus disciplinæ? *ibid.*

Dogmata fidei, quæ in aliqua sanctorum Patrum non satis explorata lucubratione traduntur, etsi non semper, sæpe tamen argumenta præbent firmissima ad judicandum de illius auctore, 21. Dogma de vera in Christo humanitate, quod B. Nicetas asserit, explicat, ac propugnat in *Symboli Explanatione*, argumentum præbet ad judicandum num S. Nicetas Dacus auctor esse possit Explanationis illius, 22.

E

Ecclesia, quid sit; et quam necessaria communio cum una catholica Ecclesia? 232.

Emoniensis Ecclesia. Episcopi Emonienses, in veteribus monumentis Aquileiensibus, exhibentur veluti canonici nati metropolitanæ Ecclesiæ Aquileiensis, 117, 297.

Episcopi. Simplici episcoporum titulo in Occidente usi sunt etiam metropolitani episcopi ante sæculum sextum, 59, 60. *Vid.* Archiepiscopi titulus. Episcopali ordinatione fulgebant antiquitus omnes, aut pene omnes presbyterii episcopalis sacerdotes, 97. Persecutionum tempore, statuebantur episcopi auxiliares ab antistite primario etiam in oppidulis et parvis locis propriæ diœcesis, ad fidelium utilitatem et consolationem; quod postea, pace Ecclesiæ data, vetitum fuit, 110. Id vetabatur maxime canone 6 concilii Sardicensis, 100. Atque prohibitionem hanc confirmavit, quoad Ecclesias Africæ, S. Leo magnus, 107, 108. Episcoporum longævæ ætatis exempla, 114. Quo anno ætatis consecrari quis episcopus poterat, quarto sæculo declinante? 115. Multorum exempla, qui in juvenili ætate episcopalem consecrationem acceperunt, *ibid.* Episcopi minimorum etiam locorum, et simplicis quoque nuncupationis, ab episcopis majoribus, et etiam a Romanis pontificibus, numquam filii, sed semper fratres appellati fuerunt, 122. Episcopi, ante pacem a Constantino datam, nullam habebant cathedralem ecclesiam proprie dictam, neque fixum residentiæ locum, 124, *seqq.* *Vide* Cathedralis Ecclesia. Exempla episcoporum qui ante et post Ecclesiæ pacem, non ab aliquo eorum residentiæ loco, sed a regione in qua episcopatum agebant, appellati fuerunt, 126. Episcoporum officium erat Symbolum solemniter tradere competentibus, et Symboli expositiones eisdem facere, 151, 152. Exstant sermones sanctorum episcoporum ad competentes, qui titulum habent : *In traditione Symboli*, atque

etiam : *In Symboli redditione*, 198. In *Symboli redditione* habitus fuit ad competentes libellus, seu sermo 5 de Symbolo S. Nicetæ Aquileiensis episcopi, 199, 200. Episcoporum etiam officium semper fuit virgines consecrare, 254.

Episcopi auxiliares, seu auxiliarii. *Vide* Auxiliares, *seu* Auxiliarii.

Episcopi gentium, 11. Unus ex episcopis gentium, et quidem certæ Dacorum gentis, fuisse videtur S. Nicetas Dacorum episcopus, et S. Paulini Nolani amicus, *ibid.* Alii episcopi gentium, sed non certæ gentis ; qui Romæ auxiliares episcopi erant summi pontificis, et Romæ, aut urbis Romæ episcopi dicebantur, 97.

Eucharistiæ sacramentum. Libellus, seu sermo sextus S. Nicetæ Aquileiensis episcopi ad competentes, qui titulum habet, *De Agni paschalis Victima*, videtur plane fuisse de SS. eucharistiæ sacramento, 201. Hujus sacramenti participes fiebant competentes, seu potius neophyti, post acceptum baptisma, eadem ipsa Paschatis nocte, *ibid.* Quamquam competentibus institutio non daretur plena atque absoluta de eucharistiæ sacramento, aliquid tamen eisdem ingerebatur, ne rudes omnino, post baptismum, ad sacram mensam accederent, 202, 203. *Vide* Competentes.

Eunomiani, Arianorum surculus, ad se accedentes iterum baptizabant ; quem abusum Ariani omnes suum postea fecerunt, 164.

Eutyches, et Eutychiani. Eutyches archimandrita sæculo quinto contra veram in Christo humanitatem veterum hæreticorum suscitavit errorem, 23. Eutychen, et Eutychianos data opera impugnavit Niceas seu Nicetas Gennadianus in sua *Symboli Explanatione* cap. 4, non autem Eutychetis præcessores, *ibid.* S. Leonis Magni ætate, et S. Nicetæ Aquileiensis tempore, nondum Eutychetis sectatores peculiares societates constituerant, et quamdam Pseudo-Ecclesiam a catholica distinctam, 40.

Evangelia quatuor, quarto Ecclesiæ sæculo, ab Ulfila Gothorum episcopo in Gothicam linguam translata fuerunt, 159.

Exorcismi. Exorcismorum ante baptismum mentio apud S. Nicetam ; et qua de causa adhibiti ? 242.

Explanatio Symboli beati Nicetæ Aquileiensis episcopi, habita ad competentes, *Vide* S. Niceas seu Nicetas. *Vide* Symbolum Apostolorum.

F

Farlatus Daniel, auctor Illyrici Sacri, agit ibidem de Daciis cis et trans Danubium, 9.

Faustus Reiensis. Ejus textus adversus Eutychetis errorem, assutus cuidam sermoni sub nomine S. Augustini in appendicibus Augustinianis ; conformis sensibus S. Leonis Magni in epistola ad Flavianum, 32.

Fea Carolus, primus notitiam præbuit eruditis anno 1790. Opusculi Explanationis Symboli S. Nicetæ in Bibliotheca Ghisiana latentis, 56.

Felix quidam, urbis Romæ dictus episcopus, sedente sancto Innocentio papa primo ; et quare ? 98.

Fidei integritas in omnibus articulis, ad salutem necessaria, 231. Fidei confessio ore prolata, jugiter est recolenda, 231, 232.

Filioque. Hæc particula ubinam primum Symbolo addita? 271. Antequam communiter reciperetur, multum allaboratum fuit ; et quare ? 272. Hæc vox *Filioque* a quonam primum in Italiam invecta legitur ? 273.

Flaminia, id est flaminis uxor, flammeo assidue utebatur ; et cur ? 249.

Flammeum, seu Flammeus, quid ? 249.

Flammeum conjugale. *Vide* Velatio Conjugalis.

Flammeum virginale. *Vide* Velatio Virginalis.

S. Flavia Domitilla virgo, a S. Clemente papa sacro velamine consecrata ; et quare ? 250.

Fletus oculorum, in textu evangelico. *Vide* oculorum fletus.

Florius Franciscus tria Gennadii errata notavit in unico Bachiarii articulo, 83. In duobus monumentis Ecclesiæ Aquileiensis sæculi duodecimi et decimi tertii vidit quatuor suffraganeos episcopos Aquileiensis sedis, canonicos natos metropolitanæ ejusdem Aquileiensis Ecclesiæ, 116, 117. In dissertatione de Martyribus Lugdunensibus luculenter probavit parœcias illas Galliæ, quas S. Irenæus Lugdunensis episcopus regebat, non a presbyteris curatas fuisse, sed ab episcopis, quibus idem S. Irenæus præerat, 120. Illius sermones indicantur quos habuit in nuptialibus festis sacrarum virginum, 255.

G

Gallicana Ecclesia, in epistola sua synodica ad S. Leonem Magnum, testabatur epistolam illius ad Flavianum habitam fuisse ab omnibus, atque memoriæ mandatam, ut Symbolum fidei, 27.

S. Gaudentius Brixiensis. Ex ejusdem Sermonibus intelligimus paganos et Paganorum cultum suo tempore exstitisse in Brixiensi diœcesi, maxime vero inter Rusticos, 142. Ejus tractatus, seu sermo de ratione sacramentorum, quem habuit ad egressos a fonte neophytos, 202, 204.

Gennadius Massiliensis, in libro, seu catalogo de Viris Illustribus, recenset Niceam Romacianæ civitatis episcopum, 2, 185. Gennadianus codex San-Germanensis a Lequieno citatus vocem exhibet Remesianæ, 18, 19. Gennadii libro de Viris Illustribus multum debemus, 81. In hoc tamen opere nimium favit Gennadius Semipelagianorum parti, cui erat addictus, *ibid.* Alia quoque menda in eodem opere notarunt eruditi, 82. Ac præcipue operum S. Maximi Taurinensis nuperus editor ac illustrator, cl. Bruno Brunius, *ibid.* Non unum, sed tria errata in unico Bachiarii articulo notavit cl. noster Franciscus Florius in dissertationibus suis ad Bachiarii monachi opuscula, 83. Numquid igitur erravit Gennadius etiam in Niceæ seu Nicetæ articulo, dum illum Romacianæ civitatis scripsit episcopum ? *ibid.* *Et vide* Romatiana Civitas. In voce Remesianæ, quam habet Gennadianus codex San-Germanensis, unicus idem est ; nec videtur anteferendus omnibus aliis Gennadii codicibus quos novimus, et omnibus simul editionibus, quæ ex collatione codicum optimæ notæ factæ fuerunt, 88. Alii Gennadiani codices duo, alter Civitatensis, alter oppidi Sancti Danielis, qui in voce *Romatianæ* aliam variantem exhibent, 88, 89, 180. Hi duo codices uniformiter singulare habent additamentum, seu potius censuram, ad libellum Nicetæ quartum *adversus Genethlialogiam*, 193. Gennadii tamen fetus hoc additamentum seu censura non est, 196.

Genethlialogia, quid sit ; et quid genethliaci ? 193. Genethlialogia plurimum valuit apud gentiles, 194. Non pauci etiam ex iis qui Christianam religionem amplectebantur, genethliacis aurem præbebant, *ibid.* *Adversus Genethlialogiam* libellum ad competentes scripsit S. Nicetas episcopus Aquileiensis, 195. Antiquiores etiam Patres adversus genethliacorum nugacitatem stylum acuerunt ; necnon et Christianorum principum leges, *ibid.* Egregius S. Zenonis tractatus ad neophytos, in quo profanitatem genethliacorum in instructionem convertit neophytorum, 195, 196.

Gentilitas, et gentiles. *De erroribus Gentilitatis* libellum scripsit S. Nicetas Aquileiensis ; quia suo adhuc tempore, et in Aquileiensi ditione gentiles aderant, contra quos dimicare oportebat, 135, *seqq.* Multitudo gentilium in toto orbe Romano, quarto et quinto sæculo, 137. Quid in ipsa Urbe Roma ? 138. Quid in Ecclesia Ravennatensi ? 139. Quid in Taurinensi ? 140. Quid in Brixiensi ? 142. Quid demum in Aquileiensi ? *ibid.* Hic vero expenditur Rufini auctoritas a cl. Zabeo adducta, ut probaret gentilitatem in Aquileiensi Ecclesia non eguisse, Nicetæ tempore, diligenti impugnatione, 143, *seqq.* Etiam sæculo ineunte sexto in Ravennate urbe pagani erant, qui veterem idolorum cultum sequerentur, 147. Itidem, eodem cadente quoque sæculo, Terracinæ, non procul ab urbe Roma, paganismus aderat ; sicut etiam in Sicilia, Sardinia, et Corsica, 148.

Georgius Dominicus, editor Martyrologii Adonis, non bene opponit epistolas S. Innocentii papæ I pro astruendo S. Nicetæ Daci episcopatu in Romatiana civitate cis Danubium, 20. In dissertatione quoque historica de Cathedra Episcopali Setiæ, etc., non recte agnovit episcopales veras cathedras, et episcopos propriæ sedis ac veri juris, in tot Latii, et Campaniæ, et Tusciæ Suburbicariæ minimis etiam locis, etc., 101, *seqq.* In suo Adonis Martyrologio iis adhæret viris clarissimis, qui non probant S. Nicetæ Daci mentionem in Martyrologio Romano additam ad diem VII Januarii, 222.

Getæ, barbara gens, Gothi etiam dicti, ubinam siti Nicetæ Daci tempore ? 14.

Gothi, seu Gothorum pars, ad Christianam fidem perducti ; et quomodo ? 17. Hinc Gothorum Ecclesia, et Ecclesiæ Gothicæ martyres, *ibid.* Gothorum Ecclesia ubinam sita ? *ibid.* Gothorum episcopus Theophilus, qui Nicænæ synodo interfuit, *ibid.* Gothi Christiani in Romanas cis Danubium terras admissi, paganis trans Danubium permanentibus, 18. Gothi Ariani, *ibid.* In Gothorum gratiam, quarto sæculo, quatuor Evangelia in Gothorum linguam translata fuerunt, 159. Gothorum copiæ militares Arianismo fœdatæ pluries quarto et quinto sæculo et Aquileiam, et Aquileiensem agrum occupaverunt, 163.

Gradus, insula in æstuario Aquileiensi. Sedente Augustino Aquileiensi episcopo, proceres Aquileienses Castellum in insulæ littore construxerunt, 130. In Longobardorum adventu, Paulus Aquileiensis episcopus in Gradum insulam se recepit cum Thesauris Ecclesiæ suæ, 132.

Gratiæ divinæ dona per Spiritum sanctum ; et gratiæ necessitas ad salutem, 232.

S. Gregorius Nazianzenus. Num medium quemdam sta-

tum pro adultis admiserit in alia vita ; ubi neque sit gloria, neque pœna ? 279, 282.

H

S. Helena, Constantini Augusti mater ; quid virginibus Deo sacris, honoris causa, præstiterit ? 236.

Helias, Aquileiensis antistes, sæculo sexto inclinante, templum quoddam paganorum in monasterium puellarum transmutavit, 74, 147.

S. Hermagoras, protoepiscopus Aquileiensis et martyr. Ejus Acta, quæ severius habita olim fuerunt a viris criticis, sincera postmodum judicarunt alii ; quibusdam exceptis sequiore ævo additis interpolationibus, 119. In his protoepiscopus provinciæ Italiæ factus dicitur a beato Petro S. Hermagoras, *ibid.* Ad civitatem Tergestinam direxit presbyterum et diaconum ; et per alias civitates similiter fecit, *ibid.*

Hieronymiana Martyrologia. *Vide* Martyrologia.

Hierusalem dicebatur apud Hispanos, in monumentis ecclesiasticis, quævis ecclesia metropolitana, 87.

S. Hippolytus, episcopus Portuensis, et martyr, Romæ episcopus dictus invenitur ; et quare ? 97.

Honorati a S. Maria, de argumento a stylo petito sententia, 6.

Honorius Augustodunensis, de Scriptoribus Ecclesiasticis, loquitur de Nicea Romacianæ civitatis episcopo, 185.

Humanitas in Christo vera, sæculo quinto negata fuit ab Eutyche archimandrita, sed eam ante Eutychen negarunt plures alii hæretici, 22, 23.

Hunni. Hunnorum gentis, e Scythia majori post Tanaim, adventus in Daciam Transdanubianam, 178.

Hymnus virginitatis, quid sit apud sanctum Nicetam ? 216.

I

Illiberitani concilii canon 13, quid decernat de virginibus quæ pactum perdiderint virginitatis ? 261. Ex hujus canonis disciplina probabiliter S. Nicetas sancivit suam virginem lapsam a Deo solo exspectare debere remedium peccati, 285.

Imperium Occidentale occubuit, Barbarorum opera, anno 476, sancto Niceta Aquileiensem Ecclesiam regente, 164.

Indictionis nota in lapidibus, quam varie signata ? 78, 79.

Itala Latina versio sacrorum Bibliorum. Hæc in Occidente obtinuit usque ad sancti Gregorii Magni ætatem ; ac postea obsolevit, atque etiam interiit, 6. Hanc nobis restituit, non sine ingenti labore, manentibusque hinc et illinc lacunis, Petrus Sabatierius, *ibid.* Quid in hac veteri Latina versione in textu Evangelico : *Ibi erit fletus et stridor dentium ?* 7.

Italia. Italiæ provinciæ protoepiscopus factus dicitur a beato Petro apostolo S. Hermagoras in ejus Actis, 119. Tertiam terrarum Italiæ partem obtinuerunt Barbari sub Odoacre rege, 165.

Januarius, unus ex episcopis absque sede, qui Aquileiensi concilio interfuerunt anno 381. Idem fortasse est, qui Aquileiensis postea episcopus fuit ante Secundum, proximum S. Nicetæ antecessorem, 114. Difficultates ætatis exemplis et conjecturis solvuntur, *ibid.*, *et seqq.* Hujus Januarii Aquileiensis vigorem fidei S. Leo Magnus commendabat, *ibid.*, *et* 171.

Jovinus, archidiaconus Aquileiensis ; deinde unus fortasse ex episcopis absque sede, qui anno 381 Aquileiensi concilio interfuerunt, 113.

Judicium extremum. Num senserit S. Nicetas ad judicium extremum venturos absque morte, eos, quos Christi adventus vivos repererit ? 266. Quænam Græcorum Patrum opinio super hac re ? *ibid.* Quid S. Augustinus, qui rem ex professo sibi proposuit enucleandam ? *ibid.*, *usq. ad pag.* 269. Alii quoque Latini Patres, sancto Nicetæ contemporanei, id docuerunt, quod Nicetas ipse docuisse videtur de judicio ultimorum viventium, absque prævia morte, 269. Post S. Nicetæ ætatem, quamdiu hæc opinio perduraverit ? *ibid.*, et 270. Num senserit S. Nicetas differendam esse justorum gloriam, et impiorum pœnam usque ad extremi iudicii diem ? 274-277.

Justinopolitana Ecclesia. Episcopi Justinopolitani, in veteribus monumentis Aquileiensibus, exhibentur veluti canonici nati metropolitanæ Ecclesiæ Aquileiensis, 117, 297.

K

Kalendaria. Recensentur Kalendaria Aquileiensis Ecclesiæ, edita in fronte veterum Missalium Aquileiensium, etc., 225. Kalendarium Aquileiensis Ecclesiæ sæculi decimi tertii vulgavit cl. Althanus in suo opere de Kalendariis, p. 227. Primum Aquileiensis Ecclesiæ Kalendarium Romani ritus typis editum indicatur, 227 228. Ex Kalendariis potissimum particularium Ecclesiarum antiquitus coaluere Martyrologia, 230. *Vide* Missalia.

L

Laurentius ille papa (hoc est episcopus) cui suum Rufinus nuncupavit Commentarium in Symbolum apostolorum, ad quam Ecclesiam pertinuerit ? 68. Hic probabiliter unus etiam fuit ex episcopis auxiliariis Ecclesiæ Aquileiensis, qui fortasse aut Concordiæ sederit, aut ad Portum Romatinum pro episcopo Aquileiensi, 95. *Vide* Rufinus.

Lebrunius Petrus. Singularis hujus cl. viri opinio de Symbolo apostolorum quam refellit Muratorius, 240, 241.

Lectiones propriæ ad officium S. Nicetæ Aquileiensis episcopi, quas vulgarunt agiologi Bollandiani, nullius auctoritatis sunt, et nullius umquamusus fuerunt in Ecclesia Aquileiensi, 185.

S. Leo Magnus epistolam dedit ad S. Nicetam episcopum Aquileiensem, super variis necessitatibus Ecclesiæ ipsius, de quibus consultus fuerat, 9. Ad Flavianum episcopum Constantinopolitanum contra errorem Eutychetis, 24. Ad alios quoque super eadem re, *ibid.*, *seqq.* Celebritas et auctoritas epistolæ S. Leonis ad Flavianum ; quæ veluti Symbolum fidei habita fuit, 27. Textus epistolæ ad Flavianum collatus cum textu Explanationis S. Nicetæ, 18, 29. S. Leo non sumpsit a sancto Niceta (qui Dacus fortasse fuerit), quæ habet in citato textu epistolæ ad Flavianum contra Eutychetis errorem, 37. Testimonia collegit S. Leo Græcorum et Latinorum Patrum, pro dogmate asserendo veræ in Christo Humanitatis, contra Eutychetis errorem : in quibus nihil omnino ullius Nicetæ, 38. Gennadii omissio gravissima in S. Leone Magno, 82. S. Leonis epistola ad episcopos Africanos ; ubi de abusu multiplicandorum episcoporum in parvis obscurisque locis, 107, 108. S. Leo aliquam scriptionem proculdubio a S. Niceta Aquileiensi accepit super Ecclesiæ suæ necessitatibus, 157. Non erat vero cur S. Nicetas responsionem daret epistolæ S. Leonis, 158. S. Leonis epistola ad episcopum Aquileiensem super suspectis de hæresi Pelagiana, 167, 168. Alia ejusdem ad Aquileiensem episcopum Januarium, 171. Disputationes eruditorum super duabus epistolis S. Leonis, secunda nimirum ac decima octava, juxta editionem Ballerinorum ; et quid post rem disputatam inferendum ? 170, 171. Expenditur epistola S. Leonis ad Aquileiensem episcopum S. Nicetam, 184. S. Leo explicatam mentionem fecit processionis Spiritus sancti etiam a Filio, 272. Quid de Macedonianis, et de peccato contra Spiritum sanctum ? 290.

Lequienus Michael, auctor Orientis Christiani, exhibet nobis statum Christianæ rei in regionibus cis Danubium positis, S. Nicetæ Daci tempore, 16. Fatetur S. Nicetam Dacum verbum Dei prædicasse gentibus barbaris trans Istrum consistentibus ; et nihilominus eumdem Remesianæ cis Danubium facit episcopum, ex quodam codice San-Germanensi, quem citat, 18.

Libellus *ad Virginem lapsam*, sancti Nicetæ Aquileiensis episcopi. *Vide* S. Niceas seu Nicetas.

Liberius papa, beatæ memoriæ, Romæ, virginem consecravit S. Marcellinam, sororem S. Ambrosii ; atque ea occasione allocutionem habuit, quam nobis ipse S. doctor servavit, etc., 254, 255.

Lirutus Innocentius Maria, auctor Exercitationis, de sero metropoleon ecclesiasticarum Ortu in Occidente, 60. Et Italicæ dissertationis *sopra a primi vescovi Caprulensi*, etc., 96.

Lirutus Joannes Josephus plura de duobus Niceis, seu Nicetis Aquileiensibus scripsit : sed pleraque audet, quæ a viris clarissimis non probantur, 179, 182, 185.

Litaniæ peculiares Aquileiensis Ecclesiæ, in quibus S. Nicetas invocatur, 180. Invocantur etiam cum S. Niceta, sanctus Valerianus et sanctus Chromatius, 226. Aliæ litaniæ minores ejusdem Aquileiensis Ecclesiæ, id est minus prolixæ ; a quibus absunt hi tres sancti Aquileienses episcopi, *ibid.*

Locus lucis, et locus caliginis, ubi animæ reservantur usque in diem judicii juxta S. Nicetam ; quid reapse sit ? Et num ipse senserit differendam justorum gloriam et impiorum pœnam usque ad extremi judicii diem ? 274-279.

Lugdunensis Ecclesia, vel secundo sæculo, ad instar Metropolitanæ fuit, cum suffraganeis suis, sub sancto Irenæo episcopo, 120.

Lumina. Neophytorum lumina memorat S. Nicetas, 242. Lucem quoque sacrarum vigiliarum, quæ perstringere oculos posset, 243.

M

Macedonii hæresis. Macedonianismum et Macedorianos impugnat S. Nicetas in *Symboli Explanatione*, capite 9 ; tacito tamen Macedonii et Macedonianorum nomine, 40.

Probabiliter Macedonianos indicare voluit etiam capite 7, atque contra horum errorem communire competentes suos, 290.

Macedonius quidam, dictus urbis Romæ episcopus, sedente S. Cornelio papa ; et quare ? 97.

Manichæi, et Manichæismus. Aderant in Italia Manichæi S. Leonis Magni ætate, qui anno 444 contra eos ad omnes Italiæ episcopos scripsit, 165. Quanta Manichæorum et Manichæismi impietas? 166. Quam severe habiti Manichæi ab ipsis principum legibus? *ibid.* In Aquileiensi episcopatu fortasse non deerant Manichæi, S. Nicetæ ætate, ob infelicem temporum conditionem, *ibid.*

S. Marcellina, S. Ambrosii soror, Romæ in basilica S. Petri virginitatis professionem emisit, die Natali Salvatoris nostri, 253. A beatæ memoriæ Liberio papa velationem tunc accepit; qui etiam allocutionem ad eam habuit, 254, 255.

Marcionitæ. Unum ex Marcionitarum erroribus vidit cl. Zabeus in verbis Explanationis S. Nicetæ, cap. 4, non vero errorem Eutychianum, 165.

Martyrologia. Testimonia ex Martyrologiis petita, de S. Niceta Aquileiensi episcopo, *Proleg.* S. Nicetæ sanctitas, et sanctitatis opinio in qua decessit, ex illius nominis inscriptione in Martyrologiis comprobatur, 217. Martyrologium omnium vetustissimum illud est quod S. Hieronymo tributum fuit, cujusque duo aut tria prodiere variæ antiquitatis exemplaria, 218. Hieronymiana martyrologia paulo post obitum divi Hieronymi ortum habuerunt, 219. Ipsa nominis alicujus in Martyrologiis recensio, etiam absque ullo seu beati seu sancti titulo, satis testatur de illius individui sanctitate, *ibid.* Martyrologia antiquitus coaluere potissimum ex Kalendariis particularium Ecclesiarum, 230.

Matronæ nobiles a S. Niceta memorantur in libello *ad Virginem lapsam*, quæ sacrarum virginum oscula in ecclesia petebant, 73.

Maximus, unus ex episcopis absque sede, qui Aquileiensi concilio interfuerunt anno 381, idem fortasse est, qui Aquileiensis postea episcopus fuit inter Adelphum et Januarium, 114. Difficultates, quæ ex ætate oriri possunt, exemplis et conjecturis solvuntur, *ibid.*, *seqq.*

S. Maximus Taurinensis. Ejus sensus adversus Eutychianum errorem, conformes sensibus S. Leonis papæ in epistola ad Flavianum, et S. Nicetæ in Symboli Explanatione, 30. Gennadii erratum in S. Maximo Taurinensi, 82. Ex S. Maximi sermonibus intelligimus paganos non paucos eo tempore fuisse in Subalpinorum regione ; et maxime inter rusticos in pagis et villis constitutos, 140, 141. S. Maximus in Homilia de Traditione Symboli explicatam mentionem non fecit processionis Spiritus sancti etiam a Filio ; et quare ? 270, 271

Mazochius, canonicus. Ejus animadversio de duarum Mœsiarum linguis, 155. De sanctorum corporum inventione, a qua antiquitus sanctorum canonizatio sumebat initium, 229.

Mediolanensis Ecclesia. Hujus Ecclesiæ veneratio erga epistolam S. Leonis papæ ad Flavianum, 28. Mediolanensis episcopus S. Eusebius, sæculo quinto, ad Attilæ adventum, Mediolano aufugit cum clero et populo, etc., 151, 152. Idem fecit sæculo sexto S. Honoratus ad Longobardorum adventum; qui cum clero majori Ecclesiæ suæ Genuam perexit, ibique sedem fixit, etc., *ibid.*

Medium quemdam statum inter beatorum gloriam et damnatorum pœnas, num admiserit sanctus Nicetas ? *Vid.* Status medius, etc.

Metropolitana quælibet Ecclesia in Hispania, in monumentis ecclesiasticis, Jerusalem dicebatur, 87. Metropolitanæ ecclesiæ, veri nominis atque juris, sero in Occidente ortum habuerunt, 60, 120. Nihilominus, etiam ante ortum metropolitanarum, ad instar metropolitanarum fuerunt Ecclesiæ illæ majores, quarum antistites, auxiliares sibi episcopos, veluti suffraganeos, hic atque illic in propriis diœcesibus constituebant, 120.

Missalia Aquileiensis Ecclesiæ. Recensentur Missalia tria typis edita Aquileiensis Ecclesiæ, una cum Rituali libro, 225. Vetusta Aquileiensis Ecclesiæ Missalia et Kalendaria veterem præ se ferunt Ecclesiæ morem ; solos videlicet colendi Sanctos Martyres, festo die indicto cum peculiari officio et missa, paucis tantum decursu temporis, iisque celebrioribus inductis confessoribus, 226, 227. *Vid.* Kalendaria.

Mœsia. Mœsiæ duæ superior et inferior. Ex partibus utrique detractis, ubi sese invicem contingebant, Daciam suam novam Aurelianus imperator constituit, cui et Dardaniam addidit, 9, 10. Mœsia a Romanis Cererîs horreum appellata, 13. In Mœsia superiori Latini sermonis olim usus fuit, in inferiori Græci : Latini vero simul ac Græci, S. Nicetæ Daci ætate, in iis duarum Mœsiarum partibus, quæ una cum Dardania novam Daciam constituebant, 155.

Monasterium virginale. Monasterii virginalis mentio in libello *Ad Virginem lapsam*, 73, 244. Monasteriorum virginalium sub S. Nicetæ Daci cura, mentio nulla apud S. Paulinum Nolanum, *ibid.* Aquileiæ vero, S. Nicetæ Aquileiensis ætate, monasterium virginale exstitisse, plura sunt quæ suadent, 74, *seqq.* Elias Aquileiensis antistes, sæculo sexto inclinante, templum quoddam paganorum in monasterium puellarum transmutavit, *ibid.* S. Paulini patriarchæ Aquileiensis decreta in synodo anni 796 de Monasteriis puellarum, ac de eorum præcipue clausura, 75. Monasterium virginale Aquileiense, etsi fortasse dirutum in Attilana clade, fuit postea S. Nicetæ opera probabiliter restitutum, 80.

Iterum de monasterio virginali Aquileiensi, ejusque situ, 244. Quid de monasteriorum virginalium ortu in Occidente ? 244, 245. Quid de monasterii virginalis Aquileiensis antiquitate ? 245, 246. Quotenis virginibus sacris constabat sub S. Niceta monasterium virginale Aquileiense ? 246, 247. Exempla monasteriorum virginalium numerosorum in Orientis partibus, in Ægypto, in Africa, in Palæstina, 247. At non ita eodem tempore in Occidente, atque in Italia ipsa, *ibid.* Quid de monasterio virginali Bononiensi ? *ibid.* Quid in Ecclesia Romana, immo et in ipsa urbe Romæ ? 248.

Monasteria virginalia antiquitus sacras ædes proprias non habebant ; unde virginibus necessitas prodeundi, ut sacris adessent, 255. Hæc tamen monasteria, ut plurimum, proxima erant sacris ædibus ; ut probatur de Bethlehemitico, et ut conjicitur de Aquileiensi, 256. *Vide* Virginitas, *et* Virgines sacræ.

Monasterium virorum, quarto sæculo, Aquileiæ exstabat ; in quo Rufinus ac Hieronymus, aliique viri spectatissimi floruerunt, 74.

Montanistarum error, quo negabant Ecclesiæ facultatem peccata aliquot graviora dimittendi. *Vide* Novatianus.

Mulierum vanitatem in corporis cultu objurgat S. Nicetas, eamque graphice describit, 54.

Muratorius Ludovicus Antonius. Aquileiensem Ecclesiam in merito inter eas enumerat, quæ, juxta illum, nimium liberales fuerunt in colendis Sanctorum titulo suis priorum sæculorum episcopis, 216. Egregie refellit opinionem Lebrunii de Symbolo Apostolorum a nemine prorsus per quatuor aut quinque priora sæcula scripto : sed nonnihil et ipse allucinatus est, ex textu potissimum Augustini perperam lecto, etc., 240. Solidissime quoque confutavit, librum Thomæ Burnetti, de Statu Mortuorum et resurgentium, etc., 275.

N

Nestorianismus. Etiam Nestorianismus impetitur a S. Niceta in *Symboli Explanatione*, sed post Eutychianismum, et paucis verbis, 61. Nestorianismus S. Nicetæ tempore non audebat se prodere, quia et catholicos et Eutychianos habebat adversos, 62.

Niceas multos, Nicetas, Nicetos, Nicas, Nicetios, exhibent nobis Martyrologia Latinæ Ecclesiæ, Menologia quoque Græcorum, necnon et Kalendaria, 178.

Niceas Hypodiaconus Aquileiensis, de quo S. Hieronymus, non est Niceas seu Nicetas qui episcopus fuit Aquileiensis post Secundum, et qui a divo Leone Magno decretalem epistolam accepit, 55, 178. Proprium hujus Aquileiensis hypodiaconi nomen, non Nicetas, sed Niceas est, 179. Hic Niceas hypodiaconus, patria Aquileiensis fuit, 181.

S. Niceas, seu Nicetas, Dacorum episcopus, et S. Paulini Nolani amicus, non fuit episcopus civitatis Romatianæ, constitutæ in Dacia cis Danubium ; sed episcopatum gessit trans Danubium, 8 *seqq.* Civitatis Romatianæ in Dacia cis Danubium numquam meminit S. Paulinus Nolanus in prolixo carmine quod scripsit ad Nicetam redeuntem in Daciam, 10. Fuit hic S. Nicetas in Dacia Transdanubiana episcopus apostolicus, et ex ordine eorum qui gentium episcopi dicebantur ; atque a Romana sede fortasse illuc missus, 11. Fuit e Dardania oriundus, 12. Meminit S. Paulinus gentium barbararum, quas S. Nicetas Dacus ad Christianam religionem perduxit ; quæque non cis, sed trans Danubium sitæ erant, 12, *seqq.* S. Paulinus ita describit regionem et gentes ubi Nicetas suus episcopatum agebat, ut Daciam Transdanubianam et barbaras gentes in ea positas intelligamus ; nullatenus vero novam Daciam Romanam et populos in ea degentes, 14, 15. Hujus Nicetæ Daci mentio et elogium in Martyrologio Romano ad diem 7 Januarii, 16.

Nova Dacia Cisdanubiana, S. Nicetæ Daci tempore, non egebat alicujus episcopi apostolici opera ; et quia pagani barbari aut nulli aut pauci ibidem aderant, et quia episcopis propriis ac episcopalibus sedibus abundabat, 16. E con-

tra in Dacia Transdanubiana, et paganismus inter illas gentes barbaras dominabatur, et nulla episcopalis sedes erat; si unam Gothorum excipiamus Ecclesiam, quæ procul ad Tanaim sita, ad Daciam proprie dictam non pertinebat, 16, 17, 18. Gentibus trans Istrum positis prædicasse S. Nicetam Dacum fatetur Lequienus; et nihilominus eumdem Remesianæ cis Danubium facit episcopum, ex quodam Gennadii codice, 18. Quo circiter anno apostolatum suum inchoaverit S. Nicetas inter barbaras gentes trans Danubium, et quo circiter anno obierit? 19. Hujus S. Nicetæ merita prædicavit etiam S. Hieronymus; dum Bessorum, Scytharum, Hunnorum, atque Getarum in Christiana fide progressus testaretur, *ibid* Georgius Dominicus in suo Adonis Martyrologio non bene opponit S. Innocentii papæ I Epistolas duas, pro astruendo S. Nicetæ Daci episcopatu in Romatiana civitate cis Danubium, 20.

S. Niceas seu Nicetas Dacorum episcopus auctor esse non potuit *Explanationis Symboli ad competentes*, quam Gennadius tribuit Niceæ seu Nicetæ Romatianæ civitatis episcopo; quia in ea Eutychianæ hæreseeos mentio est, quam morte sua sanctus hic Nicetas longe præiverat, 34. Sancti Nicetæ Dacorum episcopi ætas inquiritur, et annus quo circiter ad superos evolavit; et hoc ex S. Paulini Nolani perpensa ætate, ex ejusdem dicendi modis, atque ex multis ipsius S. Nicetæ meritis inter barbaras gentes, 35, 36. Pomparum et Theatrorum, apud barbaras gentes quas erudiebat, meminisse non poterat S. Nicetas Dacus, 45. Neque illi occasio fuisse videtur ea dicendi, quæ habentur in *fragmento* tertio S. Nicetæ Gennadiani contra superfluum carnis ornatum, etc., in maribus et in feminis, 51. Libellus *ad Virginem lapsam*, quem Gennadius tribuit Niceæ seu Nicetæ Romatianæ civitatis episcopo, S. Nicetam Dacum, Paulini Nolani amicum, auctorem habere non potuit, 73.

S. Niceas seu Nicetas Dacorum episcopus, et Dardania oriundus, stylum habere non poterat nitidum, comptum, Latinum, qualem in *Explanatione Symboli* admiramur, 155. In Dacia vero barbara, ubi reapse episcopatum gessit, non erat cur Latino uteretur sermone, barbaris illis gentibus incomperto, 155, 156. S. Nicetas Dacus non est auctor Tractatuum duorum qui sub ejus nomine memorantur in Bibliotheca nova Manuscriptorum Labbei, de Vigiliis servorum Dei, ac de Bono psalmodiæ, 214. Defenditur invectio hujus sancti Nicetæ Daci in Martyrologium Romanum ad diem 7 Januarii a Baronio facta, 222, 223.

S. Niceas seu Nicetas, quem Gennadius memorat in libro de Viris Illustribus, et quem Romatianæ civitatis episcopum dicit, non est Niceas seu Nicetas ille Dacus qui sancti Paulini Nolani amicus fuit, etc., 21, *seqq*. Hic Niceas seu Nicetas in *Symboli Explanatione*, cap. 4, Eutychianum errorem impugnat contra veram in Christo humanitatem; de quo errore sermonem habere non poterat Niceas seu Nicetas Dacorum episcopus, 23, *seqq*. Errorem hunc Eutychianum indicat Nicetas Gennadianus iisdem dicendi modis, quibus S. Leo papa pluribus in locis, 24, 25, 26. Errorem eumdem impugnat Nicetas in *Symboli Explanatione* iisdem sensibus, iisdem momentis, iisdem pene verbis, quibus a S. Leone Magno impugnatur in epistola ad Flavianum, 27, 28, 29. Nec non eodem prorsus modo quo idem error post S. Leonem Magnum impugnatus fuit eodem quinto sæculo pluribus in locis a S. Maximo Taurinensi et S. Petro Chrysologo in Italia, et a Fausto Reiensi ac S. Avito Viennensi in Galliis, 30, *seqq*. Inquiritur ætas Nicetæ Daci, ut clarius appareat Nicetam hunc Dacum Explanationis illius auctorem esse non posse, in qua Eutychianus error impetitur, 34, *seqq*. Non S. Leo a S. Niceta, qui illum præcesserit, et Dacus fortasse fuerit; sed S. Nicetas a S. Leone sumpsit, quæ adversus Eutychianum errorem scripsit in *Symboli Explanatione*, 37. Non oportebat quod Nicetas Gennadianus Eutychen expresse nominaret in *Symboli Explanatione*, 40. Eutychianorum vero pseudoecclesiam nec poterat tunc nominare, 40, 41. Memorat Nicetas pompas atque theatra, oblectamenta scilicet Romani orbis, quæ apud gentes barbaras non obtinebant; quæque memorare Nicetas Dacus non potuisset, 45, *seqq*. Objurgat nimium corporis cultum, et superfluum carnis ornatum; abusus nempe, qui apud gentes barbaras, easque noviter ad fidem perductas, haberi non poterant, 51.

S. Niceas seu Nicetas, Romatianæ civitatis episcopus a Gennadio appellatus, est dubio procul Niceas seu Nicetas episcopus Aquileiensis, qui S. Leonis Magni tempore floruit, et ad quem ejusdem S. pontificis exstat epistola, 55, *seqq*. Probatur standum esse, ex præmissis, auctoritati codicis Ghisiani, qui S. Nicetam episcopum Aquileiensem auctorem facit *Explanationis Symboli ad competentes*; ejusdem nempe libelli quinti de Symbolo, quem Gennadius tribuit Niceæ seu Nicetæ Romatianæ civitatis episcopo, 55, 56. Judicium Caroli Fea, qui primus eruditis notam fecit inventionem in codice Ghisiano *Explanationis Symboli, ibid*. Si error aut in Gennadio subsit, aut in codice Ghisiano, credendum potius Ghisiano codici, quam Gennadio, 57. Ignoscendum illustribus viris qui, ante inventionem *Explanationis Symboli* in codice Ghisiano, in contrariam ierc sententiam, *ibid*. *Explanationis Symboli* titulus non est falsatus ab exscriptore, 58. Non est verisimilis intrusio vocis *Aquileiensis* in titulo opusculi *Explanationis Symboli, ibid*. Titulus hujus opusculi primævam suam et originalem sinceritatem ostendit, 59. Opusculum *Explationis Symboli* ea habet quæ tempus Nicetæ Aquileiensis designant, 61. Immo ea etiam quæ Aquileiensis Ecclesiæ fetum opusculum illud ostendunt, 63. Hoc secundum probatur ex vestigiis peculiaris Symboli Aquileiensis, quæ in Explanatione S. Nicetæ apparent satis manifesta; licet illius Symboli usus, saltem publicus, tunc temporis in Aquileiensi Ecclesia in desuetudinem abiisset, *ibid*., *usque ad* 67. Item probatur ex multis quæ in Explanatione adsunt Rufini Aquileiensis Commentario in Symbolum plane conformia, 67-72. Etiam libellus *ad Virginem lapsam*, qui germanus est *Explanationis Symboli*, et a Gennadio citatur inter Nicetæ Romatiani opuscula, indicia habet tum generalia tum particularia Aquileiensis originis; quæ propterea Gennadianum Nicetam magis magisque confirment non alium esse quam S. Nicetam Aquileiensem episcopum, 74, *seqq*.

Sanctus hic Nicetas in aliquo ex Gennadianis codicibus enuntiatur, non Romatianæ, sed Romanæ civitatis episcopus, 93. Hæc enuntiatio monere fortasse clarissimum De Rubeis debuisset felicis interpretationis suæ pro S. Chromatio Aquileiensi, qui similiter Romanus episcopus dictus fuerat, 94.

Sanctus Niceas seu Nicetas episcopus Aquileiensis, probabiliter dictus fuit Romatianæ civitatis episcopus, quia, antequam episcopalem sedem Aquileiensem conscenderet, episcopus fortasse fuerit auxiliaris Aquileiensis Ecclesiæ ad portum Romatium, seu Romatinum situs, 95, *seqq*. Hic Romatius seu Romatinus portus, ubi fortasse S. Nicetas, veluti auxiliaris episcopus Aquileiensis Ecclesiæ, sedit, antequam Aquileiensem capesceret episcopatum, fuit probabilius ipse Romatius seu Romatinus Plinii portus, qui ad ostium fluvii ejusdem nominis situs erat, 123. Romatianæ civitatis episcopus dici quoque potuit S. Niceas seu Nicetas, quia probabiliter ad portum Romatium seu Romatinum sederit non infrequenter, etiam cum Ecclesiæ Aquileiensis clavum teneret, 124, *seqq*. Neque repugnat dici posse, et eumdem ad Romatinum Plinii portum prius sedisse veluti auxiliarem episcopum Ecclesiæ Aquileiensis; et postea Aquileiensem episcopum constitutum, non infrequenter etiam diversatum fuisse in portu Romatino novo, seu potius in ejusdem nominis civitate, *ibid*., *et* 134. Anno 454, episcopatum Aquileiensem inchoavit S. Nicetas: sed alibi probabiliter, potius quam Aquileiæ, habitavit, primis saltem episcopatus annis; et fortasse in portu Romatino novo, qui jam tunc speciem quamdam civitatis haberet; unde episcopus civitatis Romatianæ facile dici potuit, 131.

Diluuntur criminationes cl. Zabei in S. Nicetam Aquileiensem; parcitatis nempe scribendi, etiam in urgenti necessitate Ecclesiæ suæ, et neglectus responsionis ad S. Leonem, 157.

Aquileiensis hic episcopus, Niceas est ne dicendus, an potius Nicetas? 179. Quid de illius patria sentiendum? 181. Quo anno Aquileiensem episcopatum adivit? 182. Quo anno, et quo die ad superos evolavit? 183. Expenditur epistola S. Leonis papæ ad eumdem, 184. Opuscula recensentur S. Nicetæ ex Gennadio, Honorio, atque Trithemio, 185. Quid opusculum S. Nicetæ primum *ad Competentes*, quod desideratur, continere potuerit, ex Gennadii indicatione, atque ex consimilibus SS. Patrum lucubrationibus, inquiritur, 187. Similiter de secundo, quod pariter desideratur, *de Erroribus Gentilitatis*, 189. Item de tertio, quod est *de Fide unicæ Majestatis*, 190. Præclara quædam de hoc opusculo tertio, 191, 192, 193. Quid fuerit opusculum quartum, quod itidem desideratur, *Adversus Genethlialogiam?* 193. Vix aliud appositum opusculum hujus argumenti, quod ad competentes esset, in tota antiquitate invenitur, 195. Expenditur censura ad hoc S. Nicetæ opusculum duorum nostrorum Gennadii codicum, et S. Nicetas a Pelagianismi, seu Semipelagianismi nota defenditur, 196, 197. Quid sit opusculum S. Nicetæ quintum *de Symbolo*, quod nuper inventum fuit, explicatur, 198. Num hoc opusculum, seu hic sermo *de Symbolo* habitus fuerit a S. Nicetæ ad competentes in Symboli traditione, an vero in eorum redditione, inquiritur, 199, 200. Quid sit opusculum S. Nicetæ sextum, quod desideratur, *de Agni paschalis Victima;* et num ad competentes proprie dictos habitum fuerit, an potius ad neophytos seu ad infantes? 200 204. Septimus S. Nicetæ liber recensetur jamdiu notus, est qui *ad Virginem lapsam:* ejus vices indicantur, ejus

epitome datur, ejus meritum aperitur, atque ejus usus apud ecclesiasticæ eruditionis cultores, 205, *seqq.* ***Fragmenta*** expenduntur opusculorum S. Nicetæ, quæ desiderantur; et cui quæque opusculo adjudicanda sint inquiritur, 206, *seqq.* Quis opusculorum S. Nicetæ stylus? 209, 210. Quo tempore, quove in loco positus, opuscula indicata scripserit S. Nicetas? 210, *seqq.* Num, præter opuscula indicata, aliquid aliud elucubraverit S. Nicetas? 213. Recensentur ea quæ alibi indicantur de S. Niceta, aut sub alicujus Nicetæ nomine; et ea quoque quæ ab eo scripta fuisse conjicimus, 214, 215, 216.

Sancti Nicetæ Aquileiensis episcopi vitæ sanctitas demonstratur, et sanctitatis opinio in qua decessit ex illius nominis inscriptione in Martyrologiis, 217. Quandonam locum obtinuit in Martyrologiis S. Nicetas? 218. Licet ad genuinum et primigenium Hieronymianum Martyrologium S. Nicetæ nomen non pertineat, vetustissima nihilominus est illius nominis accessio in iisdem Hieronymianis Martyrologiis, 219. Fit satis objectionibus virorum clarissimorum, qui in Martyrologiis, ubi ad x kal. Julii mentio est S. Nicetæ, etc., videre volunt Nicetam Dacum, non autem Aquileiensem; quique S. Nicetæ Daci mentionem ad diem 7 Januarii in Martyrologio Romano positam, posteriorem additionem dicunt pro arbitrio factam, 220, 223. Sancti Nicetæ sanctitas alia etiam ratione ostenditur, ac præcipue ex duobus opusculis quæ de eodem supersunt, 223, 224.

Quid nunc de S. Nicetæ Aquileiensis cultu, maxime vero in Ecclesia Aquileiensi? 224, 230. Fit satis animadversionibus eruditorum, atque etiam clariss. Zabei super hac re, 225, *seqq.* S. Nicetæ Aquileiensis episcopi (sicut et aliorum Aquileiensium episcoporum S. Valeriani et S. Chromatii) nullæ exstant apud nos sacrorum cinerum reliquiæ; neque constat quod exstiterint aliquando in tam celebri sacrarum reliquiarum thesauro Aquileiensis Ecclesiæ, 229. Quid inde inferimus cum clarissimo Mazochio? 230.

Nonnulla expenduntur quæ a S. Niceta aut minus exacte, aut durius dicta videri possent, 264, *seqq.*

Norisius, cardinalis, non satis accurate scripsit, plurimos fuisse in Aquileiensi Ecclesia ex ordine clericali, qui S. Leonis Magni tempore de hæresi Pelagiana erant suspecti, 170. *Vide* Pelagiani, *et* Pelagianismus.

Novatianus, pseudopapa, ordinatus episcopus dicebatur a duobus Aquileiensibus episcopis, Marcello et Alexandro, 109. At hi non alii fuisse ostenduntur quam auxiliares episcopi Ecclesiæ Aquileiensis, *ibid.*, *et seqq.* Immo neque Novatiani ordinatores fuere; et probabiliter neque illius asseclæ in schismate, 111.

Novatianorum error, quo negabant Ecclesiæ facultatem peccata aliquot graviora dimittendi; et num S. Nicetas quodam loco *ad Virginem lapsam* sententiam Novatianam protulerit? 284, *seqq.* In re hujusmodi doctrinam distinguere oportet a disciplina, 285.

O

Oculorum vox in textu evangelico, *Ibi erit fletus et stridor dentium*, invenitur apud S. Nicetam in utroque opusculo, 6. Hæc vox paucissimorum omnino codicum fuit in veteri Latina versione Itala dicta, 7. Hujus vocis usus in utroque opusculo germanitatem illorum opusculorum confirmat, *ibid.* Hanc vocem *oculorum*, bis a S. Niceta usurpatam in libello *ad Virginem lapsam*, non animadverterunt Maurini editores Operum S. Ambrosii, 8. Hac voce numquam usi sunt, in eodem Evangelico textu referendo, sancti Ecclesiæ Patres, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, in genuinis Operibus quæ habemus, *ibid.*

Opiliones consules duo; alter anni 453, alter anni 524, 78. Defenditur consulatus primi in inscriptione sepulcrali sacræ virginis Aquileiensis Columbæ, *ibidem.*

Oratio Dominica. Competentibus ad baptismum, una cum Symbolo fidei, etiam oratio Dominica tradebatur; et etiam de hac oratione sermones ab episcopis habebantur, 152.

Osopiensis lapis sanctæ Columbæ virginis. *Vide* S. Columba.

P

Paganismus. *Vid.* Gentilitas, *et* Gentiles.

Pagius Antonius, a Wesselingio notatus ob vocem *Romatianam* Gennadii, quam videre voluisset etiam in Itinerario Antonini, 84.

S. Pamphili martyris Apologia pro Origene; et quid de eadem sentiret divus Hieronymus, 4. Sub nomine S. Pamphili, ex versione Rufini, exstat liber adversus Mathematicos, etc., 195.

S. Paulinus Nolanus episcopus, S. Nicetæ Daci amicus. Ejus carmen ad Nicetam redeuntem in Daciam, 10, *seqq.*, 35, 36. Quo anno ætatis atque æræ vulgaris ad superos evolavit? 35.

S. Paulinus patriarcha Aquileiensis. Ejus concilium Forojuliense, et canones duo ad disciplinam virginalem pertinentes, 75. Hujus S. Paulini nomen non invenitur in Kalendario Aquileiensi Ecclesiæ sæculi decimi tertii, 227. Hic vocem *Filioque* ad Symbolum in Italiam primum invexit, 273.

Peccata, et peccatores. Peccata ad mortem ducere docebat S. Nicetas, 234. Peccata sunt graviora quæ scandalum præbent fidelibus, quæque infideles blasphemare faciunt nomen Domini, 234. Nihil sibi peccatores blandiantur in peccatis ex multitudine sociorum, 234.

Communis Ecclesiæ praxis erat, S. Nicetæ Aquileiensis ætate, ut majus et gravius peccatum censeretur, quod inquisitione facta innotesceret, quam si illud ultro peccator confessus fuisset, 258. Ex illius temporis disciplina, aliqua etiam occulta peccata publica erant confessione pandenda, ad publicum subeundum pœnitentiæ remedium, 259. Quid inquisitio unc temporis in peccata, atque delatio; et quid ex ea nunc vigeat disciplina? *ibid.* Quid de peculiari peccato virginis sacræ, quæ se violari clanculum permisisset, ac postea detecta esset invita? 259, 260. Virginis sacræ violator, cujus criminis reus censebatur? 263.

Distinctio communis apud Patres inter peccata in Deum, et peccata in fratres, seu in homines, 285. Inter peccata in Deum, immo inter graviora hujus generis peccata, merito recensebat S. Nicetas peccatum suæ virginis lapsæ, 285. Quid peccata in Spiritum sanctum? Et num S. Nicetas aliique Patres prorsus irremissibilia dixerint peccata hujusmodi in Spiritum sanctum? 289, 290.

Pelagiani, et Pelagianismus. Hæresis Pelagiana habuit quidem sectatores in Aquileiensi provincia, vel ab initio sæculi quinti, Ecclesiastici ordinis homines, 167. Epistola S. Leonis Magni ad episcopum Aquileiensem anno circiter 442, super suspectis de hæresi Pelagiana, *ibid. et* 168. Pelagiani, numquam pseudoecclesiam peculiarem sibi constituerunt, *ibid.*, *et* 169. Pauci erant numero in Ecclesia Aquileiensi sancto Leone Magno pontifice, et ex ordine tantum clericali; neque vero absolute atque aperte Pelagiani, 170. Quid de Pelagianismo in provincia Aquileiensi, post citatam S. Leonis epistolam anni 442? *ibid.* Quid sedente Aquileiensi episcopo Januario; ad quem alia S. Leonis epistola anno 447? 171, 172. Quid demum S. Nicetæ episcopi tempore, qui ab anno 454 ad 485 Aquileiensem tenuit episcopatum? *ibid.*

A Pelagianismi seu Semipelagianismi nota S. Nicetas Aquileiensis episcopus vindicatur, contra censuram duorum Gennadii codicum Forojuliensium, 196, 197.

S. Petrus Chrysologus episcopus Ravennatium. Ejus epistola ad Eutychen; et ejus sensus adversus Eutychianum errorem, conformes sensibus S. Leonis papæ in epist. ad Flavianum, et S. Nicetæ in *Symboli Explanatione*, 31. Ex ejusdem S. Petri Sermonibus eruimus paganos non paucos exstitisse tunc temporis in ea Italiæ parte, et in ipsa sua Ravennatensi diœcesi, 139. Eximiis laudibus celebravit Adelphum seu Delphinum episcopum Aquileiensem in concione habita ad populum Ravennatensem, eodem præsente, 217. Præclare suos veluti gradus constituit in fidei professione; et suum assignat credulitati locum, et quid credulitas valeat aperit, 265. Quid senserit de judicio extremo ultimorum viventium; num prævia morte, an absque morte sistendi judicio sint? 269.

Phantasma. In phantasmate dicebant Eutyches et Eutychiani factam Domini incarnationem, 22, 25. Phantasmaticos Christianos appellabat Eutychianos S. Leo Magnus, 25. Phantasmatis prædicator dictus fuit Eutyches a S. Avito Viennensi, 32. Contra Phantasma idem S. Avitus libros scripsit, 33.

S. Pius papa I, patria Aquileiensis, exhibetur in quadam pictura apud Bosium et Aringhium, veluti initiationem peragens Christianæ virginis, etc., 251.

Plinii locus, de Romatino portu et fluvio, 89.

Pœnarum æternitas pro impiis, a S. Niceta luculenter asseritur, 232, 233.

Pœnitentia, prout est animi affectio, qua peccata detestamur, et pro peccatis Deo libere satisfacimus. Pœnitentiam lapsis necessariam docebat S. Nicetas, 235. Secundum conscientiæ molem exhibenda est pœnitentiæ magnitudo, *ibid.*

Pœnitentia, prout est veteris ecclesiasticæ disciplinæ pars. Communis Ecclesiæ praxis erat, S. Nicetæ Aquileiensis ætate, ut graviori pœnitentia puniretur peccatum aliquod, quod inquisitione facta innotesceret, quam si illud ultro peccator confessus fuisset, 258. Quoti temporis pœnitentiam indixerit S. Nicetas suæ virgini lapsæ? 260. Super pœnitentia publica virginibus lapsis infligenda expenditur auctoritas S. Cypriani, et canon 13 concilii Illiberitani, 260, 261. Agonem pœnitentiæ appellat S. Nicetas cursum pœnitentialem; et quare? 261. Quibus exterioribus actibus pœnitentiam publicam agere debebat, ex S. Nicetæ prescri-

pto, lapsa virgo monasterii sui? 261. Quid agere quoque debebat eodem tempore ad concipiendum animo, nutriendumque dolorem perpetrati propudii? 262. Quoti temporis pœnitentiam publicam indixerit S. Nicetas violatori virginis sacræ? 263. Quibus actibus pœnitentialibus constare debebat hujus violatoris publica pœnitentia? 263. In infligendis antiquitus publicis pœnitentiis ratio habebatur et sexus, et virium, *ibid.*

Pœnitentia, prout est sacramentum, quo absolutio peccatoribus impertitur. Juxta veterem nonnullorum canonum sanctionem, quorumdam criminum reis, neque in exitu vitæ absolutio impertiebatur, 285, 286. Ex hac veteri severitate processit fortasse hodiernus disciplinæ vigor, quo absolutio quorumdam peccatorum, aut summo pontifici, aut locorum ordinariis reservatur, *ibid.* Vetus illa severitas non fuit tamen communis totius Ecclesiæ disciplina : sed nihilominus alicubi obtinebat etiam sæculo quinto, atque eadem S. Nicetæ ætate, 286, 287. Eodem quinto sæculo modum posuerunt Romani pontifices huic severitati : ac tandem S. Leo Magnus sancivit eamdem servandam esse in posterum tantummodo circa eorum personas qui in Deum a fide discedendo peccarunt, 287, 288.

Politus Alexander. Novitatis accusat opinionem sanctitatis Nicetæ episcopi apud Aquileienses; et cultum non approbat eidem ab ipsis præstitum, si id fecerint absque certo aliquo judicio Romanæ Ecclesiæ, 224.

Pompæ diaboli, quibus ante baptismum renuntiabant veteres Christiani ante Constantinum Magnum, quid? 44. Quid *pomparum* vocabulo intelligeretur, postquam pompæ veri nominis, data Ecclesiæ pace, desierunt? 44 et 45.

Pomposianum monasterium. Celeberrimi hujus olim monasterii bibliotheca, sæculo cadente undecimo, possidebat S. Nicetæ libellum *de Fide unicæ Majestatis*, sive *de Ratione Fidei*, quem Gennadius memorat, quemque nos desideramus, 191. Cur vero libellus hic S. Nicetæ, qui in Pomposiano monasterio undecimo desinente sæculo exstabat, postea perierit? 193. Duo alia S. Nicetæ opuscula eadem bibliotheca habebat, eodem cum præcedenti libello compacta volumine, et a scriptoribus veteribus non memorata, 214.

Portus Gruarius hodiernus non est portus Romatinus a Plinio indicatus, 91, 92. Portus Gruarius post Attilanam cladem e ruinis Concordiæ crevit, *ibid.* Portus Gruarius probabiliter est illa civitas Romatiana, de qua Gennadius, 92, 93. Portus Gruarius, melius fortasse dici debuisset portus Romatinus novus, aut civitas Romatiana, *ibid.* Ad hunc portum Romatinum novum probabiliter aliquandiu sedit S. Nicetas episcopus Aquileiensis; indeque Romatianæ civitatis episcopus appellatus fuit, 131. Ad hunc Portum Gruarium hodie sedet episcopus Concordiensis; qui ideo episcopus Portus Gruarii vulgo etiam appellatur, 133.

Portus Romatinus a Plinio indicatus, trans Concordiam stetit, ad ostium Romatini fluminis, 91, 92. Post Aquileiæ et Concordiæ fatum, Romatinus Plinii portus veluti ab orbe evanuit, 92. Ad hunc Romatinum Plinii portum, ante Aquileiæ et Concordiæ fatum, probabiliter sederunt auxiliares episcopi Aquileiensis Ecclesiæ in hac Venetiæ parte siti, 123. Et fortasse etiam S. Nicetas, si auxiliaris episcopus Ecclesiæ Aquileiensis fuit ad portum Romatinum, antequam ejusdem Ecclesiæ clavum teneret, 124, 134.

Presbyteri, et presbyterium. Omnes, aut pene omnes presbyteri episcopalis sacerdotes, antiquitus episcopali etiam ordinatione fulgebant, 97. Episcopi mere auxiliares a presbyteris, ut plurimum, non distinguebantur, et presbyteri etiam appellabantur, 100. Concilium Sardicense statuit ut episcopus non constitueretur in pago aut parva urbe, ubi presbyter sufficiebat, *ibid.* Hoc ipsum recolendum dedit Africanis episcopis S. Leo Magnus, 108. In concilio Aquileiensi anni 381, non plures quam duo presbyteri interfuerunt; et alii omnes fuerunt episcopi, 112. Presbyteri illi, qui in Actis S. Hermagoræ protoepiscopi Aquileiensis dicuntur ab eodem directi ad civitatem Tergestinam, et ad alias similiter civitates, fortasse erant etiam episcopali gradu donati, 119.

Prudentius. Num admiserit in alia vita medium quemdam statum pro adultis; ubi neque sit gloria, neque pœna, 280, 281.

Psalmi quinquagesimi recitatio quotidiana indicitur a S. Niceta virgini lapsæ monasterii sui; sed usque ad versiculum decimum nonum, 262. Hujus ejusdem psalmi intercisa recitatio, sicut etiam aliorum similiter, præscribitur in antiquis pœnitentialibus libellis, *ibid.*

Pseudoecclesiæ. Pseudoecclesias Manichæorum, Cataphrygarum, Marcionistarum nominat S. Nicetas in *Symboli Explanatione*, 39. Cur non pseudoecclesiam Eutychianorum? 40. Pseudoecclesias, ut plurimum, non statim ab ortu errorum suorum constituerunt sibi hæretici homines; sed post temporis lapsum, 41. Pseudoecclesiæ Arianorum exemplum, *ibid.* *et* 42.

R

Ravennatensis Ecclesia. Hæc ab ætate saltem S. Petri Chrysologi metropolis ecclesiastica facta fuit : et nihilominus illius antistites ante annum 533 simplici episcoporum titulo appellati fuerunt in papyris, 60.

Renuntiatio. *Vide* Abrenuntiatio.

Reservatio animarum, seu in loco lucis, seu in loco caliginis, ad diem usque adventus Domini; quid apud S. Nicetam? 275, 279.

Residentia episcoporum. Liberum olim erat episcopis in propria diœcesi quocumque vellent loco permanere, 125, *seqq.* *Vide etiam* Cathedralis Ecclesia.

Resurrectio mortuorum. Quid sibi velint S. Nicetæ verba, quod, resuscitatis omnibus, justa erit bonorum malorumque distinctio; et quod tunc fulgebunt justi sicut sol, etc., impii vero, etc.? 277, 278.

Revelationes divinæ, alicui privatæ personæ de privatis rebus, sancti Ambrosii et sancti Nicetæ Aquileiensis ætate, minime raræ, 132.

Riphæi montes, sive Riphææ oræ, 13.

Romana Ecclesia, Romana sedes, Romanus pontifex. Romani pontifices a priscis usque temporibus gentium episcopos ordinabant, pro gentilium conversione, pag. 11. S. Nicetas Dacus a Romana sede fortasse in Daciam barbaram missus fuit, ut ibi illarum gentium esset apostolus, 11, 15. Auxiliarium episcoporum Romanorum pontificum, qui Romæ apud eosdem degebant, et Romæ aut urbis Romæ episcopi dicebantur, exempla tria, 97, 98. Dicti etiam fuere posterioribus sæculis episcopi diœcesani sanctæ sedis apostolicæ, 98. Alii alterius generis auxiliares episcopi Romanorum pontificum, qui ab ipsis passim constituebantur in Latio et Campania et in Tuscia suburbicaria, etiam in vilioribus oppidulis, 101, 102. Quam arctis limitibus circumscripta esset horum episcoporum auctoritas, 103. Apostolicæ sedis providentia pro nimium multiplicato episcoporum numero in Ecclesiis Africæ, 107. Romani pontifices, etiam quinto sæculo, dimicare debuerunt adversus ethnicam superstitionem in ipsa urbe Romæ sese extollentem, 138. Romanæ Ecclesiæ præconia, *ibid.* Consultationes synodicæ Orientis et Occidentis ad apostolicam sedem, 184. Consultationes S. Nicetæ Aquileiensis episcopi ad eamdem, *ibid.*

Romatiana civitas; seu potius Remesiana, aut Remisiana, vel Romessiana, in Dacia Cisdanubiana sita erat, 10. Civitatis hujus non meminit S. Paulinus Nolanus in carmine ad Nicetam redeuntem in Daciam, *ibid.* Varietates veterum monumentorum in hac Daciæ Cisdanubianæ civitate nominanda, 84.

Romatiana civitas, a Gennadio memorata in Niceæ seu Nicetæ articulo, non est in Dacia inquirenda, sed in veteri diœcesi, seu provincia Aquileiensi, 81, *seqq.* Fortasse non erravit Gennadius, dum Nicetam suum scripsit Romatianæ civitatis episcopum; sed erraverunt potius illi qui eamdem civitatem, non modo extra diœcesim et provinciam Aquileiensem, sed etiam tam procul in Dacia Cisdanubiana quæsierunt, 83. At civitas illa Daciæ in veterum monumentis numquam Gennadiano vocabulo Romatiana, seu Romaciana dicta fuit, 84.

Cardinalis Baronius Romatianam civitatem Gennadii, Aquileiam esse dixit; et cardinali Baronio nonnulli ex eruditis consenserunt, 85. Longe tamen plures opinionem illius, et opinionis fundamentum in discrimen vocarunt, ut Romatianam Gennadii uno ore in Dacia Cisdanubiana collocarent, 86. Opinio Baronii, seu opinionis fundamentum, etiam in hac litterarum luce, si luberet, posset illustrari et aliquo modo fulciri, *ibid.* Sed deserendus hoc loco omnino videtur Baronius, in eo quod Romatianam Gennadii civitatem, ipsam voluit esse Aquileiam; defendendus vero, quod Romatianæ civitatis nomine ipsum Nicetæ intellexit Aquileiensem episcopatum, 87. Variantes lectiones vocis Romatianæ in editionibus et codicibus Gennadianis, *ibid.*, *et* 88, 89.

Quisnam in Aquileiensi amplissima diœcesi, S. Nicetæ tempore, locus, qui respondeat appellationibus Romatianæ, etc., etc., quæ inveniuntur in Gennadii editionibus atque codicibus? 89. Hic locus est portus Romatinus; et locum hunc primus omnium indicavit in sancto Aquileiensi episcopo Niceta noster Lucretius Treus, *ibid.* Verba Plinii afferuntur de portu Romatino, et variantes editionum Plinianarum lectiones in voce Romatinum, *ibid.* *et* 90. In Plinii verba animadversiones Philippi Cluverii : item Hofmanni, et Baudrandi sensus de Romatiana urbe, de Romatino fluvio, et Romatino portu, *ibid.* *et* 91. Portus tamen Plinii Romatinus post Attilanam cladem veluti ab orbe evanuit, 92. Portus Gruarius hodiernus, ad eumdem Romati-

num fluvium situs, probabiliter est illa civitas Romatiana quam Gennadius memorat in Niceta, 92, 93. *Vide* Portus Romatinus, et Portus Gruarius. *Vide* etiam *De Rubeis*.

Probabiliter ad portum Plinii Romatinum se recepit S. Chromatius Aquileiensis episcopus, anno præsertim 400, quo Aquileiensis ager patuit barbarorum copiis, Alarico duce; ubi etiam cum moram fortasse traxerit diuturniorem, Romatinus, seu Romatius episcopus dici potuit, potius quam Romanus, 129. Ad portum vero Romatinum novum, sive Gruarium probabiliter episcopatum suum Aquileiensem inchoavit S. Nicetas, ibique etiam diuturnam traxi moram, aut iterato ibidem etiam rediit, unde Romatianæ civitatis episcopus dici potuit, et ita a Gennadio quoque nuncupari, 151. Exempla aliquot in hanc rem ex Ecclesia Mediolanensi; item ex Concordiensi, ac demum ex ipsa Aquileiensi Ecclesia, *ibid.*, *seqq.*

De Rubeis Bernardus Maria, Aquileiensium rerum illustrator, Baronii opinionem impugnavit de civitate Romatiana Gennadii, 86. Difficultatem nuncupationis Romani episcopi in S. Chromatio episcopo Aquileiensi apte diremit, ut eum potius Romatinum patria diceret, ex Romatino portu Aquileiensis ditionis, 93. Cur vero nihil saltem hujusmodi excogitavit pro sancto Niceta, quem Gennadius dixit Romatianæ civitatis episcopum, aut etiam Romanæ, ut in aliquo codice? 94. Duos Aquileienses episcopos nuncupatos, Marcellum et Alexandrum, rejecit; sed ad auxiliarium episcoporum disciplinam animum non advertit, 109, *seqq.*

Rufinus Aquileiensis. Ejus Commentarius in Symbolum apostolorum, et hujus Commentarii laudes, 67. Quo anno, quove in loco positus Commentarium illum elucubraverit, nihil compertum apud scriptores, 68. Ab initio Commentarium hunc innotuisse Aquileiensibus dubitari nequit, 69. Rufini Commentarium veluti data opera in compendium redegit Venantius Fortunatus in sua *Symboli expositione*, 68, 69. Multa Rufini Commentario conformia in *explanatione* S. Nicetæ, 70, 71. Probabiliter dum Aquileiæ presbyterum ageret Rufinus, Commentarium illum suum concinnavit, 143. Rufinus in Commentario data opera et diligenter impugnavit gentilitatem, *ibid. seqq*, Rufinus Aquileiæ baptismum accepit, non a S. Valeriano episcopo, sed a S. Chromatio tunc Aquileiensi presbytero, 150. In Commentario suo rationem affert cur Aquileienses præsules Symbolo apostolorum inseruerint nota Aquileiensis formulæ additamenta, 160, 161. Explicatam quoque mentionem fecit processionis Spiritus sancti etiam a Filio, 273.

S

Sabatierius Petrus, Italæ Latinæ versionis editor, vocem *oculorum* in textu Evangelico, *Ibi erit fletus et stridor dentium*, bis tantum usurpatam vidit apud veteres, ideoque eam in textu Italæ suæ non admisit, 7.

Salvianus. Quid de Trevirensium insania erga circensia ac theatralia spectacula, in ipso eversæ Urbis excidio? 49, 50. Num medium quemdam statum admiserit Salvianus pro adultis in alia vita, ubi neque sit gloria, neque pœna? 282, 283.

Sancti et sanctorum cultus. Omnes episcopi antiquitus sancti et sanctitatis titulo viventes donabantur, 216. Non ideo tamen omnes post mortem sanctitatis cultum obtinebant, exceptis episcopis martyrii gloria coronatis, *ibid.* Tres tantummodo sunt Aquileienses episcopi non martyres quinque priorum sæculorum, qui sanctitatis cultum obtinuerunt, *ibid.* Exempla afferuntur Aquileiensium episcoporum quinti sæculi, qui quamvis et sancti et sanctitatis titulo viventes honorati fuerint, sanctitatis cultum post mortem minime obtinuerunt, 217. Sanctitatis alicujus testimonium est, ipsa illius nominis in Martyrologiis recensio, *ibid.* Et hoc, etiamsi recenseatur absque ullo seu beati seu sancti titulo, 219. Sancti ac beati denominatio in veteribus Martyrologiis non est æstimanda juxta vigentem Ecclesiæ disciplinam, qua beati inferiores gradu a sanctis censentur in cultu, 220. Quænam antiquitus ratio fuerit colendi sanctos, cum viris clarissimis investigatur, 225. Soli sancti Martyres antiquitus in Ecclesia celebantur, festo die indicto cum peculiari officio et missa, paucis tantum, decursu temporis, eisque celebrioribus, inductis confessoribus, 226, 227. Sanctorum non martyrum paulo antiquiorum canonizatio ab inventione corporum sumebat initium, 229.

Sanctorum merita et orationes pro nobis a S. Niceta asseruntur. Sanctorum invocationem docet, 233.

Sardicensis concilii canon 6, de non constituendis episcopis in pagis vel parvis urbibus, sed tantum in urbibus populosis et episcopatu dignis, 101.

Scythæ, barbara gens, ubinam positi? 14.

Sidonius Apollinaris in Epitaphio Claudiani Mamerti fratris S. Mamerti episcopi Viennensis, eum vocat antistitem ordine in secundo, id est, ut videtur, episcopum auxiliarem S. Mamerti fratris illius, 99.

Sirmondi opinio, non favet episcopis auxiliaribus, 99.

Spiritus sanctus. Spiritus sancti processio, etiam a Filio. Hujus processionis Spiritus sancti etiam a Filio, explicate non meminit S. Nicetas Aquileiensis in sua *Symboli Explanatione*; sed id commune habuit cum aliis Patribus, tum ejusdem, tum anterioris ætatis, 270. Cur S. Nicetas aliique Patres, processionis Spiritus sancti etiam a Filio explicate non meminerint, *ibid.* 271. Non ideo tamen S. Nicetas, aliique Patres, negatæ processionis Spiritus sancti etiam a Filio argui possunt, 271, 272. Fides processionis Spiritus sancti etiam a Filio, communis erat professionis, S. Nicetæ ætate; licet explicate in Symbolo non traderetur, *ibid.*, 273. S. Nicetas nihilominus hujus processionis sancti Spiritus etiam a Filio mentionem quamdam fecisse videtur, 273. *Vid.* Filioque.

Status medius in alia vita, ubi neque sit gloria, neque pœna. Huncne statum in alia vita admisit S. Nicetas? 279. Expenduntur complures sanctorum Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum, Nicetæ similes dicendi modi, *ibid.*, *usque* 282. Cum Jacobo Billio recto sensu donantur tum sancti Nicetæ, tum aliorum Patrum, scriptorumque, in hanc rem aut ambigua, aut non satis aperta loca, 282, 283. Verba eorumdem ambigua, aut non satis aperta, clarioribus aliis explicantur, maxime vero in S. Niceta, 283, 284.

Stylus cognoscendorum operum optima regula, 4. Ex stylo germanitatem agnoscimus opusculorum S. Nicetæ, *de Symbolo*, et *ad Virginem lapsam*, 5. Aliquid præter stylum in dijudicandis scriptionibus desiderari solet, 6. Stylus *Explanationis Symboli* Nicetam auctorem illius prodit Aquileiensem, potius quam Dacum, 154. Stylus opusculorum S. Nicetæ perpenditur, et sui generis stylus asseritur, 209, 210.

Suffraganeæ Ecclesiæ, et suffraganei episcopi. Suffraganeæ cathedrales ecclesiæ metropolis Aquileiensis, ibi decursu temporis, ut plurimum, erectæ fuerunt, ubi primitus auxiliares episcopi pro eadem Aquileiensi Ecclesia sedere consueverant. 116. Episcopi quatuor suffraganearum cathedralium Ecclesiæ Aquileiensis, in monumentis duodecimi et decimi tertii sæculi, recensentur veluti canonici nati Aquileiensis Ecclesiæ, 117. Adsunt exempla episcoporum et archiepiscoporum in Gallia, qui canonici erant ecclesiæ sancti Martini Turonensis: nec non et episcoporum provinciæ Cantuariensis in Anglia, qui canonici erant metropolitanæ ipsius Cantuariensis Ecclesiæ, *ibid.* At canonicatus in Aquileiensi Ecclesia quatuor suffraganeorum episcoporum ejusdem Ecclesiæ, indicare videtur Aquileiensem eorum originem, ab eo tempore quo, auxiliares cum essent episcopi, ibidem fortasse constituti pro episcopo Aquileiensi, de ejusdem Aquileiensis Ecclesiæ gremio censebantur, *ibid.*, *et* 118. Suffraganeæ Ecclesiæ in Occidente quodammodo exstiterint, etiam antequam earumdem Ecclesiæ matres metropolitanarum nomine et dignitate gauderent, 120. Modus aperitur quo suffraganeæ Ecclesiæ primitivæ in Christiano orbe surrexerunt, et quo etiam efformatæ fuerunt suffraganeæ ecclesiæ metropolis Aquileiensis, 121. Quibus honoris significationibus suffraganeæ Ecclesiæ, maxime vero suffraganeæ Aquileiensis provinciæ, coluerint antiquitus metropolitanam? 121, 122. Filios vocabat suffraganeos episcopos suos, sed singulari exemplo, Folcus quidam Rheniensis archiepiscopus sæculo decimo, *ibid.*

Symbolum apostolorum. Symbolum apostolorum Ecclesiæ Aquileiensis, in quo differebat a veteri Symbolo apostolorum communi Romano? 63. Sancti Nicetæ tempore jam obsoleverat usus Symboli Aquileiensis in ipsa Aquileiensi Ecclesia, maxime vero in publicis Symboli expositionibus, 64. Probabiliter multo etiam ante S. Nicetæ episcopatum cœpit in Ecclesia Aquileiensi Romanum Symbolum prævalere, *ibid.* Etiamsi S. Nicetæ ætate Romanum Symbolum publice in Aquileiensi Ecclesia traderetur, non ita tamen obsoleverat vetus Aquileiensis formula, ut ea privati non uterentur, et ut Ecclesiæ ejusdem præsules ipsius additamenta quandoque non adhiberent, explicationis gratia, in Romani Symboli explanationibus, 66. Ubi in Romani Symboli explanationibus vestigia adsint veteris Aquileiensis Symboli, non immerito eædem explanationes censeri possunt Ecclesiæ Aquileiensis fetus, *ibid.* Apostolorum Symbolo additamenta inseruerunt Aquileienses præsules, ut obviam irent quibusdam hæresibus, quibus facilis esset accessus apud Aquileienses, ac probabiliter commercii causa, 160, 161.

Symboli apostolici expositiones, aliæ erant domesticæ ac privatæ, aliæ publicæ et solemnes, 151. Privatas dabant competentibus inferiores clerici, ac præsertim diaconi; publicas semper, aut fere semper, et ex munere proprio

episcopi, 151, 152, 153. Symbolum competentibus oretenus tradebatur; a competentibus oretenus reddebatur, vetito prorsus quocumque scriptæ paginæ adminiculo, 238, *seqq*. Atque hæc eadem erat Aquileiensis Ecclesiæ disciplina, 240. Quamdiu hæc disciplina in Ecclesia perduraverit, ac præsertim in Ecclesia Aquileiensi? 241.

Symbolum fidei sanctus Nicetas appellat pactum a competentibus cum Domino factum, 242. Appellat quoque commonitorium fidei, 242.

T

Tergestina Ecclesia. Tergestini episcopi, in veteribus monumentis Aquileiensibus, exhibentur veluti canonici nati metropolitanæ Ecclesiæ Aquileiensis, 117, 295. Ad Tergestinam civitatem presbyterum et diaconum primus direxit, apostolico ævo, S. Hermagoras protoepiscopus Aquileiensis, 119.

Theatrum. Theatris instructa fuit Aquileiensis urbs ante Attilanam cladem, et fortasse etiam postea, 48, 49. Theatra frequentia erant in minoribus etiam urbibus ac municipiis, atque exstabant interdum in ipsis pagis, 48.

Theophilus, Gothorum episcopus. *Vide* Gothi.

Treus Lucretius, auctor operis cui titulus : *Sacra Monumenta provinciæ Fori-Julii*, omnium primus Romatianam Gennadii et Martyrologii Romani civitatem in Aquileiensi Ecclesia invenit, 89.

Trithemius Joannes. Ejus de S. Niceta testimonium in opere de Scriptoribus Ecclesiasticis ex editione Fabricii, 185. Quid vero peculiare in editione Francofurtiensi 1601, typis Wechelianis? 182. Libellum S. Nicetæ primum ad competentes, quem Gennadius describit, unico vocabulo *Præparatorium* appellat Trithemius, 187.

U

Urbis Romæ et Romæ appellatione donabantur antiquitus in Hispania quælibet regiæ urbes, 86.

Urbis Romæ et Romæ episcopi, priscis sæculis dicebantur auxiliares episcopi pontificum Romanorum, qui Romæ degebant apud eosdem, 97, 98.

V

S. Valerianus Aquileiensis episcopus. Eo sedente, ac præsidente una cum S. Ambrosio Mediolanensi episcopo, celebratum fuit Aquileiense concilium anno 381, 112. Ad hunc Valerianum probabiliter pertinebant aliqui ex episcopis absque sede, qui huic concilio interfuerunt, 113. Non baptizavit Rufinum, quia tunc aberat Aquileia, religionis causa, 150. S. Valeriani nomen abest a Kalendariis et Missalibus typis editis Aquileiensis ritus; et nihilominus astruitur illius cultus in Aquileiensi Ecclesia, 225, 226. Hujus sancti episcopi nullæ in Aquileiensi Ecclesia notæ sunt, aut fuerunt præteritis sæculis, sacrorum cinerum reliquiæ, 229.

Velatio conjugalis, quid apud ethnicos Romanos? quid apud Christianos? 249, 250.

Velationis mulierum in Ecclesia præceptum ab Apostolo factum, ad virgines etiam Deo dicatas Tertullianus extendit; et quare? 249.

Velatio virginalis. *Vide* Virginitas, *et* Virgines Sacræ.

Venantius Fortunatus, in sua *Symboli Expositione*, veluti data opera, in compendium redegit Commentarium Rufini in Symbolum apostolorum, 68.

Vercellensis Ecclesia. Monasterium virginale Vercellense, S. Eusebii nuncupatum, primum in Occidente asseritur in quodam libro, etc., 245.

Vestimenta subtilia reprehendebat S. Nicetas in fidelibus sibi commissis : quid vero per hanc vestimentorum subtilitatem? 52. Horum vestimentorum abusus apud barbaras gentes non videtur obtinuisse; facile vero apud Aquileienses, etiam post Attilanam cladem, 52, 53.

Vigiliæ sacræ. Vigiliarum sacrarum usum in Aquileiensi Ecclesia vigentem memorat sanctus Nicetas, 242.

Virginitas et Virgines sacræ. Ex libello S. Nicetæ *ad Virginem lapsam* eruditi omnes sumpserunt, qui argumentum illustrarunt de sacris virginibus, earumque cœtibus ac instituto, 72. Virginitas culta a muliebri sexu apud Aquileienses, 74. De virginibus, seu sacratis, seu non sacratis, quid sancitum fuerit in concilio Forojuliensi anni 796, sub S. Paulino patriarcha Aquileiensi? 75. S. Columba, virgo sacra Aquileiensis Ecclesiæ, quæ nonagenaria obiit anno 453, ejusque inscriptio sepulcralis, 76, 77. Quid de virginitatis proposito, ac de virginibus sancti Patres? 235. Quid virgo sacra apud S. Nicetam fuerit? 235. Quid virginale corpus in ore ejusdem atque aliorum Patrum? *ibid*. Quid Virginitatis gloria et virgines Deo sacræ in hominum opinione priscis sæculis? 236. Quanta cura probarentur puellæ, antequam ad virginitatem Deo dicandam admitterentur? 236. Quid de virginitatis proposito solemniter explicito; S. Nicetæ ætate, Ecclesiæ doctrina ferebat? 237, 238. Quænam ætas requirebatur in puellis ut ad virginitatis propositum emittendum admitterentur? 246.

In velatione solemni sita erat virginalis propositi publica et plena professio, 248, 249. Quid velatio virginum indicaret; et unde sumpta hæc velationis in virginibus cæremonia? *ibid*. Velationis virginum monumenta, primi et secundi sæculi, in Ecclesia Romana, 250, 251. Virginum velamen sacrum ac sanctum appellavit antiquitas : et unde illius sanctitas veniebat? 251. Plura de hoc velamine virginali traduntur, quæ formam illius, materiam, qualitatem usumque respiciunt, ex quodam potissimum Tertulliani textu, 251, 252. Virginum velatio, consecratio antiquitus dicebatur; et ita semper appellata fuit, 252. Hæc vero ad divinum altare peragebatur, ac maxime die sancta Dominicæ Resurrectionis, 252, 253. Die quoque Natali Salvatoris nostri agebatur hæc solemnitas; cui demum aliæ quoque festivitates præstitutæ fuerunt, *ibid*. Quid vero de habitu sacrarum virginum? *ibid*., *et* 254. Quis sacrarum virginum initiator? *ibid*. Virginum initiationem comitabatur episcopi ad eas allocutio, 255. *Vide* Crines sacrarum virginum.

Processus virginum in ecclesiam, choro facto, ad hymnorum spiritalium cantum, ad lectiones cœlestes, et etiam ad sacras vigilias noctis, 255. Cautiones a patribus inculcatæ et a virginibus adhibitæ pro ipso ad ecclesiam accessu, 256. Die tantum Dominico ad ecclesiam procedebant virgines Bethlehemitici monasterii, *ibid*. In ecclesia vero sacræ virgines omnes simul uno loco aderant; qui locus in ecclesia Aquileiensi erat etiam tabulis separatus, ac peculiari elegantia ornatus, 257. Ad hunc locum matronæ religiosæ ac nobiles veniebant, ut a sacris virginibus osculum pacis acciperent, *ibid*. Episcoporum peculiaris cura erga sacras virgines; ac præsertim S. Nicetæ episcopi Aquileiensis erga sacras virgines monasterii sui, 257, 258.

Virginem sacram quæ se violari permisisset adulteram dixerunt sancti Patres, 259, 260. Bis adulteram appellavit S. Nicetas suam virginem lapsam; et quare? *ibid*. Ad peculiarem honorem servandum integræ virginitatis nulla viduarum admittebatur ad velum accipiendum; et virgines ipsæ quæ virginitatis jacturam fecissent absque propria culpa, amplius in virginum cœtu ac numero non habebantur, *ibid*. In virgines sacras, quæ pactum virginitatis sua culpa non servassent, semper animadvertit antiquitas severioribus pœnis, *ibid*. *Vide etiam* Peccata, Pœnitentia.

Vita æterna extra unam catholicam Ecclesiam comparari non potest, 232. In hac tamen etiam catholica Ecclesia vita æterna solis est fidelibus et caste viventibus præparata, *ibid*.

Vivos et mortuos. Quomodo hæc verba Symboli explicaverit Rufinus Aquileiensis in suo Commentario in Symbolum apostolorum? 71. Quomodo S. Nicetas in *Symboli Explanatione?* 266. Quomodo S. Augustinus aliique Patres? *ibid*., *usque ad* 270. *Vide* Judicium Extremum.

W

Wesselingius Petrus, editor atque illustrator Itinerarii Antonini, opinionem carpit Antonii Pagii, qui in eodem Itinerario, pro voce *Remisiana*, videre voluisset vocem Gennadii *Romatiana*, 84.

Z

Zabeus Joannes Prosdocimus, peculiari sua dissertatione Venetiis edita anno 1803, probandum sibi proposuit *Explanationem Symboli* tribuendam probabilius esse sancto Niceæ Dacorum episcopo, quam beato Nicetæ episcopo Aquileiensi, 1. In eorum sententiam ivit, qui Niceam seu Nicetam, a Gennadio appellatum Romatianæ civitatis episcopum, alium ab Aquileiensi Nicea seu Niceta dixerunt, eumque propugnarunt illius in Dacia civitatis episcopum, quæ Remisianæ, aut parum dissimili alio nomine appellatur; eumdemque propterea qui S. Paulini Nolani amicus fuit, 1. Agnovit Zabeus germanitatem duorum opusculorum Romatiani Nicetæ quæ extant; *Explanationis* scilicet *Symboli*, et libelli *ad lapsam Virginem*, 5. In verbis S. Nicetæ, Explanationis cap. 4, non animadvertit Zabeus confutationem noviter exorti Eutychiani erroris; sed obiter tantum aspexit reprobationem veterum illorum hæreticorum, qui veram in Christo humanitatem negarunt, et ita quodammodo Eutychi præluserunt, 27. Verba tituli ex codice Ghisiano, *Beati Nicetæ Aquileiensis episcopi*, gratis asserit Zabeus converti debere in, *Beati Nicetæ vel Niceæ Romatianæ in Dacia episcopi*, 56. Titulum Explanationis frustra falsatum putat ab illius exscriptore, qui vocem *Aquileiensis* arbitrario addiderit, 58. Non esse S. Nicetæ Aquileiensis *Explanationem Symboli* ostendere nititur Zabeus, quia in ea non peculiare Symbolum Ecclesiæ Aquileiensis explanatur, sed commune Symbolum vetus Ecclesiæ Romanæ : neque advertit Symbolum Aquileiense S. Nicetæ tempore jam in desuetudinem abiisse, quoad publicum

ejusdem usum, ut Romano Symbolo locum daret, 63. Vocem *Impassibilis*, Aquileiensis Symboli, in Explanatione S. Nicetæ adhibitam, Zabeus non vidit, 67. Voces alias, ex Aquileiensi Symbolo a S. Niceta in Explanatione usurpatas, quæ indicia sunt Aquileiensis originis Explanationis illius nullius momenti existimat pro asserendo eidem Nicetæ Aquileiensi episcopatu. *ibid.* Varietates veterum monumentorum in signanda Daciæ civitate, cujus episcopus perhibetur Nicetas Gennadianus; inter quas ipsa Gennadii Romatiana seu Romaciana locum non habet, 84.

Capite 7 data opera fit satis Zabei momentis contra Aquileiensem Niceæ seu Nicetæ Gennadiani episcopatum, 134, *seqq.* Non probat Zabeus Aquileiensem episcopum quinto sæculo non habuisse cur gentilitatem libello apposito aut data occasione impugnaret, prout impugnavit Gennadianus Nicetas, 135, *seqq.* *Vide* Gentilitas *et* Gentiles. Barbaræ et efferatæ gentis epitheta non conveniunt Dacorum populo cis Danubium sito, ubi Nicetæ Gennadiani episcopatum figit Zabeus, 136. Non evincit Zabeus, non consuevisse Aquileienses episcopos per seipsos Symboli explicationem catechumenis tradere, 150. Non innititur veritati Zabei assertio, quod ii tantum episcopi consueverint per seipsos explicationem Symboli tradere catechumenis, aut quibus fuerit familiare loqui ex tempore, aut quibus consuetudo scribendi calamum effecerat promptiorem, 153. Stylus opusculorum Nicetæ Gennadiani Zabeo non suffragatur, ut eumdem astruat non Aquileiensem fuisse, sed Dacum: quinimmo Aquileiensem illum fuisse, potius quam Dacum, ex stylo ipso cognoscimus, 154. Defectum exercitationis in scribendo non probat Zabeus in Aquileiensi Niceta, ex criminationibus quas eidem apponit; parcitatis nempe scribendi, etiam in urgenti necessitate Ecclesiæ suæ, et neglectus responsionis ad epistolam S. Leonis 157. Objectiones ex Latino sermone, quas prævidet Zabeus non solvit: quinimmo Ulfilæ episcopi factum, quod sibi Zabeus objicit, tale est, ut omnino contra illius sententiam faciat, 159. Iterum barbaras ferasque nationes perperam appellat populos novæ Daciæ cis Danubium; et Dacos barbaros cum Romanis confundit, 160. Nihil omnino probat contra Aquileiensem Nicetæ Gennadiani episcopatum mentio quæ in Explanatione habetur Marcionitarum, Cataphrygarum, Manichæorum, et erroris etiam Arianorum, 160, *seqq.* Immo rem nostram agit Zabeus, dum Marcionitarum, Cataphrygarum ac Manichæorum errores obtinuisse asserit inter barbaras Dacorum regiones, etc., 164, 165. Hos enim errores barbaræ gentes secum in Italiam tulerunt, atque in Aquileiensem ditionem, in tot eorum irruptionibus, etc., *ibid.* Manichæi vero, etsi non barbari, Nicetæ ætate in Aquileiensi episcopatu adesse poterant, ob infelicem illorum temporum conditionem, 166. Non erat cur Pelagianorum aut Pelagianismi mentionem faceret S. Nicetas Aquileiensi in Explanatione capite 10, ubi de pseudoecclesiis hæreticorum et schismaticorum; et quare? 167, *seqq.*

Novum S. Nicetæ Aquileiensis cultum probare nititur Zabeus in ipsa Aquileiensi Ecclesia, ex defectu Nicetæ nominis in omnibus Kalendariis ac Missalibus propriis Aquileiensis Ecclesiæ, quæ supersunt: sed huic animadversionis fit satis, 224.

Zaccharia Franciscus Antonius perperam Fontaninum criminatus est super interpretatione inscriptionis sepulcralis sacræ virginis Aquileiensis Columbæ, 78.

S. Zeno, Veronensium episcopus. Egregius illius tractatus, seu sermo, de duodecim Signis, ad neophytos post baptismum, 195, 196.

S. Zosimus, Romanus pontifex, anno 418, tractoriam evulgavit adversus Pelagii ac Cœlestii errores, 167.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

S. PETRUS CHRYSOLOGUS.

Seb. Pauli præfatio in novam hanc editionem.
VITA S. PETRI CHRYSOLOGI, ex Libro Pontificali AGNELLI. 13
CAPUT PRIMUM. *Ibid.*
CAP. II. — Petri Chrysologi ordinatio cœlitus imperata. 16
CAP. III. — Ædes Petro curante constructæ. Ejusdem cum Projecto Corneliense synchronologia. S. Barbatiani funus. 17
CAP. IV. — Petrus mortem suam prævidet, prædicitque. Forum Cornelii pergit ibique decedit. Locus sepulcri. 18
Observationes Bacchinii abbatis ad Vitam Petri Chrysologi ex Agnelli Pontificali. 19
VITA PETRI CHRYSOLOGI, ex Castillo. 27
§ PRIMUS. — Chrysologi patria, ortus et nomen proponuntur. 27
§ II. — Chrysologi educatio, ad episcopatum Ravennæ electio et ejusdem consecratio referuntur. 30
§ III. — Varia Chrysologi episcopi Ravennatis gesta virtutesque referuntur. 34
§ IV. — De pretiosa Chrysologi morte ejusque sepulcro glorioso. 37
§ V. — De scriptis divi Petri Chrysologi. 40
VITA PETRI CHRYSOLOGI per Dominicum Mitam. 45
SCHOENEMANNI NOTITIA, in qua locus, tempus et forma omnium editionum S. Petri Chrysologi indicantur. 79
DISSERTATIO de Metropoli ecclesiastica Ravennatensi, per Jos. A. Amadesium. 91
Proœmium. *Ibid.*
CAPUT PRIMUM. — Utrum Mediolanensi Ecclesiæ subjecta fuerit Ecclesia Ravennas quatuor prioribus æræ Christianæ sæculis. 92
CAP. II. — De litteris Clementis II, Romani pontificis præeminentiam in conciliis Ravennati episcopo super Mediolanensem asserentis. 111
CAP. III. — Quid operari liceat de origine Metropoliticæ dignitatis in Ecclesia Ravennatense. 145
CENSURA Sermonum Petri Chrysologi. 179
PETRI CHRYSOLOGI SERMONES. 183
SERMO PRIMUS. — De duobus filiis, prodigo et frugi, et primo de abscessu prodigi a patre. 183
SERM. II. — De *eisdem*, ubi de reditu filii ad patrem, 187
SERM. III. — De *eisdem*, ubi de occursu patris ad filium. 190
SERM. IV. — De *eisdem*, ubi de livore senioris filii in prodigum redeuntem. 194
SERM. V. — De *eisdem*, Judæum et Gentilem figurantibus. 197
SERM. VI. — De lætitia ob inductionem gentium ad fidem et gratiam. *In Psalmum* XCIX. 202
SERM. VII. — De hypocrisi et eleemosyna. In illud Matthæi VI: *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* 205
SERM. VIII. — De jejunio et eleemosyna. 208
SERM. IX. — De *eisdem*. In illud Matthæi: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* 211
SERM. X. — De infidelibus ad baptismum ducendis. *In Psalmum* XXVIII. 214
SERM. XI. — De jejunio et tentationibus Christi. 219
SERM. XII. — De *eisdem*. 222
SERM. XIII. — De *eisdem*. 226
SERM. XIV. — De fructibus eleemosynæ. *In Psal.* XL. 231
SERM. XV. — De centurione. 234
SERM. XVI. — De duobus dæmoniacis. 238
SERM. XVII. — De dæmoniaco. 243
SERM. XVIII. — De socru Petri infirma et sanata. 246
SERM. XIX. — De scriba, cui Christus sequi se non permisit. 249
SERM. XX. — De sedata maris tempestate. 253
SERM. XXI. — De *eadem*. 257
SERM. XXII. De terrenorum cura despicienda, deque servo vigili. 259
SERM. XXIII. — De terrenorum cura despicienda, et promissione Regni. 263
SERM. XXIV. — De servo vigili et felicitate regni Dei, 266
SERM. XXV. De terrenorum cura despicienda, et promissione regni. 269
SERM. XXVI. — De fideli dispensatore. 272
SERM. XXVII. — De scandalo tollendo. 275
SERM. XXVIII. — De Matthæi publicani ac divitis vocatione, et de Christo cum publicanis manducante, et apostolos pauperes eligente. 278
SERM. XXIX. De *eisdem*, et de auro. 281
SERM. XXX. — De *eisdem*. 284
SERM. XXXI. — De pharisæorum et discipulorum Joannis jejunio. 287

SERM. XXXII. — De eo qui habebat manum aridam, 289
SERM. XXXIII. — De filia archisynagogi, deque muliere sanguinis profluvio laborante. 292
SERM. XXXIV. — De *eisdem*. 296
SERM. XXXV. — De muliere profluvio sanguinis obnoxia, 299
SERM. XXXVI. — De hæmorrhoissa, et filia archisynagogi. 301
SERM. XXXVII. — De Jonæ prophetæ signo. 303
SERM. XXXVIII. — De injuria æquo animo toleranda, 306
SERM. XXXIX. — De Perseverantia orationis. 309
SERM. XL. De bono Pastore. 312
SERM. XLI. — De jejunio et eleemosyna. 314
SERM. XLII. — De *eisdem*. 317
SERM. XLIII. — De oratione, jejunio et eleemosyna, 320
SERM. XLIV. — De consilio impiorum, via peccatorum, et cathedra pestilentiæ. *In Psalmum* I. 322
SERM. XLV. — De homine fragili Deum orante, ne se arguat in ira. *In Psalmum* VI. 325
SERM. XLVI. — De exsultatione spirituali, et confessione peccatorum. *In Psalmum* XCIV. 328
SERM. XLVII. — De parabolis inventæ margaritæ, et sagenæ missæ in mare. 331
SERM. XLVIII. — De Christo, fabri filio appellato, et de invidia. 333
SERM. XLIX. — De *eisdem*, secundum Marcum. 337
SERM. L. — De paralytico curato. 339
SERM. LI. — De dæmoniaco surdo et muto curato. 342
SERM. LII. — De *eodem*. 344
SERM. LIII. — De pace. 347
SERM. LIV. — De Zachæo. 348
SERM. LV. — De paterna Dei in nos dilectione, de patrum in filios charitate, et de Judæorum pœna. 352
SERM. LVI. — De Symbolo apostolorum. 354
SERM. LVII. — In Symbolum apostolorum. 357
SERM. LVIII. — In *idem*. 360
SERM. LIX. — In *idem*. 362
SERM. LX. — In *idem*. 365
SERM. LXI. — In *idem*. 368
SERM. LXII. — In *idem*. 371
SERM. LXIII. — De Lazaro a mortuis suscitato. 375
SERM. LXIV. — De *eodem*. 379
SERM. LXV. — De *eodem*. 382
SERM. LXVI. — De divite et Lazaro. 386
SERM. LXVII. — In Orationem Dominicam. 390
SERM. LXVIII. — In *eamdem*. 393
SERM. LXIX. — In *eamdem*. 396
SERM. LXX. — In *eamdem*. 398
SERM. LXXI. — In *eamdem*. 401
SERM. LXXII. — In *eamdem*. 404
SERM. LXXIII. — De paschali solemnitate. 406
SERM. LXXIV. — De Resurrectione Christi. 408
SERM. LXXV. — De *eadem*. 411
SERM. LXXVI. — De *eadem*, deque secunda Christi manifestatione facta mulieribus a monumento regredientibus. 414
SERM. LXXVII. — De resurrectione Christi. 417
SERM. LXXVIII. — De septima Christi manifestatione facta discipulis ad mare Tiberiadis. 420
SERM. LXXIX. — De resurrectione Christi. 422
SERM. LXXX. — De Christi resurrectione, et secunda manifestatione facta mulieribus a monumento regredientibus. 424
SERM. LXXXI. — De quinta Christi manifestatione facta discipulis, cum Thomas abesset. 427
SERM. LXXXII. — De Christi resurrectione, et quarta manifestatione facta duobus euntibus in castellum. 430
SERM. LXXXIII. — De nona Christi manifestatione facta recumbentibus undecim discipulis. 432
SERM. LXXXIV. — De quinta Christi manifestatione facta discipulis, cum abesset Thomas, deque sexta, cum adesset. 436
SERM. LXXXV. — De ingressu Christi in templum, et Judæorum admiratione. 440
SERM. LXXXVI. — De Annuntiatione et Conceptione D. Joannis Baptistæ. 441
SERM. LXXXVII. — De *eisdem*. 444
SERM. LXXXVIII. — De *eisdem*. 446
SERM. LXXXIX. — De *eisdem*. 450
SERM. XC. — De *eisdem*. 452
SERM. XCI. — De *eisdem*. 455
SERM. XCII. — De *eisdem*. 458
SERM. XCIII. — De conversione Magdalenæ. 460
SERM. XCIV. — De *eadem*, et Pharisæo murmurante, ac Christo respondente. 464
SERM. XCV. — De *eadem*, ubi de Magdalenæ allegorica conversione. 467
SERM. XCVI. — De parabola zizaniorum. 469
SERM. XCVII. — De *eadem*. 471
SERM. XCVIII. — De parabola grani sinapis. 474
SERM. XCIX. — De parabola fermenti. 477
SERM. C. — De Syrophœnissa, sive Cananæa. 479
SERM. CI. — De morte contemnenda a fidelibus, et quare illam permiserit Deus. In illud Lucæ : *Nolite timere eos qui occidunt corpus*, etc. 481
SERM. CII. — De centurione. 484
SERM. CIII. — De filio viduæ excitato a mortuis, deque corporum resurrectione. 487
SERM. CIV. — De divite cujus ager ferax fuit. 490
SERM. CV. — De muliere quæ habebat spiritum infirmitatis. 492
SERM. CVI. — De ficu quæ fructum non protulit. 495
SERM. CVII. — In D. Petrum episcopum Ravennæ. 497
SERM. CVIII. — De homine, ut sit hostia et sacerdos Dei. In verba Apostoli : *Obsecro vos per misericordiam Dei*, etc. 499
SERM. CIX. — De hostia corporis et animæ, Deo rationabiliter offerenda. In eadem verba Apostoli. 501
SERM. CX. — De salute sub fide reposita, justificatione a Deo per Christum, et de morte pro Christo subeunda. In verba ejusdem : *Non est autem scriptum propter Abraham tantum*, etc. 503
SERM. CXI. — De peccato originali. In verba ejusdem : *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*. 505
SERM. CXII. — De morte per hominem, vita et gratia per Christum habita, deque abundantia delicti propter legem : In verba ejusdem : *Si enim unius delicto mors regnavit per unum*. 507
SERM. CXIII. — De non permanendo in peccato, ut gratia abundet, et de virtutibus inserviendo. In verba ejusdem : *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet?* etc. 510
SERM. CXIV. — De servis legis et gratiæ. In verba ejusdem : *Peccabimus, quia non sumus sub lege, sed sub gratia*, etc. 512
SERM. CXV. — De lege abrogata per gratiam. In verba ejusdem : *An ignoratis, fratres, scientibus enim legem loquor*, etc. 515
SERM. CXVI. — De cognitione peccati per legem. In verba ejusdem : *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit*, etc. 517
SERM. CXVII. — De Adam primo et novissimo. In verba ejusdem : *Factus est primus homo Adam in animam viventem*. 520
SERM. CXVIII. — De morte et resurrectione carnis. 522
SERM. CXIX. — De vero cursu pro corona gloriæ. In verba ejusdem : *Nescitis quod hi qui in stadio currunt*, etc. 524
SERM. CXX. — De figura sæculi vitanda, et forma Salvatoris assumenda. In verba ejusdem : *Nolite configurari huic sæculo*, etc. 526
SERM. CXXI. — De divite et Lazaro. 529
SERM. CXXII. — De *eisdem*. 555
SERM. CXXIII. — De *eisdem*. 556
SERM. CXXIV. — De *eisdem*. 540
SERM. CXXV. — De villico iniquo. 543
SERM. CXXVI. — De *eodem*. 546
SERM. CXXVII. — De Decollatione D. Joannis Baptistæ. 549
SERM. CXXVIII. — In Apollinarem episcopum et martyrem. 552
SERM. CXXIX. — In D. Cyprianum martyrem. 555
SERM. CXXX. — In consecratione episcopi. 556
SERM. CXXXI. — De Deo, ut videatur; de livore et pertinacia Judæorum, deque hominis Morte. 557
SERM. CXXXII. — De unitate fidelium. 561
SERM. CXXXIII. — In D. Andream apostolum. 563
SERM. CXXXIV. — In D. Felicitatem martyrem. 564
SERM. CXXXV. — In D. Laurentium. 565
SERM. CXXXVI. — In Adelphum episcopum. 567
SERM. CXXXVII. — De prædicatione D. Joannis Baptistæ. 568
SERM. CXXXVIII. — De pace. 572
SERM. CXXXIX. — De remittendo fratri delicto. *Ibid.*
SERM. CXL. — De Annuntiatione D. Mariæ Virginis. 575
SERM. CXLI. — De Incarnatione Christi. 577
SERM. CXLII. — De Annuntiatione D. Mariæ Virginis. 579
SERM. CXLIII. — De *eadem*. 582
SERM. CXLIV. — De *eadem*. 585
SERM. CXLV. — De generatione Christi, et Joseph Mariam dimittere volente. 588

SERM. CXLVI.—De *eadem*, ac Joseph sponso, et sponsa matre. 591
SERM. CXLVII —De Incarnationis sacramento. 594
SERM. CXLVIII.—De *eodem*. 596
SERM. CXLIX.—De Nativitate Christi, et pace Christianorum. 598
SERM. CL.—De fuga Christi in Ægyptum. 599
SERM. CLI.—De *eadem*. 602
SERM. CLII.—De infantium Nece. 604
SERM. CLIII.—De *eadem*. 607
SERM. CLIV.—In D. Stephanum protomartyrem. 608
SERM. CLV.—De kalendis Januarii, quæ varia gentium superstitione polluebantur. 609
SERM. CLVI.—De Epiphania et Magis. 611
SERM. CLVII.—De *eisdem*. 614
SERM. CLVIII.—De *eisdem*. 616
SERM. CLIX.—De *eisdem*. 619
SERM. CLX.—De *eisdem*. 620
SERM. CLXI.—De parabola servi ab agro regressi, deque hominis erga Deum gratitudine. 622
SERM. CLXII.—De eo qui volebat dividere hæreditatem. 625
SERM. CLXIII.—De terrenorum cura despicienda. 628
SERM. CLXIV.—De igne cœlesti, de separatione facta a Christo, et de Ecclesiæ et Synagogæ divisione. In illud Lucæ : *Ignem veni mittere in terram*, etc. 630
SERM. CLXV. —De consecratione D. Projecti episcopi Forocorneliensis. 633
SERM. CLXVI. — De quadragesimali jejunio. 634
SERM. CLXVII. De D. Joanne Baptista prædicante, deque pœnitentia agenda. 636
SERM. CLXVIII. — De parabola centum ovium. 639
SERM. CLXIX. — De parabola drachmæ perditæ. 641
SERM. CLXX. — De Christo pro nobis varias formas suscipiente, apostolos vocante, morbos curatum mittente, et paupertatem præcipiente. 644
SERM. CLXXI. — De discipulis illotis manibus prandentibus. 647
SERM. CLXXII. — De invidia et hyprocrisi. 648
SERM. CLXXIII. — De D. Joanne Baptista, et Herode. 650
SERM. CLXXIV. — De Decollatione D. Joannis Baptistæ. 653
SERM. CLXXV.—De Marcellino episcopo Vicohaventino, et D. Mariæ Virginis partu. 656
SERM. CLXXVI. — De cæco. 663

APPENDIX.

SERM. I. — De Oratione Dominica. 665
SERM. II. — De *eadem*. 668
SERM. III. — De *eadem*. 670
SERM. IV. — De *eadem*. 673
SERM. V. — De *eadem*. 675
SERM. VI.—De verbis Evangelii Matth. XVII : *Hoc genus in nullo ejicitur, nisi oratione et jejunio*. 678
SERM. VII. — De verbis Evangelii Joann. XIV : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*. 679

S. VALERIANUS.

J. Sirmondi Epistola de hac S. Valeriani editione. 681
Notitia in S. Valerianum. 683
Testimonia de S. Valeriano. 689
S. VALERIANI HOMILIÆ. 691
HOMILIA PRIMA. — De bono disciplinæ. *Ibid.*
HOMIL. II. — De arcta et angusta via. 696
HOMIL. III. — Item de arcta et angusta via. 700
HOMIL. IV. — De promissis et non redditis. 702
HOMIL. V. — De oris insolentia. 706
HOMIL. VI. — De otiosis verbis. 709
HOMIL. VII. — De misericordia. 713
HOMIL. VIII. — Item de misericordia. 716
HOMIL. IX. — Iterum de misericordia. 719
HOMIL. X. — De parasitis. 722
HOMIL. XI. — Qui gloriatur in Domino glorietur. 725
HOMIL. XII. — De bono conservandæ pacis. 728
HOMIL. XIII. — De eodem. 731
HOMIL. XIV. — De bono humilitatis. 735
HOMIL. XV. — De bono martyrii. 738
HOMIL. XVI. — De eodem. 741
HOMIL. XVII. — De eodem. 744
HOMIL. XVIII. — De Machabæis. 746
HOMIL. XIX. — De Quadragesima. 749
HOMIL. XX. — De avaritia. 751
S. VALERIANI Epistola ad Monachos. 755
APOLOGIA PRO S. VALERIANO, auctore. Theophilo Raynaudo. 757
PROLOQUIUM. — Agendi pro Valeriano causæ et modus. 757
CAPUT PRIMUM. — Valeriani sedes. — De ejusdem ætate, natione, genere, statu privato, conjectanea. 759
CAPUT II. — Quæ adversus Valerianum facere visa, aut videri potuerunt. 764
CAPUT III. — Quæ prima Valeriani quoad Semipelagianismum defensio, ejusque improbatio. 771
CAPUT IV. — Germana Semipelagianismi expositione tradenda, proluditur ad legitimam Valeriani ab ea labe exemptionem. 774
CAPUT V. — Demonstratur directe Valerianum a Semipelagianismo proxime exposito abhorruisse. 789
CAPUT VI. — Quæ prioribus locis Semipelagianismum subolere in Valeriano visa, demonstrantur catholica. 792
CAPUT VII.— Catholice omnino a Valeriano dictum esse, nostrum esse velle, Dei autem perficere, multipliciter ostenditur. 801
CAPUT VIII. — Valerianus modum loquendi Scripturarum æmulatus, atque adeo male notatus. 811
CAPUT IX. — Cum Valeriano gravissimi Patres æque causa caderent. 816
CAPUT X. — An Valerianus Sancti titulo, quo jam olim in mss. potitur, exuendus. 832

S. NICETAS.

Petri Braidæ Præfatio. 837
Notitia in S. Nicetam. 839
De S. Niceta Veterum testimonia. 843
DE RATIONE FIDEI. 847
DE SPIRITUS SANCTI POTENTIA. 853
DE DIVERSIS APPELLATIONIBUS D. N. JESU CHRISTO CONVENIENTIBUS. 865
EXPLANATIO SYMBOLI. 865
Fragmenta sex. 873
DISSERTATIO BRAIDÆ in S. Nicetam. 875
PROLOQUIUM. — Scopus et ordo dissertationis.
CAPUT PRIMUM. — Sive Aquileiensis Ecclesiæ episcopus sit, sive alterius in Dacia, ille quem Gennadius Romatianæ civitatis appellat episcopum, procul dubio unius auctoris sunt tum *Explanatio Symboli ad competentes*, tum *libellus ad lapsam Virginem*, quæ duo nunc primum una simul sub nomine sancti Nicetæ Aquileiensis episcopi damus opuscula. 877
CAPUT II. — Niceas seu Nicetas sancti Paulini Nolani episcopi amicitia clarus, non fuit episcopus civitatis Romatianæ in Dacia cis Danubium constitutæ, quinimmo trans Danubium episcopatum gessit. 882
CAPUT III. — Romatianæ civitatis episcopus Niceas, seu Nicetas, a Gennadio memoratus, non est Niceas seu Nicetas ille Dacus sancti Paulini Nolani episcopi amicus, ejusdemque laudibus celebratus. 893
CAPUT. IV. — Romatianæ civitatis episcopus Niceas seu Nicetas, a Gennadio memoratus, est dubio procul Niceas, seu Nicetas, episcopus Aquileiensis, qui sancti Leonis Magni tempore floruit, et ad quem ejusdem sancti pontificis exstat epistola. 924
CAPUT V.—Romatiana civitas a Gennadio memorata, non est in Dacia inquirenda, sed in veteri diœcesi seu provincia Aquileiensi; et probabiliter illa est quæ Portus Romatianus, seu Romatinus, aut Romatius, non ita procul a Concordia, ex fluvio ejusdem nominis a Plinio appellata fuit; aut illa quæ hodie Portus-Gruarius dicitur, et ad eumdem Romatium, seu Romatinum, aut Romatianum fluvium sita est, qui eam interfluit. 947
CAP. VI.—Niceas seu Nicetas, episcopus Aquileiensis, Romatianæ civitatis episcopus probabiliter dictus fuit, seu quia antequam episcopalem sedem Aquileiensem conscenderet, episcopus auxiliaris fuit Aquileiensis Ecclesiæ ad portum Romatium sive Romatinum situs, seu quia ad portum vel civitatem ejusdem nominis non infrequenter sedebat, etiam cum Aquileiensis Ecclesiæ clavum teneret. 959
CAP. VII.—Clarissimi Zabei, contra Aquileiensem Niceæ seu Nicetæ Gennadiani episcopatum, momentis fit satis. Occurritur quoque auctoritati et animadversionibus clarissimi viri Michaelis Denis. 995
CAP. VIII.—De sancto Niceta episcopo Aquileiensi, ejusque opusculis, tum nunc editis, tum etiam aut deperditis, aut adhuc latentibus; nec non et de fragmentis quæ nobis innotuerunt studio et industria eruditissimi viri Michaelis Denis. De illius quoque sanctitate ac cultu. 1033
CAP. IX.— Nonnulla exhibentur observatu digna, tum quoad dogmata et mores, tum quoad disciplinam, ex sancti Nicetæ opusculis atque fragmentis. 1080
CAP. X.—Nonnulla expenduntur, quæ a sancto Nicetæ aut minus exacte, aut durius dicta videri possent. 1110
APPENDICULA.—VETERA MONUMENTA DUO CAPITULI AQUILEIENSIS. 1135

FINIS TOMI QUINQUAGESIMI SECUNDI.

ELENCHUS OPERUM QUAE IN HOC TOMO CONTINENTUR.

S. PETRUS CHRYSOLOGUS.

Sermones 185, cum amplissimis prolegomenis.

S. VALERIANUS.

Homiliae viginti.

Epistola ad Monachos.

Apologia pro S. Valeriano.

S. NICETAS.

De Ratione fidei.

De Spiritus sancti potentia.

De diversis appellationibus D. N. Jesu Christo convenientibus.

Explanatio symboli.

Fragmenta sex.

Dissertatio Braidae in S. Nicetam.

INDICES IN OPERA S. PETRI CHRYSOLOGI. INDICULUS ALPHABETICUS SERMONUM S. PETRI CHRYSOLOGI

A

De Adam primo et novissimo, CXVII,

S. Adelpho episcopo, CXXXVI,

De S. Andrea apostolo, CXXXIII,

S. Apollinare episcopo et Mart. CXXVIII,

Apostotorum convocatione, virtute, et paupertate CLXX

De Archisynagogi filia, XXXIII,

Auro, XXIX,

C

De Caeco, CLXXVI,

Calendis januariis superstitione pollutis, CLV,

Cananaea, C,

Cathedra pestilentiae, XLIV,

Centurione, XV,

Charitate paterna in filios, LV,

Christo apostolos pauperes eligente, XXVIII,

apostolos curatum morbos mittente, CLXX,

fabri filio, XLVIII,

formas varias suscipiente, CLXX,

fugiente in Aegyptum, CL,

generato, seu Generatione ejus, CXLV,

jejunante, XI,

incarnato, seu Incarnatione, CXLI,

Magdalenam defendente, XCIV,

manducante cum Publicanis, XXVIII,

Ma [...] tbaeum vocante, XXVIII,

nato, seu Nativitate, CXLIX,

resurgente, seu Resurrectione, LXXIV,

Resurrectionem suam manifestante, 1° mulieribus e monumento regredientibus, LXXVI,

Resurrectionem suam manifestante, 2° duobus euntibus in Castellum, LXXXII,

Resurrectionem suam manifestante, 3° discipulis absente Thoma, LXXXI,

Resurrectionem suam manifestante, 4° praesente Thoma, LXXXIV,

Resurrectionem suam manifestante, 5° ad mare Tiberiadis, LXXVIII,

Resurrectionem suam manifestante, 6° apostolis recumbentibus, LXXXIII,

templum ingrediente, LXXXV,

tentato, XI,

Confessione peccatorum, XLVI,

Consecratione episcopi. *Vid.* Episcopi.

Consilio impiorum, XLIV,

Cursu pro corona gloriae, CXIX,

S. Cypriano martyre, CXX,

D

De Daemoniaco, XVII,

Daemoniacis duobus, XVI,

Daemoniaco surdo et muto, LI,

Dei paterna in nos dilectione, LV,

Deo, ut videatur, CXXXI,

Delicti, abundantia propter legem, CXII,

Delicto fratri remittendo, CXXXIX,

Dilectione Dei. *Vid.* Dei.

Discipulis illotis manibus prandentibus, CLXXI,

Dispensatore fideli, XXVI,

Divisione Ecclesiae et Synagogae, CLXIV,

Divisionem haereditatis petente, CLXII,

Divite et Lazaro, LXVI,

Divite agrum feracem habente, CIV,

Drachma perdita, CLXIX,

E

De Ecclesiae et Synagogae divisione, CLXIV,

Eleemosyna, VII,

Eleemosynae fructibus, XIV,

Epiplania et Magis, CLVI,

Episcopi consecratione, CXXX,

Exsultatione spirituali, et peccatorum confessione, XLVI,

F

De S. Felicitate, CXXXIV,

Fermenti parabola, XCIX,

Ficu infructuosa, CVI,

Fide, sub qua reposita est salus, CX,

Fidelium unitate, CXXXII,

Figura saecull vitanda, et forma Salvatoris assumenda, CXX,

Filiis duobus, prodigo et frugi, scilicet prodigi abscessus a patre, I,

Reditus ad patrem, II,

Patris occursus ad filium, III,

Livor senioris in prodigum redeuntem, IV,

Judaeus et Gentilis in his figurati, V,
De Filio viduae a mortuis excitato, CIII,
Fuga Christi. *Vid.* de Christo.

G

De Gentili populo, V,
Gentilium vocationis laetitia, VI,
Gentium superstitione in kal. Jan., CLV,
Gratia per Christum habita, CXII,
Gratiae legem abrogante, CXV,
Gratiae servis ac legis, CXIV,
Gratitudine hominis in Deum, CLXI,

H

De Haemorrhoissa, XXXIII,
Haereditatis divisionem petente, CLXII,
Herode, et D. Joanne Baptista, CLXXIII,
Homine, ut sit hostia et sacerdos Deo, CVIII,
Homine orante Deum, ne arguat in ira, XLV,
Hominis gratitudine in Deum, CLXI,
Hostia corporis et animae Deo rationabiliter offerenda, CIX,
Hypocrisi, VII,

I

De Igne coelesti, CLXIV,
Impiorum consilio, XLIV,
Infantium nece, CLII,
Infidelibus ducendis ad Baptismum, X,
Infirmitatis spiritum habente, CV,
Injuria aequo animo toleranda, XXXVIII,
Invidia IV,

J

De Jejunio, VIII,
Jejunio quadragesimali, XII,
Jejunio et tentatione Christi. *Vid.* de Christo.
Jejunio Pharisaeorum et discipulorum Joannis, XXXI,
Joannis Baptistae Annuntiatione et Conceptione a *Sermone* LXXXVI *ad* XCII,
Joannis Bapt. Praedicatione, CXXXVII,
Joannis Bapt. Decollatione, CXXVII,
Joanne Bapt. et Herode, CLXXIII,
Jonae prophetae signo, XXXVII,
Joseph sponso, CXLVI,
Joseph volente dimittere Mariam, CXLV,
Judaico populo, V,
Judaeorum admiratione, LXXXX,
Judaeorum livore et obstinatione, CXXXI,
Judaeorum poena, LV,
Justificatione ex Deo per Christum, CX,

L

De Laetitia spirituali, XLVI,
Laetitia vocationis Gentium, VI,
S. Laurentio martyre, CXXXV,
Lazaro a mortuis suscitato, LXIII,
Lazaro, et Divite, LXVI,
Lege abrogata per gratiam, CXV,
Legis et gratiae servis, CXIV,
Lege, per quam cognoscitur peccatum, CXVI,
Lege, per quam abundavit delictum, CXII,

M

De Magdalenae conversione, XCIII,
Magis. *Vid.* De Epiphania.
Manibus illotis in prandio. *Vid.* De Discipulis.
Manum aridam habente, XXXII,
Manifestato Christo in Resurrectione. *Vid.* De Christo
Marcellino episcopo, CLXXV,
Margarita inventa, XLVII,
Mariae Virginis annuntiatione, CXL,
Mariae Virginis partu, CLXXV,
Maria sponsa matre, CXLVI,
Maris tempestate sedata, XX,
Matthaei Publicani et divitis vocatione, XXVIII,
Morte, CXVIII,
Morte habita per hominem, CXII,
Morte a fidelibus contemnenda, et quare illam permiserit Deus, CI,
Morte pro Christo sumenda, CX,
Muliere spiritum infirmitatis habente, CV,
Muto et surdo, LI,

O

De Oratione, XLIII,
Orationis perseverantia, XXXIX,
Oratione hominis fragilis, XLV,
Oratione Dominica *a Sermone* LXVII *ad* LXXII,
Originali peccato, CXI,
Ovium centum parabola, CLXVIII,

P

De Pace, LIII,
Paralytico, L,
Paschali solemnitate, LXXIII,
Pastore bono, XL,
Paterna Dei in nos dilectione, LV,
Paterna in filios charitate, LV,
Paupertate apostolis praecepta, CLXX,
Peccato per legem cognito, CXVI,

Peccato per legem abundante, CXII,
Peccato confitendo, XLVI,
Peccato non inhaerendo, ut gratia abundet, CXIII,
Pestilentiae cathedra, XLIV,
S. Petro episcopo Ravennae, CVII,
Pharisaeo murmurante, XCIV,
Poenitentia agenda, CLXVIII,
Prodigo. *Vid.* De Filiis.
S. Projecto episcopo Corneliano, CLXV,
Q
De Quadragesimali jejunio, XII,
R
De Reductione infidelium ad Baptismum, X,
Regni Dei promissione, XXIII,
Regni Dei felicitate, XXIV,
Remittendo fratri delicto, CXXXIX,
Resurrectione carnis, CXVIII,
Resurrectione corporum, CXIII,
Resurrectione Christi. *Vid.* de Christo.
S
De Sagena missa in mare, LXVII,
Salvatoris assumenda figura, CXX,
Salute sub fide reposita, CX,
Scandalo tollendo, XXVII,
Scriba Christum sequi non permisso, XIX,
Saeculi vilanda figura, CXX,
Separatione facta a Christo, CLXIV,
Servo regresso ab agro, CLXI,
Servo vigili, XXII,
Servis legis et gratiae, CXIV,
Socru Petri infirma, XVIII,
Sinapis grano, XCVIII,
S. Stephano protomartyre, CLIV,
Superstitione in kal. Januariis, CLV,
Surdo et muto, LI,
Symbolo apostolorum *a Sermone,* LVI *ad* LXII,
Synagogae et Ecclesiae divisione. CLXIV,
Syrophoenissa. *Vid.* De Cananaea.
T
De Tempestate maris sedata, XX,
Tentatione et jejunio Christi. *Vid.* De Christo.
Terrenorum cura despicienda, XXII,
U
De Unitate Fidelium, CXXXII,
V
De Via peccatorum, XLIV,
Viduae filio excitato, CIII,
Villico iniquo, CXXV,
Virtutibus inserviendo, CXIII,
Vita per Christum habita, CXII,
Z
De Zachaeo, LIV,
Zizaniis, XCVI,

ORDO RERUM QUAE IN HOC TOMO CONTINENTUR.

S. PETRUS CHRYSOLOGUS.
Seb. Pauli praefatio in novam hanc editionem.
VITA S. PETRI CHRYSOLOGI, ex Libro Pontificali AGNELLI.
CAPUT PRIMUM.
CAP. II. - Petri Chrysologi ordinatio coelitus imperata.
CAP. III. - AEdes Petro curante constructae. Ejusdem cum Projecto Corneliense synchronologia. S. Barbatiani funus.
CAP. IV. - Petrus mortem suam praevidet, praedicitque. Forum Cornelii pergit ibique decedit. Locus sepulcri.
Observationes Bacchinii abbatis ad Vitam Petri Chrysologi ex Agnelli Pontificali.
VITA PETRI CHRYSOLOGI, ex Castillo.
§ PRIMUS. - Chrysologi patria, ortus et nomen proponuntur.
§ II. - Chrysologi educatio, ad episcopatum Ravennae electio et ejusdem consecratio referuntur.
§ III. - Varia Chrysologi episcopi Ravennatis gesta virtutesque referuntur.
§ IV. - De pretiosa Chrysologi morte ejusque sepulcro glorioso.
§ V. - De scriptis divi Petri Chrysologi.
VITA PETRI CHRYSOLOGI per Dominicum Mitam.
SCHOENEMANNI NOTITIA, in qua locus, tempus et forma omnium editionum S. Petri Chrysologi indicantur.
DISSERTATIO de Metropoli ecclesiastica Ravennatensi, per Jos. A. Amadesium.
Proaemium.
CAPUT PRIMUM. - Utrum Mediolanensi Ecclesiae subjecta fuerit Ecclesia Ravennas quatuor prioribus aerae Christianae saeculis.
CAP. II. - De litteris Clementis II, Romani pontificis prae eminentiam in conciliis Ravennati episcopo super Mediolanensemasserentis.
CAP. III. - Quid operari liceat de origine Metropoliticae dignitatis in Ecclesia Ravennatense.
CENSURA Sermonum Petri Chrysologi.
PETRI CHRYSOLOGI SERMONES.
SERMO PRIMUS. - De duobus filiis, prodigo et frugi, et primo de abscessu prodigi a patre.
SERM. II. - De *eisdem,* ubi de reditu filii ad patrem,
SERM. III. - De *eisdem,* ubi de occursu patris ad fiilium.
SERM. IV. - De *eisdem,* ubi de livore senioris filii in prodigum redeuntem.
SERM. V. - De *eisdem,* Judaeum et Gentilem figurantibus.
SERM. VI. - De laetitia ob inductionem gentium ad fidem et gratiam. *In Psalmum* XCIX.
SERM. VII. - De hypocrisi et eleemosyna. In illud Matthaei VI: *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes.*
SERM. VIII. - De jejunio et eleemosyna.
SERM. IX. - De *eisdem.* In illud Matthaei *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.*
SERM. X. - De infidelibus ad baptismum ducendis. *In Psalmum* XXVIII.
SERM. XI. - De jejunio et tentationibus Christi.
SERM. XII. - De *eisdem.*
SERM. XIII. - De *eisdem.*

SERM. XIV. - De fructibus eleemosynae. *In Psal.* XL.
SERM. XV. - De centurione.
SERM. XVI. - De duobus daemoniacis.
SERM. XVII. - De daemoniaco.
SERM. XVIII. - De socru Petri infirma et sanata.
SERM. XIX. - De scriba, cui Christus sequi se non permisit.
SERM. XX. - De sedata maris tempestate.
SERM. XXI. - De *eadem.*
SERM. XXII. De terrenorum cura despicienda, deque servo vigili.
SERM. XXIII. - De terrenorum cura despicienda, et promissione Regni.
SERM. XXIV. - De servo vigili et felicitate regni Dei,
SERM. XXV. De terrenorum cura despicienda, et promissione regni.
SERM. XXVI. - De fideli dispensatore.
SERM. XXVII. - De scandalo tollendo.
SERM. XXVIII. - De Matthaei publicani ac divitis vocatione, et de Christo cum publicanis manducante, et apostolos pauperes eligente.
SERM. XXIX. De *eisdem,* et de auro.
SERM. XXX. - De *eisdem.*
SERM. XXXI. - De pharisaeorum et discipulorum Joannis jejunio.
SERM. XXXII. - De ce qui habebat manum aridam,
SERM. XXXIII. - De filia archisynagogi, deque muliere sanguinis profluvio laborante.
SERM. XXXIV. - De *eisdem.*
SERM. XXXV. - De muliere profluvio sanguinis obnoxia,
SERM. XXXVI. - De haemorrhoissa, et filia archisynagogi.
SERM. XXXVII. - De Jonae prophetae signo.
SERM. XXXVIII. - De injuria aequo animo toleranda,
SERM. XXXIX. - De Perseverantia orationis.
SERM. XL. De bono Pastore.
SERM. XLI. - De jejunio et eleemosyna.
SERM. XLII. - De *eisdem.*
SERM. XLIII. - De oratione, jejunio et eleemosyna,
SERM. XLIV. - De consilio impiorum, via peccatorum, et cathedra pestilentiae. *In Psalmum* I.
SERM. XLV. - De homine fragili Deum orante, ne se arguat in ira. *In Psalmum* VI.
SERM. XLVI. - De exsultatione spirituali, et contessione peccatorum. *In Psalinum* XCIV.
SERM. XLVII. - De parabolis inventae margaritae, et sagenae missae in mare.
SERM. XLVIII. - De Christo, fabri filio appellato, et de invidia.
SERM. XLIX. - De *eisdem,* secundum Marcum.
SERM. L. - De paralytico curato.
SERM. LI. - De daemoniaco surdo et muto curato.
SERM. LII. - De *eodem.*
SERM. LIII. - De pacé.
SERM. LIV. - De Zachaeo.
SERM. LV. - De paterna Dei in nos dilectione, de patrum in filios charitate, et de Judaeorum poena.
SERM. LVI. - De Symbolo apostolorum.
SERM. LVII. - In Symbolum apostolorum.
SERM. LVIII. - In Symbolum apostolorum.
SERM. LIX. - In Symbolum apostolorum.
SERM. LX. - In Symbolum apostolorum.
SERM. LXI. - In Symbolum apostolorum.
SERM. LXII. - In Symbolum apostolorum.
SERM. LXIII. - De Lazaro a mortuis suscitato.
SERM. LXIV. - De *eodem.*
SERM. LXV. - De *eodem.*
SERM. LXVI. - De divite et Lazaro.
SERM. LXVII. - In Orationem Dominicam.
SERM LXVIII. - In *eamdem.*
SERM. LXIX. - In *eamdem.*
SERM. LXX. - In *eamdem.*
SERM. LXXI. - In *eamdem.*
SERM. LXXII. - In *eamdem.*
SERM. LXXIII. - De paschali solemnitate.
SERM. LXXIV. - De Resurrectione Christi.
SERM LXXV. - De *eadem.*
SERM. LXXVI. - De *eadem,* deque secunda Christi manifestatione facta mulieribus a monumento regredientibus.
SERM. LXXVII. - De resurrectione Christi.
SERM. LXXVIII. - De septima Christi manifestatione facta discipulis ad mare Tiberiadis.
SERM. LXXIX. - De resurrectione Christi.
SERM. LXXX. - De Christi resurrectione, et secunda manifestatione facta mulieribus a monumento regredientibus.
SERM. LXXXI. - De quinta Christi manifestatione facta discipulis, cum Thomas abesset.
SERM. LXXXII. - De Christi resurrectione, et quarta manifestatione facta duobus euntibus in castellum.
SERM. LXXXIII. - De nona Christi manifestatione facta recumbentibus undecim discipulis.
SERM. LXXXIV. - De quinta Christi manifestatione facta discipulis, cum abesset Thomas, deque sexta, cum adesset.
SERM. LXXXV. - De ingressu Christi in templum, et Judaeorum admiratione.
SERM. LXXXVI. - De Annuntiatione et Conceptione D. Joannis Baptistae.
SERM. LXXXVII. - De *eisdem.*
SERM. LXXXVIII. - De *eisdem.*
SERM. LXXXIX. - De *eisdem.*
SERM. XC. - De *eisdem.*
SERM. XCI. - De *eisdem.*
SERM. XCII, - De *eisdem.*
SERM. XCIII. - De conversione Magdalenae.
SERM. XCIV. - De *eadem,* et Pharisaeo murmurante, ac Christo respondente.
SERM. XCV. - De *eadem,* ubi de Magdalenae allegorica conversione.
SERM. XCVI. - De parabola zizaniorum.
SERM. XCVII. - De *eadem.*
SERM. XCVIII. - De parabola grani sinapis.
SERM. XCIX. - De parabola fermenti.
SERM. C. - De Syrophoenissa, sive Cananaea.
SERM. CI. - De morte contemnenda a fidelibus, et quareillam permiserit Deus. In illud Lucae: *Nolite timere eos qui occidunt corpus,* etc.
SERM. CII. - De centurione.
SERM. CIII. - De filio viduae excitato a mortuis, deque corporum resurrectione.

SERM. CIV. - De divite cujus ager ferax fuit.
SERM. CV. - De muliere quae habebat spiritum infirmitatis.
SERM. CVI. - De ficu quae fructum non protulit.
SERM. CVII. - In D. Petrum episcopum Ravennae.
SERM. CVIII. - De homine, ut sit hostia et sacerdos Dei. In verba Apostoli: *Obsecro vos per misericordiam Dei,* etc.
SERM. CIX. - De hostia corporis et animae, Deo rationabiliter offerenda. In eadem verba Apostoli.
SERM. CX. - De salute sub fide reposita, justificatione a Deo per Christum, et de morte pro Christo subeunda. In verba ejusdem: *Non est autem scriptum propter Abraham tantum,* etc.
SERM. CXI. - De peccato originali. In verba ejusdem: *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit.*
SERM. CXII. - De morte per hominem, vita et gratia per Christum habita, deque abundantia delicti propter legem: In verba ejusdem: *Si enim unius delicto mors regnavit per unum.*
SERM. CXIII. - De non permanendo in peccato, ut gratia abundet, et de virtutibus inserviendo. In verba ejusdem: *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, utgratia abundet?* etc.
SERM. CXIV. - De servis legis et gratiae. In verba ejusdem: *Peccabimus, quia non sumus sub lege, sed sub gratia,* etc.
SERM. CXV. - De lege abrogata per gratiam. In verba ejusdem: *An ignoratis, fratres, scientibus enim legem loquor,* etc.
SERM. CXVI. - De cognitione peccati per legem. In verba ejusdem: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit,* etc.
SERM. CXVII. - De Adam primo et novissimo. In verba ejusdem: *Factus est primus homo Adam in animam viventem.*
SERM. CXVIII. - De morte et resurrectione carnis.
SERM. CXIX. - De vero cursu pro corona gloriae. In verba ejusdem: *Nescitis quod hi qui in stadio currunt,* etc.
SERM. CXX. - De figura saeculi vitanda, et forma Salvatoris assumenda. In verba ejusdem: *Notite configurari huic saeculo,* etc.
SERM. CXXI. - De divite et Lazaro.
SERM. CXXII. - De eisdem.
SERM. CXXIII. - De *eisdem.*
SERM. CXXIV. - De *eisdem.*
SERM. CXXV. - De villico iniquo.
SERM. CXXVI. - De *eodem.*
SERM. CXXVII. - De Decollatione D. Joannis Baptistae.
SERM. CXXVIII. - In Apollinarem episcopum et martyrem.
SERM. CXXIX. - In D. Cyprianum martyrem.
SERM. CXXX. - In consecratione episcopi.
SERM. CXXXI. - De Deo, ut videatur; de livore et pertinacia Judaeorum, deque hominis Morte.
SERM. CXXXII. - De unitate fidelium.
SERM. CXXXIII. - In D. Andream apostolum.
SERM. CXXXIV. - In D. Felicitatem martyrem.
SERM. CXXXV. - In D. Laurentium.
SERM. CXXXVI. - In Adelphum episcopum.
SERM. CXXXVII. - De praedicatione D. Joannis Baptistae.
SERM. CXXXVIII. - De pace.
SERM. CXXXIX. - De remittendo fratri delicto.
SERM. CXL. - De Annuntiatione D. Mariae Virginis.
SERM. CXLI. - De Incarnatione Christi.
SERM. CXLII. - De Annuntiatione D. Mariae Virginis.
SERM. CXLIII. - De *eadem.*
SERM. CXLIV. - De *eadem.*
SERM. CXLV. - De generatione Christi, et Joseph Mariam dimittere volente.
SERM. CXLVI. - De *eadem,* ac Joseph sponso, et sponsa .
SERM. CXLVII. - De Incarnationis sacramento.
SERM. CXLVIII. - De *eodem.*
SERM. CXLIX. - De Nativitate Christi, et pace Christianorum.
SERM. CL. - De fuga Christi in Aegyptum.
SERM. CLI. - De *eadem.*
SERM. CLII. - De infantium Nece.
SERM. CLIII. - De *eadem.*
SERM. CLIV. - In D. Stephanum protomartyrem.
SERM. CLV. - De kalendis Jannarii, quae varia gentium superstitione polluebantur.
SERM. CLVI. - De Epiphania et Magis.
SERM. CLVII. - De *eisdem.*
SERM. CLVIII. - De *eisdem.*
SERM. CLIX. - De *eisdem.*
SERM. CLX. - De *eisdem.*
SERM. CLXI. - De parabola servi ab agro regressi, deque hominis erga Deum gratitudine.
SERM. CLXII. - De eo qui volebat dividere haereditatem.
SERM. CLXIII. - De terrenorum cura despicienda.
SERM. CLXIV. - De igne coelesti, de separatione facta a Christo, et de Ecclesiae et Synagogae divisione. In illud Lucae: *Ignem veni mittere in terram,* etc.
SERM. CLXV. - De consecratione D. Projecti episcopi Forocorneliensis.
SERM. CLXVI. - De quadragesimali jejunio.
SERM. CLXVII. De D. Joanne Baptista praedicante, deque poenitentia agenda.
SERM. CLXVIII. - De parabola centum ovium.
SERM. CLXIX. - De parabola drachmae perditae.
SERM. CLXX. - De Christo pro nobis varias formas suscipiente, apostolos vocante, morbos curatum mittente, et paupertatem praecipiente.
SERM. CLXXI. - De discipulis illotis manibus prandentibus.
SERM. CLXXII. - De invidia et hyprocrisi.
SERM. CLXXIII. - De D. Joanne Baptista, et Herode.
SERM. CLXXIV. - De Decollatione D. Joannis Baptistae.
SERM. CLXXV. - De Marcellino episcopo Vicohaventino, et D. Mariae Virginis partu.
SERM. CLXXVI. - De caeco.
APPENDIX.
SERM. I. - De Oratione Dominica.
SERM. II. - De *eadem.*
SERM. III. - De *eadem.*
SERM. IV. - De *eadem.*
SERM. V. - De *eadem.*
SERM. VI.-De verbis Evangelii Matth. XVII: *Hoc genus in nullo ejicitur, nisi oratione et jejunio.*
SERM. VII. - De verbis Evangelii Joann. XIV: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.*
S. VALERIANUS.
J. Sirmondi Epistola de hac S. Valeriani editione.
Notitia in S. Valerianum.
Testimonia de S. Valeriano.
S. VALERIANI HOMILIAE.
HOMILIA PRIMA. - De hono disciplinae.

HOMIL. II. - De arcta et angusta via.
HOMIL. III. - Item de arcta et angusta via.
HOMIL. IV. - De promissis et non redditis.
HOMIL. V. - De oris insolentia.
HOMIL. VI. - De otiosis verbis.
HOMIL. VII. - De misericordia.
HOMIL. VIII. - Item de misericordia.
HOMIL. IX. - Iterum de misericordia.
HOMIL. X. - De parasitis.
HOMIL. XI. - Qui gloriatur in Domino glorietur.
HOMIL. XII. - De bono conservandae pacis.
HOMIL. XIII. - De eodem.
HOMIL. XIV. - De bono humilitatis.
HOMIL. XV. - De bono martyrii.
HOMIL. XVI. - De eodem.
HOMIL. XVII. - De eodem.
HOMIL. XVIII. - De Machabaeis.
HOMIL. XIX. - De Quadragesima.
HOMIL. XX. - De avaritia.
S. VALERIANI Epistola ad Monachos.
APOLOGIA PRO S. VALERIANO, auctore. Theophilo Raynaudo.
PROLOQUIUM. - Agendi pro Valeriano causae et modus.
CAPUT PRIMUM. - Valeriani sedes. - De ejusdem aetate, natione, genere, statu privato, conjectanea.
CAPUT II. - Quae adversus Valerianum facere visa, aut videri potuerunt.
CAPUT III. - Quae prima Valeriani quoad Semipelagianismum defensio, ejusque improbatio.
CAPUT IV. - Germana Semipelagianismi expositione tradenda, proluditur ad legitimam Valeriani ab ea labe exemptionem.
CAPUT V. - Demonstratur directe Valerianum a Semipelagianismo proxime exposito abhorruisse.
CAPUT VI. - Quae prioribus locis Semipelagianismum subolere in Valeriano visa, demonstrantur catholica.
CAPUT VII. - Catholice omnino a Valeriano dictum esse, nostrum esse velle, Dei autem perficere, multipliciter ostenditur.
CAPUT VIII. - Valerianus modum loquendi Scripturarum aemulatus, alque adeo male notatus.
CAPUT IX. - Cum Valeriano gravissimi Patres aeque causa caderent.
CAPUT X. - An Valerianus Sancti titulo, quo jam olim in mss. potitur, exuendus.
FINIS TOMI QUINQUAGESIMI SECUNDI.
S. NICETAS.
Petri Braidae Praefatio.
Notitia in S. Nicetam.
De S. Niceta Veterum testimonia.
DE RATIONE FIDEI.
DE SPIRITUS SANCTI POTENTIA.
DE DIVERSIS APPELLATIONIBUS D. N. JESU CHRISTO CONVENIENTIBUS.
EXPLANATIO SYMBOLI.
Fragmenta sex.
DISSERTATIO BRAIDAE in S. Nicetam.
PROLOQUIUM. - Scopus et ordo dissertationis.
CAPUT PRIMUM. - Sive Aquileiensis Ecclesiae episcopus sit, sive alterius in Dacia, ille quem Gennadius Romatianae civitatis appellat episcopum, procul dubio unius auctoris sunt tum *Explanatio Symboli ad competentes, tum libellus ad tapsam Virginem,* quae duo nunc primum una simul sub nomine sancti Nicetae Aquileiensis episcopi damus opuscula.
CAPUT II. - Niceas seu Nicetas sancti Paulini Nolani episcopi amicitia clarus, non fuit episcopus civitatis Romatianae in Dacia cis Danubium constitutae, quinimmo trans Danubium episcopatum gessit.
CAPUT III. - Romatianae civitatis episcopus Niceas, seu Nicetas, a Gennadio memoratus, non est Niceas seu Nicetas ille Dacus sancti Paulini Nolani episcopi amicus, ejusdemque laudibus celebratus.
CAPUT. IV. - Romatianae civitatis episcopus Niceas seu Nicetas, a Gennadio memoratus, est dubio procul Niceas, seu Nicetas, episcopus Aquileiensis, qui sancti Leonis Magni tempore floruit, et ad quem ejusdem sancti pontificis exstat epistola.
CAPUT V. - Romatiana civitas a Gennadio memorata, non est in Dacia inquirenda, sed in veteri dioecesi seu provincia Aquileiensi; et probabiliter illa est quae Portus Romatianus, seu Romatinus, aut Romatius, non ita procul a Concordia, ex fluvio ejusdem nominis a Plinio appellata fuit; aut illa quae hodie Portus-Gruarius dicitur, et ad eumdem Romatium, seu Romatinum, aut Romatianum fluvium sita est, qui eam interfluit.
CAP. VI. - Niceas seu Nicetas, episcopus Aquileiensis, Romatianae civitatis episcopus probabiliter dictus fuit, seu quia antequam episcopalem sedem Aquileiensem conscenderet, episcopus auxiliaris fuit Aqui eiensis Ecclesiae ad portum Romatium sive Romatinum situs, seu quia ad portum vel civitatem ejusdem nominis non infrequenter sedebat, etiam cum Aquileiensis Ecclesiae clavuni teneret.
CAP. VII. - Clarissimi Zabei, contra Aquileiensem Niceae seu Nicetae Gennadiani episcopatum, momentis fit satis. Occurritur quoque auctoritati et animadversionibus clarissimi viri Michaelis Denis.
CAP. VIII. - De sancto Niceta episcopo Aquileiensi, ejusque opusculis, tum nunc editis, tum etiam aut deperditis, aut adhuc latentibus; nec non et de fragmentis quae nobis innotuerunt studio et industria eruditissimi viri Michaelis Denis. De illius quoque sanctitate ac cultu.
CAP. IX. - Nonnulla exhibentur observatu digna, tum quoad dogmata et mores, tum quoad disciplinam, ex sancti Nicetae opusculis atque fragmentis.
CAP. X. - Nonnulla expenduntur, quae a sancto Nicetae aut minus exacte, aut durius dicta videri possent.
APPENDICULA. - VETERA MONUMENTA DUO CAPITULI AQUILEIENSIS.
FINIS TOMI QUINQUAGESIMI SECUNDI.